JUENIN

INSTITUTIONES

THEOLOGICÆ.

INSTITUTIONES
THEOLOGICAE
AD USUM
SEMINARIORUM.

AUTHORE

GASPARE JUENIN,

Oratorii Gallicani Presbytero, & in Seminario Eminentissimi Cardinalis De Noailles Archiepiscopi Parisiensis, Sacræ Theologiæ Professore.

Editio Nova anterioribus multò auctior, & accuratior

IN DUOS TOMOS DISTRIBUTA.

TOMUS PRIMUS.

Accessit in fine in hac nova Editione verus sensus Ecclesiæ circa Gratiam contra Jansenium, juxta Auctoris doctrinam.

LUGDUNI,
SUMPTIBUS SOCIETATIS.

M. DCC. XXXVI.
Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

INDEX

Dissertationum, Quæstionum, Capitum, Articulorum, & Paragraphorum.

PROLEGOMENA.

bro-

INDEX.

§. 1.

I N D E X.

INDEX.

PARS SECUNDA.

INDEX.

PARS TERTIA.

PARS QUARTA.

Quæ-

INDEX.

INDEX.

EPI-

EPISTOLA
EMINENTISSIMI DOMINI
CARDINALIS PAULUTII
SANCTISSIMI D. N.
CLEMENTIS
PAPÆ XI.
NOMINE AC MANDATO
AD AUTOREM DATA.

ADmodum Reverende Pater, Novum tuarum Theologicarum Institutionum exemplar, quod Sanctissimo Domino Nostro proximè misisti, & reverentissimo Literarum officio es prosecutus, benignè excepit Sanctitas Sua, laudavitque non minùs ingenium ac eruditionem, quàm eximium & planè filiale obsequium in Se tuum. Pergratum insuper accedit Sanctitati Suæ; quod in ipsis Literis luculentissimè profiteris: te scilicet easce tuas Lucubrationes Apostolicæ Sedis judicio, quâ par est animi demissione, subjicere: & si quid iis irrepsisse constiterit, quod probari minimè posse videatur, emendare atque corrigere paratum esse: agnovitque in ejusmodi professione sensus, non Catholico modò Scriptore, sed etiam pio & religioso homine planè dignos. Cæterùmque subdis de maximo piorum, doctorumque Virorum plausu, quo Apostolica Constitutio novissimè edita ad quæcumque Jansenistarum effugia tollenda istic excepta est, & de fructu, qui inde speratur, non levem in Domino gaudendi materiem Sanctissimo Pontifici attulerunt. Nihil enim Sua Sanctitas enixiùs optat, nihilque magis solicitis à Deo precibus flagitat, quàm ut errantes in viam salutis aliquando redeant; ac, ut Apostolus monet, idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: Sitis autem perfecti in eodem sensu & in eâdem sententiâ. Tibi demùm Sua Sanctitas Paternæ benevolentiæ testem Apostolicam benedictionem amanter impertitur, dum ego hæc ad epistolam tuam Pontificio nomine rescribere jussus, Deum precor læta tibi, faustaque omnia largiatur. Datum Romæ die 28.Septembris an. 1705.

Paternitati tuæ,

Ad Officia

F. CARDINALIS PAULUTIUS.

Superscriptio. Admodùm Reverendo Patri

GASPARO JUENIN, Orat. DOM. JESU Sacerdoti.

APPRO.

APPROBATIO

DD. PIROT,

Doctoris Sorbonici, Ecclesiæ & Academiæ Parisiensis Cancellarii, & Eminentissimi Cardinalis De Noailles Archiepiscopi Parisiensis, in spiritualibus & temporalibus Vicarii Generalis.

Has Theologicas Institutiones, *a viro peritissimo & divinis in litteris summè exercitato compositas, anteac tum cùm primùm editæ sunt, accuratè legimus, magnoque eas rerum sacrarum studiosis adjumento esse posse censuimus: nec nostra nos fefellit opinio. Has ipsas denuò edendas recèns non parum auctas, novoque imprimis de locis Theologicis tractatu instar proœmii apposito illustratas, iterùm ex officio evolvimus, fidemque facere possumus, majorem iis ex additione lucem, roburque majus accessisse. Eas speramus in ædibus Clero informando institutis, ad quarum potissimum commodum, ut ipsa præsefert operis inscriptio, sunt elaboratæ, fore plurimùm utiles. In Sorbona die Augusti prima anni millesimi septingentesimi,*

PIROT.

INSTI-

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PROLEGOMENA.

HÆc Prolegomena non levis sunt momenti; nempè in eis differitur de Existentia, Essentia, Objecto, Proprietatibus, Locis, & Divisione Theologiæ.

DISSERTATIO PRIMA.

De Existentia, & Essentia Theologiæ.

Not. 1. THeologia secundum nominis etymologiam idem est, ac sermo de Deo: nam Θεὸς Deum, & λόγος sermonem, latinè significat.

Not. 2. Qui de Deo est sermo, vel solo lumine naturali nititur, vel habetur ea simplici, & nuda revelatione, vel per discursum ex revelatione deducitur. Si primum, ille sermo dicitur theologia naturalis: ejusmodi verò fuit imperfecta Dei, rerumque divinarum cognitio, quam nonnulli philosophi gentiles olim compararunt, & nunc etiam comparant methaphysici. Si secundum, ille de Deo sermo est virtus theologica, quæ fides dicitur; nempè per fidem mens adhæret alicui veritati propter authoritatem Dei revelantis. Si tertium, idem ille sermo est habitus, qui simpliciter, & sine addito theologia nuncupatur.

Not. 3. Certum est, existere theologiam sumptam duplici priore sensu. Et quidem primò existit theologia sumpta pro cognitione Dei, quæ solo rationis lumine comparatur, ut patet in metaphysicis; patet etiam ex Apostolo, qui ad Romanos scribens, asserit, veteres philosophos Deum ex creaturis cognovisse, ob idq; fuisse reos, quod sic cognito debitum cultum non exhibuerint: *Cum*, inquit, *cognovissent Deũ, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Existit secundo theologia sumpta pro cognitione Dei ex simplici revelatione: quippe innumeri sunt homines catholici, ac proinde qui articulis de personarum trinitate in divinis, & de incarnationis mysterio adhærent propter solam authoritatem Dei revelantis: igitur difficultas potest esse tantum de theologia sumpta in tertio sensu, seu prout est cognitio conclusionum, quæ ex veritatibus expressè revelatis eliciuntur.

CONCLUSIO 1. Existit theologia sumpta pro disciplina, quæ ex veritatibus expressè revelatis infert alias, quæ non sunt expressè revelatæ.

Probatur 1. Existit ea disciplina, qua Patres olim usi sunt: Atqui ea, de qua est quæstio, olim usi sunt, ut videre est in Athanasio, Hilario, qui ex eo quod Verbum in Scripturis appelletur Deus, dicatur omnia operari cum Patre, unigenitus illius Filius, & ex aliis ejusmodi locis intulerunt contra Arianos, ipsum esse consubstantiale æterno Patri. Videre est etiam in Augustino, aliisque Latinis Patribus, qui tum ex hac petitione orationis Dominicæ: *Fiat voluntas tua*, tum ex aliis Ecclesiæ precibus, tum ex his Christi verbis apud Joannem, *Sine me nihil potestis facere*, concluserunt contra Pelagianos, gratiam esse necessariam ad singulos pietatis actus, ad ipsum etiam initium fidei. Videre est iterum in Cyrillo Alexandrino, qui ex eo quòd Christus in Evangelio tribuat sibi quæcumque Verbo Divino propria sunt, colligit contra Nestorium, unam tantùm esse in ipso personam, ac Mariam Virginem verè, ac propriè esse Deiparam. Videre est pariter in Leone Magno, qui in Epistola ad Flavianum, tum ex passionibus humanis, quas Scriptura tribuit Christo, tum ex miraculis, aliisque ejusmodi locis concludit contra Euthicem, duas post unionem hypostaticam naturas à se invicem distinctas in Christo remansisse. Videre est quoque in Patribus sexti Concilii generalis, qui ex eo quòd tum Scriptura, tum Traditio expressè definiant, Christum esse Deum simul, & hominem, contra Monothelitas concluserunt, esse duplicem in Christo voluntatem, divinam nimirùm, & humanam. Videre est tandem in Patribus Tridentinæ synodi, qui ex Scripturæ locis, qui actibus fidei, spei, & charitatis expressè adscribunt influxum in impii justificationem, concluserunt contra Lutheranos, impium iis actibus disponi ad recipiendam gratiam sanctificantem, ex qua per peccatum exciderat.

Probatur 2. Existit disciplina, quam adhibent hodierni theologi, ut conclusiones eliciant ex veritatibus, quæ expressè, aut in Scriptura, aut intra ditione revelatæ sunt; quæ quidem conclusiones in eo differunt ab iis, quæ mox in priore probatione relatæ sunt, quod Ecclesia nondum expresso aliquo decreto definierit, eas rectè, ac necessariò inferri, aut ex Scriptura, aut ex traditione; exempli gratia, quod hominis dependentia, quæ in Scripturis asseritur, importet necessitatē auxilii physice voluntatem determinantis ad quævis, tum naturalia, tum supernaturalia pietatis opera: quod locus de dilectione, qua Deus in Scripturis dicitur prosecutus fuisse Jacob, antequam aliquid boni, aut mali egisset, gratuitam prædestinationē ad gloriā importet necessario: quòd ex præcepto de Deo diligēdo ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, sequatur necessariò debitum naturale referendi ad Deū omnes omninò actiones deliberatas. Atqui ea disciplina est theologia propriè dicta: ergo re vera existit.

Iis de theologiæ existentia præmissis, agendum est de illius essentia, seu proferenda est definitio, in qua contineatur: quippè docent logici, definitionem explicare rei definitæ essentiam per genus, & differentiam.

CONCLUSIO 2. Theologia rectè definitur habitus mentis, quo cognoscuntur res divinæ, quæ ex revelatis, sive mediate, sive immediate deducuntur.

Probatur, ac simul explicatur mox data definitio. Theologia 1. per hæc verba, *Habitus mentis, quo cognoscuntur res divinæ*, convenit, tum cum metaphisica, tum cum fide: utraque nimirum versatur circa res divinas: 2. Per hæc alia, *Quæ ex revelatis deducuntur*, differt & a metaphysica, & a fide: nam metaphysica agit de rebus divinis, prout lumine naturali cognosci possunt, ut sunt Dei existentia, nonnullaque illius attributa: fides verò versatur circa res expresse revelatas, & quidem sine discursu: nempe fides est mera, ac simplex adhæsio revelatis. 3. Hæc alia verba, *Deducuntur sive mediate sive immediatè*, ideò addita sunt, quòd ad conclusionem theologicam non requiratur, ut præmissæ, ex quibus infertur, sint immediatè & explicite revelatæ; sed sufficit, ut ex revelatis deductæ sint, ut saltem ex una revelata: seu, satis est ad theologicam conclusionem, ut una ex præmissis ultimate resolvatur in fidem, hoc est, articulum immediate, & explicite revelatum

DISSERTATIO SECUNDA.

De Objecto Theologiæ.

Not. 1. OBjectum, ex logicis, duplex est, materiale, & formale. Materiale est res ipsa, circa quam potentia, aut habitus versantur: formale verò est forma, seu formalitas, quam potentia, aut habitus attingunt in objecto materiali; v.g. paries est objectum materiale visionis, formale est parietis color. Hinc patet, quòd materiale per se, & ratione sui non attingatur, sed tantùm ratione objecti formalis.

Not. 2. In quolibet habitu præter objectum, tum materiale, tum formale, reperitur motivum, seu medium, per quod attingit objectum sibi proprium: sic authoritas Dei revelantis est motivum assensus, quem fides præbet revelatis: sic lux est medium, per quod visus attingit colorem. Illud vero motivum, illud medium a scholasticis vocari solet objectum formale *quo*.

Not 3. Veritas aliqua dupliciter dici potest revelata. Primò explicitè, & immediatè, hoc est, in seipsa: sic revelatū est, quod Deus sit trinus in personis, quod Christus vere sit homo: secundò implicite, & mediate; cum nimirum ex alia explicite, & immediate revelata deducitur, sicut ex ista propositione: *Christus est homo*, hæc alia concluditur: *Ergo Christus habet humanam voluntatem*.

Iis, quæ mox observata sunt, præmissis, ea omnia, quæ pertinent ad objectum theologiæ, tribus conclusionibus expendenda sunt.

CONCLUSIO 1. Objectum materiale theologiæ sunt Deus ipse, & res, quæ ad Deum aliquo modo referuntur.

Probatur. Ex observatis, objectum materiale alicujus disciplinæ est res illa, de qua agit: Atqui theologia agit de Deo, ut fert ipsa nominis etymologia, agit quoque de iis, quæ ad Deum referuntur, vel tanquam effectus ad causam, ut angelus, homo, aliæq; creaturæ; aut tanquam medium ad finem, ut sunt actus humani, aut tanquam instrumentum, animatum quidem, & præcipuum, sicut est Christus ad hominis lapsi sanctificationem, vel inanimatum, ut sunt sacramenta, per quæ gratia sanctificans producitur.

CONCLUSIO 2. Objectum formale theologiæ est ipsa Divinitas.

Probatur. Ex dictis, objectum formale est forma, seu ratio, quam habitus primò, & per se quærit, & attingit in objecto materiali: sic debita in actibus humanis rectitudo, ideò est objectum formale disciplinæ moralis, quod primò, & per se a morali disciplina quæratur. Atqui ipsa divinitas sic se habet respectu theologiæ: nempè divinitatem quærit, tum in Deo considerato in se, hoc est, prout est unus, & trinus, tum considerato extra se, seu prout est aut creator, aut ultimus finis, aut reparator creaturæ rationalis, ideò de creaturis agit, quòd sint quædam participatio divinitatis; ideo de Sacramentis tractat, quòd quidpiam divinum, & participatum contineant: ideò tandem differit de multis rebus, quæ non sunt Deus ipse, quod ad divinitatis cognitionem, quam ex primario suo fine quærit, nonnihil conferant.

CONCLUSIO 3. Medium, per quod theologia attingit suum objectum formale, seu ipsam divinitatem, hoc est, prout scholastici loquuntur, objectum formale *quo* theologiæ, est virtualis, & mediata revelatio.

Probatur. Ex iis, quæ observata sunt, illud est medium, motivum, objectum formale *quo*, per quod disciplina attingit objectum, tum materiale, tum formale, circa quod versatur: Atqui theologia attingit suum objectum, tum materiale, tum formale, per virtualem, & mediatam revelationem: siquidem attingit utrumq; quatenus habet connexionē cum iis, quæ immediate, & explicite revelata sunt, seu quatenus ex iis per legitimā ratiocinationem deducitur; nempe, ut præcedenti quæstione dictum est, per id solum a fide, & metaphysica discrepat. Sed connexio illa, & deducibilitas nihil sunt aliud, quam virtualis, quam implicita, quam mediata revelatio; nam quod ex explicitè, & immediate revelatis legitime deducitur, in iis virtualiter, seu, tanquam in causa, continetur.

Confirmatur argumentum ex Epiphanio, qui Hæresi 31. asserit, quòd theologia *expoliat, ac explicet, quæ ænigmatum quibusdam involucris obtecta sunt, & ad communem fidei institutum accomodet*.

Objicies 1. Deus nullo modo est objectū theologiæ: nam illud non est objectū alicujus disciplinæ, cujus existentia illi nō præsupponitur: Atqui existentia Dei non præsupponitur theologiæ; nempè illud nō præsupponitur theologiæ, quod ab ea demonstratur: Sed existētia Dei demonstratur a theologia: ergo nullo modo est illius objectum.

Resp. 1. dist. min. Existentia Dei, tanquam authoris naturæ, non præsupponitur theologiæ, transeat minor; tanquam authoris gratiæ, secundùm quam rationem pertinet ad theologiam, neg. min. Nempe theologia supponit suum principium, hoc est, fidem, quæ simpliciter, ac sine ulla prorsus probatione credit existentiam Dei, tanquam authoris supernaturalis.

Resp. 2. neg. simpliciter & absolutè minorem propositionem. Ad ejus verò probationem resp. dist. min. Existentia Dei a theologia demonstratur per medium sibi extrinsecum, conc. min. per medium sibi intrinsecum, neg. min. Theologia non ex propriis principiis, sed ex prin-

cipiis

cipiis metaphysicæ, seu, effectibus creatis & rationibus ordinis naturalis, demonstrat Dei existentiam; non verò ex principiis sibi intrinsecis, seu, ex fide: nihil autem impedit, quin aliqua disciplina existentiam sui objecti probet ex alienis principiis; nec inde sequitur, quòd objectũ illud sit posterius disciplina, quæ circa illud versatur.

Objicies 2. Nulla omninò res, alia a Deo, est objectum theologiæ: Si quæ enim alia esset illius objectum, esset maxime Verbi incarnatio: Atqui incarnatio Verbi non est objectum theologiæ; siquidem Patres theologiam opponunt disciplinæ, quæ tractat de Incarnatione, aut rebus aliis, quæ non sunt Deus ipse, quamvis ad eum tanquam ad causam efficientem, aut tanquam ad finem ultimum referantur: *Nè* (ait Basilius ep. 141.) *in theologiam, id est in ea, quæ divinitatis propria sunt, intenti, Assumptionis mysterium contemnamus*. Eodem spectant hæc verba Cyrilli Alexandrini in hanc sententiam: *In propria venit*, quæ Joaonis 1. legitur: *Valdè appositè ad sermonem de incarnatione progreditur, ac subinde transit à mera theologia ad explicandam dispensationem Incarnationis, quam propter nos gessit Filius*. Hinc constat, cur Patres solum ex quatuor Evangelistis Joannem appellaverint theologum; id nimirùm ideo factum est, quod Joannes filii divinitatem apertè expresserit, quam reliqui non adeò disertè declararunt.

Resp. 1. dist. hanc propositionem, Patres theologiam sumptam extrinsecè ex vi nominis, seù secundum etymologiam, opponunt disciplinæ, quæ tractat de Verbi incarnatione, conc. sumptam intrinsecè, seu, secundùm suam naturam, neg.

Resp. 2. Patres locis, quæ objecta sunt, sumere vocem hanc *Theologia*, secundum præcipuam illius partem, secundum quam haud dubiè agit de solo Deo in se sumpto; non sumere verò secundum partes minus præcipuas, quas complectitur.

Objicies 3. Mediata, virtualis, implicita revelatio, non est motivum, medium, seu (ut loquuntur logici) objectum formale *quo* theologiæ: nam objectum formale *quo* debet esse ita specificum, hoc est, ita proprium, ut nulli alteri disciplinæ conveniat; quippe per illud essentialiter differre debet a quavis alia disciplina: Atqui mediata, virtualis, implicita revelatio non est hujusmodi: scilicet convenit fidei: nam ideò fides adhæret his articulis: *Verbum divinum est consubstantiale Patri*, *Christus habet humanam & divinam voluntatem*, quod contineantur in aliis articulis immediatè & expressè revelatis.

Resp. dist. hanc propositionem: Ideò fides adhæret iis articulis, quod sint revelati, abstrahendo, an sint implicitè, aut explicitè revelati, conc. præcisè quod mediatè, implicitè, sint revelati, neg. Fides per se non curat de mediata, aut immediata revelatione; nimirùm ut præbeat consensum, satis est, ut certa sit Deum aliquem articulum revelasse. Hinc patet, articulos de consubstantialitate Verbi cùm Patre, de duplici voluntate in Christo, esse conclusiones theologicas, & simul articulos fidei in theologo, catholico; simplices verò articulos fidei in catholico, qui theologiam nescierit: nempè in isto non perpenduntur, prout contenti in aliis articulis, secùs autem ab illo.

DISSERTATIO TERTIA.

De Proprietatibus Theologiæ.

Quæremus hìc 1. ad quem mentis habitum theologia reducatur: 2. an sit certior aliis omnibus disciplinis: 3. utrum sit supernaturalis: 4. utrum sit necessaria.

QUÆSTIO PRIMA.

Ad quem mentis habitum theologia reducatur.

Not. 1. Ex logicis, quinque sunt mentis habitus, Intelligentia, Sapientia, Scientia, Prudentia & Ars. Intelligentia versatur circa prima principia, & quidem absque discursu; hinc illa duo: *Quodlibet est, vel non est. Bonum est amandum, & malum est fugiendum*; sunt objectum intelligentiæ. Sapientia agit de rebus, non quidem per proximas earum causas, sed per altissimas & remotiores: sic rex dicitur sapiens, quod in latis à se decretis præcipuè attendat ad altiores, & remotiores causas, ut sunt Reipublicæ splendor, ac tranquillitas; non attendat autem ad proximiores, ut sunt bonum, vel quies hujus, aut illius civis in particulari. Scientia (ut a philosophis sumitur) est cognitio certa & evidens per discursum comparata ex causis proximis. Prudentia versatur circa ea, quæ hic & nunc, hoc est, in particularibus circumstantiis, agenda sunt; v. gr. an habito respectu præsentis rerum status, bellum in hostes moveri debeat, an verò paci studendum sit. Ars est de factibilibus, seu de operibus, quæ per potentias extrinsecas, ut sunt manus, pedes, fieri solent.

Not. 2. Certum est, theologiam non esse artem, cum non versetur circa factibilia; nec prudentiam, cum non tractet de iis, quæ in particularibus circumstantiis agenda sunt; nec intelligentiam, cum non sit cognitio primorum principiorum, hoc est, quæ lumine naturali, & sine discursu cuique nota sunt: Itaque expendendum superest 1. an sit scientia: 2. qualis sit scientia: 3. an sit quoque sapientia.

CAPUT I.

Utrum Theologia sit scientia.

CONCL. Theologia est vera scientia.

Probatur 1. Theologia est una ex quinque virtutibus intellectus, cum hominem inclinet, tum ad cognitionem veri, tum ad boni praxim: Sed (ut patet ex dictis) theologia nec est intelligentia, nec ars, nec prudentia: ergo est aut sapientia, aut scientia. Si autem est sapientia, erit quoque scientia, cum (ut inferiùs observabitur) sapientia propriè dicta sit etiam vera scientia.

Probatur 2. Theologia potest considerari, vel in Beatis, vel in viatoribus: Atqui in utroque illo statu est vera scientia: Et quidem 1. in Beatis, cum ex iis, quæ clare vident in Verbo, & quæ nos viatores credimus, alia concludant; unde in eo statu tum conclusiones theologicæ, tum earum principia sunt certa, & evidentia: 2. in viatoribus est evidentia consequentiæ, seu theologi viatores clarè vident conclusiones, quas inferunt ex articulis revelatis, certò ac necessariò ex eis sequi. In iisdem viatoribus est quoque summa certitudo consequentis, seu conclusionum, quas ex revelatis necessariò sequi judicant: nec mirum; nam in viatoribus summa reperitur certitudo principiorum, ex quibus conclusiones theologicæ deducuntur. Unde sic conficitur argumentum: Ad scientiam propriè dictam hæc duo sufficiunt, evidentia consequentiæ, seu connexionis, quam conclusio habet cum suis principiis; & certitudo consequentis, seu veritatis, quæ ex principiis infertur: Atqui illa duo reperiuntur in theologis viatoribus, ac proindè theologia in eis vera est, ac propriè dicta scientia.

Objicies 1. Scientia, ex Aristotele, est cognitio certa, & evidens, comparata per discursum: Atqui theologia non est ejusmodi in hominibus viatoribus; siquidem est obscura cognitio; quod quidem sic ostenditur: Ea cognitio est obscura, quæ sequitur ex aliquo principio obscuro, quia (ut fert logicorum axioma) conclusio semper sequi-

tur debiliorem partem; hoc est, si una ex præmissis alicujus syllogismi est, aut dubia, aut obscura, conclusio erit etiam, aut dubia, aut obscura; idq; continget etiam, ubi altera ex præmissis erit certa & evidens: Atqui theologia in hominibus viatoribus sequitur semper ex aliquo principio obscuro: nam theologia est quoddam aggregatum conclusionum, quæ ex fide, quam sciunt omnes obscuram esse cognitionem, deducuntur.

Respondent nonnulli post S. Thomam 1.p. q.1. art.1. distinguendo majorem. Scientia est cognitio certa & evidens, aut in se, aut in superiore scientia, concedunt maj. in se tantùm, negant majorem. Distinguunt similiter minorem: Atqui theologia, quæ est in hominibus viatoribus, non est ejusmodi, hoc est, non est evidens in se, concedunt minorem, non est evidens in scientia superiore, negant minorem. Nempe illi scholastici contendunt, theologiam viatorum esse evidentem in beatorum theologia, quæ quidem superior est theologia viatorum. Nec mirum, inquiunt, cum beati clare videant in Verbo principia, veritates nimirùm revelatas, quas viatores credunt, & ex quibus inferunt suas conclusiones: Ad scientiam autem proprie dictam, satis est (inquiunt illi theologi) ut illius principia a superiore aliqua scientia evidenter cognoscantur: probant & simul suam responsionem illustrant argumento a simili: Optica, inquiunt, & musica sunt scientiæ proprie dictæ, quamvis opticæ principia in geometria tantum, & principia musicæ in arithmetica tantum evidentia sint.

Verum licet ea responsio probet theologiam in se sumptam, hoc est, abstrahendo a subjecto, in quo reperitur, esse scientiam; non probat tamen esse scientiam in viatoribus; sicut musica non est scientia in eo, qui non callet arithmeticam.

Respondent ad idem argumentum alii theologi, quibus subscribimus, dist. maj. Scientia, quæ sequitur ex principiis ordinis naturalis, qualem Aristoteles definiit, debet esse cognitio evidens, conc. maj. quæ sequitur ex principiis fidei, ut revera ex iis sequitur theologia viatorum, neg. maj. Ideò scientia, quæ sequitur ex principiis ordinis naturalis, debet esse evidens, quod alioquin non habitura sit certitudinem; nam certitudo scientiæ petitur ex certitudine, quæ habetur de principiis; nulla autem habetur certitudo de principiis ordinis naturalis, nisi illa principia sint evidentia. E contra theologia de suis principiis, propter Dei revelantis authoritatem, qua nituntur, certissima est, quamvis ea principia evidenter non cognoscat.

Confirmatur mox data responsio ex eo, quod ideò in sciente requiritur evidentia, quod necesse sit, ut sit imperturbabilis & immobilis in sua scientia: Atqui theologus propter certitudinem, quam habet de suis principiis, est prorsus imperturbabilis & immobilis in sua scientia, seu in conclusione, quam clarè videt sequi ex fidei principiis: *Habet nimirùm fides* (Augustino teste epist.222.) *oculos suos, quibus quodam modo videt verum esse, quod nondum videt, & quibus certissimè videt, nondum se videre, quod credit.*

Objicies 2. Habitus, qui versatur circa singularia, non potest esse scientia, eo quod objectum scientiæ debeat esse immutabile, sicut ipsa scientia est immutabilis: Atqui theologia versatur circa singularia, ut sunt Christi conceptio in utero B. Virginis Mariæ, Incarnatio Verbi, aliaque plurima facta, quæ theologia ex articulis explicitè revelatis colligit: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Si illa singularia non subsint divinæ revelationi, conc. maj. si illi subsint, neg. maj. Ratio est, quia revelatio tribuit theologo summam certitudinem respectu rerum singularium; eam verò certitudinem non tribuunt philosopho, aut cuivis alteri scienti principia lumine naturali cognita; nec enim ea principia sunt de rebus singularibus, ac contingentibus, sed tantum de universalibus & necessariis.

Objicies 3. Tritum est apud philosophos & theologos axioma: Quod *de eadem veritate simul esse non possint fides, & scientia.* Atqui falsum esset illud axioma, si theologia esset scientia proprie dicta; nam hæc propositio: *Christus habet humanam voluntatem*, est conclusio theologica deducta ex articulo immediate revelato: *Christus est homo*; ac proinde est conclusio scientifica: est etiam articulus fidei expresse definitus in sexta generali Synodo, quæ habita est contra Monothelitas.

Resp. dist. maj. Scientia, quæ sit evidens, non potest esse simul cum fide, conc. maj. nam obscuritas fidei tolletur per evidentiam scientiæ: Scientia, quæ sit obscura, non potest esse cum fide, neg. maj. Ratio est, quia scientia certa & obscura (qualem supponimus esse theologiam) nihil habet, quod sit oppositum certitudini, & obscuritati fidei.

CAPUT II.

Utrum Theologia sit scientia speculativa, vel practica.

Not. 1. Scientia, alia est merè speculativa, alia merè practica, alia partim speculativa, & partim practica. Prior (ut ajunt logici) sistit in contemplatione sui objecti; altera ordinatur ad operationem; tertia præter objecti sui speculationem, voluntatem dirigit ad operandum.

CONCLUSIO. Theologia est scientia speculativa simul, & practica.

Probatur 1. Theologia est speculativa; nempe sistit plane in contemplatione sui objecti primarii, quod est Deus, unus in natura, & trinus in personis: neque enim aliud, quàm divinæ naturæ, & divinarum personarum cognitionem sibi proponit: est 2. practica, cum hominis voluntatem dirigat, ac inclinet ad praxim: actibus nimirum humanis præscribit regulas, quibus creatura rationalis ad Dei ultimi finis possessionem pervenire possit.

Confirmatur 1. Theologia (ut infra dicetur) cæteris omnibus scientiis præeminet; ac proinde earum vim, ac officia eminenti quodam modo complectitur; quæ enim (ajunt physici) in inferioribus divisa sunt, collecta sunt in superioribus. Atqui inter virtutes mentis sunt aliquæ, quæ speculativæ sunt, aliæ verò practicæ: Ergo theologia est eminenter utrumque simul.

Confirmatur 2. Theologia, ex dicendis, est vera sapientia. Sapientia verò non solùm Dei naturam, ac proprietates contemplatur, sed præterea docet illius cultum, ac proinde movet, & dirigit ad praxim. Eo principio nixi Patres contenderunt antiquorum philosophiam non fuisse sapientiam: neque enim, inquiebant, disciplina, quæ sistit in jejuna divinitatis contemplatione, meretur sapientiæ nomen: *Philosophia* (verba sunt Lactantii lib. 4. Institutionum cap. 2.) *quia veram religionem, id est, summam pietatem non habet, non est vera sapientia. Ubi autem sapientia cum religione inseparabili nexu cohaeret, utrumque verum esse necesse est, quia & colendo sapere debemus, id est, sentire quid nobis, & quomodo sit colendum, & in sapiendo colere, id est, re & actu, quod scierimus, implere.*

Objicies 1. Practicum, & speculativum sunt differentiæ, quæ sibi invicem opponuntur specifice, quippe oriuntur ex diverso speciei objecto, sicut visus & auditus. Atqui differentiæ, quæ specificè opponuntur, non possunt convenire eidem habitui, sicut nec eidem generi, ut patet in animali; quod quidem ideò non potest esse simul rationale, & irrationale, quòd rationale, & irrationale, sint differentiæ, quæ specificè opponuntur.

Resp. 1. distin. min. Differentiæ, quæ opponuntur specificè non possunt convenire eidem habitui secundùm eumdem respectum considerato, conc. min. Secundùm diversum respectum considerato, neg. min. Speculativum con-

convenit theologiæ, prout versatur circa Deum, ut est in se; practicum verò, ut est ultimus finis, quem creatura rationalis potest consequi per virtutis exercitium, & peccati fugam. Hinc patet practicum, & speculativum, non dici de theologia secundùm idem; ac proinde in casu, de quo agitur, specificè non opponi.

Resp. 2. distin. min. Differentiæ, quæ opponuntur specificè non possunt convenire eidem habitui, si ille habitus non habet objectum infinitum, conc. min. si habeat objectum infinitum, neg. min. Infinitum, quale est objectum theologiæ, cum eminenter includat plurium objectorum perfectiones, continet multiplicem differentiam specificam; ac proinde non est absurdum, quod habitui, qui circa illud objectum infinitum versatur, multiplex differentia specifica conveniat.

Objicies 2. Quilibet actus theologicus non est simul practicus, & speculativus: ergo nec ipsa theologiæ habitus est simul practicus, & speculativus. Consequentia patet ex eo, quod quilibet actus includere debeat quamlibet differentiam essentialem habitus, a quo procedit.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ad cujus probationem, dist. hanc propositionem: Quilibet actus &c. si se extendat ad totum, & adæquatum objectum habitus, conc. Si ad partiale tantùm, & inadæquatum, neg. Idque patet in operationibus animæ rationalis, quæ licet ab una, & eadem potentia oriantur, sunt tamen diversæ speciei, eò quòd objecta specie diversa attingant, ut videre est in operatione rationali, & sensitiva.

Objicies 3. Nulla est veritas in theologia, quæ ad praxim non dirigat: ergo theologia est scientia merè practica. Probatur ant. Si quæ essent veritates, quæ ad praxim non dirigerent, essent præsertim illæ, quæ versantur circa divina mysteria, ut sunt Mysteria Trinitatis, & Incarnationis. Atqui ea etiam mysteria ad praxim dirigunt; quippè theologus eorum mysteriorum cognitione utitur, ut suas operationes rectè instituat.

Resp. dist. ant. Nulla est, &c. quæ ad praxim non dirigat, aut per se, aut per accidens, conc. ant. per se, neg. ant. Ratio est, quia ut habitus sit omninò practicus, requiritur ut omnes veritates, circa quas versatur, *per se*, seu ex primario fine ad praxim dirigat; id verò, seu, ad praxim dirigere, licet per accidens, hoc est, ex intentione theologi operantis convenire possit singulis veritatibus theologicis, non convenit tamen per se, hoc est, ex primario fine singularum veritatum theologicarum.

CAPUT III.

Utrum Theologia sit scientia subalternata scientia Beatorum.

Not. Scientia, sive speculativa, sive practica, duplex est: subalternans, & subalternata. Prior demonstrat alterius principia: posterior ab illa mutuatur suorum principiorum tum certitudinem, tum evidentiã. Sic arithmetica est subalternans respectu musicæ, & vicissim musica est subalternata respectu arithmeticæ; quippè arithmetica agit de numeris, qui sunt principia soni, circa quem musica versatur; unde (ut fert tritum axioma) *Ibi incipit musicus, ubi desinit arithmeticus.*

CONCL. Theologia impropriè quidem, sed non propriè, & in rigore, est subalternata scientiæ Beatorũ.

Probatur prior pars. Ad subalternationem impropriè dictam, duæ tantùm conditiones requiruntur: prior, ut scientia subalternans sit superior subalternata; posterior, ut subalternata ordinetur ad comparandam subalternantem. Atqui scientia Beatorum est superior theologia viatorum, & ista ad illius consecutionem ordinatur: ergo, &c.

Probatur altera pars. In Beatis duplex est scientia, prior est scientia Beata, seu ea, per quam sine discursu Beati clarè vident in Verbo, quæ hic obscure per fidem cognoscimus; posterior est ea, per quam Beati ex veritatibus clare in Verbo cognitis, alias veritates per discursum colligunt. Atqui theologia viatorum neutri ex iis Beatorum scientiis propriè, & in rigore subalternatur. Siquidem ad subalternationem proprie dictam requiritur, 1. ut principia subalternantis, & subalternatæ sint omninò diversa, ita ut conclusiones, quæ in scientia subalternante sunt demonstratæ ab eadem scientia subalternante, sint principia scientiæ subalternatæ. Id videre est in medicina respectu physicæ; nam medicina, eò quòd sit subalternata, physicæ respectu, pro suis principiis habet conclusiones, quas physica demonstrat; unde invaluit hoc axioma: *Ibi incipit medicus, ubi desinit physicus.* Requiritur 2. ut objectum scientiæ subalternatæ sit inferius, seu, contractius objecto scientiæ subalternantis, idque per contractionem aliquam accidentalem, ut patet in Musica, cujus objectum, seu numerus sonorum, minus late patet, quam objectum Arithmeticæ, quippe Arithmetica versatur circa numerum, abstrahendo a sonoro & non sonoro, hoc est, utrumque complectitur, sonorum scilicet, & non sonorum.

Atqui neutra, ex iis conditionibus hic habet locum. Nam 1. principia scientiæ, quæ est in Beatis, & principia theologiæ, quæ est in viatoribus, non sunt diversa; nempe utriusque principia non alia sunt, quam divina revelatio; nec enim, aut Beatis, aut viatoribus aliquid de Deo innotescit, nisi per revelationem, obscuram quidem in istis, evidentem verò in illis. 2. Theologiæ objectum, seu veritas, quæ ex revelatione per discursum colligitur, non minus est objectum scientiæ, quæ reperitur in Beatis, quam illius, quæ reperitur in nobis viatoribus, sive illa Beatorum scientia sit discursiva, sive non sit discursiva: ergo theologia, proprie & in rigore philosophico, non subordinatur scientiæ Beatorum.

Objicies 1. Principium scientiæ Beatorum est revelatio clara & evidens; principium verò theologiæ viatorum est revelatio obscura. Objectum scientiæ viatorum est veritas obscura, cum inferatur ex obscura revelatione: objectum verò scientiæ Beatorum est veritas clara, quæ per discursum colligitur ex evidenti revelatione, aut quæ per visionem beatificam habetur sine discursu. Atqui illa differentia obscuritatis, & evidentiæ, tum in principio scientiarum, tum in illarũ objecto, satis est ut una propriè, & in rigore subalternetur alteri: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia differentia, quæ reperitur inter principia scientiæ subalternantis, & scientiæ subalternatæ, debet *per se* convenire principiis scientiæ subalternatæ, ut patet in principiis arithmeticæ, & musicæ. Verùm theologiæ nostræ principiis, seu, divinæ revelationi, obscuritas non convenit *per se*, sed tantum *per accidens*, nimirum ratione subjecti, hoc est, hominum in terris adhuc degentium statui. Ratio est 2. quia obscuritas alicujus conclusionis non extendit ipsam conclusionem; ac proinde non efficit, ut objectum theologiæ, quæ est in viatoribus, sit magis extensum, quam objectum scientiæ, quæ reperitur in Beatis. Confirmatur ex eo, quod obscura cognitio non se teneat ex parte objecti, sed tantùm ex parte subjecti cognoscentis; proindeque non efficit, ut vel accidentaliter differat ab eo, quod est clare, ac evidenter cognitum. Ad subalternationem tamen illa accidentalis differentia requiritur ex parte objecti, quod attingitur a scientia subalternata, ut superius ostensum est exemplo musicæ, respectu arithmeticæ, cui subalternatur.

Objicies 2. Theologia viatorum, eò modo se habet ad scientiam Beatorum, quo se habet perspectiva ad geometriam, & musica ad arithmeticam: Atqui perspectiva est *propriè* subalternata geometriæ, & musica arithmeticæ: ergo viatorum theologia *propriè* subalternatur theologiæ Beatorum. Probatur major authoritate S. Thomæ, qui

qui 1.par. quæst.1. art.2. sic loquitur; *quædam sunt, quæ procedũt ex principiis notis lumine superioris scientiæ, sicut perspectiva procedit ex principiis notificatis per geometriã, & musica ex principiis per arithmeticam notis. Et hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ s. est scientia Dei & Beatorũ. Unde sicut musicus credit principia tradita sibi ab arithmetico, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi a Deo.*

Resp. dist. maj. Theologia eo modo se habet *secundum aliquid*, ad scientiam beatam, quo se habet perspectiva ad geometriam, conc. maj. Se habet *secundum omnia*, neg. maj. Theologia in eo est similis perspectivæ, quod sicut perspectiva est inferior geometria, sic theologia est inferior scientia Beatorum; idq; non secundum differentiam, quæ se teneat ex parte theologiæ sumptæ in se, & a parte rei, sed secundum cognitionis modum, obscuritatem nimirùm, quæ se teneat ex parte cognoscentis.

Nec aliud loco in objectione relato voluit S. Thomas: nimirum non comparat cognitum a viatoribus cum objecto cognito a Beatis, sed tantum comparat modum, quo viatores cognoscunt cum modo cognoscendi Beatorum: ille autem modus est evidens in Beatis, obscurus verò in viatoribus: *Hoc modo*, inquit, *sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principiis notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & Beatorum.* Præterea S. Doctor non asserit, quòd conclusiones scientiæ, quæ est in Beatis, sint principia scientiæ, quæ est in viatoribus: id tamen, in Adversariorum sistemate, debuisset asserere, cum, ut jam dictum est, ibi incipiat scientia subalternata, ubi desinit subalternans: sed hoc unum tradit; nempe, quod sicut musicus debet sua principia arithmetico, ita theologus sua debet, non quidem scientiæ Beatorum, sed divinæ revelationi: Ita, inquit, *doctrina sacra credit principia revelata sibi à Deo.*

CAPUT IV.

Utrùm Theologia sit Sapientia.

CONCL. THeologia est habitus, qui Sapiẽtia dicitur. Probatur 1. Sapientia est cognitio rerum per altissimas causas, nempe, per id differt a scientia, quæ de rebus agit per causas proximas; sic physica demonstrat corpus esse divisibile, eo quod sit extensum. Atqui theologia est cognitio rerum per altissimas causas; Dei nimirum, & eorum, quæ ad ipsum referuntur, aut tanquã ad causam, aut tanquã ad finem ultimũ, & quidẽ per revelationem, quæ haud dubie causa est altissima.

Probatur 2. Proprium est sapientiæ ferre judicium de rebus omnibus, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 2. *Spiritualis homo judicat omnia, & ipse à nemine judicatur*; nec id mirum est. Cum enim sapiens, res omnes in altioribus, seu in universalibus principiis consideret, ad ipsum de rebus omnibus judicium spectat: atqui theologia de rebus omnibus judicat, nulla quippè res est, quæ ad Deum, aut tanquam ad causam, aut tanquam ad finem ultimum non referatur: hinc non solum infert conclusiones ex articulis fidei, sed expendit etiam principia aliarum scientiarum: judicat nimirum ea falsa esse, si repugnent veritatibus a Deo revelatis: ipsorum etiam articulorum fidei credibilitatem explicat, declarat, definit.

Objicies 1. Ille habitus non est sapientia, qui aliundè supponit sua principia: qui enim ea supponit aliundè, tantum abest, ut ordinet, ac dirigat, quod proprium est sapientiæ, quin potiùs ordinetur, ac dirigatur: atqui theologia supponit sua principia aliundè, ex scientia nimirùm Beatorum, cujus conclusiones sunt principia theologiæ viatorùm.

Resp. 1. dist. maj. Ille habitus non est sapientia, qui aliunde, seu ex humana alia scientia supponit sua principia, conc. maj. qui ex scientia divina, neg. maj. Theologia, secundum Authores, quibus placet eam propriè subalternari scientiæ Beatorum, supponit quidem sua principia aliunde, sed cum scientia, cui subalternatur, sit divina, non impedit, quia theologia sit vera sapientia.

Resp. 2. neg. min. Nec enim (ut articulo superiore dictum est) alia sunt principia scientiæ Beatorum a principiis theologiæ viatorum; unde falsum est, quod illius conclusiones sint istius principia.

Objicies 2. Vera sapientia debet probare principia particularium habituum: atqui theologia non probat, hoc est, non demonstrat principia omnium scientiarum; neque enim agit de mathematicæ, aut medicinæ principiis: ergo theologia non est vera sapientia.

Resp. dist. maj. Si illæ scientiæ sint ejusdem cum ea generis, conc. maj. Si non sint ejusdem generis, neg. maj. Hinc patet, theologiæ non esse demonstrare scientiarum naturalium principia, licet multum inferiora sint theologiæ principio, seu divina revelatione.

Objicies 3. Idem habitus non potest esse scientia simul, & sapientia; cum enim sapientia, & scientia sint membra, in quæ philosophi dividunt habitum, necesse est, ut sibi invicem opponantur, quia non valet divisio, nisi in membra sibi invicem opposita. Sed theologia est vera scientia: ergo non potest esse sapientia.

Resp. neg maj. Ad cujus probationem, dist. ant. Sapientia, & scientia dividunt habitum tanquam totum potentiale in suas potentias, conc. ant. Tanquam totum integrale in sua membra, aut tanquã genus in suas species, neg. ant. Partes, quæ dividunt totum potentiale, ut est habitus, debent quidem differre, sed non debent opponi: sic intellectus & voluntas, in quæ anima tanquam totum potentiale dividitur, differunt quidem, sed sibi invicem non opponuntur: hinc nihil impedit, quin theologia sit scientia, quatenus est cognitio certa per discursum comparata, & simul sit sapientia, quatenùs res certò cognoscit per divinam revelationẽ, quæ est altissimũ cognitionis mediũ, seu, ut alii loquuntur, altissima causa.

QUÆSTIO II.

Utrum Theologia sit certior scientiis naturalibus.

Not. CErtitudo se tenet, vel ex parte objecti, vel ex parte subjecti: prior certitudo sumitur ab immutabilitate, & immobilitate rei, quæ cognoscitur: posterior petitur ab adhæsione intellectus cognoscentis.

CONCL. Theologia aliis scientiis naturalibus certior est certitudine, tum objecti, tum subjecti.

Probatur prior pars. Ex observatis, certitudo objectiva scientiæ petitur ex immutabilitate, & immobilitate objecti circa quod versatur: atqui objectum theologiæ, seu Deus, majorem habet immutabilitatem, & immobilitatem, quam cætera Entia cujuscumque sint ordinis, ut suo loco de Dei immutabilitate differentes ostendemus.

Probatur altera pars. Theologia sumpta ex parte subjecti dicit firmum, ac constantem intellectus assensum veritati, quæ ex revelatione necessariò deducitur: atqui ille assensus constantior est, ac firmior eo, quem intellectus præbet in aliis scientiis naturalibus. Nam assensus eò firmior est, ac constantior, quò firmior est causa, a qua oritur, hoc est, quò firmius est medium, per quod intellectus ad eum determinatur: atqui illa causa est certior ea, quæ in aliis scientiis naturalibus intellectum movet, ac determinat ad assensũ: ea nempe causa est divina revelatio, cui falsũ subesse nequit; cũ è contra lumen naturale, quod in aliis scientiis est causa movens, ac determinans ad assensum, decipi possit: *multò certior est homo* (inquit hìc S. Thomas art. 2. ad 2.) *de eo, quod audit a Deo, qui falli non potest, quã de eo, quod videt propria ratione, quæ falli potest.*

Objicies 1. Ideò asseritur assensum theologicum esse certiorem assensu scientifico, quòd medium, per quod theolo-

theologia ad eum determinatur, sit certius medio, per quod philosophus determinatur ad assensum scientificũ: atqui illa ratio nulla est. Siquidẽ fallum non magis subesse potest evidentiæ, quæ est medium assensus scientifici, quam divinæ revelationi, quæ est medium assensus theologici: alioquin enim Deus creator frustraretur fine sibi proposito, ideo nempe lumẽ naturale indidit homini, ut per illud veritatis cognitionem certò cõsequatur: eam tamen certò non consequeretur, si lumen naturale falli posset.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. hanc propositionem, quod Deus alioquin fine sibi proposito frustraretur: Nam in pœnam peccati potest permittere, licet actu non permittat, ut id, quod intellectui videtur evidens, sit omninò falsum: è contra, quacumque facta hypothesi, permittere non potest, ut revelatum non sit verum; neque enim quidquam potest contra veritatem, cum seipsum negare non possit; ac proindè revelatum magis distat a falso, quam id, quod videtur evidens.

Objicies 2. Assensus necessarius certior est assensu libero: ille enim negari non potest ab intellectu: sic intellectus non potest non adhærere huic propositioni: *Totum est majus sua parte*: ista è contra, assensus nimirùm liber, negari potest ab intellectu: atqui assensus scientificus est necessarius, assensus verò theologicus est liber: ergo ille certior est illo.

Resp. dist. maj. Assensus necessarius est certior libero, si assensus liber oriatur ex medio probabili, & opinativo, conc. maj. Si oriatur ex medio prorsùs infallibili, ut contingit in assensu theologico, neg. maj. Ideò assensus liber in disciplinis naturalis ordinis nõ est æque certus, ac assensus necessarius, quia sẽper oritur ex medio probabili, quod proinde non extorquet assensum; at id locum non habet in assensu verè theologico, cum assensus theologicus oriatur ex medio prorsùs infallibili, divina scilicet revelatione.

Objicies 3. Quod ab intellectu excludit omnem prorsùs dubitationis motum, certius est eo, cum quo stat aliquis dubitationis motus: atqui assensus scientificus excludit ab intellectu omnem dubitationis motum, qui tamen motus stat cum assensu theologico; tam enim stat cum assensu theologico, quàm cum illius principio, fide nimirùm: sed dubitationis motus stat cum fide, licet fides illud expugnet: ergo &c.

Resp. conc. maj. dist. secundam partem minoris. Motus dubitationis stat cum assensu theologico, per accidens, conc. min. per se, neg. min. Ideò theologus, & credens nõnunquam experiuntur aliquos dubitationis motus, quod semper satis non attendant ad divinam revelationem, sed aliquando attendant ad difficultates, quæ contra fidem ex humana ratione nascuntur: *hoc nempè*, ait Hilarius lib. 8. *humana mens solùm sapit, quod intelligit*. Chrysostomus tom. 2. de incomprehensibili, sic etiam loquitur: *Sapientia, quam a Christo accepi sumas, est proprias ratiocinationes, conversa ad revelationẽ mentis acie, rabidè furentes cõpescere.*

Objicies 4. S. Thomas asserit assensum theologicum, non tam in nobis esse firmum, quam assensum scientificum: ergo tantùm abest, ut majorem habeat certitudinem, quin habeat multò minorem.

Resp. dist. ant. S. Thomas asserit, &c. Idque contingit per accidens, conc. ant. Quod nempe intellectus humanus non satis comprehendat divinæ revelationis vim, ac virtutem, ad eamq; non satis attendat; id cõtingit per se, seu ex natura causæ assensus theologici, neg. ant. Eam solutionem innuunt hæc S. Doctoris verba: *Ad primum dicendum, quod nihil prohibet, id quod est certius secundum naturam, esse quo ad nos minus certum propter debilitatem intellectus nostri.*

QUÆSTIO III.

Utrùm Theologia sit habitus supernaturalis.

Not. 1. NOn est hic quæstio de theologia sumpta secundum suum principium: certum est enim, quod sic accepta, sit omninò supernaturalis, cum illud principium non sit, ut superius dictum est, aliud a fide: Igitur difficultas est de theologia sumpta pro conclusione deducta ex aliquo fidei articulo.

Not. 2. Nonnulli theologiam sumptam in ultimo illo sensu contendunt esse supernaturalem, tum quod habeat causam ordinis supernaturalis, scilicet fidem, cum etiam quod naturalis discursus, qui reperitur in argumento theologico, non sit causa productiva assensus theologici, sed mera conditio requisita, ut revelatio ratiocinantem determinet ad assensum.

CONCLUSIO. Theologia est habitus merè naturalis.

Probatur. Quod acquiritur per actus merè naturales, est omninò naturale. Siquidem, ut ajunt philosophi, forma, & medium, per quod acquiritur, sunt ejusdem ordinis, ut patet in igne, & calore, per quem forma ignis acquiritur: atqui theologia acquiritur per actus merè naturales, nempe per librorũ lectionẽ, varias speculationes, plurimos discursus, similiaq; exercitia; nec enim a Spiritus Sancti infusione theologiæ peritia expectari solet, quemadmodum expectari solent gratiæ gratis datæ, ut sunt donum miraculorum, prophetiæ, & alia ejusmodi.

Respondent Adversarii, si cursũ ad theologiã requiri, non tanquã causam illius productivã, sed tanquã conditionem, sine qua non: non est vero necesse, ut conditio, sine qua non, ejusdem sit ordinis cum forma, ad quã est via, id nempe videre est in verbi De auditu, qui præcedit conversionem infidelis; nec enim ille auditus est supernaturalis, sicut ipsa hominis infidelis conversio.

Sed gratis fingitur, actus illos, quorum meminit argumentum, & ipsum discursum, se habere respectu assensus theologici per modum meræ conditionis, sine qua non. Nam 1. illi actus se habent per modum causæ in aliis scientiis; cur vero theologia ab iis scientiis quoad illud caput excipitur? 2. Si essent conditio, non causa, Deus posita illa conditione semper conferret auxilium supernaturale ad eliciendum assensum theologicum, semper enim elicitur. Sed unde habent Adversarii, quod Deus impiis etiam hominibus, a quibus posita fuit illa conditio, auxilium supernaturale largiatur?

Objicies 1. Illa scientia est supernaturalis, quæ habet causam supernaturalem, nam effectus sequitur naturam suæ causæ: atqui causa theologiæ est supernaturalis, divina nimirum revelatio: ergo &c.

Resp. dist. maj. Illa scientia, &c. quæ habet causam proximam supernaturalem, conc. maj. Causam remotã tantùm, neg. min. Distinguo pariter min. Atqui causa remota theologiæ est supernaturalis, conc. min. Causa proxima, neg. min. Nam causa proxima theologiæ est virtualis revelatio, seu connexio, quam aliqua veritas habet cum articulo expressè revelato; illa verò virtualis revelatio, seu judicium de connexione, quam aliqua propositio habet cum articulo expressè revelato, non est aliquid supernaturale, sed merus effectus rationis, a qua connexio illa per discursum apprehenditur.

Objicies 2. Ille habitus est supernaturalis, cujus certitudo est supernaturalis: neq; enim proprietas est superioris ordinis, quam sit res, cujus est proprietas. Sed theologiæ certitudo est supernaturalis, cum, ut supra dictũ est, ea certitudo sit major certitudine omniũ aliarũ scientiarũ naturalium; nec majoris illius certitudinis ratio aliundè desumi nõ possit, quã ab illius supernaturalitate.

Resp. con. maj. neg. min. Ad cujus probationem dico falsum esse, quod majoris illius certitudinis ratio aliundè desumi non possit, quam a supernaturalitate: petitur

omni-

nimirum à connexione, quam theologia habet cum fide, seu articulo expresse revelato; ea autem connexio, ut jam fuit observatum, est secundum se omninò naturalis.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Theologia sit necessaria.

Not. 1. Necessarium aliud est absolutum, & aliud per respectum ad finem. Prius est illud, quod nullo modo, nullo tempore potest se aliter habere, ut Deum existere, hominem esse animal mente præditum; posterius est illud, quod requiritur ad certum finem consequendum: hic de illo non agimus, sed de isto tantum; seu, quæstio est, utrum theologia sit necessaria ad consequendam salutem.

Not. 2. Necessarium per respectum ad finem est duplex, unum necessitate præcepti, aliud necessitate medii. Prius est illud, quo res aliqua ideò est necessaria, quòd sit præcepta, sic actualis peccatorum confessio homini post baptismum lapso est ad salutem necessaria; nam quamvis homo lapsus sine ea salvari possit, si nempe non adsit sacerdos, cui confiteatur; tamen salutem non consequetur, si eam gravi sua culpa lubens omittat. Posterius necessarium est illud, sine quo finis haberi nequit; ea necessitatis specie contritio est necessaria homini lapso.

Not. 3. Necessarium necessitate medii dupliciter dicitur, vel simpliciter, vel secundùm quid. Illud ad finem comparandum ita requiritur, ut finis sine eo, juxta ordinariam Dei providentiam haberi non possit: istud verò requiritur, non ad finem simpliciter, & absolutè comparandum, sed tantùm ad eum facilius consequendum.

Not. 4. Theologia tripliciter sumi potest: 1. pro aliqua cognitione supernaturali, sive sit fides, sive sit aliquid aliud. Sumi potest 2. pro habitu, aut actu, quo infertur conclusio ex articulo expresse revelato: 3. pro methodo illa, ad quam pluribus abhinc sæculis theologia redacta est a S. Joanne Damasceno, a Petro Lombardo, qui vulgò dicitur Magister sententiarum, a S. Thoma Aquinate, quæque passim theologia scholastica nuncupatur. Iis præmissis, aliquot statuendæ sunt conclusiones, ut solvatur difficultas, de qua agitur in hacce tertiæ dissertationis quæstione quarta.

CONCLUSIO 1. Theologia sumpta pro aliqua Dei cognitione supernaturali, est cuique adulto necessaria necessitate medii ad salutem consequendam.

Probatur 1. Fides cuique adulto est necessaria necessitate medii, ut docent in tractatu de fide, ubi laudant hæc Apostoli ad Hebræos scribentis verba: *sine fide impossibile est placere Deo*. Laudant quoque hanc Christi sententiam, *qui non crediderit, condemnabitur*. Laudant etiam Tridentini Concilii locum, quo sessione nimirum 6. cap. 8. dicitur, quod *fides sit humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, quòd sine ea nemini unquam contigerit justificatio*. Atqui fides est supernaturalis cognitio Dei: ergo theologia sumpta pro aliqua Dei cognitione supernaturali est cuique adulto necessaria necessitate medii ad salutem consequendam.

Probatur 2. Homo est conditus ad finem supernaturalem, intuitivam scilicet, & claram Dei visionem: ergo indiget aliqua Dei cognitione, per quam ad finem illum dirigatur: atqui ad id satis non est cognitio naturalis; neque enim habet proportionem cum illo sublimi fine: ergo requiritur Dei aliqua cognitio supernaturalis.

CONCLUSIO 2. Theologia sumpta pro disciplina, quæ conclusiones infert ex articulis immediatè revelatis, non est cuique fideli, aut necessitate præcepti, aut necessitate medii necessaria ad consequendam salutem.

Probatur 1. Nullum, aut in scriptura, aut in traditione, aut in Ecclesiæ decretis extat præceptum, quo quisque fidelis jubeatur studere theologiæ in sensu, quo est quæstio; nec immeritò, quippe perpauci sunt ejus studii capaces, & inter capaces non sunt plures, quibus id per otium liceat. 2. Constat innumeras mulierculas, plures plebejos homines salutem consequi, quamvis disciplinæ, de qua agitur, nusquam operam dederint.

CONCL. 3. Theol. sumpta pro disciplina, quæ conclusiones infert ex articulis revelatis, Ecclesiæ corpori absolute necessaria est ad defensionē, & explicationem fidei.

Probatur 1. Apostolus ad Ephesios scribens docet, Christum dedisse Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: ergo ex Christi institutione debent esse in Ecclesia, tum Pastores, a quibus fideles regantur, tum Doctores, a quibus doceantur. Atqui nec Pastores, nec Doctores possunt imposito sibi munere persungi, si non sint theologi. Nempe id oneris exigit, ut fideles doceantur non tantùm articulos fidei expresse contentos in scripturis, sed etiam pleraque mysteria, quæ ex articulis expresse contentis in scriptura colliguntur, ut sunt Christi divinitas, Trinitas personarum, necessitas gratiæ ad pietatis opera. Id muneris exigit etiam, ut populi doceantur multas veritates, quæ ad praxim pertinent, quæque tum ex decalogo, tum ex aliis expressis scripturæ locis inferuntur. Ejus generis sunt multa, quæ ad amorem, ut par est, Deo exhibendum, juramenti religionem, reddendum parentibus honorem pertinent. Nam quantum circa ea capita fideles errare possint, quotidiano experimento comprobamus. Idque compertum est ex quibusdam hujusce ætatis Casuistis, qui periculosos, ac noxios errores circa decalogum scripsere, quique ob id apud Summos Pontifices, & omnes fermè orbis Episcopos malè audierunt: ergo, &c.

Probatur 2. Ecclesiæ necessaria est disciplina, quæ fidei articulos explicet, plerumq; enim perobscuri sunt, ut innuit Petrus epist. 2. cap. 3. ubi asserit, nonnulla contineri in epistolis Pauli, non parum difficilia intellectu. Ecclesiæ necessaria est disciplina, quæ contra Scripturæ corruptores germanum illius sensum assignet, ac defendat; nempè jubet Apostolus, ut id Episcopi sedulò curent: *Oportet*, inquit ad Titum, *Episcopum sine crimine esse. . . . amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Atqui ea disciplina non alia est, quam theologia: theologiæ nimirùm est conferre ad invicem scripturæ loca, ut fidem explicet; multis argumentationibus eruere, quid ex scripturis necessariò sequatur; ostendere, quænam doctrina, doctrinæ ab Apostolis traditæ, opposita sit: ergo Ecclesiæ corpori theologia sumpta in sensu, de quo in conclusione, necessaria est, tum necessitate medii, tum necessitate præcepti.

Confirmantur, quæ hactenus dicta sunt. Primò exemplo Christi, qui theologia sæpe usus est, seu argumentatus est ex Scripturis, tū ut probaret suam a Patre missionem, tum ut suam divinitatem assereret, tum ut legem moralem ab impiis Pharisæorum traditionibus purgaret. Confirmari possunt 2. exemplo Apostolorum, qui quidem toti sunt in suis epistolis, ut argumentis ex antiquo testamento depromptis adstruant Evangelii veritatem. Confirmari possunt 3. exemplo Patrum, qui & privatis in Scriptis, & in Conciliis œcumenicis fidem contra hæreticos defendunt, rationibus desumptis ex variis Scripturarum testibus.

Probatur 3. Ecclesiæ simpliciter, & absolutè necessaria est scientia, per quam homines crassioris, & tardioris ingenii doceantur ea, quæ de Deo cognoscere debent; neque enim per se, seu proprio marte id possunt ejus generis homines: *Impossibile est*, ait S. Thomas, *quòd omnes consequantur per viam rationis id, quod est de Deo necessarium ad cognoscendum*: atqui ea scientia est

ipsamet

ipsamet theologia, quæ per viam faciliorem, quam per argumenta a ratione petita, nempe per revelationem, de Dei proprietatibus discurrit: quippè neminem reperire est, quantumcumque sit hebes, qui per extrinseca motiva credibilitatis capax non sit judicandi, an veritates quædam sint revelatæ, necne: ubi autem adfuerit illud judicium, uno veluti momento quæcumque de Deo scitu necessaria sunt, consequetur, simpliciter nimirùm, & sine ulla discussione, adhærendo articulis, quos per motiva credibilitatis certò cognoverit esse revelatos.

Probatur 4. Quæ de Deo per solum rationis lumen cognoscuntur, plerumque variis erroribus obnoxia sunt: quot enim errores (ut advertit Chrysostomus hom. 5. in priorem epistolam ad Corinth.) de supremo illo Ente non protulit philosophia, quæ sola ratione nitebatur? Necessaria est igitur theologia, quæ divinæ revelationi innixa, pura reddat, ac integra, quæ humana ratio de Deo cognoscit.

Confirmatur duplex postremum argumentum ex Patribus, qui expresse asserunt, rationem sibi relictam leviùs debere consuli circa ea, quæ ad Deum spectant: *a Deo discendum est*, inquit Hilarius lib. 5. *quid de Deo intelligendum sit, quia nonnisi se authore cognoscitur*. Subscribit Cassianus lib. 4. de Incarn. cap. 4. *Æquum est*, ait, *ut de agnitione illius ipsi credamus, cujus scilicet totum est, quod de eo credimus, quia agnosci utique Deus ab homine non potuit, nisi agnitionem sui ipse tribuisset.*

CONCL. 4. Theologia scolastica, nec necessitate medii, nec necessitate præcepti est Ecclesiæ necessaria.

Probatur prior pars. Theologia scholastica, non magis est Ecclesiæ necessaria his temporibus, quam fuerit antiquitùs, seu duodecim prioribus sæculis: Atqui antiquitùs nullo modo fuit Ecclesiæ necessaria; nec enim tunc in usu fuit apud Scriptores Ecclesiasticos; nimirùm absque illius ope pastores oves sibi creditas docuerunt fidem, Concilia astruxere germanū scripturarum sensum, Doctores expugnarunt, quæ tunc exortæ sunt hæreses, ac quæ tunc natæ sunt, morum corruptelas; nempe scholastica theologia originem debet suam Petro Lombardo Episcopo Parisiensi, quem vulgò dicunt Magistrum sententiarum, quique labente sæculo duodecimo floruit.

CONCL. 5. Theologia scholastica Ecclesiæ Catholicæ perutilis est.

Probatur. Theologia scholastica tria dicit: 1. philosophiæ, ac præsertim dialecticæ usum: 2. complectitur strictas orationes, quæ syllogismis continentur: 3. dicit methodum, ad quam tū Petrus Lombardus, tum S. Thomas eam reduxere, in distinctiones nimirùm, quæstiones, articulos, conclusiones, probationes, objectiones, & alia ejusmodi, quæ passim occurrunt in scholasticorum libris. Atqui theologia, prout ea omnia complectitur, perutilis est Ecclesiæ; quod quidem sic per partes ostenditur.

Primò. Philosophia suppeditat notionem rerum, quæ ex articulis fidei concluduntur; explicat v. gr. quid sit Processio, quid Generatio, quid Hypostasis, quid Natura, quid Libertas, & alia hujusmodi, quæ frequenter in fidei confessionibus occurrunt.

Secundò. Dialetica est ars, qua facilè, & absque lapsus periculo unum ex alio deducitur; utilis est igitur Ecclesiæ, ut faciliùs, & tutiùs veritates quasdam, aut ad mysteria, aut ad moralem spectantes inferat ex fide.

Tertiò. Per strictam orationem, quæ syllogismis continetur, humana mens clariùs videt connexionem, quam habent cum fide propositiones, quas Ecclesia, aut fidelibus explicat, aut defendit adversùs hæreticos.

Quartò. Methodus, ad quam tum Petrus Lombardus, tum S. Thomas doctrinam sacram exigunt, nempè disputando de essentia, de existentia, de causis, de proprietatibus subjecti, quod pertractant, confusionem, & æquivocationem tollit ab ideis, quæ subjecto tribuuntur. Quis igitur dubitet, quin Ecclesiæ aliquod argumentum pertractanti methodus illa perutilis sit?

Confirmantur illæ probationes ex SS Patribus. Antiqui Patres in exponendis, aut defendendis fidei dogmatibus, philosophia usi sunt: v. gr. ex idea, quam de generatione philosophia tradit, concluserunt contra Arianos, Verbum esse Patri æterno consubstantiale; hoc nimirum argumento, in quo major propositio est merè philosophica, usi sunt: *Quod secundum substantiam ab alio generatur, ejusdem est cum generante substantiæ. Atqui ex Scripturis, Verbum a Patre generatur. Ergo Verbum est ejusdem cum Patre substantiæ.*

Apud Patres in usu frequenti fuit dialectica. Ex illius regulis Basilius, & Gregorius Nyssenus in suis contra Eunomium operibus dissolvunt captiosa, & intricata argumenta, quibus hæreticus ille contra fidem utebatur. Idem Basilius ad primum Caput Isaiæ, sic dialecticam prædicat: *Facultas dialectica muri instar est dogmatibus, quòd ea non sinit facilè diripi, & quorumlibet incursioni patere*. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 31. hisce verbis ejusdem dialecticæ usum commendat: *Sed disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, penetranda, & dissolvenda plurimùm valet. Tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.* Eodem fere modo loquuntur alii Patres.

Solvuntur quæ contra Scholasticam Theologiam objiciuntur.

Objicies 1. Theologia scholastica utitur humanæ philosophiæ principiis: atqui tantùm abest, ut humanæ philosophiæ principia sint utilia Ecclesiæ, quin potiùs ei noceant quam maximè: ergo ipsi quoque nocet scholastica theologia.

Probatur minor. Patres asserunt ex philosophia natas esse omnes fermè hæreses. Asserunt ex Platonis commentis eas prodiisse, quæ prioribus seculis Ecclesiam vexarunt, Simonianorum nempe, Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorum. Docent, eas debere suam originem Aristotelicis dogmatibus. Hinc Ambrosius ad Psalm. 118 docet, Christianos debere imprimis cavere a philosophia: *Nihil nobis*, inquit, *cum philosophia, ut fidem nostram per elementa mundi hujus traducat a vero. Ne quis assertionem nostram per philosophiam nostram deprædetur: sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus sæculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem*: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. distin. ant. Patres asserunt, omnes fermè hæreses ex philosophia prodiisse, per accidens, conc. ant. Prodiisse per se, neg. ant. Philosophia hæreses per accidens peperit, seu ex quorundam hominum iniquitate, qui aut ejus axiomatibus usi sunt, ut impugnarent fidei principia; aut qui illius argumentis dederunt primas partes, cùm secundas tantùm obtineant; aut qui contenderunt nihil credi debere, quod philosophia capere, probareque non possit: *In homine carnali* (inquit Augustinus serm. 147. de tempore) *tota regula intelligendi est consuetudo cernendi, quod solent videre, credunt; quod non solent, non credunt.*

Objicies 2. Apud Antiquos innumeræ sunt sententiæ contra dialecticam. 1. Tertullianus de Præscipt. cap. 7. scribit Catholicos ab hæreticis differre, quod ipsi præ manibus habeant Aristotelis dialecticam: illi è contra Dominum in simplicitate quærant. 2. Ambrosius lib. 1. de fide Tertulliano hisce verbis subscribit: *Omnem vim venenorum suorum*, inquit de Arianis agens, *in dialectica disputatione constituunt. Sed non in dialectica complacuit Deo salvum facere populum suum*. 3. Augustinus serm 87. de tempore, docet ciniphes, quibus tertia plaga Ægyptii vexati sunt, designare dialecticæ artis astu-

astutiam, vel hæreticorum calliditatem. Ergo, ex Patribus, dialectica non est utilis Ecclesiæ.

Resp. conc. ant. disting. conseq. Non est utilis per accidens, seu propter abusum, conc. ant. per se, & secundum substantiam, negant. Peccarunt hæretici, quòd divinam revelationem, aut scripturis, aut traditione contentam, arte dialectica convellere tentarint. Piè è contra Catholici utuntur illius regulis, ut ex articulis expresse revelatis inferant alios, qui in eis mediatè, ac virtualiter continentur.

Præterea, quamvis ad perscrutandas scripturas, (ut Joannis 25. jubemur à Christo) satis esset humana ratio, antequam hæreses prodiissent, non satis est modò post eorum ortum; quippè tunc indigent theologi dialecticæ regulis, ut hæreticorum iis abutentium sophismata dissolvant. Iis (ut jam observatum est superius) utiliter contra Eunomium, & contra alios suæ ætatis hæreticos Patres usi sunt.

Objicies 3. Theologia scholastica scatet innumeris quæstionibus & ridiculis, & inutilibus. Pleraq; quæ sunt tantum de possibili, expendit: ergo Ecclesia nullum fructum percipit ex theologia scholastica.

Resp. 1. Id, quod objicitur, oriri ex defectu, non quidem ipsius theologiæ scholasticæ, sed scholasticorum, qui, cùm ea uti debeant ad explicandam fidem, abutuntur, ut chymeras fingant: hincque fit, ut graves alioquin quæstiones reducant ad puras eliquationes metaphysicas. Ad id eos Auctores juvat quidem scholastica, non tamen per se, sed per accidens tantum.

Resp. 2. quæstiones quasdam metaphysicas de possibili, de modo rei, nec non novas aliquas nonunquam perutiles esse, ut fides plenissimè explicetur; imò aliquando quæstiones illæ novæ, sunt necessariæ propter hæreticos, qui novas, & antea inauditas difficultates movent: *Didicimus* (ait Augustinus lib. 2. de dono perseverantiæ cap. 2.) *singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura divina, quã si nulla talis necessitas cogeret.*

Ejusdem effati praxim videre est in Patribus, qui Sabellianismum, Arianismum, Nestorianismum oppugnarunt; nempè coacti fuerunt subtilia quædam, & nova discutere, ut iis, ac similibus erroribus obviam irent. Idem videre est in Concilio Remensi, quod coactum est contra Abaelardum, essentiam divinam realiter distinguentem ab attributis. Idem quoque in Concilio Florentino, ubi contra Græcos actum est de Spiritus Sancti processione à Patre, & Filio; tunc enim necessariò disputandum fuit de conceptibus objectivo, & formali, de relatione, de principii unitate, & aliis similibus.

Objicies 4. Scholastica theologia utitur multis terminis barbaris, qui theologum maximè dedecet, ut sunt istæ voces, *Materialiter*, *Formaliter*, *Reduplicativè*, *Metaphysicè*, *Entitas*, *Formalis ratio*, *Proprietas personalis*, *Quidditas*, & aliæ similes: imò nonnunquam solecismis gloriatur, ut est terminus iste, *Opus operatum*, quem adhibent scholastici cum de sacramentis agunt. Ergo &c.

Resp. conc. ant. neg. consq. Ratio est 1. quia iis terminis, alioquin barbaris, conjunctæ sunt ideæ, quibus mysteria clare, & absque æquivocatione explicantur. Ex iis scholasticis terminis nonnulli adhibiti sunt à Sacra Tridentina Synodo, ubi de justificatione disserit: aliqui alii jam multorum sæculorum usu confirmati sunt: qui ergo aliis uti vellet, id tentaret, quod vir, qui receptum in aliquo regno idioma, in aliud mutare conaretur: *Dicamus ergo fænerat profæneratur* (ait Augustinus ad Psalm. 36.) *non timeamus ferulas grammaticorum, dum tamen ad veritatem solidam, & certiorem perveniamus. Reprehendit qui intelligit, ingratus, quia intellexit.*

DISSERTATIO QUARTA.

De Locis Theologicis.

Not. 1. Locorum theologicorum nomine intelliguntur fontes quidam, ex quibus Theologia eruit argumenta, quibus utitur, vel ut fidem explicet, vel ut tum fidem, tum morum regulas liberet ad hæreticorum hominum, aliquorumque etiam Catholicorum proprio genio indulgentium corruptelis.

Not. 2. Decem præcipui sunt loci Theologici: Scriptura Sacra: Traditio: Concilia: Judicium Romani Pontificis: Ecclesiæ Catholicæ consensus: Auctoritas Patrum: Scholasticorum: Historiæ: Humana ratio. De singulis hac in dissertatione seorsim est agendum.

QUÆSTIO PRIMA.

De Scriptura Sacra.

Hac in quæstione dicemus de Sacræ Scripturæ veritate, integritate, auctoritate, auctore, canone, lingua originali, versionibus, sensibus.

CAPUT PRIMUM.

De veritate Sacræ Scripturæ.

Not. Hic veritatis nomine non intelligitur sententiarum, quæ in scripturis continentur, conformitas cum veritate, sed intelligitur realitas; seu quæritur, utrùm Scripturæ, quæ dicuntur Sacræ, sint libri veri, prout verum opponitur supposito.

CONCL. Scripturæ, quæ dicuntur Sacræ, non sunt libri suppositi, sed omninò veri.

Probatur. Eæ Scripturæ non sunt libri suppositi, sed omninò veri, qui exarati fuerunt ab iis Auctoribus, quibus tribuuntur, & iis circiter temporibus, quibus scripti feruntur: atqui Scripturæ, quæ Bibliis continentur, exaratæ fuerunt ab iis Auctoribus, quibus tribuuntur, & scriptæ iis circiter temporibus, quibus scriptæ feruntur: ergo non sunt libri suppositi, sed omninò veri.

Major propositio constat; nec enim alio argumento probari potest Commentarios Cæsaris, opera Ciceronis, Augustini, non esse libros suppositos, sed veros, quam quod quovis sæculo adscripti fuerint Auctoribus, quorum nomen præseferunt, existimatumque sit, ea esse scripta iis circiter temporibus, quibus scripta feruntur.

Itaque probatur minor. Judei, qui Moysis ætate vixerunt, Pentateuchum suis posteris tradidere tanquam germanum illius fœtum, quamvis recenseat scelera ab iis in deserto commissa. Qui Prophetis coætanei fuerunt, eorum libros, tanquam ab illis Prophetis scriptos natis suis, ac popularibus commendarunt. Eadem ratione in libros novi testamenti gesserunt se Christiani, qui audierunt Apostolos; idem pariter præstitere, qui conspexerunt oculis priores Apostolorum discipulos; & sic proxima, & continuata serie ad nostra usque tempora factitatum est.

Hinc factum est, ut Judæorum synagoga ad nos usque detulerit antiqui testamenti libros: hinc etiam Ecclesia Christiana a suis incunabulis ad hæc tempora pro genuinis, ac veris habuit omnes ferè libros, qui Bibliis continentur. Loca, quibus id evincitur, proferentur inferiùs, cum dicemus de Librorum Sacrorum Canone. Hinc igitur necessariò concluditur, vel nullius hominis testimonium valere ad faciendam de facto aliquo fidem, vel certissimum esse, quod profertur pro veritate Scripturarum, quæ Bibliis continentur.

CAPUT II.

De Scripturarum integritate.

Not. Scripturæ Sacræ continentur, vel vetere, vel novo Testamento: dicendum est ergo de integritate Scripturarum, tum veteris, tum novi testamenti.

CONCLUSIO 1. Scripturæ veteris Testamenti, integræ sunt quoad partes substantiales.

Probatur. Si quoad partes substantiales depravatæ essent veteris Testamenti scripturæ, ea depravatio facta fuisset a Judæis: atqui ab eis facta non fuit: ergo scripturæ veteris testamenti non sunt quoad partes substantiales corruptæ. Probatur minor. Nec fuerunt corruptæ ante Christum, nec post Christum: ergo reverà corruptæ non fuerunt.

Primò. Corruptæ non fuerunt ante Christum. Nam si reverà corruptæ fuissent, corruptionem illam, tanquam maximum crimen Scribis, Pharisæis, ac reliquis Judæis Christus exprobrasset, ut rectè hisce verbis observat Hieronymus ad cap. 5. Isaiæ: *Nunquam Dominus, & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis, & Pharisæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuissent.* Atqui eam corruptionem Christus nusquam exprobravit; imò Scripturarum integritatem tanquam indubitatam Christus supponit, dum Joannis 5. ad scrutandas Scripturas auditores suos hortatur, necnon Matthæi 23. ubi hæc habet: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcunq; ergo dixerint vobis, facite.* At non suisset horratus ad scrutandas corruptas quoad substantiam scripturas.

Secundò. Scripturæ veteris testamenti quoad substantiam corruptæ non fuerunt a Judæis post Christum natum; nam quæ à Domino, & ab Apostolis ex veteri testamento laudata sunt, eodem planè modo in nostris codicibus leguntur.

Præterea si Judæi malitiosè depravassent Scripturas veteris testamenti, id egissent præcipue in vaticiniis de Christo, & in locis, quæ agunt de præcipuis religionis Christianæ capitibus: atqui eas non corruperunt, aut in vaticiniis de Christo, aut in locis ad præcipua religionis capita spectantibus; siquidem in iis tum vaticiniis, tum locis, aut non differunt a nostris Scripturis Judæorū Codices: aut si differant in aliquibus, ea discrimina nullius fere sunt momenti. Præterea Codices Hæbreorum sæpe magis favent mysteriis religionis Christianæ, quam Codices Latini, & Græci, quibus Christiani passim utuntur; v. gr. Psal. 2. ubi Græci, & Latini Codices legunt: *Apprehendite disciplinā, ne irascatur Dominus*; in Hebræis est: *Osculamini filium, ne irascatur*; quæ quidem lectio, ut patet, magis nobis pro Christo favet, quam prior.

Confirmantur, quæ hactenùs dicta sunt. 1. Si aliqua substantialis depravatio facta fuisset a Judæis in libris legalibus, eam illis objecissent Samaritani, qui Moysis libros secum detulerant, cùm a Roboamo ad Jeroboamum defecerant. Si verò apud Samaritanos facta fuisset ea legis depravatio, id passi non fuissent Prophetæ Regni Israel, idque etiam illis exprobrassent Sacerdotes, qui in Regno Juda permanserant. 2. Cum in singulis familiis, saltem Tribus Levi, utporè Altaris ministerio consecrata, essent sacri codices, & ubique terrarum eos Judæi penes se haberent, impossibile fuisset, ut fieret substantialis in aliquibus capitibus corruptio, quin eam aliqui observassent, illique obstitissent pro viribus. Illud autem argumentum eò majoris est ponderis, quòd Judæi incredibili zelo, ac reverentia ferrentur in legem, & reliquos libros sacros, ita ut, Josepho teste lib. 1. contra Appionem, parati fuerint semper mortem obire potiùs, quam vel unum apicem in sacris codicibus immutare. Hinc Augustinus lib. 15. de civitate Dei cap. 13. meritò asserit, Judæos nec potuisse, nec voluisse sacros codices depravare: *Anne*, inquit, *credibile est, ipsos codicibus suis voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem, vel per totum orbem dispersos potuisse in hoc conspirare, nullo contradicente?*

Confirmantur iterum ea omnia, ex eo, quòd repugnet Dei in suam Ecclesiam providentiæ, quòd passus fuerit substantialem in aliquibus capitibus depravationem fieri à Judæis in sacros codices veteris testamenti; quippè ex iis petuntur invictissima argumenta pro Christianæ religionis veritate; unde Augustinus lib. 15. de civit. Dei cap. 46. observat, ideò Dei providentiam permisisse, ut Judæi per totum orbem dispergerentur, ut ubique proferrent monumenta nostræ fidei: *Ut Judæi*, inquit, *tanquam capsarii nostri libros nostros circumferrent, ut cum pagani non credunt, quæ nos de Christo prædicta fuisse dicimus, quasi à nobis essent conficta, mittamus eos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui libros nostros circumferunt, quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus.*

CONCL. 2. Scripturæ novi testamenti sunt integræ quoad partes substantiales.

Probatur. Quæ probant librorum testamenti veteris integritatem, probant etiam integritatem librorum novi testamenti. 2. Libri novi testamenti iidem sunt, & eodem modo in rebus, quæ ad fidem, aut mores spectant, reperiuntur apud sectas, alioquin sibi infensissimas: ergo depravari non potuerunt in rebus ad fidem, aut mores spectantibus; nam si à Catholicis tentata fuisset ea depravatio, eam illis hæretici mox exprobrassent; si autem ab hæreticis, crimen arguissent Catholici. 3. Nec tempus, nec modus, nec auctores depravationis, de qua agitur, proferri possunt: fictitia est ergo ejusmodi depravatio. 4. Episcopi tum in Conciliis œcumenicis, tum in suis Diœcesibus detexissent graves illas Scripturarum corruptiones, si quæ alicubi tentatæ fuissent, imò & singuli fere Sacerdotes, cum in Horis Canonicis nonnihil ex Sacra Scriptura legere teneantur.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, sequitur necessariò, codices, qui sacri sunt Ecclesiæ Christianæ, eosdem esse quoad substantiam, quos Moyses, Prophetæ, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Paulus, Petrus, Judas, Jacobus conscripsere; ac proinde, cum ediri à sanctis illis hominibus libri, sint fidei, ac morum norma, ad eos, quos Ecclesia habet penes se fides, ac mores exigi debent. Sed de eo argumento dicetur infetius.

Solvuntur Adversariorum argumenta.

Objicies 1. Ideò asseritur, Judæos non depravasse libros veteris testamenti, quoad partes essenciales, quod id fuerit impossibile: atqui reverà fuit possibile; nam Judæi ubique dispersi, adstricti erant decretis Rabbinorum, qui in Palestina primùm, postea Babylone judicabant de rebus ad religionem spectantibus: ii verò Rabbini in odium Ecclesiæ Christianæ facilè consentire potuerunt in sacrorum codicum depravationem: ergo in omnes Judæorum synagogas irrepere potuit aliqua, etiam substantialis depravatio.

Resp. neg. min. Ratio est, 1. quia moraliter est impossibile, ut Rabbini, qui ex toto orbe confluebant in Palæstinam, & Babylonem, ut synedrium agerent, consenserint, nullo prorsus excepto, in corruptionem, de qua est quæstio. 2. Non in Judæorum tantùm, sed & in Christianorum manibus erant codices veteris testamenti; ac proinde Christiani corruptelam illam Judæis exprobrassent, si eam vel tentare fuissent ausi. 3. Detur adversariis, Rabbinos, absolutè loquendo, potuisse depravare sacros codices, certum tamen eos actu non depravasse; nam quamvis nugatorias, & ineptas expositiones tradiderint, tamen

usque ad superstitionem, verborum legis, & Prophetarum corticem servarunt.

Objicies 2. Multa errata irrepserunt in sacros, tum veteris, tum novi testamenti codices, v.gr. in codicibus, quibus Judæi nunc utuntur, hæc habentur, Genesi 8. *Corvus egrediebatur, & revertebatur*, cum tamen LXX. Vulgata latina, & omnes Patres legant: *Non revertebatur*.

Resp. 1. dist. ant. Irrepserunt errata, quæ non sunt contra fidem, & mores, conc. ant. Quæ sunt contra fidem, aut mores, neg. ant. Ea autem levioris momenti errata a Judæis malitiosè facta non fuerunt, cùm non sint ex iis capitibus, in quibus a Christianis dissentiunt, sed aut scribarum incuria, aut casu aliquo fortuito contigere. Fusius exponetur ea solutio, ubi de Vulgatæ latinæ editionis auctoritate dicetur.

Resp. 2. ex eo, quòd sint in rebus parvi momenti diversæ, imò & contrariæ lectiones in Judæorum codicibus, non sequi Christianorum codicum lectionem hodiernam, esse semper, ac quovis in casu præferendam codicibus Judæorum; unde Bellarminus docet, non defuisse Biblia Latina, quæ legerunt, ut est in Hebræo: *Corvus egrediebatur*. Sed de diversis lectionibus, si quæ occurrant, dicetur inferiùs.

Objicies 3. Judæi fatentur loca quædam aliter olim lecta fuisse, ac habent hodierni codices, quibus ipsimet in synagogis utuntur: ergo depravati fuerunt hodierni Judæorum codices. Probatur antecedens. Consentiunt Rabbini, nonnulla mutata fuisse a sapientibus, & inserta codicibus hodiernis; illas verò mutationes vocant correctiones scribarum.

Resp. 1. cum Bellarmino, ficticiam esse correctionem illam, quam Judæi prædicant.

Resp. 2. cum nonnullis aliis, correctionem factam fuisse ab Esdra, ac posterioribus Prophetis, qui libros Sacros post captivitatem Babylonicam recognovere; quippe, collatis inter se antiquis codicibus restituerunt germanam lectionem, quæ in hodiernis codicibus reperitur; unde si aliter, ac nunc in aliquibus codicibus lectum est olim, erratum erat, quod Esdras Propheta, & Judæorum synagoga correxere.

Confirmatur. Omnia, quæ nunc extant exemplaria Hebraica, legunt secundùm illas correctiones. Præterea omnes antiquæ versiones, etiam quæ ante Christum exaratæ sunt, continent eas mutationes, in iisq; cum Hebræis codicibus consentiunt: id nimirùm videre est in versione LXX. & Vulgata Latina.

Objicies 4. Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone, Irenæus libr. 3. cap. 24. nonnullique alii Judæos accusarunt de sacrorum codicum depravatione: ergo non sunt integri veteris testamenti codices, etiam quoad substantiam.

Resp. 1. Intelligi posse laudatos Patres de depravatione, quoad aliquas lectiones: probabile nimirùm est, ubi duplex erat lectio, quorum una magis favebat Christianis, Judæos in eorum odium alteram suis codicibus inseruisse; quæ quidem, cum discreparet ab ea, quam in sua Græca versione Septuaginta secuti fuerant, mirùm non est, quod Ecclesia Christiana, quæ ea versione utebatur, Judæos arguerit, quòd scripturas depravasset.

Resp. 2. cum Vvaltono, Patres, de quibus in argumento, non loqui de synagoga Judæorum; eodem enim modo, quoad substantialia se habent ejus Biblia, quo nostra: sed loqui de Theodotione, & Symmacho, qui ubi a Christianismo ad Judaismum defecissent, versionibus suis sacros codices depravarunt.

CAPUT III.

De Scripturarum auctoritate.

CONCL. 1. Scripturæ veteris testamenti, quæ Bibliis continentur, sunt divinæ authoritatis, seu, sunt ipsummet Dei verbum; ac proinde omninò infallibiles.

Probatur. Scripturæ veteris testamenti sunt, vel legales, vel historicæ, vel propheticæ, vel sapientiales: atqui omnes eæ Scripturæ sunt authoritatis divinæ: ergo &c.

Prior minoris propositionis pars, seu libros legales esse authoritatis divinæ, sic ostenditur: Illi libri sunt authoritatis divinæ, qui conscripti sunt ab homine, qui divinitùs ad eos scribendos missus est: atqui libri legales conscripti sunt ab homine, Moyse nimirùm, qui ad eos scribendos divinitùs missus est: ergo divinæ sunt authoritatis.

Major constat; neque enim permittere potest Deus, falsum aliquid eloqui eum, quem populi legislatorem constituit; unde probatur minor. Illius missio fuit divina, quæ veris miraculis confirmata est: atqui Moysis missio veris miraculis confirmata fuit: ergo fuit divina. Probatur minor. Miracula, quæ in Pentatheuco dicuntur patrata a Moyse, vere ab eo patrata fuerunt: neque enim ipse Moyses, quem ex dictis supponimus authorem Pentatheuchi, ea miracula finxit, retulitque in librum, ut apud populares suos sibi conciliaret authoritatem. Si enim Moyses fictis miraculis proposuisset Judæos decipere, rem omninò stultam vir, alioquin prudentissimus, tentasset, ut sequentibus momentis ostendi potest.

Primò. Ut consilium suum ad optatum finem perduceret, imponendum fuisset innumeræ propemodum populorum multitudini, cui tantùm abest, ut aliquando adulatus fuisset, quin sæpiùs exprobrasset incredulitatem, ingratum animum, seditiones, blasphemias, adulteria, aliaque ejusmodi facinora, quibus sese in deserto commacularat.

Secundò. Ejusmodi naturæ erant illa miracula, ut illusioni obnoxia esse non possent: quippè inter ea recensentur flumina in sanguinem conversa, productio ranarum, quæ omnium Ægyptiorum domos pervaserant: locustæ, quæ omnes agros fuerant depopulatæ: primogenitorum omnium apud Ægyptios mors inopinata, quæ eadem nocte contigerat: divisio maris rubri, ut Israelitis panderet viam, & ut eorum hostes postea deglutiret: columna ignea, quæ noctu prælucebat ambulantibus: manna, quod per quadraginta annos pluit de cœlo, cum in deserto alimenta deessent: Core, Dathan, & Abiron in pœnam impiæ temeritatis viventes sepulti in terra, quæ sinum suum aperuit.

Tertiò. Ex illis portentis Moyses sumit argumentum orationum omnium, quas habuit, ut Judæos eorum oculatos testes sæpè ad legis observationem hortaretur.

Quartò. Idem Moyses festa instituit ad perpetuam illorum miraculorum memoriam; præcepitque Israelitis, ut visa à se prodigia posteris commendarent.

Nec valet eorum responsio, qui dicunt, maleficos Ægyptiorum patrasse etiam miracula, nec tamen inde colligi posse, quòd Dei nomine egerint. Non valet, inquam, nam licèt malefici Ægyptiorum, in nonnullis portentis illuserint populorum oculis, non potuerunt tamen illudere in omnibus portentis, quæ Moyses peregit: unde Exodi cap. 8. hæc habentur: *Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, & non potuerunt & dixerunt malefici ad Pharaonem: digitus Dei est hic.*

Altera pars minoris, seu, libros historicos veteris testamenti esse divinæ authoritatis, sic probatur: Ii libri divinæ sunt authoritatis, quos tanquam libros

autho-

authoritatis divinæ venerata est antiqua Judæorum synagoga: atqui antiqua Judæorum synagoga libros historicos veteris testamenti venerata est tanquam libros authoritatis divinæ: ergo &c. Minor certa est, relati scilicet erant in Judæorum canonem libri historici veteris testamenti; & nunc ubique terrarum a Judæis habentur pro canonicis: major verò probatur ex eo quòd ante Christum synagoga Judæorum esset vera Dei Ecclesia; ac proinde in dirimendis fidei controversiis omninò infallibilis: hinc Christum nunquam Judæos arguit, quòd illis historicis libris divinam authoritatem ascriberent, imò nonnullos tanquam divinos laudavit.

Tertia pars ejusdem minoris propositionis probatur, seu libros propheticos conscriptos fuisse Dei instinctu, & authoritate, ostenditur ex eventu, quo docemur ea, quæ prædixerant, quæque ferè ex hominum arbitrio pendebant, fuisse completa, ut patet de regno tribus Judæ, Genesis 49. de annorum 70. captivitate, de Cyri Regis nomine, & in Judæos, quos liberaret benevolentia, Isajæ 45. Tractant illud argumentum S. Augustinus lib. 12. de Civitate Dei cap. 10. & lib. 13. contra Faustum cap. 12. necnon epistola 14. S. Gregorius homilia 1. de adventu; Origines cap. 1. lib. 4. de principiis.

Quarta pars ejusdem minoris ostenditur ex duplici capite. *Primò*. Morum regulæ, quæ libris sapientialibus continentur, purissimæ sunt, nihilque admixtum habent terreni: nimirum hominem separant a creatis omnibus, imò & a seipso, ut veritatis, quæ Deus est, cognitioni, & amori totum se tradat. 2. Libri Sapientiales, qui continentur in canone Judæorum, habiti sunt pro divinis ab eorumdem Judæorum synagoga: unde nonnulli, ut jam dictum est, in novo testamento a Christo, & ab Apostolis laudati sunt.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, invictè demonstratur veritas nostræ conclusionis, seu, singulos veteris testamenti libros, qui erant in canone Judæorum, esse divinæ authoritatis.

CONCL. 2. Libri Novi testamenti, qui Bibliis continentur, divinæ sunt authoritatis.

Probatur. Illi libri sunt divinæ authoritatis, qui conscripti sunt ab iis, qui divinitùs missi sunt ad prædicandum Evangelium: atqui libri novi testamenti conscripti fuerunt a viris, qui divinitùs missi sunt ad prædicandum Evangelium: ergo libri novi testamenti, qui Bibliis continentur, divinæ sunt authoritatis.

Major patet, quia eos, qui primùm divinitùs missi sunt ad prædicandum Evangelium, oportuit esse viros maximè sanctos & omninò infallibiles, seu qui nec decipi, nec decipere potuerint; alioquin Deus male contulisset sanctitati, & veritati, quas Ecclesiæ ab eis ædificandæ conferre decreverat; unde probatur minor. Ii divinitùs missi sunt, qui in suæ missionis confirmationem vera patraverunt miracula: neque enim vera miracula, cum a Deo sint, fieri possunt in mendacii confirmationem: atqui Scriptores librorum novi testamenti in suæ missionis confirmationem vera patrarunt miracula, ea nimirùm, quæ in novo testamento referuntur; neque enim suppositii sunt libri novi testamenti, cum pro veris habiti sint, & Apostolorum temporibus, & proximè ad nos usque sequentibus ætatibus; quippè laudantur, tum ab Apostolorum coætaneis, tum a proximè subsequentibus scriptoribus, ut videre est in Ignatio, Polycarpo, Irenæo, Justino, Athenagora, Tertulliano, Origine, Cypriano. Si autem suppositii non sunt illi libri, impossibile est, ut falsa sint facta, quæ in eis referuntur: alioquin stulte omninò egissent Apostoli, ac discipuli facta illa in confirmationem fidei referentes coram iis, qui ibidem dicuntur fuisse eorumdem factorum oculati testes; stulte pariter egissent tot homines, alioquin sapientissimi, qui pro factorum illorum veritate mortem libentissime subjerunt.

CAPUT IV.

De Scripturarum auctore.

Not. HOc in articulo quæstio est, 1. de principali scripturæ authore, 2. de instrumentali, seu de iis hominibus, quorum opera conscripti sunt Bibliorum libri. Conferent ea, quæ hic dicentur, ad eorum confirmationem, quæ Capite superiore dicta sunt.

CONCL. 1. Deus est principalis author scripturarum, quæ Bibliis continentur.

Probatur. Earum scripturarum Deus est principalis author, quæ divinæ sunt authoritatis; neque enim alicui libro authoritas divina aliunde potest evinci, quàm ex eo, quòd Deus sit illius author: atqui, ut ostensum est superiori articulo, libri scripturarum, quæ Bibliis continentur divinæ sunt authoritatis: ergo &c.

Quæres 1. quo sensu Deus dicatur scripturarum principalis author.

Resp. eo sensu, quòd eas Apostolis, & discipulis suggesserit, ac dictando quasi adspirarit: *Ipse hæc*, inquit Gregorius Magnus præfat. in librum Job, *scripsit, qui hæc scribenda dictavit; ipse scripsit, qui & illius operis inspirator extitit.* Eam doctrinam hausit Gregorius Magnus ex hisce verbis 2. Petri cap. 1. *Non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

Quæres 2. quomodo Deus dictarit Biblia.

Respond. Deum eo sensu dictasse Biblia, quòd Sacrorum Scriptorum mentem, voluntatem & manum multò perfectiùs, quàm solent homines, qui quædam Scribis dictant, affecerit.

Et quidem 1. mentem affecit tribuendo earum rerum, quæ dictavit, cognitionem, vel immediate eam imprimendo menti, vel mediate per sensus nimirum. 2. Voluntatem movit, inspirando, excitando, impellendo, ut vellent fideliter exscribere, quæ menti revelata fuerunt. 3. Manui adfuit, ne rem pro re, verbum pro verbo, litteram pro littera scriberent. Necessaria autem fuit ea singularis Dei in sacrum Scriptorem protectio, ut quævis incogruantia, & error vitarentur.

CONCL. 2. Homines fuerunt instrumentalis Bibliorum causa.

Probatur. Ii sunt instrumentalis Bibliorum causa, quibus Deus præcipuus, ut dictum est, eorum author, usus est, ut ea scriptis mandaret, Moyse nimirum, Prophetis, Apostolis & Discipulis.

Quæres 1. an omnia, quæ scripta sunt in Bibliis, divinitus dictata sint.

Resp. id, quod quæritur, negasse duplicis generis homines.

Primò, quidem olim Anomæi (ut videre est apud Epiphanium Hæresi 76.) nuper Erasmus Annor. 2. in caput 2. Matthæi, contenderunt a Prophetis, Evangelistis, aliisque Sacris Scriptoribus, nonnulla interdum scripta fuisse secundùm hominem, hoc est, in quibus aut memoria lapsi sint, aut minùs certa conscripserint.

Secundò. Extiterunt alii, qui asseruerunt Bibliorum authores vera quidem semper scripsisse, sed non omnia ex motu, & inspiratione Spiritus Sancti, quippè ajebant, sunt aliqua, quæ Spiritus sancti majestatem non decent, ut illud 2. ad Timoth. 4. *de penula*, quam Paulus ait se Troade reliquisse, necnon illud Tobiæ cap. 11. de cane Tobiæ, caudam movente.

Sed dicendum est, falsum esse omninò duplex illud responsum. Ratio est, quia, si quid vel minimum, fit in

Scriptu-

Scripturis, de quo dubitari possit, an Spiritu Sancto dictante scriptum sit, nullum erit Scripturæ caput, de quo idem dubium esse non possit, sicque ex Augustino lib. 1. de doctrina Christi cap. 27. *tota Scripturarum vacillaret authoritas, ideòque & fides nostra.*

Ad argumentum verò petitum ex rebus, quas Adversarii contendunt non decere Dei majestatem, dicendum est, eas Dei nec bonitate, nec majestate esse indignas, quia cum majoribus conjunguntur, & suam aliunde habent utilitatem; nonnunquam enim sunt circumstantiæ, quibus facta redduntur certiora.

Quæres 2. An Bibliorum Scriptores liberè scripserint.

Respondent nonnulli, Sacros Scriptores à Spiritu Sancto ita correptos fuisse, ac incitatos, ut liberè quidem libertate voluntatis, sed non libertate indifferentiæ scripserint; hoc est voluntariè quidem eos scripsisse, sed non ita, ut potuerint non scribere.

Respondent alii, quibus subscribimus, Scriptores Sacros liberè scripsisse Biblia. 1. Id Origenes lib. 3. de principiis cap. 2. variis argumentis probat. 2. Deus solet hominibus tanquam instrumentis uti modo, qui eorum naturæ congruit: per eas igitur liberas ex parte hominum actiones operatur. 3. Facilitas tum loquendi, tum scribendi, quâ conati sunt Bibliorum authores, summam quidem, ac maximè perspicuam in eorum mente rerum cognitionem arguunt, sed non important in voluntate scribendi necessitatem. 4. Uberiùs, ac efficax auxilium, quo Spiritus Sanctus adjuvit Scriptores Sacros, cum voluntatis libertate cohæret, quam maximè, ut docent Theologi in tractatu de gratia.

Nec alicujus est momenti, quod objicit Abulensis, Moysem nempè, si liber fuisset, nunquam hoc elogium de seipso scripturum fuisse: *Erat enim Moyses vir mitissimus.* Nam id scripsit Moyses, tum ex peculiari afflatu Spiritus Sancti, tum ex speciali Dei præcepto: afflatus autem ille, ac præceptum illud cohærent cum arbitrii libertate.

CAPUT V.

De Scripturarum Canone.

Not. 1. Canon sumitur *primò* pro norma, ad quam ars aliqua, vel opus exigitur, eo sensu Ecclesiasticæ sanctiones vocantur Canones. Sumitur *secundo* pro rerum quarumdam numero, seu chatalogo; sic in Concilio Laodicæno cap. 24. chatalogus Clericorum, qui ministrant in Ecclesia, dicitur Canon.

Not. 2. Certum est Scripturas Sacras esse canonicas utroque mox tradito sensu: sunt enim *primo*, tum fidei, tum morum norma: *Secundo*, certo ac determinato numero, seu catalogo continentur; idque ostenditur ex Augustino, qui lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 6. sic loquitur: *Afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis, tanquam de thesauris dominicis*; hæc etiam habet idem S. Pater lib. 5. contra Cresconium cap. 31. *Salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum, & Apostolorum libri pertineant, quos omninò judicare non audeamus, & secundum quos de cæteris, vel fidelium, vel infidelium libris liberè judicamus.* Ostenditur iterùm ex Concilio Tridentino, quòd sessionem quintam sic inscribit: *Decretum de Canonicis Scripturis*; earum catalogum *Indicem* appellat: *sacrorum*, inquit, *librorum indicem huic decreto adscribendum censuit.* In decreti calce sic, recensito eorum indice, loquitur: *Si quis libros ipsos integros ..... pro sacris, & canonicis non susceperit ..... anathema sit.*

Not. 3. Scripturarum Canon sumptus, ut mox dictum est, pro chatalogo, seu indice librorum Sacrorum hoc est, qui divinæ sunt authoritatis, alius fuit Judæorum, alius Catholicorum, alius Hæreticorum: de triplici illo Canone subsequentibus articulis est à nobis dicendum.

ARTICULUS I.

De Canone Judæorum.

Not. 1. Hic methodi causa quæremus: 1. quot libros complectatur Judæorum Canon: 2. an olim plures, quam nunc sint, continuerit: 3. a quo confectus fuerit ille Canon.

CONCLUSIO 1. Judæorum Canon, nec plures, nec pauciores, quam viginti duos libros complectitur.

Probatur 1. Nec plures, nec pauciores libri sunt in Canone Judæorum, quam Josephus, vetus Ecclesia Christiana, hodierna Judæorum synagoga recensent: atqui Josephus, vetus Ecclesia Christiana, hodierna Judæorum synagoga, nec plures, nec pauciores, quam viginti duos libros recensent in Judæorum Canone: ergo nec plures, nec pauciores sunt, quam viginti duo.

Minor propositio sic per partes ostenditur. *Primò*, Josephus, quem, cum sacerdos esset, fugere non potuit, quinam essent apud suam gentem libri Canonici, lib. 1. contra Appionem conceptis terminis asserit omnia, quæ ad suam gentem spectarent, duobus tantùm supra viginti libris contineri. *Secundò*. Origines apud Eusebium lib. 6. historiæ cap. 23. Synopsis, quæ tribuitur Athanasio, Epiphanius lib. 1. Hæresi 8. S. Hilarius præfatione in Psalm. Hieronymus in prologo galeato, definiunt apud Judæos viginti duos tantum libros extare, qui existimentur esse divinæ authoritatis. *Tertiò*: nec plus, nec minus, quàm viginti duos, hodiernorum Judæorum Biblia complectuntur.

Objicies. Melito Sardensis apud Eusebium histor. lib. 4. cap. 26. scribit, Judæorum Canonem complecti viginti quatuor libros Sacros: Epiphanius Hæresi 8. numerat in eodem Canone libros viginti septem: ergo malè asseritur, quòd sint tantùm viginti duo.

Resp. conced. ant. neg. conseq. Ratio est, quia scriptores in argumento laudati nonnullos ex libris, de quibus loquitur Josephus, in duos aut plures partiuntur: è contra Josephus libros, quos illi authores partiuntur, tanquam unum numerar.

Qui cum Josepho sentiunt, seu qui viginti tantùm duos veteris testamenti libros numerant, ponunt, *primò* libros Moysis quinque; *secundò* prophetarum libros octo, nimirùm, Josue, Judices cum Ruth; *tertiò* Samuelis duos velut unum librum; *quartò* Regum duos velut unum, id est, tertium, & quartum; *quintò* Isaiam; *sextò* Jeremiam cum Threnis; *septimò* Ezechielem; *octavò* librum unum duodecim minorum prophetarum; *nonò* hagiographos libros novem, scilicet, Job, David, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Danielem, Paralipomena, Esdræ duos, ut unum, & Estherem.

Qui autem viginti quatuor constituunt, avellunt Ruth à libro Judicum, & Threnos à Jeremia: sicque duos libellos adjungunt duobus viginti superioribus.

Qui verò viginti septem recensent, tripliciter id agunt. Nam *primò* S. Epiphanius libro de pond. & mens. ex Psalterio libros quinque constituit, & adjungit Threnos, & epistolam Baruch; *secundò* duobus & viginti supra numeratis addit Ruth, libros duos Regum, unum ex Paralipomenis, ex Esdra unum; *tertiò* idem S. Pater Hæresi 8. suis cum numeris omnes veteris testamenti libros recenset: *quinque Moysis, sextus Josve, septimus Judices, octavus Ruth, nonus Job, decimus Psalterium, undecimus Proverbia, duodecimus Ecclesiastes, decimustertius Canticum, decimusquartus*

Re,

Regum primus, decimusquintus, decimussextus, decimusseptimus, Regum secundus, tertius, quartus, decimusoctavus, Paralipomenon primus, decimusnonus, Paralipomenon secundus, vigesimus, Isaias, vigesimusprimus, duodecim Propheta minores, vigesimus secundus Jeremias, vigesimustertius Ezechiel, vigesimusquartus Daniel, vigesimusquintus Esdra primus, vigesimus sextus Esdra secundus, vigesimus septimus Esther; hactenus Epiphanius.

CONCLUSIO 2. Olim apud Judæos plures erant libri, quam nunc sint in eorum Canone, & essent Josephi temporibus.

Probatur. Scripturæ recensent libros, qui jam non sunt in Canone Judæorum: ii autem viginti numerantur. Primus, liber *Bellorum Domini*, Num.21. secundus, liber *Justorum*, seu liber *Recti*, Josue cap 10. tertius, liber *Verborum*, seu rerum gestarum *Salomonis*, 3.Reg cap.11. quartus, liber *Verborum Regum Israel*, 3. Reg. cap. 14. quintus, liber *Verborum Regum Juda*, ibidem, sextus *Samuelis libri*, 1.Paralip.capite ultimo, septimus, alius quidam *Samuelis liber*, 1.Reg. cap.10. octavus *Nathans*, 1. Paralip. cap.29. nonus *Gad Propheta*, ibidem, decimus *Abia Propheta*, 3.Reg.cap.5. undecimus *Addonis Propheta*, 2.Paralip.cap.9.duodecimus *Jehu Propheta*, 2.Paralip. cap.20. decimustertius *Chozai Propheta*, 2. Paralip. cap. 33. decimusquartus *Salomonis tria millia Parabolarum*, 3. Reg. cap. 4. decimusquintus *Salomonis Cantica quinquies mille*, ibidem ex textu Græco septuaginta, & ex vulgata editione, sed ex latina ad textum Hebræorum correcta, *Cantica quinque supra mille*, decimussextus *Salomonis physica*, ibidem, decimusseptimus, liber *Enoch*, ut ex Judæ epistola collegit S. Augustin. lib. 15. de civit. cap.23. decimus octavus, epistola *Elia Propheta*, 2. Paralip. cap. 21. decimusnonus *Jeremia descriptiones*, 2. Mach. 2. vigesimus *Joannis Hircani liber dierum*, 1. Mach. cap. ult.

Libris, quos ex scriptura hactenus recensuimus, addi possent, 1. liber Eldal, & Medad, apud Athanasium in synopsi. 2. In eadem synopsi, ultra centum, & quinquaginta Psalmos, *Psalmus unus*, qui legitur in græcis exemplaribus, & in Græcorum horologio. 3. In eadem synopsi, pluribusque aliis authoribus *testamentum Moysis*, reperitur.

Quæres 1. an libri, qui mox recensiti sunt, aliquando fuerint Canonici apud Judæos.

Resp. quadruplicem esse de proposita quæstione Authorum sententiam.

Prima Origenis, qui præfatione in Cantica, dubitat, an libri, de quibus agitur, fuerint aliquando Canonici.

Secunda, Joannis Drusii, qui epist. 101. censet eos fuisse sacros, sed negat fuisse Canonicos.

Tertia, quæ est Serarii, docet nonnullos ex iis libris fuisse Canonicos, sed non omnes.

Quarta est S.Augustini, qui docet eos libros, nec sacros fuisse, nec Canonicos: sic enim loquitur lib. 18. de civit. Dei c.38. Nec enim videri debet, quod suspecta habeantur, quæ sub tantæ antiquitatis nomine proferuntur; quandoquidem in ipsa historia Regum Judæ, & Regum Israel, quæ res gestas continet, de quibus eidem Scripturæ Canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur, & in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ scripserunt, & alicubi eorum quoque Prophetarum nomina non tacentur, nec tamen inveniuntur in Canone, quem populus Dei recipit. Cujus rei, fateor, causa me latet, nisi quod ego existimo, etiam ipsos, quibus ea, quæ in authoritate religionis esse deberent, sanctus utique spiritus revelabat; alia, sicut homines historica diligentia; alia, sicut propheta sinspiratione divina scribere potuisse, atque hæc ita fuisse distincta, ut illa tanquam ipsis, ista verò tanquam Deo per ipsos loquenti, judicarentur esse tribuenda, ac si illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis authoritatem, in qua authoritate custoditur Canon; præter quem, si qua jam etiam sub nomine verorum Prophetarum scripta proferuntur, nec ad ipsam copiam scientiæ valent, quoniam utrùm eorum sint, quorum esse dicuntur, incertum est, & ob hæc eis non adhibetur fides, maximè his, in quibus etiam contra fidem librorum Canonicorum quædam leguntur, propter quod ea illorum non esse apparet: hactenus S. Doctor.

Ex iis S. Augustini verbis patet, S. Doctorem asserere, 1. nonnullos ex iis libris fuisse a Prophetis conscriptos, 2. se nescire, cur relati non sint in antiquum Judæorum Canonem, 3. verisimilem esse Prophetas eos scripsisse, ut homines, non autem ut Prophetas, 4. eos libros propter rationem mox allatam pertinuisse non ad religionis authoritatem, sed ad cognitionis ubertatem.

Quæres 2. an ii libri, de quibus in præcedenti quæstione, jam extent alicubi, & cur, si non extent, tandem perierint.

Resp. ad 1. eos libros nullibi jam extare; ita nimirùm docent Catholici, Hæretici, Judæi, ut Abenezra in Num. cap.21. Hinc concluditur *librum Recti*, & *librum Bellorum Domini*, qui hodie sunt apud Hebræos, a recentioribus Rabinis conscriptos fuisse: ille quidem a R.Tham, iste a Ralbag.

Resp. ad 2. mirum non esse in sententia S. Augustini, quòd illi libri perierint, cum ex eo S. Doctore, ad religionis authoritatem non pertinerent; unde etiam mirum non est, cur in novo testamento nusquam citentur: mirum pariter non est, cur divina providentia eos perire passa fuerit.

CONCL. 3. Esdras author est Judæorum Canonis.

Probatur. Ille est author Canonis Judæorum, qui in unum corpus redegit, ordinavitque libros sacros: atqui Esdras in unum corpus redegit, ordinavitque libros sacros; id nimirùm docere videntur Chrysostomus hom. 8. in epistolam ad Hebræos, Hilarius, & Theodoretus præfatione in Psalm. sed ante eos Irenæus lib.3. cap.25. Tertullianus libro de habitu mulierum, Clemens lib.1. Stromatum.

Quæres 1. num ante Esdræ tempora non extaret apud Judæos aliquis Scripturarum Canon.

Resp. ante Esdræ tempora extitisse quidem apud Judæos libros sacros, qui ante ipsum scripti fuerant; sed in unum scripturarum Canonem, seu chatalogum ex ordine redacti non fuerant.

Quæres 2. quo sensu Esdras dicatur Judaici Canonis author?

Resp. circa propositam quæstionem esse duplicem sententiam.

Prima eorum est, qui docent 1. universam Scripturam sacram periisse tempore captivitatis Babylonicæ; nempe in urbis excidio, & incendio templi. Docent 2. eam ab Esdra absque ullius exemplaris ope, solo Spiritus Sancti afflatu fuisse per quadraginta dies dictatam quinque viris, qui summa celeritate excipiebant, quæ ab Esdra proferebantur. Nituntur ii Authores capite 14. libri quarti Esdræ, ubi eorum opinio expressis verbis asseritur.

Altera sententia eorum est, qui censent non omnia scripturarum exemplaria extitisse in Templo Jerosolymitano, cum a Chaldæis combustum est; ac proindè non omnia tunc periisse; & consequenter Esdram eo sensu esse Judaici Canonis authorem; quòd cum esset Scriba doctus, collatis inter se pluribus exemplaribus, errata correxerit, quæ per Scribarum, aut incuriam, aut imperitiam in sacros libros irrepserant; tum etiam; quòd (ut jam dictum est) scripturas in unum corpus ex ordine redegerit.

Nos secundæ illi opinioni subscribimus. Nam 1.

quæ-

quartus Esdræ liber, cujus testimonio prior sententia nititur, tantùm abest, ut sit Canonicus, quin potius pluribus in locis Judaicis fabulis refertus sit. 2. Quis in animum inducat suum, incenso Jerosolymorum templo, nullos sacros Codices apud privatos Judæos remansisse, & præsertim apud Ezechielem, Danielem, Jeremiam, Aggæum, Zachariam, Mardochæum, & ipsum Esdram, aliosque pios, præsertim ex Tribu Levi, qui tunc in humanis agebant, & quibus cordi erat Dei lex.

Quæres 3. An Canon, quem Esdras correxit, ab Esdra tantum suam authenticitatem habuerit?

Resp. negat. authenticitatem nimirùm suam habuit Canon ille ab Synagoga Judæorū, quæ tunc in amplissimum cœtum coacta, Esdrinum Canonem probavit: id innuunt laudati superiùs Patres: id quoque videre est in Rabbinorum operibus.

ARTICULUS II.

De Canone Catholicorum.

Not. 1. Catholicorum Canon spectari potest, vel respectu librorum veteris testamenti, vel respectu librorum novi testamenti.

Not. 2. Ecclesia Catholica spectari potest, vel in prioribus sæculis, vel in hisce posterioribus, hoc est, vel ante Concilii Tridentini tempora, vel post tempora Concilii Tridentini.

§ I.

Quinam libri semper fuerunt in Canone Catholicorum.

CONCLUSIO 1. In omnibus Ecclesiis Catholicis, Scripturarum Canon quovis sæculo hosce veteris testamenti libros complexus est; Pentateuchum Moysis, librum Josue, Judicum, Ruth, Regum quatuor, Paralipomenon duos, Esdræ, & Nehemiæ duos, Job, Psalterium 150. Psalmorum, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Prophetas majores quatuor, Prophetas minores duodecim.

Probatur. Eos libros semper complexus est Canon omnium Ecclesiarum Catholicarum, quos omnes omninò Ecclesiæ Catholicæ semper agnoverunt divinæ esse authoritatis: atqui omnes omninò Ecclesiæ semper agnoverunt libros, de quibus in conclusione, esse divinæ authoritatis: ergo semper eos complexus est Ecclesiæ Catholicæ Canon.

Minor propositio ostenditur, 1. testimonio Summorum Pontificum: quotquot enim a Christo ad hæc usque tempora recensuere divinos veteris testamenti libros, eorum omnium meminerunt, de quibus agitur in conclusione: idque videre est in Innocentii Papæ I. Epistola 3. quæ est ad Esuperium Tolosanum; videre est etiam in Gelasii I. decreto de libris sacris. Idem evincitur ex pluribus Conciliis, Laodicæno nimirùm Canone 59. Carthaginensi III. Canone 47. Tridentino sess. 2.

Ostenditur 2. authoritate Patrum. Græci eos libros laudant tanquam divinos, Origenes apud Eusebium lib. 6. historiæ cap. 18. ipse etiam Eusebius lib. 3. historiæ cap. 25. Athanasius in synopsi, Cyrillus Jerosolymitanus catechesi 4. Patres Latini iidem libris divinam authoritatem tribuunt, Hieronymus tum in prologo Galeato, cum in Epistola ad Paulinum de studio scripturarum, ad Rufinum in explicatione symboli, Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 8. Iis autem Latinis Patribus præiverat Hilarius præfatione in Psalmos.

CONCLUSIO 2. In omnibus Catholicis Ecclesiis Scripturarum Canon hosce novi testamenti libros, quovis sæculo complexus est; Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis, Acta Apostolorum; omnes Pauli epistolas, ea tantùm excepta, quæ est ad Hebræos; duas epistolas canonicas, videlicet Petri unam, Joannis alteram.

Probatur eodem argumento, quo asserta fuit præcedens conclusio, authoritate nimirùm Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrum tum Latinorum, tum Græcorum, qui in præcedentis conclusionis testimonium laudati sunt; nempè ii Pontifices, ea Concilia, ii Patres libros, de quibus est hic quæstio, retulerunt in Ecclesiæ Canonem iisdem locis, quæ ibidem laudata sunt.

§. II.

Quinam libri non fuerint semper in omnium Ecclesiarum Canone.

CONCLUSIO. Plures libri, qui nunc sunt Sacri, non fuerunt semper in omnium Ecclesiarum Canone, nimirum Ester, Baruch, Danielis pars, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Macchabæorum primus, & secundus, Marci, Lucæ, Joannis partes quædam, epistola ad Hæbræos, epistola Jacobi, posterior Petri, prima Joannis particula, secunda, & tertia Joannis, epistola Judæ, Apocalypsis.

Probatur conclusio. Eos libros quovis sæculo complexus non est omnium Ecclesiarum Canon, de quorum authoritate nonnulli Patres, nonnullæ Ecclesiæ dubitarunt: de authoritate librorum, de quibus agitur in conclusione: ergo omnium Ecclesiarum Canon eos libros, quovis sæculo complexus non est. Minor propositio ostenditur per partes.

Primò. Tres gravissimi Scriptores, Estheris librum rejecerunt ex Canone, nempe Melito Sardensis apud Eusebium lib. 4. hist. cap. 26. Athanasius in synopsi, Gregorius Nazianzenus in suo de genuinis scripturis carmine.

Præterea inter eos, qui Estheris libro divinam authoritatem tribuerunt, nonnulli negarunt septem postrema capita esse genuinas ejusdem libri partes; unde putarunt eas, tanquam adulterinas, ab ipso libro resecari debere. In ea sententia fuisse Hieronymum colligitur ex ejus in hunc librum præfatione; nempè ait se ex Hebræo in Latinum vertisse librum illum, prout in Hebraicis exemplaribus legitur: at in Hebraicis exemplaribus ea capita non reperiuntur, ipso Hieronymo teste, qui monet, se non ex Hebraicis codicibus, sed ex vulgata editione deprompsisse septem illa capita. Hieronymo ante Concilium Tridentinum subscripsere Nicolaus Lyranus, Dionysius Carthusianus, Cardinalis Cajetanus in suis in hunc librum commentariis; imò & post Concilium Tridentinum Sixtus Senensis lib. 1. & 8. Biblioth. S.

Secundò. Liber Baruch a Hieronymo non est habitus pro Canonico: sic enim loquitur S. Doctor præfatione in Jeremiam: *Librum autem Baruch notarii ejus*, Jeremiæ, *qui apud Hebræos, nec legitur, nec habetur, prætermisimus*. Idem S. Doctor eum pariter prætermittit in suo Prologo Galeato, ubi veteris testamenti libros recenset. Hieronymo adhæsit inter Catholicos Joannes Driedo lib. 1. de scripturis, & dogmatibus Ecclesiasticis, cap. ult.

Tertiò. Judæi resecant ex Danielis libro hymnum trium puerorum, qui habetur cap. 3. necnon Susannæ historiam, quæ legitur cap. 13. & historiam draconis, quem Daniel interfecisse dicitur cap. 14. Hebræis eo in capite adhærere videtur Hieronymus præfatione in Danielem, ubi sic loquitur: *Hæc idcirco refero, ut difficultatem vobis Danielis ostenderem, qui apud Hebræos, nec Susannæ habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, draconisque fabulas, quas nos, quia in toto orbe dispersa sunt, vero antepositó, easque jugulante, subjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis*

de-

detruncasse. Julius Africanus apud Eusebium hist. lib. 6. cap. 13. Susannæ historiam rejicit tanquam adulterinam. Subscribit Joannes Driedo lib. 1. de Scripturis, & dogmatibus Ecclesiasticis cap. ult.

Quartò. Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Macchabæorum, Hieronymus expungit ex Canone; hæc enim habet in Prologo Galeato: *Hic prologus, Scripturarum quasi Galeatum principium, omnibus libris, quos de Hebræo vertimus in Latinum, convenire potest, ut scire valeamus, quidquid extra hoc est, inter Apochrypha esse ponendum: Idcircò Sapientia, qua vulgò Salomoni adscribitur, & Jesu filii Sirach liber, & Judith, & Tobias, & Pastor, non sunt in Canone, Macchabaorum primum librum Hebraicum reperi; secundus, Gracus est*. Eum verò duplicem Macchabæorum librum inter Canonicos non recenset in eodem prologo, ubi texit Canonicorum chatalogum. Hieronymo præiverat Melito Sardensis apud Eusebium hist. lib. 6. Athanasius in synopsi, Concilium Laodicænum Canone 59.

Quinto. Ultimum caput Marci non fuisse ab omnibus, etiam Catholicis, receptum Hieronymi tempore, scribit ipsemet Hieronymus in epistola ad Hedibiam quæstione 3. Hoc autem fundamento nitebantur, quòd olim inserta essent quædam, quæ Manichæismum redolerent; ista nimirùm verba: *Et illi satisfaciebant, dicentes saculum istud iniquitatis, & incredulitatis substantia est, qua non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcircò jam nunc revela justitiam tuam*. Ita Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos ante medium.

Sexto. Quidam olim in dubium revocarunt historiam de sudore Christi sanguineo, Angelica apparitione, & consolatione, quæ Lucæ 22. legitur. Eorum, qui sic opinati sunt, meminit Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos.

Septimò. Adulteræ mulieris historiam, quæ legitur Joannis 8. capite, non fuisse olim certæ fidei, Erasmus, ex Eusebio, scribit in hujus loci annotatione.

Octavo. Contendunt aliqui, dubium olim fuisse, an hæc verba, quæ habentur capite ultimo 1. epistolæ Joannis: *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, genuina sint Joannis verba. Rationes, quibus illud dubium nitebatur, videre est apud Erasmum in hujusce loci annotatione.

Nonò. An epistola ad Hebræos Pauli esset, & an in Canonem referri deberet, dubitarunt quidam veteres, Hieronymo teste, qui epistola ad Paulinum sic loquitur: *Paulus Apostolus ad septem scribit Ecclesias: octava enim ad Hebraos, a plerisque extra numerum ponitur*. Ex iis, qui epistolæ, de qua agitur, divinam authoritatem tribuebant, nonnulli dubitarunt, an Barnabæ, Lucæ, Pauli, aut alterius esset Apostoli. Hæc de ea scribit Hieronymus in chatalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Epistola autem, qua fertur ad Hebraos, non ejus*, Pauli, *creditur propter styli, sermonisque distantiam, sed vel Barnaba juxta Tertullianum, vel Luca Evangelista juxta quosdam, vel Clementis, Romana postea Ecclesia Episcopi; quem ajunt sententias Pauli proprio ordinasse, & ornasse sermone*. Idem tamen Hieronymus censet eam epistolam esse ipsiusmet Pauli; hæc enim verba mox laudatis subjicit: *Vel certè, quia Paulus scribebat ad Hebraos, & propter invidiam sui apud eos nominis, titulum, in principio salutationis amputaverat; scripserat ut Hebraus Hebrais Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè, ut ea, qua eloquenter scripta fuerant in hebrao, eloquentiùs verterentur in gracum, & hanc causam esse, quod a cateris Pauli epistolis discrepare videatur*. Cajetanus paulò ante Concilium Tridentinum iis adhæsit quibus olim fuit dubium, an ad Hebræos epistola ipsiusmet esset Pauli.

Decimo. Epistolam Jacobi, postremam Petri, secundam, & tertiam Joannis, epistolam Judæ, olim non fuisse ab omnibus Ecclesiis admissas, testatur Eusebius histor. lib. 2. cap. 23. *sciendum est*, inquit, *quod a nonnullis non recipiuntur*. De Jacobi epistola hæc habet Hieronymus in Chatalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: *Unam tantùm scripsit Epistolam, qua de septem catholicis est, qua & ipsa ab alio quodam sub nomine ejus edita asseritur, licèt paulatim, tempore procedente, obtinuerit authoritatem*. Asserit ibidem laudatus Author, quod *Petri secunda a plerisque, ejus esse negetur, propter styli cum priore dissonantiam*; de Juda hæc ibidē ait: *At Judas frater Jacobi parvam quidem, qua de septem catholicis est, epistolam reliquit; & quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur*. Idem in eodem chatalogo asserit, dubitasse nonnullos veteres de secunda, & tertia epistola Joannis.

Undecimo. Apud Eusebium, Cajus quidam, antiquus Scriptor, censuit Apocalypsim esse Cerinthi hæretici fœtum, Eusebio teste lib. 3. hist. cap. 28. Dionysius Alexandrinus apud eundem Eusebium lib. 7. cap. 23. libri quidem divinam authoritatem agnoscit, sed dubitat, num sit Joannis Apostoli, an alterius Joannis. Concilium Laodicœnum eundem librum non retulit in suum scripturarum Canonem. Hieronymus in epistola ad Dardanum testatur, plures è veteribus Græcis de Apocalypseos authoritate dubitasse.

§. III.

Quinam libri jam sint in omnium Ecclesiarum Catholicarum Canone.

CONCL. In omnibus Ecclesiis Catholicis, Scripturarum Canon complectitur, 1. eos omnes libros, qui erant in veteri Canone Judæorum; 2. eos quoque complectitur, de quibus nonnulli dubitarunt, an essent in Judæorum Canone, Baruch nimirùm, & Estherem; 3. hosce libros continet, Sapientiam, Tobiam, Judith, Ecclesiasticum, primum & secundum Macchabæorum, quos certum est non fuisse in Hebraicis Judæorum Bibliis; 4. Evangelia quatuor, Acta Apostolorum, & eas epistolas Canonicas, de quarum authoritate nusquam inter Catholicos dubitatum est; 5. eas etiam epistolas, de quibus nonnullæ Ecclesiæ quondam dubitarunt, Joannis Apocalypsim, & eorum librorū partes, de quibus aliquod olim fuit dubiū.

Probatur ex Concilio Tridentino, quod sessione 4. sic loquitur: Sacrorum verò librorum indicem huic decreto adscribendum censuit... Sunt verò infrascripti: Testamenti Veteris, quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naū, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Macchabæorum, primus, & secundus: Testamenti Novi, quatuor Evangelia, secundū Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim epistolæ Pauli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos; Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli. Definit prætereà sacra Synodus, eos libros cum suis partibus Canonicos esse, idque credendum præcipit sub anathematis pœna: *Si quis autem*, inquit, *libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habētur, pro sacris, & Canonicis nō susceperit, anathema sit.*

Quæres 1. An mox laudatus Scripturarum Canon primùm a Concilio Tridentino conditus fuerit?

Resp. negative. Ratio est, quia expressis terminis reperitur in epistola tertia, quam Innocentius Papa ad Exuperium Tolosanum scripsit anno 400. Reperitur etiam in Concilio Carthaginensi quarto, cui interfuit Augustinus, quodque anno 419. celebratum est; in decreto Gelasii edito Romæ, in Concilio Septuaginta Episcoporum, in Augustini epistola 235. Sed advertendum est, laudatos Patres in Jeremia complexos fuisse librum Baruch.

Quæres 2. Utrùm post definitionem Concilii Carthaginensis post Innocentii I. & Gelasii decretum, esset de fide, quòd libri, qui recensentur in decreto Concilii Tridentini, essent Canonici?

Resp. videri, quod Concilium Carthaginense habitum post datam ab Innocentio ad Exuperium epistolam, non censuerit fuisse tunc de fide, quòd ii omnes libri essent Canonici. Nimirùm jubet, ut editus a se de sacris libris Canon in Occidentem deferatur, quò a Romano Pontifice, & aliis Occidentalibus Episcopis confirmetur: *Hoc etiam*, inquit, *fratri, & consacerdoti nostro Bonifacio* (tunc Romano Pontifici) *vel aliis earum partium Episcopis in confirmando isto Canone innotescat, quia à Patribus ista accepimus legenda*. Sed cur Romano Episcopo, & aliarum Sedium Occidentalium Episcopis, probandum Canonem suum direxissent Carthaginensis Concilii Patres, si ipsis persuasum fuisset, esse de fide libros, quos recenset, jam tunc fuisse Canonicos?

Confirmatur. In Galliis ignota non erant, tum Innocentii, tum Concilii Carthaginensis decreta, Prosperi & Hilarii temporibus. Verùm tunc in Galliis non videbatur esse de fide, quòd omnes libri, de quibus est quæstio, referri deberent in Scripturarum Divinarum Canonem; scribunt nempe Prosper, & Hilarius ad Augustinum, Massilienses causatos fuisse, hoc testimonium: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum*, non esse alicujus ponderis; eo quòd Sapientiæ liber, ex quo desumtum est, non haberetur, ut Canonicus: *Quod*, inquit Augustin. lib. de prædest. SS. cap. 14. *à me quoque positum*, testimonium, *fratres ipsos ita respuisse dixistis, tanquam non de libro Canonico adhibitum*. Cardinalis Cajetanus, paucis ante Concilium Tridentinum annis, scripsit, non alios libros referri debere in Canonem, quam quos in eum Hieronymus retulit: *ad S. Hieronymi limen* (inquit in fine suorum in veteris testamenti libros Commentariorum) *reduci debent, Tobias, similesque alii libri*. Ita verò censuere, Cajetanus, Massilienses, Patres quarti Concilii Carthaginiensis, & plures alii veteres, quod dubitarent, an ubique promulgatum, ac receptum esset Innocentii de libris Canonicis decretum.

Quæres 3. Utrùm etiam ante Innocentii Papæ tempora, seu, an tribus prioribus sæculis, omnes libri, quos Concilium Tridentinum retulit in Canonem, essent Canonici, hoc est, an divinæ essent authoritatis?

Resp. eos omnes libros Apostolorum temporibus fuisse Canonicos, hoc est, Apostolis, ac primitivæ Ecclesiæ fuisse persuasum, eos libros divinitùs fuisse conscriptos, ac proinde fuisse divinæ authoritatis. Ratio est, quia alioquin, nec ab Innocentio, nec a Conciliis, referri potuissent in Canonem; siquidem Ecclesia non potest aliud credendum Fidelibus proponere, quàm quod Apostolis fuit revelatum, nempe ipsis omnes omnium Articulorum revelationes creditæ sunt, nec novæ aliquæ post eorum tempora factæ sunt Ecclesiarum Pastoribus.

Nec obstat, quod de illorum librorum authoritate nonnulli dubitarint antiquitùs, ut patet ex iis, quæ diximus, agentes de libris, qui apud omnes Ecclesias non erant olim in Scripturarum Canone. Nam id contigit, quòd illis authoribus satis perspecta non fuerit eo in capite, Apostolorum, ac primitivæ Ecclesiæ sententia; e contra perspecta erat aliis: hiocque factum est, ut aliqui contenderent eos libros non esse Canonicos, alii verò docerent reverà esse Canonicos.

Quæres 4. Quam legem, quam regulam, quarti, ac posteriorum sæculorum Ecclesia servaverit, ut referret in Canonem libros, quos secundi, tertii, & quarti sæculi aliqui Patres in eum non retulerant?

Resp. Ecclesiam accuratè expendisse traditionem Patrum, qui præcesserant, ac facto illo examine, judicasse communem traditionem illorum Patrum ferre, libros illos ab Apostolis, primitivaque Ecclesia, habitos, fuisse pro Canonicis: in eo autem examine servavit regulam, quam hisce verbis tradit Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. *In Canonicis autem Scripturis, Ecclesiarum Catholicarum, quam plurium authoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures, gravioresque accipiunt eis, quas pauciores, minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias inveneris à pluribus, alias à gravioribus, quamquam hoc facile invenire non possit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto.*

§. IV.

De Scripturarum Canone apud Hæreticos recepto.

CONCL. Non unus fuit antiquitùs, nec est modò apud Hæreticos Scripturarum Canon.

Probatur. Scripturarum Canon non fuit olim, nec est modò idem apud eos, qui libros rejecerunt, quos alii admittebant tanquam Canonicos: atqui è veteribus, ac hodiernis Hæreticis, nonnulli rejecerunt, rejiciuntque libros, quos alii admittebant olim, & nunc admittunt tanquam Canonicos: ergo, &c. Minor probatur enumeratione eorum, qui olim Ecclesiam vexarunt, & nunc etiam vexant.

Primò. Simoniani, Basilidiani, Marcionitæ, omnes veteris testamenti libros, quod a Deo malo dictatos censerent, respuebant, apud Irenæum lib. 1. cap. 20. Iis adhæserunt Manichæi apud Epiphanium Hæresi 66.

Secundò. Nonnulli apud Philastrium in catalogo hæreseon, expungebant Ecclesiastem ex Canone, quia censebant, a Salomone compositum fuisse, cum amore mulierum esset depravatus: Propter eandem rationem, eodem Philastrio teste, cap. 133. alii negarunt, Cantica Canticorum librum esse sacrum.

Tertiò. Gentiles, Augustino teste, lib. 2. Retract. cap. 16 asseruerunt quidem Evangelia ab Apostolis conscripta fuisse, sed contenderunt, eos ex suo in Christum amore, dedita opera, fabulas pro veris narrationibus scripsisse.

Quartò. Nonnulli apud Augustinum Hæresi 30. recipiebant quidem Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, sed rejiciebant Joannem. Ebion, Irenæo teste, lib. 1. cap. 26. solum Evangelium Matthæi probabat. Cerinthus apud eundem Irenæum lib. 3. cap. 11. utebatur solo Marci Evangelio. Apud Marcionem, ut author est Tertullianus, solus Lucas, sed mutilus, & corruptus, erat in pretio.

Quintò. Actorum librum è numero sacrorum librorum expungebant, Cerinthus apud Philastrium cap. 36. Cerdo apud Tertullianum lib. de præscript. Tatianus apud Eusebium lib. 4. histor. cap. 29. Manichæus apud Augustinum, lib. de utilitate credendi, cap. 3.

Sextò. Marcion, teste Epiphanio Hæresi 42. rejecit Pauli epistolas ad Titum, & Timotheum; non-

nullis

nulli quafdam alias epiſtolas Pauli, humano, non divino ſpiritu dictatas cenſebant, & præſertim eam, quam ſcripſit ad Philemonem, apud Auguſtinum lib. 2. contra adverſarium legis, & Prophetarum.

Septimò. Hæretici, qui elapſo proximè ſæculo vexarunt Eccleſiam, deleverunt ex Scripturarum Canone, omnes veteris teſtamenti libros, qui non reperiuntur in antiquo Canone Judæorum; Baruch nimirùm, Tobiam, Judith, Eccleſiaſticum, Sapientiam, ambos libros Macchabæorum; ita poſt Lutherum, Martinus Kemnicius in examine ſeſſionis quartæ Concilii Tridentini, Calvinus lib. 1. Inſtit. cap. 11. lib. 2. cap. 5. lib 3. cap. 5.

Deleverunt quoque Pauli epiſtolam ad Hebræos. Lutherus in prologo hujus epiſtolæ contendit eam nec Pauli eſſe, nec alterius Apoſtoli; aſſerit eam continere nonnulla, quæ Evangelicæ, & Apoſtolicæ doctrinæ contraria ſint. Subſcribit Kemnicius in examine ſeſſionis quartæ Concilii Tridentini. Calvinus Inſtit. lib. 1. cap. 8. §. 2. 16. docet epiſtolam, de qua agitur, eſſe verè Apoſtolicam, ſed dubium eſſe, an Pauli ſit, an alterius Apoſtoli.

Deleverunt etiam epiſtolas, Jacobi, Judæ, ſecundam Petri, ſecundam & tertiam Joannis. Ita Lutherus in prologis harum epiſtolarum, Kemnicius & Centuriatores Magdeburgenſes, Centur. 1. lib. 2. cap. 4. col. 56. Omnes tamen eas epiſtolas Calvinus in ſuum Canonem retulit.

Deleverunt tandem Apocalypſim, nempè Lutherus in antiquiore præfatione novi teſtamenti ait, ſe Apocalypſim, neque pro Prophetico, neque pro Apoſtolico libro recipere: Luthero adhæſit Kemnicius. Aliud tamen viſum eſt Magdeburgenſibus, quippè Centuria prima lib. 2. cap. 4. col. 56. à Luthero deficiunt, docentque cum Calvino, Apocalypſim eſſe librum divinitùs conſcriptum, ac proindè referendum eſſe in Scripturarum Canonem.

§. V.

Solvuntur argumenta, quæ ab Hæreticis objiciuntur adverſus hodiernum Eccleſiæ Catholicæ Scripturarum Canonem.

Not. Hoc in paragrapho proponuntur. 1. Argumenta, quibus Hæretici probare nituntur, eos tantùm veteris teſtamenti libros debere referri in Canonem, qui erant in Canone Judæorum. 2. Proponuntur ea, quæ objiciuntur adversùs quemque librum in particulari, additum a Catholicis Canoni Judæorum.

Objicies 1. Concilium Tridentinum non potuit Canonicos declarare libros, qui non erant in Canone Judæorum: ergo &c. Probatur antecedens. Ut Concilium potuerit Canonicos declarare libros, qui non erant in Canone Judæorum, oportuit, ut cognoverit eſſe Canonicos, aut ex revelatione, aut ex traditione: atqui neutrum dici poteſt: Non primum; quippè poſt Apoſtolorum tempora non admittuntur novæ revelationes in iis, quæ ad fidem ſpectant, alioquin condi poſſent novi articuli fidei, quos Apoſtoli ignoraſſent; quod eſt hæreticum.

Non ſecundum, quia ut Concilium Tridentinum illos libros declararet Canonicos, oportuit ut judicarit Eccleſiam Catholicam ſemper, ſeu quovis ſæculo, illos libros ſaltem implicitè pro Canonicis agnoviſſe: atqui Concilium Tridentinum id judicare non potuit; nempe judicare non potuit Eccleſiam prioris ſæculi agnoviſſe libros illos pro Canonicis, nam Eccleſia prioris ſæculi id non ſcivit per peculiarem revelationem, neque etiam per Judæorum traditionem, cùm Judæi libros, de quibus agitur, nuſquam retulerint in ſuum Canonem: ergo &c.

Reſp. ad 1. neg. ant. ad 2. dico, Concilium non judicaſſe libros, de quibus agitur, eſſe Canonicos ex revelatione, ſed ex cujuſvis ſæculi Eccleſiarum traditione.

Ad 3. Nonnulli reſpondent, Eccleſiam Chriſtianam prioris ſæculi, pro Canonicis accepiſſe ab ipſis Judæis libros, de quibus eſt hic controverſia: erant nimirùm in Bibliis Judæorum Alexandrinorum, & omnium Helleniſtarum, ſeu Græcè loquentium: in pretio pariter erant apud Judæos Hebræos, ſeu Hebraicè, aut Syriacè loquentes; ubi enim Joſephus lib. 1. contra Appionem, aſſeruit eſſe apud Judæos viginti duos libros divinos, de aliis addidit, eos non ſimili fide dignos eſſe, propter minùs accuratam Prophetarum ſucceſſionem. Ideo verò Joſephus ait, illos libros non ſimili cum prioribus fide dignos eſſe, quòd in priorem Scripturarum Canonem ab Eſdra conditum relati non eſſent, ſed in poſteriorem editum poſt Alexandri Magni tempora occaſione Sadducæorum, qui nonniſi quinque libros Moyſis admittebant.

Reſpondent alii ad idem tertium argumentum, nec Hebræos, nec Helleniſtas, habuiſſe *explicitè* libros, de quibus agitur, pro Canonicis, ſed tantum *implicitè*, hoc eſt, ſynagogam nullum de eorum authoritate decretum tuliſſe; quod tamen poſtea tulerunt Apoſtoli, ex peculiari Spiritus Sancti revelatione. Illud autem judicium revera ab Apoſtolis latum fuiſſe, Concilium Tridentinum, ad Auguſtini normam, de qua ſuperiùs dictum eſt, colligit ex continua ſæculorum omnium traditione.

Illi reſponſo favet Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 36. *Libros*, inquit, *Macchabæorum non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.* Sic etiam loquitur in ſpeculo: *Non ſunt omittendi & hi libri, quos quidem ante Salvatoris adventum conſtat eſſe conſcriptos; ſed eos non receptos à Judæis, recepit tamen ejuſdem Salvatoris Eccleſia.*

Objicies 2. Plures antiqui expunxerunt ex Canone Chriſtiano libros Baruch, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ, ambos Macchabaicos. Expunxit nimirùm eos poſitivè Hieronymus in Prologo Galeato; implicitè verò Athanaſius, qui in ſynopſi eos non retulit inter ſacros; Concilium Laodicænum, quod texens librorum Canonicorum chatalogum, iſtos non recenſet: ergo reverà rejiciendi ſunt ex Canone.

Reſp. conc. ant. neg. conſeq. Ratio eſt 1. quia nimis probat illud argumentum, nempè probaret librum *Eſther*, quem tamen admittunt hodierni Heterodoxi, expungi debere ex Scripturarum Canone; eum enim, ac plures alios non eſſe referendos in Canonem judicarunt plures antiqui ſcriptores, ut patet ex iis, quæ ſuperiùs dicta ſunt. 2. Ideò a veteribus nonnullis libri, de quibus agitur, non relati ſunt in Canonem, quòd (ut jam obſervatum eſt ſuperiùs) ad præcipuarum Eccleſiarum traditionem, ut par erat, non attenderint.

Objicies 3. In libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Judith, Tobiæ, Macchabæorum, ſunt 1. multæ contradictiones; ſunt 2. multi errores, tum contra veritatem hiſtoriæ, tum contra fidem; 3. ignorantur eorum authores: ergo a Concilio Tridentino referri non debuerunt in Scripturarum Canonem.

Reſp. neg. ant. nempè fictitiæ ſunt illæ contradictiones, fictitii illi errores. Adeat lector Catholicorum in illos libros commentaria, & evaneſcent argumenta, quæ ex iis libris adversùs Tridentini Concilii Canonem recentiores Hæretici deſumunt.

CAPUT SEXTUM.

De lingua, qua scripti sunt libri Canonici.

Not. DE lingua, qua libri Canonici scripti sunt, quæremus 1. quænam revera sit, seu quo idiomate libri Canonici tum veteris, tum novi testamenti, a Prophetis, & ab Apostolis primùm scripti fuerint: 2. an Ecclesia nunc habeat genuinos Prophetarum, & Apostolorum textus.

ARTICULUS PRIMUS.

Qua lingua à Prophetis, & Apostolis scripti sint libri Canonici.

Not. 1. DIcemus 1. de libris, qui continentur in Canone Judæorum: 2. de iis, quos Ecclesia Christiana addidit antiquo Judæorum Canoni: 3. de libris novi testamenti.

CONCL. 1. Uno excepto Daniele, libri, qui antiquo Judæorum Canone continentur, Hebraica lingua conscripti sunt.

Probatur 1. ex eo, quòd Hebraicè legantur in Bibliis, quibus nunc utitur Judæorum Synagoga, & quibus usa est semper. 2. Ex S. Hieronymo, qui in Præfationibus ad libros illos, asserit, eos Hebraice conscriptos fuisse.

Jam verò, quòd Daniel Caldaice scriptus sit, testatur idem Hieronymus in ipsum Danielis librum præfatione, ubi sic loquitur: *Danielem Prophetam juxta Septuaginta Interpretes, Domini Salvatoris Ecclesia non legunt, utentes Theodotionis editione; & hoc cur acciderit, nescio. Sive enim, quia sermo Chaldaicus est, & quibusdam proprietatibus a nostro eloquio discrepat, voluerunt Septuaginta Interpretes easdem linguæ litteras in translatione servare, sive sub nomine eorum ab alio nescio, quo non satis Chaldeam linguam sciente, editus est liber; sive quid aliud causa extiterit, ignorans.*

CONCL. 2. Ex libris, quos Ecclesia Christiana addidit Judæorum Canoni, quidam Hebraice, quidam Chaldaicè, nonnulli Græcè conscripti sunt.

Probatur: Hieronymus præfatione in Tobiam, sic loquitur: *Mirari non desino ex actionis vestra instantiam; exigitis enim, ut librum Chaldæo sermone conscriptum ad Latinum stylum traham.* Sic etiam de libro Judith præfatione in eundem librum: *Chaldaico tamen sermone conscriptus inter historias computatur.* Hæc etiam habet de libro Sapientiæ præfatione in libros Salomonis: *Hebraicum reperi.* Idem dicendum est de libro Ecclesiastici. De libris verò Macchabæorum, hæc idem Sanctus Doctor, habet in Prologo Galeato: *Macchabæorum primum librum, Hebraicum reperi: Secundus, Græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest.* Qua autem ratione, & quo tempore Ecclesia Christiana Tobiam, Sapientiam, Judith, Macchabæorum libros suo Canoni inseruerit, superius dictum est iis locis, in quibus Concilii Tridentini Canonem exposuimus, eumque vindicavimus ab Heterodoxorum dicteriis.

CONCL. 3. Omnes libri novi testamenti, uno excepto Matthæi Evangelio, quod Syriacè scriptum est, Græce editi sunt ab Apostolis.

Probatur authoritate Hieronymi, qui præfatione in Evangelia ad Damasum, sic loquitur: *De novo nunc loquor testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit.* Nec obstant hæc verba, *Hebraicis litteris*; nam intelliguntur de Hebraicis litteris, quæ tunc apud Judæos erant in usu, hoc est, Syriacis; hinc Joannis 19. quod Syriacè scriptum erat, dicitur (ut notat Hieronymus in libro de nominibus) scriptum Hebraice: *Exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha.* Evanuit autem multis ab hinc sæculis Syriacum Matthæi Evangelium.

ARTICULUS II.

Utrùm Ecclesia nunc habeat genuinos Prophetarum, & Apostolorum textus.

Not. 1. HÆc quæstio non levis est momenti; nempè, si Ecclesia in suis Bibliis nunc habeat ipsos Prophetarum, & Apostolorum textus, seu, si habeat libros Canonicos, prout primum a Prophetis, & Apostolis conscripti sunt, menda, & errata, quæ in versionibus ipsa etiam nostra Vulgata latina, repertuntur, debebunt emendari; in veteri quidem testamento, ad textum Hebraicum, qui nunc in Bibliis legitur, & in novo ad textum Græcum, qui in eisdem Bibliis continetur. Si autem Ecclesia illos textus in suis Bibliis puros non habeat, hoc est, ut jam observatum est, ea lingua, qua primum a Prophetis, & Apostolis scripti sunt, tutum non erit versionum errata semper ad textuum illorum normam corrigere.

Not. 2. Heterodoxi passim contendunt textus nostros, Hebraicum & Græcum, esse in omnibus ipsosmet Prophetarum & Apostolorum textus; inde verò concludunt, id omne, quod in Latinis versionibus discrepat ab iis textibus, emendari debere ad textum Hebraicum, & Græcum.

Not. 3. Quidam Catholici docent, certum esse textum veteris testamenti Hebraicum, & novi Græcum esse ipsummet Prophetarum & Apostolorum textum in iis omnibus, quæ ad fidem, & mores spectant; non esse verò ipsummet Prophetarum & Apostolorum textum in quibusdam levis momenti capitibus, quæ ad fidem, aut mores non spectant: indeque colligunt, tutum non esse versiones in iis capitibus semper emendare ad hodiernum textum Hebraicum, & Græcum.

Not. 4. Quidam alii Catholici censent, non esse certum, quòd in aliquibus etiam capitibus, textus Hebraicus, & textus Græcus, qui in nostris Bibliis leguntur, sint ipsummet Prophetarum & Apostolorum textum; indeque inferunt textus illos non esse authenticos, seu aptos ad probanda fidei, aut morum dogmata.

CONCL. 1. Hodiernus veteris testamenti textus non ita purus est, ut nulla levis momenti errata, nulla menda in eum irrepserint.

Probatur 1. Nonnunquam integræ sententiæ desunt in Hebraico textu, v. gr. Exodi 2. ista non legitur: *Alium quoque genuit, & vocavit nomen ejus Eliezer, dicens: Deus Patris mei auxiliatus est mihi, & liberavit me de manu Pharaonis*; legitur tamen in versione septuaginta Interpretum, & in Latina ex Hebræo Hieronymi translatione.

Probatur 2. Aliquot errata recenseri possunt. Isaiæ 9. textus Hebraicus legit, *Vocabit admirabilis*, cum tamen versiones omnes, Patres, & ipse Scripturarum contextus demonstrent legendum esse *vocabitur*; hincque inferendum sit hæc epitheta, *admirabilis, Deus, fortis, pater futuri sæculi*, tribui Filio, non autem æterno Patri. Alia errata videre est in Bellarmino, Melchiore Cano, aliisque, qui quæstionem, de qua hic agitur, fuse pertractarunt.

CONCL. 2. Hodiernus Hebraicus textus, in iis, quæ ad fidem, aut mores spectant, purus est omninò: ita Bellarminus, qui de verbo Dei lib. 2. c. 2. sic loquitur: *Cæterùm non tanti sunt ejusmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent, Scripturæ Sacræ integritas desideretur.*

Probatur. Conclusionem demonstrant, quæ superiùs a nobis dicta sunt de Scripturarum integritate: ostendimus nimirùm, impossibilem fuisse mutationem, quam nonnulli, etiam Catholici, post Concilii Tridentini tempora commenti sunt. Inde verò concludi-

cluditur, Hebraicum textum, qui hodiernis Bibliis legitur, esse authenticum, seu valere ad probandam fidem, & ad regulandos mores.

CONCLUSIO 3. Idem de Græco novi testamenti textu dicendum est, quod de Hebraico veteris, duabus præcedentibus conclusionibus, dictum est.

Probatur 1. Argumenta, quæ probant, integrum esse, quoad fidem, & mores, Hebraicum textum, idem de Græco novi testamenti textu demonstrant: quomodo enim fieri potuisset, ut errores in iis, quæ ad fidem, & mores spectant, in omnes Codices Græcos per totum orbem diffusos irrepsissent, nec tamen eos errores aliquis advenisset?

Confirmari potest argumentū variis observationibus.

Primo. Novi Testamenti textus originalis Græcus, quoad substantiam, corrumpi non potuit, Apostolorum tempore: cum ii, qui novum testamentum, Spiritu Sancto dictante, Græcè conscripserant, adhuc in vivis agerent.

Secundo. Idem textus originalis Græcus transmissus est purus ad proxime sequentia sæcula. Neque enim verisimile est, primævos Christianos, qui novi testamenti Scriptorum ossa tanto cum studio eripuerunt casibus, divina eorum scripta neglexisse.

Tertio. Originarios quosdam novi Testamenti Codices extabant Tertulliani tempore; id nimirum ipsemet testatur libro de præscript. adversùs Hæreticos.

Quarto. Nostra exemplaria Græca maxime cohærent cum textibus Græcis, quos in suis scriptis laudarunt Ignatius, Clemens, Justinus, Irænus, & alii, qui ipsa Apostolorum autographa consulere potuerunt, cum vicini essent Apostolorum temporibus.

Quinto. Si in novi testamenti Græcum originalem textum irrepsissent ii errores, vel accidissent ante tempora, quibus habita sunt in Oriente octo priora Concilia Generalia, vel accidissent post ea tempora. Primum asseri non potest; alioquin enim dicendum esset octo illa Concilia, quæ non habuissent germanum Scripturarum textum, utpotè utentium solo Græco, nullum potuisse dogma adversùs Hæreticos definire. Dicendum esset iis sæculis Ecclesiam Græcam non fuisse veram Ecclesiam, quippè quæ non habuisset integram fidei regulam; quod est absurdum. Alterum pariter dici non potest. Nam proferri non possunt loca, quæ substantialiter differant ab iis, quibus olim Græci utebantur. Numerosa in Oriente, etiam post exortum Photii schisma, ad hæc usque tempora, est Ecclesia Catholica: veram igitur habet Scripturam. Tandem si post octo Generalia Concilia contigerit mutatio, de qua agitur, in Conciliis post illa tempora habitis, Lugdunensi nimirum, & Florentino, Latini eam depravationem Græcis, cum quibus in illis Conciliis manus conserverunt, objecissent.

Objicies. Concilium Tridentinum, cum agit de Scripturarum authenticitate, nec de Hebraico textu, nec de Græco loquitur, sed tantùm de nostra vulgata editione: Censuit igitur solam nostram vulgatam latinam esse authenticam, seu esse a quovis contra fidem, & mores errore immunem.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia (ut fuse dicetur inferiùs, cum agemus de vulgata editione Latina) Concilium Tridentinum agebat contra Lutherum, & Calvinum, qui contendebant vulgatam nostram gravibus erroribus scatere: Sat igitur fuit, ut de nostra vulgata, non autem de textu Hebraico, & Græco, de quibus non erat tunc quæstio, Concilium Tridentinum loqueretur.

CAPUT VII.

De Scripturarum versionibus.

Hoc in capite dicemus, 1. de variis veteris testamenti versionibus Græcis; specialiter de versione lxx. expendemus; 2. quam olim habuerint, & nunc habeant authoritatem; 3. fusè agemus de versionibus Latinis tum veteris, tum novi testamenti.

ARTICULUS I.

Quot olim fuerint veteris testamenti versiones Græcæ.

Not. De numero versionum Græcarum veteris testamenti multiplex est opinio. Prima dicit, esse septem versiones Græcas. Altera docet esse novem, & est Baronii. Tertia decem admittit: ita Bellarminus de verbo Dei lib. 2. cap. 5. Quarta undecim numerat. Quinta tredecim, & est Junii Calvinistæ contra Bellarminum.

CONCLUSIO. Decem tantùm editæ sunt veteris testamenti versiones Græcæ.

Probatur enumeratione. Prima, ac omnium antiquissima saltem aliquorum librorum testamenti veteris versio Græca, edita est ante Alexandri Magni tempora; quo autem authore, incertum est. Meminit illius versionis Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Ad eam alludit Josephus Antiquit. lib. 12. cap. 2. ubi narrat, Theopompum, & Theodecten divinitus punitos fuisse, quòd suis historiis, vel poematibus inserere tentassent nonnihil è sacris Bibliis, & quidem Græcis; nec enim Græci, nisi proselyti essent, solebant discere linguam Hebraicam. Idem Josephus lib. 1. contra Appionem, asserit, Platonem in suis libris de legibus expressisse Moysem: cum igitur legerat, & quidem Græcè; nec enim sciebat Hebraice. Subscribunt Patres, qui passim ajunt, Pythagoram, Platonem, multa ex Moysis, & Prophetarum libris hausisse. De eo argumento videre est Augustinum lib. 18 de civ. Dei c. 11.

Nec obstat, quod objicit Baronius, nimirùm Patres vocasse versionem lxx. Interpretum omnium primam, ac vetustissimam; nam sic locuti sunt, quod edita ante Alexandrum Magnum, Patrum temporibus evanuisset.

Non obstat quoque, quod addit idem Cardinalis, frustrè Ptholemeum Philadelphum a Judæis desideraturum fuisse versionem, quam ediderunt septuaginta Interpretes, si Biblia jam in Græcum conversa fuissent. Nam authenticam, & minime vitiosam optavit: ejusmodi verò non erat versio, quæ edita est ante Alexandrum Magnum, quippè incertorum erat authorum; nec omnium, sed aliquorum tantùm librorum.

Secunda versio est ea, quam septuaginta seniores Judæi ediderunt Ptholomei Philadelphi jussu. Agunt de ea Eusebius hist. lib. 6. cap. 13. Athanasius in synopsi, Ephiphanius lib. de mensuris, & ponderibus.

Tertia. Facta est ab Aquila Pontico anno 12. Adriani Imperatoris, ut ait Epiphanius loco proximè laudato: fuit autem Aquila, primùm gentilis, deindè Christianus; sed pulsus ab Ecclesia, quòd Astrologiæ Judiciariæ daret operam, Judaismo dedit nomen.

Quarta. Est Theodotionis, primùm Hæretici Marcionitæ, deinde proselyti Judæi. Edita est, Epiphanio teste, imperante Commodo.

Quinta. Est Symmachi, qui, Baronio teste, Severi Augusti, & secundùm alios, Lucii Veri temporibus, sacros libros ex Hebræo in Græcum sermonem transtulit. Scribit Eusebius, Symmachum fuisse primùm Hæreticum Ebionitam, qui cum in sua secta non obtinuisset primatum, quem ambierat, Judaismum professus est.

Sexta.

Sexta. Nullius authoris nomen præsefert: dicitur Hiericuntina, quòd, Epiphanio teste, apud urbem Hierico, Antonini Caracallæ anno 7. in doliis quibusdam reperta esset.

Septima. Non habet authorem certum: Nicopolitana vocatur, eò quòd, ut idem Epiphanius, aliique authores asserunt, Nicopoli inventa fuisset.

Hic obiter notandum est, ex sex postremis editionibus, Origenem, ut narrant Eusebius lib. 6. hist. cap. 13. & Epiphanius lib. de mensuris, & ponderibus composuisse sua, sive tetrapla, sive exapla, sive octapla.

Divisit primùm Origenes, ut ex laudatis Scriptoribus desumpsit Bellarminus, singulas suorum exemplarium paginas in sex columnas. In prima quidem descripsit Hebraicum textum litteris Hebraicis: in secunda eundem textum Hebraicum Græcis litteris: in tertia interpretationem Aquilæ: in quarta interpretationem Symmachi: in quinta interpretationem Septuaginta seniorum: in sexta interpretationem Theodotionis. Conjunctas illas omnes versiones vocavit tetrapla, junctum illis interpretationibus, duplici charactere, textum Hebraicum dixit exapla; ubi verò iis omnibus Hiericuntinam, & Nicopolitanam versionem addidit in duabus aliis columnis, sua volumina nominavit octapla.

Octava. Origenis versio est: hanc ex Hebræo quidem textu non adornavit, sed sic edidit, ut interpretationem Septuaginta seniorum correxerit, multa admiscuerit ex Theodotionis versione, quæ notavit, aut obelisco, aut signo radiantis stellæ. Tot verò mutationes invexit illa correctio, ut nova visa sit versio. Ita obtinuit, ut teste Hieronymo epist. 89. Bibliothecas omnes impleverit, ac ex eodem Hieronymo, præfatione in Isaiam communis appellata sit.

Nona. Est Luciani presbyteri, & martyris, qui (ut scribit Eusebius hist. lib. 9. cap. 6.) in persecutione Diocletiani, & Maximiani, Nicomediæ passus est: novam, & integram versionem est agressus ex Hebræo in Græcum, quod censeret, in præcedentes versiones multa vitia obrepsisse.

Decima. Hesychii est, qui Septuaginta seniorum interpretationem iterùm emendavit, atque Ægypti Ecclesiis tradidit. Cui ex versionibus adhærerent Orbis Ecclesiæ, docet Hieronymus præfatione in Paralip. ubi hæc habet: *Alexandria, & Ægyptus in Septuaginta suis Hesychium laudat authorem; Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani martyris exempla probat; media inter has Provinciæ Palæstinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, & Pamphilus vulgaverunt; totusque orbis hac inter se trifaria varietate compugnat.*

ARTICULUS II.

De versione Septuaginta Interpretum.

Not. 1. INter Græcas veteris testamenti versiones, principem locum semper obtinuit versio, quæ Septuaginta dicitur, seu quam edidere duo, & septuaginta Judæi, ab Eleazaro Pontifice eam ob causam missi ad Ptholemæum Ægypti Regem.

Not. 2. Historiam versionis, de qua agitur, scripserunt Aristæus, qui & Aristæas, unus ex Legatis à Ptholemæo Jerosolymam missis, Aristobulus Judæus Aristotelica Philosophia clarus, de quo agitur 2. Macchab. cap. 1. Josephus lib. 12. Antiquit. cap. 2. Philo lib. 2. de vita Moysis. Eusebius lib. 8. præparationis cap. 1. Irenæus lib. 3. cap. 25. Justinus apologia secunda. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum. Tertullianus apologetici cap. 18. Augustinus lib. 8. de civit. cap. 11. necnon lib. 2. de doctrina Christiana cap. 15.

Not. 3. Aristæi hac de historia libellus, nunc extat Græce, Latine, & Hebraice, Scaliger in Eusebianis animadversionibus, pag. 123. asserit, Aristæum authorem esse supposititium, & ab Alexandrinis Judæis confictum. Sed Josephus, Eusebius, Hieronymus epist. 104. contrarium censent. An autem, qui hodie circumfertur illius libellus, omninò sincerus sit, ac germanus, negare videntur Augustinus lib. 18. de civit. cap. 4. Alphonsus Salmero Proleg. 6. E contra germanum, ac sincerum, asserunt Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 6. multique alii, quos, qui de eo argumento plura scire voluerit, poterit consulere.

Not. 4. De versione Septuaginta Interpretum, quæri potest 1. sub quo Ptholemæo Ægypti Rege facta fuerit: 2. quot, & quales Interpretes missi sint: 3. quo tempore, quo in loco, & quomodo incœpta, ac peracta fuerit: 4. quosnam libros, Septuaginta verterint: 5. quantæ olim fuerit, & nunc sit authoritatis: 6. an hisce temporibus germanam habeamus Septuaginta Interpretum versionem.

§ I.

Explicantur, quæ spectant ad historiam versionis LXX. *Interpretum.*

CONCLUSIO 1. Versio Græca Septuaginta Interpretum edita est regnante in Ægypto Ptholemæo Philadelpho, tertio Rege ab Alexandro Magno.

Probatur 1. Uno excepto Irenæo, & Clemente Alexandrino, omnes fere alii Scriptores docent, institutam, ac peractam fuisse versionem Septuaginta Interpretum regnante Ptholemæo Philadelpho, Ptholemæi Lagi filio. 2. Ptholemæus Lagus Judæis infensissimus fuit, ex iisque plurimos duxit in Ægyptum captivos: e contra verò Philadelphus libertate donavit; eum verò, qui fuit eorum juratus hostis, probabile est, non curasse de Judæorum libris.

Quæres, a quo, & quo fine Ptholemæus Interpretes petierit?

Resp. ad 1. Ptholemæum ab Eleazaro, tunc Summo Pontifice, totaque Judæorum synagoga, petiisse Interpretes. Ad 2. dico ex Aristæo, & Josepho, non alium finem proposuisse sibi Ptholemæum, quam ut Judaicis libris ditaret Bibliothecam, quam Alexandriæ conquisitis undique libris erexerat: de Judæorum verò libris cognoverat, ex relatione Demetrii Phalerei, qui Athenis venerat Alexandriam, præeratque Regiæ Bibliothecæ.

CONCLUSIO 2. Missi fuerunt Septuaginta duo Interpretes ad Ptholemæum: iique erant e senioribus populi, legis, & linguarum, tum Hebreæ, tum Grecæ, peritissimi.

Probatur prior pars. Aristæus, Josephus, & alii, quos supra laudavimus, ajunt, Interpretes, de quibus agitur, fuisse Septuaginta duos: adduntque, sex delectos fuisse ex singulis tribubus.

Nec obstat, quòd passim dicantur Septuaginta tantum. Nempe id fit brevitatis, & numerandi facilitatis causa; quare apud Romanos *centum viri* vocabantur, licèt essent centum, & quinque. Sic etiam dicuntur Septuaginta Discipuli Christi, quamvis essent Septuaginta, & duo.

Probatur altera pars ex iisdem, qui supra laudati sunt, Authoribus. Et quidem meritò; nam alioquin stultissimi fuissent ii, qui tantum opus cum legis, & linguarum imperitia in se suscepissent.

Objicies. Sola tribus Juda, & Beniamin erant tunc in Judæa, decem nimirùm tribus tempore Ezechiæ Regis in Mediam captivæ, deportatæ fuerant: ergò ex singulis tribubus seni Interpretes eligi non potuerunt.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia tempore captivitatis semper è singulis tribubus aliqui in Judæa remanserunt, ut patet ex Judith cap. 2. Prætereà ex singulis tribubus aliqui è Media in patriam redierant,

rant, licèt multò plures essent ex Tribubus Juda, & Beniamin.

CONCLUSIO 3. Incertum est, quo anno regni Ptholemæi Philadelphi incœpta fuerit versio Septuaginta Interpretum: sed satis constat, quantum ad eam absolvendam temporis impenderint.

Probatur prior pars. Eusebius in Chronico scribit, incœptam fuisse versionem illam Philadelphi anno quarto, vel quinto; S. Epiphanius, anno septimo: quo autem ante Christi adventum anno id contigerit, variè secundum diversam chronologiam traditur. Chrysostomus homil. 5. in Matth. numerat ante adventum Domini annos centum: Theodoretus annos 250. Præfatio Romana in versionem Græcam Septuaginta, asserit, nec plus, nec minùs, quam unum supra trecentos annos fluxisse.

Probatur altera pars. Aristæus, Josephus, & alii, quos superiùs laudavimus, asserunt, septuaginta Interpretes opus absolvisse intra septuaginta duos dies.

CONCLUSIO 4. Alexandriæ in Ægypto, seu in vicina urbi illi insula *Pharo*, facta est versio Græca Septuaginta Interpretum. Utrum autem singuli è Septuaginta separatim, an bini, & bini, an potiùs omnes simul inter se conferentes, versionem fecerint, incertum est: probabilius est tamen, omnes inter se contulisse.

Probatur prior pars. Aristæus, Aristobolus, Josephus, Philo, necnon Christiani Scriptores, qui egerunt de versione Septuaginta, scribunt, eam Alexandriæ apud Pharum incœptam; & peractam fuisse.

Probatur altera pars. Quidam contendunt, septuaginta senes in una Basilica conjunctos, & inter se conferentes, opus suum adornasse: ita Bellarminus. Aliis placet, eos in una quidem Basilica fuisse conjunctos, sed divisos cellulis, ita ut inter se conferre non possent: ita Baronius. Quidam binis senibus unam tantùm cellulam tribuunt, ita ut fuerint tantùm triginta sex cellulæ. Priori sententiæ favet Hieronymus præfatione in Pentateuchum; alteri patrocinatur Justinus in oratione exhortatoria ad gentes, ubi sic loquitur: *Hæc vobis, viri Græci, non ut fabulam, atque ut confictam historiam renunciamus, sed qui Alexandriæ fuerimus ipsi, ac vestigia domuncularum apud Pharum adhuc reliqua viderimus, & ab incolis, qui res patrias à majoribus per manus sibi traditas acceperunt, audierimus, commemoramus.* Justino adhæsere Irenæus lib. 3. cap. 25. Cyrillus catechesi 4. S. Augustinus lib. 18. de civit. capite 42. Tertiæ opinionis author est Epiphanius lib. de mensuris, & ponderibus. Ex ea circumstantia mox laudati Patres argumentum petunt, pro authoritate versionis septuaginta Interpretum, seu ajunt, divinam fuisse eam versionem, in quam non collatis inter se operibus, septuagintaduo viri unanimiter consensere.

Probatur tertia pars, seu septuaginta duos Interpretes in eadem Basilica conjunctos, inter se conferentes Scripturam transtulisse.

Primò. Josephus, qui libro 12. Antiquit. cap. 2. versionis historiam describit, cellularum ne meminit quidem, eas tamen alioquin non prætermissurus, vir gloriæ gentis suæ cupidissimus: altum quoque est de iis silentium apud Philonem, Tertullianum, Chrysostomum, licèt asserant lxx. Interpretes miro consensu in eandem sententiam, in eademque verba convenisse.

Secundò. Aristæus, qui præsens fuit labori Septuaginta, aperte asserit, eos simul usque ad horam nonam conferendo, versionem intra septuaginta duos dies absolvisse.

Tertiò. cur illi lxx. Deum (ut ita loquar) tentassent, non observando humanam viam, mutuam nimirùm collationem, ut opus sibi impositum exequerentur?

Quartò. hæc habet S. Hieronymus præfatione in Pentateuchum: *Nescio, quis primus author septuaginta cellulas Alexandriæ mendacio suo extruxerit.*

Objicies 1. Patres asserunt, miraculosam fuisse versionem septuaginta Interpretum: atqui non ob aliud fuit miraculosa, quam quòd cellulis divisi, in eandem sententiam, in eademque verba consenserint.

Resp. conc. maj. neg. min. Miraculum enim est, quod tot homines unanimi consensu in eamdem sententiam, eademque verba consenserint, sive mutuò inter se de verbis, ac sententiis contulerint, sive non contulerint: ita censet Augustinus lib. 2. de doctrina Christ. cap. 15. ubi sic loquitur: Qui si, ut fertur, multique non indigni fide prædicant, singuli cellis etiam singulis separati, cum interpretati essent; nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis, eodemque verborum ordine inveniretur in cæteris: qui huic authoritati conferre aliquid, nedum præferre, audeat? Si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu, judicioque, vox fieret, nec sic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia ad emendandum tot seniorum, doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet. Hactenùs S. Doctor.

Objicies 2. Justinus martyr in oratione exhortatoria ad Gentes, scribit, se vidisse Alexandriæ ruinas cellularum, in quibus lxx. suam versionem absolverint.

Resp. Justinum nimis facile Judæis fabulam narrantibus credidisse: satius ipsi fuisset, Aristæum, qui negotio interfuit, audire, quam Judæos, qui Justini tempore vivebant.

Objicies 3. Epiphanius lib. de mensuris, & ponderibus, scribit, se cellulas legisse in Aristæi libello, quo versionis Septuaginta seniorum historia narratur.

Resp. Nec Josephum, nec Eusebium, nec Tertullianum, nec cæteros Christianos Patres, qui ante Ephiphanium vixere, nec Hieronymum, qui eodem cum illo tempore floruit, cellulas in Aristæo legisse: aut igitur, inquit, Bellarminus, Epiphanius, cum hæc scripsit, memoria lapsus est, vel id asseruit ex Justini nonnullorumque aliorum testimonio.

CONCLUSIO 5. Septuaginta Interpretes non solùm Pentateuchum vertere, sed libros omnes, qui tunc erant in Canone Judæorum, hoc est, libros viginti duos, quos post Josephum refert S. Hieronymus in Prologo Galeato.

Probatur. *Primò*, ita docent Justinus in dialogo cum Triphone, Irenæus libro 3. cap. 25. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Eusebius præparat. lib. 8. cap. 1. *Secundò*, non est verisimile, quòd Ptholemæus Philadelphus, qui Interpretes advocarat, non curarit de Prophetis, aliisque Judæorum libris antiquissimis. *Tertio*, Apostoli, dum Prophetas laudarunt, usi sunt versione Græca; sed eorum tempore, non alia erat versio Græca, quam Septuaginta Interpretum.

Objicies. Aristæus in libello de versione lxx. Interpretum, Josephus lib. 12. Antiq. cap. 2. Philo lib. 2. de vita Moysis, scribunt, Septuaginta vertisse legem tantum. At legis nomine non intelligitur, nisi Pentateuchus. Confirmatur ex Hieronymo, qui in eam videtur abire sententiam in cap. 2. Michææ.

Resp. laudatos Authores nomine legis intellexisse omnes Judæorum libros canonicos, qui lex dicebantur, non quod continerent solam legem, quam Moyses Judæis dederat; sed quod lex præcipuum inter Judæorum libros locum teneret. Hinc Christus Joannis 10. & 15. dicit, in lege scriptum esse, quod in Psalmis scriptum est; Paulus 1. ad Corinth. 14. dicit, in lege scriptum esse, quod apud Isaiam habetur.

Ad confirmationem, dico id, quod objicitur, Hieronymum scripsisse non affirmando, sed dubitando, unde in commentariis Prophetarum, mentionem facit versionis Septuaginta, & eam explicat.

De

§. II.

De Authoritate versionis lxx. *Interpretum.*

CONCLUSIO 1. Versio Septuaginta Interpretum, ad fidem, & mores confirmandos, divinæ fuit olim authoritatis.

Probatur. *Primo* conclusionem asserunt Aristæus, Josephus, Philo, Justinus, Irenæus, aliique Scriptores, qui in hocce paragrapho sæpiùs laudati sunt.

Secundo. Apostoli cum in suis ad Gentiles conversos scriptis laudarunt antiquum testamentum, usi sunt versione septuaginta Interpretum.

Tertio. Quinque prioribus sæculis obtinuit in Ecclesia Christiana, ut hisce verbis tradit Augustinus libro 2. de doctrina Christiana cap. 25. *Septuaginta Interpretum, quod ad vetus testamentum attinet, excellit authoritas, qui jam per omnes peritiores Ecclesias tanta præsentia Spiritus Sancti interpretati esse dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit.* Hæc etiam habet Hieronymus, in libro de optimo genere interpretandi: *Jure Septuaginta editio in Ecclesia, vel quia prima est, & ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis, in quibus tamen ab Hebraico non discrepat, usurpata.*

Objicies. Hieronymus præfatione in Pentateuchum multa scribit, quæ non cohærent cum conclusione. Contendit 1. septuaginta Interpretes nonnulla in sua versione omisisse, quæ tamen sunt in Scripturis, ut sunt ista, quæ ex veteri laudantur in novo testamento: *Ex Ægypto vocavi filium meum. Quoniam Nazaræus vocabitur. Videbunt, in quem compunxerunt. Flumina de ventre ejus fluent aqua viva. Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Docet 2. eos aliter, quam ferret textus Hebraicus, interpretatos esse, aut prætermisisse textus omnes, qui favent mysterio SS. Trinitatis: *Ubicumque*, inquit, *sacratum aliquid Scriptura testatur de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati sunt, aut omnino tacuerunt.* Rationem reddit: *Ut & Regi satisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.* Scribit 3. eos non fuisse Vates, sed Interpretes tantum; ac proindè labi potuerunt: *Aliud est enim Vatem, aliud est esse Interpretem: ibi spiritus ventura prædicit, hic eruditio, & verborum copia, ea, quæ intelligit, transfert.* Asserit 4. idem S. Doctor in suo in Isaiam commentario, in caput 10. Septuaginta aliquid *addidisse*: in caput 2. *ademisse* aliquid: in caput 3. *mutasse* nonnulla: in caput 9. *extenuasse sensum*: in caput 49. *subvertisse contra Judæos testimonia fortissima*: in idem caput *miscuisse plurima vocabula in unum*. Eæ verò, similesve sententiæ probant, versionem septuaginta Interpretum, ad astruendam fidem, & regulandos mores, olim non fuisse divinæ authoritatis.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. conseq. Quæ enim objecta sunt ex Hieronymo, nihil fidei, & moribus contrarium continent. Præterea, menda, errata, de quibus loquitur Hieronymus, librariorum erant, non ipsorum Interpretum.

Confirmatur ex eo, quòd præfatione in Paralip. hæc scribat: *Si septuaginta Interpretum pura, & ut ab eis in Græcū versa est, editio permaneret, superfluè me, Chromati, Episcoporum sanctissime, atque doctissime, impelleres, ut Hebræa tibi volumina Latino sermone transferrem.*

CONCLUSIO 2. Versio Græca septuaginta Interpretum, authentica est, his etiam temporibus.

Probatur. Ex iis, quæ superiore conclusione dicta sunt, constat 1. primos Christianos à Judæis Hellenistis accepisse versionem Græcam septuaginta Interpretum. Constat 2. eam versionem, utpotè tum à Christo, tum ab Apostolis usurpatam, magnum pondus habuisse; ac publicè in Ecclesiis lectam, & populis explicatam fuisse per quinque priora sæcula. Constat 3. Patres ea usos fuisse, ut tum in privatis scriptis, tum in Conciliis hæreses, quæ subortæ sunt, impugnarent, ac damnarent. Constat denique 4. ex Augustino, ita præ populi manibus fuisse versionem illam, ut plerique ignorarent, an alia esset: *Hanc*, inquit S. Doctor lib. 18. de civit. Dei cap. 43. *quæ Septuaginta est, tanquam sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, quorum plerique, utrùm alia sit aliqua, ignorant.* Ergo his etiam temporibus, versio Septuaginta Interpretum est authentica; nam impossibile est, ut quoad fidem, & mores, corrupta fuerit versio, quæ tanto in pretio fuit in Ecclesiis quinque priorum sæculorum.

Confirmatur 1. iis omnibus argumentis, quibus superius ostensum est, integros esse, quoad fidem, & mores, Hebraicos veteris testamenti, & novi Græcos fontes.

Confirmatur 2. Ecclesia Græca semper usa est, & his etiam temporibus utitur, tum in populo docendo, tum in definiendis dogmatibus, versione, de qua agitur; eam summa cura, summo studio conservavit antiquitùs: quis igitur in animum inducat suum, illam amplissimam, quæ tot viros sanctos & doctos genuit, non conservasse integram, & sanam Scripturam, quam patria lingua habuit ab initio, quæque fuit in quotidiano illius usu?

Confirmatur 3. authoritate Sixti Papæ V. Probavit laudatus Pontifex eam versionem studio Cardinalis Caraffæ, Apostolici Bibliothecarii, anno 1582. editam ex antiquissimo Bibliothecæ Vaticanæ codice: *Volumus*, inquit in suo diplomate, *& sancimus ad Dei gloriam, & Ecclesiæ utilitatem, ut vetus Græcum testamentum juxta* lxx. *ita recognitum, & expolitum, ab omnibus recipiatur, & retineatur: quò potissimum ad Latinæ vulgatæ editionis, & veterum SS. Patrum, intelligentiam utantur; prohibentes, ut quis de hac nova Græca editione audeat in posterum quicquam immutare.*

Objicies 1. Aristæo teste, summa erat versionis Septuaginta Interpretum, cum Hebraico textu consonantia: at deest nunc in ea, ut docet Hieronymus præfatione in Pentateuchum; in epistola ad Suniam, & Fretellam, in quæstionibus Hebraicis, in commentariis in Prophetas, in libro de optimo genere interpretandi. 2. Patres, ut videre est apud Justinum in dialogo cum Triphone, asserunt, Judæos multis in locis corrupisse versionem illam. 3. Non semel ab Origene, Luciano, Hesychio, Hieronymo, fuit emendata: ergo, &c.

Nec audiendi sunt, qui respondent, Septuaginta Interpretes, ex Spiritus sancti impulsu, multa omisisse, addidisse, & quædam aliter vertisse. Nam ægrè id tulissent Judæi præ sua in Scripturas veneratione. Præterea immeritò Aristæus, Philo, & reliqui, versionis cum Hebræo textu miram consonantiam commendassent.

Resp. ea, quæ desunt, aut quæ immutata, aut correcta dicuntur, levis esse momenti; ac proindè non impedire, quin versio lxx. Interpretum non sit authentica; seu non valeat ad stabiliendam fidem, & regulandos mores: menda verò, quæ in eam librariorum negligentia irrepserunt, corrigi debent, aut ad textum Hebraicum, aut ad lectiones veterum Patrum, aut ad cohærentiam cum præcedentibus, & sequentibus; sed eæ regulæ exponentur inferiùs, ubi de vulgata Latina editione sermonem instituemus.

ARTICULUS III.

De versionibus Latinis.

Not. VErsiones Latinæ Bibliorum sunt, vel eæ, quæ factæ sunt ante Hieronymi tempora, vel

quæ editæ sunt ab ipso Hieronymo, vel quæ elapso proxime sæculo prodierunt, vel tandem ea, quam sub Vulgatæ nomine, Concilium Tridentinum authenticam declaravit.

§. I.

De Latinis Bibliorum versionibus antiquioribus.

CONCL. 1. Ante Hieronymi tempora, plures erant Latinæ veteris testamenti ex Græca versione Septuaginta, & novi testamenti ex fonte Græco, versiones.

Probatur. Hieronymus apertè conclusioni favet hisce verbis præfatione in Josue: *Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot codices, cum unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est.* Augustinus idem docet lib. 2. de doctrina Christ. cap. 11. *Qui*, inquit, *ex Hebræa lingua Scripturas in Græcam verterunt numerari possunt; Latini autem nullo modo.*

CONCL. 2. Inter varias, quæ ferebantur ante Hieronymum, Bibliorum Latinæ versiones, ea, quæ dicebatur *Itala*, obtinebat in Ecclesiis Occidentalibus.

Probatur. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 15. sic loquitur de versione, de qua est quæstio: *In ipsis interpretationibus Itala cæteris præfertur; nam est verborum tenacior, cum perspicuitate sententiæ.* Italæ illius versionis meminit Hieronymus, in caput 14. Isaiæ: meminit etiam Gregorius Magnus, præfatione in libros moralium cap. 5. ubi eam vocat *veterem*, & *vulgatam*; veterem quidem respectu earum, quas postea Hieronymus edidit; vulgatam verò, quòd in Ecclesiarum usu esset communior.

§. II.

De Bibliorum versionibus Latinis editis ab Hieronymo.

Not. Quærimus hîc 1. quoties Hieronymus vetus testamentum in Latinam linguam verterit: 2. quos verterit veteris testamenti libros: 3. quid in novi testamenti versionem Latinam contulerit: 4. quam in Ecclesiis authoritatem habuerit Hieronymi versio.

CONCL. 1. Hieronymus vetus testamentum, aliquibus tamen libris exceptis, ex Hebraico textu in linguam latinam convertit.

Probatur prior pars. Id testatur Hieronymus ipse ad calcem libri de Scriptoribus Eccles. *Novum*, inquit, *testamentum Græcæ fidei reddidi: Vetus juxtà Hebraicum transtuli.* Idem suadetur ex præfationibus ejusdem S. Doctoris, in varios veteris testamenti libros: de quibus quidem præfationibus hæc ipse habet, epistola, quæ est 31. inter Augustini epistolas: *Omnes præfationes divinorum voluminum, quas editioni nostræ, ex Hebræo in Latinum, præposuimus, explicant; quod interpretationis videlicet genus, in Scripturis Sanctis sequendum sit.* Augustinus, lib. 18. de civit. Dei cap. 43. eidem veritati suffragatur; hæc enim habet: *Non defuit temporibus nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus; qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium, easdem Scripturas converterit.*

Probatur altera pars. Eos tantum libros in Latinum convertit Hieronymus, quibus præpositæ sunt Hieronymi præfationes, ut patet ex epistola, quæ est inter Augustinianas 31. atqui non omnibus veteris testamenti libris præpositæ sunt Hieronymi præfationes, sed tantùm istis, nempè Pentateucho, Josue, Paralippomenis, Judicibus, Ruth, libris Regum in Prologo Galeato Esdræ, & Nehemiæ, Tobiæ, Judith, Esther, Job, Psalterio, Proverbiis, Ecclesiasti, Cantico Canticorum, Ezechieli, Danieli, Isaiæ, Jeremiæ, duodecim Prophetis minoribus; referuntur eæ præfationes, & in unum collectæ exhibentur ad caput Bibliorum, quæ Parisiis excudit Antonius *Vitré* anno 1662.

Hinc concluditur 1. Hieronymum non transtulisse ex Hebræo in Latinum, Ecclesiasticum, Sapientiam, Baruch: 2. transtulisse eum nonnullos libros, qui non erant in Canone Judæorum: Tobiam nimirùm, & Judith.

CONCL. 2. Hieronymus aliquos Canonis Judaici libros, ex Græca Septuaginta versione, convertit in Latinum.

Probatur. Augustinus epistola 10. ad Hieronymum, testatur, eum ex Græco in Latinum vertisse librum Job: *Job*; inquit S. Doctor, *ex Hebræo a te interpretatum, cum jam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetæ, ex Græco eloquio, versam in Latinum.* Ipse Hieronymus epist. ad Suniam, & Fretellam scribit, Psalterium vertisse in Latinum, ex *pura* versione Græca Septuaginta, prout in Origenis hexaplis habebatur. Libro 2. Apologiæ prioris, testatur, se ex eadem versione Græca Septuaginta, convertisse in Latinum Salomonis libros, Ecclesiasten nimirùm, & Proverbia; neque enim Ecclesiasticum, & Sapientiam, credidit Salomonis esse: *Quos*, ait loquens de duobus prioribus, *olim juxta Septuaginta, additis obelis, & asteriscis, in Latinum verteram.* Cur autem obelos, & asteriscos addidisset, quæsitus ab Augustino epist. 10. sic ipse respondet, epistola, quæ est 11. inter Augustini epistolas: *Quod autem quæris, cur mea prior in libris Canonicis interpretatio, asteriscos habeat, & virgulas prænotatas, & postea aliam translationem absque his signis ediderim; pace tua dixerim; videris mihi non intelligere, quod quæsisti; illa enim interpretatio, Septuaginta Interpretum est, & ubicumque virgula, id est, obeli sunt, significatur, quòd Septuaginta plus dixerint, quàm habetur in Hebræo; ubi autem asterisci, id est, stellæ prælucentes, ex Theodotionis editione additum est ab Origene; & ibi Græca transtulimus, hîc de ipso Hebraico, quod intelligebamus, expressimus, sensuum potius veritatem, quàm verborum interdum ordinem conservantes.*

CONCLUSIO 3. Hieronymus ex Græca Septuaginta versione, non convertit in Latinum omnes libros canonis Judaici. Est contra Bellarminum, nonnullosque alios.

Probatur rationibus Nicolai Serrarii: *Primò*. Hieronymus solet recensere libros, quos in Latinum vertit: At præter eos, de quibus dictum est in probatione secundæ conclusionis, nullum alium in suis operibus recenset: *Secundò*. Nullibi scribit sibi allatratum esse circa versionem ex Septuaginta interpretatione in Latinam linguam, sed si eam absolvisset, allatrassent ii, quos sæpius vocat canes, cum allatrarent propter versionem ex textu Hebraico in Latinum: *Cogor*, inquit præfatione in librum Job, *per singulos Scripturæ divinæ libros, Adversariorum respondere maledictis.* Præterea nemo ex veteribus, quidquam ex ea versione citat. *Tertiò*: Quoties Hieronymus agit de suo, in versionem Septuaginta, opere, emendationem tantum a se factam, non autem conversionem in Latinum recenset: *Memini*, ait præfatione in Paralippomena, *editionem Septuaginta translatorum, olim de Græco emendatam, tribuisse me nostris.* Tandem non integram Latinam versionem ex Septuaginta translatione, sed jam factæ correctionem ab eodem Hieronymo petit Augustinus: *Plurimum*, ait Augustinus epistola 10. cap. 4. *profueris, si eam Græcam Scripturam, quam Septuaginta operati sunt, Latinæ veritati reddideris, quæ in diversis codicibus ita varia est, ut tolerari vix possit, ita suspecta, ne in Græco aliud inveniatur, ut inde aliquid proferri, aut probari dubitetur.*

Objicies. Hieronymus epistola, quæ XI. est inter Augustini epistolas, expressè asserit, se libros Canonicos in Latinum vertisse, ex Græco Septuaginta textu: *Quod autem*, ait cap. 5. *quæritur, cur mea prior in libris Canonicis interpretatio asteriscos habeat, & virgulas prænotatas, &c. illa interpretatio Septuaginta Interpretum est, &c.*

Resp. Hieronymum loqui de sola versione libri Job: de ea enim tantùm locutus fuerat Augustinus: *Hoc addo*, ait Augustinus epist. 10. *quod posteà didicimus, Job ex Hebræo a te interpretatum, cum jam quandam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetæ, ex Græco eloquio versam in Latinum. Ubi tamen asteriscis notasti, quæ in Hebræo sunt, & in Græco desunt, obeliscis autem, quæ in Græco inveniuntur, & in Hebræo non sunt.*

CONCL. 4. Hieronymus nusquam novum testamentum vertit ex Græco textu in Latinum, sed ad Græcum textum illud emendavit.

Probatur. Ipse Hieronymus, cum agit de sua in novum testamentum opera, nusquam ait, se illud ex Græco textu in Latinum convertisse, sed emendasse tantùm, ad Græcum textum. Sic loquitur in præfatione ad Damasum Papam: *Novum opus me facere cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam, & quia inter se variant, quæ sint illa, quæ cum Græca consentiant veritate, decernam.* Hæc etiam habet ad calcem libri de Viris illustribus: *Novum testamentum Græcæ veritati reddidi.*

Objicies. Augustinus epist. 10. cap. 4. scribit novum testamentum ex Græco in Latinum fuisse versum ab Hieronymo: *Non parvas*, inquit, *Deo gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpretatus es.*

Resp. In Augustini epistola vocem hanc: *Interpretatus es*, sumi debere pro hac alia, *Emendasti*. Ratio est, quia sic eam explicat ipse Hieronymus, ad Augustinum rescribens: *Etsi me, ut dicis*, inquit epist. quæ est inter Augustinianas 11. *in novi testamenti emendatione suscipis, exponisque causam, cur suscipias, &c.*

CONCL. 5. Summo plausu recepta fuit emendatio Latina novi testamenti, ab Hieronymo ad textum Græcum edita.

Probatur. Augustinus conclusionem apertè tradit epist. 10. cap. 4. ubi sic loquitur: *Non parvas Deo gratias agimus de opere tuo, quòd Evangelium ex Græco interpretatus es; quia pene in omnibus nulla offensio est, cum Scripturam Græcam contulerimus.* Nec mirum, siquidem jussu, & authoritate Damasi Papæ, Hieronymus emendationem illam susceptam absolverat: *Adversus quam invidiam*, inquit in præfatione in Evangelia, Damasum alloquens, *duplex me causa consolatur, quod & tu, qui summus Sacerdos es, fieri jubes.*

CONCL. 6. Hieronymi versio Latina, ex Hebræo veteris testamenti textu, statim non obtinuit in Ecclesia; obtinuit tamen posteà.

Probatur prior pars 1. S. Hieronymus variis in locis scribit, se tanquam sacrilegum apud plures audisse, quòd ejus versio ex Hebræo in Latinum, multis in capitibus dissideret a Græca versione Septuaginta Interpretum, quæ tunc in omnibus Ecclesiis legebatur: *Cogor*, ait in præfatione in librum Job, *per singulos divinæ Scripturæ libros, Adversariorum respondere maledictis, qui interpretationem meam, reprehensionem Septuaginta interpretum criminantur.*

Probatur 2. Augustinus epist. 10. scribit, obstituros esse plurimos, si Hieronymi interpretatio in Ecclesiis legatur: *Perdurum erit enim*, inquit cap. 3. *si tua interpretatio per multas Ecclesias frequentius cœperit lectitari*; rationem reddit, *quod*, ait, *à Græcis Ecclesiis, Latinæ Ecclesiæ dissonabunt*. Subjicit S. Doctor factum, quod contigit in quodam Episcopo. Illi, cum ex interpretatione Hieronymi, aliquid de Jona legeret diversum ab eo, quod in codicibus Græcis reperitur, adeò obstitutum est, ut periculum fuerit, ne vitam cum sacerdotio amitteret: *Factus est*, ait ibidem, *tantus tumultus in plebe, maxime Græcis arguentibus, & inflammantibus calumniam falsitatis, ut coactus sit homo, velut mendositatem corrigere volens, post magnum periculum non remanere sine plebe.*

Probatur altera conclusionis pars. Gregorius Magnus, præfatione in libros moralium, cap. 5. scribit, suo tempore Romanam Ecclesiam utraque versione uti consuevisse; vetere nimirùm, hoc est facta ex Septuaginta translatione; & nova, id est, edita ab Hieronymo ex Hebræo in Latinum: *Novam translationem dissero*, inquit in sua ad Leandrum in moralium libros epistola; *sed ut comprobationis causa exigit, nunc novam, nunc veterem per testimonia assumo: ut quia Sedes Apostolica, cui, authore Deo, præsideo, utraque utitur, mei quoque labor studii, ex utraque fulciatur.*

§. III.

De Bibliorum versionibus Latinis, editis elapso proximè sæculo.

Not. Bibliorum versiones Latinæ recentiores, factæ sunt, aut a Catholicis, aut ab Heterodoxis; de utrisque nonnihil hìc dicendum est.

CONCL. 1. Multæ sunt recentiores Bibliorum versiones a Catholicis factæ.

Probatur enumeratione præcipuarum: *Prima* est Santis Pagnini Lucensis, anno 1528. de qua Genebrardus in præfatione ad Origenem: *Secunda* est Isidori Clari Brixiani; illius meminit Canus locorum Theologicorum lib. 2. cap. 13. *Tertia* est Ariæ Montani: *Quarta* est Vatabli Parisiensis professoris; illius nimirùm nomine commendata est a Roberto Stephano in editione Bibliorum, quam Parisiis edidit anno 1545. Vatabli tamen esse, negat Genebrardus præfatione in Origenem.

CONCL. 2. Variæ, elapso proximè sæculo, prodierunt ab Heterodoxis Bibliorum Latinæ versiones.

Probatur enumeratione; *Prima*, quæ est Munsteri versio, prodiit anno 1525. *Secunda* est Oecolampadii, anno 1535. *Tertia*, Leonis Judæ, qui ex Judæo factus Zuinglianus, Biblia Latinè vertit: ea versio vulgò dicitur Tigurina, quod anno 1544. Tiguri edita sit: *Quarta*, Sebastiani Castalionis, quæ typis mandata est Basileæ, anno 1556. *Quinta*, Junii, ac Tremellii Heidelbergensium professorum; edita fuit Genevæ anno 1590. & postea Hannoniæ anno 1592. Iis versionibus Genebrardus, præfatione in Origenem, addidit versionem Genevensium, *quæ quidem*, inquit, *est rapsodia assuta è variis, Santis, Munsteri, Vatabli, & reliquorum centonibus, & pannis.*

Præter eas omnium Bibliorum versiones, Latinæ sunt aliæ nonnullorum tantùm librorum, tum a Catholicis, tum ab Heterodoxis editæ; de quibus, qui plura voluerit, poterit Serarium adire, cap. 18. Prolegomenorum Bibliacorum.

§. IV.

De vulgata versione Latina.

Not. De vulgata versione Latina quæri potest 1. quisnam sit illius author: 2. quænam olim fuerit illius in Ecclesiis authoritas, & quam nunc habeat a Concilio Tridentino; 3. utrùm ab ipso Concilio Hebraicis, & Græcis fontibus antepositæ fuerit: 4. an in ea nulla omninò sint menda, quæ correctione indigeant.

De

De authore vulgatæ versionis Latinæ.

Not. 1. Circa propositam quæstionem, triplex est theologorum sententia. Prima, docet vulgatam nostram, esse antiquam illam, quæ *Itala* dicebatur, & qua utebantur Occidentales Ecclesiæ ante Hieronymi tempora. Secunda, quæ est Augustini Eugubini, & Pici Mirandulani, asserit, quoad vetus testamentum, esse eam, quam ex Hebraico textu edidit Hieronymus, & quoad novum, eam esse, quam idem ipse Hieronymus ad Græcum fontem correxit. Tertia, quæ est Joannis Driedonis, & Sixti Senensis, lib. 8. Bibliothecæ sanctæ, censet, nostram vulgatam esse mixtam, tū ex Itala versione, tum ex ea, quam Hieronymus edidit.

Not. 2. Ex iis, quibus placet, vulgatam esse mixtam ex vetere Latina, & nova Hieronymi, nonnulli docent, plures integros libros esse ex antiqua versione, & alios etiam integros, esse ex versione Hieronymi: ita Bellarminus de verbo Dei lib. 2. cap. 8. Alii contendunt, ne unum quidem librum esse omninò, aut ex antiqua versione, aut ex nova Hieronymi, sed esse ex utraque ab incerto authore mixtum; ita Baronius tomo 2. Sixtus Senensis Biblioth. lib. 8.

CONCL. 1. Vulgata novi testamenti versio Latina, antiqua est versio, sed ab Hieronymo ad textum Græcum emendata.

Probatur. Antiqua versio ab Hieronymo emendata, obtinuit olim in Ecclesiis; idque patet, tum ex eo, quod eam Damasi Papæ jussu adornarit, tum ex eo, quod Augustino teste epist. 10. ab omnibus probata fuerit: atqui rejecta non fuit, imò retenta, versio, quæ peracta fuit jussu Summi Pontificis, & ab omnibus probata: ergo, &c.

Probatur 2. Quæ in veteri vulgata Hieronymus correxerat, majori ex parte correcta leguntur in nostra vulgata novi testamenti; exempli gratia, in antiqua versione, Matthæi 2. legebatur: *In Bethleem Judææ*; Hieronymus in Commentario ejusdem cap. 2. docet legendum: *In Bethleem Juda*; sic verò in nostra vulgata legitur. Lib. 1. in Jovinianum, reprehendit illud veteris versionis, 1. ad Corinthios 7. *Divisa est mulier, & virgo*, & legi vult, quod jam legitur: *Mulier innupta, & virgo*. In epistola ad Marcellam, arguit illud veteris versionis, ad Rom. 12. *Tempori servientes*; aitque legendum, ut nunc legitur in nostra vulgata: *Domino servientes*.

Objicies. In nostra novi testamenti vulgata versione plura desunt, quæ Hieronymus in antiqua versione emendanda duxerat; ergo vulgata novi testamenti versio non est ea, quam Hieronymus emendavit. Probatur anteced. Nostra vulgata ad Rom. 12. legit, *Sapere ad sobrietatem*; Hieronymus tamen lib. 1. in Jovinianum, legi vult, *Sapere ad pudicitiam*. Legit quoque, 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam*; quamvis idem S. Doctor in caput 5. epist. ad Galat. legendum censuerit: *Ita ut glorier*.

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Hieronymus in antiqua novi testamenti versione non mutavit quæcumque mutanda censuerat, ne scilicet plurium, qui antiquæ versioni assueti erant, animum offenderet: *Ita*, inquit in præfatione ad Damasum, *calamo temperavimus, ut his tantùm, quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua remanêre pateremur, ut fuerant.*

CONCL. 2. Nostra vulgata veteris testamenti versio, aliquibus libris exceptis, non est antiqua versio, quæ Hieronymi tempora præcessit; sed quam ex textu Hebraico ipse Hieronymus edidit.

Probatur 1. prior pars. Antiqua versio Latina, quæ fuit ante Hieronymum, facta est, ut superiùs observatum est, ex Græca versione Septuaginta interpretum: atqui nostra vulgata non est facta ex Græca versione; innumeris enim in locis ab ea dissidet: ergo facta est ex Hebræo textu, quippè maximè cum ipso cohæret. Sed solus Hieronymus author est versionis Latinæ, quæ facta est ex Hebræo textu: ergo, &c.

Probatur 2. eadem prior pars. Ea versio non est antiqua versio, sed versio Hieronymi, quæ continet omnia, quæ, ex eodem S. Hieronymo, desiderabantur in antiqua versione Latina: atqui nostra vulgata continet ea omnia, ut sunt: *Ex Ægypto vocavi filium meum*: *Videbunt in quem transfixerunt*; & alia plurima, quæ retulimus agentes de Græca versione Septuaginta Interpretum: ergo, &c.

Probatur 3. eadem pars. Patres cum de nostra vulgata loquuntur, eam sub Hieronymi nomine laudant: *Sancti Hieronymi editione*, inquit Isidorus lib. 6. etymol. cap. 5. *omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur*. Hugo Victorinus lib. de Scripturis cap. 9. hæc habet: *Hieronymi translatio, quia Hebraicæ veritati concordare magis probata est, idcircò Ecclesia Christi per universam Latinitatem, præ cæteris omnibus translationibus, quas vitiosa interpretatio, sive prima de Hebræo in Græcum, sive secunda de Græco in Latinum facta corruperat, hanc solam legendam, & in authoritate habendam constituit.*

Probatur 1. altera conclusionis pars. Vulgata nostra Psalterii versio, diversa est omninò ab iis, quas Hieronymus edidit, tum ex Hebræo textu, tum ex Græca editione Septuaginta; idque facilè quisque advertet, qui duplicem illam versionem Psalterii factam ab Hieronymo, quæque integra inter ejus opera reperitur, cum nostra vulgata comparaverit. Est igitur nostra vulgata eadem hoc in capite cum versione *Itala*, quæ præcessit Hieronymi tempora, quam tamen ipse correxit; idque colligitur ex ejusdem S. Doctoris epistola ad Suriam & Fretellam.

Probatur 2. eadem secunda conclusionis pars. Ille non est author Latinæ versionis, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Macchabæorum, qui eos libros nusquam in Latinum transtulit: atqui, ut suo loco dictum est, Hieronymus nusquam illos libros in Latinum transtulit. Si quis autem quærat, quis ergo, hoc in capite, sit nostræ vulgatæ author? Dicendum erit, eam esse antiquam versionem *Italam*, de qua Augustinus libr. de doctrina Christiana cap. 15. loquitur.

Objicies in priorem conclusionis partem: *Primo*. Nostra vulgata pluribus in locis dissidet ab Hebraico textu: non dissideret verò, si esset Hieronymi, viri, ut ait Augustinus, trium linguarum peritissimi: *Secundo*. In nostra vulgata non sunt asterisci & obeli, quibus, ut ipse testatur Hieronymus præfat. in Psalm & in Job. suam versionem Latinam distinxerat: *Tertio*. In nostra vulgata reperiuntur plurima, quæ S. Hieronymus aliter legenda duxerat, tum in quæstionibus Hebraicis, tum in libro de optimo genere interpretandi, tum in commentariis in Prophetas.

Resp. ad 1. Differentiam, quæ objicitur, oriri aut ex librariorum incuria, aut ex eo, quod Hieronymus, ut faciendum docet in libro de optimo genere interpretandi, magis ad Hebraici textus sensum, quam ad verba attenderit.

Ad 2. dico, nodum illum ab Hieronymo solvi, in epist. ad Augustinum, quæ est inter Augustini epistolas 11. scilicet ibi asserit, se solam versionem Job, & aliorum librorum, quos ex Septnaginta editione transtulit, distinxisse per asteriscos, & obelos.

Ad 3. Respondet Bellarminus, multis de causis accidisse, ut quædam sint in nostra vulgata, quæ aliter legen-

legenda duxit Hieronymus. Prima, est error, & incuria librariorum; secunda, varia significatio vocabulorum, quæ proinde modò in unum sensum, modò in alterum sumpta sunt ab Hieronymo; tertia est, quod ipse priorem suam sententiam nonnunquam mutaverit; ac proinde aliter legerit in sua versione, quam priùs in suis operibus legendum duxerat.

Quæres, an vulgata nostra Latina, sit omninò eadem cum versione Hieronymi ex Hebræo, ita ut eadem verba contineat?

Resp. majori ex parte eam continere eadem verba, quæ continet Hieronymi versio; nemo tamen asseret, ubique esse omninò eadem verba; sed cum denominatio fiat ex majori parte, jure, ac meritò vulgata nostra dicitur esse Hieronymi versio.

Quam olim habuerit, & nunc habeat authoritatem vulgata Latina versio?

Not. Vulgata nostra versio Latina, potest comparari ad libros, aut veteris testamenti, aut novi: quærendum est igitur, quam authoritatem habuerit, & nunc habeat ad utrumque testamentum comparata?

CONCL. 1. Vulgata nostra versio novi testamenti, statim post sui editionem, obtinuit in Ecclesiis.

Probatur. Ex dictis, vulgata nostra versio novi testamenti, est eadem cum Itala, quam Hieronymus ad textum Græcum emendavit jussu Damasi Papæ: atqui versio Latina novi testamenti, quam S. Hieronymus ad Græcum textum emendavit, statim obtinuit in Ecclesiis Occidentalibus; nempe id docet Augustinus epist. 10. quæ est ad Hieronymum; verba laudata sunt superiùs Parag. 2. conclus. 5.

CONCLUSIO 2. Vulgata nostra veteris testamenti versio, statim admissa fuit in aliquibus Ecclesiis, sed non in omnibus.

Probatur. Ex dictis, nostra vulgata versio veteris testamenti, eadem est cum versione Latina Hieronymi ex textu Hebraico: atqui ea Hieronymi versio admissa fuit in aliquibus Ecclesiis; id enim patet ex apologiis, & præfationibus ejusdem Hieronymi, nec non ex Augustino lib. 18. de civit. cap. 43. sed admissa non fuit in omnibus; imò à pluribus fuit statim rejecta, ut superiùs Parag. 2. Conclus. 6. demonstratum est.

CONCLUSIO 3. Post Hieronymi mortem, nostra veteris testamenti versio vulgata obtinuit in Ecclesia Romana cum Itala, seu antiquiore versione Latina.

Probatur: Hieronymi versio obtinuit cum Itala, ut superiùs ostensum est ex Gregorio Magno: ergò & nostra vulgata.

CONCLUSIO 4. À septimo sæculo, usque ad Concilium Tridentinum, vulgata nostra versio obtinuit sola, in omnibus Ecclesiis Occidentalibus.

Probatur 1. Paulatim evanuerunt aliæ omnes versiones, etiam quæ Itala dicebatur; quippe post septimum sæculum, nemo illius meminit præter Isidorum, etymol. lib. 6. cap. 5. *Secundò.* Post Gregorium Magnum, omnes in toto Occidente nostram vulgatam versionem legere cœperunt, retinueruntque solam velut Hebraicæ veritati magis consonam; unde in homiliis, concionibus, commentariis, disquisitionibus theologicis, synodis, nullam aliam citarunt.

Quæres, an eo tempore, quod à Gregorio Magno fluxit usque ad Concilium Tridentinum, esset aliqua constitutio Ecclesiastica, qua solius nostræ vulgatæ usus præciperetur?

Resp. nullam, aut in decretis Summorum Pontificum, aut in Conciliorum canonibus, aut in Ecclesiarum particularium statutis, legi constitutionem, quæ ante Concilium Tridentinum, vulgatæ nostræ versionis usum positivè præscripserit.

Dices. Hugo Victorinus, meminit Ecclesiastici præcepti de usu vulgatæ editionis: hæc enim habet lib. de scripturis, cap. 9. *Ecclesia Christi per universam Latinitatem . . . . versionem hanc solam legendam, & in authoritate habendam constituit.*

Sed contra est 1. quia Hugo Victorinus non refert Synodum, Pontificem Maximum, ex quibus hauserit constitutionem, de qua loquitur: 2. dici potest, consuetudinem, per quam vulgatæ versionis usus invaluerat, fuisse constitutionis loco.

CONCLUSIO 5. Vulgata nostra versio post Concilium Tridentinum est authentica.

Probatur. Concilium Tridentinum sess. 4. decreto de editione, & usu sacrorum librorum, sic loquitur: *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, & declarat, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere, quovis prætextu, audeat, vel præsumat.* Quod mox laudatum est Concilii decretum, variè vellicant Heterodoxi: necesse est igitur, ut speciatim illud explicemus.

Explicatur Concilii Tridentini decretum circa vulgatæ editionis authenticitatem.

Not. Recensiores Hæretici in Concilii Tridentini decreto impugnant, 1. vocem hanc: *Authentica:* quasi verò, inquiunt, aliqua versio Hebraicis, aut Græcis fontibus anteferri possit: *Decernunt*, ait Calvinus in antidoto sessionis 4. *etiamsi ex fonte ipso purum liquorem proferant, etiamsi ex certa veritate falsum coarguant, minimè esse audiendos.* Impugnant 2. verba ista: *Nemo illam rejicere, quovis prætextu, audeat, vel præsumat;* eò quòd, inquiunt, constet, vulgatam multis erroribus scatere: *Qui linguas tenent*, ait idem Calvinus in antidoto, *hanc interpretationem deprehendunt infinitis erratis scatere, idque apertissimis planum faciunt demonstrationibus.*

Not. 2. Nonnulli è catholicis contendunt: 1. vocem, *Authenticam*, significare, nulla omninò, ne levia quidem menda reperiri in vulgata nostra versione. Contendunt 2. Concilium declarasse, nec textum Hebraicum veteris testamenti, nec Græcum novi, qui in Bibliis leguntur, esse authenticos, seu, non esse primævos, ac germanos Scripturarum fontes: hoc est, non esse textus, quibus primùm a Prophetis & Apostolis libri canonici conscripti sunt. Quid nos de iis controversiis sentiamus, sequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Concilium Tridentinum vulgatam Latinam versionem non antepoluit Hebraicis, aut Græcis fontibus. Est contra Heterodoxorum calumniam.

Probatur 1. Concilium Tridentinum vulgatam versionem Latinam non anteposuit fontibus, cum quibus eam nullo modo comparavit: atqui vulgatam versionem Latinam nullo modo comparavit cum Hebraicis, aut Græcis fontibus; quippe illorum, ne implicitè quidem, meminit.

Probatur 2. Antelatio illa, quam Heterodoxi imponunt Concilio, est contra illius scopum: Nam Concilii scopus erat decernere, quænam inter varias *Latinas* editiones, quæ tunc circumferebantur, esset optima, quænam aptior esset ad confirmandam fidem, & regulandos mores: idque patet ex hac ipsiusmet Concilii præfatiuncula: *Considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat.*

Pro-

Probatur 3. Non ultimi è Theologis catholicis, scribunt id, quod Heterodoxi contendunt, Concilio nusquam venisse in mentem. Bellarminus de verbo Dei lib. 2. cap. 10. sic loquitur: *Hoc ideò mendacium voco, quòd nihil ejusmodi in Decreto legatur. Nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt.* Sic etiam Alphonsus Salmero, Prolegomeno 3. in secunda disputatione de Latina versione: *Nihil ibi*, in Concilio, *de exemplaribus, aut Græcis, aut Hebraicis, agebatur; tantùm inter tot editiones Latinas, quot nostra secula parturierunt, quænam ex illis præstaret, sermo erat: & rejectis reliquis Latinis, unam hanc vulgatam, reliquis tanquam veriorem, puriorem, dilucidiorem, ac suis fontibus, unde est orta, magis consentientem pronuntiavit; atque huic soli, ut commentariis & scholiis illustretur, contulit.*

CONCLUSIO 2. Concilium Tridentinum vulgatam editionem non eo sensu declaravit authenticam, quòd textus Hebraicus, & Græcus, qui leguntur in Bibliis, non sint authentici.

Probatur 1. Ut mox observatum est, Concilium in suo decreto ne meminit quidem textus Hebraici, aut textus Græci: *Secundò*. Si ex Concilii decreto inferri posset, textum Hebraicum, & textum Græcum, prout in hodiernis Bibliis leguntur, non esse authenticos, id fieret quòd authenticitas vulgatæ versionis stare non posset cum authenticitate textuum Hebraicorum, & Græcorum, qui leguntur in hodiernis Bibliis: atqui revera stare potest; neque enim authenticitas unius instrumenti excludit authenticitatem alterius, quod diversi est generis.

CONCLUSIO 3. Concilium Tridentinum non eo sensu vulgatam declaravit authenticam, quod nulla omninò errata, seu, menda, in ea reperiantur.

Probatur 1. Eo tempore, quo Sacra Synodus decretum suum de vulgari editione promulgavit, selectis Doctoribus mandavit, ut illius emendationi sedulò incumberent: non arbitrabatur ergo, eam esse ab omnibus mendis, vel levissimis immunem. *Secundò*, Concilii Tridentini mandatum exequi conatus est Pius Papa IV. quo Pontifice finitum fuit Concilium: *Pius IV. Pontifex Maximus* (verba sunt præfationis in editionem Romanam Bibliorum) *lectissimis aliquot Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque tum Sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritissimis viris, eam provinciam demandavit, ut vulgatam editionem Latinam, adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis, inspectis quoque Hebraicis, Græcisque Bibliorum fontibus, consultis denique veterum Patrum commentariis, accuratissimè castigarent.* Addit eadem præfatio, Pium V. idem institutum prosecutum fuisse: addit iterùm Sixti V. jussu ad exitum perductum fuisse, quod incœperant Pius IV. & Pius V. Prodiit anno 1589. Sixti V. constitutio de vulgatæ versionis correctione, incipitque: *Æternus ille cœlestium.* Post Sixtinam illam correctionem, iterùm emendata fuit nostra vulgata versio, Romæ sedente Clemente VIII. *Tandem*, ait præfationis author, *sub initium Pontificatus Clementis VIII. opus, in quod Sixtus V. intenderat, perfectum est.*

Objicies. Si essent menda, aut errata quædam in vulgata editione, rejici posset aliquibus in locis sub prætextu eorum mendorum, ac erratorum: atqui sub eo prætextu nullis in locis rejici potest; id enim prohibet Concilii Tridentini decretum: *Ut*, inquit, *nemo illam rejicere, quovis prætextu, audeat, vel præsumat.*

Resp. neg. min. Ad cujus probationem dico, Concilii verba intelligi de rebus alicujus momenti, seu quæ ad fidem, aut mores spectant. Responsioni lux affulgebit ex sequenti conclusione.

CONCLVSIO 4. Eo tantùm sensu vulgata versio Latina a Concilio Tridentino declarata fuit autentica, quòd in iis, quæ sunt alicujus momenti, non discrepet a primario, & vero divinæ Scripturæ sensu: quod corrupta non sit in capitibus, quæ ad fidem, aut mores pertinent.

Probatur ex scopo Concilii. Concilium Tridentinum, ut superiùs dictum est, hoc unum definire voluit, nostram vulgatam valere ad faciendam fidem: nam id significat vox *Authenticam*: quippe ea vox significat instrumentum, quod in judicio dignum est fide, seu, cujus testimonium negari non debet: atqui ad hoc satis fuit declarare, quod in iis, quæ sunt alicujus momenti, vulgata nostra non discrepet à vero Scripturæ sensu, quòd corrupta non sit in capitibus, quæ ad fidem, aut mores spectant: ergo, &c.

Probatur testimonio plurium Theologorum. Melchior Canus de locis theol. lib. 2. cap. 13. conclus. 1. asserit, vulgatam retineri debere *in his omnibus, quæ ad fidem, & mores spectant.* Andræas Vega lib. 15. in Concil. Trident. cap. 9. sic loquitur: *Eatenus voluit synodus, eam authenticam haberi, ut certum omnibus esset, nullo eam fœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide, & moribus colligi posset.* Eò autem majoris est momenti Vegæ testimonium, quòd theologus adfuerit Concilio Tridentino; ipsi etiam sessioni 4. in qua legitur decretum de authenticitate vulgatæ editionis.

Bellarminus lib. 2. cap. 11. de verbo Dei, hæc scribit: *Certos nos voluit reddere Ecclesia, in iis præsertim, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla esse in hac versione interpretum errata.* Sixtus Senensis lib. 8. Biblioth. fatetur, *errata quædam, & leves defectus in ea reperiri*; sed tamen eam esse *authenticam* contendit, quia *certum est*, inquit, *neque in veteri, neque in nova editione, aliquid unquam inventum esse, quod fuerit à veritate Christianæ fidei devium, falsum, ac mendax, vel contrarium dogmatibus, ac regulis Orthodoxis, vel præter veritatem additum, vel contra veritatem mutatum, vel in præjudicium veritatis omissum, vel adeò depravatum, ut occasionem perniciosè errandi attulerit.*

CONCLUSIO 5. Concilium Tridentinum jure, ac meritò declaravit, vulgatam Latinam versionem esse authenticam in sensu Conclusionis quartæ.

Probatur. Concilium declarare potuit *authenticam* versionem, qua sola per mille annos usa est Ecclesia Catholica in Occidente: atqui, ut superiùs dictum est, per mille annos Ecclesia Catholica in Occidente, sola versione vulgata usa est in Concionibus, in Conciliis, in Academiis: ergo, &c.

Probatur 2. Residet in Ecclesiæ corpore potestas judicandi absque erroris periculo, an versio aliqua sit authentica: alioquin ii, qui nesciunt linguam, quibus libri Sacri a Prophetis & Apostolis scripti sunt, nusquàm possent certi esse, se legere Dei verbum: ac proinde Augustinus, qui Hebraicam linguam nescit, qui tyro fuit in Græca, nullum librum in suis contra hæreticos disputationibus citare potuisset tanquam Dei verbum. Atqui potestas, quæ residet in Ecclesiæ corpore, maxime residet in conciliis Oecumenicis; quippè totum Ecclesiæ corpus repræsentant; ergo, &c.

Objicies. Augustinus epist. 10. scribit, Hieronymum falli potuisse in sua ex Hebræo Latina versione: *Undè etiam*, inquit, *nobis videtur, aliquando te quoque in nonnullis falli potuisse.* Ipse Hieronymus præfatione in Pentateuchum scribit, aliud esse vatem, aliud interpretem, illum errare quidem non posse, istum verò posse errare: hinque sic conficitur argumentum. Ut Concilium definire potuerit, vulgatam versionem in iis, quæ ad fidem, aut mores spectant, non discrepare a genuino & primævo scripturarum textu, debuit judicare, authorem vulgatæ versionis fuisse infallibilem: atqui id, Augustino & Hieronymo testibus, judicare non potuit, ergo, &c.

Resp. neg. maj. nempè, ut Concilium definiret, vulgatam

gatam versionem esse authenticam, satis fuit, ut judicarit illius authorem, quamvis errare potuerit, revera non erasse in iis, quæ ad fidem, aut mores spectant, seu translationem ab eo editam, in capitibus ad fidem, aut mores spectantibus, actu non discrepare a genuino scripturarum textu.

§. V.

De vernaculis Bibliorum versionibus.

Not. De vernaculis Bibliorum versionibus quæri potest 1. an omnibus jussum, aut prohibitum sit eas legere: 2. an ratione quarumdam circumstantiarum, loci, temporis, personarum, prohiberi possit lectio vernaculæ versionis Bibliorum.

CONCLUSIO 1. Omnibus nec jussum, nec prohibitum est Catholicas Bibliorum vernaculas versiones legere.

Probatur prima pars. Nullibi legitur generalis jussio legendi Biblias in linguas vernaculas conversa.

Confirmatur ex eo quòd nec Apostolis, nec aliis Apostolicis hominibus imperatum sit aliquando Biblia transferre in linguas vernaculas: unde quatuor prioribus sæculis, licet Evangelium ubique diffusum esset, Biblia non extabant, nisi aut Hebraicè, aut Græcè, aut Latinè.

Prætereà omnibus omninò hominibus nusquam præscriptum fuit, ut legere discerent, ac proinde nec imperatum, ut vernaculas, si quæ forent, bibliorum versiones legerent: imò nec legi audirent, cùm fidem ex Concionatorum sermonibus quisque discere potuerit.

Probatur altera pars. Nullibi extat prohibitio generalis, de qua hic agitur. Præterea ad hoc usque sæculum Ecclesia non aliarum, quam factarum ab hæreticis versionum, Vvaldensibus scilicet, Vvicletistis, Lutheranis, & Calvinistis, lectionem generatim prohibuit.

CONCLUSIO 2. Ecclesia potest pro ratione circumstantiarum loci, temporis, personarum, *nonnullis* interdicere vernacularum versionum, etiam Catholicarum, lectionem.

Probatur. Ecclesia id potest interdicere, quod potest esse noxium: atqui lectio bibliorum in vernaculas linguas conversorum potest esse noxia ratione circumstantiarum, aut loci, aut temporis, aut personarum. Nempe aliquibus per accidens possunt esse offendiculo, quæ de Patriarcharum polygamia, ancillarum ad uxorem unam adjunctione, Davidis adulterio leguntur. Quædam scripturarum sententiæ *per accidens* nonnullis præbere possunt occasionem errandi, aut in fide, aut in moribus. Se hoc in capite habet Ecclesia (inquit Merbesius Summæ Christianæ part.1.quæst. 59.) sicut solicita quæpiam mater, quæ infantulos adhuc teneros & imbelles non sinit desecare panem, ne se lædant inter desecandum; sed ipsamet concidit, imò sæpè mandit, & manum inserit in os pusillorum, qui gingiva adhuc toermi ipsum frangere nequeunt.

CONCLUSIO 3. Quibusdam in locis sub finem elapsi proximè sæculi Biblia vernaculè conversa, cuique passim & sine discrimine legere non licebat.

Probatur. Nonnulla sunt loca, in quibus quique fideles sine obtenta priùs facultate non permittebantur legere Biblia in linguas vernaculas ab authoribus etiam Catholicis conversa; ea verò loca erant, in quibus promulgatum fuerat Concilium Tridentinum, & in quibus obtinebat, nec abierat in desuetudinem regula quarta Indicis librorum prohibitorum editi jussu ejusdem Concilii; quæ quidem regula sic habet: *Cum experimento manifestum sit, si Sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quàm utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vèl Confessarii, Bibliorum a Catholicis authoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis argumentum capere posse: quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque ea facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.*

Ea Indicis regula apertè damnat recentiorum Hæreticorum sententiam, quæ sic habet: *Nos*, passim, inquiunt, *affirmamus 1. Scripturarum lectionem cunctis hominibus communem fieri debere: 2. nullos quantumvis imperitos ab earum lectione arcendos, aut deterrendos esse: 3. sed excitandos potiùs omnes ad eas sæpè, & diligenter legendas; 4. idque non modo, si concessa à Prælatis copia legendi fuerit, sed etiam quantumvis illi Ordinarii, & Confessores prohibuerint.*

ARTICULUS VII.

Quid inferri debeat ex iis, quæ de textu Hebraico, Græco, vulgata versione dicta sunt.

CONCL. MUlta sequuntur ex iis, quæ de textu Hebraico, Græco, vulgata editione dicta sunt.

Probatur. *Primò*, (si ut dictum est paragrapho secundo, articuli quinti) veteris testamenti textus Hebraicus, & novi testamenti Græcus sint authentici, sequitur, quòd adhiberi possint, tum ad probanda fidei dogmata, tum ad asserendas morum regulas.

Secundò. Si (ut observatum est paragrapho tertio, articuli sexti) in rebus levis momenti, menda quædam irrepserint in vulgatam versionem, sequitur, ea menda emendari posse ad Hebraicum, aut Græcum textum. Cum tamen (ut dictum est paragrapho secundo, articuli quinti) nonnulla menda irrepserint quoque in hodiernum textum Hebraicum, & Græcum, tutum non est semper, & ubique, emendare vulgatam versionem ad normam textus Hebraici, & Græci.

Tertiò. Ex eodem principio, nempè quod textus originales, & vulgata editio Latina, sint authentica, sequitur, interpretes in suis versionibus vernaculis posse sequi modò textus Hebraicos, modò Græcos, modò vulgatam editionem Latinam. Si tamen profiteantur, se vertere vulgatam editionem, suæ versionis textui inserere non possunt id quod in Hebraicis, aut Græcis textibus continetur, nisi notis quibusdam textus illos à vulgatæ editionis textu distinguant.

Quæres, quænam regulæ servari debeant, cum aut diversa, aut contraria, aut contradictoria sunt, quæ in textibus originalibus, & vulgata editione leguntur.

Resp. Salmeronem Prolegomeno 3. in secunda disputatione de versione Latina, præscribere subsequentes regulas: *Si quando contingeret*, inquit, *ut aliud legamus in vulgata, & Latina editione, aliud verò in Hebraicis, aut Græcis codicibus, si non contradicunt, sed tantum sub diversa, utraque lectio est recipienda, & catholico sensu est explicanda: si verò contradicant sibi invicem, sicut affirmatio & negatio, quod perrarum esse solet, adhibenda est diligentia, & omnis opera ponenda, si qua ratione possimus ostendere, illa in speciem tantùm, & non reipsa sibi adversari; ubi verò nulla possit iniri concordia, illi lectioni magis esset standum, quæ magis cum præcedentibus, & consequentibus consonaret, aut quæ magis conveniret cum Apostolis & Evangelicis litteris; aut quæ antiquiora, aut probatiora exemplaria pro se haberet; aut quæ à pluribus Patribus agnita est, & probata, sive sit Hebræa, sive Græca, sive Latina.*

CA-

CAPUT VIII.

De Scripturarum sensu.

Hic dicemus 1. de Scripturarum sensu in genere: 2. de sensu litterali: 3. de sensu mystico: 4. de sensu Accomodatitio: 5. quæremus ad quem spectet tradere germanum Scripturarum sensum.

ARTICULUS I.

De multiplici Scripturarum sensu in genere.

Not. Est de fide, Scripturas sub una littera continere plures sensus: Nam illud est de fide, quod expresse, aut in Scriptura, aut in traditione reperitur: atqui, quòd Scriptura sub una littera plures sensus contineat, expressè reperitur in ipsa Scriptura, & in traditione. Scriptura nimirùm, & traditio non unius tantùm loci, sed & plurium varios sensus proponunt: v.gr. quod Genesis 16. & 21. legitur de duobus Abrahæ filiis, quorum unus de ancilla, alter verò de libera natus est, Apostolus ad Gal. 4. de duobus testamentis vetere & novo interpretatur. Quod Exodi 12. ad litteram de Agno Paschali scribitur: *Nec os illius confringetis*, Joannis cap. 19. impletum est in Christo, cujus crura a Crucifixoribus confracta non fuerunt. Sed dubium esse potest, quotuplex sit multiplex ille sensus, qui Scripturis cõtinetur.

CONCLUSIO. Scripturarum sensus adæquatè dividitur in litteralem, mysticum, & accomodatitium.

Probatur. Sensus litteralis est ille, quem verba, sive proprie, sive metaphoricè accepta, immediate significant: Mysticus, qui per verba, *mediatè* quidem, sed per sensum litteralem *immediatè* significatur: Accommodatitius, qui nec immediatè, nec mediate per verba significatur, sed qui ad aliud, a theologo, aut quovis alio, applicatur. Atqui Scripturarum sensus adæquatè dividitur in sensum, qui per verba, aut immediatè, aut mediate significatur, & eum, qui ad aliud applicatur: ergo adæquatè dividitur in litteralem, mysticum seu spiritualem, & accomodatitium.

Objicies. In Scriptura continetur sensus metaphoricus, ut patet in his verbis: *Vicit leo de tribu Juda*, atqui sensus metaphoricus non reducitur, aut in litteralem, aut in mysticum, aut in accomodatitium: ergo non est adæquata tradita in conclusione divisio.

Resp. neg. min. quippè reducitur ad litteralem. Ratio est, quia juxta humanum loquendi morem, verba metaphorica non sumuntur ad litteram pro re, quam propriè significant, sed pro ea, quam significant improprie: sic, cum in Scripturis nominatur Dei brachium, sensus litteralis non est, quod in Deo sit membrum corporeum, quod brachium dicitur; sed quod sit virtus operativa, quæ eo vocabulo metaphoricè significatur.

ARTICULUS II.

De Sensu Litterali.

CONCL. Nonnunquam unus Scripturæ locus plures habet sensus litterales.

Probatur exemplis. In hac Geneseos sententia: *In principio creavit Deus cælum, & terram;* illa verba: *In principio*, duplicem habent sensum litteralem; significant enim idem, ac ista: *In principio temporis, & mundi;* aut idem, quod ista: *Ante omnia*. Priorem sensum indicavit Augustinus lib. 12. confes. cap. 20. posteriorem verò lib. 11. de civitate Dei cap. 6. Ex priore colligitur, mundum non esse æternum: ex posteriore, Angelos non fuisse creatos ante mundum corporeum. Hæc Psal. 2. sententia: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, intelligitur a Sancto Thoma de temporali Christi generatione; ab Apostolo ad Hebr. 1. de æterna; Actorum 13. de illius resurrectione: eaque triplex explicatio cum Psalmi textu maxime cohæret.

Objicies. Si unius Scripturarum textus, plures sint sensus litterales, textus ille erit ambiguus, ac proinde ineptus ad probandum fidei, aut morum principia.

Resp. ad 1. conc ant. Ad 2. neg. sequelam. Ratio est, quia ex textu ambiguo peti possunt argumenta pro duplici veritate in eo textu virtualiter contenta; inter ea autem argumenta validius erit illud, quod judicabitur ad genuinum Scripturæ sensum propiùs accedere.

Instabis. Si duplex, & quidem diversus sit sensus litteralis ejusdem Scripturarum textus, Deus, qui author est Scripturæ, dicetur præbuisse errandi occasionem.

Resp. negando sequelam. Is enim non præbet occasionem errandi, qui vult, ut Scripturam legens, eam accipiat in duplici diverso sensu, & sic Deus differt ab homine, qui utitur equivocis verbis: scilicet, iste unicum intendit sensum, & quidem diversum ab eo, quem verba præseferunt.

Quæres 2. an sit de fide, quòd nonnunquam unius textus sit duplex sensus litteralis.

Respondeo (inquit Sylvius 1. p. q. 1. art. 10.) sententiam Beati Thomæ admittentis unius Scripturæ plures sensus litterales esse valde probabilem. Ex ea autem responsione patet, persuasum fuisse Sylvio, non esse de fide, quòd aliquis Scripturæ textus plures habeat sensus litterales, unde inferri potest, eundem Authorem sensisse non esse de fide, quòd litteralis sit duplex sensus textuum, qui ad primæ hujusce articuli conclusionis probationem adducti sunt.

Quæres 2. Cum Scripturæ sensus litteralis, ut dictum est superiùs, sit duplex, proprius nimirum, & metaphoricus, quandonam sensus aliquis sumi debeat in sensu proprio, aut in sensu metaphorico?

Respondeo, Scripturæ verba, quæ aut vitium prohibent, aut præscribunt virtutis exercitium, proprie sumi debere: quæ verò, aut peccatum jubere, aut virtutis praxim vetare videntur, improprie, seu metaphorice accipienda sunt: *Preceptiva locutio* (inquit Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 16) *aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam jubens, non est figurata: si autem flagitium, aut facinus videtur jubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.* Utriusque illius acceptionis, *propria, & figurata*, exemplum profert S. Doctor in his Scripturæ verbis: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus.* Prius membrum illius sententiæ, propriè sumendum est, quòd beneficentiam præcipiat: *Hic nullo dubitante beneficentiam precipit, sed quod sequitur: Hoc enim faciens, ne dubitaveris figurate dictum: Et cum possit dupliciter interpretari, uno modo ad nocendum, altero ad præstandum; ad beneficentiam te potius charitas revocet, ut intelligas carbones ignis esse urentes pœnitentia gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo ejus miseria subvenitur.*

ARTICULUS III.

De sensu Mystico.

CONCL. Triplex est mysticus Scripturarum sensus, Allegoricus, Tropologicus, Anagogicus.

Probatur, Mysticus sensus (ut dictum est supra) est ille, qui non per verba quidem, sed per sensum litteralem verborum immediatè significatur: atqui sensus, qui per sensum litteralem verborum immediatè significatur, est vel allegoricus, vel tropologicus, vel anagogicus; si-

qui-

quidem ille sensus vel est de rebus credendis, vel de agendis, vel de sperandis: si primum, est sensus allegoricus: si secundum, est tropologicus: si tertium, est anagogicus.

Confirmatur. Res, quæ mysticè significantur, pertinent vel ad Ecclesiam militantem, vel ad triumphantem. Si ad militantem, sunt res credendæ, aut agendæ, & sic constituitur duplex prior Scripturarum sensus; si ad triumphantem, sunt res sperandæ; de quibus est sensus anagogicus.

Confirmatur iterùm exemplis. Vox hæc, *Hierusalem*, triplicem, de quo est quæstio, sensum complectitur; nam *historicè*, significat urbem illam notissimam, quæ in Palestina sita est: *Allegoricè*, sanctam Ecclesiam: *Tropologicè*, animam: *Anagogicè*, fœlicitatem æternam. Aliud exemplum legitur cap. 4. Epist. ad Galat. ibi enim hæc verba: *Abraham duos filios habuit*, continent sensum historicum, seu litteralem; hæc alia, *hæc sunt duo testamenta*, allegoricum; ista verò, *quomodo tunc is*, tropologicum: tandem ista, *illa autem, quæ sursum est Hierusalem*, sensum anagogicum complectuntur.

Quæres 1. Utrum in omnibus veteris testamenti partibus sit mysticus sensus.

Resp. in præcipuis veteris testamenti partibus reperiri sensum mysticum, non autem in minutissimis particulis.

Ratio primæ partis petitur, tum ex Scriptura, tum ex Patribus: *Hæc autem omnia* (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 10.) *in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram*. Hæc habet idem Apostolus ad Hebræos cap. 11. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem*. Hæc etiam Augustinus lib. 12. contra Faustum cap. 7. *Omnia, quæ in illis*, veteris testamenti, *continentur libris, vel de ipso*, Christo, *dicta sunt, vel propter ipsum*.

Ratio alterius partis est, quia in veteri testamento multæ sunt particulares personæ, actiones, urbes, loca, quæ per seipsa non videntur significare id, quod, aut fidei, aut morum, aut spei, objectum est; sic illa verba: *Adam cognovit uxorem suam Evam*, non aliud continere videntur, quam factum, quod iisdem verbis exprimitur.

Confirmatur ex Augustino, qui lib. 7. de civitate Dei cap. 3. sic loquitur: *Mihi sicut multùm videntur errare, qui nullas res gestas in eo genere litterarum veteris testamenti, aliquid aliud præter id, quod eo modo gesta sunt, significare arbitrantur: Ita multùm audere, qui prorsùs ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt*.

Confirmatur iterum ex Patribus, qui (ut videre est in epistolis Hieronymi) frequenter Origenem arguunt, quòd ubique allegorias inquirat, ajuntque, ipsum ea ratione ex propria veritate nonnihil detraxisse.

Quæres. Utrùm in novo testamento nonnunquam mystici sensus reperiantur?

Ratio est, quia hæc Apostoli verba ad Hebræos 13. *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes*, nonnisi mysticè exponi possunt.

Quæres 3. An sensus mysticus potius intentus fuerit à Deo, quam litteralis.

Resp. sensum mysticum, plerumque potiùs intentum fuisse, quam litteralem.

Ratio est, quia Spiritus Sanctus præcipuè eum sensum intendit, propter quem dictavit litteralem: atqui Spiritus Sanctus sensum litteralem, plerumque dictavit propter mysticum; ille enim ad istum, utpote res fidei, & morum continentem, passim ordinatur: idque videre est primæ ad Corinth. 9. ubi Apostolus tropologicè exponens hoc Moysis præceptum, *Non alligabis os bovi trituranti*, subjungit, hunc tropologicum sensum potiùs à Deo spectatum fuisse, quam litteralem: *Numquid*, ait, *de bovus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit?*

Quæres 4. An ex sensu mystico firmum argumentum semper ducatur ad probanda, tum fidei, tum morum, dogmata.

Resp. sensum litteralem in capite differre à mystico, quòd ex illo firmum semper, ac quovis in casu argumentum petatur ad fidei, aut morum dogmata: è contra verò non petatur e sensu mystico, nisi, cum ab aliquo alio Scripturæ textu, vel aliquo authoritatem habente, mysticus sensus asseritur: *Pius sensus*, inquit Hieronymus in cap. 23. Matthæi, ubi agit de fermenti explicatione, qua nonnulli utuntur, ut Trinitatis Mysterium explicent: *sed nunquam parabola, & dubia enigmatum intelligentia potest ad authoritatem dogmatum proficere*.

ARTICULUS IV.

De Sensu Accommodatitio.

Not. EX dictis, sensus accommodatitius est ille, qui Scripturæ verbis, nec mediatè, nec immediatè significatus, ad aliquid aliud applicatur.

CONCLUSIO 1. In Scripturis admitti debet sensus aliquis accommodatitius.

Probatur. Patres non rarò Scripturam applicant ad id, quod per ejus verba, nec mediatè, nec immediatè, significatur; id passim in Bernardo videre est: videre est etiam in Breviariis, & Ritualibus, v. gr. quod de Noe dicitur, Ecclesiastici 44. *Inventus est justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, jam dicitur de quolibet Confessore Pontifice.

CONCLUSIO 2. Nonnullæ sunt conditiones requisitæ, ut Scripturis adscribatur sensus accommodatitius.

Probatur enumeratione earum conditionum.

Requiritur 1. ut sensus accommodatitius ad res pias applicetur: nec enim Scripturas transferre licet ad vitia, spurcitias, facetias, prophana, aliaque ejusmodi: *Sacrosancta Synodus* (inquit Concilium Tridentinum sess. 4.) *temeritatem illam reprimere volens, qua ad prophana quæque convertuntur, & torquentur verba, & sententia Sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias, & diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat, & præcipit ad tollendam hujusmodi irreverentiam, & contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ Sacræ, ad hæc, aut similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines, temeratores, & violatores verbi Dei, juris, & arbitrii pœnis per Episcopos puniantur*.

Requiritur *secundò*, ut accommodatitius sensus non proferatur tanquam litteralis, & mysticus: praxim contrariam hisce verbis arguit Hieronymus in Epistola ad Paulinum: *Nec scire dignamur* (inquit de iis loquens, qui post sæculares litteras Scripturis student) *quid Propheta, quid Apostoli senserint, sed ad suum sensum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non vitiosissimum dicendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem*.

Requiritur *tertiò*, ut litteralis, aut misticus sensus, non tradantur tanquam accommodatitius. Peccavit eo in capite Theodorus Mosspuestenus, qui ea omnia, quæ in veteri testamento de Christo, ejusque mysteriis prædicta sunt, de eo secundùm rei eventum, accommodatitiè nimirùm, interpretabatur; sic hæc Psalmi verba: *Non derelinques animam meam in inferno*, contendebat, prædicta esse de populo Israelitico, non de Christo; ad quem tamen (inquiebat) propter rei eventum, hoc est, propter Christi resurrectionem, Petrus Actorum 2. per sensum accommodatitium transtulit.

Re-

Requiritur *quartò*, ut Scripturis ſenſus falſus non attribuatur per accommodationem. Contra regulam illam peccabant Montaniſtæ, tribuentes Montano, quæ Scriptura Paracleto tribuit.

CONCLUSIO 3. Ex ſenſu accommodatitio ſumi non poteſt firmum argumentum ad probanda fidei, aut morum dogmata.

Probatur. Ex eo ſenſu non poteſt ſumi firmum argumentum ad probanda fidei, aut morum dogmata, qui non eſt Spiritus Sancti, ſed hominis: atqui ſenſus accommodatitius non eſt Spiritus Sancti, ſed hominis; ille enim ſenſus non eſt Spiritus Sancti, qui Scripturæ verbis, nec mediatè, nec immediate, exprimitur: ſed, ut ſupra dictum eſt, ſenſus accommodatitius Scripturæ verbis, nec mediatè nec immediatè, exprimitur,

Objicies. Ex hiſtoriis, parabolis, factis, Theologi nonnunquam argumentantur: imò ipſemet Chriſtus ex iis aliquando ſumſit argumenti medium: nempe Lucæ 6. ſic arguit: In caſu neceſſitatis Davidi, ejuſque comitibus licuit Sacros Panes edere, 1. Reg. 21. ergo & in caſu neceſſitatis, licet Apoſtolis Sacro ſabbati die ſpicas vellere. Sic etiam pro Reliquiarum cultu arguunt Theologi: Arcæ fœderis in veteri teſtamento exhibita eſt veneratio, Pſal. 98. ergo quarumdam rerum inanimatarum, Reliquiarum v. gr. veneratio eſt pia, & ſancta.

Reſp. neg. ant. Ad cujus probationem dico, argumentum, quo Chriſtus pro ſuis diſcipulis contra Phariſæos uſus eſt, non fuiſſe petitum ex ſenſu accommodatitio, ſed ex litterali, nempe ex externa violatione rei ſacræ duxit argumentum ad aliam rem ſacram; oſtendit nimirùm, crimen à Phariſæis impactum diſcipulis ex prophanatione temporis ſacri, non niti aliquo fundamento, eò quòd alterius rei ſacræ violatio, ſcilicet eſus panum propoſitionis, urgente neceſſitate, in Davide, ac ſociis non fuiſſet peccatum. Eadem adhiberi debet reſponſio ad argumentum theologorum pro Reliquiarum cultu.

Inſtabis. Ille ſenſus eſt accommodatitius, qui transfertur ad aliquid aliud probandum: atqui loca Scripturæ, de quibus eſt quæſtio, Chriſtus tranſtulit ad aliud probandum, transferuntque in dies Theologi: ergo Chriſtus argumentatus eſt ex accommodatitio ſenſu.

Reſp. neg. ant. Alioquin omnis Scripturarum ſenſus erit accommodatitius: nimirùm ad aliud probandum, vel ob ſimilitudinem, vel ob aliquam aliam rationem transferri poteſt; quod eſt abſurdum.

Quæres, an Scriptura novi teſtamenti aliquando per accommodationem utatur Scriptura veteris teſtamenti?

Reſpondent affirmativè nonnulli commentatores, quibus ſubſcribit Janſenius Gandavenſis Concordiæ cap. 11. idque probant ex Matthæi ſecundo capite, ubi, inquiunt, per accommodationem laudantur hæc verba Oſeæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium*; nec non iſta aliâ, *Vox in rama audita eſt*; ex Jeremiæ cap. 31. Idem ſeotiunt de illis aliis: *Aperiam in parabolis os meum*, quæ Matth. 13. laudantur ex Pſalmo 77.

ARTICULUS V.

Ad quem ſpectet tradere germanum Scripturæ ſenſum.

Not. 1. QVæſtio, quam hic proponimus, pendet ex alia, nempè utrùm Scriptura per ſe facillima ſit, ita ut interpretatione non indigeat: ſi enim ſit ejuſmodi, ipſa per ſeſe ſui ipſius ſenſum offert cuilibet legenti.

Not. 2. Lutherus in præfatione aſſertionis articulorum, quos Papa Leo proſcripſit, contendit Scripturam per ſe ita facilem eſſe, ac claram, ut nullius, qui à textu diſtinctus ſit, authoris explicatione indigeat: addit tamen, fieri nonnunquam, ut lectores eam non intelligant, quòd aut locorum, quæ videntur obſcura, explicationem in aliis apertis locis non requirant; aut quòd in pœnam ſuæ ſuperbiæ, aut infidelitatis, divina luce priventur.

Not. 3. E contra Catholici, poſt antiquos Patres, docent Scripturam plerumque eſſe obſcuram, tum ratione rerum, quas proponit, tum ratione modi, quo eas exprimit; hincque concludunt 1. eam ſatis non eſſe, ut omnes fidei controverſias dirimat: concludunt 2. externam authoritatem requiri, quæ in iis, quæ controvertuntur, germanum Scripturæ ſenſum tradat: eam autem authoritatem contendunt non aliam eſſe, quam authoritatem Eccleſiæ, hoc eſt, paſtorum, qui ex inſtitutione Chriſti fidelibus præſunt.

CONCLUSIO 1. Scriptura quoad quædam capita, clara eſt, & perſpicua.

Probatur. In iis clara eſt Scriptura, quæ cuique legenti per ſe patent: atqui quædam Scripturæ capita, cuique legenti per ſe patent, v. gr. Deum exiſtere, Chriſtum Dominum eſſe natum, paſſum, & alia ejuſmodi.

CONCLUSIO 2. Scriptura non eſt ubique clara, & perſpicua.

Probatur 1: Ipſamet Scriptura ſui ipſius, quoad aliqua capita, obſcuritatem prædicat. Pſal. 118. David nec infidelis, nec ſuperbus, illius intelligentiam a Deo poſcit: *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam..... doce me juſtificationes tuas.* Eorum verò, quæ per ſe ſunt evidentia, intelligentia a Deo non petitur. Actorum 8. Eunuchus reginæ Æthiopum, vir pius & humilis, Hieronymo teſte in epiſt. ad Paulinum, non intelligebat Iſaiæ locum, quem legebat in ſuo curru; nam interrogatus à Philippo: *Putas intelligis quæ legis?* reſpondit: *Quomodo poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi?* Petrus 2. epiſt. capite ultimo aſſerit, in Epiſtolis Pauli, eſſe quædam difficilia intellectu, *quæ indocti & inſtabiles depravant.*

Probatur 2. Patres multam in pleriſque ſcripturæ locis obſcuritatem agnoſcunt. *Primò*, docent ſcripturas interdum eſſe obſcuras, profundas, difficiles. Ita Irenæus lib. 2. cap. 47. Origenes lib. 3. contra Celſum, S. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 6. *Secundò*, ſcribunt eas ſine magiſtro, & doctore intelligi non poſſe: ſic Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum, ſic apud Ruffinum lib. 11. cap. 9. Baſilius & Gregorius Nazianzenus. *Tertiò*, docent ſcripturam eſſe librum ſignatum, Origenes homil. 12. in Exodum: Eſſe agrum, in quo abſconditus ſit ſapientiæ theſaurus, Chryſoſtomus homil. 40. in Joannem: Eſſe arcum, ex quo tum boni, tum mali ſagittas ejaculari poſſint, Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 7. Eſſe mare, in quo ſit profunditas ſenſuum, Ambroſius Epiſt. 44. ad Conſtantium. *Quartò*, confeſſi ſunt ſe poſt ſummum, diuturnumque in ſcripturis ſtudium, pauca in iis intellexiſſe: *In ipſis ſanctis ſcripturis*, ait S. Auguſtinus Epiſt. 119. ad Januarium capite 21. *multò neſcio plura, quàm ſcio.* *Quintò*, patres factis ſuis, pluribus nimirùm editis à ſe commentariis, probarunt, Scripturam ubique non eſſe claram.

Objicies 1. Clara erat lex a Deo Judæis per Moyſen data: *Mandatum*, ait Deus Deuter. 30. *quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, neque trans mare.* 2. Apoſtolus non in ſcripturas, ſed in legentium peccata refundit earum obſcuritatem: *Quòd ſi*, inquit 2. ad Corinth. 4. *opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum, in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit oculos infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Chriſti.*

Reſp. ad 1. Deuteronomii textum intelligi non de omni veteris Teſtamenti ſcriptura, ſed de præceptis decalogi,

talogi, quæ clarè in ea continentur, quæque supra nos non sunt, cùm servari possint divinæ gratiæ auxilio: sia exponunt Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, Augustinus libro de perfectione Justitiæ.

Resp. 2. Apostolum loco laudato non loqui de Sacra Scriptura, sed de Christi fide, quam ab Apostolis clarè propositam ac prædicatam amplecti tenuerunt plurimi tum ex gentilibus, tum ex Judæis; excæcante nimirùm illos cordis iniquitate.

Objicies 2. Patres frequenter ajunt, scripturas esse intellectu maximè faciles. 1. Justinus in suo dialogo cum Triphone asserit, eas non explicatione, sed auditione tantùm indigere. 2. Chrysostomus hom. 3. in 2. ad Thessalonic. scribit, ex hominum negligentia oriri, ut illas pro concionibus explicari oporteat. 3. Gregorius ait, scripturas esse nobis lucem, lucernam; ac proindè perspicuas esse. 4. S. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana capite 6. docet, esse in scripturis textus claros, per quos explicentur qui videntur obscuri. *Magnificè*, inquit, *& salubriter Spiritus sanctus ita scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret; nihil enim de iis obscuritatibus eruit, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.*

Resp. ad 1. 2. & 3. Patres loqui vel de aliquibus tantùm scripturarum partibus, vel de capitibus, in quibus generalia quædam fidei dogmata, aut morum præcepta continentur. Ratio est, quia iidem Patres, qui aliquibus in locis docent scripturam esse intellectu facilem, in aliis locis asserunt, eam esse perobscuram; ut patet ex dictis superiùs.

Resp. ad 4. Augustinum non loqui de omnibus Scripturæ locis, quippè addit istud adverbium *ferè*, nec immeritò; nam plurimi sunt in Scriptura textus, qui per alios explicari non possunt.

CONCLUSIO. 3. Requiritur externa authoritas, quæ in plerisque capitibus tradat fidelibus germanum Scripturæ sensum. Est contra Lutheranos & Calvinistas, qui contendunt, quemque fidelem esse supremum, ac ultimum judicem circa Scripturæ sensum.

Probatur 1. Exodi 18. dubia, quæ circa Dei legem oriri poterant, non ad quemque privatum, sed ad ipsum Moysen, tanquam ad Israeliticæ Ecclesiæ Principem, referuntur. Deuteron. 17. dubia, quæ post mortem Moysis oritura erant, Ecclesiæ, non autem privatorum examini committuntur: *Si difficile, atque ambiguum apud te judicium esse perspexeris ..... venies ad sacerdotes Levitici generis, & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus.* Paralipp. cap. 19. omne de rebus sacris judicium externæ authoritati tribuitur, non autem privatorum hominum examini: *Ubicumque* (inquit rex Josaphat Sacerdotes alloquens) *quæstio est de lege, de mandata, de ceremoniis, de justificationibus: ostendite eis, ut non peccent in Dominum.* Matth. 18. hæc ait Christus: *Si Ecclesiam non audierit, sic tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Si vero ultimum de privatorum inter se litibus judicium committatur Ecclesiæ, à fortiori commissum est illi judicium de hæresi, cæterisque ad fidem, aut mores spectantibus; ac proindè de germano, aut adulterino Scripturæ sensu.

Probatur 2. Si non esset aliqua externa authoritas, quæ posset tradere certum Scripturarum sensum, Deus male consuluisset electorum saluti. Nam 1. ex electis plures sunt, qui Scripturarum sensum examinare non valent, aut præ linguarum imperitia, aut præ mentis hebetudine. 2. Ex electis nonnulli sunt, qui adhuc sunt in hæresi: at ii converti non possent; non quidem discendo veritatem ab aliquo Doctore, cum, in suppositione, quam impugnamus, nullus sit judex infallibilis controversiarum de fide & moribus: nec etiam eam discendo per internam Spiritus Sancti revelationem; quippe Sathanas seipsum nonnunquam transformat in Angelum lucis: idque patet in omnibus omninò hæreticis; quippe etsi diversa, ac contradictoria credant, dicunt omnes, se ea per internam revelationem a Spiritu sancto accepisse. Sic Lutherani docent Spiritum sanctum sibi interiùs revelare, hæc Evangelica verba: *Hoc est corpus meum*, intelligi debere de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia; è contra Zuingliani & Calvinistæ dicunt, se interius a Spiritu sancto edoceri, eadem verba intelligi tantum debere de præsentia figurativa & metaphorica.

Objicies 1. Ex Scriptura Deus interiùs docet suos prædestinatos; ergo necessaria non est externa authoritas, a qua Scripturæ sensum doceantur. Probatur ant. Hæc habet Christus Joann. 6. *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me:* hæc iterùm Joannes 10. *Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me.* Apostolus 1. ad Corinth. 2. sic loquitur: *Spiritualis autem judicat omnia, & ipse à nemine judicatur:* idem Apostolus 1. ad Thess. 5. hæc ait: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

Resp. ad 1. & 2. iis in locis agi de observatione mandatorum, quam interna sancti Spiritus unctio, hoc est, speciale gratiæ auxilium, ita prædestinatis persuadet, ut infallibiliter ea exequantur. Unde in forma. resp. conc. ant. neg. conseq.

Ad 3. dist. ant. Spiritualis autem judicat omnia, hoc est, de omni rerum genere, conc. ant. de omnibus, ac singulis rebus in individuo, neg. ant. Apostolus eo in loco hominem spiritualem opponit homini animali, atque quòd cum iste terrena tantùm, non autem ea, quæ Dei sunt percipiat, ille è contra non tantùm de rebus terrenis, sed etiam de spiritualibus judicare possit; & nonnunquam etiam de Scripturæ sensu: non ita tamen, ut certò sciat se eum assecutum fuisse; quippè sic post peccatum comparatus est homo, ut nonnunquam fallatur in iis, quæ sibi veriora videntur: idque patet in Cypriano, qui deceptus est in explicatione locorum, quæ pro Hæreticorum rebaptizatione objecit Stephani Papæ decreto.

Objicies 2. S. August. & alii Patres, cum Scripturas exponunt, suam explicationem subjiciunt aliorum judicio: ergo nec Augustinus, nec alii Patres crediderunt, convenire sibi jus tradere germanum Scripturæ sensum.

Resp. dist. conseq. Si tradant eum tanquam privati Doctores, conc. conseq. Si tanquam judices, neg. conseq. Privatus Doctor non proponit suam sententiam, ut necessariò sequendam, sed tantùm, prout ratio suadet: at judex in Conciliis eam proponit tanquam necessariò sequendam.

CONCLUSIO 4. Externa authoritas, ad quam spectat tradere germanum Scripturæ sensum, residet in supremis Ecclesiæ Pastoribus; Romano nimirùm Pontifice; & aliis orbis Episcopis.

Probatur 1. ex Scriptura, qua docemur, Episcopis præcipuè, non autem inferioribus Clericis, aut laicis hominibus, datam fuisse ligandi, ac solvendi potestatem; commissum fuisse munus docendi, ac regendi populos: *Attendite vobis*, inquit Apostolus Actorum 20. *& universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Atqui ad eos tantum spectat jus tradendi germanum Scripturæ sensum, quibus convenit jus docendi, & regendi populos; nempè in jure docendi, ac regendi continetur jus Scripturas explicandi.

Probatur 2. ex traditione. Quæ a Christo ad hoc usque sæculum exorta sunt dubia circa Scripturæ sensum, judicata fuerunt non ab hominibus laicis, aut à Clericis inferioribus, sed ab Episcopis ad Concilium congregatis; idque fusè ostendetur inferiùs, ubi de Con-

ciliis

ciliis dicetur. Satis sit hic laudare Augustinum, qui lib. 2. Retract. cap. 50. sic loquitur: *Pelagiana haresis cum suis auctoribus ab Episcopis Ecclesiæ Romanæ, prius Innocentio, deinde Zozimo, cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta, atque damnata est.*

CAPUT XI.

De singulis in specie libris Canonicis.

Not. 1. Non est animus hic edendi commentarios in singulos libros Cannonicos, sed tantùm proponendi singulorum argumentum, ut theologiæ candidati uno in loco reperiant, quid in unoquoque pertractetur.

Not. 2. Ex dictis superiùs, libri Canonici pertinent, vel ad vetus, vel ad novum testamentum: utrorumque ideam, seu argumentum, lectoribus hic exhibere conabimur.

ARTICULUS I.

Proponitur idea singulorum librorum veteris testamenti.

Not. Libri veteris testamenti, vulgò dividuntur in Legales, Historicos, Sapientiales, Propheticos.

§. I.

De libris Legalibus veteris testamenti.

Not. Libri Legales, seu, qui absolutè *Lex* dicuntur, continentur Pentateucho, hoc est quinque libris a Moyse conscriptis, Genesi nimirùm, Exodo, Numeris, Levitico, Deuteronomio.

Genesis, mundi ortum, progressus varios, ac gubernationem per annos 2369. ad obitum usque Josephi complectitur. De eo libro hæc habet Hieronymus in epistola ad Paulinum: *Manifestissima est Genesis, in qua de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum & gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum.*

Exodus, continet duram populi Israelitici in Ægypto servitutem, admirandam ejus liberationem, divinæ legis promulgationem: denique res per 145. annos gestas, scilicet a morte Josephi ad erectum tabernaculum: *Patet Exodus*, inquit ibidem Hieronymus, *cum decem plagis, cum decalogo, cum mysticis divinisque præceptis.*

Leviticus, sic dicitur, quòd in eo fusè pertractentur leges, quæ ad cæremonias & officium Levitarum pertinent; ut sunt holocausta, & reliqua sacrificiorum, atque oblationum genera: *In promptu*, ait loco laudato Hieronymus, *est Leviticus liber, in quo singula sacrificia, imo singulæ pæne syllabæ & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus spirant cælestia sacramenta.*

Numeri, sic appellantur, quòd in ipsa ejus libri fronte Moyses & Aaron totius populi, per singulas tribus, numerum ineant. Continet res gestas ab exitu ex Ægypto ad annos novem supra triginta: *Totius arithmetica*, inquit Hieronymus, *& prophetia Balaam, & quadraginta duarum per eremum mansionum mysteria continet.*

Deuteronomium, seu, secunda lex, sic dicitur, quòd data in Synai lex promulgetur coram filiis eorum, qui in deserto perierant. Incipit a brevi narratione rerum præteritarum: mox populum hortatur ad legis, quam diligenter explicat & repetit, observationem: deinde narrat ea, quæ contigerunt ab initio mensis undecimi usque ad septimum diem mensis duodecimi anni illius, qui ab exitu ex Ægypto quadragesimus est: *Deuteronomium*, verba sunt Hieronymi, *secunda lex, & evangelicæ legis præfiguratio, nonne sic ea habet, quæ priora sunt, ut tamen nova sint omnia de veteribus?*

§. II.

De libris Historicis veteris testamenti.

Libri Historici continent librum Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duos Paralippomenon, Esdræ primum & secundum, Esther, Judith, utrumque Macchabaicum.

Josue, liber, qui ab ipsomet conscriptus putatur, complectitur ea, quæ à Moysis morte ad mortem ipsiusmet Josue, hoc est, per septemdecim annos, gesta sunt. De eo hæc habet Hieronymus in epistola ad Paulinum: *Veniam ad Jesum Nave, qui typum Domini non solùm gestis, verùm etiam nomine præfert; transit Jordanem; hostium regna subvertit, dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumina Ecclesiæ, cœlestis q; Hierusalem spiritualia regna describit.*

Judicum, liber refert Israeliticæ Reipublicæ statum sub Judicibus, hoc est, magistratibus, a morte Josue usque ad mortem Samsonis, illiusque varias exhibet servitutes. Peritis videtur probabilior eorum sententia, qui censent, librum hunc referre, quæ gesta sunt per trecentos & septemdecim annos: *In Judicum libro*, ait Hieronymus, *quot principes populi, tot figuræ.*

Ruth, liber exhibet eximiæ pietatis, & divinæ providentiæ singulare exemplum. Ruth Moabitis socrum suam in patriam revertentem piè subsecuta, Boozo prædiviti secundis nuptiis jungitur, cui parit Obed Davidis avum, unde Christus secundum carnem genus traxit suum. De ea hæc habet Hieronymus: *Ruth explet vaticinium, dicentis: Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion.*

Regum, liber primus narrat res gestas, per unum supra centum annos, hoc est, sub Judicibus Heli, & Samuele, nec non sub Rege Saule: *Samuel in Heli mortuo*; ait Hieronymus in epistola ad Paulinum, *& occiso Saul veterem legem abolitam monstrat. Porrò in Sadoc, atque David novi sacerdotii sacramenta monstrat.*

Regum, liber secundus describit res gestas à morte Saulis ad finem usque Davidici regni, annorum circiter quadraginta historiam exhibens. Hunc & priorem, Samuelis nomine Hebræi inscribunt.

Regum, liber tertius incipit a Salomone, præmissa tantùm narratione, qua ostenditur, quomodo ad regnum ipse pervenerit. Regno deindè in duas partes scisso, quatuor Regum Juda, & octo Regum Israel res gestas describit. Tota hujus libri historia annos 119. complectitur.

Regum, liber quartus continet res gestas sexdecim Regum Juda, & duodecim Regum Israelis: de Elia multa dicit, nec non de Eliseo ejus comite, ac successore: estque historia 308. annorum. De hoc quarto & tertio libro Regum, hæc Hieronymus ad Paulinum scribit. *Si historiam respicias, verba simplicia sunt: si in litteris sensum latentem inspexeris, Ecclesiæ paucitas, & hæreticorum contra Ecclesiam bella narrantur.*

Paralipomenon, hoc est, rerum prætermissarum libri, duo quidem sunt in codicibus Hebræorum. In priore recensetur propagatio gentis Israeliticæ ab Adamo ad reditum usque a Babylonica captivitate. Deindè repetita à Davide historia, ejus regnum accuratiùs describitur usque ad Salomonis unctionem. In altero describitur historia a Salomone usque ad finitam captivitatem Babylonicam, seu, usque ad tempus, quo Cyrus Judæis redeundi potestatem fecit. Continet historiam annorum

norum 479. Constans est traditio, Esdram utriusque illius libri authorem esse.

Esdra, liber primus recenset ea, quæ Judæis acciderunt post reditum ex captivitate Babylonica sub Cyro rege Persarum.

Nehemia, liber ab ipso Nehemia, ejus authore nomen sortitum est. Dicitur etiam Esdræ secundus, eò quòd ex Esdræ consilio conscriptus sit. Continet instaurationem Jerosolymorum, correctionem reducis populi, & labentis divini cultus renovationem: historia est annorum circiter 83.

Judith, liber exhibet miraculosam urbis Betuliæ liberationem. Narrat, quomodo pia illa vidua Holofernem a Nabuchodonosor rege ad Judæos delendos missum, morti tradiderit. Non una est authorum opinio de tempore, quo illa historia contigit. Nonnulli eam collocant ante captivitatem, alii post reditum ex captivitate, imperantibus Persis.

Esther is, liber refert virginis Judææ, ab Assuero Persarum rege posteà ductæ in matrimonium, pietatem in gentem suam. Authore avunculo Mardocheo, persuasit Assuero, ut consuleret saluti Judæorum, quos Aman in odium Mardochei brevi erat in toto imperio morti traditurus.

Macchabæorum, libri exponunt statum Reipublicæ Judaicæ sub tertia, hoc est, Græcorum, monarchia. Exarati sunt a diversis scriptoribus, idque patet, tum ex styli diversitate, tum ex eo, quòd sæpiùs eædem res repetantur.

§. III.

De libris Sapientialibus veteris Testamenti.

Not. Ad libros Sapientiales veteris testamenti reducuntur Tobias, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus.

Tobia, liber continet eximiæ pietatis, singularis patientiæ, & Dei in suos providentiæ præclara documenta. Tobias ductus in captivitatem eo tempore, quo, capta Samaria, regnum Israeliticum eversum est, primùm bonis cumulatus est a Salmanasare, deinde a Sennacheribo, iis & exilio mulctatus est, posteà cæcitate a Deo probatus, tandem recuperato visu, ingentem ex filio sobolem reliquit.

Job, historia (ut probabilior fert sententia) contigit agentibus in deserto Judæis. Eximium exhibet in viro illo patientiæ exemplum. Præcipua, quæ in eo tractatur quæstio, est, an solos peccatores in hac vita Deus malis afficiat, an etiam pios & justos. Posteriorem partem, quæ una vera est, B. Job tuetur; priorem verò, eamque falsam, ejus amici. Verba tum Dei, quæ hic habentur, tum ipsius Job, Scripturæ Canonicæ authoritatem habent; non autem amicorum sermones, hoc est, vim non habent ad confirmandam fidem, & regulandos mores, quamvis in libro Canonico contineantur. Hi autem tres amici Job dicuntur à Patribus gessisse typum hæreticorum, nec immeritò; nempè Hæretici & Ecclesiam impugnare, & viros sanctos affligere nunquam desinent.

Psalmorum, liber David tribuitur, non quòd omnium sit author, sed quòd aliquot veteres collegerit, plurimos ipse addiderit. Aliqui quoque posterioris sunt ætatis, ab ipso Esdra, aliisque Prophetis editi. De eo libro hæc habet Hieronymus in epistola ad Paulinum: *Christum lyra personat, & ab inferis excitat resurgentem.*

Proverbiorum, liber, a Salomone exaratus, continet omnia præcepta moralia de piorum officiis, tum erga Deum, tum erga proximum.

Ecclesiastes, totus est de mundi, ac rerum mundanarum vanitate.

Canticum Canticorum, totum mysticum est, plenissimè exhibet Christi amorem in Ecclesiam, & vicissim Ecclesiæ in Christum. De triplici, quem mox recensuimus, Salomonis libro, sic loquitur Hieronymus: *Salomon pacificus & amabilis Domini, mores corrigit, naturam docet, Ecclesiam jungit & Christum, sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.*

Sapientia, liber sic appellatur, quòd de sapientia tam increata, quam creata pertractet. Dividitur in tres partes. Prima usque ad cap. 7. hortatur ad amorem sapientiæ: secunda usque ad cap. 10. explicat sapientiæ originem: tertia sapientiæ tum effectus, tum fructus proponit. Totus liber constat ex sententiis a Salomone prolatis, ut patet ex 7. vers. cap. 9.

Ecclesiasticus, eadem ferè complectitur morum principia, quæ Salomonis Ecclesiastes. Hieronymo teste, scriptus est Hebræo sermone a Jesu filio Sirach; sed evanuit Hebraicum exemplar, superest vero Græcum ab alio, Jesu illius nepote, editum.

§. IV.

De libris Propheticis veteris testamenti.

Not. 1. Prophetæ in majores quatuor, & minores duodecim, vulgò dividuntur. Majores, dicuntur ii, quorum opera sunt majora: Minores quorum minora.

Not. 2. Hebræi tres tantùm majores nominant; nam Danielem, quòd, cum esset Satrapa, propheticum vitæ genus non sectaretur, Prophetis non adscribunt.

Not. 3. Inter Prophetas, quantùm ex eorum scriptis conjicitur, hic est ordo temporis. Ozeas, Joel, Amos, Isaias, Jonas, Abdias, Michæas, Nahum, Jeremias, Sophonias, Habacuc, Daniel, Ezechiel, Aggæus, Zacharias, Malachias. Alium tamen in nostris Bibliis habent ordinem, quem hic sequemur.

Not. 4. Prophetarum initium est à rege Azaria, sive Ozia, qui anno mundi 3194. regnum auspicatus est: finis est ab extructo templo, ac reædificata urbe, hoc est, ad annum mundi 3581. hincque patet, totum illud Prophetarum tempus ad annos ferè quatercentos extendi.

Isaias, multa prædixit, quæ ad Judæorum, & finitimorum populorum, nec non Assiriorum, Babyloniorumque historiam spectant. Ita distinctè Christi, Ecclesiæque mysteria prosecutus est, ut, inquit Hieronymus, non tam Propheta dicendus sit, quam Evangelista. Cœpit vaticinari, eodem Hieronymo teste, Oziæ regis anno 25. Morti traditus est ab impio rege Manasse, qui ejus monita ferre non poterat. Præ cæteris Prophetis eminuit: 1. generis splendore, quippè natus erat ex Amoso fratre Amasiæ regis Juda: 2. vitæ sanctitate, quam illius scripta testantur: 3. eloquentia, nempè, ut ait Hieronymus, vir erat nobilis & urbanæ eloquentiæ. 4. constantia in adversis, & gloriosa morte.

Jeremias, anno vitæ, ut putat Hieronymus, circiter 15. propheticum munus obire cœpit. Versatur autem ejus prophetia in acerbissimis reprehensionibus suorum temporum, in increpationibus & lamentis; deinde verò in consolationibus Ecclesiæ graviter afflictæ: Nempè promissionibus amplissimis de regno Christi, gentibus in ejus sinum inducendis, multiplici novi testamenti gratia eam erigit, ac reficit. Suo munere functus est per annos 45. scilicet a 13. regis Josiæ, ad 5. extructæ Hierusalem, & erecti templi.

Baruch, licèt ex nobili Judæorum prosapia oriundus, scribæ officium Jeremiæ præstare non abnuit. Babylone scripsit, quò, mortuo Jeremia, se contulerat. Prædicit Judæos a captivitate Babylonica post septem generationes liberandos. Vaticinatur quoque de Christi adventu in carnem, tandem idolorum vanitatem multis prosequitur.

Ezechiel, ortus est ex nobili sacerdotum stirpe. Pro-

Prophetare cœpit in Chaldæa anno 5. post sui cum Jechonia rege Juda deportationem, usque ad annum 27, ac proinde per 22. annos vaticinatus est, quorum priores undecim concurrunt cum undecim posterioribus Jeremiæ. Quæ Jeremias de excidio urbis & templi, necnon de Babylonica captivitate prædixerat, repetit Ezechiel, ut refellat vaticinia pseudoprophetarum, qui Jeremiam falsitatis arguebant. Prædixit quoque futurum populi ex captivitate reditum, Messiæ regnum, vocationem gentium, Ecclesiæ Christianæ ex hostibus victoriam.

Daniel, ex semine regio natus, adhuc adolescens, ac penè puer, a Nabuchodonosore anno quarto regni Joachimi translatus est Babylonem. Per triennium in litteris, & lingua Chaldæorum institutus, omnibus Magis doctior inventus est. Sequenti anno, hoc est, quarto post illius deportationem, Susannam vindicavit ab iniqua senum accusatione, tuncque Prophetam agere cœpit.

Prioribus sex capitibus historiam texit ab initio regni Nabuchodonosoris ad eversum per Medos, & Persas Babylonicum imperium. A capite septimo usque ad duodecimum visa sibi divinitus revelata exponit. Plura sunt in ejus libro de Christo vaticinia: *Non solum*, ait Hieronymus, *scribit eum venturum, quod est commune cum cæteris; sed etiam quo tempore venturus sit, docet, & reges per ordinem digerit, & annos annumerat, & manifestissima signa prænunciat.*

Oseas, exhibet 1. synagogæ excidium, & Ecclesiæ vocationem: 2. Israelitarum idololatriam, aliaque scelera acriter insectatur: 3. pœnitentibus veniam, ac gloriam pollicetur.

Joel, ex Hieronymo, Oseæ fuit æqualis: illius prophetia, non ad decem tribus, ut Oseæ vaticinium, sed ad duas reliquias pertinet. Prædicit Jerosolymæ, ac totius Judææ per Chaldæos excidium; sub hocque typo, universi excidium, & extremum judicium repræsentat.

Amos, vaticinatur de regni Israel excidio: *Tulit me Dominus*, inquit cap. 7. *& dixit: Vade, propheta ad populum meum Israel.... Israel captivus migrabit de terra sua.*

Abdias, secundùm Hieronymi calculum, coævus fuit Oseæ, Joeli, & Amoso. Vaticinatur exitium adversùs Idumæos, qui filios Israel calamitatibus oppressos subsannarant. Exitium illud Idumæa passa est Sennacheribi, & Nabuchodonosoris temporibus: *Personat* (inquit Hieronymus in epistola ad Paulinum) *contra Edom sanguineum, terrenumque hominem: fratris quoque Jacob semper æmulum hasta percutit spiritali.*

Jonas, Oseæ, & Amoso, si fides Hieronymo sit adhibenda, æqualis fuit. Solus ex prophetis ad gentes missus est: *Naufragio suo passionem Domini præfigurans*, ait Hieronymus, *mundum ad pœnitentiam revocat, & sub nomine Ninive, gentibus salutem nuntiat.*

Michæas, prophetæ munus obiit sub Joatham, qui anno 758. ante Christum, regnum auspicatus est. Invehitur in idololatriam, aliaque tum duarum, tum decem tribuum scelera: utrique prænuntiat excidium, & captivitatem; istis per Assyrios, illis per Chaldæos. Tandem ex captivitate Babylonica reditum sub Cyro rege pollicetur, nec non plenissimam libertatem per Christum, quem prædicit in Bethleem nasciturum.

Nahum, sub Joatham, Josepho teste, vixit: sed ad verum accedunt propius, qui contendunt vixisse eum sub rege Achas. Prænuntiat Ninive a Chaldæis depopulationem, quod contra Domini populum superbè egisset.

Habacuc, multo tempore post Nahum prophetavit. Conqueritur 1. de sceleratissima Judæorum vita: 2. prædicit Jerosolymorum per Chaldæos, ac Chaldæorum ipsorum excidium: 3. prænuntiat Judæorum per Cyrum liberationem, ac totius humani generis per Christum: 4. tandem insigni pro ignorantiis oratione librum suum concludit.

Sophonias, scripsit Josiæ regis temporibus. 1. Judæos hortatur, ut ab idololatria, aliisque sceleribus resipiscant: 2. latæ contra Judæos primum, deinde contra alios populos, sententiæ, subjicit evangelicas promissiones de vocatione gentium, & Ecclesiæ sanctificatione per Christum conferenda.

Aggæus, urget 1. ut, repugnantibus etiam Persis, contradicentibusque Samaritanis, Dei templum extruatur: 2. Zorobabeli templi fabricam resumenti promittit, Messiam ex ejus stirpe nasciturum: 3. prædicit, quod licet ejus structura cum priore comparari non debeat, majori tamen gloria potitura sit, præsentia, doctrina, & miraculis Christi, de cujus regno multa vaticinatur.

Zacharias, Aggæi æqualis, 1. una cum ipso urget templi Jerosolymitani instaurationem: 2. Judæos monet, ne colant idola, & vitia majorum imitentur, cum eorum acerbam, per excidium & captivitatem, punitionem viderint: 3. varia prophetat Judæis ad Christum usque eventura: 4. recenset monarchiarum successiones, quæ desinent in regnum Christi, cujus vitam & passionem tanquam Evangelista describit.

Malachias, prophetarum ultimus, 1. exstructo jam templo, reprehendit conjugia cum alienigenis inita, decimarum detentionem, cultusque divini depravationem: 2. quod deinceps futuri non essent Prophetæ, populum hortatur, ut Moysis legi constanter inhæreant usque ad adventum Christi, cujus præcursorem recenset: 3. apertè prædicit synagogæ finem, & Ecclesiæ Christianæ ortum: *Malachias* (inquit Hieronymus in epistola ad Paulinum) *apertè, & in fine omnium prophetarum, de abjectione Israel, & vocatione gentium: Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Si quis quærat, cur Deus tanto tempore, hoc est, à Malachia ad Joannem usque Baptistam, Judæis nullum prophetam concesserit, cum eodem Hieronymo, comment. 13. in Isaiæ cap. 49 dicendum erit, Deum voluisse ea verbi fame Judæos facere appetentiores Messiæ, qui Prophetas omnes miraculis erat superaturus.

ARTICULUS II.

Proponitur idea singulorum librorum novi testamenti.

Not. 1. Libri novi testamenti non minus, quam libri veteris, dividi possunt in Legales, Historicos, Sapientiales, Propheticos.

Not. 2. Libri legales novi testamenti continentur quatuor Evangeliis: Historici, uno Actorum libro: Sapientiales, Apostolorum Epistolis: Prophetici, Joannis Apocalypsi.

§ I.

De quatuor Evangeliis.

Not. Evangelia (ut observat Augustinus lib. de cons. Evang. cap. 1.) inter divinas authoritates meritò excellunt, quòd in iis reddita & completa confirmentur, quæ lex, & Prophetæ prænuntiarant.

Not. 2. Cum Christus nihil ipse de seipso scripserit, divino consilio factum est, ut illius facta dictaque quatuor discipuli litteris mandaverint. Inter eos Matthæus & Joannes rem, ut viderant, narrarunt: alii duo, Marcus, & Lucas, ut acceperant ex testibus oculatis: *Quod* (ut Augustinus lib. 1. de cons. Evangel. cap. 1.) *divina providentia per Spiritum Sanctum procuratum est; ne putaretur, quod ad percipiendum & prædicandum Evangelium* inte-

intereſſet aliquid; utrum illi annuntient, qui eundem Dominum hic in carne apparentem ſecuti ſunt, an hi ex illis fideliter comperta crediderunt.

Matthæus, omnium primus æræ vulgaris 49. ſcripſit Evangelium, Hieronymo teſte; idque Jeroſolymis, ac Syriaco ſermone, quo tunc utebantur Judæi. Id verò feciſſe putatur rogatu diſcipulorum, & aliorum Apoſtolorum juſſu.

Marcus, eadem ferè, quæ Matthæus, litteris conſignavit, ſed contractius; unde ab Auguſtino dicitur Matthæi breviator. Romæ ſcripſit Chriſti an. 43. & paulò antequam Aleſandriam a Petro mitteretur.

Lucas, Antiochia Syriæ oriundus, a Paulo converſus, ejuſque comes individuus, an. Chriſti 56. ſcripſit Evangelium, prout ipſum ab eodem Paulo, cæteriſque Apoſtolis audierat. Id autem eo conſilio feciſſe tradunt, ut pſeudoapoſtolorum temeritatem confutaret, qui ut Pauli prædicationi obeſſent, aliter quam ipſe prædicabant: *Conati erant*, ait Lucas ipſe Evang. cap. 1. *narrationem rerum à Chriſto completarum ordinare*.

Joannes, reverſus ex eſilio, Nervæ anno 1. æræ vulgaris anno 96. poſt Matthæum, Marcum, & Lucam, Evangelium ſcripſit: *Coactus* (inquit Hieronymus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis) *ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, indicto etiam communi jejunio, precantibus fratribus*. Epiphanius hær. 51. obſervat, eum tunc annum nonageſimum egiſſe. Id autem operis ſuſcepit, ut hæreticos, Ebionem præſertim, & Cerinthum, Chriſti divinitatem negantes, confutaret.

§. II.

De Actibus Apoſtolorum.

Actus Apoſtolorum, à Luca conſcripti ſunt. Cum in ſuo Evangelio audita narraſſet, in Actibus viſa memorat.

Continet hic liber hiſtoriam annorum ferè 30. à morte ſcilicet Chriſti, & æræ vulgaris 33. ad biennium illud, quod in libera cuſtodia Paulus Romæ conſumpſit.

In Actibus Lucas, Pauli comes individuus, & adjutor, mirandam Eccleſiæ Chriſtianæ infantiam ponit ob oculos, deſcribit illius in omnes gentes propagationem per Apoſtolos, & præcipuè per Petrum, & Paulum.

De poſtremo illo Lucæ libro hæc habet Hieronymus ad Paulinum: *Actus Apoſtolorum nudam quidem ſonare videntur hiſtoriam, & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere: ſed ſi noverimus ſcriptorem eorum Lucam eſſe medicum, cujus laus eſt in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius, animæ languentis eſſe medicinam.*

§. III.

De Canonicis Epiſtolis.

Not. Hic non referemus Epiſtolas Canonicas eo ordine, quo in noſtris Bibliis leguntur; ſed habita ratione temporis, quo ab Apoſtolis conſcriptæ ſunt.

Petri prior, quæ eſt ad electos advenas diſperſionis Ponti, &c. habita ratione temporis, prima eſt inter Canonicas Apoſtolorum epiſtolas. Certum quidem eſt, eam ſcriptam fuiſſe, poſtquam diſcipuli jam Chriſtiani cognominari cœperant, nempè capite 4. Petrus ſic fideles appellat: *Si autem ut Chriſtianus es, &c.* ſed non conſtat, quo præciſè anno edita ſit. Aliqui cenſent, id contigiſſe, æræ vulgaris anno 52. paulò antequam Marcus, qui in fine fratribus ſalutem dicit, Alexandriam proficiſceretur. Roma miſſam teſtatur ipſemet Petrus; quippè Romam intelligit Babylonis nomine, idque propter confuſionem idololatriæ, quæ tunc in ea vigebat, ſcilicet, ut ait Leo Magnus: *Omnium gentium ſerviebat erroribus*. Tota eſt ea epiſtola in tradendis vitæ Chriſtianæ præceptis.

Petri ſecunda, eſt ad eoſdem, ad quos prior, ut patet ex his verbis cap. 3. *Hanc ecce vobis ſecundo ſcribo epiſtolam*. Scriptam eſſe anno Petri ultimo, teſtantur hæc capitis 1. verba: *Certus, quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod Dominus Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi*; ac proindè æræ noſtræ 66. quo tempore Paulus cum Petro Romæ captivus de *tempore reſolutionis ſuæ*, 2. ad Tim. 4. per revelationem admonitus, ſecundam ad Timoth. epiſtolam ſcripſit.

In hac epiſtola Petrus, 1. hortatur fideles, ut poſt ſuam mortem conſtantes ſint in fide, quam ab Apoſtolis audierant: 2. monet eos, ut fugiant errorum magiſtros; quorum mores ſtudiaque depingit.

Pauli ad Theſſalonicenſes prior, teſte Chryſoſtomo, omnium Paulinarum eſt prima, æræ noſtræ anno 52. Scripta eſt Corintho, ubi Paulus de rebus ad Theſſalonicenſes ſpectantibus per Timotheum certior factus fuerat. Ea in epiſtola Paulus, 1. laudat Theſſalonicenſes, quod in tradita ſibi fide conſtantes eſſent: 2. docet eos futuram mortuorum reſurrectionem: 3. tradit eis veram de extremo judicio doctrinam: 4. plura ſubjungit moralis Chriſtianæ principia.

Ad Theſſalonicenſes ſecunda, eodem anno, eodemque loco, quo prior, ſcripta eſt. In ea Paulus, 1. explicat, quæ in priore de die judicii, quaſi inſtante, dixerat, docens Chriſtum non priùs venturum, quàm Antichriſtus, ipſo Domini adventu deſtruendus, apparuerit: 2. excommunicationem, ni reſipiſcant, eis minatur, quos in priore tanquam otioſos & inquietos arguerat.

Ad Galatas, Epheſo ſcripſit Paulus, æræ noſtræ anno 56. Eos 1. arguit, quòd ſtatim poſt ſui diſceſſum crediſſent pſeudoapoſtolis, qui legem Moſaicam cum Evangelica neceſſariò conjungendam eſſe docuerant: 2. commendat ſui Apoſtolatus dignitatem, quòd illi pſeudomagiſtri eam elevare contenderent: 3. rationibus ex antiquo teſtamento ſumptis, eos revocat ab errore: 4. propoſitum ſibi finem opponit fini, quem pſeudoapoſtoli in Galatarum circumciſione ſibi propoſuerant.

Ad Corinthios prima, ſcripta eſt Epheſi, æræ vulgaris 57. Paulus in ea, 1. componit contentiones Corinthiorum ortas ex nimio erga magiſtros ſtudio: 2. profert excommunicationis ſententiam in Corinthium, quem publicò in inceſtu viventem toleraverant: 3. Euchariſtiæ inſtitutionem, requiſitaſque ad eam recipiendam diſpoſitiones recenſet: 4. varia tradit tum diſciplinæ, tum morum præcepta.

Ad Corinthios ſecunda, ex Macedonia, eodem quo prior, anno ſcripta eſt, hoc eſt, æræ noſtræ 57. Apoſtolus in ea, 1. gratulatur Corinthiis de ſincero erga ſe ſtudio: 2. inceſtuoſo pœnitenti communionem reddit: 3. reſpondet pſeudoapoſtolorum ſibi invidentium obtrectationibus.

Ad Romanos, epiſtola, ſcripta eſt Corintho, utraque ad Corinthios jam miſſa, æræ noſtræ anno 57. in noſtris tamen Bibliis ante alias omnes collocatur; nimirùm Biblia rationem habuerunt dignitatis, aut Eccleſiarum, aut privatorum hominum, ad quos Apoſtolus epiſtolas direxit.

Epiſtolæ occaſioni fuit contentio Judæos inter & Gentiles orta. Contendebant illi, ſe per obſervationem legis Moſaicæ veniſſe ad Chriſti fidem, & conſecutos fuiſſe juſtificationem; iſti verò per legis moralis obſervationem. Utriſque ſilentium imponit Apoſtolus, probans & Judæos, & Gentiles peccatis ſubditos fuiſſe;

cum

cum annuntiatum est eis Evangelium; hincque concludit, justificationem esse gratuitum donum; ac proindè, nec ex observatione legis, nec ex operum meritis, sed ex Christi fide proficisci.

Ad Philippenses, æræ nostræ anno 62. Paulus scripsit ex primis suis vinculis, quæ, ut constat ex Act. 28. biennio perdurarunt: 1. gratias agit de subsidio sibi in vinculis per Epaphroditum misso: 2. eos monet, ut constantes sint in fide, quam ab ipso audierant, nec obsequantur pseudoapostolis Judaizantibus, quos appellat, *canes & inimicos crucis Christi*: 4. docet, non ex lege, sed ex Christi fide veram esse justitiam.

Ad Philemonem, eodem anno 62. & eodem loco scripsit per Onesimum illius servum. Epistolæ occasionem dedit Onesimi furtum, cujus cum eum pœnituisset, & postquam Romæ, quò fugerat, baptizatus fuisset a Paulo, ab eodem cum hac epistola ad herum suum Pauli discipulum remissus est.

Ad Ephesios, Roma ex vinculis, quorum ter meminit, scripsit Paulus, æræ nostræ anno 62. In ea ep. loquitur de gratuita per Christum justificatione, ac prædestinatione: 2. Ephesios hortatur ad unitatem spiritus: 3. docet, quænam sibi invicem debeant officia vir & mulier, quid filii parentibus, & vicissim parentes filiis debeant.

Ad Colossenses, eodem anno, & ex eodem carcere scripsit per Tychicum & Onesimum. Apostolus 1. Colossenses deterret x Simonianis, qui docebant, nos accessum habere ad Deum, non per Filium, sed per Angelos; asseritque nonnisi per Christum Dei filium nos Deo reconciliari: 2. prædicat, Judaicas & Philosophicas observationes contemni debere: 3. in tertio & quarto capite totus est in tradendis vitæ Christianæ præceptis.

Ad Hebræos, scripsit Paulus ex iisdem vinculis, ut patet ex cap. 13. æræ nostræ 61. sub finem biennii, quo Romæ primùm commoratus est, Roma jam dimisso Timotheo, ut constat ex cap. 23. In hac epistola duo potissimùm agit: 1. docet, quantùm Christi sacerdotium, & sacrificium emineant supra Leviticum: 2. Hebræos consolatur, & ad fidei in Christum perseverantiam hortatur.

Ad Timotheum, priorem epistolam Philippis scripsit Paulus, cum primis suis vinculis solutus, iterùm Orientem peragraret, æræ vulgaris anno 66. Explicat omnes omninò Episcopatus partes. Timotheo, quem adhuc adolescentem Paulus Ephesiorum Episcopum consecrarat, iis S. Patris documentis opus erat.

Ad Timotheum secundam, Apostolus ex suis Secundis vinculis Roma scripsit, paulò antequam martyrium subiret; ac proindè anno æræ vulgaris 66. labente. Istius idem est ac præcedentis argumentum.

Ad Titum, epistola ejusdem est cum præcedentibus argumenti; nam 1. Titum, quem Cretensium Episcopum creaverat, admonet de presbyteris, sive Episcopis ordinandis: 2. acriter adversùs Judaizantes insurgit: 3. multa tradit morum præcepta: Scripta verò est hæc epistola Philippis, cum Paulus post prima vincula Orientem peragraret, æræ vulgaris anno 66.

Jacobi, epistolæ scopus est 1. ut Christianos ad modestiam erudiat, à vana confidentia revocet, & ad petendam a Deo sapientiam hortetur: 2. ut contra Simonianos, qui tunc Ecclesiam vexabant, doceat, fidem sine operibus ad salutem nihil prodesse.

Incertum est, cujus Jacobi sit hæc epistola, an ejus, qui filius est Zebedæi, & frater Joannis, an verò ejus, qui filius est Alphæi, & frater Judæ, quique postea consecratus est Jerosolymorum Episcopus, & cujus Paulus ad Galatas cap. 2. meminit. Eum Alphæi, non autem Zebedæi filium esse, docet Hieronymus in cap. 1. epist. ad Gal. nec immeritò; nam Zebedæi filius ab Herode necatus est, ut habetur Actor. 12. anno circiter post Christi morte n non. : at tunc (Irenæo teste lib. 3. adversùs Hæres. cap. 1.) Apostoli nullas adhuc epistolas scripserant. Præterea, ut jam observatum est, hæc epistola est contra Simonianos, qui pro solius fidei sufficientia nonnullis Pauli sententiis abutebantur; Paulus tamen nondum aliquas epistolas scripserat, cum Jacobus Zebedæi filius morti traditus est. Quo autem tempore scripta sit hæc Jacobi epistola, plane est incertum.

Judæ, fratris Jacobi filii Alphæi epistola, non argumento tantum, sed etiam verbis secundæ Petri similis est. Incertum est, quo tempore scripta sit; sed conveniunt omnes, scriptam esse post aliorum omnium, si unum Joannem excipias, Apostolorum mortem; quippè Apostolorum, qui jam è vivis excesserant, versu 27. meminit.

Joannis prior epistola scripta est, juxta veterum traditionem, ad Parthos, seu, Judæos qui in Parthia vicinisque regionibus supererant ex antiqua captivitate & dispersione, & quorum fit mentio Actor. 2. Explicantur in ea 1. Incarnationis veritas & œconomia: 2. traduntur varia, quæ tum ad fidem, tum ad mores spectant, documenta.

In Epistola secunda, Joannes 1. impugnat Basilidem ejusque sectarios, qui tunc temporis docebant, Christum non fuisse verum hominem, sed phantasma: ac proinde eum nec aliquid aut egisse aut passum fuisse: *Multi*, inquit versu 7. *seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem*. 2. gratulatur Electæ & natis ejus, quòd seductores illos non audissent. 3. vetat omnem cum eis communionem, in iis etiam, quæ ad civilem vitam spectant.

In tertia Epistola Joannes, 1. idem quod in secunda sibi proponit argumentum: 2. Gajum, ad quem scribit, monet, nè Diotrephen, sed Demetrium imitetur.

Incertum est, quo præcisè tempore tres illæ Joannis Epistolæ scriptæ sint. Probabilius est eas fuisse scriptas post Joannis ex insula Pathmos reditum paulò ante illius mortem, hoc est, æræ communis 98. nam tunc maxime temporis grassabantur Ebion, Cerinthus, & Basilides, ad quos in tribus iis Epistolis respexisse videtur.

§. IV.

De Apocalypsi.

Nihil hic dicemus de hujusce libri canonicitate, quippè de ea dictum est, ubi superiùs egimus de librorum canonicorum numero.

Apocalypsis scripta est a Joanne, dum esset in insulam Pathmos relegatus, circa annum Domitiani 14. æræ vulgaris 94. Hinc patet, Apocalypsin esse conscriptam ante Joannis, tum Evangelium, tum Epistolas.

De eo Joannis libro hæc habet Hieronymus in Epistola ad Paulinum: *Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba. Parum dixi, pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiæ*. Omnia verò ea sacramenta, omnes intelligētias nemo hactenùs clarè explicuit. Nonnullorū expositionem legere est apud Augustinum, qui lib. 20. de civitate Dei cap. 7. & sequentibus, totum caput vigesimum interpretatus est. De reliquis adeat lector Doctissimi Bossuetii Episcopi Meldensis eximium commentarium: consulat quoque Herveum nostrum, qui contentas in Apocalypsi prophetias majori ex parte, primo & altero Ecclesiæ sæculo, impletas esse contendit.

QUÆ:

QUÆSTIO II.

De Traditione.

Not. 1. NOmine traditionis intelligitur doctrina non scripta: *Si leges postules* (inquit Tertullianus libro de corona militis) *scripturam nullam invenias, traditio tibi praetenditur auctrix*: dicitur verò doctrina non scripta, non quidem quòd nullibi scripta sit, reperitur enim aut in Conciliorum Canonibus, aut in operibus Patrum; sed quòd non legatur in libris Canonicis.

Not. 2. Traditio considerata per ordinem ad objectum, triplex est, fidei nimirùm, morum, & disciplinæ: prior ad fidem spectat; altera ad mores; tertia ad disciplinam; hæc ultima dividitur in Apostolicam, & Ecclesiasticam. Illa est ritus quidam ab Apostolis primùm institutus, sed qui in eorum epistolis non legitur; hujus generis est jejunium quadragesimale: ista est consuetudo, quæ aut a Prælatis, aut a populis inchoata, deinceps tacito fidelium consensu vim legis obtinuit.

Not. 3. Traditio, quæ aut ad fidem, aut ad mores spectat: vel est divina, vel humana: Si humana sit, theologus ex ea tanquam ex medio infallibili non potest argumenta desumere: Si autem sit divina, hoc est, si Apostoli eam a Christo viva voce, aut postea Spiritu Sancto docti sint, est medium infallibile ad ea cognoscenda, quæ ad fidem, aut mores pertinent.

Not. 4. Recentiores hæretici, Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Socinus, contenderunt, nullam prorsus esse traditionem divinam: hincque concluserunt, nullum pro fide, aut moribus argumentum infallibile ex ea desumi posse, sed ex sola Scriptura, hoc est, ex solis libris Canonicis, quos fatentur divinitùs esse scriptos. E contra Catholici docent, aliquas esse traditiones divinas; unde concludunt, eas esse medium, ex quo theologi fidem, aut mores certò possunt adstruere: *Perspiciens* (inquit Tridentina Synodus sessione 49.) *hanc veritatem & disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quàm novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit author, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur.*

Not. 5. Ex iis, quæ hucusque notata sunt, patet, Catholici theologi partes esse, ut probet 1. esse aliquas divinas traditiones: 2. eas traditiones medium esse, ex quo theologia argumenta certissima pro fide, aut moribus stabiliendis desumat: 3. proferre regulas, quibus divinæ traditiones ab humanis discernantur. Verùm, ut cum methodo pertractentur eæ difficultates, tribus subsequentibus capitibus exponendæ sunt.

CAPUT I.

Utrum sint aliquæ traditiones divinæ.

Not. 1. ECclesia Christiana non minùs est antiqua, quam ipse mundus. Ubi primùm Adamus post peccatum justificatus est, cœpit religio Christiana; nempe ab eo tempore nulli hominum contigit justificatio, nisi per fidem, saltem implicitam, in Christum mediatorem: Fides autem in mediatorem est character Christianæ religioni essentialis: Unde, ut divinarum traditionum existentiam asseramus, oportet, ut expendamus an a mundi exordio, ad hæc usque tempora extiterint.

Not. 2. Tempus, quod ab Adami peccato hucusque fluxit, dividi solet a theologis in tres status, seu ætates, naturæ nimirùm, legis & evangelii; ac proindè necesse est, ut quæramus, an in illa triplici ætatæ extiterint aliquæ divinæ traditiones.

CONCLUSIO 1. Extiterunt divinæ traditiones in statu legis naturæ, hoc est, ab Adamo ad Moysem usque.

Probatur. In statu legis naturæ debuit esse aliqua fidei, ac morum regula; cum in ea Ecclesiæ ætate extiterint homines vera fide, ac piis moribus prædití: atqui ea regula non fuit humana ratio; neque enim ratio humana, cum sit per peccatum corrupta, infallibilis est, ac certa fidei, aut morum regula: Non fuit quoque Scriptura; siquidem nulla tunc extabat: ergo ea regula erat traditio; Adamus nimirùm suos natos docuit, quæ sibi de Mediatore, & aliis mysteriis revelata fuerant: ex Adamo nati fidem illam suis posteris ad Moysem usque non interrupta serie communicarunt.

CONCLUSIO 2. In lege Mosaica, quamvis extarent Scripturæ, Judæi tamen traditionibus, tum ad fidem, tum ad mores pertinentibus utebantur.

Probatur. Sic Deus loquitur Exodi 13. *Narrabis filio tuo in illo die, dicens, Hoc est, quod fecit Dominus*: hinc Psaltes Regius Psal. 77. hæc habet: *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera!* Prætermittimus multa ejusmodi loca, quibus patet, non solam Scripturam, sed narrationem patrum, seu, traditionem, fidem fecisse apud Judæos de portentis, ac cæteris, quæ illorum causa Deus patrarat in deserto.

CONCLUSIO 3. In lege Evangelica pluribus annis traditio absolutè fuit necessaria.

Probatur. Plurimis annis post Christi mortem nulla extitit novi testamenti Scriptura. Ejusdem testamenti libri variis successivè temporibus conscripti sunt: ergo tunc traditio, quam fideles audierant ab Apostolis, erat tum morum, tum fidei regula.

CONCLUSIO 4. Ecclesiæ Christianæ, his etiam temporibus, necessariæ sunt divinæ traditiones.

Probatur 1. Divinæ traditiones Ecclesiæ Christianæ, his etiam temporibus, ad multa sunt necessariæ.

Primò quidem ad discernendum libros Canonicos ab apocriphis; neque enim in Evangelio, aut in Apostolorum epistolis legitur scriptum, quot sint libri Canonici: Nec solo cujusque privati fidelis spiritu Canonici à non Canonicis dignosci possunt, ut superius dictum est; unde Patres uno ore testantur, non aliundè, quam ex traditione, nos habere, quòd aliqua Scriptura sit divina: *Ex traditione* (inquit Origenes apud Eusebium hist. lib. 6. cap. 18.) *didici de quatuor Evangeliis, quòd hæc sola, &c.*

Secundò. Traditio divina est Ecclesiæ necessaria, ut judicet, quinam sit sensus Scripturarum, cum de eo exoritur aliquod dubium; ut sunt loca, quæ probant personarum in divinis trinitatem, consubstantialitatem, processionem Spiritus sancti à Patre & a Filio, Mariam esse Deiparam, dari aliquod peccatum originale, quod omnibus hominibus commune sit; nempè plures hæretici quondam contenderunt, ut nunc etiam Sociniani contendunt, Scripturas, quibus Ecclesia utitur, ut ea dogmata probet, alium prorsùs habere sensum ab eo, quem eis adscribunt Catholici.

Tertiò. Necessariæ sunt traditiones ad fidem plurium dogmatum, quæ Catholicis, Calvinistis, Lutheranis, pluribusque aliis, qui earum authoritatem negant, communia sunt: scilicet, Calvinistæ & Luthera-

ni credunt contra errorem Helvidii, Mariam Deiparam semper fuisse virginem: credunt adversus Anabaptistas, valere datum parvulis baptisma: credunt contra Donatistas, valere datum ab hæreticis, & aliis impiis hominibus. Atqui nullum ex iis capitibus credere possunt propter Scripturæ authoritatem; nullus enim ne apex quidem est in Scripturis: ergo ex sola traditione eos articulos credunt; ac proinde, quod probandum erat, necessariæ sunt aliquæ divinæ traditiones, quæ ad fidem & mores spectant.

Confirmatur argumentum. Non omnia, quæ Christus docuit, litteris consignata fuerunt: *Sunt autem & alia multa*, ait Joannes evangelii capite ultimo, *quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum, capere posse eos, qui conscribendi sunt, libros.* At verisimile non est, Apostolos ea, quæ fecit, & docuit Jesus, quæque scripta non fuerunt, Ecclesiis non tradidisse. Quod mox de Christo dictum est, locum habet in Apostolis; seu non scripserunt omnia, quæ populis prædicarunt; nam licet ex impulsu Spiritus Sancti evangelia, ac epistolas conscripserint, tamen id fecerunt tantùm, quòd ad scribendum eos veluti coegerint, quæ datæ sunt occasiones. Refert eas occasiones Eusebius historiæ lib. 2. & 3. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur, Joannem usque ad extremam senectutem absque editis à se Scripturis Evangelium prædicasse, additque tandem eum compulsum fuisse ab Asiæ Episcopis Evangelium scribere, ut occurreret Ebionitarum hæresi, quæ tunc grassari cœperat. Atqui datæ non sunt Apostolis occasiones omnia, quæ à Christo audierant, scribendi: ergo non omnia, quæ prædicarunt, scripsere; multa igitur ipsis per traditionem reliquerunt.

Confirmatur iterùm. Ipsimet Apostoli commendarunt necessitatem traditionum, quas non scripto, sed tantùm verbo tenus, iis reliquerant, quos ipsi converterant ad fidem: *Laudo vos*, inquit Paulus 1. ad Corinth. 11. *quòd per omnia mei memores estis, & sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*; ad Thessal. 2. hæc etiam habet: *Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*; in quem quidem locum sic loquitur Chrysostomus: *Hinc patet, quòd non omnia per epistolam, sed multa etiam sine litteris: eadem verò fide digna sunt tam illa, quàm ista.*

Solvuntur Adversariorum argumenta.

Objicies 1. Illud non est Ecclesiæ necessarium, quod à Moyse, Paulo, ipso etiam Christo prohibitum est: atqui traditiones prohibitæ sunt à Moyse, Paulo, ipso etiam Christo. Deuteronomii 4. hæc habentur: *Non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis, nec auferetis ex eo*; hæc leguntur ad Galatas: *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Matth. 15. Christus sic Pharisæos increpat: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad secundum, dico 1. argumentum esse de non supponente; supponit enim, traditionem, de qua hic agitur, esse additionem ad Dei verbum; quod falsum est; nempe traditio, ut patet ex dictis superiùs, non minùs est Dei verbum, quam ipsamet Scriptura; unde Moyses, non ait, Non addetis ad verbum, quod ego *scribo* vobis, sed quod *præcipio*. Paulus quoque non ait, Quod *scripsimus*, vobis, sed *quod evangelizavimus*; nec mirum, paucæ quippe ad Galatas scripserat, sed evangelizaverat multa. Christus etiam non ait, traditionem *meam*, sed *vestram*, hoc est, a Pharisæis inventam. Dico 2. iis in locis Moysem, Paulum, Christum, ex suppositione, quòd loquantur de solo verbo scripto, prohibere additionem eidem verbo scripto contrariam: idque patet tum ex his Christi verbis: *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram*; tum etiam ex Augustino, qui hanc Pauli vocem: *Præter*, per hanc aliam, *Contra*, reddit: *Non ait plus, quàm quod accepistis*, inquit Augustinus tractatu 98. in Joannem, *sed præterquam quod accepistis.*

Objicies 2. Scriptura sufficienter omnia continet: *Omnis scriptura divinitus inspirata*, ait Paulus 2. ad Timoth. 3. *utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.*

Resp. ad 1. neg. ant. ad 2. dico, Apostolum velle, Scripturam utilem esse ad docendum, corripiendum, erudiendum; quod non negamus; sed non dicit eam esse sufficientem. Ratio solutionis est 1. quia utitur hac voce, *Utilis*. 2. Non loquitur de omnibus libris Canonicis collectivè sumptis, sed de singulis distributivè, *Omnis*, inquit, *Scriptura &c.* at quilibet liber Canonicus, licet utilis sit; non est tamen ad fidem & ad mores sufficiens.

Objicies 3. Patres non rarò docent, omnia fidei, ac morum dogmata Scripturis contineri. Irenæus adversùs hæreses lib. 3. cap 1. asserit, Apostolos scripsisse postea, quæ ante prædicarant. Augustinus lib. 2. de doctrina Christi cap. 9. hæc habet: *In his, quæ apertè posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi.*

Resp. ad 1. neg. ant. Ad cujus priorem probationem dico, Irenæum non asserere, Apostolos scripsisse omnia, quæ prædicaverant, sed tantùm Evangelium, hoc est, præcipua fidei & morum capita; *Quod*, Evangelium, *tunc*, ait, *prædicaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt*. Ad alteram probationem distinguo hæc Augustini verba: In Scriptura inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi, quoad ea, quorum fides & cognitio explicita cuique sunt necessariæ ad salutem, ut sunt præcipua mysteria, quæ continentur in symbolo, & morum principia, quæ sunt in decalogo, conc. ant. Quorum fides & cognitio explicita, cuique non sunt necessariæ ad salutem, ut sunt cognitio aliquorum Sacramentorum, & quædam conclusiones, quæ ex decalogi præceptis sequuntur, neg. ant.

CAPUT II.

Utrum traditio sit locus, ex quo peti possit certum pro fide, & moribus argumentum.

CONCL. Traditio est locus, ex quo peti potest certum pro fide, & moribus argumentum.

Probatur 1. Traditio divina est Dei ipsius verbum, seu, est facta a Deo revelatio: Sed ex Dei verbo, ex Dei revelatione, peti potest certum pro fide, & moribus argumentum: ergo, &c.

Major patet ex dictis articulo superiore: minor supponitur ex dicendis in tractatu de fide; ubi ostendit ur, impossibile esse, quod Deus mentiatur.

Probatur 2. Ex aliquo medio erui debet argumentum pro pluribus fidei articulis, pluribus morum principiis, quæ in Scriptura non continentur, ut superiore articulo observatum est: atqui illud medium est sola traditio, cum non possit esse Scriptura, in qua, ut suppono, illi articuli nullo modo continentur; nec ratio humana; cum non sit in iis, quæ aut ad fidem, aut mores spectant, principium omninò infallibile.

Probatur 3. Ecclesia in suis Conciliis, Patres in suis Operibus, usi sunt traditione tanquam medio certissimo ad probanda, tum fidei, tum morum dogmata: ergo ex ea pro fide, & moribus peti possunt argumenta certissima.

Ostenditur prior pars antecedentis. Concilia cum egerunt de Scripturarum sensu, traditionem consuluere; nempè Theodoretus hist. lib. 1. cap. 8. testatur, Nicænum primum Concilium damnasse Arium testimonio Scripturarum, quas expendit ad mentem traditionis. Alterum Nicænum Concilium actione 6. tom. 4. traditione utitur, ut adversùs Iconomachos definiat, pium esse cultum, quem Ecclesia sacris imaginibus exhibet. Octavum generale Concilium actione 8. profitetur, servari debere germanas traditiones.

Ostenditur altera ejusdem antecedentis pars ea Patribus Græcis. S. Ignatius apud Eusebium hist. lib. 3. cap. 36. fideles hortatur, ut Apostolorum traditionibus tenaciùs inhæreant. Irenæus lib. 3. cap. 4. asserit, suo tempore multas Barbaras gentes in Christum credidisse: *Sine charactere*, inquit, *vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterum traditionem diligenter custodientes*. Addit, quod cum hæretici scripturis convinci non possint, ad traditionem recurrendum sit.

Origenes in caput sextum epist. ad Rom. *Ecclesia*, inquit, *ab Apostolis traditionem accepit etiam parvulis baptismum dare*. Basilius libro de Spiritu Sancto cap. 27. *Dogmata*, ait, *quæ in Ecclesia servantur, ac prædicantur, partim conscripta doctrina habemus, partim ex Apostolorum traditione recepimus, quæ utraque eandem ad pietatem vim habet*. Similem ea de re Chrysostomi textum retulimus articulo superiore. Epiphanius hæresi 61. *Oportet*, inquit, *& traditione uti; non enim omnia à divina scriptura accipi possunt: quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt*.

Ostenditur eadem secunda antecedentis pars ea Patribus Latinis. Tertullianus in libro de Præscript. ea instituto docet, hæreticos, non ex scripturis, cum eas in suum falsum sensum detorquere soliti sint, sed ea traditione, confutari debere.

Augustinus lib. 5. de baptismo cap. 23. expressè probat, datum ab hæreticis baptisma valere: non ea Scriptura, cum nihil de eo baptismate dicat, sed ex traditione: *Consuetudo illa*, inquit, *quæ opponebatur Cypriano, ab eorum*, Apostolorum, *traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ab hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur*.

Vincentius Lirinensis toto libro, quem *Commonitorium* inscripsit, probat, esse traditioni inhærendum, in rebus, quæ ad fidem & mores spectant. Cap. 2. quærit, qua via catholica veritas ab hæretica pravitate discerni possit: Respondet verò, duplici ratione id fieri posse, *scilicet*, inquit, *divinæ legis authoritate, tum deinde Ecclesiæ Catholicæ traditione*. Quærit postea, cur traditio Scripturæ addenda sit: respondet, id debere fieri, *quia Scripturam Sacram non uno, eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur; ut penè quot homines sunt, tot illinc sententiæ erui posse videantur*.

Objicies 1. Cyprianus pugnans pro nullitate baptismatis recepti ab hæreticis, nullam habuit rationem traditionis, quam ipsi objecit Stephanus Papa, sic ad eum rescribens: *Nihil innovetur præter id, quod traditum est*: ergo ex traditione desumi non possunt certa argumenta ad probandam fidem, aut ad stabiliendam morum regulam.

Resp. dist. ant. Cyprianus, &c. traditionis, quam credebat non descendere ab Apostolis, conc. ant. traditionis, quam credebat ab Apostolis descendere, neg. antec. Cyprianus non credidit fluxisse ab Apostolis traditionem, quam illi Papa Stephanus opposuit; unde illam appellavit vetustum errorem, asseruitque, contrariam esse Scripturis; *Unde*, inquit in epistola ad Pompejum, *ista traditio? Utrum de dominica, & evangelica authoritate descendens, an de Apostolorum mandatis, atque epistolis veniens? Ea enim facienda esse, quæ scripta sunt, testatur Deus, &c.*

Objicies 2. Hieronymus in caput 23. Matth. *Hoc*, inquit, *quia de scripturis authoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur*: ergo Hieronymus non censuit, aliunde quam ea scripturis peti posse pro fide, aut moribus argumenta. Idem sensisse videtur Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 3. ubi sic loquitur: *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens, in alteram partem declinando.*

Resp. ad 1. dist. ant. Hoc, &c. quia in Scripturis, sed tantum in libro apocrypho, authoritatem non habet, facile contemnitur, conc. ant. quòd habet authoritatem alibi, quam in libro apocrypho, neg. ant. Agebat ibi Hieronymus de nonnullis, qui ea quodam libro apocrypho urgebant, Zachariam, quem Judæi occiderunt inter templum, & altare, fuisse Zachariam patrem Joannis Baptistæ.

Ad 2. dico, Augustinum loqui de quæstionibus, quæ nec in scriptura, nec in traditione, quæ (ut dictum est) in scriptura fundatur, aperta habent testimonia, ut est, in Augustini sententia, quæstio de origine animarum, de qua agebat loco, qui objectus est ab adversariis. Confirmatur responsio ea eo, quod lib. 1. contra Cresconium cap. 43. Sanctus Doctor asserat, scripturæ veritatem a nobis teneri, cum id facimus, quod universa probat Ecclesia.

Objicies 3. Ex monumento quod est obnoxium mutationi, peti non possunt firma ac certa argumenta ad stabiliendas aut fidei, aut morum regulas: atqui traditio est monumentum obnoxium mutationi, ut videre est in communione Eucharistica sub utraque specie, quæ licèt per duodecim priora sæcula ubique passim obtinuerit, tamen a quatuor ab hinc sæculis in Occidente desiit.

Resp. dist. min. Traditio, quæ ad disciplinam spectat, est monumentum obnoxium mutationi, conc. min. quæ spectat ad fidem, aut ad mores, neg. min. De ista, non autem de illa intelligitur nostra conclusio.

CAPUT III.

De Regulis, quibus divina traditio discernitur ab humana.

Not. HÆretici traditionis vim ad firmandam fidem, & mores regulandos, ea eo maximè capite impugnant, quod, ajunt, impossibile sit, veras a falsis traditionibus distinguere; idque, addunt, patet in opinione veterum, qui crediderunt, Christum post universalem hominum resurrectionem cum prædestinatis hic, in terris, per mille annos regnaturum; nempe illi errori sub traditionis obtentu adhæserunt Papias Polycarpi discipulus, Irenæus, Tertullianus, Lactantius, aliique permulti, de quibus Eusebium libro 3. hist. cap. 39. videre est. Plurimi igitur interest regulas tradere, quibus vera traditio a falsa, divina ab humana distinguatur.

CONCLUSIO 1. Nonnullæ sunt regulæ, quibus cognoscitur, aliquam traditionem esse humanam, non autem divinam.

Probatur earum regularum enumeratione.

Prima regula. Illud non est divina traditio, cujus, licèt in tota Ecclesia servetur, initium reperitur aut in decretis summorum Pontificum, aut in Conciliorum canonibus, aut in statutis Patrum.

Ratio

Ratio est, quia, si id, cujus initium reperitur, esset divina traditio, seu, si esset aliquid divinitùs traditum, oporteret, quòd Patri, a quo habet initium, de novo fuisset revelatum: atqui id asseri non potest, cum Ecclesia non admittat novas revelationes.

Et sanè, vel ea revelatio cognita fuisset Apostolis, vel ipsis fuisset incognita. Si primum, Apostoli eam revelationem docuissent; alioquin in ministerio se præbuissent infideles. Si secundum, culpandus esset Christus, qui Apostolos non omnia Ecclesiæ necessaria docuisset: falsò promisisset, Spiritum sanctum eos docturum esse omnem veritatem. Tertulliani est illud argumentum, sic enim loquitur libro de Præscript. cap. 22. *Solent dicere* (loquitur de quibusdam sui temporis gnosticis) *non omnia Apostolos scisse: agitati dementia, quæ rursus convertunt; omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse; in utroque Christum reprehensioni subiicientes, qui aut minus instructos, aut parum simplices Apostolos miserit.*

Idem, seu, quòd novæ revelationes admitti non debeant in iis, quæ ad fidem aut ad mores spectant, ostenditur ex Vincentio Lirinensi, qui commonitorii lib. 1. cap. 6. hæc scribit: *Mos iste in Ecclesia semper viguit, ut quo quisque foret religiosior, eò promptius novellis adinventionibus contrairet.* Hinc summi Pontifices, hinc Concilia summa vi, summo studio id unum adversus hæreticos curarunt, *ut defenderint* (teste eodem Vincentio Lirinensi) *susceptæ semel religionis integritatem.* Hinc grande piaculum esse prædicarunt Patres, id annunciare, quod prius auditum non est: *Adnunciare ergo*, inquit mox laudatus author cap. 9. *aliquid Christianis Catholicis præter id quod acceperunt, numquam licuit, nunquam licebit: & anathematizare eos qui annuntiant aliquid, præterquam quod semel acceptum est, nusquam non oportuit, nunquam non oportet, nunquam non oportebit.* Hinc, eodem Lirinensi teste c. 20. iidem Patres impetrarunt, ut fideles, *quidquid ab aliquo deinceps uno præter omnes, vel contra omnes sanctas novum, & inauditum subinduci senserint, id non ad religionem, sed ad tentationem potiùs intelligant pertinere.*

Quæ mox de fugienda tum in vita, tum in moribus novitate dicta sunt, confirmantur ex Apostolo, qui 1. ad Timoth. cap. 6. hæc habet: *O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* In eam autem sententiam hæc scribit Vincentius Lirinensis commonit. capite 21. *Non dixit, antiquitates: non dixit, vetustates. Immò plane quid è contrario sequeretur, ostendit. Nam si vitanda est novitas, tenenda est antiquitas: & si profana est novitas, sacrata est vetustas.* Hæc iterum in eandem sententiam scribit capite 22. *Quid est, depositum custodi? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos. Quid est depositum? id est quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.*

Confirmantur iterùm ex eo quòd si admittantur *novæ* revelationes in iis, quæ spectant ad fidem, aut ad mores, Ecclesia nec Montanum, qui se a Spiritu sancto singulariter doctum jactabat, nec alios hæreticos, qui errores protulerunt, nec novatores aliquos, qui deinceps orientur, confutare poterit: ii enim eum Montano statim Ecclesiæ objicient, factas sibi esse novarum opinionum revelationes; sicque nihil integrum, nihil sanum in Ecclesia stare poterit: *Si novitia veteribus, extranea domesticis, & prophana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil post hac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil integrum, sed sit ibi deinceps impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat antea castæ, & incorruptæ sacrarium veritatis.* Multa alia ad idem argumentum pertinentia legere est apud eundem Vincentium Lirinensem, & apud Tertullianum lib. de Præscriptionibus adversùs hæreticos.

Secunda regula. Doctrina, quæ in una tantùm particulari Ecclesia reperitur, non est divina, sed humana; non tradita, sed inventa.

Ratio est, quia veritas divinitùs tradita, contineri non potest in una tantùm particulari Ecclesia; alioquin ad terræ angulum reduci posset Ecclesia Catholica: quod falsum esse demonstrat Augustinus in suis adversùs Donatistas operibus. Hinc Vincentius Lirinensis commonitorii cap. 3. meritò docet, Ecclesiam illam particularem eo in casu non esse audiendam, neminemque posse illi adjungi, si ob privatam suam traditionem, sese a cæterarum Ecclesiarum communione præsciderit: *Quid igitur*, inquit, *tunc faciet Christianus Catholicus, si se aliqua Ecclesia particula ab universalis fidei communione præsciderit? Quid utique nisi ut pestifero, corruptoque membro sanitatem universi corporis anteponat?*

Tertia regula. Humanum est, non divinitùs traditum, dogma, quod contra communem aliorum sententiam ab uno tantùm, aut duobus, etiam antiquis scriptoribus, imò & tota aliqua urbe particulari, aut provincia docetur.

Ratio est 1. quia hujus regulæ veritatem demonstrat argumentum, quod pro priore prolatum est. 2. Sic senserunt majores nostri: *Quòd si* (ait Vincentius Lirinensis commonit. cap. 3.) *in ipsa vetustate duorum, aut trium hominum, vel certè civitatis unius, aut etiam provinciæ alicujus error deprehendatur: tunc omninò curabit, ut paucorum temeritati, vel inscitiæ, si quæ sunt universaliter antiquitùs, universalis concilii decreta præponat.* Similia scribit cap. 28. *Quidquid verò, quamvis ille sanctus, & doctus, quamvis Episcopus, quamvis confessor & martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit, id inter proprias & privatas opiniunculas a communis & publicæ generalis sententiæ authoritate secretum sit, ne cum summo æternæ salutis periculo, universalis dogmatis antiqua veritate dimissa, unius hominis novitium sectemur errorem.*

CONCLUSIO 2. Certæ sunt regulæ, quibus cognosci potest, aliquam traditionem esse divinam.

Probatur earum regularum enumeratione.

Prima regula. Dogma, quod universa Ecclesia amplectitur, licet in sacris litteris non reperiatur, divinæ est traditionis.

Ratio est, quia Ecclesia universa errare non potest, cum (ut ait Paulus 1. ad Timoth. 3.) sit columna & firmamentum veritatis.

Confirmatur 1. ex Irenæo, qui libro 1. adversùs hæreses cap. 2. docet, ex Ecclesiarum consensu judicari debere, an doctrina aliqua sit vera, aut falsa: *Ecclesia, inquit, per universum orbem usque ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & a discipulis eorum accepit eam fidem, quæ est, &c. Hanc prædicationem cum acceperit, & hanc fidem Ecclesia, & quidem in universum orbem disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans, & similiter credit his, videlicet quasi unam habens animam, & unum cor.*

Confirmatur 2. ex Tertulliano. *Ecquid* (ait lib. de Præscript.) *verisimile est, ut tot, ac tanta in unam fidem erraverint; variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum. Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

Confirmatur 3. ex Cypriano, qui ideò hæreticum, asserit, fuisse Novatianum, quòd apud omnes orbis Ecclesias tanquam hæreticus audiret: *Quam vanum est,* (inquit lib. 3. epist. 13.) *ut Novatiano nuper relicto, &* refuta-

refatate, & per ipsum orbem a sacerdotibus Dei absente, nunc adulatores adhuc nobis, patiamur illudere, & de majestate, ac dignitate Ecclesiæ judicare?

Confirmatur 4. ex Hieronymo, qui Vigilantium ex eo damnat, quòd illi universi orbis Episcopi contradicant: *Et non solum*, inquit, *unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum.*

Idem confirmari potest ex Augustino, qui sæpè in suis adversùs Pelagianos operibus asserit hæreticam esse eorum doctrinam, quòd omnes orbis Ecclesiæ synodorum Carthaginensium decretis & Innocentii, ac Zosimi summorum Pontificum judicio subscripsissent.

Secunda regula. Doctrina, quam universa Ecclesia quovis sæculo propugnavit, divinæ est traditionis, quamvis in libris canonicis non reperiatur. Ratio est, quia sicut tota præsentis sæculi Ecclesia admittere non potest tanquam divinum quod humanum est: ita nec præcedentium sæculorum Ecclesia. Una nimirùm est ac eadem Christi sponsa, licèt diversis sæculis, ac ætatibus distincta sit: ergo doctrina, quam ut divinam admisit quovis sæculo, verè divina est, quamvis in sacris litteris non legatur.

Confirmatur 1. ex laudato superiùs hoc Tertulliani axiomate: *Cæterùm quod apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.*

Confirmatur 2. ex Vincentio Lirinensi: *In ipsa* (inquit Commonit. cap 2.) *item Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Explicat, qua ratione id fieri possit: *Sed hoc ita demùm fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem; sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia; antiquitatem verè ita, si ab his sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores, ac patres nostros celebrasse manifestum est; consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certe penè omnium sacerdotum pariter, & magistrorum definitiones sententiasque sectemur.* Multa alia habet author ad idem argumentum spectantia, de quibus consuli potest.

Tertia regula. Praxis, quam solus Deus instituere potest, est ex traditione Apostolica, si ab universa Ecclesia servetur.

Ratio est, quia Ecclesia universa non magis in cultu, quam in fide errare potest: ac proinde dicendum est, Ecclesiam a Deo per Apostolos eorumque successores accepisse praxim, quæ solum Deum potest habere institutorem.

Confirmatur 1. ex Augustino, qui mox allata ratione utitur, ut probet, praxim de baptizandis parvulis esse ex institutione divina: *Consuetudo*, inquit lib. 10. de Gen. cap. 23. *matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis, nequaquam spernenda est, neque ullo modo superflua deputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset traditio*. Eodem utitur argumento lib. 2. de Bapt. contra Donatistas cap. 7. ut ostendat, iterari non debere datum ab hæreticis baptisma: *Quam*, inquit, *consuetudinem non rebaptizandi hæreticos credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in libris eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.*

Confirmatur 2. Multa ejusdem generis fiunt in Ecclesia, quæ nec tentare posset, nisi potestatem sibi per Apostolos divinitùs traditam accepisset: sic (inquit Melchior Canus lib. 3. de locis theologicis cap. 4.) vota dissolvere, & remittere juramenta, non erat humanæ potestatis; tum quia jure naturæ vota nuncupata, Deo reddere, & juramenta servare tenemur: humana verò facultas ea, quæ jure naturæ debita, & constituta sunt, condonare ac tollere non potest. Eadem est ratio de matrimonii rati diremptione per solemne votum: cum enim matrimonium, etiam non consummatum, ante Evangelicam legem jure naturæ esset indissolubile, nec esset in republica humana facultas ulla ejusmodi matrimonii dirimendi, consequens fit hunc Ecclesiæ morem, ex Christi & Apostolorum instituto descendisse. Nec enim credi potest, Ecclesiam Dei aliquam sibi potestatem generaliter usurpasse in his, quæ ad jus naturæ pertinerent, nisi quam Christo & Apostolis tradentibus accepisset; jam enim hic error esset gravis in moribus, in quibus Ecclesiam errare non posse, suo loco ostendemus: hactenùs Melchior Canus.

Quarta regula. Praxis, quæ in Ecclesia universa, quovis sæculo, continuata serie servata est, quæque instituta non videtur in Conciliis, meritò censetur ab Apostolis instituta, quamvis ejus sit generis, ut ab Ecclesia institui potuerit.

Ratio est, quia eo in casu nullum est fundamentum judicandi, quòd praxis, de qua agitur, ab Ecclesia fuerit instituta. Eo argumento utuntur theologi, ut quadragesimale jejunium in Apostolicam institutionem refundant.

Confirmatur ea regula ex Augustino, qui lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. sic loquitur: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissime creditur.*

Idem hisce verbis docet epist. 118. *Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiis saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri, sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus Sancti anniversaria solemnitate celebrantur; & si quid aliud tale occurrerit, quod servatur ab universa quacumque se diffundit Ecclesia.*

Quæres, quid facto opus sit, cum in aliquibus Ecclesiis, alicujus dogmatis traditio non reperitur, quæ tamen reperitur in aliis.

Resp. Irenæum, & Tertullianum occurrisse illi quæstioni; nempè ajunt, eo in casu judicandum esse, eam traditionem esse divinam, quæ reperitur in præcipuis, & Apostolicis Ecclesiis, in quibus interrupta non fuit Episcoporum successio.

Irenæus lib. 3. adversùs hæreses cap. 2. asserit, hæreticos impugnari posse, vel scriptura, vel traditione, quæ in Ecclesiis Apostolicis servatur: *Cum*, inquit, *ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successionem presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos.*

Ejusdem lib. cap. 3. scribit, eam traditionem eminere in Ecclesiis, quas Apostoli fundarunt, & in quibus Episcoporum series interrupta non fuit: *Traditionem itaque Apostolorum*, inquit, *in toto mundo manifestatam, in Ecclesia adest perspicere omnibus: qui vera velint audire, & habemus numerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverant, quale ab his deliratur*. Porrò inter eas Apostolicas Ecclesias, in quibus conservata est traditio, docet Romanam Ecclesiam tenere principem locum; *In qua*, ait, *semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Ubi idem author omnes Episcopos Romanos ad sua usque tempora recensuit, hæc habet: *Hac ordinatione, & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia traditio, & veritatis præconizatio, pervenit usque ad nos.*

Tertullianus libro de Præscriptionibus, dubitanti, an aliquod dogma divinitùs per Apostolos traditum sit, jubet, ut consulat Ecclesias matrices, quas Apostoli fundarunt, credatq; quod ab eis credi perspexerit: *Quid*

fra-

prædicaverint Apostoli, quid illis Christus revelaverit, & hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva voce, quam per epistolas postea. Si hæc ita sunt constat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus, & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, id sine dubio tenentem, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi.

Postea laudatus scriptor singulares recitat Ecclesias Apostolicas de doctrina fidei, de traditione percontandas. Laudat Corinthum, Philippos, Thessalonicam, Ephesum, Romam præ cæteris, de qua hæc habet; *Videamus, quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque Ecclesiis contesseraris.*

QUÆSTIO III.

De Conciliis.

Not. Methodi causa hancce de Conciliis quæstionem partiemur in duo capita; in priore dicemus de conciliis in genere; in altero vero nonnulla dicemus de singulis conciliis generalibus in specie.

CAPUT PRIMUM.

De Conciliis in genere.

Not. 1. Rectè observat Bellarminus, Concilii nomine, idem in Ecclesia significari, quod in regnis nomine Comitiorum significatur; unde quemadmodum regni comitia nihil aliud sunt, quam principum, procerum, magistratuum in unum locum congregatio, ut de rebus ad regnum spectantibus tractent; ita Ecclesiæ concilia nihil aliud sunt, quam Ecclesiæ præsulum conventus, ut de rebus ad Ecclesiam spectantibus agant.

Not. 2. Conciliorum quatuor sunt genera: quædam nationalia, quædam provincialia, & quædam diœcesana. Generalia sunt, ad quæ congregantur totius orbis Episcopi: natinnalia, ad quæ conveniunt unius, aut regni, aut nationis, præsules: provincialia, in quibus sub metropolitano reperiuntur unius tantùm provinciæ Episcopi: diœcesana denique, in quibus sunt sub Episcopo unius Episcopatus presbyteri.

Not. 3. Inter concilia tum generalia, tum nationalia, tum provincialia, nonnulla sunt legitima, hoc est, quibus nihil deest ex iis, quæ ad verum concilium requiruntur; alia non legitima, quibus nimirùm deest aliqua ex conditionibus, quæ requiruntur ad legitimum concilium, convocatio v. gr. libertas, & ita de cæteris, quas suo loco recensebimus.

Not. 4. De conciliis sic definitis, ac divisis quæri potest. 1. ad quem spectet eorum convocatio: 2. quinam sint ad ea convocandi, 3. cujusnam sit eis præsidere. 4. cujus sint authoritatis 5. denique, utrùm concilia sint ecclesiæ necessaria.

ARTICULUS I.

Ad quem spectet conciliorum convocatio.

Not. 1. Quæ hic proponitur quæstio, intelligi potest, aut de facto, aut de jure, seu, aut de iis, qui convocarunt concilia, aut de iis, ad quos jus illud spectat.

Not. 2. Recentiores Hæretici, Lutherus nimirùm libro de Conciliis, Calvinus lib. 4. Institut. Centuriatores Magdeburgenses centuria 4. contendunt, jus convocandi concilia non esse penes Ecclesiam sumptam pro animarum Pastoribus, sed prout Imperatores, Reges, & Magistratus complectitur. Unde concludunt, Imperatoris esse convocare Concilia Generalia, regum nationalia, magistratuum ea, quæ in subjectis sibi regionibus celebrantur.

Not. 3. Ex suppositione, quòd, ut docent Catholici, sit penès solam Ecclesiam, prout viros Ecclesiasticos complectitur, convocare Concilia, difficultas potest esse, an illud jus pertineat ad solum Summum Pontificem, an aliquo saltem in casu ad S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, an ad Concilium legitimè coactum, seu, an Episcopi omnes ad Concilium coacti, aliud Concilium indicere, & convocare possunt.

CONCLUSIO 1. Concilia, quæ tribus prioribus sæculis habita sunt, convocata fuerunt ab Ecclesia, prout solos animarum Pastores complectitur.

Probatur. *Primò*, ubi ortum fuit dubium, an gentiles ad fidem conversæ circumcisionis, aliorumque legalium rituum observatione tenerentur, non a viris laicis, sed ab Apostolicis indicta fuit synodus, in qua id expenderetur: *Cum venerunt*, ait Lucas Act. 15: *Apostoli & seniores videre de verbo hoc*; coegerunt pariter Concilium, in quo actum est de septem Diaconorum electione: *Cum vocantes duodecim multitudinem discipulorum*, ait Lucas Act. 6.

Secundò. Scribit Eusebius hist. lib. 5. cap. 16. plures in Asia habitas fuisse synodus contra Montanistas, ab Episcopis, non autem a viris laicis coactas. Idem asserit, eodem lib. cap. 23. ubi agit de controversia Paschæ: *Synodi ob id*, inquit, *cœtusque Episcoporum convenere.* Lib. 6. cap. 43. refert Romanæ synodi decretum adversùs Novatum, atque eam ex Episcopis, ac reliquo Clero coaluisse, non ab alio, haud dubiè, quam a Cornelio convocatis: *Cum Romæ synodus congregata esset, in qua sexaginta quidem Episcopi, &c.* Idem videre est in Conciliis, quæ tum in Oriente, tum in Africa in causa baptismi ab hæreticis dati tertio sæculo celebrata sunt: ea nimirùm nō ab hominibus laicis, sed solùm a viris ecclesiasticis & coacta & celebrata sunt. Idem quoque patet in causa Pauli Samosateni: *Reliqui ecclesiarum pastores undique acciti*, inquit idem Eusebius hist. lib. 4. cap. 27. *simul omnes Antiochiam convenerunt, tanquam ad gregis Dominici vastatorem.*

Quæres, quomodo tribus prioribus sæculis ecclesiarum pastores ad synodum vocarentur?

Resp. 1. episcopos fuisse vocatos a Metropolitanis, Primatibus, Patriarchis: *Possem*, inquit Polycrates, ad Victorem Papam scribens, apud Eusebium hist. lib. 4. cap. 24. *episcoporum, qui mecum sunt, facere mentionem, quos petiistis, ut convocarem, sicut & feci.*

Resp. 2. eos qui diversæ erant provinciæ, fuisse invitatos, non jussos, ut ad concilim venirent: sic humiliter ab Episcopis Palæstinæ rogatus fuit Dionysius Alexandrinus Patriarcha, ut veniret ad synodum, quæ adversùs Novatum erat babenda: *Scribit Dionysius ad Cornelium Romanæ urbis episcopum*, inquit Eusebius hist. lib. 6. cap. 46. *se ab Heleno Tarsi Ciliciæ episcopo, & à cæteris, qui cum illo convenerant episcopis, invitatum fuisse, ut ad synodum Antiochenam occurreret, in qua quidam Novati schisma confirmare tentabant.* Idem Eusebius utitur *precum* nomine, cum ait, vocatum fuisse eundem Dionysium ad concilium Antiochenum, quod adversùs Paulum Samosatenum celebratum est: *Dionysius Alexandrinæ ecclesiæ episcopus*, ait cap. 2. *rogatus, ut ad concilium veniret, adventum quidem suum distulit, &c.*

Resp. 3. episcopos prioribus illis sæculis nonnunquam habuisse concilia, ubi fortè & ex improviso aliquem in locum, nemine vocante, & convenissent: censebant nimirùm, se ubivis & quacumque de causa essent con-

congregati, posse ferre decreta, quibus suarum Ecclesiarum fidei, & disciplinæ consulerent.

CONCLUSIO 2. Imperatores Christiani convocarunt octo priora Concilia generalia.

Probatur. Constantinum Magnum Nicænam primam synodum convocasse, scribit Eusebius hisce verbis lib. 3. de vita Constantini: *Deinceps igitur Concilium generale tanquam quendam Dei exercitum instruens, in unum locum coegit, & Episcopos undique per litteras honorifice scriptas, ut eo maturarent, accivit.*

Socrates hist. lib. 5. cap. 8. testatur, alteram synodum generalem, primam nimirùm Constantinopolitanam, a Theodosio Seniore coactam fuisse: *Imperator*, inquit, *nulla mora interposita Concilium Episcoporum, ipsius fidem amplectentium, convocat, quo fides Concilii Nicæni corroboraretur.*

Evagrius hist. lib. 6. cap. 3, conceptis terminis asserit, tertium Concilium generale, Ephesinum nempè, celebratum fuisse ex nutu, & mandato Theodosii Junioris: *Nestorius*, inquit, *neque Cyrillo, neque Cœlestini antiquæ Romæ Episcopi consiliis obsecundavit, sed totum ipsius virus nihil veritus evomuit in ecclesiam, postulavitque, ut authoritate, ac nutu Theodosii junioris, qui tum Orientis administravit imperium, primum Concilium Ephesi cogeretur.*

Parte secunda Concilii Chalcedonensis, quæ quidem est quarta generalis synodus, actione 1. hæc habentur: *In nomine Domini nostri Jesu Christi in Chalcedonensi civitate facta est synodus ex decreto piissimorum, & fidelissimorum Imperatorum Valentiniani, & Marciani.* Indixerunt ergo, ac convocarunt quartam generalem synodum Valentinianus & Marcianus Imperatores.

Concilium Constantinopolitanum secundum, quod quintum generale dicitur, Justinianus Imperator coegit, ut patet ex illius epistola ad Episcopos Constantinopoli considentes, quæ quidem ejusdem Concilii collatione 1. legitur.

Patres tertii Concilii Constantinopolitani, quod sextum est œcumenicum, actione 1. clarè profitentur, se ad Concilium vocatos esse Impertorum litteris: *Conveniente quoq; sancta, & universali synodo, quæ secundùm Imperialem sanctionem congregata est in hac à Deo conservanda regia urbe.*

Nicænum II. Concilium, quod est septimum generale, convocatum fuisse a Constantino, & Irene Augustis, fidem facit eorundem Augustorum epistola ad Hadrianum Papam: *Unde* inquiunt, *nunc constanter cum mundo corde, & vero cultu, quæ ad Deum pertinent, unà cum omnibus subditis nostris, & his sacerdotibus doctissimis locuti sumus, & cum consilio decrevimus, ut fieret universale Concilium, & rogamus vestram paternam beatitudinem, ut det seipsam, & nullam tarditatem faciat, & ascendat huc in stabilitatem, & firmitatem antiquæ traditionis super venerabilibus imaginibus.*

Quartam Constantinopolitanam Synodum, quæ octava est œcumenica, convocatam fuisse ab Imperatore Basilio, colligitur ex ejusdem Synodi actione prima, ubi hæc leguntur: *Obsequente divina voluntati, ac decreto, Basilio Dei amicissimo Imperatore nostro, qui universalem Synodum congregavit.*

CONCLUSIO 3. Romani Pontifices convocarunt omnia Concilia generalia, quæ post octavum generale celebrata sunt.

Probatur enumeratione. Lateranense primum, quod nonum est generale Concilium, indixit Callixtus Papa II. *Rogamus* (inquit laudatus Papa in epist. ad Henricum Imperatorem) *ut quia Concilium indictum à nobis accelerat, citò eos*, legatos nostros, *ad nos Domino largiente remittat.*

Alterum Concilium Lateranense, quod decimum est œcumenicum, Romæ coegit Innocentius Papa II. *Universalis Ecclesiæ principale Concilium* (inquiunt Acta ejusdem Concilii) *Roma aggregat, ut in ipso imminentes Ecclesiæ necessitates decentèr disponat.*

Lateranense tertium Concilium sub Alexandro Papa III. quodque dicitur œcumenicum undecimum, idem Papa coegit, ut patet ex ejusdem epistola ad Episcopos per Tusciam constitutos: *Quocirca per apostolica vobis scripta mandamus, qualiter huic nostræ dispositioni plenis desideriis cooperari curetis, & prima dominica adventientis quadragesimæ, ad urbem Romam, ducente Domino, veniatis.*

Lateranense quartum Concilium congregavit Innocentius Papa III. id nimirùm testantur ejusdem Papæ epistolæ plures eidem Concilio præfixæ, quibus totius orbis Episcopos ad illud vocat: *Nullus* (inquit, scribens ad Prælatos Viennensis provinciæ) *se fallaciter excusando ab executione tam sancti operis subtrahat.*

Concilium Lugdunense primum coegit Innocentius Papa IV. Id testantur datæ ab ipso epistolæ ad Archiepiscopum Senonensem, ad capitulum Senonense, ad Francorum regem, ad Episcopum Ostiensem: præmittuntur verò illæ epistolæ ejusdem Concilii actis.

Alterum Lugdunense generale Concilium indixit Gregorius Papa X. ut patet ex illius epistola ad Patriarcham Hierosolymitanum, & ex altera ad Michaelem Paleologum Græcorum Imperatorem, nec non ex tertia ad Josephum Græcorum Patriarcham: habentur autem ad ejusdem Concilii caput.

Concilium Viennense convocatum fuisse à Clemente Papa V. probant epistolæ illi præfixæ, quibus Episcopos, ipsum etiam Philippum Francorum regem, ad Concilium vocat.

Concilium Constantiense coegit Joannes Papa XXIII. Id testatur ejusdem Papæ Bulla convocationis, quæ in eodem Concilio sess. 1. lecta fuit.

Martinus Papa V. convocavit Concilium Basileense; siquidem sess. 1. ejusdem Concilii extat diploma, quo laudatus Pontifex Synodum indicit ad civitatem Papiensem: *Nuper*, inquit, *siquidem cupientes generale Concilium juxta deliberationem, & ordinationem sanctæ Synodi Constantiensis ad deputationem loci olim, eadem approbante Synodo, per nos factam in civitate Papiensi auctore Domino celebrari, &c.* Continet idem diploma facultatem factam Sedis Apostolicæ legatis aliò, si expedire judicarent, Concilium transferendi; immediatè post legitur decretum translationis in civitatem Basileensem, ab iisdem legatis editum.

Concilium Florentinum Eugenius Papa IV. primùm Ferrariæ celebrandum indixit, ac post annum, grassante in urbe Ferraria peste, Florentiam transtulit: duo ea de re Eugenii Papæ decreta extant; prius quidem prima parte laudati Concilii, alterum secunda parte. Et in hoc Eugenius confirmavit Concilium Basileense, cujus sanior pars sessione 36. decretum ediderat de transferendo Concilio Ferrariam, aut Utinum, aut in alium locum Summo Pontifici & Græcis accommodum, quamquam (ut inferius dicetur) alia pars, præsidente Cardinale Arelatensi, eodem die, eodemque in loco decrevisset Concilium, aut Avenionem, aut in Subaudiam transferri debere.

Ad caput Concilii Tridentini extat Bulla de ejusdem Concilii convocatione, edita a Paulo Papa III.

Ex iis omnibus patet, certum esse omnes synodos, quæ generales sunt, hoc est, quæ pro generalibus à tota Ecclesia recipiuntur, a Romanis Pontificibus post nonum sæculum fuisse convocatas.

CONCLUSIO 4. Stricto jure solius est Ecclesiæ, prout animarum pastores complectitur, Synodos convocare.

Probatur. Illud stricto jure solius est Ecclesiæ, prout animarum pastores complectitur, quod ex se refertur

fertur ad spirituale regimen animarum: atqui convocatio Conciliorum ex se refertur ad spirituale regimen animarum; nempe non ob aliud congregantur Concilia, quam ut tradantur fidei, vel morum regulæ, aut quædam disciplinæ capita præscribantur.

Confirmatur argumentum ex eo, quòd Ecclesiastica negotia, ut est Conciliorum convocatio, ad viros Ecclesiasticos tantùm stricto jure pertineant: *Ne te misceas Ecclesiasticis negotiis* (inquit apud Athanasium in epistola ad Solitarios, Osius ad Constantinum Imperatorem scribens) *neque nobis in hoc genere præcipe, sed potius ea à nobis disce; & quemadmodum, qui tuum imperium carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ sunt Ecclesiæ, ad te trahens, magno crimini obnoxius fias.*

Ad se minimè pertinere ecclesiastica negotia, inter laicos præcipui, Imperatores nimirùm, confessi sunt. Petentibus Episcopis facultatem cogendæ Synodi apud Sozomenum lib. 6. cap. 7. respondit Valentinianus Imperator: *sibi qui è laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere: & ideò sacerdotes & Episcopi,* inquit, *quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, ubicumque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant.*

Objicies. Illud stricto jure non pertinet ad solam Ecclesiam, prout animarum pastores complectitur, quod per plura sæcula præstitum est ab Imperatoribus: atqui (ut patet ea hujusce paragraphi conclusione 2.) Imperatores per plura sæcula convocarunt Synodos: ergo, &c.

Confirmatur argumentum ex eo, quòd iis sæculis, nec Episcopi, nec Romanus Pontifex, arguerint Imperatores, quòd jus Ecclesiasticis proprium eo in capite sibi arrogarent; imò Imperatoribus ad Concilia vocantibus morem gessere: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Nam plerumque Imperatores Synodos convocarunt ex Episcoporum, aut consilio, aut petitione; ac proindè, non tam in earum convocatione elucebat Principum, quam virorum ecclesiasticorum potestas. De Nicæna id apertis verbis asserit Ruffinus lib. 1. cap. 1. seu, scribit, eam ab Imperatore, ex *sententia sacerdotum*, convocatam fuisse. Post Ephesinum prædatorium Concilium opus fuit alio: sine mora Leo Magnus author fuit Theodosio, ut in Italia haberetur, non autem Ephesi, sicut prius: *Si pietas vestra* (inquit epistola 12.) *suggestioni, ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium, citò auxiliante Deo poterunt omnia scandala, quæ in turbationem totius Ecclesiæ sunt commota, resecari.* Præterea facta diligenter a jure distinguenda sunt: nec enim sequitur ei jus in rem aliquam competere, qui eam vindicavit sibi.

Ad argumenti verò confirmationem dicendum est, Ecclesiam varias ob causas passam fuisse, imò petiisse, ut Imperatores octo priora Concilia œcumenica convocarent. Iis nimirùm sæculis vigebat adhùc lex civilis, qua vetitum erat, ne fierent hominum, cujuscumque essent conditionis, ac status, collegia ac conventus sine Imperatorum authoritate. Tunc pauper Ecclesia via suis sumptibus potuisset in generalem Synodum convenire: ferebat ergo, ut Imperatores convocarent Concilia, quòd Episcopis vehicula & alimenta præberent.

Instabis. Si jus convocandi Concilia ad Imperatores non spectasset, octo priora, quæ ab illis de facto convocata sunt, non concilia, sed conciliabula extitissent; defuisset quippè conditio essentialis legitimo concilio, nimirùm facta ab ecclesiasticis viris convocatio: sed hoc est absurdum: ergo, &.

Resp. neg. maj. Ratio est 1. quia, ut dictum est, convocata fuerunt ab Imperatoribus ex Ecclesiæ consilio. 2. Episcopi ad illa concilia coacti suo facto declararunt, se consentire in Imperatoriam convocationem. 3. Confirmata est a Romanis Pontificibus ea convocatio: nam ad Synodos ab Imperatoribus coactas miserunt legatos, qui eis suo nomine præsiderent; acceptarunt ipsi postea cum reliquis terrarum Episcopis editas in illis conciliis fidei definitiones.

CONCLUSIO 5. Diœcesanæ Synodi convocari debent ab ordinario loci, provinciales a metropolitanis, nationales a primatibus.

Probatur tum ex constanti Ecclesiæ praxi, tum ex eo, quòd solus Ordinarius loci habeat jurisdictionem immediatam in clerum suæ diœcesis, Metropolitanus in Episcopos provinciæ Ecclesiasticæ cui præficitur, Primas in totam nationem: tum denique ex Augustino Epistola 117. quæ est ad Victorinum de primatu cum Xantippo Episcopo Tagastensi contendentem: *Ut inter tuam sanctimoniam, & senem Xantippum concorditer constet, quis vestrum debeat convocare concilium.*

Quæres, quid facto sit opus in regnis, ubi primates non sunt in usu sui primatus, ut in Hispania, in Germania, in Italia, ac tota Europa, una excepta Ecclesia Lugdunensi, quæ primatu suo fruitur in plures Galliarum provincias Ecclesiasticas?

Resp. eo in casu Concilium nationale convocari debere à singulis metropolitanis. Eo modo singulis quinquenniis Episcopi in Galliis ad comitia generalia conveniunt; unde mirum non est, quòd non solis Ecclesiæ temporalibus bonis consulant, sed malis etiam spiritualibus medeantur.

CONCLUSIO 6. Jure divino, Romano Pontifici, & non alteri Episcopo, convenit authoritas ordinaria convocandi concilia generalia.

Probatur. Illius solum est congregare concilia œcumenica, qui potest singulis totius orbis Episcopis præcipere, ut ad Concilium conveniant; qui enim conventum, cœtum, congregationem jure indicit, non precibus, non invitatione tantùm, sed præcepto utitur; ut patet ex diplomatis convocationum; quæ hucusque aut ab Imperatoribus, aut ab Ecclesiarum pastoribus factæ sunt. Atqui solus Romanus Pontifex potest singulis totius orbis Episcopis præcipere, ut ad Concilium conveniant; nempe ipse solus omnium orbis Episcoporum Episcopus est, & pastor: *Isti sunt, Roma,* inquit Leo Magnus sermone in natali Apost. Petri & Pauli, *qui te ad hanc gloriam provexerunt, ut per sacram Beati Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs præsideres religione divina, quàm dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus imperii tui terra marique protuleris; minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subjecit.* Imperatores verò aliquibus tantùm orbis Provinciis imperarunt antiquitus, & nunc etiam imperant.

Probatur 2. Ex iis, quæ hujusce paragraphi conclusione 2. dicta sunt, constat, nemine contradicente, imò consentientibus omnibus Catholicis, tum clericis, tum laicis, Romanos Pontifices indixisse, ac convocasse omnia Concilia œcumenica, quæ post octavum sæculum celebrata sunt: ergo omnibus tum clericis, tum laicis, qui iis sæculis vixere, persuasum fuit, penès Pontifices Romanos esse jus, de quo agitur; alioquin enim nonnulli aut ex clericis, aut ex laicis, præsertim Principes, ejusmodi convocationi obstitissent, cum primùm ab Episcopis Romanis tentatam advertissent.

Confirmatur argumentum ex Græcorum etiam consensu. Nempè interfuerunt Lugdunensi Concilio quod indictum fuerat a Gregorio Papa X. interfuerunt etiam Florentino, quod ab Eugenio IV. convocatum fuerat. Nonnihil quidem eo in Concilio disputatum est de jure, de quo agitur; volebant enim Græci, ut Papa absque Imperatore non posset convocare synodos: *Admisimus,* inquiunt actione 25. *privilegia Papæ, præterquam duo, ut convocet synodum absque Imperatore, & Patriarchis, si veniant; quòd si advocentur, & non veniant,*

niant, ne propterea impedimento sint, quominus synodus fiat. Igitur ipsi Græci ultrò in summo Pontifice agnoverunt potestatem convocandi concilia generalia; exceptio autem, quam obtendebant, a Latinis rejecta est; nam Eugenius ibidem respondit: *Authoritatem sibi esse, ac facultatem convocandi synodum œcumenicam, ubi opus fuerit, & omnes Patriarchas parere ejus voluntati.*

Probatur 3. Summis Pontificibus semper persuasum fuit, sibi competere jus, de quo agitur. Nicolaus Papa I. hæc scribit Epistola 38. ad Galliarum Episcopos: *Generale concilium sine Apostolicæ sedis præcepto nulli fas est vocandi*. Antiqui nostrates Episcopi idem jus agnovere: *Sic igitur*, ait Hincmarus Rhemensis opusc. 55. cap. 20. *universales synodi specialiter Apostolicæ sedis authoritate convocantur.*

CONCLUSIO 7. Alteri, quàm summo Pontifici aliquibus in casibus competit jus convocandi concilia generalia.

Probatur enumeratione ejusmodi casuum.

Primò. Quando duo contendunt de Papatu, nec eorum aliquis est in possessione, tunc jus convocandi Concilium generale est penès Cardinales. Ratio est, quia eo in casu Sedes Romana vacare censetur, ac proinde qui tunc eam moderantur, possunt, ac debent sufficere medium, quo illius viduitati consulatur.

Secundò. Cum is, qui ex contendentibus est in possessione, non vult generalem synodum convocare, qua lis ejusmodi dirimatur, idem jus est penès Cardinales. Ratio est, quia ubi Ecclesiæ universali periculum imminet, nec ei Papa, qui est in possessione, vult mederi, vicem illius supplere debent, qui primum ab ipso locum occupant.

Tertiò. Si Papa foret, tanquam persona privata, notorius apostata, aut hæreticus, eodem jure fruerentur Cardinales; nec enim Ecclesia posset notorium apostatam, aut notorium hæreticum tolerare.

Quartò. Si Papa esset occultè hæreticus, & occultè apostata, tunc requiri quidem deberet, ut congregaret synodum; si verò nollet, ipse tacitè damnaret seipsum: ac proinde meritò augeret pravam, ac fundatam de se ipso suspicionem.

Quintò. Si Papa, etiam maximè catholicus, nollet convocare synodum, alioquin, ut supponitur, Ecclesiæ absolutè necessariam, tunc fieri deberet, quod faciendum hisce verbis innuit Duvallius part. 4. qu. 2. *Si contingeret Concilium Oecumenicum Ecclesiæ esse prorsus necessarium, ita ut ejus defectu omnia retrò sublapsa ferrentur in Ecclesia, neque induci posset Pontifex, ut illud indiceret, in hoc casu Cardinales possent illud indicere: Qui si etiam nollent, Primates diversorum regnorum possent inter se convenire, & Episcopos sibi subjectos in unum locum convocare; quibus etiam renuentibus, Episcopi ipsi mutuo hortatu, in unum locum, ad Ecclesiæ rebus providendum legitimè inter se convenire possent.*

Quæ dicta sunt de requirendo Pontifice Maximo, ut Concilium convocet, etiam cum agitur de ejus persona, patent ex Patribus tertii Concilii Romani, quod habitum est in causa Symmachi; nempè contestati sunt se ab ipso Papa licèt impetito debuisse convocari &c. *Memorati Pontifices suggesserunt, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare*; sed potentissimus Princeps Theodoricus, qui Concilium convocarat, *ipsum quoque Papam in colligenda synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit; unde & ab ejus mansuetudine paginæ postulatæ sunt, quas ab eo directas constabat*.

Ex iis, quæ ad septimæ conclusionis nostræ probationem prolata sunt, facilè solvuntur, quæ contra sextam conclusionem ab heterodoxis objiciuntur; neque enim, ut causantur, futurus est aliquando casus, in quo Ecclesia nec fidei, nec moribus, nec disciplinæ, possit consulere; siquidem si Papa in extremis Religionis periculis recusaret convocare synodum Oecumenicam, qua imminenti ipsius malo mederetur, tunc Ecclesia, modo quo dictum est, posset seipsam ad Concilium congregare, & sibi ipsi periclitanti consulere.

ARTICULUS II.

Quinam ad Concilia vocari debeant.

Not. 1. Certum est, ad Concilia vocari debere eos omnes, qui ipsi sunt necessarii tanquam aut judices, aut consultores, aut defensores, aut actorum exceptores, sive sint clerici, sive sint laici. Difficultas est, quinam in specie tanquam judices, seu, ad ferendum de rebus propositis definitivum judicium, vocari debeant.

Not. 2. Hæretici, qui elapso proximè sæculo vexarunt Ecclesiam, docuerunt, quemque fidelem, sive sit clericus, sive sit laicus, vocari debere ad Concilium, ac habere jus ferendi vim suffragii, seu, judicii definitivi: ita Lutherus in suo de conciliis libro; ita etiam censent Magdeburgenses Centur. 1. lib. 2. cap. 2.

Not. 3. Catholici è contra docent, solos Episcopos habere in Conciliis, tum Provincialibus, tum generalibus, jus ferendi judicium decisivum: idque ex institutione divina, seu vi characteris Episcopalis, quo insigniti sunt. Addunt, idem jus, sed ex privilegio, hoc est, ex Ecclesiæ concessione, convenire Cardinalibus, Abbatibus & Ordinum generalibus præpositis.

CONCL. 1. Homines laici non habent in Conciliis jus suffragii decisivi.

Probatur 1. ex Scriptura. Concilium, quod Actorum 15. celebratum est ab Apostolis, exemplar est, ad quod cætera omnia Ecclesiæ Concilia exigi debent: atqui in eo Concilio homines laici non habuerunt jus suffragii decisivi. In eo nimirùm, facta tum per Apostolos, tum per seniores disquisitione, soli Apostoli sententiam definitivam protulerunt; soli enim Petrus, Paulus, Barnabas, & Jacobus post factam disquisitionem loquentes inducuntur: è contra altum silentium tenuerunt homines laici: *Conveneruntque*, ait Lucas, *Apostoli & seniores videre de verbo hoc: cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres..... Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam, & Paulum narrantes.... Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus.*

Dices. Seniores primò vocati sunt cum Apostolis ad Concilium: *Conveneruntque Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc*. 2. Simul cum Apostolis expenderunt quæstionem, de qua agebatur; non enim minùs ipsis, quam Apostolis Lucas illius disquisitionem tribuit: *Cum autem magna conquisitio fieret*. 3. Seniorum nomine scripta est Epistola synodica Concilii: *Apostoli & Seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus salutem*. 4. Non minùs Senioribus, quam Apostolis adscribitur definitivum de controversia judicium: *Visum est enim Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria*. Atqui Seniores illi erant homines laici; neque enim Lucas ait, quòd clero adscripti essent: ergo in priore Ecclesiæ Concilio viri laici habuerunt jus suffragii decisivi.

Resp. concessa maj. neg. min. Ratio est, quia vox illa *Senior* idem est, ac alia Græca *Presbyteros*, Græca verò vox *Presbyteros*, licèt in antiquo testamento nonnunquam sumatur pro senioribus ætate; tamen in novo nusquam sumitur, nisi pro senioribus dignitate & ordine; unde dicendum est, seniores, de quibus Lucas Act. 15. loquitur, fuisse aliquos è septuaginta duobus discipulis, quos Apostoli, mortuo Christo, sacerdotes, imò & Episcopos consecraverant.

Confirmatur responsio ex duabus postremis episto-

lis

-lis Joannis. In iis feipfum, licèt Epifcopum, ac Apoftolum, vocat fenioris nomine: *Senior* (inquit in 2.) *Electa domina: Senior*, ait in 3. *Gajo chariffimo*.

Probatur 2. ex traditione, quæ quidem optima eft Scripturarum interpres. Illi non habent in conciliis jus fuffragii decifivi, qui ab Ecclefiæ exordiis, adhæc ufque tempora, nufquam eo jure fruiti funt. Atqui laici ab Ecclefiæ exordiis, adhæc ufque tempora, nufquam fruiti funt jure fuffragii decifivi; neque enim Adverfarii proferre poffunt concilium in quo laici fuffragium, de quo agitur, tulerint; imò laudari poffunt concilia, quibus ne adeffe quidem illis permiffum eft: *Mittite foras fuperfluos* (inquiunt Patres Concilii Chalcedonenfis, loquentes de laicis, ac monachis, quos ex Ægypto fecum adduxerat Diofcorus) *Concilium Epifcoporum eft*.

Confirmatur argumentum. Illi non habent jus fuffragii decifivi in conciliis, qui non habent jus definiendi, quæ credenda funt, aut agenda; fed laici jus illud non habent; fiquidem definire, quæ credenda funt, aut agenda, eft pafcere & docere fidelem populum: atqui laici non poffunt fidelem populum pafcere, ac docere, juxta illud ad Ephef. 4. *Alios autem paftores & doctores, &c.* unde Actor. 20. non quibuslibet Chriftianis, fed tantùm Epifcopis creditum dicitur Ecclefiæ regimen: *Attendite vobis, & univerfo gregi, in quo vos Spiritus fanctus pofuit Epifcopos regere Ecclefiam Dei.*

Objicies 1. Illi habent in conciliis jus fuffragii decifivi, ad quos non minùs fpectat fides, quàm ad clericos; fed ad laicos fideles non minùs fpectat fides, quam ad clericos; quippè non minùs tenentur credere, quam laici.

Confirmatur objectio ex canone, *Ubinam*, dift. 96. in quo fic Nicolaus Papa I. loquitur: *Ubinam legiftis, Imperatores antecеffores veftros, fynodalibus conventibus interfuiffe, nifi fortè in quibufdam, ubi de fide tractatum eft, quæ univerfalis eft, quæ omnium communis, quæ non folùm ad clericos, verùm etiam ad laicos, & omnes omninò pertinent Chriftianos?*

Refp. dift. maj. Si fides ad laicos & clericos eodem modo fpectet, conc. maj. Si alio modo, neg. maj. Ad laicos fpectat tanquam ad difcipulos, ad clericos verò tanquam ad doctores: Unde (ut Bellarminus obfervat) quemadmodum finguli milites non præcipiunt in bello, in quo caufa communis agitur; ita nec in conciliis definire debent quique fideles, licèt in eis caufa communis difceptetur.

Ad confirmationem dicendum eft, in eo valere Nicolai Papæ argumentum, quòd Imperatores communem caufam, tanquam fidei defenfores, tueri debeant; non autem tanquam paftores & doctores: unde Theodofius junior in epiftola ad Ephefinam fynodum, fic de feipfo loquitur: *Illicitum eft eum, qui non fit in ordine fanctiffimorum Epifcoporum, Ecclefiafticis immifceri tractatibus.*

Objices 2. Singuli fideles habent jus fuffragii decifivi in cœtibus, qui univerfam Ecclefiam repræfentant; ut videre eft ad caput Concilii Conftantienfis, & Concilii Bafileenfis.

Refp. neg. maj. Ratio eft, quia univerfa Ecclefia perfectè repræfentatur per Clericos, qui illius funt duces & paftores. Confirmatur ex Cypriano, qui lib. 4. epift. 9. fcribit, Ecclefiam effe in Epifcopo, feu, eam in Epifcopo repræfentari. Confirmatur iterùm ex Auguft. qui lib. 1. de Bapt. cap. 18. afferit, Concilium plenarium, in quo foli fuerunt Epifcopi, effe totius terrarum orbis confenfum.

Objicies 3. Nonnunquam Deus idiotis, fed aliundè piis, revelat myfteria, quæ nec Epifcopis, nec ipfi etiam Concilio Generali revelat: ergo idiotis ejufmodi tribui debet in Conciliis judicium decifivum. Præterea aliqui laici, doctiores funt pluribus Epifcopis; ac proinde non minus, quàm Epifcopi, debent in Conciliis habere fuffragium.

Refp. ad 1. neg. ant. Nempè in rebus, quæ ad fidem, aut mores fpectant, Concilia generalia poft diligens examen femper, Deo fpecialiter adjuvante, certò cognofcunt, quid de iis capitibus Scriptura, aut traditio docuerint; ac proindè, quid de iis, Deus Apoftolis revelaverit. Ad 2. conc. ant. neg. confeq. Ratio eft, quia, ut quis ferat judicium decifivum, non fufficit doctrina, fed præterea requiritur jurifdictio; nam ejufmodi fuffragium ligat fideles, aut ad credendum, aut ad agendum, quod eo fuffragio, aut credi, aut agi debere definitum eft.

Ex iis, quæ ad noftræ conclufionis probationem dicta funt, patet, quàm immeritò Lutherani, & Calviniftæ elapfo proximè fæculo poftularint, ut fuæ fectæ laici, quos dicebant doctos, in Concilio Tridentino jus haberent ferendi in rebus fidei & morum fuffragium decifivum.

CONCLUSIO 2. Jure divino Epifcopi jus habent in Conciliis ferendi fuffragium decifivum.

Probatur 1. ex eo, quòd Epifcopi ad Concilia generalia coacti, jure divino jurifdictionem habeant in omnes Ecclefias. 2. Epifcopi jure divino funt Paftores, & Doctores Ecclefiæ: *Attendite vobis* (inquit Paulus Act. 20.) *& univerfo gregi, in quo vos Spiritus fanctus pofuit Epifcopos regere Ecclefiam Dei*. Jure divino illi habent jus ferendi judicium decifivum in Concilio, qui foli fuerunt judices in omnibus Conciliis, quæ à Chrifto ufque ad finem fæculi 15. habita funt: atqui Epifcopi in iis Conciliis foli fuerunt judices; neque enim alii, quàm Epifcopi in iis fubfcripfiffe leguntur, quæ tertio Ecclefiæ fæculo habita funt Romæ in caufa Novatianorum, in Africa in caufa baptifmatis, in Oriente in caufa Montaniftarum: nullorum quoque aliorum fubfcriptum nomen legitur in Conciliis Generalibus, quæ per quindecim priora fæcula, feu in Oriente, feu in Occidente, habita funt: aut faltem, fi quæ Concilia reperiantur, in quibus Presbyteri fubfcripferint, Epifcopi hoc addidere: *Ego Epifcopus definiens fubfcripfi*; quod quidem non addiderunt Presbyteri.

CONCLUSIO 3. Jure Ecclefiaftico aliquibus abhinc fæculis Abbates, ac Generales Ordinum præpofiti jus habent in Conciliis fuffragii decifivi, licèt non fint Epifcopi, fed fimplices Presbyteri.

Probatur. Confuetudo, legis eft ecclefiafticæ loco: atqui a tempore Concilii Bafileenfis fert confuetudo, ut Abbates, ac Generales Ordinum Præpofiti habeant in Conciliis fuffragium decifivum; nempè eo jure fruiti funt in Conciliis Bafileenfi, Florentino, Lateranenfi fub Leone X & Tridentino.

Objicies. Abbates, ac Ordinum Generales non habent jurifdictionem in fingulas orbis Ecclefias, fed tantùm in fubjectas fibi Congregationes: ergo in Conciliis habere non poffunt fuffragium decifivum.

Refp. Abbates, ac Ordinum Præpofitos Generales habere in Conciliis generalibus jurifdictionem in fingulas orbis Ecclefias, non quidem jure, fed tantùm, ex privilegio, feu, Ecclefia largitur ipfis jurifdictionem quam non habent vi fui officii, vi fuæ dignitatis.

Quæres 1. Quinam Epifcopi poffint Conciliis adeffe, in iifque ferre decifivum fuffragium?

Refp. utrumque poffe fingulos totius orbis Epifcopos, modò non fint excommunicati, licèt fint tantùm titulares. Ratio eft, quia fingulis Epifcopis in folidum, dicente Cypriano, credita eft fides, creditæ funt morum regulæ, creditum eft fub Summo Pontifice regimen Ecclefiæ, creditum eft officium Paftorale; quod quidem regimen, quod officium, canones reftrinxere, quando non celebratur Concilium Generale, ad Ecclefias, quarum Epifcopi habent titulum.

Quæres 2. quot Episcopi requirantur ad Concilium generale?

Resp. requiri 1. ut omnes vocentur ad Concilium, ita ut convocatio innotescat omnibus majoribus Ecclesiæ provinciis: 2. ut nullus Episcopus, modò non sit excommunicatus, a concilio repellatur: 3. ut aliqui Episcopi ex majori parte provinciarum Christianarum se de facto Concilio præsentes sistant.

Confirmantur eæ responsiones ex eo, quòd Concilium Nicænum primum fuerit Concilium generale, quamvis ipsi adfuerint tantum tres Episcopi, & duo Presbyteri Occidentales, qui aliorum omnium personam gerebant; quique Nicæam detulerunt Occidentalis Ecclesiæ suffragium. In secundo & tertio, seu, in Constantinopolitano I. & in primis sessionibus Ephesini, nulli Occidentales adfuere; sed ea tum Damasus, tum Celestinus, coacto Romæ Episcoporum Occidentalium Concilio, confirmarunt. In Chalcedonensi nulli fuerunt Occidentales præter Papæ legatos; verè tamen fuit concilium generale, scilicet ad Patres Chalcedonenses Leo Magnus miserat consensum Episcoporum Hispaniæ, Galliæ, & Italiæ, qui post celebratas in suis provinciis synodos, ipsum de suarum Ecclesiarum fide certiorem fecerant.

Confirmantur iterùm eædem responsiones ex eo, quòd synodi, quæ in Occidente habitæ sunt post nonum sæculum, vere fuerint generales, quamvis perpauci ex Oriente ad eas accesserint, ut in Constantiensi, Viennensi, & Tridentina videre est.

ARTICULUS III.

Quis debeat præesse Conciliis.

Not. 1. NOn est hic quæstio de Conciliis particularibus; nam omnes conveniunt, diœcesanis præesse Episcopum, Provincialibus Metropolitanum, nationalibus Primatem, Patriarchalibus Patriarcham; sed quæstio est de Conciliis generalibus.

Not. 2. Lutherani, Calvinistæ, aliique elapsi proximè sæculi novatores contenderunt, Imperatorem ordinariè præesse debere in Conciliis generalibus, aut per se, aut per legatos a se missos. Addunt, Concilium debere sibi eligere præsidem, si Imperator, nec per se, nec per legatos, ei adesse voluerit. Eo nixi principio, noluerunt se præsentes sistere Concilio Tridentino; nempe causabantur, Pontificem Romanum non potuisse illius esse præsidem.

Not. 3. E contra Catholici omnes docent, soli Romano Pontifici convenire jus ordinarium præsidendi in Conciliis generalibus. Addita est hæc vox *Ordinarium*, eò quòd (ut superiore paragrapho dictum est) nonnulli sint casus, in quibus sine Romano Pontifice Concilia generalia celebrari possunt, v.gr. cum ex duobus de Papatu contendentibus neuter vult congregare generalem synodum, neuter vult adesse convocatæ.

Not. 4. Præsidentia tribus modis sumi potest, vel quoad directionem & suffragium, hoc est, quoad potestatem præscribendi rerum pertractandarum methodum, aut ferendi suffragium; vel quoad firmandum in Concilio ordinem, & conciliandam in eo pacem; vel denique quoad locum materialem, hoc est, quoad honoratiorem locum Basilicæ, in qua celebratur.

CONCLUSIO 1. Nulli unquam Imperatores legitimæ synodo præfuerunt, quoad directionem & suffragium.

Probatur 1. Nullibi legitur, quòd secundùm eam rationem, de qua agitur, Imperatores conciliis præfuerint: 2. contrarium evincitur ex iis, quæ superiore paragrapho dicta sunt: 3. id quoque ex inferiùs dicendis constabit.

CONCL. 2. Imperatores quoad locum materialem, & quoad ordinem & pacem conciliandam præfuerunt plerique Conciliis Generalibus, quæ per octo priora sæcula apud Orientales celebrata sunt.

Probatur prior pars: *Primò*, ex Eusebio, qui lib. 3. de vita Constantini cap. 10. sic loquitur: *Postquam Imperator ad caput subselliorum venit, primus medius stetit, posteaque ante eum humilis sella ex auro fabrefacta, non prius assedit, quam Episcopi ei annuissent: idem omnes post Imperatorem fecere.* Patet ex iis verbis, in Concilio Nicæno 1. Episcoporum subsellia hinc & inde distributa fuisse. Patet iterùm, Imperatorem ad eorum caput in medio sedisse. Atqui locus ille medius, est honoratior. 2. In quarto & sexto Concilio Generali Imperatores dicuntur sedisse in summo & altiore loco. 3. In Concilio Florentino Græci contenderunt, Græco Imperatori, qui ipsi aderat, deberi sedem etiam ante Romanum Pontificem, quòd in Conciliis, quæ in Oriente celebrata sunt, semper tum ante ejusdem Pontificis legatos, tum ante omnes Patriarchas eam occupasset: Lis autem ea conditione composita est, ut Eugenius Papa IV. primam sedem occuparet ad dextram Altaris, & Imperator ad dextram ingredientium respectu.

Probatur altera pars. Certum est, Imperatores vero aliquo sensu pluribus Conciliis Generalibus præfuisse. Leo Papa II. hæc scribit ad Imperatorem Constantinum Pogonatum: *Sancta universalis sexta synodus, quam nutu Dei studiosè vestra clementia convocavit, & cui pro Dei ministerio præfuit.* Actione 8. synodi 7. Irene Imperatrix dicitur cum filio eidem synodo præfuisse. Actione 7. octavæ synodi generalis asseritur, quòd Basilius Imperator ei præfuerit. Sigismundus Romanorum Imperator (ut patet ex actis Concilii Constantiensis) ejusdem Concilii sessioni decimæquartæ præfuit. Atqui (ut supra dictum est) ea præsidentia non intelligitur de præsidentia quoad directionem, aut quoad jus suffragii: ergo intelligitur, aut de loco materiali (ut jam jam observatum est) aut de ordine stabiliendæ & conciliandæ in Conciliis paci necessario.

Confirmatur argumentum: *Primò*, Constantinus Magnus, qui (ut observatum est) in Concilio Nicæno I. sedit in honoratiore loco, professus est, se nihil posse in iis, quæ ad internum Ecclesiæ regimen pertinent, sed tantùm in iis, quæ spectant ad rerum ab Episcopis definitarum executionem: *Quocirca* (inquit Eusebius lib. 4. de vita Constantini cap. 24) *non absurdè cum Episcopos aliquando convivio exciperet, se quoque Episcopum esse dixit, his ferè verbis usus, nobis præsentibus: Vos quidem,* inquit, *in his, quæ intra Ecclesiam, ego verò in iis, quæ extra geruntur, Episcopis a Deo sum constitutus.*

Secundò, Theodosius Imperator expressè asserit, se ad Ephesinum Concilium misisse comitem, ut omnia pacificè, & cum ordine in eo gererentur: *Candidianum* (inquit in Sacra ad idem Concilium) *ad veram synodum abire jussimus, ut Monachos & sæculares, qui hujus spectaculi causa eò nunc confluxerunt, vel confluent, ab illa civitate summoveat: prospiciat, ne qua gravior dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta, synodi consultationem, & veritatis indagationem obturbet.*

Tertiò, Constantinus Pogonatus, qui, ut observatum est, dicitur præfuisse sextæ generali synodo, non alium sibi in ea titulum vindicavit, quam defensoris, & executoris eorum, quæ ab Episcopis statuta fuissent: *Neque* (inquit in sua ad Gregorium Papam epist. quam idem Gregorius refert in antea actis ejusdem synodi) *cum illis*, Episcopis, *tanquam Imperator sedebo, aut imperiose loquar; sed tanquam unus ex illis, & prout statuerint Pontifices, ego exequar.*

Objicies 1. Imperator Theodosius facultatem fecit Dioscoro, ut secundo Concilio Ephesino præesset: ergo Imperatori persuasum fuit penes Imperatores esse

ius

jus præsidere conciliis, aut per se ipsos, aut per alios, etiam quoad vim directivam, & quoad jus suffragii. Prob. ant. ex Evagrio, qui hist. lib. 1. cap. 10. hæc habet: *Hujus concilii præses fuit, Dioscorus, quò odium in Flavianum incenderetur: Chrysaphius enim, qui tunc præfectus Palatii fuit, hanc rem callidè molitus est*. Idem patet ex Sacra Theodosii ad Dioscorum.

Resp. concesso ant. dist. conseq. Ergo Imperatori persuasum fuit, *ex errore*, penès, &c. conc. conseq. *ex vera scientia*, neg. conseq. Id (ut patet es mox laudatis Evagrii verbis) Chrysaphius, & alii Eutichetis defensores, *callidè* Imperatori persuaserant, ut Flavianum, a quo damnatus fuerat Eutiches, faciliùs opprimerent.

Objicies 2. Carolus Magnus quoad vim directivam, & jus suffragii, præfuit Concilio Francofordiensi, quod contra Elipandum habitum est; nam fuit illius arbiter, ut ipsemet testatur in sua ad Elipandum epistola, ubi sic loquitur: *Scriptam itaque in epistola vestra hujusmodi precationem invenimus: Poscentes, ut per te arbiter sedeat: ecce ego vestris petitionibus satisfaciens, congregationi sacerdotum auditor, & arbiter adsedi*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Arbiter fuit quoad ordinem firmandum, & conciliandam in synodo pacem, conc. ant. quoad jus suffragii, neg. ant. Ratio est, quia Carolus Magnus non alia ratione fuit arbiter in Concilio Francofordiensi, quam in Concilio Ratisponensi, in quo dicitur præfuisse: at in isto Concilio non habuit directionem, ac jus suffragii, ut ostenditur ex Alcuino, qui lib. 1. contra Elipandum scribit, in Concilio Ratisponensi, *Eodem glorioso principe præsidente*, Felicem præsentem damnatum fuisse, *synodali authoritate sacerdotum Christi*.

Objicies 3. Illi præfuerunt Conciliis quoad jus suffragii, qui ea confirmarunt approbante, & consentiente Ecclesia: atqui Imperatores, approbante & consentiente Ecclesia, confirmarunt concilia. Eusebius lib. 3. de vita Constantini cap. 17. refert epistolam, qua laudatus Imperator confirmavit Nicænam synodum: *Planè* (inquit in ea epistola Constantinus) *divinum mandatum suscipite: quidquid enim in sanctis episcoporum conciliis geritur, id omne referendum est ad divinam voluntatem*. Patres alterius concilii generalis rerum a se in concilio gestarum confirmationem petunt ab Imperatore Theodosio: *Rogamus*, inquiunt, *tuam clementiam, ut per litteras quoque tua pietatis confirmetur concilii decretum*. Idem in actis primi Concilii Ephesini, & in actis tum sextæ, tum septimæ synodi generalis videre est.

Resp. dist. maj. Qui ea confirmarunt quoad vim obligandi in conscientia, conc. maj. quoad externam tantùm executionem, neg. maj. Principes confirmatione, de qua agitur, conciliis authoritatem intrinsecam non conciliarunt, sed externam tantùm; seu, effecerunt, ut executioni mandarentur; unde per eam confirmationem se hibnerunt se, non judices rerum ecclesiasticarum, sed executores decretorum, quæ a conciliis sancita fuerant: *Convenit* (inquir rex Gunthramnus, confirmans alterum Concilium Matisconense) *ut distinguat legalis ultio Judicum, quos non corrigit canonica prædicatio sacerdotum*.

CONCLUSIO 3. Romani Pontifices, vel per legatos, vel per se, præfuerunt omnibus fere generalibus conciliis.

Probatur. Constat, Romanos Pontifices per se præfuisse omnibus Lateranensibus Conciliis, iis, quæ Lugduni habita sunt, ei, quod Viennæ sub Clemente Papa V. celebratum est, Florentino, quod habitum est sub Eugenio Papa IV. per legatos verò, omnibus aliis, quæ in Occidente habita sunt.

Certum est quoque, Romanos Pontifices non præfuisse per se alicui ex conciliis generalibus, quæ celebrata sunt in Oriente; quippè nulli per se adfuerunt: sed facilè demonstrari potest, iis, quæ pro generalibus primùm habita sunt, per suos legatos præfuisse.

Primo. Nicænæ primæ synodo nomine, & vice Sylvestri Papæ, præfuerunt Osius Episcopus Cordubensis, Vitus, & Vincentius præsbyteri.

De Osio scribit Athanasius in epistola ad Solitarios, quòd Nicæni Concilii princeps fuerit. At qua ratione id honoris præ Patriarchis Orientalibus habuisset Occidentalis Episcopus, nisi primæ Sedis vices egisset?

Photius libro de septem synodis, Osio Vitum, & Vincentium tanquam Sylvestri legatos adjungit: reverà Vitus, & Vincentius ad concilium missos a Sylvestro fuisse, scribit Theodoretus hist. lib. 1. cap. 7. *Episcopus autem Romanus*, inquit, *propter ætatem admodùm ingravescentem absfuit, verùm duos ille misit presbyteros, potestate illis concessa, actis illius concilii assentiendi*. Socrates id ante scripserat, addens eos Romani Pontificis locum tenuisse: *Urbis verò illius, penès quam imperium est*, inquit hist. lib. 1. cap. 5. *Episcopus ingravescente ætate præpeditus absfuit, sed ejus presbyteri, qui aderant, ejus locum supplevere*. Idem iis, qui postea floruerunt, Episcopis persuasum fuit. Hæc enim habet Hincmarus lib. 55. cap. 20. *Sylvestri tempore*, inquit, *celebrata est sacra Nicæna synodus, cui ad vicem Sylvestri præsederunt Osius Cordubensis Episcopus, Vitus, & Vincentius presbyteri urbis Romæ*.

Dices. Multa probare videntur, nec Osium, nec Vitum, nec Vincentium præfuisse Nicænæ primæ synodo. *Primo*, nec Eusebius, nec Socrates, nec Sozomenus, nec Theodoretus id affirmant, quamvis de Osio, Vito & Vincentio locuti fuerint, ut patet ex testimoniis, quæ ex illis laudata sunt. 2. Eusebius primum inter Episcopos Nicænos locum tribuit Eustathio Episcopo Antiocheno: *Episcopus autem* (inquit lib. 3. de vita Constantini cap. 11.) *qui in dextro ordine primam sedem occupabat*, hoc est, Eustathius, ut Theodoretus asserit, lib. 1. hist. cap. 7. *perbrevi oratione Imperatorem affatus est*.

Resp. ad 1. neg. ant. Nam id dicunt, saltem *implicitè*, Socrates & Theodoretus, dum scribunt Vitum & Vincentium supplevisse locum Romani Pontificis.

Ad 2. dicendum videtur, quòd Eustathio Antiocheno, tum propter eximiam sanctitatem, tum propter ætatem, prima a dextro ordine sedes concessa sit; neque enim eam habuit jure suæ sedis; siquidem sedes Alexandrina potior erat Antiochena. Vel dicendum est, illum ordinem, in quo sedebat Eustathius, fuisse dextrum respectu ingredientiū in aulam, in qua celebrabatur concilium, non autem respectu Imperatoris; ac proindè Eustathium non sedisse in honoratiore loco. Simile quidpiam (ut superiùs observatum est) in Concilio Florentino inter Eugenium Papam IV. & Græcorum Imperatorem visum est.

Bellarminus censet, extitisse tres ordines sedium in aula, in qua celebratum est Concilium: unum a dextris, alterum a sinistris, & tertium in capite totius aulæ. Et quidem, inquit, in hoc tertio sedebat medius Imperator inter Osium, cui proximè assidebant Vitus & Vincentius, & inter Alexandrum Alexandriæ Episcopum. Deindè primus ordinis ejus, qui erat a dextris ingredientium respectu, sedebat Eustathius Episcopus Antiochenus. Altersus autem ordinis, qui erat a sinistris, primus sedebat Macharius Hierosolymorum Episcopus. Verùm, ut ait laudatus Cardinalis, conjecturæ sunt hæc, non autem facta, quæ authoritatibus probari possint.

Secundò. Concilio Ephesino I. quod habitum est contra Nestorium, Cyrillus Episcopus Alexandrinus

præfuit nomine Celestini Papæ. Id testatur Evagrius hist. lib. 1. cap. 4. *Cyrillo*, inquit, *locum Celestini Episcoporum antiquæ Romæ gerentis obtinente*: id quoque patet ex epist. Celestini ad Cyrillum: *Quamobrem*, ait, *nostra sedis authoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris; nempè ut nisi &c.*

Nec alicujus est momenti, quod respondet Blondellus Calvinista, contendens, Cyrillum in eodem Concilio implevisse vices Episcoporum Africanorum, ut patet ex relatione per Comitem Candidianum missa ad Imperatorem; nec inde tamen sequi, quòd tanquam Africanorum legatus Ephesinæ synodo præfuerit.

Non est, inquam, alicujus momenti, tum quia nusquam legitur, ut tamen habetur de Celestino, quòd Episcopi Africani vices suas Cyrillo commiserint; tum etiam, quia expressè asseritur, Afros adfuisse Concilio, eo sensu, quòd Cyrillo suam sententiam conjunxerint; tum denique, quia nusquam dicitur, quòd Afri monuerint, hortatique fuerint Cyrillum, ut suo nomine, sua authoritate, sui throni eminentia, Nestorium deponeret: quod tamen dicitur de Celestino.

Tertio. Leo Magnus præfuit Concilio Chalcedonensi: *In his fratribus* (inquit in epistola ad synodum Chalcedonensem) *qui ab Apostolica Sede directi sunt, me synodo fraternitas vestra existimet præsidere*. Idem videre est in ejusmodi synodi epistola ad Leonem: *Quibus* (verba sunt Episcoporum Chalcedonensium) *tu quidem sicut membris caput praeras in his, qui tuas vices ebibant.*

Cófirmatur ex eo, quòd Leonis legati in singulis Concilii actionibus primi nominentur, primi sedeant, primi loquantur, primi subscribant, ipsi depositionis sententiam in Dioscorum proferant nomine Summi Pontificis, & totius Concilii: *Sanctissimus, ac Beatissimus Papa*, inquiunt actione 3. *per nos legatos suos, sancta synodo consentiente, Episcopali dignitate Dioscorum nudavit, &c.*

Quartò. Sextæ generali synodo præfuisse Agathonem Papam per Petrum, & Georgium presbyteros, ac Joannem Diaconum, patet, tum ex eo, quòd in omnibus actionibus primi nominentur, loquantur, subscribant; tum etiam, quòd in sermone ad Imperatorem, qui aderat, laudatæ synodi Patres hæc, de sua definitione loquentes, affirment: *Per Agathonem Petrus loquebatur.* Multa alia ejusdem generis in ejusdem Concilii variis actionibus legere est.

Quintò. Nomine Adriani Papæ II. octavæ generali synodo præfuerunt Donatus & Stephanus Episcopi, & Marinus Diaconus. Prior hisce verbis ad Concilii calcem subscripsit: *Ego Donatus Dei gratia Episcopus Hostiensis, locum obtinens domini mei Adriani universalis Papæ, huic sanctæ & universali synodo præsidens, omnia quæ superius leguntur, promulgavi, & manu propria subscripsi.*

Quæres, an Papa præfuerit secundæ, & quintæ Synodo generali?

Resp. negativè. Ratio est, quia cum babebatur secunda, Damasus aliam Romæ coegerat, per quam confirmavit secundam. Cum habita est quinta, Papa Vigilius Constantinopoli quidem aderat, sed noluit ei adesse, licèt invitatus fuisset, ut illi præsidere dignaretur: *Ideò petimus* (inquiunt per Eutichium laudati Concilii Patres collat. 2.) *præsidente nobis vestra beatitudine, &c.*

CONCLUSIO 4. Solus Romanus Pontifex jus habet ordinarium præsidendi in Conciliis generalibus.

Probatur 1. Ille habet jus ordinarium, de quo agitur, qui præfuit omnibus Conciliis generalibus, quæ hactenùs habita sunt, uno & altero excepto, quæ postea ab illo confirmata sunt: atqui iis revera præfuit Romanus Pontifex, ut superiori conclusione demonstratum est.

Probatur 2. Ille, & quidem jure divino, habet jus ordinarium præsidendi in conciliis generalibus, qui est omnium Episcoporum Pastor, visibile totius Ecclesiæ caput, qui a Christo primatum habet in tota Ecclesia: atqui (ut inferius ostendetur) Romanus Pontifex est omnium Episcoporum Pastor, visibile totius Ecclesiæ caput, habet a Christo primatum in tota Ecclesia: ergo, &c.

Quæres, num legitima forent Concilia Generalia, in quibus Romanus Pontifex, nec per se, nec per legatos præsideret?

Resp. non fore legitima, si missis à Romano Pontifice legatis præsidentia negaretur. Id patet ex concilio Ephesino secundo, quod quidem præ ceteris causis, tanquam latrocinium habitum est, quia missis a Summo Pontifice legatis præsidentia negata fuerat a Dioscoro Alexandrino Patriarcha, qui eam callidè, Chrysaphii opera, ab Imperatore Theodosio extorserat.

Quæ hæretici contra postremam hanc nostram conclusionem solent objicere, soluta manent ex iis, quæ in defensionem primæ, secundæ, & tertiæ, suo loco prolata sunt.

ARTICULUS IV.

De Conciliorum authoritate.

Not. 1. Ex iis, quæ hujusce capitis articulo primo dicta sunt, patet, Concilia quadruplicis esse generis, nimirùm Diœcesana, Provincialia, Nationalia, Generalia.

Not. 2. Lutherus libro de Conciliis, docet nullum prorsùs esse concilium, quod divinæ sit authoritatis: contendit nempè, nullum esse, quantumcumque generale, & a quocumque approbatum supponatur, quod tum in fide, tum in moribus errare non possit. Luthero subscribit Calvinus Institutionum lib. 4. cap. 9. In eam verò sententiam abierunt Lutherus, & Calvinus, quod pleraq; ex dogmatibus, quæ propugnabant, quæque prætensæ suæ reformationis sunt fundamenta, jampridem a conciliis Generalibus damnata essent; cernerentque, brevi iterum damnanda in Concilio Tridentino, quod contra hæreticos illos Paulus Papa III. convocarat. E contra Catholici omnes credunt, Concilia Generalia, si legitimè convocata, si ab iis, ad quos spectat, liberè celebrata fuerint, si debitam approbationem habeant, divinæ esse authoritatis; nec id mirum est, inquiunt; ea enim concilia, nec in fide, nec in moribus errare possunt.

CONCLUSIO 1. Nec diœcesanæ, nec provinciales, nec nationales synodi sunt authoritatis divinæ: unde ex iis infallibile pro fide, aut moribus argumentum erui non potest.

Probatur. Eæ synodi non sunt divinæ authoritatis, quæ tum in fide, tum in moribus errare possunt: atqui synodi, de quibus agitur, errare possunt; siquidem non repræsentant universam Ecclesiam, quæ sola (ut dicetur inferiùs) infallibilis est, sed repræsentant tantùm quasdam particulares Ecclesias, quæ errare possunt, & nonnunquam de facto errarunt, ut patet in Africana, quæ, agente Cypriano, pluribus in conciliis definiit, irritum esse datum ab hæreticis baptisma.

CONCLUSIO 2. Ex synodis diœcesanis, Provincialibus, & nationalibus, nisi major aliarum Ecclesiarum pars iis repugnet, licet non infallibile, non leve tamen pro fide, & moribus argumentum erui potest.

Probatur conclusio 1. Quoad synodos diœcesanas in capite *Ad abolendum, de hæreticis*, Lucius Papa III. decernit, vinculo anathematis verè eos innodari, quos, vel Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diœceses suas cum Concilio clericorum, vel etiamsi oportuerit, vi-

cino-

cinorum Episcoporum, hæreticos judicaverint: ergo Lucius III. judicavit, ex synodis diœcesanis non leve pro fide & moribus argumentum sumi posse.

Nec valet, quod nonnulli respondent, eam Lucii Decretalem intelligi de manifestis hæreticis. Nam eodem modo, servata tamen debita proportione, loquitur de Ecclesia diœcesana, ac de Romana: *Quos inquit, vel Ecclesia Romana, vel singuli Episcopi, &c.* Atqui Ecclesiæ Romanæ judicium non habet locum solum in hæreticis hæresim jam damnatam profitentibus, sed etiam in iis, qui dogmata propugnant, quæ tunc primum in eis damnantur.

Probatur iterùm conclusio, quoad synodos Provinciales. 1. Argumentum, quod pro diœcesanis prelatum est, locum habet in Provincia libus. 2. Non leve eruitur argumentum ex iis synodis, quas contingit rarò falli: atqui synodi Provinciales perrarò falluntur; nam ex innumeris ferè, quæ à sæculo secundo ad hæc usque tempora celebratæ sunt, iis exceptis, quæ rebaptizationem sub Firmiliano, & Cypriano probarunt, via aliquas reperire est, quæ erraverint: eæ etiam, quibus probata fuit rebaptizatio, utcumque excusari possunt, si dicatur, eas non judicasse causam rebaptizationis ad fidem, aut ad mores pertinere, sed ad meram disciplinam, quam quisque salva religione pro diversis regionum consuetudinibus servare, aut non servare posset.

Quod de conciliis provincialibus mox dictum est, à fortiori locum habet in conciliis nationalibus, quæ tum diœcesana, tum provincialia, aut irrita facere, aut confirmare possunt.

CONCLUSIO 3. Concilia generalia, quibus nullæ desunt requisitæ a catholicis conditiones, infallibilis sunt authoritatis; unde desumptum ex eis pro fide, aut moribus argumentum, est omninò certum.

Probatur 1. ex his verbis Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, ex eis enim sic conficitur argumentum: cum duo, vel tres authoritate Christi conveniunt in aliquem locum, ab ipsoque veritatis cognitionem petunt, Deus eis largitur ejusdem veritatis cognitionem: ergo a fortiori eam largitur Episcopis ad Concilium generale authoritate Christi coactis.

Confirmatur argumentum 1. ex eo, quòd illud argumentum videatur esse ipsiusmet Christi ratiocinatorem. Paulò ante verba, de quibus agitur, Christus dixerat, Ecclesiam sub anathematis pœna audiri debere: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Nomine autem Ecclesiæ intelleaerat pastorum corpus; quippe ad eos tantùm spectant, quæ de audienda Ecclesia subjiciuntur: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Cùm autem quærere potuissent Apostoli, qua ratione scire possent se adunatos in Concilium semper a Deo recepturos veritatis cognitionem, Christus usus argumento a minori ad majus, respondit, id quod de Ecclesia dixerat, revocari non posse in dubium, cum etiam in privatis, bona sibi ad salutem convenientia petentibus, habiturum esset locum illud Evangelii: *Ubi duo, &c.*

Confirmatur 2. ea traditione, quæ (ut suo loco dictum est) regula est certissima ad judicandum, quinam sit germanus Scripturarum sensus. Concilium Chalcedonense in epistola ad Leonem Papam, quæ legitur ad calcem actionis tertiæ: sexta generalis synodus, actione 17. Celestinus in epistola ad Ephesinum I. Concilium verba Evangelica: *Ubi duo, &c.* exponunt de Conciliorum infallibilitate in iis, quæ aut ad fidem, aut ad mores pertinent.

Probatur 2. ex his verbis Actorum 15. *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Idem ferri debet judicium de Conciliis generalibus, quæ celebrantur in Ecclesia, ac de eo, ad quod Actorum 15. convenerunt Apostoli: tum quia illud Apostolorum Concilium est aliorum omnium forma, ac regula; tum etiam, quia non minùs aliis temporibus, quam Apostolicis, Ecclesiæ, ut seipsam ab erroribus immunem conservet, opus est Spiritu sancto, à quo veritatem in Conciliis doceatur. Atqui Concilium, ad quod Apostoli convenerunt Actorum 15. divinæ fuit auctoritatis, quippè editam in eo definitionem Scripturæ Spiritui Sancto tribuit: *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

Probatur 3. Concilia generalia repræsentant totam Ecclesiam. Id siquidem docet Augustinus lib. 1. de Baptis. cap. 18. Docet etiam Martinus Papa V. ad calcem Concilii Constantiensis, ubi jubet, ut ii, qui venerint in hæreseos suspicionem, interrogentur: *An non credant, Concilium generale universam Ecclesiam repræsentare.* Sed (ut dicetur inferiùs) Ecclesia universa errare non potest: ergo nec Concilium generale; proindèque editæ ab eo definitiones sunt divinæ authoritatis.

Probatur 4. Fideles in iis, in quibus Scripturæ sensus est dubius, debent præpositis sibi pastoribus obedire: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi* (inquit Christus Matthæi 23.) *quæcumque dixerint vobis, facite.* Non ex alio capite, quam quòd au diti non sint legitimi pastores, exortæ sunt hæreses: *Neque enim* (ait Cyprianus lib. 1. epist. 3.) *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quòd sacerdoti Dei non obtemperatur.* Ergo audiendi sunt pastores, præsertim in concilio generali nomine totius Ecclesiæ loquentes: ergo tunc errare non possunt; nam alioquin eo etiam in casu fideles non tenerentur eis obedire: quod tamen (ut ea Scriptura, & Cypriano mox dictum fuit) falsum est omninò.

Probatur 5. Traditione docemur 1. antiqua concilia habuisse pro hæreticis, ac anathemate damnasse eos, qui conciliariter editis fidei definitionibus subscribere noluerant. Docemur 2. concilia jussisse fidelibus, ut id ea animo crederent, quod definierant. Docemur 3. ea tribuisse Spiritui sancto editas a se definitiones. Docemur 4. viros maxime pios & doctos exilia, mortem ipsam passos fuisse pro generalium conciliorum definitionibus. Docemur 5. non debere in conciliis posterioribus iterùm examinari fidei, aut morum definitiones editæ in prioribus generalibus Conciliis. Loca quibus ea omnia nituntur, non hìc laudamus, quòd cuique obvia sint.

Probatur 6. ex absurdis. Si concilia generalia non sint divinæ authoritatis, quisque fidelis, quantumcumque plebejus sit, antequam Trinitatis consubstantialitatem, incarnationem Verbi, aliaque religionis mysteria credat, tenebitur in examen adducere definitiones, quæ de iis articulis editæ sunt in conciliis generalibus quondam ab Ecclesia adversùs hæreticos celebratis; ac proinde certò credere debebit, quòd veriùs ac saniùs de Scripturis, in quibus illa mysteria saltem implicitè continentur, judicare possit, quam Patres, qui à Christo ad hæc usque sæcula vixere: quàm autem id sit absurdum, nemo non videt.

Solvuntur, quæ contra Conciliorum infallibilitatem ex Scripturis, & Patribus objiciuntur.

Objicies 1. Omnes omninò pastores errare possunt; reipsa nimirùm errarunt omnes in veteri testamento: *Speculatores ejus*, inquit Isaias c. 56. *cæci omnes, neque quidquam noverunt: omnes canes muti, nec valen: latrare.* Hæc etiam habentur Ieremiæ 6. *A propheta usque ad sacerdotem quisquis sectatur mendacium*: atqui Concilium generale non est aliud, quam omnium, aut saltem plurium ex omnibus orbis partibus, Episcoporum cœ-

cœtus: ergo concilium generale potest errare; ac proinde, quantumcumque legitimum supponatur, non est authoritatis divinæ.

Resp. 1. neg. maj. Ratio est, quia (ut Augustinus lib. de unitate Ecclesiæ cap. 12. observavit) Scriptura solet omnes arguere propter aliquos malos; & e contra nonnunquam omnes commendat propter aliquos bonos: v. gr. Apostolus ad Philippenses cap. 2. scribit: *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*; & tamen cap. 1. dixerat, nonnullos ex charitate annuntiare Christi Evangelium.

Resp. 2. dist. maj. Omnes pastores seorsim, ac distributivè sumpti, errare possunt, conc. maj. Collectivè sumpti, aut congregati ad concilium, neg. maj. Ratio disparitatis est, quia Deus cuilibet in individuo pastori non promisit infallibilitatem, quam tamen corpori pastorum, & concilio ex eis constanti pollicitus est: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. De pastoribus priore modo, non autem posteriore, intelligi debent loca, quæ in argumento ex Scripturis laudata sunt.

Objicies 2. Gregorius Nazianzenus in epistola ad Procopium, scribit, se nullius concilii vidisse felicem exitum. Augustinus lib. contra Maximinum cap. 14. ait, se non debere laudare Nicænum Concilium adversùs Maximinum, nec Maximinum posse contra ipsum Augustinum urgere Concilium Ariminense. Idem S. Doctor lib. 2. de Baptis. c. 3. asserit, concilia plenaria priora a posterioribus emendari. Leo Magnus epist. 55. ad Pulcheriam, ambitionis ac superbiæ notam inurit Chalcedonensi Concilio, quamvis illud agnoscat pro legitimo, & œcumenico. Ex iis verò Patrum locis sic conficitur argumentum: Ii cœtus non sunt infallibiles, quorum nullus est felix exitus; qui pro abstruenda fide laudari non possunt; qui nonnunquam a posterioribus cœtibus emendantur: atqui ejusmodi sunt concilia generalia: ergo non sunt infallibilia.

Resp. ad 1. loqui Nazianzenum de synodis, quæ sub Constantio Imperatore Ariano celebratæ sunt; in iis nempe, aut non erat suffragiorum libertas, ut in Ariminensi contigit; aut non erant generales synodi, ut revera non fuerunt pluriinæ, quæ Gregorii Nazianzeni tempore apud Orientales, contradicentibus Episcopis Occidentalibus, habitæ sunt.

Ad 2. dicendum est, Augustinum argumentari ex suppositione Maximini, qui contendebat Concilium Nicænum I. non fuisse legitimum; e contra legitimum fuisse Ariminense, quod quidem (ut infra dicetur) saltem in specie, Arianis faverat.

Ad 3. dici debet, Augustinum nomine *plenariorum Conciliorum*, loco relato intelligere nationalia, non autem œcumenica; unde multi contendunt, Concilium Arelatense I. licet non sit œcumenicum, esse tamen *plenarium* illud, in quo, ex Augustino, causa de rebaptizatione, quæ diù Ecclesiam vexarat, finita est. Præterea non in rebus, quæ ad fidem, aut mores pertinent, posteriora Concilia, de quibus Augustinus loquitur, solent emendare priora; sed tantùm in iis, aut quæ sunt facti tantùm, aut quæ ad meram disciplinam pertinent. Ratio est, quia Augustinus docet, emendationem, de qua agit, fieri quando experimento aliquo aperitur, quod clausum fuerat: id verò locum habet tantùm in quæstionibus facti, aut in iis, quæ ad meram disciplinam spectant; nec enim quæstiones, quæ sunt aut de fide, aut de moribus, novo aliquo experimento aperiuntur.

Solvuntur, quæ objiciuntur ex Concilio Judæorum adversùs Christum.

Objices. Concilium, in quo Judæi definierunt, Christum non esse Messiam in lege promissum, fuit concilium generale; quippe constabat ex summo sacerdote, ac præcipue Judæorum pastoribus. Illius concilii meminerunt Joannes Evangelii cap. 9. Marcus cap. 14. Atqui illud Judæorum Concilium erravit, & quidem in re, quæ ad fidem spectabat, quæque erat maximi momenti: ergo concilia generalia errare possunt in rebus, quæ ad fidem, aut mores pertinent.

Nec admitti debet eorum solutio, qui respondent, argumentum petitum a Conciliis Judæorum non valere adversùs Concilia Christianorum, eò quòd Deus Conciliis Judaicis non pollicitus fuisset infallibilitatem, quam tamen Christus Christianorum Conciliis promiserit hisce verbis: *Ubi duo, vel tres, &c.*

Non est, inquam, admittenda ea solutio. Nam 1. non minùs in antiquo testamento, quam in novo, Deus dubitantes de Scripturarum sensu remittit ad pastores, à quibus doceantur: *Si ambiguum, &c. venies ad sacerdotes Levitici generis*. 2. Si Judæorum generalia concilia non fuissent infallibilia, Judæi certò scire non potuissent, legis, ac Prophetarum libros fuisse Canonicos: certò etiam scire non potuissent germanum suarum Scripturarum sensum; non enim alia via, quam per concilia generalia, aut totius synagogæ consensum, Judæi, præsertim plebeji, ac rudiores, illas similesque scientias comparare potuissent.

Resp. 1. Concilium, de quo est hic quæstio, fuisse generale concilium. 2. Fatemur, illud concilium errasse, sed negamus inde sequi, quòd errare potuissent alia concilia generalia, quæ priùs habita fuerant apud Judæos: negamus quoque inde sequi, quòd errare possint ea, quæ apud Christianos celebrantur. Erravit Judæorum Concilium, de quo agitur, quia habitum est eo tempore, quo Judæorum synagoga desierat esse infallibilis; nempe Judaicæ synagogæ ad tempus tantùm, hoc est, usque ad adventum Christi, infallibilitas concessa fuerat. Nec id mirum est; tunc enim synagoga desinere debebat, & dare locum Ecclesiæ Christianæ: tunc, hoc est, tempore, quo Ecclesia Christiana cœpit in Christo, Judæis ad judicandum, an Christus esset Messias, necessaria non erat synagogæ infallibilitas; quisque nimirùm privatus certò cognoscere poterat, Jesum Nazarænum esse Messiam in lege promissum, quia id manifestò demonstrabant infinita, ac evidentia miracula, quæ Christus in suæ missionis confirmationem operabatur.

Solvuntur argumenta petita ex Apostolicis, ac Eliberitanis Canonibus.

Objicies. In Canonibus, qui dicuntur Apostolici, nonnulli sunt errores; reprobant scilicet datum ab hæreticis baptisma, tanquam nullum, ac irritum. In Concilio Eliberitano non pauci quoque reperiuntur; nam vetant, ne quibusdam reis, licèt ex animo pœnitentibus, detur, etiam in ultimo vitæ discrimine, sacramentalis absolutio; quod quidem Novatianismum redolet. Vetant quoque, ne imagines in parietibus pingantur. contrarium licèt usum probet Ecclesia Catholica: ergo errarunt antiquissima etiam Concilia, quamvis fuerint generalia, ut reverà fuisse videntur Concilia, in quibus editi sunt Canones, qui dicuntur Apostolici, & ii, quos Eliberitanos appellant; quippè tota Ecclesia Orientalis per tria priora sæcula usa est Canonibus Apostolicis, Eliberitanis verò plures Occidentales Ecclesiæ.

Resp. 1. dato ant. neg. conseq. Ratio est, quia nec Apostolici, nec Eliberitani Canones editi fuerunt in aliquo concilio generali. Apostolici nihil sunt aliud, quam collectio facta ex variis synodis, quæ in Oriente per tria priora sæcula celebrata sunt; Eliberitani verò collecti sunt ex synodis, quæ prioribus illis sæculis habita

bita

bita sunt in Hispaniarum Ecclesiis.

Resp. 2. Ecclesiam Romanam ex Apostolicis Canonibus recepisse solos quinquaginta priores; nec enim ampliorem numerum Dionysius Exiguus retulit in collectionem, quam postea Gelasius Papa probavit. Ille autem Canon, qui rebaptizationem præscribit, non est ex numero illorum quinquaginta; editus videtur in Concilio Synadensi in Phrygia sub Firmiliano Stephani Papæ in causa rebaptizationis adversario.

Resp. 3. Eliberitanos Canones nullum prorsùs errorem continere. Negant quidem ii Canones absolutionem reis quibusdam, licèt pœnitentibus, & in exitu positis; sed ita cautum est (ut in tractatu de Sacra mentis dicetur) non quòd Eliberitani Patres censerent, Ecclesiam non posse a quibuslibet peccatis absolvere pœnitentes, ut contenderunt Montanistæ & Novatiani; sed sic statutum est disciplinæ causa, seu, ut a quibusdam gravissimis sceleribus committendis fideles tam gravi pœna deterrerentur. Canon, in quo de imaginibus agitur, non damnat pium illarum cultum, sed tantum vetat, ne pingantur in parietibus; id vero sancitum est, ne Christi, aut illius mysteriorum imagines, idololatrarum ludibrio exponerentur; aut saltem, ne quibusdam fidelibus recentèr ex idololatria ad fidem conversis essent offendiculo.

Solvitur argumentum petitum ex Ephesino II. Concilio.

Objicies. Concilium Ephesinum II. quod Dioscoro Alexandrino præside habitum est, erravit; probavit nimirùm impium Eutichetis dogma de una in Christo natura. Illud autem Concilium fuit œcumenicum. Nam 1. convocatum fuerat ex consensu Romani Pontificis: 2. illi adfuerunt Sanctæ Sedis Apostolicæ legati: 3. ad ipsum confluxerant omnes Orientis provinciæ. Ergo Concilia œcumenica errare possunt; proindeque non sunt authoritatis divinæ.

Resp. conc. maj. dist. conseq. Concilia œcumenica errare possunt, si in eis libera non sint Episcoporum suffragia, conc. conseq. Si sint libera, neg. conseq. Quæ in Concilio Ephesino II. acta sunt, omnia contra ordinem & per vim facta sunt. *Primò*, enim Dioscorus contra Canones præsidentiam extorserat a Theodosio Juniore: *Hujus Concilii* (inquit Evagrius hist. lib. 1. cap. 10.) *præses fuit Dioscorus; quò odium in Flavianum incenderetur: Chrysaphius enim, qui tunc præfectus Palatii fuit, hanc rem calliдè molitus est.* Idem Dioscorus *Secundò*, prohibuit, ne in Concilio, de quo agitur, Flavianus, qui Eutichen Constantinopoli damnarat, suffragium ferret. *Tertiò*, Episcopi, qui Ephesino II. Concilio subscripserant, asseruerunt postea in Concilio Chalcedonensi, se vim esse passos a militibus, qui Basilicam, in qua celebrabatur Concilium, occupaverant. *Quartò*, varias ob alias causas, de quibus consuli possunt historici, rejectum fuit, ac proscriptum in Concilio Chalcedonensi, in quo omnia secundùm ordinem, & secundum Canones peracta sunt.

Solvitur argumentum desumptum ex Concilio Ariminensi.

Objicies. Concilium Ariminense, quod anno 359. habitum est, fuit concilium generale; tum quia ipsi aderant sexcenti Episcopi, tum quia ejus veluti pars erat Concilium Seleuciense, quod eodem tempore, & propter eandem causam in Oriente celebrabatur: atqui Concilium Ariminense erravit. Nam 1. ex symbolo erasit vocem *Consubstantialem*, quam Nicæna I. synodus illi contra Arianos inseruerat. 2. Ipsum errasse, scribit Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos, atque, per illud Arianismum invectum esse in universum orbem: *Tunc*, inquit, *Nicænæ fidei damnatio conclamata est, ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.* 3. Non omnibus Episcopis, qui subscripserant Concilio Ariminensi, conservatæ postea fuerunt sedes, sed iis tantùm, quos facti pœniteret; nempe in Alexandrina synodo, quæ post Ariminensem habita est, constitutum est, ut exceptis authoribus hæreseos, *pœnitentes*, Ecclesiæ sociarentur.

Resp. 1. Concilium Ariminense, quamdiù liberum fuit, strenuè pugnasse pro Nicæna fide ipsa etiam *Consubstantialis* voce: id ex ejusdem Concilii priore parte evidens est.

Resp. 2. Idem Concilium per Arianorum vim, & fraudem egisse, quæ in eo reprehenduntur. *Primò*, Episcopi vi, ac fraude coacti, deleverunt ex symbolo *Consubstantialis* vocem: *Secundò*, communicarunt cum Arianis: *Tertiò*, toti Ecclesiæ scandalo fuerunt: verùm contendimus, eos etiam tunc nihil contra fidem definiisse.

Et sanè, licèt œconomiæ causa Patres Concilii Ariminensis temperaverint a voce *Consubstantialis*, usi sunt tamen terminis, quibus censebant exprimi Nicænam fidem, quamvis iisdem terminis contra eandem fidem Ariani postea abusi sint: *De Usia verò nomine abjiciendo* (inquit Hieronymus, adversùs Luciferianos agens) *verisimilis ratio probatur, quia in Scripturis, ajebant, non invenitur, & multos simpliciores novitate sua scandalizat, placuit auferri. Non erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto.*

Præterea Ariani in Concilio Ariminensi non se exhibuerunt in specie hostes fidei Nicænæ, sed tantùm vocabuli *Consubstantiale*; unde persuasum fuit Catholicis Episcopis, Arianos suum antiquum errorem deposuisse; sic enim Catholicos, detecta deinceps Ursacii, Valentis, & aliorum Arianorum fraude, loquentes inducit Hieronymus: *Putavimus sensum congruere cum verbis, nec aliud in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio.*

Ex iis, quæ mox dicta sunt, sequitur, quòd orbis post Concilium Ariminense ingemuerit se esse Arianum non quidem in re, sed in specie tantùm, nimirùm propter Episcoporum silentium de voce *Consubstantialis*, nec non propter communionem cum Arianis, qui tamen Catholici putabantur. Silentium illud, ea communio, toti Ecclesiæ scandalo fuerant; ac proindè meritò statutum est in Concilio Alexandrino, ne Sedes indulgerentur, nisi pœnitentibus: de decreto, quod soli Lucifero Calaritano Episcopo displicuit, sic loquitur Hieronymus: *Assensus est huic sententiæ Occidens, & per tam necessarium Concilium Sathanæ faucibus mundus ereptus est.*

Solvitur argumentum petitum ex sexto generali Concilio.

Objicies. Concilium Constantinopolitanum III. quod anno 680. habitum est adversùs Monothelitas, est concilium generale. Nam 1. passim dicitur sextum œcumenicum. 2. Agatho Papa ei per suos legatos præfuit. 3. Confirmatum fuit à Leone Papa II. ut patet ex illius epistola, quæ extat ad calcem ejusdem Concilii. 4. Illi consenserunt omnes ubique gentium Ecclesiæ Catholicæ. Atqui illud Concilium erravit; nam erravit illud Concilium, quod tanquam hæreticas igne damnavit Honorii Papæ epistolas; quod ipsi Honorio Papæ dixit anathema: atqui sextum concilium generale igne damnavit Honorii Papæ epistolas, ipsi Honorio Papæ dixit anathema: ergo erravit.

Major argumenti propositio patet ex eo, quòd Honorii epistolæ revera non continuerint hæresim, sed di-

dispensationem, seu, œconomiam: prohibebant nimirùm, ne una tantùm, ut volebant Monothelitæ, aut duplex, ut docebant Catholici, diceretur in Christo voluntas; idque cautum est, ne Monothelitarum animi, quos ad fidem perducendos sperabat, nimiùm exasperarentur. Unde fit, ut Honorius, ne materialiter quidem, ut loquuntur, fuerit hæreticus; nempè nusquam docuit, quòd in Christo una tantùm sit voluntas. Confirmatur ex eo, quòd plerique Scriptores maximè catholici, tum Honorii epistolas, tum ipsum Honorium ab omni prorsùs hæresi liberent.

Minor verò ejusdem argumenti propositio constat ex ipsius concilii actis, nec non ex epistola Leonis Papæ II. ad Constantinum Imperatorem concilii sexti confirmatoria, & tandem ex actione 7. octavæ synodi generalis sub Hadriano Papa II.

Respondeo, non uno modo solvi a Theologis catholicis, quod propositum est argumentum. Placet hic referre varias opiniones, in quas abierunt.

Primò, Visum est Baronio, sextæ synodi generalis acta fuisse interpolata, seu, loco Theodori Episcopi Constantinopolitani a laudata synodo damnati, insertum fuisse Honorii nomen, necnon id omne, quod in actis, prout nunc extant, adversùs eundem Honorium legitur.

Verùm stare non potest ea solutio. Nam 1. oporteret, ut decem in locis interpolata fuissent acta Concilii; quippè decem in locis Honorii nomen legitur. 2. Oporteret, ut non solùm Honorii nomen, sed ipsius epistola, epistolæ examen, & damnatio synodalibus actibus inserta fuissent. 3. In ea suppositione dicendum esset, quinque exemplaria actorum synodalium adulterata fuisse; revera enim (ut patet ex actione 18.) quinque exemplaria, pro quinque nimirùm Patriarchis, Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, Jerosolymitano, conscripta fuerant; quod tamen est moraliter impossibile. 4. Romanæ Sedis legati, qui Concilio adfuerant, eam fraudem haud dubiè detexissent, cum exemplaria ad Leonem Papam II. missa fuerunt, ut ab eo synodalis definitio confirmaretur. 5. Eidem Leoni, qui Agathoni proximè successit, persuasum fuit, sextam synodum dixisse anathema Honorio; ipsemet enim in eundem Honorium anathema intorsit, ut constat ex illius epistolis ad Constantinum Imperatorem, & ad Episcopos per Hispaniam constitutos. 6. Octava generalis synodus interpolationem, de qua agitur, nusquam agnovit; nam Actione 7. hæc sub Hadriani nomine leguntur: *Licèt Honorio ab Orientalibus post mortem anathema sit dictum; sciendum tamen*, &c. Ob ea, quæ mox relata sunt momenta, pauci jam sunt, qui Baronii sententiam amplectantur.

Secundò. Nonnulli contendunt, sextam generalem synodum nequaquam errasse etiam ex suppositione, quòd illius acta interpolata non fuerint. Et sanè, inquiunt, sacra synodus non damnat epistolas Honorii, quasi continerent Monothelitarum hæresim, sed tantùm, quòd illius incremento favissent, prohibendo usum vocabulorum, *unius, aut duplicis*, in Christo voluntatis. Addunt illi authores, Honorio dictum fuisse anathema, non quòd concilium censuerit eum revera abiisse in Monothelitarum errorem, sed quòd præscripto ab eo silentio de una, aut duplici voluntate in Christo, Monothelitæ, præter Honorii spem, in sui erroris patrocinium abuterentur.

Sed, ajunt aliqui, ea responsio graves patitur difficultates. Nam. 1. iniqua prorsùs esset facta a synodo damnatio; in Catholicas nimirùm epistolas, in virum innocentem intortum fuisset anathema. 2. Ea solutio vix cohæret cum his concilii verbis: *Anathematizari prævidimus & Honorium; eò quòd invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit*. 3. Illam in synodo dispensationem non advertit Leo Papa II. quippè Honorium tum negligentiæ, tum simulationis, tum proditionis reum agit, eoque jure damnatum agnoscit epistolis ad Constantinum Imperatorem, ad Episcopos per Hispaniam constitutos, ad Ervigium Hispaniarum regem scriptis. 4. Qui rem ipsam confitetur, licèt nomen justa de causa arbitretur tacendum, præsertim ante definitionem Ecclesiæ, non potest, inquit Bellarminus, damnari pro hæretico: alioquin B. Hieronymus posset jam damnari pro hæretico, quia in epistola ad Damasum censuit, non esse dicendas tres hypostases, cujus contrarium posteà Ecclesia non semel definivit.

Tertiò. Plures cum Bellarmino respondent, in Honorii epistolis nihil fuisse, quod adversaretur fidei, damnatas tamen revera fuisse a sexto concilio generali, sed immeritò. Qui autem sic sentiunt, distinguunt minorem propositionem argumenti, quod superiùs propositum est: Atqui sextum concilium œcumenicum erravit in re, quæ est *humani facti*, concedunt min. in re, quæ sit *juris*, hoc est, quæ aut ad fidem, aut ad mores pertineat, negant minorem.

Eorum authorum solutio supponit, generalia concilia posse errare in humanis factis, non autem in jure. Nec id mirum est, inquiunt; nam quæstiones *juris*, ex Scriptura, aut traditione, hoc est, divina revelatione definiuntur; quæstiones verò *facti*, dirimuntur humano tantùm judicio, ex hominum relatione: illud verò judicium, ea relatio, errori obnoxia sunt: *Quamvis* (verba sunt Bellarmini lib. 4. de Rom. Pontifice cap. 11.) *generale concilium legitimum non possit errare (ut neque erravit hoc sextum in dogmatibus fidei definiendis), tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii epistolis, immeritò cum hæreticis connumerasse Honorium.*

Contra eam solutionem ipse Bellarminus objicit sibi sequi ex ea, privatos, qui errores in re facti arguunt sextam generalem synodum, & Honorii epistolas judicant catholicas, meliùs intelligere earum sensum, quàm Patres sextæ synodi generalis. Respondet, nec à se, nec ab illis scriptoribus meliùs intelligi, sed a Joanne IV. Martino I. Agathone & tota synodo Romana sub eodem Martino congregata: ii enim Pontifices (inquit) declararunt, nullâ unquam erroris labe Romanam Sedem commaculatam fuisse; quod quidem non ausi fuissent asserere, si in epistolis Honorii, cui successerant, credidissent contineri Monothelitarum hæresim.

Objicit sibi iterùm laudatus Cardinalis, quòd Patres septimæ, & octavæ generalis synodi, eadem ratione intellexerint Honorii epistolas, qua eas intellexerant Patres sextæ synodi. Respondet, eos Patres per se non expendisse Honorii epistolas, sed de iis judicasse ex examen, & relationem Patrum sextæ synodi, quæ eas per errorem damnaverat.

Quartò. Nonnulli respondent, nec interpolata fuisse sextæ synodi generalis acta, nec errasse ipsam synodum, quæ damnavit Honorii epistolas. Nam, inquiunt revera (ut judicavit concilium sextum) Honorii epistolæ hæresim Monothelitarum continebant in sensu obvio, seu, in sensu, quem præseferebant epistolarum verba. Addunt ex iisdem litteris constare, quòd Honorius reverà abierit in Monothelitarum errorem: Sed (ajunt illi scriptores) ab eo errore immunis erat Petri cathedra, in qua sederat Honorius: nec enim, aut convocato Romano clero, aut vocatis ad concilium, ut tunc in rebus magni momenti moris erat, pluribus Episcopis, Petri cathedram Honorius consuluerat, antequam litteras, de quibus agitur, ad Orientales scriberet.

Authores, qui sic opinantur, sententiam suam ex eo

eo confirmant, quod Summi Pontifices, Theodorus, Martinus, Agatho, qui post Honorium & ante sextam synodum Romæ sederunt, ipse etiam Leo II. qui in epistola ad Imperatorem Constantinum synodum sextam confirmavit, constanter asseruerint, Sedem suam semper a quovis errore fuisse immunem: quod tamen palam profiteri non ausi fuissent, si Honorius, quem post sextam Concilium damnavit Leo Papa II. Clerum suum de datis ad Sergium litteris consuluisset.

Sed ut certa sit ea responsio, necesse est, ut veterum monumentis probetur, Honorium Clerum suum non consuluisse de litteris, quas ad Sergium scripsit; nisi enim ejusmodi monumenta proferantur, vix (inquiunt nonnulli) credi poterit, quod laudatus Pontifex non adhibito, quod ordinariè adhibere solebat, sui Cleri consilio, tanti momenti decretum miserit ad Sergium Constantinopoli promulgandum, ubi catholici cum Hæreticis manus conserebant.

Nec, ut probetur hujusmodi consilium adhibitum non fuisse ab Honorio, satis est asserere, quod Honorius in epistolis, de quibus agitur, adhibiti a se consilii non meminerit; siquidem innumeræ sunt Summorum Pontificum decretales, quæ scriptæ non fuerunt inconsulto clero, quamvis id in iis decretalibus non legatur.

Præterea Romani Pontifices, qui post Honorium, ante sextam synodum, ejusdem Honorii epistolas expenderunt, usi non sunt ea responsione, ut consulerent famæ suæ Sedis, quam (ut ait Leo Papa II. ad Constantinum Imperatorem scribens, & sextam generalem synodum confirmans) Honorius prophana traditione maculari permiserat: hoc est, non dixerunt, illas epistolas ab Honorio inconsulta, cui præerat, Sede conscriptas fuisse; sed aliam tentarunt viam, nempè negarunt, contineri in iis epistolis Monothelitarum hæresim; contenderunt contineri catholicum sensum in verbis, ex quibus constant; hincque concluserunt, immeritò eas in sui erroris patrocinium a Monothelitis detorqueri. Id videre est in Epistola Joannis Papæ IV. a Sirmundo inter Anastasii Bibliothecarii Collectanea edita, in disputatione Maximi martyris cum Pyrrho habita, in Concilio Romano, quod sub Martino I. celebratum est: *Unam voluntatem diximus in Domino* (sensus est, quem ex Maximo Joannes affinxit Honorii epistolis) *non divinitatis ejus & humanitatis, sed solius humanitatis. Cum enim Sergius scripsisset, quòd quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, diximus, Christum non duas voluntates contrarias habuisse, carnis, inquam, & spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus signabat.*

Romani Pontifices eo jacto fundamento, quod epistolæ Honorii catholicum sensum, non autem hæreticum, continerent, constanter prædicarunt suæ Sedis integritatem, prædecessores suos nulla unquam erroris labe maculatos fuisse: *Consideret vestra clementia* (verba sunt epistolæ Agathonis ad Imperatorem Constantinum scriptæ, & lectæ sess. 4. synodi sextæ) *quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit, quod Apostolicos Pontifices meæ exiguitatis prædecessores fecisse semper, cunctis est agnitum.*

Verùm ad nos hæc non pertinent; hujus enim loci non est definire, quænam ex quatuor relatis responsionibus verior sit; quæcumque enim defendatur, stat conclusio, quam contra Lutheranos & Calvinistas statuimus; seu in iis, quæ ad fidem, aut mores spectant, legitima concilia generalia divinæ esse authoritatis.

Et sanè. 1. Si (ut vult prior sententia) interpolata sint acta sextæ synodi, ex iis contra nos desumi non potest argumentum. 2. Si sint integra, & proscripserint tantùm Honorii de una, aut duplici voluntate silentium, non damnarunt in Honorii epistolis hæresim aliquam, sed tantum intempestivam dispensationem, ac Ecclesiæ noxiam œconomiam. 3. Si Honorii Epistolæ in sensu obvio, seu, quem verba præseferunt, contineant hæresim, sed quæ conveniat ipsi soli, non autem cathedræ, quam supponitur non consuluisse, nullus est error in decreto, quod tum adversùs Honorium, tum contra illius epistolas tulit sexta synodus. 4. Si Honorius, habita prius cum suo Clero, aut Episcopis ad Concilium vocatis deliberatione, litteras ad Sergium scripserit, eæque litteræ sint (ut voluerunt Joannes IV. Maximus martyr cum Pyrrho agens) ab omni contra fidem errore immunes, dicendum erit, sextam generalem synodum incidisse in errorem *facti*, non autem in errorem *juris*, de quo solo agitur in nostra conclusione.

Solvitur argumentum petitum ex septimo Concilio Generali.

Objicies. Septimum Concilium generale, quod est Nicænum II. definit, pium esse cultum, qui sacris imaginibus exhibetur: è contra verò Concilium Francofordiense, quod anno 794. habitum est, & cui adfuerunt, tum legati Romani Pontificis, tum trecenti Occidentales Episcopi, damnavit decretum de colendis imaginibus latum in Concilio Nicæno II. Ergo erravit, aut Concilium Nicænum II. aut Concilium Francofordiense; utrumque tamen est universale: ergo, &c.

Resp. 1. Concilium Francofordiense non esse Concilium generale; neque enim ad illud vocati fuerunt Orientales Episcopi, aut ipsi eorum aliquis adfuit: è contra verò Concilium Nicænum II. fuit generale; ipsi nimirùm non Orientales modò, sed & Occidentales per Romanæ Ecclesiæ legatos adfuerunt.

Resp. 2. Conc. ant. dist. conseq. Ergo erravit Concilium Francofordiense in quæstione *facti*, Conc. conseq. in quæstione *juris*, neg. conseq. Concilio Francofordiensi visum fuerat, quod Concilium Nicænum II. definisset, *Sanctorum* imaginibus exhiberi posse eundem cultum, qui debetur Sanctissimæ Trinitati: *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum synodo* (verba sunt Concilii Francofordiensis cap. 2.) *quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imagines Sanctorum, ita ut Deificam Trinitatem servitio, aut adoratione non impenderent, anathema judicarentur. Quam omnes, qui supra, sanctissimi Patres nostri omnimodis & adorationem, & servitium respuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Confirmatur responsio ex eo, quod ubi ab Occidentalibus intellectus postea fuit germanus Nicæni Concilii sensus, ipsum omnes Occidentales Ecclesiæ pro œcumenico Concilio receperint, ejusque definitioni adhæserint.

Solvitur argumentum petitum ex personis, ex quibus constant Concilia.

Objicies. Concilia constant ex Episcopis, qui majori ex parte dilectores sunt mundi, aut saltem quos nemo sciat, an justi sint, vel iniqui: atqui Concilia, quæ Episcopis illis constat, non sunt infallibilia. Nam in iis Conciliis non est Spiritus sanctus; neque enim est in mundi dilectoribus: ergo, &c.

Resp. 1. neg. maj. nec enim, nisi temerariò eam asserunt Heterodoxi. Resp. 2. data majore, quæ tamen est falsissima, neg. min. Ad cujus probationem, dist. ant. In iis Conciliis non est Spiritus sanctus, quantùm ad gratiam gratum facientem, conc. ant. quantùm ad gratias gratis data, neg. ant. Gratia gratum faciens, seu, quæ justificet, non est necessaria, ut pastores vera doceant, & vera sacramenta conferant; ad id quippe satis sunt gratiæ gratis datas, quæ iis etiam dantur, qui sunt in statu peccati mortalis.

Instabis. Sine fundamento asseritur, quòd Episcopis impiis ad concilium congregatis adsint gratiæ gratis datæ, quæ necessariæ sunt ad cognoscendam veritatem, & ad docendos fideles: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia Episcopi illi in nomine, hoc est, authoritate Christi ad concilia conveniunt; ac proinde ad eos spectat hæc Christi promissio: *Ubi duo, vel tres, &c.* 2. Justorum Ecclesia, seu, justorum, qui in ea sunt, cœtus Episcopis illis impetrat auxilia, quibus indigent ad cognoscendam, & prædicandam veritatem; quippè id impetrat (ut Augustini verbis utar) columbæ gemitus, quod Ecclesiæ corpori necessarium est; ad eum enim columbæ gemitum spectant in primis hæc Christi verba: *Quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis: Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* At Ecclesiæ corpori necessarium est, ut Episcopi ad concilium congregati, veritatem cognoscant, & cognitam prædicent populis.

ARTICULUS V.

Utrum Concilia sint Ecclesiæ necessaria.

Not. 1. EX Logicis necessitas est duplex, absoluta, & secundùm quid. Prior convenit rei, sine qua finis nullo modo potest haberi; posterior est ea, quæ convenit rei, sine qua finis haberi quidem potest, sed magna cum difficultate.

Not. 2. Concilia considerari possunt: 1. in genere, seu, abstrahendo, an sint generalia, aut particularia: 2. in specie, hoc est, prout sunt generalia, aut particularia.

Not. 3. Apud Lutheranos & Calvinistas Concilia, sive in genere, sive in specie considerata, non sunt Ecclesiæ absolute necessaria ad definiendas fidei, aut morum controversias. Nec mirum, cum in Novatorum illorum systemate, quæcumque concilia errori obnoxia sint in iis etiam capitibus, quæ ad fidem, aut mores spectant; è contra in sententia Catholicorum, quædam concilia sunt absolute necessaria ad definiendas fidei, aut morum controversias, aliquando verò non sunt absolutè necessaria; sed id subsequentibus conclusionibus est explicandum.

CONCLUSIO 1. Aliqua Concilia sunt nonnunquam absolute necessaria Ecclesiæ.

Probatur 1. ex Scriptura. Illud est nonnunquàm absolutè necessarium Ecclesiæ, cui Christus pollicitus est infallibilitatem: atqui Christus quibusdam Conciliis pollicitus est infallibilitatem; hanc enim ejus sententiam, Matth. 18. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Patres (ut articulo quarto dictum est) de Conciliis intellexerunt.

Probatur 2. Ecclesiæ praxi. Ea siquidem docemur, Ecclesiam ad Concilia quovis sæculo convenisse, ut fidei, morum, & disciplinæ quæstiones definiret. Apostoli Actorum 15. eo medio usi sunt, ut ortam Antiochiæ de legalibus litem dirimerent. Ad concilia convenerunt majores nostri, ut Arium, Macedonium, Nestorium, Eutichetem, Monothelitas, aliosq; veteres, tum hæreticos, tum schismaticos, tum disciplinæ ecclesiasticæ infractores proscriberent. Ipsi etiam Romani Pontifices (inquit Bellarminus, de conciliis & ecclesia lib. 1. cap. 11.) nullam unquam hæresim novam sine novo concilio damnaverunt. Verùm quod semper, & ab omnibus factum est, medium est ordinarium; ac proindè Ecclesiæ necessarium ad eorum definitionem, quæ ad fidem, aut mores, aut disciplinam spectant. *Necessè habuimus* (inquit Cyprianus ad Stephanum Papam scribens) *convenientibus in unum pluribus sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium.*

CONCLUSIO 2. Cum plures, ac insignes Ecclesiæ, errore aut schismate non laborant, Concilia generalia non sunt simpliciter necessaria.

Probatur 1. Illud non est simpliciter necessarium Ecclesiæ, sine quo & hæreses, & schismata extingui possunt: atqui sine conciliis generalibus, in casu, de quo est quæstio, & hæreses, & schismata extingui possunt. Siquidem, quæ tribus prioribus sæculis exortæ sunt hæreses, Menandri, Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marci, Tatiani, & plures aliæ, absque Conciliorum, etiam provincialium, ope extinctæ sunt; neque enim Eusebius, qui in sua Ecclesiæ historia illarum novitatum meminit, refert aliquam Episcoporum synodum, in qua damnatæ fuerint.

Extinctum est pariter conflatum à Montano schisma, labente secundo sæculo, sine Conciliorum, saltem generalium, auxilio; quippe nonnulli tantùm in Asia Episcopi ad synodos coacti, Montanum damnarunt, restitueruntque Ecclesiis pacem: *Nam*, inquit Eusebius libro 5. hist. cap. 16. *cum fideles, qui in Asia erant, sæpius & in plurimis Asiæ locis convenissent, novamque illam doctrinam examinassent, & prophanam, atque impiam judicassent, damnata hæresi, ipsi ab Ecclesia & fidelium communione expulsi sunt.*

Eadem ratione, seu, absque concilio generali, sed solis particularibus synodis, quæ Romæ, & in provinciis celebratæ sunt, itum est obviam Novatiano schismati: *Cum Romæ* (ait Eusebius hist. lib. 6. cap. 43.) *congregata esset synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, presbyteri vero, ac diaconi multò plures convenerunt, cum quo in provinciis Antistites, quid agendum esset, singulè consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est.*

Probatur 2. Ubi post datam Ecclesiis pacem liberum fuit Episcopis ad synodos convenire, ad eas non convenerunt, quoties exortæ sunt hæreses novæ; satis eis fuit, aut Doctorum calamo, aut lato ab Episcopis in diœcesibus decreto, aut provincialium conciliorum sententia hæreticos compescere, aut eis objicere orbis catholici consensum.

Et quidem. *Primò*, nulla contra Vigilantium coacta fuit synodus: obstruxit illius ora Ecclesiæ Romanæ, cæterarumque Ecclesiarum per orbem diffusarum consensus: obstruxit etiam Hieronymus: *Malè ergo* (inquit adversùs novatorem illum disputans) *facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te, vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria; & non solum unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum.*

Secundò. Origenistæ sat intellecti sunt damnati, ubi Romanus Pontifex, aliique non pauci Ecclesiæ Catholicæ Episcopi in eos tulere sententiam: *Non valet apud eos* (Origenis defensores) *super Origenis damnatione, Episcoporum authoritas. Quid facient epistola Theophili Episcopi? Quid Papa Anastasii in toto orbe hæreticum persequentes?* Verba sunt Hieronymi in Apologia adversùs Ruffinum.

Tertiò. Pelagianis poscentibus synodum œcumenicam, in qua expenderetur eorum doctrina, responsum est ab Augustino, id non fuisse necessarium; quod quidem ex eo confirmavit S. Doctor, quòd absque synodis plures antiquiores hæreses extinctæ fuissent: *Aut verò* (ait Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. ult.) *congregatione synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando sine synodi congregatione damnata sit. Cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit........ Hanc gloriam captare intelligitur*, Pelagianorum superbia, *ut propter illos Orientis & Occidentis synodus congregetur.*

Quæ.

Quæres, quandonam ultimò damnatæ intelligantur novitates, quæ aliquorum tantùm Episcoporum, aut synodorum provincialium decretis proscriptæ sunt?

Resp. id contingere, cum illorum Episcoporum, illarum synodorum decretis aliæ orbis Ecclesiæ Catholicæ, licèt ad synodum non coactæ, subscribunt. Nec mirum; nec enim minùs infallibilis est Ecclesia per totum orbem diffusa, quam cum coacta est ad universalem synodum: *Ipsum orbem circumspicite* (ait Basilius epist. 72. de Eunomianis agens) *& videte, quàm modica sit ea portio, quæ hoc morbo laborat; reliqua verò universa Ecclesia, quæ ab orbis finibus usque ad fines Evangelium recipit, sanam hanc, & incorruptam doctrinam sectetur.*

Eo principio sæpè usus est Augustinus contra Pelagianos agens: *Quid adhuc* (inquit lib. 2. operis ultim. contra Julianum) *quæris examen, quod apud Apostolicam sedem jam factum est? quod denique jam factum est in Episcopali judicio Palæstino? Ergo hæresis ab Episcopis non adhuc examinanda, sed coercenda est potestatibus Christianis.* Sermone 2. de verbis Apostoli, Africanæ & Romanæ Ecclesiæ judicium, cui ne vel minima orbis Ecclesia contradixisset, ita laudat, ut contendat, alia synodo opus non fuisse ad proscribendum Pelagianorum errorem: *Jam enim*, ait, *de hac causa duo concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est; utinam aliquando finiatur error.*

CONCLUSIO 3. Quando plures insignes Ecclesiæ laborant, aut errore, aut schismate, opus est Concilio generali, quo aut veritas Catholica definiatur, aut tollatur schismatis occasio.

Probatur 1. authoritate S. Augustini. Licèt S. Doctor Pelagianis Concilium generale petentibus sæpè responderit, necessarium non fuisse illud Concilium, ut eorum dogma de impietate convinceretur; asserit tamen, necessarium aliquando fuisse propter alias hæreses: *Cum potiùs* (inquit lib. 4. ad Bonifacium cap. 12.) *rarissimæ*, hæreses, *inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis* (convocandi generalem synodum) *extiterit*. Lib 2. de Bapt. cap. 4. scribit, necessarium fuisse generale concilium, ut quæstio de hæreticorum baptismate dirimeretur; addit, de eo baptismate in utramque partem Episcopos disceptare potuisse, salva pace Ecclesiæ Catholicæ, donec *plenario totius orbis concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.*

Si quis quærat, cur adversùs Pelagianos, ex Augustino, necessaria non fuerit generalis synodus, fuerit verò, ex eodem Augustino, necessaria adversus rebaptizantes, & adversùs quasdam hæreses, v. gr. Arianam; non alia reddi potest ratio, quam quòd, ubi Pelagianorum hæresis primùm prodiit, paucorum esset hominum; è contra verò Ariana, a primis suis exordiis plures, & quidem insigniorum Ecclesiarum, Episcopos patronos habuerit. Idem dici debet de rebaptizantibus; plures nimirùm Ecclesiæ, tum in Oriente, tum in Africa contendebant, irritum esse datum ab hæreticis baptisma: *Quæstionis hujus obscuritas* (inquit Augustinus lib. 1. de Bapt. contra Donatistas cap. 7.) *prioribus ecclesiæ temporibus ante schisma Donati, magnos viros, & magna charitate præditos Patres, Episcopos ita inter se compulit, salva pace, disceptare & fluctuare, ut diù Conciliorum in suis quibusque regionibus diversa statuta nutaverint.*

Probatur 2. authoritate Leonis Magni. Postulavit S. Papa ab Imperatore Theodosio synodum generalem, quam Eutichianæ impietati opponeret: *Si pietas vestra*, inquit epist. 12. *suggestioni, ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam haberi jubeatis episcopale concilium, citò, auxiliante Deo, poterunt omnia scandala, quæ in perturbationem ecclesiæ sunt commota, resecari.* Epistola 43. laudat Martianum Imperatorem, quòd generale concilium à se postulatum, etiam ipse judicarit necessarium ad tollendum scandalum, quod in prædatoria synodo Ephesina, Eutichiani erroris occasione, Ecclesiæ Catholicæ datum fuerat a Dioscoro.

Probatur 3. ex Ecclesiæ praxi. Ecclesia non aliis temporibus celebravit generalia concilia, quàm cum plures & insignes Ecclesiæ errore, aut schismate laborarunt; idque singula Ecclesiæ sæcula percurrenti facilè patebit. Ergo iis in circumstantiis Ecclesia judicavit concilia generalia esse necessaria ad profligandum natum errorem, & reddendam Ecclesiis pacem.

Confirmantur, quæ hucusque dicta sunt, ex Bulla indictionis Sacri Concilii Tridentini, ubi Paulus Papa III. sic loquitur: *Deindè animo repetentes, majores nostros sapientia admirabili & sanctitate præditos, sæpè in summis Christianæ Reipublicæ periculis, remedium optimum, atque opportunissimum, œcumenica concilia, & Episcoporum generales conventus adhibuisse, ipsi quoque animum ad generale habendum concilium adjecimus.*

Quæres, quænam sint causæ præcipuæ, propter quas Concilia generalia celebrari debent?

Resp. causas, de quibus agitur, ad sequentes a Bellarmino reduci. Prima, est hæresis nova, non quæcumque tamen (ut jam superiùs observatum est) sed quæ, cum a pluribus propugnetur, serpit ut cancer, suoque veneno potest inficere populos: Ejus generis fuerunt hæreses, Arii, Macedonii, Nestorii, Eutichetis, Monothelitarum, Iconomachorum, Lutheri, Calvini, & aliorum.

Secunda, est schisma inter duos, qui de Romano Pontificatu contendunt: Eam ob causam habita sunt Concilia temporibus, Cornelii, Damasi, Symmachi, Innocentii II. Alexandri III. Gregorii XII. Benedicti XIII. Nimirùm in ea Ecclesiarum calamitate nullum est Concilio potentius remedium, nec aliud veteres adhibuerunt.

Tertia, est resistentia communi hosti totiùs Ecclesiæ: hoc est, cum eundum est obviam paganis, & aliis infidelibus bellum in Christianos moventibus. Ob eum finem celebrata sunt Concilia ab Urbano II, Calixto II. Eugenio III. aliisque Pontificibus, qui fideles vocarunt ad bellum Saracenis inferendum.

Quarta, est (inquit idem Bellarminus) suspicio hæresis in privata persona Romani Pontificis, vel (si accideret) tyrannidis incorrigibilis; tunc enim deberet congregari generalis Synodus, vel ad deponendum Pontificem, si inveniretur hæreticus, vel certè ad eum admonendum, si in moribus videretur incorrigibilis; nam (ut dicitur in octava synodo actione ult. can. 21.) debent generalia concilia cognoscere controversias circa Romanum Pontificem exortas.

Quinta, est dubitatio de electione Romani Pontificis. Si enim Cardinales non possent, aut non vellent Pontificem creare, aut si omnes simul perirent, aut aliundè fieret verè dubium, ad quos pertineret ejusmodi electio, ad Concilium generale spectaret decernere de electione Romani Pontificis; quamquam non est verisimile id aliquando eventurum.

Sexta denique causa, est reformatio generalis abusuum, & vitiorum, quæ in Ecclesiam irrepserint. Hinc videmus, omnia ferè generalia Concilia Canones edidisse de reformatione. Hactenùs laudatus scriptor.

Objicies. Celebratio Concilii generalis pastores avellit ab Ecclesiis, quibus præpositi sunt: sed hoc fieri non potest sine magnis Ecclesiarum sumptibus: ergo tantùm abest, ut Concilia generalia sint necessaria, quin potiùs nocere videantur.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia damnum, quod Ecclesiis particularibus inferri videtur, abundè compensatur publico bono, quod totum Ecclesiæ corpus, ipsæ

etiam particulares Ecclesiæ ex generalis synodi celebratione percipiunt. Unde sacri Canones, cum loquuntur de residentiæ lege, excipiunt casum de celebratione Concilii.

CAPUT II.

De Conciliis generalibus in specie.

Not. CONcilia generalia hucusque celebrata, sunt novemdecim; Nicænum I. Constantinopolitanum I. Ephesinum I. Chalcedonense; Constantinopolitanum II. Constantinopolitanum III. Nicænum II. Constantinopolitanum IV. Lateranense I. Lateranense II. Lateranense III. Lateranense IV. Lugdunense I. Lugdunense II. Viennense; Constantiense; Basileense, saltem quoad aliquas sessiones; Florentinum; Tridentinum. Quæ in iis sunt præcipua capita, tum ad fidem, tum ad disciplinam spectantia, in gratiam theologiæ candidatorum hic inseremus.

ARTICULUS I.

De Concilio Nicæno I.

Not. 1. DE priore Concilio Nicæno quæremus: 1. quo Christi anno celebratum fuerit, & quot ad ipsum Episcopi convenerint: 2. quid illi celebrando causæ fuerit: 3. quid in eo fuerit definitum: 4. quot ediderit Canones: 5. a quo fuerit convocatum: 6. quis ipsi præfuerit: 7. quam olim, & his etiam temporibus habeat authoritatem.

Not. 2. De his, quæ ad hujusce Concilii convocationem, præsidentiam, & authoritatem pertinent, nihil hic dicemus; quippe sat, superque de iis actum est iis locis, ubi de Conciliorum generalium convocatione, præside, & infallibilitate sermonem habuimus.

§. I.

De tempore, & Episcopis Concilii Nicæni I.

CONCLUSIO 1. Nicænum primum Concilium celebratum est Nicææ in Bythinia anno Christi 325. Sylvestri Papæ anno 12.

Probatur. Concilium Chalcedonense actione 2. testatur, primam Nicænam synodum habitam fuisse sub consulatu Paulini & Juliani: atqui Paulini & Juliani consulatus incidit in annum 325. Idem asseritur a Socrate, qui hist. lib. 1. cap. 9. sic loquitur: *Coactum est Paulino & Juliano Consulibus 11. Kalend. Junii.* Concilium Chalcedonense signat diem 13. Julii, sed id fortè accidit, quòd Socrates Concilii initium, Concilium verò Chalcedonense alicujus actionis, postea habitæ respectum habuerit.

Objicies 1. Chronicon Eusebii asserit, Concilium Nicænum I. habitum fuisse anno imperii Constantini Magni 15. is verò Constantini annus incidit in annum Christi 320.

Resp. emendari debere eo in capite Eusebii Chronicon.

Objicies 2. Sozomenus hist. lib. 1. cap. 16. scribit, Concilium Nicænum I. celebratum fuisse sub Julio Papa: ergo celebratum non est sub Sylvestro, ut in conclusione dictum est.

Resp. eo in capite Sozomenum errasse; nempè alii omnes historici scribunt, sub Sylvestro habitum fuisse illud Concilium. Sozomeni errori locum dedit Julii epistola, cujus Athanasius meminit Apolog. 2. & in qua sic Julius loquitur: *Nostri presbyteri, qui tunc in Nicæno Concilio aderant, de ipsius recta fide contestabantur.* Sozomenus censuit, hæc verba: *Nostri presbyteri*, intelligi debere de presbyteris a Julio missis, cum è contra intelligi debeant de presbyteris Ecclesiæ Romanæ, quos Sylvester miserat.

CONCL. 2. Trecenti & octodecim Episcopi celebrarunt Nicænum I. Concilium.

Probatur 1. Athanasius tum in epististola ad Jovinianum Imperatorem, tum in disputatione adversùs Arium, asserit, trecentos decem & octo Episcopos interfuisse Nicænæ synodo. 2. Quotiescumque in veterum scriptis laudatur Concilium Nicænum I. semper Patres 318. recensentur.

Objicies 1. Eusebius recensens Episcopos, qui ad Nicænum I. Concilium convenerunt, dicit, eos fuisse ducentos quinquaginta & amplius. 2. In epistola Eustathii Antiocheni, qui synodo interfuit, quam recitat Theodoretus hist. libro 1. cap. 8. legitur, Episcopos 270. adfuisse Nicæno Concilio.

Respondet Baronius, utrumque illum locum esse emendandum; confirmatque ex eo, quòd Socrates lib. 1. cap. 5. laudata Eusebii verba recitans, legat, Episcopos plusquam trecentos Nicææ ad Concilium convenisse.

§. II.

De causa Nicæni I. Concilii.

CONCLUSIO. Non una fuit, sed multiplex causa celebrandi Nicænum I. Concilium.

Probatur enumeratione, *Primò*, habita est Nicæna I. synodus contra Arium: *secundò*, contra Quartodecimanos: *tertiò*, contra Meletianos.

Quæres 1. quis fuerit Arius ille, contra quem habitum est Nicænum I. Concilium: quem errorem docuerit: quem senserit impugnatorem?

Resp. ad 1. Arium fuisse presbyterum Alexandrinum. Is (inquit Theodoretus hist. lib. 1. cap. 1.) invidiæ stimulis agitatus, quòd post Achillæ obitum Ecclesiæ Alexandrinæ regimini, quod ambierat, Præfectus fuisset Alexander, cum S. Præsulis mores criminari non posset, illius de Trinitate doctrinam aggredi instituit.

Resp. ad 2. Arium adversùs Verbi divinitatem pugnasse. Sicilicet contendebat, ipsum non esse ejusdem substantiæ cum æterno Patre, sed esse meram creaturam, quam Pater ante cæteras quidem, sed tamen in tempore, eduxisset ex nihilo: *Deus* (verba sunt epistolæ Concilii Alexandrini, Arii hæresim referentis) *non semper pater fuit, sed fuit aliquando tempus, quo Deus non erat pater. Verbum non semper fuit, sed factum ex non existentibus. Deus enim existens, eum, qui non erat, ex non existente fecit: quapropter fuit aliquando tempus, quando non erat; est enim filius creatura & factura. Neque autem secundùm essentiam Patri consimilis, neque verum, & secundùm naturam Patris Verbum, nec vera illius Sapientia; sed abusivè Verbum & Sapientia est factus, & ipse per proprium Dei Verbum & Sapientiam, quæ in Deo est, per quam Deus & omnia, & ipsum fecit.*

Resp. ad 3. Alexandrum Episcopum Alexandrinum, & Athanasium illius diaconum, præcipuos fuisse Arianæ impietatis impugnatores. Prior, cum perspexisset, errorem septuaginta virgines Deo sacras, septem presbyteros & duodecim diaconos infecisse, blandis cohortationibus, ait Theodoretus lib. 1. cap. 1. virum ab ea mente deducere studuit: Sed ille magis in dies turbare privatas domos, ipsos etiam Ecclesiæ Pastores in errorem inducere non semel tentavit. Alexander periculi magnitudine commotus, coacta centum Episcoporum synodo, adversùs Arium ejusque sequaces tulit anathematis decretum. Eo anathemate percussus Arius con-

fugit

fugit ad Eusebium Nicomediensem Episcopum, qui (ut narrat Sozomenus lib. 1. cap. 7.) coacto in Bithinia aliquot Episcoporum Concilio, Arium recipi jussit in Ecclesiæ communionem. Alexander, ut tanto malo iret obviam, dedit ad Constantinum Imperatorem litteras, quibus eum obtestatus est, ut natum nuper incendium sua authoritate extingueret. Princeps Osium Episcopum Cordubensem misit Alexandriam, ut res æquissimè componeret; sed cum malum in dies serperet, de sacerdotum concilio, inquit Rufinus, ea toto orbe Episcopos in Nicænam Bythiniæ urbem accersivit, dispositis ad itinera vehiculis.

Quæres 2. quid docerent Quartodecimani, contra quos coacta fuit generalis prima synodus?

Resp. in eo positum fuisse Quartodecimanorum errorem, quód contenderent, Pascha cum Judæis celebrari debere Luna 14. mensis Martii, in quamcumque hebdomadæ diem incideret. Tenebantur eo errore plures ex Ecclesiis Christianis, quæ erant in Syria, Cilicia, Mesopotamia; contraria verò praxis apud plures alias Orientis Ecclesias, & apud omnes Occidentales jam ab Apostolorum temporibus obtinuerat.

Quæres 3. quis esset Meletius, de quo actum est in Concilio Nicæno; quid ipse antea peccasset?

Resp. Meletium Episcopatum in Ægypto gessisse, sed multis convictum criminibus (ait Athanasius in secunda apologia) ac potissimum, quòd idolis sacrificasset, ab Episcopatu dejectus est a S. Petro Episcopo Alexandrino in plurium Episcoporum conventu. Is verò rem indignissimè ferens, Petrum, ejusque successores Achilam & Alexaodrum probris, & criminationibus laceravit, multos per Ægypti civitates; creavit Episcopos, presbyteros, diaconos; ac proindè Ecclesiam pessimo laceraverat schismate.

§. III.

Quid definitum fuerit in Concilio Niceno I.

CONCLUSIO. In priore Concilio Nicæno damnata fuit: 1. Arii impietas: 2. determinata est dies, qua Pascha ubique terrarum celebrari deberet: 3. Meletii, ac ordinatorum ab eo ministrorum causa definita est.

Probatur prior conclusionis pars, referendo Concilii acta. In synodo recitata sunt impia Arii dogmata, quæ (ut refert Athanasius Orat. 1. contra Arianos) Episcopi, obstructis etiam auribus, execrati sunt.

Lectæ sunt pariter (Theodoreto teste hist. lib. 1. c. 6) Eusebii Nicomediensis litteræ, atque, ut blasphemiarum plenæ, tota spectante synodo conscissæ sunt.

Prolata sunt deindè Alexandrini sub Aleaandro Concilii acta; lectus pariter fuit Arii liber, quem Thaleiam, hoc est, convivium & crapulam vocarat, tum impio errori, ac illius authori anathema dictum est.

Communi omnium suffragio asserta fuit Verbi divinitas, definitumque fuit, Dei filium esse Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Omoousios, hoc est, consubstantialis Patri pronuntiatur; ac tandem edita fuit fidei formula, seu symbolum, cui omnes subscribere tenerentur: illud verò symbolum, eam formulam legere est apud Athanasium in epistola ad Solitarios, apud Hilarium libro de synodis, apud Socratem hist. lib. 1. cap. 5.

Probatur altera conclusionis pars ex litteris Constantini ad Ecclesias, ubi hæc habentur: *Visum est communi omnium judicio sacratissimum Paschatis festum, uno eodemque die celebrandum esse, neque enim in re tam sancta, & solemni ulla dissensio debet existere*. Apud Socratem & Sozomenum extant prolixæ epistolæ, quas de ea Concilii definitione Constantinus Imperator ad omnes orbis Ecclesias conscripsit.

Probatur tertia conclusionis pars. Scribit Theodoretus hist. lib. 1. cap. 9. sacram synodum statuisse, 1. ut Meletius, nudo Episcopi nomine retento, sine functionibus ullis Lycum, ubi fuerat Episcopus, incoleret: 2. ut qui ab eo sacris initiati fuerant; Alexandrino Episcopo subjacerent: 3. ut aliis ecclesiarum ministris postponerentur. Idem quoque videre est in epistola synodica Concilii ad Alexandrinam Ecclesiam, quæ a Socrate refertur hist. lib. 1. cap. 6.

§ IV.

An omnes, qui Nicæna synodo adfuerant, ipsi subscripserint.

Not. Non est dubium, quin subscripserint synodo, quotquot ei adfuerant Episcopi Catholici, sed quæstio est de Arianis; quippè Socrates libro 1. cap. 5. asserit, revera non subscripsisse omnes Arianos.

CONCLUSIO. Fidei formulæ à Concilio Nicæno editæ subscripserunt omnes, quotquot aderant, Episcopi Ariani.

Probatur 1. Omnium Arianorum Episcoporum nomina leguntur inter Episcoporum subscriptiones. 2. Athanasius in decretis synodi Nicænæ contra hæresim Arianam hæc habet: *Episcopi igitur sublatis Eusebianorum vocabulis, formulam sanè fidei conceperunt, omnibusque subscribentibus, subscripserunt & ipsi Eusebiani, substantiam & consubstantialitatem approbantes; Deique filium nullo modo facturam, aut creaturam esse; sed fœtum, verbumque ex patris substantia*. Quodque majoris admirationis est: *Eusebius ex Cæsarea Palestinus, cum pridie abnegasset, in eandem sententiam tamen postridie subscripsit.*

Objicies 1. Theodoretus negat, Secundum à Ptolemaide subscripsisse fidei formulæ. 2. Socrates hist. lib. 1. cap. 5. hæc scribit: *Hanc fidem approbaverunt trecenti decem & octo Episcopi, omnesque eidem subscripserunt, quinque solum exceptis, qui hanc vocem Omoousion repudiarunt, Eusebio videlicet Nicomediæ Episcopo, Theognide Nicææ, Mari Chalcedonis, Theonea Marmarica, Secundo Ptolemaides*: ergo omnes Ariani Episcopi non subscripserunt fidei formulæ a Concilio Nicæno editæ.

Resp. dist. conseq. Ergo omnes Ariani non subscripserunt eodem tempore, conc. conseq. diverso tempore, neg. conseq. Cum scripta est fidei regula, tunc id accidit, quod narrat Socrates, hoc est, subscriptionem negarunt Eusebius Nicomediensis & alii quatuor; sed ubi lata fuit in eos depositionis sententia, tunc palinodiam recantantes, oblato Nicænis Patribus pœnitentiæ libello, in suas sedes restituti sunt.

Confirmatur responsio 1. ex Athanasio, qui (ut jam observatum est) affirmat, omnes omninò Episcopos subscripsisse editæ a Concilio fidei formulæ: 2. ex Sozomeno, qui lib. 1. cap. 28. expressè asserit, Eusebium, Theognidem, & Secundum *approbasse formulam fidei à Concilio compositam*: 3. ex ipso Socrate hist. lib. 1. cap. 10.

Quæres, an Arius ipse editæ à synodo fidei formulæ subscripserit?

Respondet Hieronymus, Arium subscripsisse fidei formulæ a Concilio editæ; hæc enim habet in dialogo adversus Luciferianos: *Susceptus est, caput horum, & causa malorum, Arius presbyter*; quærenti autem Luciferiano, unde probari posset Episcopos Arianos, & ipsum Arium a sacra synodo fuisse susceptos, sic idem Hieronymus respondet: *Supersunt adhuc homines, qui illi synodo interfuerunt.*

Illi Hieronymi responso adversantur 1. quæ scribit Socrates, scilicet a Concilio dictum fuisse anathema,

ma, tum errori, quem Arius docuerat, tum ipsi etiam Ario: *Quinque tantùm reperti sunt, qui illam amplecti nollent ..... Vocem igitur* Consubstantialis, *plurimis cavillis, ac dicteriis insectati, Arii depositioni subscribere noluerunt.* Verba sunt Socratis hist. lib. 1. cap. 8.

Adversatur 2. idem Socrates, qui loco mox laudato sic loquitur: *Quam ob causam synodus quidem Nicæna, Arium & omnes, qui cum eo sentiebant, anathemate percussit, adjecto insuper, ne Alexandriam ei ingredi liceret. Imperator verò, tum Arium ipsum, tum Eusebium, ac Theognin exilio multavit.*

Adversatur 3. Athanasii factum, qui quinquennio post Concilium, jussus ab Imperatore, ut Arium, qui fingens se adhærere Nicænæ fidei, eum deceperat, in communionem reciperet, ad id nusquam adduci potuit; ut patet ex Socrate histor. lib. 1. cap. 20.

§. V.

De Canonibus Nicænis.

Not. De Canonibus Nicænis quæri potest: 1. quantus sit eorum numerus. 2. qua in authoritate fuerint semper: 3. quisnam sit germanus eorum sensus.

De numero, & authoritate Canonum Nicænorum.

CONCLUSIO 1. Nec plus, nec minus, quàm viginti, editi sunt canones a Concilio Nicæno I.

Probatur 1. Nec plus, nec minùs, quàm viginti canones Nicænos recensent editæ ad hoc usque sæculum collectiones. 2. Nullo argumento, quod alicujus sit momenti, ostendi potest, canones, qui vulgò dicuntur Arabici, seu, ex Græco in linguam Arabicam versi, editos fuisse a concilio Nicæno I.

Objicies 1. Episcopi Africani postularunt à Bonifacio Papa canones Nicænos; non postularunt verò viginti, quos ex omnium sententia constabat editos fuisse a Nicænis Patribus, quippè eos jam acceperant a Cyrillo Alexandrino, & Attico Constantinopolitano missos: ergo supposuerunt, alios præter viginti, de quibus agitur, editos fuisse à Nicæno I. Concilio.

Resp. dist maj. Postularunt Nicænos canones à Bonifacio Papa laudatos in causa Appiarii Presbyteri Africani, conc. maj. veros Nicænos canones, neg. maj. Canonem Sardicensem pro Nicæno canone laudarat Bonifacius, ut latam a se pro Appiario in Africanis conciliis damnato sententiam tueretur. Contestati sunt Africani, eum canonem non esse Nicænum, probaruntque ex eo, quod nec in exemplari quod ex ipso concilio Nicæno Cecilianus Episcopus Carthaginensis Carthaginem detulerat, nec in aliis exemplaribus, quæ ad ipsos Africanos Cyrillus Alexandrinus, & Atticus Constantinopolitanus miserant, reperiretur.

Objicies 2. Summi Pontifices nonnumquam laudant canones tanquam Nicænos, qui tamen non sunt viginti, qui in collectione Dionysiana reperiuntur: ergo plusquam viginti, editi sunt ab ipso Nicæno I. Concilio.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Nam 1. Bonifacius canonem Sardicensem de appellationibus pro Nicæno laudavit, eò quòd tum Nicæni, tum Sardicenses canones uno tenore descripti essent in codice Romano. 2. Alii Summi Pontifices aliquando pro Nicænis laudarunt canones in conciliis posterioribus editos, eò quòd qui postea editi sunt canones, reducantur ad Nicænos tanquam primarios totius Ecclesiasticæ disciplinæ fontes.

Objicies 3. Turrianus è Societate Jesu, scribit, octoginta canones Arabicos, Pio IV. Pontifice Maximo, ex codice Alexandrini Patriarchæ descriptos fuisse a Patre Joanne Baptista, quem Societatis Præpositus generalis in Ægyptum miserat. In iis autem canonibus Arabicis reperiuntur, tum viginti, qui in antiquis Nicænorum canonum collectionibus leguntur, tum plures alii, quos Romani Pontifices sub Nicænorum canonum nomine, in suis epistolis laudarunt: ergo plusquam viginti canones editi sunt in Concilio Nicæno I.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia codex Alexandrinus, ex quo descripti sunt Arabici canones, erat collectio canonum non ab uno tantum concilio, sed a pluribus editorum: facta verò fuerat ea collectio, aut ab Episcopis Alexandrinis, aut a privatis quibusdam ad frequentiorem Ecclesiæ Alexandrinæ praxim.

CONCLUSIO 2. Nicæni canones summo semper ubique fuerunt in pretio.

Probatur. Oecumenicæ synodi (ut passim videre est apud Socratem, Sozomenum, Theodoretum) professæ sunt, se Nicænis canonibus inhærere. Eosdem canones tanquam totius Ecclesiasticæ disciplinæ arcem laudarunt in suis Epistolis decretalibus Romani Pontifices, eorumque authoritate usi sunt, ut irrita facerent, quæ in posterioribus nonnullis conciliis, Constantinopolitano I. v. gr. & Chalcedonensi, contra Ecclesiarum jura tentata fuerunt.

Explicantur Nicæni Canones.

Canon I.

Prior Nicænus canon jubet 1. ut ii, qui aut propter languorem à medicis, aut per vim a barbaris evirati fuerint, in clero permaneant, si ante abscissionem essent clerici; si autem laici ad clerum promoveri possint: jubet 2. ut ii, qui seipsos evirarunt, a clero dejiciantur, si sint clerici; nec unquam, si sint laici, ad ipsum promoveantur.

Origenis factum, qui seipsum absciderat, ut sine suspicione Scripturam mulieres doceret, sectæ Valesianorum, qui, Augustino teste, quosvis advenas violenter exsecabant, canoni, de quo agitur, occasionem præbuit.

Licèt laudatus canon eorum non meminerit, qui seipsos etiam propter languorem absciderint, eo tamen comprehenduntur, hoc est, iis tantum clericatum indulget, qui propter languorem, alia, non propria, manu evirati fuerint.

Canon II.

Alter Nicæni Concilii canon vetat Neophytorum hoc est, non ita pridem baptizatorum hominum ordinationem. Nititur verò laudatus canon Apostoli authoritate: *Non neophytum,* inquit, *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli,* &c. Non est tamen divini juris, sed Ecclesiastici tantùm; unde nonnunquam, aut in eo dispensatum est propter Ecclesiæ utilitatem, ut in Ambrosio; aut tolerata est contraria praxis, quam invexit in Ecclesiam Episcoporum incuria.

Canon expressè tantùm loquitur de Neophytis ex gentilitate; sed rationes, quibus nititur, eum extendunt ad quemlibet neophytum ex fide, sive fuerit gentilis, sive fuerit hæreticus. Imò qui in pluribus aliis conciliis editi sunt canones, illum extendunt ad neophytos, tum ex laicis, tum ex ætate; præscribunt nimirùm, ut nemo ad presbyteratum, aut ad Episcopatum promoveatur, nisi ætatem, quam definiunt, attigerit, & in gradibus inferioribus certo tempore probatus fuerit. Adeat lector alterum tomum commentarii nostri historici de Sacramentis, ubi fusè pertractatum est de neophytorum irregularitate.

Canon III.

Tertius canon prohibet iis omnibus, qui sunt in cle-

clero, ne subintroductam habeant mulierem, nisi forte sit aut mater, aut soror, vel amita, aut eas tantùm personas, quæ suspicioni locum dare non possint. Subintroductarum verò mulierum nomine intelliguntur quædam, aut viduæ, aut virgines piæ, quæ sub sororum, aut agapetarum nomine, in domesticum ministerium a Clericis assumebantur.

Usus initio licitus (ut patet ex Tertull. lib. de Monogamia cap. 16.) sed in pestem per humanam infirmitatem postea mutatus, hoc Nicæni concilii tertio canone abrogatus est.

Ea lex omnes omninò Clericos complectitur: *Nec alicui omninò, qui in clero est*. Uxorum non meminit canon, earum alioquin expressam mentionem facturus, si majoribus clericis, Episcopis nimirùm, presbyteris & diaconis, uti licuisset ductis ante ordinationem. Quæstionem de Clericorum cœlibatu, agentes de Subdiaconatu, pertractavimus in nostro commentario historico de Sacramentis.

Canon IV.

Quartus canon jubet 1. ut omnes, ac singuli ejusdem provinciæ Episcopi conveniant ad novi ordinationem: jubet 2. ut si omnes facile convenire non possint, ordinatio a tribus saltem, absentibus scripto consentientibus, celebretur: jubet 3. ut in ea ordinatione Metropolitanus primas habeat partes.

Duo priora canonis membra, ex Balsamone, intelliguntur de electione, tertium de consecratione, in qua, ut licita sit, saltem extra casum necessitatis, non autem ut valeat, duo Episcopi debent Metropolitani consecrantis assistentes esse. De Episcoporum electionibus, & consecratione plura diximus in eodem nostro commentario historico de Sacramentis.

Canon V.

Quinto canone sancitur, ut censuræ ab Episcopis latæ in laicos, aut in clericos sibi subditos, etiam apud aliarum provinciarum Episcopos valeant. Sancitur 2. ut eæ censuræ tollantur, aut ab iis tantùm Episcopis, a quibus latæ fuerint, aut a provinciæ concilio; quod quidem bis uno quoq; anno, ante quadragesimam nimirùm, & circa tempus autumnale, præcipitur celebrari.

Canoni locum dederat Eusebius Nicomediensis, qui Arium ab Episcopo Alexandrino segregatum, propria authoritate in communionem admiserat. Intelligitur idem canon absque præjudicio appellationis ad authoritatem Concilio provinciali majorem.

Canon VI.

Sextus canon præscribit 1. ut Alexandrinus Episcopus præsit diœcesibus omnibus, quæ sunt in Ægypto, Libya, & Pentapoli. Præscribit 2. ut Antiochenus Episcopus subditas sibi provincias, Syriam nimirùm, Cœlesyriam, Ciliciam, utramq; Mesopotamiam, administret. Præscribit 3. ut quibusque Ecclesiis sua jura serventur. Præscribit 4. ne pro Episcopo habeatur, qui præter Metropolitani sententiam factus est Episcopus. Præscribit 5. ut rata habeatur electio communi suffragio peracta, quamvis duo, aut tres Episcopi contradixerint.

Priori canonis parti Meletianum schisma, de quo superius dictum est, occasioni fuerat.

Falsò ex prima, & secunda ejusdem canonis parte nonnulli concludunt, tres majores Patriarchatus, Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum, institutos primùm fuisse in concilio Nicæno I. quippe duplex ea canonis pars antiquiore consuetudine nititur: *Antiqua* inquit canon, *consuetudo servetur*.

Immerito quoque ex his canonis verbis: *Quia & urbis Romæ Episcopo parilis mos est*, Heterodoxi impugnant Romani Pontificis in universa Ecclesia primatum. Nempe canon Alexandrinum Episcopum cum Romano comparat in jure Patriarchali, non autem in jure Papali, hoc est, vult, ut ille fruatur Ecclesiis suo Patriarchatui subditis, sicut Romanus Pontifex fruitur Ecclesiis suo Patriarchatui subditis; toto nimirùm Occidente, Africa, Septentrione, & Illyrico. Mox dato sensui favet Rufini versio: *Ut*, inquit, *ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum curam gerat*. Sed de eo canone redibit sermo, ubi inferiùs agetur de divino Romani Pontificis in tota Ecclesia primatu.

Canon VII.

Septimo canone decernitur 1. ut Episcopus Hierosolymitanus habeat *honoris consequentiam*, hoc est, ut sedeat in Conciliis post Episcopum Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum. Decernitur 2. nullum inde damnum quoad jurisdictionem inferri debere Metropolitano, hoc est, Cæsariensi Episcopo, cui subdita erat Hierosolymorum Ecclesia.

Canon Patriarchæ nec nomen, nec jurisdictionem, sed honorem tantum Episcopo Hierosolymitano antiqua consuetudine concessum confirmavit; nec immeritò, nam Hierosolymorum Ecclesia mater est omnium aliarum Ecclesiarum, sed eo sensu, quod in ea, tanquam in incunabulis christiana religio nata fuerit.

Canon VIII.

Octavus canon agit de Novatianis, qui se Catharos, hoc est, Puros dicebant. De iis autem statuit 1. ut si Ecclesiæ dogmata suscipiant, in Clero permaneant, *impositionem manuum accipientes*. Statuit 2. ut in locis, ubi fuerint Episcopi Catholici, Novatiani solo Episcopi nomine retento, aut presbyteratu fungantur, aut chorepiscopatu donentur.

Manuum impositionem, cujus canon meminit, nonnulli de reconciliatoria, seu, de Sacramento Pœnitentiæ interpretantur; alii de confirmatoria, hoc est, de Confirmationis Sacramento, quod Novitiani suis neophytis non conferebant; alii tandem eam, de qua canon agit, manuum impositionem, exponunt de ordinatoria, hoc est, de Ordinis Sacramento, quod, ajunt illi Scriptores, Patres jubent in Novatianis iterari, quia eos ad illud in sua secta conferendum Ecclesia Catholica inhabiles reddiderat. De ea difficultate consuli potest noster commentarius historicus de Sacramentis, tum in dissertatione de Sacramento Confirmationis, tum etiam in dissertatione de Ordinis Sacramento.

Clericatus honor, & potestas Novatianis in Ecclesiæ sinum redeuntibus debita non erant; nam ferebant, qui tunc observabantur canones, ut Clerici, vel in hæresim, vel in schisma lapsi, aut ne etiam in fine vitæ reciperentur, aut si reciperentur, non fruerentur, nisi laica communione; sed Novatiani, œconomiæ & charitatis causa, ab iis canonibus a Nicæna synodo dispensati sunt.

Canon IX.

Nono Nicæno canone deponuntur Clerici, qui a ut absque prævio examine, aut gravia quædam peccata confitentes, promoti sunt.

Examen autem, cujus canon meminit, non intelligitur de scientia tantùm, sed etiam de moribus; idque probat disjunctiva canonis particula: *Vel peccata sua confessi sunt*. Promotionem absque prævio illo examine tentatam

tatam Concilium dicit esse *contra Canones*; nempe varii ea de re sanciti fuerant in variis provincialibus conciliis; addit esse quoque *regulam*, Apostolicam nimirum, ut patet ex Pauli, tum ad Timotheum, tum ad Titum, epistolis.

Canon X.

Canon decimus deponit Clericum, qui post lapsum promotus fuisset ab Episcopo, aut per ignorantiam, aut per dissimulationem.

Lapsorum verò nomine intelliguntur præsertim ii, qui, sæviente persecutione, facto, aut verbis ejurarant fidem; intelliguntur quoque ii, qui rei essent gravium externorum criminum, ut sunt adulterium, & homicidium.

Verbum illud, *aut per ignorantiam*, probat canonem intelligi de criminibus occultis; ac proinde sequitur ex criminibus, etiam occultis, tunc contrahi solitam fuisse irregularitatem, tum respectu recipiendorum ordinum, tum respectu exercitii receptorum, hoc est, laicos per ea crimina inhabiles fuisse ad recipiendos ordines; & clericos ad eos exercendos, quos eorum criminum rei recipissent.

Canon XI.

Undecimus canon spontè lapsos, hoc est, aut non coactos tormentorum vi, aut non territos vitæ, vel facultatum periculo, admittit ad reconciliationem, ubi tamen per decennium in variis pœnitentium classibus pœnitentiam probaverint.

Observandum est 1. eo in canone agi de lapsis post baptismum; nam canone 14. agit de cathecumenis, qui nondum baptizati, lapsi fuissent.

Observandum est 2. specialem esse, nec antea alicubi definitum, usum illum, cujus canon meminit; neque enim est idem cum eo, de quo Cyprianus Clerum Romanum consulerat; quippe Clerum Romanum non interrogarat, nisi de iis, qui aut tormentorum vi, aut facultatum periculo territi, fidem ejurarant.

Observandum est 3. Canonem recensere tantùm tres pœnitentium classes, Audientium nimirùm, Prostratorum & Consistentium: de Flentium verò classe, de qua fit mentio in Epistola Gregorii Thaumaturgi ad Amphilochium, silet omninò: hincque colligitur, eumdem ubique non fuisse artificialium illarum classium usum. Sed de iis multa diximus in nostro commentario, nonnulla quoque dicturi sumus harum Institutionum theologicarum tomo ultimo, ubi de pœnitentiæ sacramento disseremus.

Canon XII.

Canon duodecimus, 1. Post triennii tempus in auditione expletum, triennio in substratione eos damnat, qui *deponentes militia cingulum, postmodum verò ad proprium vomitum sunt relapsi.* 2. Facultatem facit Episcopo, ut pro fervore, quem ejusmodi pœnitentes in auditione probaverint, dispenset a substratione, minuatque consistentiæ tempus: *Tum demùm fidelibus in oratione communicent: postmodum verò licebit Episcopo de his aliquid humanius cogitare.*

Circa priorem canonis partem quæritur, quinam ii sint, qui *deponentes militia cingulum, &c.*

Respondent passim interpretes, iis verbis intelligi debere milites, qui ubi cum militibus gentilibus, aut ante certamen, aut post reportatam victoriam, Diis immolare noluissent, resumebant postea militiæ cingulum cum idololatriæ, aut conditione, aut periculo. Sed canon eo sensu sumptus, ab undecimo non discreparet: quod est absurdum.

Respondent alii, militiæ professionem Christianis olim non licuisse. Sed ea responsio nullo fundamento nititur. Nec alicujus ponderis est eo in capite sententia Tertulliani, docentis militiam licuisse quidem iis, quos fides milites invenerat, seu qui antequam baptizarentur, militiam profitebantur; non autem iis, qui ante baptismum ei non dederant nomen: par enim est utrobique ratio.

Dicendum est igitur, Canonem intelligi de pœnitentibus, qui relicta, quam amplexi fuerant, pœnitentia, rursùs dabant se, aut militiæ, aut sæcularibus negotiis, quibus pœnitens (ut patet ex Epistola Innocentii Papæ I. ad Victricium Rothomagensem) interdicebantur.

Circa alteram Canonis partem observandum est, eam a substratione decurrenda dispensationem esse, ut nunc loquimur, indulgentiam propriè dictam. Hinc verò colligitur, Patres attendisse ad contritionis fervorem, & ad peractos pœnitentiæ Canonicæ labores, ut indulgentias majores, vel minores pœnitentibus largirentur. Colligitur iterùm, indulgentiam nihil aliud esse, quàm impositæ, aut juxta Canones imponendæ, satisfactionis remissionem. Adeat lector nostrum de Indulgentiis tractatum ad calcem tomi de Sacramentis.

Canon XIII.

Decimo tertio Canone præscribitur 1. ut ii, qui periculosè ægrotant, *ultimo & maximè necessario viatico nimimè priventur*. Præscribit. 2. *ut communionem consecutus, & oblationis particeps factus, si convaluerit, sit in consistentium gradu*. Præscribit 3. *ut cuilibet in exitu posito, & poscenti communionis gratiam, Episcopus probabiliter ex oblatione dare debeat.*

Toto eo in Canone, cujus verba retulimus, de iis agitur, qui dum sani essent, pœnitentium classes decurrere cœperant; nam iis, qui in infirmitate tantùm reconciliationem poscebant, negabantur, tum absolutio sacramentalis, tum Eucharistica Communio: hinc jubet Canon, ut ejusmodi pœnitentes, si accepto viatico convaluerint, inter consistentes orent.

Viatici nomine, de quo prior Canonis pars loquitur, nonnulli intelligunt perfectam reconciliationem, hoc est, absolutionem sacramentalem & communionem Eucharisticam, sed immeritò; nam viaticum, de quo quæstio est in priore Canonis parte, non est idem cum communione, de qua secunda pars loquitur: siquidem viaticum, cujus prior pars meminit, cuilibet pœnitenti tribui debet in exitu; communio verò, cujus fit mentio in altera parte, iis tantùm conceditur, quorum Episcopus, non autem inferior aliquis sacerdos, mores & vitam exploraverit.

Dicendum est igitur cum Albaspineo, viatici nomine intelligi sacramentalem absolutionem; quippè Canon dicit illud viaticum esse *maximè necessarium*; quod tamen non dicit de communione, de qua in altera parte Canonis agitur; ac proindè loquitur de re lapsis necessaria necessitate medii; quod quidem (ut ex tractatu de Sacramento Pœnitentiæ supponitur) soli absolutioni sacramentali convenit.

Inde colligitur, Canonem confirmare, quæ tum à Zephirino de pace mœchis pœnitentia perfunctis danda; tum de idolatris & homicidis reconciliandis, ut à Cypriano Carthagine, & a Cornelio Romæ decretum fuerat; cui quidem & Zephirini, & Cornelii, & Cypriani decreto contraria fuerat antiqua praxis, quæ adulteris, homicidis, & idolatris, licet pœnitentia sani perfuncti fuissent, in ipso vitæ exitu, aliquibus saltem in locis, reconciliationem negaverat.

Canon XIV.

Decimo quarto Canone Nicæno, trium annorum audientia damnantur Catechumeni, qui in aliquod grave scelus lapsi fuerint.

Quinam essent Catechumeni, & quot eorum essent classes, fusè dicemus, agentes de Baptismatis sacramento.

Pœnitentia, qua Catechumeni hoc in Canone damnantur, non erat satisfactoria; neque enim Catechumeni Ecclesiæ clavibus sunt subjecti; sed erat ad baptismum præperatoria, hoc est, Ecclesia trium annorum audientia probabat, an Catechumenos in catechumenatu lapsos, sui lapsus vere pœniteret.

Canon XV.

Decimoquinto Canone prohibentur, ac irritæ declarantur Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum translationes.

Canonis rationem reddit Hieronymus in epistola ad Oceanum: *Ne*, inquit, *virginis paupercula societate contempta, ditioris adultera quærat amplexus*. Illud tamen, quod hic prohibetur, divortium, potest ex causa fieri.

Observandum est, Canonem non prohibere, ne Episcopus intra propriam diœcesim, presbyteros, aut diaconos in alios titulos transferat; nam hæc verba: *De civitate in civitatem*, respectu Episcopi, intelliguntur tantùm de translatione ex una diœcesi in aliam: ergo eodem sensu intelliguntur quoque respectu presbyterorum, & diaconorum.

Canon XVI.

Canon decimus sextus vetat 1. ne Clerici, absque proprii Episcopi facultate, ad aliam diœcesim transeuntes, communicent. Vetat. 2. ne quis Episcopus alienum Clericum, aut retinere, aut ad altiorem ordinem promovere audeat; idque sub nullitatis pœna.

Communionis nomine hic intelligitur Ecclesiastica, ita ut Canon velit, Clericum non posse in aliena diœcesi ordinis sui munera obire invito proprio Episcopo, hoc est, eo, a quo fuit ordinatus; is enim Nicæni Concilii tempore erat solus *proprius* Episcopus.

Hisce verbis: *Ordinatio hujuscemodi irrita comprobetur*, intelligitur, secundùm Morinum, ordinatio, quæ fit irrita, ac nulla non tantùm secundùm executionem, sed etiam quoad characterem & substantiam; quippe, ait, Ecclesia prioribus sæculis inhabilem reddiderat Episcopum ad ordinandum alienum Clerum. Sed, secundùm alios, intelligitur ordinatio, quæ irrita quidem fit secundùm executionem, seu, ordinis exercitium; sed quæ valeat quoad characterem & substantiam. Quinam probabiliùs sentiant, explicabimus agentes de Ordinis Sacramento.

Canon XVII.

Canon decimus septimus, Clericis omnibus sub depositionis pœna prohibet, ne *centesimas, aut hemiola, id est, sescupla*, aut aliquid aliud præter sortem exigant ex mutuo, aut ex negotiatione, in qua mutuatum mutuanti servetur indemne.

Centesimarum nomine, intelligitur centesima pars per mensem, ex pecunia, aut frugibus mutuo datis, ita ut duodecim nummi supra centum mutuo datos singulis annis mutuanti a mutuatario solvantur.

Hemiola, hoc est, sescupla, ex Zonara in hunc Canonem, est dimidia pars centesimæ: ex Hieronymo verò, est tertia pars superexcedens frugum, aut frumenti copiam mutuò datam. Duplici illa usura, hoc Canone XVII. Clerici interdicuntur; imò & quavis alia, quantumcumque exigua fuerit: *Vel aliquid tale*, inquit, *prorsus excogitans turpis lucri gratia*.

Observandum est 1. Canonem usuram vocare, quidquid præter sortem acceptum fuerit: 2. non loqui de laicis, sed de solis Clericis, eò quòd Romanæ leges duplicem illam usuram permitterent. Verùm Canon laudans hæc Scripturæ verba: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram*, sat innuit, usuram cuilibet, tum laico, tum Clerico, vetitam esse jure divino, imò & naturali; neque enim veteris testamenti præcepta vigent in novo, nisi in iis, in quibus aliquid ex naturali jure includitur.

Canon XVIII.

Canon decimus octavus vetat 1. ne diaconi *sacræ communionis gratiam* presbyteris porrigant: 2. ne ipsi ante, sed tantùm post presbyteros eandem communionis gratiam recipiant: 3. ne iidem diaconi sibi ipsis communionem impertiantur; jubet verò, ut eam, aut ab Episcopo, aut à presbytero recipiant: 4. ne sedeant in presbyterorum consessu.

Prioris Canonis pars confirmatur ex eo, quòd par non sit, inquit Concilium, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi, qui offerunt, Christi corpus accipiant. Aliæ Canonis partes hac ratione confirmantur, quòd *diaconi episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem presbyteris habeantur*.

In illum Canonem observare est 1. Concilium non vetare, quin diaconi in publicis synaxibus sacram communionem Clericis inferioribus, fidelique populo dispensent; imò jus illud in eis supponit, cum, ut definiunt jura, exceptio firmet regulam.

Observare est 2. tempore Concilii Nicæni I. Ecclesiam Eucharistiam obtulisse in sacrificium; nam ex potestate offerendi, quæ Episcopis tantùm & presbyteris conveniret, Concilium colligit, non licere Diaconis Eucharistiam presbyteris porrigere.

Observandum est 3. tempore, quo habitum est Concilium, unius ac ejusdem Ecclesiæ presbyteros non diversas missas, sed unam tantùm simul cum Episcopo celebrare solitos fuisse: in ea autem solemni Missa presbyteri omni ex parte Altare circumcingebant: in ea verò solemni Missa diaconi jus illud sibi arrogarant, quod Canon, quem expendimus, damnat.

Canon XIX.

Canone decimonono definitur 1. Paulianistas ad Ecclesiam redeuntes baptizari debere. Definitur 2. eos, qui apud Paulianistas Clerici fuissent, accepto novo baptismate, & nova ordinatione, posse in Clero remanere, si irreprehensibiles apparuerint. Definitur 3. idem privilegium concedi debere diaconissis, quæ apud eosdem Paulianistas recepissent manuum impositionem; non autem iis, quæ aut ad id muneris electæ quidem, sed nondum consecratæ fuissent per manuum impositionē; aut quæ officium illud usurpassent, ut, teste Tertulliano, plerumque fiebat apud hæreticos.

Notandum est hic 1. discrimen Paulianistarum à Novatianis. Istorum baptisma Concilium implicitè probat octavo Canone; nec enim præscribit, ut iis, cum in Ecclesiæ sinum redierint, aliud baptisma conferatur; è contra verò irritum declarat datum à Paulianistis, hoc est, Pauli Samosateni discipulis: Nec id mirum est; siquidem (ut ait Innocentius I. epist. 22. cap. 6.) *Paulianistæ* (qui Sabellii, Trinitatis personas confundentis, impium dogma renovarant) *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti minimè baptizabant; & Novatiani ejusdem tremendis, venerandisque nominibus baptizabant.*

Notandum est 2. privilegium obeundi sacras functiones Paulianistis concessum, non fuisse exceptionem a regula, qua vetitum erat, ne in hæresim lapsi, aut in ea ordinati, admitterentur in Ecclesiam cum facultate fungendi suorum ordinum exercitio; nam Paulianistæ non erant Christiani, cum non essent valido baptismo consecrati; ac proindè potiùs erant infideles, quam hæretici.

Notandum est 3. Diaconissas olim Clero reverà adscriptas fuisse, ac per manuum impositionem consecratas; ea tamen consecratio non erat ordo, nisi valdè impropriè, ut de Diaconissarum institutione, abrogatione, officiis, dotibus agentes, diximus in historico nostro de Sacramentis commentario.

Canon XX.

Canon vigesimus prohibet, ne quis die Dominico, aut diebus Pentecostes, genua inter orandum flectat; ut, inquit, omnia in omnibus consonanter observentur.

Observandum est 1. eo in Canone agi de publica in templis oratione, non autem de secreta in domibus privatis.

Observandum est 2. morem flectendi genua in publicis orationibus, paucorum tantùm fuisse: *Quidam,* ait Canon, *in die Dominico, &c.* Cæterùm de genuflexione, statione, aliisque veterum orandi ritibus, legere est Tertullianum libro de Oratione.

Observandum est 3. per hæc verba: *In diebus Pentecostes*, Concilium intelligere tempus, quod a Paschate fluit ad Pentecosten inclusivè. Externo illo ritu majores nostri suam de Christi resurrectione fidem solemniter profitebantur.

ARTICULUS II.

De Concilio Constantinopolitano I.

DE Concilio Constantinopolitano I. quod est secundum generale, quæri potest 1. quam ob causam coactum fuerit: 2. quid definierit: 3. quosnam condiderit Canones: 4. an reverà sit generale concilium.

§. I.

De causa Constantinopolitani I. Concilii.

CONCLUSIO. Duplici de causa celebratum est Concilium Constantinopolitanum I. anno 381.

Probatur authoritate Socratis, qui lib. 5. hist. cap. 8. sic loquitur: *Posthac Imperator*, Theodosius, *suæ fidei Episcoporum Concilium convocat, quo & Nicana fides confirmaretur, & Constantinopoli ordinaretur Episcopus.* Idem patet ex ejusdem Concilii synodica ad Episcopos Romæ, ad Concilium sub Damaso Papa congregatos.

Quæres, quinam ii essent, contra quos Nicæna fides confirmanda erat, cum habitum est Constantinopolitanum I. Concilium?

Resp. Nicænam fidem confirmari debuisse contra Arianæ sectæ præcipuos ramos, Macedonium, Aetium, Eunomium, eosque omnes, qui post Concilium Ariminense, ex decreto Constantii Imperatoris, dicebant, Dei Filium, nec Homousion, neque Heterousion, sed tantùm Patri in omnibus similem.

Macedonius Ecclesiæ Constantinopolitanæ a Constantio Præpositus, primùm meram Arii hæresim propugnavit; postea varia ob scelera, quorum erat reus, ab eodem Constantio, agentibus Arianismi præcipuis capitibus Acacio & Eudoxio, ad Semi-arianos conversus, Homœousion vocem usurpare cœpit, hoc est, desiit id asserere, quod asserebat anteà, id est, *Verbum esse simile Patri, sed non similis substantia*. Sed quod Verbo visus fuerat concedere, apertè negavit Spiritui Sancto; nempè docuit, ipsum nec esse Homousion, hoc est, ejusdem substantiæ cum Patre, nec Homœousion, seu, similis substantiæ; sed omninò diversæ, hoc est, Spiritum sanctum ad meræ creaturæ ordinem redegit.

Æthius (ut scribit Epiph. Hær. 76.) Aristotelicæ philosophiæ methodo abusus, apertè Verbi divinitatem cum Ario, apertè quoque Spiritus Sancti divinitatem cum Macedonio impugnavit.

Eunomius, qui Æthium magistrum audierat, easdem cum ipso in Filium, & Spiritum sanctum blasphemias evomuit. Apertè nimirùm & Homousion, & Homœousion rejecit, adjecitque utriusque respectu Heterousion: hoc est, asseruit, Filium, & Spiritum sanctum esse alterius a Patre substantiæ. Illius discipuli (nam ob dicendi artem sectæ dederat nomen) Anomiani, seu, Anomœi dicti sunt.

§. II.

Quid definierit Concilium Constantinopolitanum I.

CONCL. Concilium Constantinopolitanum I. quatuor præstitit.

Probatur enumeratione: 1. Nectarium, Gregorio Nazianzeno in Sede Constantinopolitana successorem, dejecto Maximo, suffecit: 2. confirmavit Nicænæ synodi fidem, editoque ab ipsa symbolo addidit expositionem, in qua Spiritui sancto eandem cum Patre, & Filio divinitatem apertè tribuit: 3. condidit Canones quosdam ad disciplinam spectantes: 4. ad Damasum Papam, & ad reliquos Occidentis Episcopos, qui Romæ ad Concilium convenerant, direxit epistolam synodicam, in qua Concilii acta referuntur.

§. III.

De Canonibus Concilii Constantinopolitani I.

Canon I.

In priore Canone Concilii Constantinopolitani I. dictum est anathema in eos, qui blasphemarant in SS. Trinitatem; Sabellianos nimirùm, Eunomianos, Macedonianos; tum etiam in eos, qui errarant circa Verbi Incarnationem; nempè Marcellianos, Photinianos, Apollinaristas.

Canon II.

In Canone, qui in Dionysii Exigui collectione habetur secundo loco, confirmantur jura, quæ a Nicænis Patribus Ecclesiis adscripta fuerant; cum hac tamen exceptione, quòd Episcopo Constantinopolitano patres tribuerint, *honoris primatum post Romanum Episcopum, propterea quòd urbs ipsa sit junior Roma.*

Observet lector, exceptionem de Ecclesia Constantinopolitana non reperiri in epistola synodica, quam Concilium ad Occidentales scripsit; probabile est, Orientales noluisse ea exceptione offendere animos Occidentalium, quos sciebant esse Nicænis Canonibus addictissimos. Ex ea omissione aliqui concludunt, Canonem illum esse supposititium; alii eum quidem admittunt, sed volunt editum fuisse, & relatum in acta Concilii post electionem Nectarii, & discessum Timothei

thei Alexandrini, qui, ut fuæ Ecclefiæ juribus confuleret, haud dubiè Canoni, de quo agitur, obftitiffet. Illius tanquam non fuppofititii, fed certò editi Canonis meminerunt illorum temporum hiftorici, Socrates hiftor. lib.5. cap.2. Sozomenus lib.7. cap.8.

Canon III.

Canone, qui tertius eft apud Dionyfium Exiguum, quartus verò apud Gentianum Hervetum, qui fecundum Dionyfianum in duos divifit; irrita declaratur Maximi in Epifcopum Conftantinopolitanum ordinatio facta ab Ægyptiis Epifcopis; irrita quoque fit ordinatio eorum, quibus idem Maximus manus impofuerat: *Placuit neque Maximum Epifcopum effe, vel fuiffe, nec eos, qui ab ipfo in quolibet gradu Clerici funt ordinati.*

Morinus nofter in fuo de facris ordinationibus commentario, cenfet, latum in Maximum Canonem exponi non debere de fola depofitione, fed de nullitate ordinationis, etiam fecundùm fubftantiam fumptæ; nempe afferit, ordinationes contra Canones etiam à Catholicis Epifcopis tentatas, olim irritas fuiffe non tantùm fecundùm exercitium, fed etiam fecundùm fubftantiam, ita ut characterem non imprimerent.

Canon IV.

In quinto apud Gentianum Hervetum Canone patres in fui communionem admittunt, tum Meletio, tum Paulino Antiochiæ adhærentes, eò quòd utrique SS. Trinitatis fidem confiterentur. Verùm utrùm Meletius præ Paulino, aut Paulinus præ Meletio verus effet Epifcopus Antiochenus, definire noluerunt, eò quòd fcirent, Paulini ordinationem ab Occidentalibus probari, improbari verò ordinationem Meletii.

Zonaras cenfet, per *libellum Occidentalium*, cujus Canon meminit, intelligi decretum Concilii Sardicenfis, quo Athanafius, & alii ab Arianis dejecti, in fuas fedes reftitui fuerant.

Canon VI.

Canone, in Herveti collectione, fexto ftatuitur 1. in iis, quæ ad res Ecclefiafticas fpectant, admitti non debere, aut hæreticorum, aut fchifmaticorum, aut excommunicatorum, aut eorum etiam, qui funt in Ecclefia, fed accufati non fe purgarunt, accufationes adversùs Epifcopos. Statuitur 2. ut impactum Epifcopo crimen expendatur in provinciali fynodo, à qua provocari poffit ad totius diœcefis, feu, plurium provinciarum fub Primate, aut Patriarcha majorem fynodum. Statuitur 3. ut in fynodis generalibus non admittantur adversùs Epifcopos accufationes, quæ antea in diœcefeos fynodis examinatæ non fuerint: *Si quis aufus fuerit univerfalem fynodum perturbare, neglectis diœcefis Epifcopis, eum nullo modo effe ad accufationem admittendum.*

Obfervandum eft, Canonem non meminiffe provocationis ad Sedem Apoftolicam, eò quòd (inquiunt nonnulli, quorum fententiam, an vera fit, aut falfa, hic non expendimus) omnes omninò caufæ, five Epifcoporum, five aliorum, nifi ad fidem pertinerent, in Conciliis, aut provincialibus, aut diœcefanis, aut multarum diœcefeon fynodis ultimò judicarentur.

Canon VII.

In feptimo Canone, ex ejusdem Herveti interpretatione, decernitur 1. ut Ariani, Macedoniani, Novatiani & Apollinariftæ, fi velint redire in Ecclefiæ finum, admittantur per chrifmatis unctionem, quam comitentur hæc verba: *Signaculum doni Spiritus fancti*. Decernitur 2. ut Eunomiani, Montaniftæ, & Sabelliani recipiantur per aliud baptifma.

Morinus in fuo commentario de Sacramento Pœnitentiæ docet, ritum illum, quem in quibusdam hæreticis admittendis Canon feptimus recenfet, intelligi de Confirmationis Sacramento; quod quidem, inquit, hæretici, etiamfi formam debitè applicarent materiæ, validè tamen non conferebant, quia Ecclefia eos ad illud Sacramentum conferendum inhabiles per fua decreta reddiderat. Alii è contra contendunt, ritum, de quo agitur, fuiffe merè cerimonialem, neque enim, inquiunt, verba ifta: *Signaculum doni Spiritus fancti*, fed preces, per quas invocatur Spiritus fanctus ad robur, funt forma Sacramenti Confirmationis.

Theodoretus obfervat, altera feptimi Canonis parte declarari, baptifma ab Eunomianis, & aliis, qui ibidem recenfentur, datum, iterari debere, eò quòd præfcripta in Evangelio forma non uterentur.

Obfervet lector, tres pofteriores Canones non reperiri in collectione Dionyfii Exigui: fortè eos illi non inferuit, quòd fciret, Occidentalibus, apud quos fcribebat, non probari fancitam in iis difciplinam.

§. IV.

Utrùm Concilium Conftantinopolitanum I. fit Concilium Generale.

CONCL. Concilium Conftantinopolitanum I. non fuit generale, nifi poft datum ipfi ab Occidentalibus confenfum.

Probatur prior pars. Ad Concilium univerfale neceffariò requiritur, ut Ecclefia Occidentalis ei adfit, aut per fe, aut per fuos legatos: atqui nullo modo adfuit Conftantinopolitano I. Concilio; neque enim ei vel unus adfuit Epifcopus Occidentalis.

Probatur altera conclufionis pars. Concilium, quod initio non eft generale defectu alicujus conditionis, poftea fit generale, cum ea conditio ponitur: ergo Concilium Conftantinopolitanum I. factum eft generale per Occidentalium confenfum, qui deerat, cum habitum eft in Oriente.

Confirmatur authoritate Gregorii Magni, qui lib. 6. epift. 125. afferit, Concilium, de quo agitur, ab Occidentalibus receptum fuiffe in iis, quæ ad fidem fpectant: *In hoc autem*, inquit, *eandem fynodum accepit Ecclefia Romana, quod eft per eam contra Macedonium definitum; reliquas verò hærefes, quæ illic memoratæ fuerunt, ab aliis jam patribus damnatas reprobat.*

ARTICULUS III.

De Concilio Ephefino I.

CONcilium Ephefinum I. quod anno 431. imperante Theodofio juniore, Cœleftino Romæ fedente, celebratum eft, dicitur tertium Concilium generale. De eo quæremus eadem, quæ de duobus prioribus quæfita funt.

§. I.

De caufa Concilii Ephefini I.

CONCL. Concilium Ephefinum I. celebratum eft contra Neftorium.

Probatur tum ex ejusdem Concilii actis, tum ex litteris convocationis, tum ex Cœleftini ad Cyrillum, & Cyrilli ad Cœleftinum epiftolis.

Quæres, quis esset Nestorius; quam propugnaret hæresim; quis præcipuus fuerit illius adversarius?

Resp. ad 1. Nestorium Germaniciæ in Oriente natum, presbyterio in Ecclesia Antiochena cum laude perfunctum, tandem a Theodosio juniore, summo omnium plausu, electum fuisse in Episcopum Constantinopolitanum.

Resp. ad 2. Nestorium, statim atque consecratus fuit, publica in concione asseruisse, duas esse in Christo hypostases, ac personas, proindeque duos filios; unum quidem Deum ex Patre Deo, hominem alterum ex matre, quam docebat non Theotocon, sed Christotocon appellari debere.

Resp. ad 3. Cyrillum Episcopum Alexandrinum damnasse errorem Nestorii in plurium Episcoporum synodo, quam habuit Alexandriæ, & in qua duodecim ipsi anathematismos opposuit. Coacto pariter Romæ Concilio proscriptus est a Cælestino Papa. Verùm eum Nestorius, nec Alexandrinæ synodi, nec Romanæ, rationem haberet, indictum fuit Ephesi Concilium generale, in quo post debitum examen, definitum fuit, unam tantùm esse, Verbi nimirùm, in Christo personam; ac proinde Mariam vere dici, ac esse Deiparam.

§. II.

De convocatione, & præside Ephesini I. Concilii.

Not. De Ephesini I. Concilii convocatione & præside, nonnulla jam dicta sunt iis locis, ubi actum est de Conciliis in genere: hic tamen aliqua alia addenda censemus.

CONCL. 1. Concilium Ephesinum I. convocatum fuit ab Imperatore Theodosio juniore.

Probatur variis monumentis. *Primò*, Theodosii de Concilii Ephesini I. convocatione mandatum legitur ejusdem Concilii par. 1. cap. 31. *Secundò*, Patres sæpiùs in ejusdem Concilii actis testantur, se convenisse Imperatoris jussu. *Tertiò*, id aperte scribunt Socrates hist. lib. 7. cap. 34. Evagrius lib. 1. cap. 3.

CONCL. 2. Cyrillus Alexandrinus præfuit Ephesino I. Concilio; nec locum amisit suum post adventum Arcadii, Projecti & Philippi, quos Cœlestinus Papa suo & totius Ecclesiæ Occidentalis nomine ad Concilium miserat.

Probatur prior pars. In ipsis Concilii actis sæpè dicitur, quòd Cyrillus Nestorium deposuerit, quòd fuerit Concilii caput. Leo Magnus epist. 47. sic loquitur: *Prioris autem Ephesinæ synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc præsedit, statuta permaneant.*

Quæres, quo jure ante Occidentalium adventum Cyrillus Ephesino I. Concilio præfuerit?

Resp. præfuisse tum proprio, tum Romani Pontificis nomine: proprio quidem; erat quippè post Romanum Pontificem primus totius orbis Episcopus; proindèque par erat, ut absentibus Romani Pontificis legatis, primum in Concilio locum obtineret: præfuit quoque Cælestini nomine; siquidem illi vices commiserat suas Cælestinus, ut patet ex ejusdem Cælestini ad Cyrillum litteris, ubi sic eum alloquitur: *Quamobrem nostræ Sedis authoritate adscita, nostraque vice, & loco cum potestate usus, &c.* unde Concilii actione prima, idem Cyrillus dicitur, *Cælestini Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinuisse.*

Probatur altera conclusionis pars 1. ex hujusce synodi actione tertia, ubi licèt adessent Occidentales legati, Cyrillus ante eos nominatur, diciturque Cælestini Papæ tenere locum: *Consiaentibus Cyrillo Alexandrino, qui & Cælestini quoque sanctissimi Romanæ Ecclesiæ Archiepiscopi locum obtinebat, & Arcadio Episcopo, Romanæ Sedis legato, &c.* 2. Actione 6. Cyrillus ab ipsis Ephesinis Patribus vocatur Concilii præses. 3. Cyrilli subscriptio in actis, prout nunc extant, legitur ante subscriptionem Occidentalium legatorum.

Objicies. Mandatum Arcadio, Projecto & Philippo datum, censetur revocatio mandati, quod Cælestinus antea Cyrillo dederat: ergo illi, non autem iste, Concilio præfuerunt. Probatur ant. Mandatum, quod Arcadio, Projecto & Philippo datum est, ferebat, ut Cælestini tenerent locum, ut illius agerent vices, ut latam ab eo in Nestorium depositionis sententiam exequerentur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia intelligi debent ea mandati loca per conjunctionem cum Cyrillo, non autem per exclusionem; hoc est, Cælestinus Arcadio, Projecto & Philippo dedit in mandatis, ut cum Cyrillo jam tunc ejus legato, Romanæ Sedis vices agerent, &c.

§. III.

Utrùm Concilium Ephesinum I. haberi debeat pro Concilio generali.

Not. Ex dictis superiùs multa requiruntur ad Concilium generale: 1. ut ad ipsum vocentur omnes orbis Episcopi: 2. ut per potestatem legitimam indicetur: 3. ut debitum habeat præsidem: 4. ut ei adsit major Episcoporum pars: 5. ut si præcipua orbis pars ei non adfuerit, ipsius decretis postea suum præbeat consensum.

CONCLUSIO. Ephesinum I. Concilium haberi debet pro Concilio generali.

Probatur. *Primo*, ad Concilium Ephesinum vocati sunt omnium Ecclesiarum Episcopi: *Omnes undique Episcopos* (inquit Socrates histor. lib. 7. cap. 34.) *ad civitatem Ephesiorum*, Theodosius, *convocavit.*

Secundò. Theodosius Concilium non convocavit, nisi rogatus a Cyrillo, cui Cælestinus vices suas in Cælestii causa commiserat: *Cyrillus petiit à Theodosio, qui tunc imperium Orientis administrabat, ut ejus mandato prima synodus Ephesi congregaretur*; verba sunt Evagrii hist. lib. 1. cap. 3.

Tertiò. Cyrillus Concilio præfuit nomine Romanæ Sedis: *Vicem nostram* (ait Cælestinus in suis ad Clerum Constantinop. litteris) *sancto fratri meo Cyrillo delegavimus.*

Quintò. Ducenti ex Oriente Episcopi convenerunt ad Concilium Ephesinum I. imò & omnes Occidentales, qui in Concilio, quod Cælestinus Romæ celebrarat, suum suffragium adversus Nestorium tulerunt: *Quia ergo viri ipsi*, Occidentales legati, *totius Occidentis sententiam nostræ huic synodo per litteras exposuerunt, sensumque de fide & pietate nobis consonum declararunt, & eadem, quæ nos, decreverunt, &c.* Verba sunt Patrum Ephesinorum in sua ad Imperatorem relatione, quæ legitur post tertiam Concilii actionem.

Objicies 1. Episcopi Patriarchatus Antiocheni non adfuerunt Ephesino I. Concilio, nec illud probarunt, imò celebrarunt aliud, in quo resciderunt ea omnia, quæ Ephesi à Cyrillo aliisque Episcopis illi adhærentibus facta fuerant: ergo in concilio Ephesino I. non reperiuntur omnes conditiones, quæ ad Concilium œcumenicum requiruntur.

Resp. 1. dist. ant. Et illi Episcopi fuerunt pauci numero, & habita ratione ducentorum Orientalium, & omnium Occidentalium, qui per suos legatos Concilio adfuerant, conc. ant. Et non fuerunt pauci numero, neg. ant. quippè fuerunt tantùm numero paulò plus triginta, ut scribunt synodi Patres ad provinciarum Episcopos.

Resp.

Resp. 2. dist. ant. Non adfuerunt Concilio ex sua culpa, conc. ant. absque sua culpa, neg. ant. Episcopi Patriarchatus Antiocheni moram sponte sua trahebant eo fine, ut tandem, lite minime definita, patres Ephesini a se invicem discederent: ita censent aliqui, licet Evagrius hist. lib. 1. cap. 3. contrarium asserat.

Resp. 3. dist. iterum ant. Et illi Episcopi postea probarunt concilium Ephesinum, conc. ant. Et non probarunt, neg. ant. Inter Joannem Antiochenum, & Cyrillum inita est deinceps concordia, quæ, non quidem propter fidei dogma in concilio I. Ephesino definitum, sed propter latum in Nestorii personam depositionis decretum, fracta fuerat: *Cyrillum aversatus est* (inquit Socrates de Joanne agens histor. lib. 7. cap. 34.) *quippè qui temerario & præcipiti impetu*, in Joannis opinione, *ad depositionem Nestorii prorupisset*.

§. V.

De Canonibus Ephesini I. Concilii.

Sex sunt numero Ephesini I. concilii canones, in quibus aut Nestoriani deponuntur, aut a Nestorianis depositi restituuntur.

Priore decernitur, metropolitam, qui derelicta synodo ad Joannem Antiochenum accesserit, aut senserit cum Cælestio, excidere ab omni in provinciæ Episcopos jurisdictione; imò subjici eum provinciæ Episcoporum, viciniorumque metropolitanorum judicio; hoc est, ab iis tum Episcopis, tum Metropolitanis proferri debere depositionis sententiam. In eum autem Canonem observare est, Ephesinam synodum judicasse, se oecumenicam, ac legitimam esse, quamvis unius Patriarchatus Episcopi eam non haberent pro legitima, & oecumenica.

Altero Canone dejiciuntur a Clero, qui Nestorio, vel Joanni adhæserant, aut deinceps, contempta synodo, adhæsuri essent. Canonem Morinus sic interpretatur, ut velit, Nestorianos redditos fuisse inhabiles ad quodcumque tum ordinis, tum jurisdictionis exercitium; ita ut non illicitum esset modò, sed etiam vanum, ac irritum quidquid post hac tentare auturi essent. Alii verò decretum exponunt tantùm de illicito, non autem de irrito, in iis saltem, quæ ad ordinis exercitium spectant.

Aliis quatuor Canonibus, aut restituuntur in proprias sedes Catholici, quos Nestoriani dejecerant, aut declaratur verè restitutos non fuisse, quos Nestoriani post latam a Concilio depositionem restituere tentarant.

ARTICULUS IV.

De Chalcedonensi Concilio.

Concilium Chalcedonense, quod quartum est oecumenicum, habitum est anno 451. imperante apud Orientales Marciano, & Romæ sedente Leone Magno.

Ubi de Conciliis in genere dictum est, probatum est, Marcianum indixisse, seu, convocasse synodum hanc; idque rursus potest confirmari, tum ex Leonis, tum ex ipsiusmet Marciani epistolis, quæ ejusdem synodi actis prætixæ sunt. Ibidem pariter ostensum est, Leonem eidem Concilio per suos legatos præfuisse: *In his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio, & Basilio presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me synodo vestra fraternitas existimet præsidere*; verba sunt ipsius Leonis in sua ad Concilium epistola.

Superest igitur, ut de Concilii causa, actis, & Canonibus breviter hic disseramus.

§. I.

De causa Concilii Chalcedonensis.

CONCLUSIO. Cogendæ, ac celebrandæ Chalcedonensi synodo causa fuit hæresis Euthychiana.

Probatur, tum ex epistolis Leonis Magni ad Marcianum, & ad ipsummet Concilium Chalcedonense, tum ex aliis ejusdem Marciani ad Leonem, & Episcopos, qui vocati sunt ad Concilium: tum denique ex ejusdem concilii actis; nempè in iis omnibus monumentis legitur, coactam fuisse Calcedonensem synodum adversùs Eutychianam hæresim.

Quæres 1. quis esset Eutyches; quam protulisset hæresim, quos expertus fuisset adversarios?

Resp. ad 1. Eutychem presbyterum fuisse, Monasterii, quod Constantinopoli celeberrimum erat, archimandritam.

Resp. ad 2. in eo positam fuisse Eutychis hæresim, quòd vellet, ut unam hypostasim, ita unam tantùm naturam in Christo fuisse; quippe (inquit hæresiarcha) tanta fuerit unio Verbi cum humana natura, ut sola divinitas sub carnis non veritate, sed figura, famem, sitim, crucem, mortem perpessa sit, & post triduum revixerit è sepulchro: *Iste Eutyches* (inquit S. Flavianus in Epistola ad Leonem Papam) *impietatem propriam præsumpsit inferre, dicens, ante inhumanationem quidem Salvatoris nostri Jesu Christi duas naturas esse divinitatis & humanitatis, post unionem verò unam naturam factam..... Adjecit autem & aliam impietatem, dicens, Corpus Domini, quod ex Maria factum est, non esse nostræ substantiæ, neque humanæ conspersionis; sed humanum quidem illud vocat, non tamen nobis consubstantiale, neque genitrici ejus secundum carnem.*

Resp. ad 3. Eutychis hæresim primùm ab Eusebio Dorylæi in Phrygia Episcopo detectam fuisse, ac postea ad triginta Episcoporum Concilium Constantinopoli sub Flaviano coactum detulisse. Ea damnata, authorem pertinaciter eam propugnantem Flavianus, de Concilii consensu removit a Sacerdotio, de jecit a monasterii regimine, segregavitq; ab orthodoxorum consortio. Latam in hæresim, & hæreseos authorem sententiam confirmavit Leo Magnus epist. 15. quæ est ad Flavianum, & epistola 16. quæ est ad Ephesinam II. synodum. Tandem ultimò proscripta fuit ea hæresis, damnatusque Eutyches ab omnibus Concilii Chalcedonensis Patribus.

Quæres 2. quinam Eutychianæ hæreseos patrocinium susceperint?

Resp. susceptum fuisse *primò*, à Monachis Monasterii, cui præerat Eutyches: *secundò* a Chrysaphio eunucho, qui charissimus erat Imperatori Theodosio, & cum Eutyche, qui eum de sacro fonte levarat, arctissime conjunctus: *tertiò*, a Dioscoro Patriarcha Alexandrino, pluribusq; Ægyptiis Episcopis, qui in altera synodo Ephesina, quam Theodosius, Chrysaphii opera, indixerat, Flavianum dejecerunt a sacerdotio, Eutychem restituerunt in sacerdotii gradum, aperteque Eutychianum errorem tanquam fidei dogma credendum proposuere. Qua verò fraude, qua vi ea omnia facta sint, diximus, agentes de Conciliorum oecumenicorum authoritate.

§. II.

De actis Concilii Chalcedonensis.

CONCLUSIO. Multa in Concilio Chalcedonensi acta sunt.

Probatur enumeratione. *Primò*, postquam lectus est libellus ab Eusebio Dorylæi Episcopo oblatus adversùs Dioscorum, & Ephesinum II. Concilium, recitatis ejusdem

ejusdem Concilii actis, auditis etiam Alexandrinorum adversùs eundem Dioscorum querelis, in Dioscorum ter secundùm canones, ut objectis responderet, vocatum, depositionis sententiam, cui consensit universa synodus, hisce verbis protulerunt Romanæ Sedis legati: *Sanctissimus & beatissimus Archiepiscopus magnæ, & senioris Romæ Leo, per nos, & per præsentem sanctam synodum, unà cum ter beatissimo & omni laude dignissimo beato Petro Apostolo, nudavit eum tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio.* Decretum, decretique causæ, legi possunt in relatione tum ad Marcianum, tum ad Pulcheriam Augustam directa.

Secundò. Confessa est universa synodus, se fidem amplecti, quæ in symbolo, tum Nicæno, tum Constantinopolitano, continetur, quamque explicuerunt Cyrillus in epistolis synodicis, & Leo in epistola ad Flavianũ.

Tertiò. Definiit, *unum eundemque Christum, Filium, Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturam propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturę, & in unam personam, atque subsistentiam concurrente.*

Quartò. Explicata fide, de variis Episcoporum controversiis actum est. Teodoretus, quem pseudo-synodus Ephesina deposuerat, quod Nestorio visus esset consentire, restitutus est in sedem, postquam coram universa synodo hanc protulit fidei confessionem: *Anathema Nestorio & ei, qui non dicit Dei genitricem virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum filium unigenitum. Ego autem & fidei definitioni subscripsi, & epistola sanctissimi, & Deo amantissimi Archiepiscopi Domini Leonis; & sic sapie.*

Quintò. Ibæ Episcopo Edessenæ Ecclesiæ, quem in Ephesino latrocinio Dioscorus tanquam Nestorianum damnarat, restituta est Edessena Ecclesia; hisce verò verbis Apostolici legati absolutionis sententiam actione 10. proferentes, usi sunt: *Relectis chartis, agnovimus ex sententia Reverendissimorum Episcoporum, Ibam Reverendissimum innoxium approbari. Relecta ejus epistola ad Marim Persam, agnovimus eum esse orthodoxum. Et ob hoc decernimus & honorem Episcopatus, & Ecclesiam, à qua injustè & absens expulsus est, ei restituendam.*

Sextò, tandem varii editi sunt canones, quibus itum est obviam nonnullis abusibus, qui in plures Ecclesias irrepserant.

§. III.

De Canonibus Concilii Chalcedonensis.

Non omnes hìc exscribemus concilii Chalcedonensis canones, sed eos tantùm, qui aut animadversione, aut explicatione indigent.

Secundo canone, simoniaci declarantur, qui propter pecunias, aut ordinationem celebraverint, aut quempiam ad aliquod officium Ecclesiasticum promoverint, vel promoveri curaverint. Hincque colligitur, simoniam eorum omnium esse, quæ aliqua ratione spiritualia sunt.

Canone tertio, definitur clerico licere impuberum tutelam suscipere, si ad eam, aut *ex lege*, aut *ex Episcopi mandato* vocetur. Nec decretum illud adversatur Africanæ Ecclesiæ canoni, cujus Cyprianus meminit epistola *66.* quippè Africanus ille canon loquitur de tutela voluntaria, Chalcedonensis verò de *inexcusabili*, hoc est, absolutè necessaria.

Canone quinto, inferiorum clericorum translationes ad alias Ecclesias, non minus damnantur, quam translationes Episcoporum. Hincq; colligitur, quòd sicut peccant Episcopi, cum ad alias Ecclesias propter propriam, non verò propter Ecclesiæ utilitatem, convolant: ita etiam, inferiores clerici, præsertim si ipsis cura animarum incumbat.

Canon decimus, vetat beneficiorum pluralitatem: *Non liceat Clericum conscribi in duabus simul Ecclesiis.* Nec id mirum est, quippè tunc nullum erat beneficium, quod ad personalem residentiam non obligaret. Obtinuit eadem lex, etiam postquam invecta est beneficiorum distinctio in simplicia, & ea, quæ personalem residentiam requirunt: id enim aperte definiit Concilium Tridentinum, ut suo loco dicetur.

Canone decimosexto, virgines Deo sacræ, quæ nuptias contraxerint, excommunicatione damnantur; à qua tamen, ubi eas pœnituerit, absolvi possint ab Episcopo. Licèt illicitæ essent eæ nuptiæ, nondum tamen erant irritæ; neque enim Ecclesia votum, etiam solemne, apposuerat, tanquam dirimens matrimonii impedimentum. Damnat ille Canon Lutheranos, qui contendunt, irritum esse quodcumque continentiæ votum.

Canone vigesimo octavo, confirmatur Canon Constantinopolitanus de primatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ supra Alexandrinam & Antiochenam; ab eo tamen differt, quòd Canon Concilii Constantinopolitani solum honoris titulum, iste verò jurisdictionem in multas Ecclesias, Constantinopolitano Episcopo tribuerit. Eo Canone immeritò abutuntur recentiores hæretici, ut Romanæ Sedis ex divino jure primatum convellant. Adeat lector, quæ de eo argumento dicemus inferiùs agentes de primatu Romanæ Sedis in omnes orbis Ecclesias.

ARTICULUS V.

De Concilio Constantinopolitano II.

CONcilium Constantinopolitanum II. quod quintum est œcumenicum, anno Christi 549. celebratum est. De eo autem Concilio quæremus hic 1. quænam illius cogendi causa fuerit: 2. quid ejus acta contineant: 3. quis illud convocaverit, & quis ei præfuerit: 4. quam habuerit olim, & nunc habeat authoritatem.

§. I.

De causa Concilii Constantinopolitani II.

CONCLUSIO. Concilium Constantinopolitanum II. celebratum est, ut Eutychianis, Nestorianis, & Origenistis iretur obviam.

Probatur ex statu, in quo versabantur Orientales Ecclesiæ ante quintam synodum, de qua hic agitur.

Primò. Audito Marciani Imperatoris obitu, qui dum superstes fuit, Chalcedonensem fidem & legibus & armis strenuè defendit, Eutychiani, qui Dioscoro à Chalcedonensibus Patribus dejecto favebant, Proterium ex eorumdem Chalcedonensium patrum decreto Alexandriæ constitutum Episcopum jugularunt in Ecclesiæ baptisterio. Paulò ante ejus mortem, hæreticorum illorum caput Timotheus Ælurus, cui successit Petrus Moggus, & deinceps alii ejusdem farinæ viri, sedem Alexandrinam invaserat, anathemaque, ut narrat Liberatus cap. 15. dixerat Chalcedonensi Concilio.

Secundò. Severus ex Monacho factus Eutychianus, Flaviani Antiocheni Patriarchæ iniquè dejecti sedem invasit. Is, Evagrio teste hist. lib. 3. cap. 33. vix ea potiri cœperat, cum Chalcedonensem synodum contra juramentum suum palam anathematizavit, ac per summam vim eos neci tradidit, quorum fidem minia,

aut

aut promiſſis labefactare non potuerat.

Tertio. Eaſdem fere (ut ſcribit Liberatus cap. 16. & 17.) Eutychianorum furias paſſa eſt Conſtantinopolitana Eccleſia, tum ſub Acacio Epiſcopo, qui (ut ait ibidem Liberatus) occultus erat Concilii Chalcedonenſis impugnator; tum etiam ſub Anthimo, qui (ut patet ex act. 1. Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna) abdicato Trapeſuntis Epiſcopatu, Conſtantinopolitanum per ſummum ſcelus arripuerat.

Quartò. Neſtoriani non minus, quàm Eutychiani, iis temporibus Orientem vexabant. Hi cum viderent Neſtorii libros in Epheſina & Chalcedonenſi ſynodo damnatos, evulgarunt opuſcula, quæ Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus ante ſynodum Epheſinam adversùs Apollinarem, unius in Chriſto naturæ aſſertorem, ita ſcripſerat, (teſte hac V. ſynodo) ut unam Chriſti perſonam, & Deum carne indutum, & Mariam Dei matrem fuiſſe, palam fuiſſet inficiatus. Evulgarunt quoque Theodoreti Epiſcopi Cyrenſis opus, in quo duodecim Epheſinæ fidei capitibus a Cyrillo conſcriptis anathematiſmos duodecim oppoſuerat. Publici etiam juris fecere Ibæ Edeſſenorum Epiſcopi epiſtolam ad Marim Perſam, in qua arguit Rabulam deceſſorem ſuum, quòd Theodorum Mopſueſtenum, ſtrenuum (ut ajebat) fidei defenſorem, anathemate damnaſſet; & in qua etiam Cyrilli capitula, a Concilio Epheſino probata, inſectatus fuerat. Iis verò, tum Theodori, tum Theodoreti, tum Ibæ operibus utebantur, ut Neſtorianum venenum fidelibus propinarent.

Quintò. Nonnus & Leontius ex nova S. Sabbæ lanta monachi, collectos ex Origenis voluminibus graviſſimos errores, in totum fermè Orientem ſparſerant; nec comprimi potuerant, aut a Pelagio Vigilii Papæ apocriſario, aut Mennæ Conſtantinopolitani Patriarchæ, decretis, aut Imperatoris Juſtiniani legibus.

Sextò. Theodorus Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, ægrè ferens, quòd Origeniſtæ, a quibus in occulto ſtabat, proſcripti eſſent, Juſtiniano Imperatori, cujus gratiam ſibi conciliaverat, author fuit, ut tria capitula publico edicto proſcriberet, cauſatus, Eutychianos, licèt in varias ſectas diviſos, ſi id fieret, amplexuros eſſe Concilii Chalcedonenſis fidem, ſed contra nitebantur non modò Neſtoriani, ſed etiam plures Catholici contendentes id fieri non poſſe; quin fidei Concilii Chalcedonenſis, à quo Ibas & Theodoretus ſuſcepti fuerant, labes inſerretur. Hinc factum eſt, ut ex conſenſu Vigilii Papæ, qui tunc Conſtantinopoli verſabatur, ea capitula ad Concilii œcumenici judicium & examen deducta ſint. Ipſum igitur anno Chriſti 549. Juſtianus indixit; ipſi autem centum ſexaginta quinque Epiſcopi adfuerunt.

§. II.

De actis Concilii Conſtantinopolitani II.

CONCLUSIO. Plura acta ſunt in Concilio Conſtantinopolitano II.

Probatur enumeratione. *Primò*. Ubi patres confeſſi ſunt, ſe venerari, ac ſuſcipere, quæ jam habita fuerant, quatuor generalia Concilia, Nicænum, Conſtantinopolitanum I. Epheſinum I. & Chalcedonenſe, rogarunt per legatos Vigilium, ut ſynodo, ad quam convenerant, præeſſe dignaretur: *Et ideò petimus* (inquiunt in epiſtola, quam ad eum ſcripſit Eutychius Conſtantinopolitanus Patriarcha) *ut præſidente nobis veſtra beatitudine, communi tractatu eadem capitula in medio proponenda, &c.* Concilii tamen precibus non annuit Vigilius, eò quòd Romani Pontifices per ſe prioribus Orientalium Conciliis non adfuiſſent.

Secundò. Lectis in publico conventu, quæ Theodorus in tertio libro contra Apollinarem ſcripſerat; auditis quoque anathematiſmis, quos Theodoretus objecerat Cyrillo; recitata etiam Ibæ ad Marim Perſam epiſtola; perlectis Patrum ſententiis, quibus tria illa capitula oppoſita videbantur; admiſſis uno omnium conſenſu, quatuor priorum Conciliorum definitionibus; explicata decem capitibus adversùs Neſtorianos & Eutychianos fide; damnatis etiam in capitulo undecimo, Ario, Eunomio, Macedonio, Apollinare, Neſtorio, Eutyche, Origene, & iis, qui uſque ad mortem in hæreticorum erroribus permanſiſſent; duodecimo capitulo Theodorum ejuſque ſcripta hiſce verbis damnarunt: *Si quis defendit prædictum impium Theodorum, & impia ejus conſcripta, in quibus tam prædictas, quàm alias innumerabiles blaſphemias effudit contra magnum Deum, & Salvatorem Jeſum Chriſtum, & non anathematizat eum, & impia ejus conſcripta, & omnes, qui ſuſcipiunt, vel defendunt eum, & dicunt, orthodoxè eum expoſuiſſe; & qui ſcripſerunt pro eo, & eadem illi ſapuerunt, vel ſcribunt pro eo, vel impiis ejus conſcriptis, & eos, qui ſimilia illi ſapiunt, vel aliquando ſapuerunt, & uſque ad mortem permanſerunt, vel permanent in tali impietate, talis anathema ſit.*

Tertiò. Decimotertio capitulo Theodoreti ſcripta hiſce verbis damnata ſunt: *Si quis defendit impia Theodoreti conſcripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Epheſinam ſanctam ſynodum, & ſanctum Cyrillum, & duodecim capitula expoſuit, talis anathema ſit.* Advertat lector diſcrimen, quod inter Theodori & Theodoreti damnationem intercedit; illius tum perſona, tum ſcripta à concilio damnantur; iſtius verò proſcribuntur quidem ſcripta, ſed perſonæ, quæ ſuſcepta fuerat a Patribus Chalcedonenſibus, nulla inuſta eſt nota; ſicut nec Ibæ, qui eodem concilio Chalcedonenſi anathema Neſtorio dixerat.

Quartò. Sic habet capitulum 14. quo Ibæ ad Marim epiſtola proſcribitur: *Si quis defendit epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam hæreticum ſcripſiſſe...., & non anathematizat eam, & defenſores ejus, & eos, qui dicunt eam rectam eſſe, vel partem ejus, & eos, qui ſcripſerunt, vel ſcribunt pro ea, vel pro impietate, quæ in ea continetur, & præſumit eam defendere, vel inſertam ei impietatem nomine ſanctorum patrum, vel ſancti Chalcedonenſis Concilii in his uſque ad mortem permanent, talis anathema ſit.*

Quintò. Sancta Synodus proſcripſit Origenis libros definitque 1. animas non extitiſſe ante ſuam cum corporibus unionem, nec ad ea ſupplicii causa demiſſas fuiſſe: 2. cœlum, ſolem, lunam, ſtellas, & aquas, quæ ſupra cœlos ſunt, non eſſe animatas, & rationales quaſdam virtutes: 3. falſum eſſe, quod in reſurrectione corpora hominum rotunda, & orbiculari ſpecie excitabuntur; & quòd impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum, tormenta finem habitura ſint: 4. tandem falſum eſſe, quod pro dæmonibus Chriſtum crucifigi, atque id ipſum ſæpius ſæculis futuris pati oportebit à ſpiritibus malignitatis, qui in cœlo ſunt.

Obſervandum eſt, apertam illorum Origenianorum articulorum damnationem non reperiri in actis quintæ generalis Synodi, ut nunc extat in editione Labbeana; revera tamen in ea proſcriptos fuiſſe demonſtrat doctiſſimus Cardinalis Norifius, demonſtrant & alii ſcriptores adversùs Garnerium è Societate Jeſu, qui Origenem non in hac Synodo, ſed in Conſtantinopolitana ſua Menna damnatum fuiſſe contendit.

§. III.

De convocatione, & præſide Concilii Conſtantinopolitani II.

CONCLUSIO 1. Solus Juſtinianus Imperator con-

convocavit secundum Concilium Constantinopolitanum.

Probatur 1. Collatione prima concilii, de quo agitur, legere est epistolam, qua indictum est a Justiniano concilium: *Ideò vocavimus vos ad Regiam urbem.* 2. Idem asserit Evagrius: *Justinianus* (inquit historiæ lib. 4. cap. 37.) *quintum Concilium convocavit.*

Quæres, an Vigilius Papa Concilii V. convocationi consenserit?

Resp. affirmativè: *Annuimus* (ait ad Eutychium scribens) *ut de tribus capitulis, facto regulari conventu collationem cum unitis fratribus habeamus.* Idem patet ejusdem quinti concilii collatione 8.

CONCLUSIO 2. Quintæ œcumenicæ Synodo non præfuit Vigilius, sed Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus.

Probatur prior pars. Vigilius, licèt Constantinopoli versaretur, & a concilii Patribus fuisset rogatus, nusquam illi se præsentem sistere voluit: *Ille verò respondit* (verba sunt Episcoporum, qui actione secunda, concilii nomine Vigilium rogarant, ut una cum ipsis adesset Synodo) *non posse una nobiscum convenire, eò quòd plurimi quidem hic sunt Orientales Episcopi, pauci verò cum eo.*

Probatur altera pars. In actis concilii legitur, quod Eutychius primo loco sederit, & omnia ferè egerit: *Considentibus in secretario venerabilibus Episcopis hujus regiæ Civitatis, Eutychio sanctissimo Patriarcha regiæ Constantinopolis novæ Romæ*; verba sunt, quæ leguntur ad caput singularum synodi collationum.

§. IV.

De authoritate Concilii Constantinopolitani II.

Not. In Concilio, de quo agitur, duo, claritatis causa, distinguenda sunt. Prius quæstio juris est, damnatio nimirùm hæresis, tum Nestorianæ, tum Eutychianæ. Alterum est quæstio facti, nempe utrum tria capitula revera hæresim Nestorianam continerent.

CONCLUSIO 1. Concilium Constantinopolitanum II. in iis, quæ ad jus spectant, divinæ fuit semper authoritatis.

Probatur. Concilia œcumenica in iis, quæ juris sunt, hoc est, quæ ad fidem, aut ad mores spectant, divinæ sunt authoritatis, ut demonstravimus agentes de conciliis in genere: atqui concilium Constantinopolitanum II. est concilium œcumenicum. Nam licet Occidentales Episcopi illi non adfuerint; unanimi tamen consensu ab iis receptum est in iis, quæ ad jus spectant, hoc est, ad Nestorianæ & Eutychianæ hæreseos condemnationem.

CONCLUSIO 2. Plures olim oblocuti sunt quintæ generali Synodo in quæstione facti; sed immeritò.

Probatur prior pars. *Primo*, rejectam aliquamdiù fuisse à Vigilio Papa, ob idque à Justiniano Imperatore ipsum missum fuisse in exilium, plures scriptores affirmant; sed id nonnulli alii cum doctissimo Norisio in dissertatione historica de quinta Synodo merum putant esse commentum: *Secundo.* Pelagius primus, dum adhuc esset Vigilii apocrisarius, missus fuit in exilium propter pertinacem trium capitulorum defensionem: *Tertio.* Afri Illyrici, Dalmatæ, Galli, Hiberni, Hispani, plures apud Italos Ecclesiæ, multo tempore detrectarunt admittere trium capitulorum condemnationem: unde Gregorius Magnus lib. 3. epist. 37. ad Constantinum Episcopum Mediolanensem, hæc scribit: *Quod autem scripsistis, quia epistolam meam reginæ Theodolindæ transmittere minimè voluistis; pro eo, quod in ea quinta Synodus nominabatur; si eam exindè scandalizari posse credidistis, rectè factum est, ut minimè transmitteretis. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor Synodos solummodo laudaremus.*

Confirmantur, quæ mox dicta sunt, testimonio Cardinalis Baronii, qui ad annum 555. num. 1. 2. & 3. sic loquitur: *Adeò visi sunt exhorruisse Occidentales Antistites ferè omnes, aliam œcumenicam synodum post quartam admittere; ut nec potuerit Pelagius reperire Episcopos Romæ, à quibus consecraretur; atque opus fuerit, Presbyterum Ostiensem, quod nunquam anteà accidisset, loco Episcopi, munus illud obire, ipso Pelagio ita jubente.*

Probatur altera pars. Generalium Synodorum definitionibus, in iis etiam, quæ *meri sunt humani facti*, exhibenda est, religioso saltem silentio, reverentia, in eorum etiam opinione, qui cum Baronio, & Bellarmino sentiunt, Ecclesiam esse infallibilem in solis factis, quæ Scriptura, aut traditione continentur; non autem in cæteris, quæ minimè revelata sunt. Culpandi sunt igitur Facundus Hermianensis, & alii tum antiqui, tum recentiores authores, qui quintæ generalis synodi definitionem Romanis Pontificibus probatam, publicis scriptis exagitarunt. Laudanda verò est quam maxime œconomia Romanæ Sedis, quæ nusquam a sua communione removit Gallos, Hispanos, Hibernos, quòd quintam synodum, propter trium capitulorum damnationem inter œcumenicas synodos non admitterent.

ARTICULUS VI.

De Concilio Constantinopolitano III.

Concilium Constantinopolitanum III. quod sextum est œcumenicum, celebrari cœpit die 7. Novembris anno 680. Agathonis Papæ III. Constantini Pogonati Imperatoris III.

§. I.

De causa Concilii Constantinopolitani III.

CONCLUSIO. Hæresis Monothelitarum causa fuit cogendæ tertiæ synodi Constantinopolitanæ.

Probatur ex ipsius synodi actis, in quibus quidquid reperitur, sunt aut Patrum antiquorum sententiæ adversùs Monothelitas, aut damnatio, tum Monothelismi, tum personarum, quæ Monothelismum propugnarant. In eo autèm positus erat Monothelitarum error, quòd vellent unam esse in Christo voluntatem, unamque operationem, divinam nimirùm, non autem humanam: *Ecclesiam turbaverunt* (inquiunt Romanæ Sedis legati actione 1) *unam voluntatem in incarnationis dispensatione unius sanctæ Trinitatis domini nostri Jesu Christi, unamque operationem, dogmatizantes, & docentes.* Eundem Monothelitarum errorem Macharius Antiochenus Patriarcha, Monothelita juratus, hisce verbis exprimit actione 8. sextæ generalis synodi: *Nos voluntatem humanam in Christo non dicimus, divinam verò etiam absquè carnalibus voluntatibus, vel cogitationibus humanis, sicut prolatum testimonium S. Athanasii continet: voluntas enim Deitatis tantum.*

Quæres 1. quis fuerit author hæresis Monothelitarum?

Resp. ad 1. Monothelitarum hæreos authorem fuisse Theodorum Pharanitanum Episcopum: *Hanc*, Ecclesiam, *per suam hæresim turbaverunt, prius quidem Theodorus Pharanitanæ Ecclesiæ quondam Episcopus*; verba sunt Stephani Episcopi Dorensis in Secretario 2. Concilii Lateranensis sub Martino Papa. A Theodoro manavit illud malum ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, qui quòd primum palam illud defenderit, illius author dictus est actione 13. sextæ generalis synodi: *Qui* (verba sunt synodi) *aggressus est de hujusmodi im-*

di impie dogmate conscribere. Manavit & ad Cyrum Phasidis, ac postea Alexandriæ Episcoporum; is enim anno Christi 633 Episcoporum suæ sedi subditorum celebravit synodum, in qua hocce promulgavit capitulum: *Eundem unum Christum & filium operari Deo decibilia & humana; una Dei virili operatione, secundum S. Dionysium*. Manavit quoque ad Pyrrhum, qui in sede Constantinopolitana Sergio proximè successit. Manavit etiam ad Paulum, qui ab Imperatore Constante intrusus fuerat in Pyrrhi locum. Manavit quoque ad Macharium Patriarcham Antiochenum, & tandem ad plures alios Orientis Episcopos.

Quæres 2. quinam fuerint præcipui fautores hæresis Monothelitarum?

Resp. 1. præter Episcopos, qui jamjam recensiti sunt, Honorium Papam suis ad Sergium epistolis visum fuisse Patribus sextæ synodi Monothelitis favisse; unde ipsi una cum apertis Monothelitis ab eadem synodo dictum est anathema: *Anathematibus interfecimus* (verba sunt epistolæ synodicæ ad Agathonem Romanum Pontificem) *ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata, Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum.*

Resp. 2. favisse quoque Monothelitis Imperatorem Heraclium, quippè promulgavit ectesim, hoc est, edictum, in quo apertè asseruit, duarum operationum vocem multos scandalizare, utpotè a nemine ex sanctis, & præcipuis Patribus dictam; non minùs aperte asseruit, unam tantùm operationem in Christo admitti debere: *Unam* (verba sunt edicti) *voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur*. Sergius, qui Imperatori persuaserat, ut edictum illud promulgaret, ipsum propria, & plurium Episcoporum subscriptione munitum, toto inspectante populo, primarii templi foribus affixit.

Resp. 3. Constantem Heraclii nepotem stetisse à Monothelitarum partibus; nam anno 648. typo, seu edicto vetuit, ne quis, aut unius, aut duarum operationum vocibus uteretur: *Sancimus* (ait in typo) *nobis subjectos non habere licentiam invicem à præsenti de una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum, qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam.*

Quæres 3. quinam fuerint præcipui Monothelitarum impugnatores?

Resp. impiis Monothelitarum conatibus obstitisse: *Primò*, Sophronium cum datis ad Sergium & Cyrum epistolis, tum in judicio Concilii, quod coegit, ubi primùm inauguratus est Hierosolymorum Episcopus.

Secundò. Severinus Papa, qui proximè successerat Honorio, Heraclii ectesim, ut testatur Martinus Papa I. in Concilio Lateranensi, secretario 3. proscripsit.

Tertiè. Joannes IV. qui post Severinum renunciatus fuerat Romanus Pontifex, coacta Romæ synodo, edita in Oriente Monothelitarum decreta rescidit, deditque operam (ut habetur in actis S. Maximi) ut Heraclium ab hæreticorum communione deduceret.

Quartè. Theodorus, proximus Joannis successor, Paulum Constantinopolitanum Canonicè admonuit, ut hæresim ejuraret, intorsitque anathema in Pyrrhū, qui exul in Africa errorem suum damnarat quidem, sed defendit, ubi, mortuo Paulo, Sedi Constantinopolitanæ restitutus est.

Quintè. Martinus I. qui post Theodori mortem electus fuerat Romanus Pontifex, synodum ad Lateranum convocavit, ubi proscripsit Monothelitarum & hæresim, & personas, Heraclii ectesim, & Constantis typum. Verba quibus decretum illud exprimitur, legere est in Synodo Lateranensi, Secretario IV. can. 18.

Sextò. Monothelitis vehementer obstitit S. Maximus martyr: Pyrrhum confutavit in celebri disputatione cum ipso habita, illumque eò compulit, ut, fictè saltem, hæresim ejuraret suam. Obiit in exilio, ad quod, linguæ, & dextræ manus abscissione mulctatus, Constantis jussu deportatus fuerat.

Septimò. Tandem Monothelitæ damnati sunt in sexto generali Concilio, quod Constantinopoli anno Christi 680. habitum est.

§. II.

De iis, quæ acta sunt in Concilio Constantinopolitano III.

CONCL. Multa peracta sunt in Concilio Constantinopolitano III.

Probatur. Lecta sunt tertiæ, quartæ, & quintæ synodorum generalium acta. Pluribus Concilii actionibus recitata sunt varia adversùs Monothelitas Patrum monumenta. Recitata est pariter epistola Agathonis, & Romanæ centum viginti quinque Episcoporum synodi. Audita sunt quoque Patrum testimonia, quæ pro Monothelitis, Macarius Antiochiæ Episcopus, & quidem insignis Monothelita, protulit.

Inquisitum est postea de Macarii fide, auditis, quæ truncarat, patrum testimoniis: actione IX. prolata fuit, tum in eum, tum in Stephanum illius discipulum, depositionis sententia: *Definivimus, ab omni vos sacerdotali dignitate, & ministerio alienos existere*. Aliis verò, quos erroris pænituerat, indulsit sacra Synodus, statuitque ut in propriis sedibus remanerent.

Deindè lectis Sergii Episcopi Constantinopolitani ad Honorium epistolis, recitato pariter utroque Honorii ad Sergium responso; actione 13. anathema dictum est Monothelitarum tum scriptis, tum personis, ipsis etiam Honorii ad Sergium epistolis, imò & ipsimet Honorio: *Cum his verò*, inquit Concilium de Sergio, Pyrrho, Cyro, Paulo, aliisque hæreticis agens, *simul projici à Sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus, & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eò quòd invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.*

Damnatis hæreticis, impiisque eorum scriptis, sacra synodus actione 18. fidei definitionem edidit: *Duas naturales voluntates in eo* (Christo) *& duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè secundum sanctorum Patrum doctrinam adæquatè prædicamus; & duas naturales voluntates non contrarias, absit, juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem, vel reluctantem, sed potiùs & subjectam divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati.*

Eam verò fidei definitionem subscriptione sua confirmarunt: *primò*, Romanæ sedis legati; ac *secundò* omnes, quotquot aderant Episcopi: *tertiò*, ipse Imperator Constantinus Pogonatus: *Constantinus in Christo Deo rex, ac Imperator Romanorum, legimus & consensimus.*

Tandem uno omnium consensu directa est ad Agathonem epistola Synodica, in qua redditur ratio eorum, quæ in Concilio peracta fuerant: *Anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras litteras de iis prius lata, videlicet Theodorum Episcopum Pharan, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum & Petrum. Ad hoc autem & post eos anathematibus hæreticorum justè subjecimus & eos, qui vivunt, suscepta illorum impietate... Macarium, qui fuit Antiochenium magnæ urbis Episcopus, &c.*

In ea sexta generalis synodi acta observari potest: 1. una traditionis authoritate damnatum fuisse Monothelitarum errorem: 2. mortuis hominibus dictum fuisse ana-

se anathema: 3. ad normam, quam continebant Agathonis ad synodum litteræ, exactum fuisse, quod in Monothelitarum errorem latum est à sacra synodo judicium: 4. Baronium contendere, interpolata fuisse ejusdem sacræ synodi acta iis locis, ubi Honorii Papæ nomen legitur; sed id quantùm à veritate alienum sit, supra ostendimus agentes de Conciliorum generalium authoritate.

§. III.

De convocatione, ac præside Concilii Constantinopolitani III.

CONCL. 1. Constantinus Pogonatus convocavit tertium Constantinopolitanum Concilium.

Probatur 1. ex Imperatoris Sacra ad Donum Papam, ubi hæc habentur: *Adhortamur vestram paternam beatitudinem per præsentem nostram piam Sacram, dirigere viros utiles ac modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, indutos personam vestræ Apostolicæ Sedis, ejusque Concilii, &c.*

Probatur 2. ex litteris ejusdem Imperatoris ad Georgium Archiepiscopum Constantinopolitanum: *Sancimus* (inquit) *congregare vestram paternam beatitudinem omnes, qui ad ejus sanctissimam sedem pertinent, sanctissimos Metropolitas, & Episcopos in hanc à Deo conservandam nostram regiam urbem, quatenùs diligentissima inquisitio fiat de voluntate & operatione in dispensatione incarnatione unius de sancta Trinitate Domini, nostri Christi veri Dei nostri.*

Probatur 3. ex eo, quòd Concilii, de quo agitur, Patres singulis actionibus profiteantur, se congregatos esse secundùm Imperialem sanctionem: *Conveniente sancta, & universali synodo, quæ secundùm Imperialem sanctionem congregata est in hac à Deo conservanda regia urbe.*

Cur autem Ecclesia tunc passa est, ut Constantinus Pogonatus congregarit universalem synodum, cum jus illud conveniat soli Ecclesiæ, prout animarum Pastores complectitur? dictum est superiùs.

CONCL. 2. Agatho Romanus Pontifex per suos legatos præfuit tertio Constantinopolitano concilio.

Probatur 1. Agathonis legati in singulis Concilii actionibus numerantur ante Orientis Patriarchas, dicunturque Agathonis tenere locum: *Conveniente autem sancta, & universali synodo, id est, Theodoro & Georgio venerabilibus presbyteris, & Joanne venerabili diacono, locum adimplentibus sanctissimi ac beatissimi Archiepiscopi antiquæ Romæ Agathonis, & Georgio venerabili atque sanctissimo Archiepiscopo, hujus magnæ Constantinopoleos novæ Romæ, &c.*

Probatur 2. Apostolicæ Sedis legati, licèt essent presbyteri tantùm, ante omnes Episcopos, Concilii actis subscripserunt; is enim legitur subscriptionum ordo: *Theodorus humilis presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & locum gerens Agathonis beatissimi & universalis Papæ urbis Romæ, hanc prosphoneticam deprecans subscripsi;* mox subscribunt alii ejusdem Sedis legati, ac deinde: *Georgius misericordia Dei Episcopus Constantinopolitanus novæ Romæ hanc prosphonetico deprecans subscripsi.*

Objicies. Undecim prioribus Concilii actionibus legitur, quòd Constantinus Concilio præfuerit: *Præsidente eodem piissimo, & Christo dilecto magno Imperatore Constantino, &c.* ergo Agathonis legati non præfuerunt tertio Constantinopolitano concilio, sed Imperator Constantinus Pogonatus.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo Constantinus Pogonatus præfuit Concilio quoad locum materialem, & ordinem synodo conservandum, conc. conseq. tanquam controversiarum judex, seu quoad vim suffragii, neg. ant. Solutio patet ex iis, quæ superius dicta sunt, ubi laudata sunt Constantini verba, ex epistola Gregorii Papæ II. ad Leonem Isaurum. Potest iterùm confirmari ex hujusce synodi actis, ubi judicium ac definitio de rebus controversis nusquam Imperatori, sed solis Episcopis tribuitur: *Excitavit igitur Christus* (verba sunt synodi, actione 18.) *fidelissimum Imperatorem, qui non dedit somnum oculis suis, donec per hunc nostrum à Deo congregatum, sacrumque conventum, ipsam rectæ fidei reperit perfectam prædicationem.*

ARTICULUS VII.

De Niceno Concilio II.

CONcilium Nicænum II. quod septimum est œcumenicum, habitum est anno Christi 787. Romæ sedente Hadriano, imperantibus in Oriente Irene cum filio Constantino.

§. I.

De causa Concilii Nicæni II.

CONCLUSIO. Coactum est concilium Nicænum II. ad restituendum cultum & usum sacrarum imaginum.

Probatur 1. Constantinus, & Irenes illius mater in Sacra ad Hadrianum directa eam, de qua in conclusione concilii, causam laudant: *Scit vestra paterna beatitudo, quæ pridem facta sunt in hac nostra regia civitate, propter venerabiles imagines, qualiter qui ante nos regnaverant, eas destruxerant, & in dehonestatem atque injuriam posuerunt.* 2. De nulla fere alia re, quam de sacrarum imaginum cultu, ac usu, agitur in singulis concilii Nicæni II. actionibus.

Quæres 1. quinam sacrarum imaginum usum, ac cultum ante concilium Nicænum II. impugnaverint?

Resp. Leonem Isauricum inter Imperatores primum indixisse bellum sacris imaginibus; idque tum ex consilio Beseris cujusdam hominis laici, qui ex christianis ortus parentibus, ex Arabum postea consortio Mahumetanis superstitionibus imbutus fuerat; tum ex suasione Constantini, qui Natoliæ erat Episcopus; quippè horum animis altè insederat Ezidi Arabum regis exemplum, qui præstigiatoris cujusdam Judæi, Sarantapechys nomine, vana diuturni imperii spe delusus, ex omnibus christianorum templis, totiusque regni sui finibus, sanctas imagines detraxerat. Prodiit adversùs sanctas imagines Leonis edictum anno Christi 726.

Leoni Isaurico successit Constantinus ejus filius, quem *Copronymum* propterea cognominarunt, quòd cùm baptismo infans expiaretur, sacrum lavacrum inquinarit. Is ubi adeptus est imperium, generali edicto vetuit, ne quis aut sanctos, aut eorum imagines veneraretur. Institere tres Romani Pontifices, Zacharias, Stephanus, Paulus, perditi hominis curare dementiam, sed frustra: imò Copronymus, ut suæ impietati conciliaret pondus aliquod, vocavit ad synodum centum & triginta Episcopos, qui omnium imaginum usum, ac cultum publico decreto proscripserunt: Decretum verò refertur ac confutatur actione sexta hujusce Nicæni II. Concilii.

Constantino Copronymo successit Leo IV. qui ex Irene conjuge Constantinum suscepit. Is Imagines, earumque cultum insectatus est, sed non multo tempore, morte præoccupatus, potuit Ecclesiam vexare; itaque ex toto fere Patriarchatu Constantinopolitano, tum Leonis Isauri, tum Constantini Copronymi, tum Leonis IV. edictis, sanctarum imaginum cultus exulabat; cum

tamen

tamen integrum servaverant tres alii Patriarchatus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; unde nullum ex iis Patriarchatibus Episcopum ad suam pseudo-synodum Copronymus vocaverat.

Quæres 2. quinam fuerint iis temporibus præcipui sacrarum imaginum defensores?

Resp. S. Germanum Constantinopolitanum Patriarcham pro iis strenuè decertasse adversùs Leonem Isauricum; unde ab eo Imperatore per vim dejectus est ex Patriarchali throno, & tandem in exilio, illius jussu strangulatus est.

Decertavit quoque S. Joannes Damascenus, cujus dextera manus, quæ pie ac doctè pro sacris imaginibus scripserat, Leonis fraude a Saracenorum Calipha, in cujus aula versabatur, præscisa; eadem die, orante ad Virginis Mariæ imaginem Damasceno, divinitùs restituta est.

Decertarunt quoque multi Romani Pontifices. Gregorius II. coacta Romæ synodo, paterno ac Pontificali studio Leonem Isauricum commonuit, ne Apostolicas de sacris imaginibus traditiones convelleret. Gregorius III. coacta Romæ synodo, anathemate ferit sanctarum imaginum impugnatores. Zacharias, Stephanus, Paulus, variis synodis Romæ habitis, decretum à Gregorio III. adversus Iconomachos latum confirmarunt.

Tandem Imperatrix Irene cum filio suo Constantino, nihil prætermisere, ut sacrarum imaginum cultum in regia urbe restituerent. Una cum Tharasio, qui non ita pridem electus fuerat Constantinopolitanus Patriarcha, scripserunt ad Hadrianum Papam, ut synodus ejus authoritate cogeretur, ad eamque, ut moris erat, legatos Apostolicos mitteret. Indicta priùs fuerat ea synodus Constantinopoli; verùm tumultuantibus in regia urbe Iconomachis, Nicææ in Bithynia celebrata est.

§. II.

De actis Concilii Nicæni II.

CONCLUSIO. Quæ acta sunt in concilio Nicæno II. ad plura capita reducuntur.

Probatur enumeratione. Actione 1. lecta est Sacra Constantini, & Irenes ad concilium. Recitata sunt quoque varia loca Patrum, de Episcoporum, Sacerdotum, reliquorumque clericorum tum lapsu, tum restitutionis modo.

Actione 2. lectæ sunt Hadriani Papæ ad Constantinum & Irenem litteræ: lecta est etiam ejusdem Pontificis epistola ad Tharasium; iis autem recitatis, sic Apostolicæ Sedis Legati locuti sunt: *Dicat Tharasius, si consentiat litteris sanctissimi Papæ Hadriani*; respondit verò Tharasius, se iis litteris subscribere. Idem a legatis quæsiti sunt reliqui Præsules, qui quidem una voce responderunt: *Sequimur, & suscipimus, & admittimus.*

Actione 3. Præsules, quos Iconomachorum hæresis pœniteret, recepti sunt cum suis gradibus, ac honoribus.

Actione 4. & 5. pro cultu sanctarum imaginum prolati sunt varii Patrum textus, & tandem Iconomachis dictum est anathema: *Christianos accusantibus, id est, imagines confringentibus, anathema sit.*

Actione 6. recitata, ac validissimis argumentis confutata sunt acta pseudosynodi, quam Iconomachi sub Copronymo contra sacras imagines celebraverant.

Actione 7. definitum fuit, retineri debere, tum Christi, tum intemeratæ Virginis, tum Angelorum, tum sanctorum virorum imagines. Explicatum est, quinam fructus ex earum usu percipiatur: *Qui has contemplantur* (ait sacra synodus) *alacrius eriguntur ad primitivorum earum memoriam & desiderium, & ad osculum*. Cultus qui eis exhibetur, vocatus est *honoraria adoratio*. Ne quis verò *honorariam illam adorationem*, de latriæ cultu interpretaretur, hæc subjecta sunt: *Non tamen ad veram latriam, quæ secundùm fidem est, quæque solam naturam divinam decet, impartiendam; ita ut istis sicuti figuræ pretiosæ, ac vivificæ cruci, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis incensorum, & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur.* An cum iis sacræ synodi verbis cohæreant, quæ S. Thomas asseruit de cultu crucis, cui Christus affixus est, expendemus ad calcem nostri de incarnatione tractatus.

Actio 8. habita est Constantinopoli quò Constantinus & Irenes Episcopos vocarant. Lecta est Nicææ edita fidei definitio. Jussi autem Patres, ut dicerent, *an lecta definitio omnium consensu esset edita*; omnes exclamaverunt: *Ita credimus, ita omnes consentiendo subscripsimus*. Post acclamationes Tharasius Lector definitionis tomum obtulit Principibus subscribendum: *Imperatrix subscripsit, dabatque simul regnanti filio, ut & ipse subscriberet.*

In relata synodi acta observandum est: 1. ideò ante omnia lectam fuisse Hadriani Papæ epistolam, quòd Papa primarium suffragii jus in Conciliis habeat: 2. restitutionem in sedes & honores Ecclesiasticos, quæ Episcopis Iconomachis, sed pœnitentibus, indulta est, fuisse contra antiquorum Canonum rigorem; verum sic se gessit sacra synodus prudentis œconomiæ causa: 3. Nicænam synodum nequaquam definivisse (ut putarunt Patres Concilii Francofordiensis) imaginibus Sanctorum exhiberi posse latriæ cultum.

§. III.

De Canonibus Concilii Nicæni II.

In Concilii Nicæni actione 8. promulgati sunt viginti duo Canones ad disciplinam spectantes.

Primo, innovantur ii omnes, qui in Oriente tum in Conciliis Generalibus, tum in Provincialibus editi fuerant. *Not.* 1. Concilium non excipere Canones Concilii Antiocheni, quamvis illud Concilium ex Arianis præsertim coaluisset. *Not.* 2. Probavit quoque eos, qui dicuntur Apostolici, centuitque ab ipsis Apostolis editos fuisse: *Tam scilicet illorum, qui ab Apostolis editi sunt.*

Septimo Canone, prohibetur, ne templa sine reconditis Sanctorum Reliquiis dedicentur. *Not.* 1. Canonis occasioni fuerant Iconomachi, qui non minùs in Sanctorum Reliquias, quam in eorum imagines sævierant. *Not.* 2. Id a Patribus statuitur, non tanquam aliquid novum, sed quod ante Iconomachos ubique esset in usu.

Decimus nonus, sub excommunicationis pœna prohibet, ne ab iis, qui fiunt aut Monachi, aut Moniales, aliquid exigatur. *Not.* 1. Duodecim prioribus sæculis determinatus erat cujusque Monasterii tum Monachorum, tum Monialium numerus; nec plures admittebantur, quam possent Monasterii, aut opibus, aut labore sustentari. *Not.* 2. Alius usus postea invaluit; unde factum est, ut annuus census pro victu ingredientis a Monasteriis pauperibus exactus fuerit. *Not.* 3. Conciliari non possunt cum eo Canone pacta, quæ fiunt à plerisque tum Monachorum, tum Monialium Monasteriis.

Canon vigesimus secundus, vetat Monachis, ne secretò cum mulieribus conviventur, nisi (ut ait) ipsæ mulieres sint piæ & consanguineæ, idque ad directionem spiritualem proficiat. *Not.* 1. Nonnunquam igitur Monachi exibant è Monasteriis. *Not.* 2. Vacabant nonnunquam, servatis servandis, sæcularium directioni. *Not.* 3. Convivium secretum cum mulieribus specificè prohibetur, ut significetur, viris Deo sacris periculosam

esse mulierum privatam conversationem, quæ etiam sæpiùs in populi scandalum vertitur.

§. IV.

De convocatione, ac præside Nicæni II. Concilii.

CONCLUSIO 1. Concilium Nicænum II. convocatum fuit a Constantino & Irene Augustis.

Probatur 1. ex Augustorum Sacra, quæ prima Concilii actione lecta est: *Congregavimus vos* (inquiunt ibidem Augusti) *sanctos sacerdotes*. Eadem actione prima hæc habentur: *Conveniente sancta & universali synodo, quæ per Dei gratiam, & piam sanctionem Imperatoriam congregata est in Nicæensium Metropoli*. 3. Idem passim in aliis Concilii actionibus legitur.

CONCLUSIO 2. Hadrianus Papa I. per suos Legatos præfuit septimæ generali synodo.

Probatur. Actione 1. 5. & 7. Petrus Archipresbyter Ecclesiæ Romanæ, Petrus presbyter Monachus & Abbas Monasterii S. Sabæ dicuntur, Apostolicæ Sedis tenere locum. Iidem Romanæ Ecclesiæ Presbyteri ante omnes Orientis Episcopos Concilio subscripserunt: *Petrus vices agens Hadriani Papæ veteris Romæ, definiens subscripsi.*

ARTICULUS VIII.

De Concilio Constantinopolitano IV.

Concilium Constantinopolitanum IV. quod octavum est generale, habitum est anno Christi 869. Basilio imperante Constantinopoli, & Hadriano II. Romæ sedente.

§. I.

De causa Concilii Constantinopolitani IV.

CONCLUSIO. Causa cogendi Constantinopolitanum IV. Concilium fuit, tum abdicatio Photii, qui sedem Constantinopolitanam invaserat; tum restitutio Ignatii, qui ab ea iniquè dejectus fuerat.

Probatur 1. ex epistola Hadriani II. ad Imperatorem Basilium: 2. ex actis concilii, de quo agitur; iis nimirùm in monumentis de nulla ferme alia re agitur, quam de Photii dejectione, & de restitutione Ignatii.

Quæres 1. quis esset Photius: 2. quibus mediis, qua arte usus esset, ut Ignatium dejiceret, occuparetque illius sedem?

Resp. ad 1. Photium fuisse virum sæcularem, Senatoris fungentem officio, & a Secretis Michaelis Imperatoris.

Resp. ad 2. Photium, *Primò*, quòd sedem Constantinopolitanam ambiret, conjunxisse se Gregorio Siracusano Episcopo, nonnullisque aliis Clericis, qui Ignatii promotionem improbaverant. *Secundò*, falsos de Ignatio rumores sparsit, quasi de decessoris sui Germani, sanctissimi viri, moribus & fama detraheret. *Tertiò*, Bardæ opera usus est. Is, quòd sæpiùs sub excommunicationis pœna ab Ignatio jussus fuisset discedere à propria nuru, quam incestu publico fœderat, paravit insidias sanctissimo Pontifici Michaeli Imperatori nepoti suo: author fuit, ut Ignatio præciperet tondere Theodoram matrem & Theclam sororem, quæ simul cum eo imperii administrationem sortitæ fuerant. Renuit Ignatius, tum quòd Imperatrices vitæ religiosæ professionem sponte non eligerent; tum quòd obstrinxisset se sacramento, se nihil unquam contra eas moliturum. Quod Imperator Bardæ consilio Ignatium dejecit ab Episcopali sede, & Photium subrogavit. *Quartò*, Photius, quòd cum eo Clerus communicare detrectaret, congregavit faventium sibi Episcoporum Concilium, in quo lata est in Ignatium depositionis sententia, assertumque est Photio Ecclesiæ Constantinopolitanæ regimen. *Quintò*, tantum scelus omnibus viris frugi indignè ferentibus, Photius, ut eos compesceret, a Nicolao Papa I. suæ ordinationis confirmationem conatus est extorquere, causatus, Ignatium sponte cessisse Episcopatui, sibique tum ab Imperatore, tum a Clero, tum a populo vim factam fuisse, ut Ecclesiæ, quam abdicarat Ignatius, regimen susciperet. *Sextò*, Rodoaldum Episcopum Portuensem, & Zachariam Anagninum Episcopum, in Orientem a Nicolao Papa missos, ut de Ignatii abdicatione, quam causabatur Photius, & de ejusdem Photii ordinatione cognoscerent, muneribus corrupit, ac minis terruit, ita ut coacta synodo, ipsum Ignatium præsentem exauctorarint, ac Photii ordinationem confirmaverint. *Septimò*, iratus in Nicolaum Papam, qui a suis legatis in Oriente contra Ignatium acta Romæ solemni decreto resciderat, collegit conciliabulum, in quo ipsi Nicolao Papæ sub quorumdam, quos finxerat, excessuum obtentu anathema dictum est. *Octavò*, verùm interfecto Michaeli Imperatori, cujus jussu anteà Bardas trucidatus fuerat, successit Basilius, qui a Nicolao Papa Concilium petiit, quòd Romæ latam in Photium pro Ignatio sententiam solemniter exequeretur. Imperatoris litteræ redditæ sunt Hadriano II. qui mortuo Nicolao successerat; annuit Pontifex, in eumque finem legatos misit in Orientem, qui ejus nomine Concilio, quod celebrandum erat, præsiderent. Quæ hucusque dicta sunt, patent ex Niceta in vita S. Ignatii, ex præfatione Anastasii Bibliothecarii in hanc synodum, & ex ejusdem synodi actis.

§. II.

De actis Concilii Constantinopolitani IV.

Actio prima, habita est die quinta Octobris an. 869. In ea lectum 1. est scriptum, in quo Imperator hortatur Concilium, ut negotia, ad quæ convenerat, pacificè ac sine livore pertractaret. 2. Lectæ sunt etiam Hadriani Papæ ad Basilium Imperatorem Epistolæ. Lectæ pariter sunt: 3. litteræ, quibus ab Antiochena & Hierosolymitana Ecclesia missi suam legationem comprobarunt. 4. Jubentibus legatis, lectus est, ac probatus libellus, cui omnes subscribere tenerentur; in eo autem libello dicebatur anathema Photio, eique adhærentibus, donec eos criminis pœniteret. Confirmabantur, quæ Romanæ synodi, tum sub Nicolao, tum sub Hadriano in causa Ignatii decreta fuerant. Declarabantur irrita, quæ Photius sive contra Ignatium, sive contra Nicolaum, in suis conciliabulis tentaverat. 5. Lecta est definitio a Vicariis Antiochenæ & Hierosolymitanæ Ecclesiæ edita Constantinopoli, antequam in eam urbem pervenissent Apostolicæ Sedis legati; ea autem in definitione, earum Ecclesiarum Vicarii, Nicolai & Hadriani decreta in omnibus articulis amplectuntur.

Actione secunda, recitatus est pœnitentiæ libellus à Clericis, qui aut a S. Methodio, aut ab Ignatio ordinati, ad Photium vel vi, vel dolo, vel spontè defecerant. Hi, accepta a Patribus satisfactoria pœna, permissi sunt in Natalitiis Domini, & non antea, perfungi suorum Ordinum officiis.

Actione tertia, Theodulus Metropolita Ancyranus, Nicephorus, qui a S. Methodio, aut a S. Ignatio ordinati, invasioni Photianæ adhæserant, licèt indulgentiam postulantes, admissi non sunt a Concilio, quòd

latis

latis à Nicolao & Hadriano decretis subscribere noluissent. Lectæ sunt postea litteræ Basilii & Ignatii ad Nicolaum, tum eæ, quas Hadrianus & ad Basilium, & ad Ignatium scripserat.

Actione quarta, auditi sunt Theophilus & Zacharias, qui quondam Episcopi a S. Methodio consecrati fuerant, & postea pro Photio legatione ad Nicolaum perfuncti fuerant: contestati sunt Photium a Nicolao Papa fuisse receptum; sed lectis litteris Nicolai & ad Michaelem Imperatorem, & ad Photium, de mendacio convicti sunt; quippè Photius, ne Episcopus quidem in iis vocabatur; hæc enim erat inscriptio: *Nicolaus Episcopus servus servorum Dei, prudentissimo viro Photio.* Quòd autem ne audire quidem vellent libellum a Romana Sede transmissum ad Concilium, foras, eodem jubente Concilio, ejecti sunt.

Actione quinta, Photius à synodo per laicos citatus est. Interrogatus, an Romanorum Pontificum Nicolai & Hadriani decreta susciperet, non respondit. Lectæ sunt postea Nicolai ad Photium litteræ. Contestati sunt Orientalium Patriarchatuum Vicarii, Ecclesias Patriarchales nusquam consensisse in Photii ordinationem, quibus peractis, Photius è synodo dimissus est.

Actioni sextæ interfuit Basilius Imperator. Lectum est scriptum, quo legati Sedis Apostolicæ decretorum executionem petebant ab Imperatore. Auditi sunt, qui pro Photii ordinatione stabant Episcopi. Quæ ab eis pro Photio prolata sunt argumenta, dissolvit Metrophanes Smyrnæ Metropolita. Imperator ipse Photianos illos homines hortatus est ad pœnitentiam; iis datæ sunt induciæ septem dierum, quibus elapsis, nisi resipiscerent, anathemati subjicerentur.

Actione septima, Photius præsens compellatus est, num subjiceret se Nicolai & Hadriani decretis? sed renuit etiam Gregorius Syracusanus, & nonnulli alii Episcopi, qui à Photii partibus steterant. Lecta sunt iterùm, quæ Romæ tum contra Photium, tum contra Gregorium, tum contra adhærentes ei Episcopos decreta fuerant. Tandem anathema dictum est Photio, ejusque sequacibus: *Photio curiali & invasori anathema: Photio sæculari & forensi anathema: Photio neophyto & tyranno anathema sit: Photio schismatico & damnato anathema: Photio mœcho & parricida anathema..... Omnibus sequentibus & fautoribus ejus anathema: Gregorio dudum Episcopo Syracusano anathema.*

Actione octava, 1. lectus est apologeticus liber pro Petro Monacho, qui in suspicionem venerat oblati contra Nicolaum Papam libelli: 2. Photius convictus est falsi crimine: quippe Episcopi negarunt, suas esse subscriptiones, quas Photius libello a se contra Nicolaum Papam edito apposuerat: 3. lecto Nicolai adversùs Iconomachos capitulo, Iconomachis dictum est anathema; & iteratum, quod jam in Photium intortum fuerat.

Actione nona, 1. admissus est ad synodum Michaelis Alexandrini Patriarchæ legatus, a quo rata habita sunt, quæ octo prioribus actionibus decreta fuerant: 2. testes, quos Photius conduxerat, ut Ignatium accusarent, crimen confessi sunt suum, & accepta pœnitentia canonica, quam penès esset Ignatium minuere, Photio ejusque sequacibus anathema, jubente synodo, dixerunt.

Actione decima: 1. editi sunt varii Canones: 2. confirmata sunt, quæ in septem prioribus œcumenicis synodis definita fuerant: 3. a Concilio edita est encyclica Epistola: 4. conscripta est synodica ad Hadrianum Papam: 5. ab Hadriani legatis primùm, inde a cæteris omnibus Episcopis subscriptum est Concilio.

In octavi Concilii generalis acta, quæ hucusque relata sunt, observandum est 1. Romani Pontificis divinum in omnes orbis Ecclesias primatum in eis multùm elucere; nempe probata sunt omnia, quæ pro Ignatio adversùs Photium a Nicolao Papa I. & ab Hadriano II. Romæ definita fuerant; nec in aliquorum mentem tunc venit, laudatos Pontifices sibi in Constantinopolitanum Episcopum jurisdictionem immeritò arrogasse.

Observandum est 2. vere œcumenicam esse hanc synodum, tum quia omnes orbis Patriarchales Ecclesiæ ei subscripsere, tum etiam quia ipsa sæpè seipsam vocat œcumenicam: *Conveniente* (verba sunt actionis 7.) *sancta & universali synodo.*

Observandum est 3. quòd licèt omnes Græci Catholici, sicut & Latini, synodum hanc semper pro œcumenica admiserint; schismatici tamen, aut ejus loco laudent celebratam a Photio sub Joanne Papa VIII. aut septem tantùm priora Concilia pro generalibus habeant. Id videre est in sessione sexta Concilii Florentini, ubi Marcus Ephesiorum Episcopus Juliano Cardinali, qui synodum hanc pro œcumenica laudaverat, respondet, rescissam fuisse ab altera, quæ sub Joanne habita est; ac proinde inter œcumenicas recenseri non debere.

§. III.

De Canonibus Concilii Constantinopolitani IV.

CONCLUSIO. In Concilio Constantinopolitano IV. viginti septem Canones ad disciplinam spectantes editi sunt.

Probatur præcipuorum enumeratione, ac expositione. *Priore* sancitur, ut Canones ab Apostolicis Conciliis, sive generalibus, sive localibus, a Patribus editi, ad unguem serventur tanquam secunda eloquia. *Not.* 1. quòd Canones, qui passim Apostolici dicuntur, ipsismet Apostolis adscribat. *Not.* 2. Canones appellari *secunda eloquia*, quòd divina, priora sint Ecclesiasticis. *Not.* 3. Concilia localia vim habere, nisi a superioribus rescissa fuerint. *Not.* 4. definiri Canones esse regulas, ad quas Clericorum mores exigi debent; ac proinde authorum recentiorum, qui eis advertantur, nullam haberi debere rationem.

Secundus Canon, præcipit eorum observationem, quæ Nicolaus I. & Hadrianus II. in causa Ignatii adversùs Photium *synodicè* statuerant; idque sub pœna depositionis in Clericis, in laicis verò sub excommunicationis pœna. *Not.* 1. probari, quæ a Romanis Pontificibus *synodicè* promulgata fuerant, quia quæ nunc ex Concilio Cardinalium definiunt, olim plerumque convocata Episcoporum synodo definiebant. *Not.* 2. ideò Clericos inobedientes depositione sola, non autem excommunicatione mulctari, quòd juxta Canones Apostolicos, duplex pœna pro uno crimine, nisi multùm sit immane, infligi non debeat.

Tertio Canone, decernitur, ut cultus imaginum firmus consistat. *Not.* 1. Canoni occasionem dedisse novos Iconomachos, qui tunc Constantinopoli versabantur. *Not.* 2. *Adorationis* nomen, quo Concilium utitur, non significare latriæ cultum, sed religiosam reverentiam, quæ tum Virginis Deiparæ, tum Sanctorum, tum Angelorum imaginibus, tum Evangeliorum libris, tum S. Crucis typo exhibeatur. *Not.* 3. eum cultum non terminari ad ipsas imagines, sed ad earum prototypa: *Quia* (inquit) *ad principalia ipsa referuntur.*

Quarto Canone, definitur, nullam esse tum Photii, tum eorum, quibus manus imposuit, ordinationem; iterandæ quoque decernuntur dedicationes Ecclesiarum, altarium consecrationes, quas tam ipse, quàm ab eo ordinati tentaverant. *Not.* 1. Hæc synodi verba: *Photium nunquam fuisse prius, aut nunc esse Episcopum*, intel-

telliguntur à Morino nostro de Episcopatu sumpto secundùm substantiam; ab aliis vero de Episcopatu sumto tantùm secundùm jurisdictionem. Nec obstat (inquiunt) quòd Nicolaus Papa ad Imperatorem Michaelem scribens dicat: *Igitur nihil Photius à Gregorio accepit*; nam dicit quoque nihil habuisse Gregorium: *Nihil autem habuit, nihil dedit*; in eo tamen, licet deposito, Episcopalis character remanserat. *Not.* 2. Altaria vocantur mensæ; idque ad Apostoli exemplum, 1. ad Corinth. 10. *Not.* 3. Concilium loquitur de Ecclesiarum & Altarium dedicatione & consecratione, tanquam de re, quæ ubique esset in usu.

Quinto Canone, decernitur, ne quis è Curialibus, quem suspicio fuerit attonsum fuisse, aut Monachum factum, Patriarchatus, vel Episcopatus capessendi gratia, ordinetur, licèt inter singulos ordines debita interstitia fluxerint. Si nulla fuerit ejusmodi suspicio, edicit consecrari quidem posse, aut Patriarcham, aut Episcopum, modò tamen in gradu Lectoris annum compleverit, in Subdiaconi duos, in Diaconatu tres, & in Presbyteratu quatuor; posse Episcopos tempus contrahere, non quidem Curialium respectu, sed eorum tantùm, qui in Clericatu, aut Monachatu religiosè vixerint. *Not.* 1. Occasio canonis fuit Photii momentanea ex ordine Senatorio promotio ad Patriarchatum Constantinopol. *Not.* 2. canon ex ordinibus minoribus, solùm Lectoratum recenset, quòd Ecclesia Græca nusquam tres alios admiserit. *Not.* 3. Facultas fit Episcopis, ut in canonum executione dispensent, ubi id Ecclesiæ utilitati expedierit.

Septimus Canon, vetat, ne ab hac synodo anathematizati admittantur, aut ad pingendas in templis imagines, aut ad scientias docendas; idque sub pœna interdicti in Clericis, & seperationis in laicis. *Not.* 1. per se non esse malum, quod canon vetat; sed prohibitum est, ut anathematizati resipiscerent. *Not.* 2. Non a sacris modò, sed etiam ab humanis scientiis docendis arcentur anathematizati. *Not.* 3. Interdictum, cujus meminit, non incurritur *ipso facto*, sed est comminatorium: *Proprio gradu periclitetur*. *Not.* 4. Separatio non semper intelligitur de excommunicatione majore; quippe hoc loco canon separationem, quam infligit, sic exponit: *Divinorum mysteriorum communione priventur*, hoc est, *arceantur, dum sacra fiunt.*

Canon decimus, prohibet, ne quis ante latam sententiam separetur a communione proprii Patriarchæ, aut Episcopi, licèt criminis reus noscatur. *Not.* 1. Communio cum Episcopo dicit Sacramentorum receptionem, precum communionem, jurisdictionis admissionem. *Not.* 2. Antiqua est regula, cujus canon meminit, Episcopi nomen in mysteriis recitandi.

Canone undecimo, damnantur ii, qui in unoquoque homine duas animas rationales admiserint. *Not.* 1. Ex Anastasio Bibliothecario, præfatione in octavam synodum, Photius fuit ejusmodi opinionis author. Id tamen non fuit omninò persuasum Concilio; alioquin enim authorem nominasset. *Not.* 2. Dogma Catholicum non ex Scriptura tantùm, sed ex Patribus Concilium confirmat, quòd traditio unanimis non minùs, quam Scriptura, sit fidei ac morum regula.

Canone duodecimo, statuitur, ne favore Principum eligantur Episcopi. *Not.* 1. Occasio fuit promotio Photii, qui Michaelis Imperatoris tyrannide substitutus fuerat Ignatio viventi. *Not.* 2. Canoni non adversantur Concordata inter Leonem Papam X. & Franciscum I. Gallorum Regem; in iis enim, quæ spiritualia sunt, vim habent suam ex Ecclesiæ concessione.

Canone decimotertio, prohibetur, ne promoti ad Episcopatum, indecentia obsequia Principibus exhibeant, ut eos, si aberraverint, corripere valeant. *Not.* 1. Canone consulitur Episcopali dignitati, non autem Episcoporum vanitati. *Not.* 2. Canon inter indecentia obsequia recenset obviam ire procul ab Ecclesiis, aut se ab equis aut mulis multo spatio dejicere, aut intrare ad eorum mensam hora prandii.

Canon decimus sextus, prohibet, ne quis lusus causa, sacra Sacerdotum vestimenta gestare, aut sacras cerimonias exhibere audeat; idq; sub gravissimis pœnis. *Not.* 1. Usui locum dederat Michael Imperator, qui eum ludendi morem in Theophilo scurra insigni probaverat. *Not.* 2. Graviter ergo peccant, qui adsunt spectaculis, in quibus sacris ritibus illuditur.

Canone decimoseptimo, sancitur, Metropolitanos debere sistere se præsentes indicto à Patriarcha concilio; eorum excusationem admitti non debere, qui causantur, se à Principibus detineri. *Not.* 1. In Galliis Præsules non solent è regno discedere, nisi petita a Regibus christianissimis licentia. *Not.* 2. Hæc canonis verba: *Cum nusquam sacri canones convenire sæculares Principes in conciliis sanxerint, sed solos antistites*, a conciliis Principes non excludunt; unde in nationalibus, imò & in generalibus, sæpè præsentes fuerunt, sed significant eorum præsentiam absolutè non requiri.

Canone vigesimo primo, prohibetur, ne quis adversùs Patriarchas, *Et præcipuè quidem sanctissimum Papam senioris Romæ*, sub criminum & prævaricationum obtentu, libellos conscribere audeat. Annuitur universalibus synodis, ut reverenter inquirant de quæstionibus, quæ moventur adversùs Ecclesiam Romanam; sed vetat ne *audacter sententiam dicant*, contra summos senioris Romæ Pontifices. *Not.* 1. canonis occasio fuit Photii facinus, qui ausus est adversùs Nicolaum I. ferre depositionis, & excommunicationis sententiam. *Not.* 2. Probat canon singularem Papæ pro cæteris Patriarchis eminentiam.

Canon vigesimus secundus, ab Episcoporum electionibus quosvis laicos, etiam Principes, excludit, nisi ab Ecclesia invitentur. *Not.* 1. Aliud est consensus in electionem, aliud electio, seu nominatio; ille non excluditur per canonem, sed electio tantùm. *Not.* 2. Canoni non adversantur Galliarum cum Leone X. concordata; neque enim factæ a laicis nominationes excluduntur, si laici jus nominandi ab Ecclesia receperint.

Canone vigesimo septimo, jubet, ut Episcopi pallio utantur congruo tantùm tempore; prohibet Monachis ad Episcopatum assumptis, ne monasticum habitum deponant. *Not.* 1. Secunda canonis pars locum non habet in Galliis; nempe Clerus in regni comitiis generalibus statuit decere, ut omnes Episcopi, ex quocumque ordine sive clericali, sive monastico, assumpti fuerint, eundem habitum deferant. *Not.* 2. Monachi per Episcopalem consecrationem eximuntur quidem ab emisso in Monasteriis obedientiæ voto, sed non ab aliis; id nimirùm indicant canonis verba: *Ne per hoc inveniatur propriorum transgressor pastorum.*

§. IV.

De convocatione, & præside Concilii Constantinopolitani IV.

CONCLUSIO. 1. Basilius Imperator convocavit concilium Constantinopolitanum IV.

Probatur 1. ex actione prima, ubi sic ipsummet concilium de Basilio loquitur: *Qui universale synodum congregans*, &c. 2. Idem asserit Ignatius in sua ad synodum acclamatione, actione octava: 3. idem hæc ejusdem synodi verba, actione decima: *Sancta, magna, & universalis synodus, quæ per divinam voluntatem & gratiam, & sanctionem amicorum Christi Imperatorum nostrorum Basilii & Constantini congregata est.*

Ex eo facto Heterodoxi nihil contra Romanæ Sedis

dis jura colligere possunt. Nam 1. à factis ad jura conclusio non valet, ut agentes de conciliis in genere diximus. 2. Id non tentavit Basilius, nisi jubente Hadriano Papa II. *Volumus autem* (inquit ad Basilium scribens) *per vestra pietatis industriam Constantinopoli numerosum celebrari concilium*.

CONCLUSIO 2. Hadrianus Papa II. per suos Legatos præsuit concilio Constantinopolitano IV.

Probatur 1. Legati dicuntur tenuisse locum Hadriani Papæ 2. In singulis concilii actionibus nominantur ante cæteros Patriarchas: *Convenientibus Donato & Stephano Episcopis, & Marino Diacono, locum tenentibus Hadriani Archiepiscopi senioris Romæ, & Ignatio Archiepiscopo Constantinopolitano, nova Roma, &c.* 3. Ante cæteros omnes Patriarchas subscripserunt concilii actis, addito præsidentis nomine: *Ego Donatus .... huic sanctæ & universali synodo præsidens subscripsi.*

Objicies 1. Basilius, & ejus filii Constantinus, & Leo, actionibus 8. & 10. dicuntur concilio præsuisse: *Præsidentibus Christi dilectis Imperatoribus*: ergo Hadriani II. legati nequaquam fuerunt concilii præsidentes.

Resp. conc. ant. dist. conseq. quoad locum materialem, conc. conseq. quoad authoritatem, seu potestatem judicandi, neg. conseq. Ratio est 1. quia Basilius in allocutione ad synodum, expressè asserit, laicis non licere de Ecclesiasticis causis movere sermonem; sed solis Pontificibus, quibus Christus concessit Ecclesiæ claves.

Objicies 2. Illi præfuerunt concilio Constantinop. IV. quibus acclamatum est, antequam ipsi Romano Pontifici acclamaretur: atqui Imperatori Basilio acclamatum est; ut patet ex actione 9. ergo, &c.

Resp. nimis probare argumentum; quippe (ut constat ex actione 10.) Eudoxiæ Imperatrici acclamatum est quoq; antequam Nicolao I. & Hadriano II. acclamaretur. 2. Is honor ei delatus est, non quidem tanquam controversiarum judici, sed tanquam Principi de Ecclesia, cujus paci consuluerat, optime merito.

Objicies 3. Illi præfuerunt concilii Constantinop. IV. qui rogati sunt illius actis ante Romani Pontificis legatos subscribere: atqui Imperatores id rogati sunt: *Volumus* (inquiunt legati actione 10.) *ut subscribant primitus Christi amatores Imperatores, & deinde secundum ordinem sancta hac synodus.*

Resp. dist. maj. Qui rogati sunt, ut ante legatos *jure*, actis concilii subscriberent, conc. maj. ex gratia ipsius concilii, neg. maj. Id autem jure Imperatoribus debitum non fuisse, probant 1. hæc legatorum verba: *Volumus, ut subscribant, &c.* Probat 2. hoc Imperatoris Basilii ad Legatorum preces responsum: *Tranquillissimum Imperium nostrum vult subscribere post subscriptionem omnium sanctissimorum, Patriarchalium sedium, Vicariorum*; idque sic factum est.

ARTICULUS IX.

De Concilio Lateranensi I.

Concilium Lateranense I. quod nonum est œcumenicum, habitum est, secundùm peritiorum calculum, anno 1123. Romæ sedente Callisto Papa II. imperante in Germania Henrico IV. Dicitur Lateranense, ex Basilica Lateranensi, in qua celebratum est.

§. I.

De causa, convocatione, præside Concilii Lateranensis I.

CONCLUSIO 1. Triplex fuit causa celebrandi Concilium Lateranense 1.

Probatur. Celebratum fuit, ut investiturarum abrogatio, secundùm pacta inter Callistum & Henricum inita, confirmaretur: *Cum apud Callistum demorando* (inquit Sugerius Abbas in Ludovico Rege) *magno Concilio trecentorum & amplius Episcoporum Laterani compositioni pacis de querela investiturarum adstitissemus.* Celebratum fuit 2. ut Palæstina & Hispania ab infidelium tyrannide liberarentur; id nimirùm ex Canone 11. colligitur. Celebratum fuit 3. ut Ecclesiasticæ disciplinæ per Clericorum simoniam & luxuriam fœdatæ, consuleretur; id manifestè patet ex pluribus Concilii Canonibus, de quibus dicemus subsequente paragrapho.

Quæres 1. quid investiturarum nomine intelligi debeat: 2. quid earumdem investiturarum usui occasionem dedisset: 3. quinam Summi Pontifices contra Imperatores pro investiturarum abrogatione decertaverint.

Resp. ad 1. investiturarum nomine intelligi consensum a sæculari Principe datum, factæ alicujus ad Episcopatum, vel Abbatiam electioni, nec non bonorum Ecclesiasticorum possessionis concessionem solemni quodam ritu demonstratam.

Resp. ad 2. investiturarum usui locum dedisse Principum sæcularium erga Ecclesias munificentiam; cum enim ab iisdem Principibus non solùm prædia & latifundia, sed etiam feuda Imperatoriæ, aut Regiæ majestati subdita, Ecclesiis concessa fuissent, factum est *primò*, ut ejusmodi feuda aliorum feudorum conditionem sortirentur, seu, ut Episcopi, aut Abbates non venirent in eorum possessionem, nisi exhibito Principibus hominio, & fidelitatis præstito juramento. Factum est *secundò*, ut ejusmodi tum hominium, tum juramentum exigerentur etiam ab Episcopis & Abbatibus, quorum Ecclesiæ nullis Principum feudis fruerentur. Factum est *tertiò*, ut Principes ad ipsas etiam electiones investiturarum usum extendere tentaverint, ita ut electiones liberè fieri non sinerent. Factum est *quartò*, ut ipsam etiam jurisdictionem spiritualem concedere sibi viderentur; nempè bonorum Ecclesiæ fruitionem concedebant per traditionem baculi & annuli Pastoralis, quæ quidem sunt Ecclesiasticæ jurisdictionis insignia.

Resp. ad 3. contra investituras acriter decertasse Gregorium Papam VII. Singulis fermè annis habuit Concilia, quibus districtè prohibuit, ne quis Ecclesiarum investituras de Principum manibus acciperet. Henricum III. Imperatorem, quòd sub earumdem investiturarum obtentu Ecclesias vexaret, excommunicatione mulctavit. Victor III. qui proximè Gregorio VII. successit, a suo decessore latam in Henricum IV. sententiam confirmavit. Idem quoq; præstitit Urbanus II. Paschalis II. ab Henrico IV. conjectus in carcerem, ipsi investiturarum privilegium concessit; quod quidem idem Pontifex liber postea factus, duobus in Conciliis Romæ celebratis rescidit. Gelasius, qui Paschali successit, ubi decessorum suorum statuta confirmasset, vi & armis ab Henrico IV. pulsus est ex Italia. Callistus II. post Gelasii mortem electus, litem de investituris, quæ tot annis Ecclesiam vexarat, in Concilio Lateranensi I. composuit iis conditionibus, quæ subsequenti paragrapho referentur.

CONCLUSIO 2. Callistus Papa II. indixit Concilium Lateranense I. illique per seipsum præfuit.

Probatur prior pars ex litteris Callisti ad Henricum, ubi hæc habentur: *Legatos itaque nostros, qui apud vos sunt, rogamus, ut quia Concilium a nobis indi-*

ctum

ctum acceleras, citò ad nos, Domino largiente, remittas.

Probatur altera pars ex eo, quòd tempore quo habitum est Concilium, Summi Pontifices non spirituali tantùm potestate, sed suprema etiam temporali, Romæ fruerentur; ac proindè, si Callistus Concilio adfuerit, ut adfuit revera, in eo non aliam, quam præsidis, personam egit.

§. II.

De actis, & Canonibus Concilii Lateranensis I.

CONCL. 1. In Concilio Lateranensi I. Henricus Imperator IV. investituras, electiones, bona Ecclesiis restituit.

Probatur ex ipso Henrici restitutionis instrumento, quod in Lateranensi Concilio lectum est: *Ego Henricus ......pro remedio animæ meæ dimitto Deo, & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo, & sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis fieri electionem, & liberam consecrationem. Possessiones & regalia Beati Petri, quæ à principio hujus discordiæ usque ad hodiernum diem, sive tempore Patris mei, sive etiam meo ablata sunt, quæ habeo, eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituo.*

CONCL. 2. Callistus Papa II. Henrico IV. concessit 1. ut sisteret se præsentem electionibus, quæ in illius regno fierent. Concessit 2. ut electus intra imperii limites regalia per sceptrum ab ipso acciperet, iis tamen exceptis, quæ ad Ecclesiam Romanam pertinere noscuntur.

Probatur ex factæ à Callisto concessionis instrumento, quod in Concilii, de quo agitur, actis lectum & probatum est. Quid autem essent regalia, quæ Henrico concessa sunt, dicemus inferiùs agentes de Concilio Lugdunensi I.

CONCL. 3. In Concilio Lateranensi I. editi sunt viginti duo Canones ad disciplinam spectantes.

Probatur. Nec plus, nec minùs quam viginti duo Canones reperiuntur in vulgaribus hujusce Concilii editionibus. Operæ pretium est, ut hic præcipuorum expositionem subjiciamus.

Primus Canon, definit, ordinatum aut promotum per pecuniam, sic acquisita dignitate carere debere. *Not.* 1. Canon non significat, irritam esse ordinationem sumptam secundùm substantiam, sed tantùm secundùm illius executionem, aut exercitium. *Not.* 2. Id tamen non habet locum, nisi post judicis declarationem.

Secundus Canon, vetat, ne fiat præpositus, aut Archipresbyter, nisi ex Diaconis. *Not.* 1. Id ideò sancitum est, quòd insignis quædam sapientia requiratur in iis, qui in iis dignitatibus constituti sunt. *Not.* 2. Secundùm hodiernam disciplinam satis est, ut intra annum sit Presbyter, qui eligitur ad dignitates, quæ nonnisi à Presbyteris haberi possunt.

Tertius Canon. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis prohibet concubinarum, & uxorum contubernia. *Not.* Uxorum nomine intelliguntur mulieres, quæ aut ante sacrum ordinem jurè ductæ fuissent, aut quæ post sacrum ordinem, contra Canones.

Quintus Canon, edicit, ne fiant conjunctiones consanguineorum, quoniam (inquit) eas & divinæ & sæculi leges prohibent. *Not.* 1. Sumit consanguineos latè, hoc est, prout consanguinei etiam affines complectuntur. *Not.* 2. Iis temporibus consanguinitas & affinitas usque ad septimum gradum erant impedimenta matrimonium dirimentia. *Not.* 3. Nomine *divinarum* legum intelligit Canonicas, tum quòd eas opponat sæculi legibus, tum quòd nuptiæ inter quaslibet consanguineas non sint irritæ jure divino.

Sextus Canon, irritas declarat factas à Burdino ordinationes. *Not.* 1. Burdinus erat Antipapa, quem ex Archiepiscopatu Bracarensi Henricus IV. vi & armis ejecto Roma Gelasio suffecerat. *Not.* 2. Ordinationes declarantur irritæ sensu superiùs dicto.

Undecimus Canon, peccatorum remissionem iis concedit, qui Hierosolymitanum, aut Hispanicum iter defendendæ Ecclesiæ causa susceperint; interdicit Ecclesiæ introitu eos, qui assumpta in vestibus cruce, illud iter suscipere detrectaverint; præterea eorum terras interdicto subjicit. *Not.* 1. Ea peccatorum remissio intelligitur non de culpa, sed de pæna temporali per Canones imposita. *Not.* 2. Ea remissio, de qua loquitur Canon, est id, quod Theologi *Indulgentiam* propriè sumptam appellant; nimirùm indulgentia non est aliud, quàm remissio impositæ, aut imponendæ per Canones pœna, quæ etiam coram Deo minuitur. *Not.* 3. Duplici de causa damnantur, qui crucibus acceptis Hierosolymitanum, aut Hispanicum iter non suscipiunt: nempe non exequuntur votum, quod suscipiendo cruces emiserunt; non perficiunt pœnitentiam publicè sibi pro gravibus criminibus impositam.

Duodecimus Canon, vetat, ne Porticanorum sine liberis morientium bona pervadantur. *Not.* 1. Porticani, secundùm aliquos, erant incolæ portus Romani; eorum bona, si absque liberis morerentur, urbis præfectus vindicabat sibi. Secundùm alios, advenæ erant & extranei, qui in porticibus residebant; hos Urbis præfecti contendebant jus non habere condendi testamentum.

Canon decimus tertius, Treugæ infractores post tertiam monitionem, ni satisfaciant, anathemate damnat. *Not.* 1. Treugæ sunt a privatis bellis induciæ ab Episcopo indictæ. *Not.* 2. Illud anathema non habebat locum, nisi post latam ab Episcopo sententiam.

Canon vigesimus primus, illicita, ac irrita declarat inita à Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis matrimonia. *Not.* 1. Canon ille deest in codice Anianensi. *Not.* 2. Non edicit matrimonia, quæ Clerici majores inierint, fore deinceps irrita, sed declarat irrita esse, quæ etiam ante editum Canonem contracta fuissent; antea igitur Ordo sacer erat dirimens impedimentum matrimonii.

ARTICULUS X.

De Concilio Lateranensi II.

CONCILIUM Lateranense II. quod decimum est œcumenicum, celebratum est anno 1139. Innocentio Papa II. Romæ sedente; illud indixit, illique præfuit mox laudatus Pontifex: *Proxima media quadragesima* (inquit Otto Frisingensis, illius temporibus scriptor, lib. 7. cap. 23.) *Synodus maxima circiter mille Episcoporum, præsidente Romæ Summo Pontifice Innocentio celebratur.*

§. I.

De causa & actis Concilii Lateranensis II.

CONCLUSIO 1. Schisma à Petro Leonis conflatum, Petrobusianorum ac Arnoldistarum errores, collapsa Ecclesiæ disciplina, tres fuerunt convocandi Concilii Lateranensis II. rationes.

Probatur. Vespergensis in Chronico, Otto Frisingensis, aliique sæculi xii. scriptores, eas quas retulimus, convocandi Concilii Lateranensis II. rationes recensent.

CONCLUSIO 2. In actis Concilii Lateranensis II. damnatum est Leonis schisma, proscripta sunt Petrobusianorum & Arnoldistarum errores, ac restituta Ecclesiæ disciplina.

Pro-

Probatur. *Primò*, ita docent laudati superiùs historici: *Secundò*, Canone 30. irritæ quoad exercitium declarantur factæ a Petro Leonis, & ipsi adhærentibus ordinationes: *Tertiò*, Canone 23. damnantur præcipui Petrobusianorum, & Arnoldistarum errores: *Quartò*, reliquis Canonibus collapsa restituitur disciplina.

Quæres 1. quando incœperit, quandiùque perduraverit conflatum a Petro Leonis schisma?

Resp. incœpisse anno 1130. Nempè illius anni Kal. Martii, electo Canonicè Innocentio II. Petrus Leonis sub Anacleti II. nomine a factiosis quibusdam pseudopontifex creatus est. Is victnorum armis Roma ejecit Innocentium, quem Gallia primùm, deindè Anglia, Germania, & plures Italiæ Provinciæ pro vero agnoverunt Pontifice. Mortuo Petro Leonis, Victor qui in ejus locum a schismaticis suffectus fuerat, depositis Pontificalibus vestibus, iniit cum Innocentio concordiam, ad cujus confirmationem habitum est anno 1139. Concilium Lateranense II. ac proindè novem annis perduravit conflatum a Petro Leonis schisma.

Quæres 2. quinam fuerint Petrobusianorum errores?

Resp. Petrum de Bruis, à quo Petrobusiani nomen sortiti sunt (teste Petro Cluniacensi libro 1. epist. 1.) docuisse 1. inutile esse ad salutem datum parvulis baptisma: 2. everti debere templorum, vel Ecclesiarum fabricas: 3. cruces confringi, non autem adorari debere: 4. id, quod in Eucharistia fidelibus traditur, non esse verum Christi corpus: 5. mortuos nec Presbyterorum sacrificiis, nec fidelium precibus juvari.

Quæres 3. in quo ab Arnoldistis erratum sit?

Resp. his verbis Ottonis Frisingensis eorum temporum historici: *Dicebat* (sectæ author) *nec clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possessiones habentes, aliqua ratione posse salvari; cunctaque hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantùm laicorum cedere oportere. Præter hæc de Sacramento Altaris, de Baptismo parvulorum, non sanè dicitur sensisse.*

§. II.

De Canonibus Concilii Lateranensis II.

CONCLUSIO. Concilium Lateranense II. Ecclesiasticæ disciplinæ consuluit viginti sex Canonibus.

Probatur præcipuorum enumeratione, ac expositione. *Priore*, irrita declaratur facta per simoniam ordinatio. *Not.* 1. Intelligitur de ordinum executione, hoc est, per simoniam ordinati, fiunt irregulares. *Not.* 2. Canon locum non habet in casu ordinationis factæ per simoniam mentalem, quia Ecclesia de internis non judicat.

Altero canone, vetatur, ne pro præbendis, promotionibus Ecclesiasticis, Sacramentis, Altarium, aut Ecclesiarum consecratione, aliquid ante, vel postea exigatur, aut detur, nec pro pastu, nec sub obtentu alicujus consuetudinis. *Not.* 1. Quæ canon vetat, non sunt tantùm contra jus Ecclesiasticum, sed etiam contra divinum: *Quoniam* (inquit) *simoniacum est*; simonia autem est contra jus divinum. *Not.* 2. Hæc verba: *Nec pro pastu*, damnant praxim, pecuniam pro pastu oppignerandi, antequam electus admittatur in præbendæ possessionem. *Not.* 3. His aliis verbis: *Absque imminutione aliqua*, proscribitur praxis earum Ecclesiarum, in quibus licet quis officio suo vacet, frustratur primo saltem anno, aut toto reditu, aut aliqua ejus parte, nisi tamen id in Ecclesiæ fabricam, aut ornamentorum emptionem impendatur. *Not.* 4. Canon non distinguit inter rei sacræ pretium, aut ejus conferendæ motivum; non minus igitur censet, simoniacum esse nonnihil temporale conferre pro pretio, aut motivo beneficii. *Not.* 5. Hæc verba: *Vel ipse dare præsumat*, damnant eos, qui sub gratitudinis obtentu, aut pecuniam, aut aliquid aliud pro resignato beneficio rependunt, præsertim si id fiat ex consuetudine, aut si sit ingens pecuniæ summa. *Not.* 6. hæc verba: *Ante, vel post à quoquam aliquid exigatur*, non damnant Parochos, qui post nuptiarum celebratos ritus aliquid ad sui sustentationem exigunt; scriptum est enim: *Non alligabis os bovi trituranti.*

Canone tertio, prohibetur, ne quis a proprio Episcopo excommunicatum absolvat. *Not.* 1. Id locum non habet in extremo vitæ periculo. *Not.* 2. In eo casu ab alio, quam a proprio Episcopo absolutus, tenetur, si convaluerit, sistere se præsentem proprio Episcopo, ut absolutionem confirmet.

Canon quintus, vetat, ne clericorum morientium bona diripiantur. *Not.* Id probat, clericos habere usum, non autem dominium bonorum Ecclesiasticorum.

Canone octavo, damnantur Monachi, & Canonici Regulares, qui aut leges imperiales, aut artem medicinæ discunt. *Not.* 1. Canon omnes omninò, tum Monachos, tum Clericos, complectitur, quamvis expresse de solis Monachis & Canonicis Regularibus loquatur, nempe laudat imperiales constitutiones, quæ omnibus Clericis forensium disceptationum studium vertunt opprobrio. *Not.* 2. Non damnantur tamen, qui aut forenses leges, aut medicinam discunt, ut solvant nonnullos conscientiæ casus, aut charitatem in proximum exerceant; id verba ista innuere videntur: *Gratia lucri temporalis.*

Canon duodecimus, Treguarum tempus definit à quarta feria ad secundam alterius hebdomadæ; ab Adventu Domini usque ad Octavam Epiphaniæ, & a Quinquagesima usque ad Octavam Paschæ. *Not.* 1. Ex dictis superius, Treguarum nomine intelliguntur induciæ a privatis bellis, injuriis, deprædationibus, &c. *Not.* 2. Non probavit tamen canon Treguarum infractionem aliis a recensitis diebus; sed œconomiæ causa, eam dictis tantum diebus mulctavit excommunicationis pœna.

Canon decimus tertius, damnat usuram, tanquam quæ veteri & novo testamento damnetur; edidit usurarios recipi non debere, nisi summa cautela. *Not.* 1. Canon igitur censet, usuram divino jure prohiberi. *Not.* 2. Non distinguit inter pauperes, & divites; a quocumque igitur aliquid ultra sortem exigatur, usura est. *Not.* 3. Cautela, cujus canon meminit, intelligitur de obligatione restitutionis usurariis ante absolutionem imponenda.

Canon decimus quintus, excommunicat eum, qui suadente diabolo violentas manus in Monachum, aut Clericum injecerit. Casum hunc citra mortis periculum reservat Summo Pontifici. *Not.* 1. Intelligitur de percussione gravi. *Not.* 2. Mos jam erat reservandi quosdam casus Summo Pontifici.

Canon vigesimus, jubet, ut Principes consultis Episcopis jus dicant. *Not.* 1. Episcopi iis temporibus jus, etiam quoad civilia, suis diœcesanis dicebant. *Not.* 2. Sæculares Judices illud dicere non solebant, nisi consultis Prælatis; morem illum canon innovat.

Canon vigesimus primus, filios Presbyterorum declarat irregulares. *Not.* 1. Canon non loquitur de filiis in legitimo matrimonio genitis a Presbyteris ante ordinationem. *Not.* 2. Canon declarat, tolli eam irregularitatem per Religiosæ vitæ professionem.

Canon vigesimus secundus, definit, falsis pœnitentiis animas decipi, & in infernum pertrahi. Falsam verò dicit esse pœnitentiam, cum pro uno peccato tantum fit satisfactio, non pro omnibus; aut cum agens de uno pœnitentiam, incidit in aliud; aut cum non receditur a negotio curiali, aut negotiali, quod non valet agi sine peccato; aut cum offensus offendenti non indulget; aut cum offendens non satisfacit offenso. *Not.* 1. Imperitia,

ritia, aut mollior ministri agendi ratio securum non facit pœnitentem, quantamcumque pœnitens de illo ministro habeat æstimationem. *Not.* 2. Canon vult, ut minister de veritate pœnitentiæ judicet, non ex pœnitentis verbis, sed factis. *Not.* 3. Qui non vult convenientem pro peccatis omnibus satisfactionem subire, censeri non debet verè pœnitens. *Not.* 4. Si pœnitens non est (ut ait Canon) qui cum de uno peccato agit pœnitentiam, incidit in aliud alterius speciei; a fortiori, si ea consuetudine incidat in ejusdem peccati speciem. *Not.* 5. Ea Canone, impœnitens est, qui non discedit ab occasione, quæ etiam *per accidens*, inducit ad peccatum, ut curiale, aut negotiale negotium: a fortiori pœnitens non est, qui non discedit ab occasione, quæ *per se*, ad peccatum inducit. *Not.* 6. Satis non est ad pœnitentiam odii depositio, sed præterea requiritur externa reconciliatio. *Not.* 7. Cum iis regulis, molliorum hujus ævi Casuistarum praxis conciliari non potest.

Canon vigesimus tertius, damnat, tum Petrobusianorum, tum Arnoldistarum errores, de quibus diximus agentes de hujusce concilii causa.

Canon vigesimus nonus, sub anathemate probibet, ne balistariorum & sagittariorum artes adversùs christianos exerceantur. *Not.* Balistarii (teste du Change) homines erant, qui conducti ad privata certamina, balistis aut sagittis utebantur.

Canon trigesimus, irritas & vacuas declarat ordinationes factas, tum a Petro Leonis, tum ab aliis schismaticis, tum ab hæreticis. *Not.* Falsò (ut articulo superiore dictum est) Gratianus, & Magister sententiarum canonem exponunt de ordinatione secundùm substantiam, & characterem sumpta.

ARTICULUS XI.

De Concilio Lateranensi III.

CONcilium Lateranense III. quod undecimum est œcumenicum, celebratum est anno 1179. imperante in Germania Friderico I. Romæ sedente Alexandro Papa III. Trecentos et adfuisse Episcopos, scribit testis oculatus Guillelmus Archiepiscopus Tyrius lib. 21. cap. 2. de bello sacro.

Hoc Concilium ab Alexandro Papa III. convocatum fuisse, certum est ex ejusdem Alexandri litteris ad Episcopos per Tusciam constitutos; quas litteras, mutato tantùm nomine, ad cæteros orbis Episcopos directas fuisse, evincitur ex constanti Ecclesiæ praxi.

Illi eundem Papam præfuisse, constat ex ejusdem concilii præfatione, ubi id expresse asseritur.

§. I.

De causa Concilii Lateranensis III.

CONCLUSIO. Tres fuerunt Concilii Lateranensis III. convocandi rationes.

Probatur enumeratione. *Primò*, coactum est, ut schismati deinceps vitando consuleretur. Id scilicet probant prior & alter Concilii Canon. *Secundò*, coactum fuit contra Vvaldensium, & Albigensium errores. Id patet ea Canone 27. *Tertiò*, coactum fuisse, ut reformarentur mores usura, simonia, aliisque vitiis corrupti, demonstrant editi in eo Concilio Canones.

Quæres 1. cur in Concilio Lateranensi III. de mediis ad schisma deinceps vitandum actum fuerit?

Resp. occasionem dedisse Octaviani schisma. Mortuo Hadriano Papa IV. anno 1159. Alexander III. à saniori & majori Cardinalium parte electus est in Pontificem maximum: Octavianus verò, licèt a tribus tantùm designatus fuisset, sub Victoris IV. nomine Pontificatus insignia ausus est usurpare. Hunc, & qui ipsi mortuo successerunt, Guidonem Cremensem, quem Paschalem II. vocarunt, & Joannem Strumensem Abbatem, tota Germania, agente Friderico, tanquam veros Pontifices coluit; Alexandri verò partes Gallia, Britannia, Hispania, plures Italiæ urbes, & ferè reliquæ orbis Christiani provinciæ, constanter susceperunt. Mortuo Abbate Strumensi, anno 1177. Fridericus, qui per viginti duos annos apertas inimicitias cum Alexandro gesserat, ejurato cum Episcopis & Principibus sibi adhærentibus schismate, supplex ad ejusdem Alexandri pedes se abjecit, cum eoque iniit concordiam. Hanc ut firmaret Alexander Papa, totius orbis Episcopos evocavit ad III. Lateranense Concilium.

Quæres 2. quinam essent præcipui Vvaldensium, & Albigensium errores?

Resp. Vvaldensium errores ad tria capita reduci à Reinerio, qui sectæ primùm dederat nomen, sed postea in Ordine Prædicatorum acerrimus fuit hæreseos impugnator. Primum caput continet Vvaldensium blasphemias in Ecclesiam Romanam: *Asserunt* (inquit) *quod Romana Ecclesia non sit Ecclesia Jesu Christi, sed Ecclesia malignantium; eamque sub Silvestro defecisse, cum venenum possessionum temporalium in Ecclesiam infusum est. Sectam suam esse Ecclesiam Christi, quia doctrinam Christi, Evangelii, & Apostolorum, verbis & exemplis observabant.* Alterum caput continet eorum de Sacramentis errores. Contendunt aliqui, eos admisisse duo tantùm Sacramenta, Baptismum & Eucharistiam; sed id falsum est, nempe in Commentarii nostri historici de Sacramentis tom. 1. ostendimus, admissum ab eis fuisse septenarium Sacramentorum numerum; errasse tamen, quòd crederent irrita esse, quæ conficerentur a Ministris in peccato mortali jacentibus; reprobarunt quoque ritus, quibus Confirmatio, & Extrema Unctio in Ecclesia Romana administrantur. Ibidem ostensum fuit, Vvaldenses credidisse panem in Eucharistia transsubstantiari in verum Christi corpus, saltem antequam elapso proximè sæculo cum Genevensibus, agente Farello, communionem iniissent. Tertium caput continet errores circa Sanctorum invocationem, quam negabant; circa cultum imaginum, quem abjiciebant; circa sacros ritus, Altarium consecrationem, Sacerdotalium indumentorum, aquæ Ecclesiæ precibus consecratæ usum deridebant; exorcismos, & omnem in energumenos Ecclesiæ curam improbabant. Multa alia non minùs impia docebant, de quibus consuli possunt Reinerius, Ermengardus, Phildorossius, & Claudius Seysellus Archiepiscopus Taurinensis.

§. II.

De Canonibus Concilii Lateranensis III.

In omnibus Concilii, de quo agitur, editionibus leguntur viginti septem Canones, quibus labefactatæ Ecclesiasticæ disciplinæ integritati consulitur.

Prior Canon, decernit, Summi Pontificis electionem non fore deinceps Canonicam, nisi duæ partes Cardinalium ad eam conspirent. *Not* 1. Canonis occasio fuit Octaviani factum, qui (ut jam observavimus) a tribus tantùm Cardinalibus electus, Pontificis insignia sub Victoris IV. nomine sumpserat. *Not.* 2. Id ne ad aliorum, quam summorum Pontificum, electionē extendatur, vetat altera Canonis pars: *Ex hoc tamen nullum Canonicis constitutionibus præjudicium generetur, in quibus majoris & sanioris partis debet sententia prævalere.*

Secundus Canon, irritas, *quoad usum*, declarat ordinationes, quæ ab Antipapis celebratæ fuerant. Definit, nullas esse impetratas ab eis beneficiorum provisiones. Multat ab ordinibus & dignitatibus suspentionæ

eos,

cos, qui de tenendo schismate juramentum spontè præstiterant. *Not.* 1. Addit adverbium, *spontè*, ne eos includere videatur, qui Friderici Imperatoris minis ad illud juramentum coacti fuerant. *Not.*2. Qui de tenendo schismate non jurarant, nec fuerant ab Antipapis ordinati, permissi sunt obire suorum ordinum munera, licèt schismati adhæsissent.

Tertius Canon, vetat, ne quis ante trigesimum ætatis annum in Episcopum, & ante vigesimum quintum in Archidiaconum, Decanum, Parochum eligatur. Jubet, ut electi intra tempus per Canones definitum consecrentur. Declarat post consecrationem vacare omnia alia consecrati beneficia. *Not.* 1. Iis temporibus plerumque per summam corruptelam juvenibus credebantur Ecclesiasticæ dignitates, ut videre est apud Bernardum epist. 42. & Hildebertum Cenomanensem epist. 12. *Not.* 2. Non est necesse, ut expletus fuerit annus Canone præscriptus, sed satis est, ut inceptus sit.

Quartus Canon, prohibet, ne Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Decani sibi subditos in visitatione graventur. *Not.* 1. Par est, ut visitatores ab iis, quos visitant, petant necessarios sumptus, si beneficium, cujus sunt titulares, ad id satis non sit; secùs, si ad id sufficiat. *Not.*2. In Galliis Episcopi tallias inferioribus imponere non possunt; unde in iis locum non habet hæc Canonis pars: *Sustinemus autem, ut cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare*: Id nempe juris solis sæcularibus magistratibus convenit. *Not.* 3. Vetatur, ne Episcopi, *cum canibus venatoriis, & avibus proficiscantur*; nec immeritò, cum clamosa venatione Clerici semper interdicti fuerint. *Not.* 4. Permittit Archiepiscopo in visitatione quinquaginta equos; Cardinalibus viginti quinque; Episcopis viginti; inde tamen authoritas conciliari non potest mundano Prælatorum sumptui, nam Canon addit id permitti, non tanquam rem licitam, sed quam propter sæculi corruptelam non castiget: *Secundum* (inquit) *tolerantiam dictum est*.

Quinto Canone, edicitur, ne quis in Presbyterum, aut Diaconum, sine certo titulo ordinetur. Jubet, ut Episcopus ei, quem sine titulo ordinaverit, subministret ad victum necessaria, nisi ordinati hæreditariæ facultates ad id satis sint. *Not.* 1. Canon loquitur tantùm de ordinatione in Presbyterum & Diaconum; ac proinde non vetat, quin Subdiaconi sine certo titulo ordinentur; sed jam alia obtinet consuetudo. *Not.* 2. Episcopus, qui sine titulo Clericali Presbyterum, aut Diaconum ordinaverit, non absolvitur peccato, quod admisit infringendo Canones: sed præterea tenetur ad Clerici, quem ordinarit sine titulo, sustentationem. *Not.* 3. Licèt Canon non probet ordinationem sub titulo patrimonii, ei tamen dedit locum.

Sextus Canon, vetat, ne Prælati suspensionis, vel excommunicationis sententiam proferant in subjectos, nisi Canonica commonitione præmissa. Vetat iterùm, ne subjecti ad superiorem judicem appellent ante ingressum causæ. Vetat etiam Religiosis omnibus, ne contra regularem Prælati sui & Capituli disciplinam appellare præsumant. *Not.* 1. Commonitione canonica opus non est, ut suspensus, aut excommunicatus declaretur, qui incidit infractionem, cui ipso facto annexa erat pœna, aut suspensionis, aut excommunicationis; è contra monitione opus est, cum actus prohibetur tantùm sub pœna ferendæ sententiæ. *Not.*2. Ex Canone, peccant Clerici, qui ne corrigantur, a justa Judicis sententia ad Judicem superiorem appellant; neque enim appellatio instituta est ad defensionem iniquitatis, sed ad innocentiæ subsidium.

Septimo Canone, prohibetur, ne quid exigatur, aut pro personis Ecclesiasticis ponendis in sede, aut pro sepulturis, aut exequiis mortuorum, & benedictionibus nuptiarum. *Not.* 1. Schisma ab Octaviano conflatum, variis modis simoniam in Ecclesias invexerat. *Not.*2. Canon non vetat Notario, nec debitum sibi stipendium exigat pro instrumento, quo sidem facit, Clericum missum fuisse in beneficii possessionem. *Not.* 3. Ad Canonem quartum Concilii II. Lateranensis dictum est, quomodo excusari possit Parochorum praxis, qui sepulturæ jura exigunt à defuncti hæredibus.

Octavus Canon, vetat, ne beneficia ante possidentis mortem alicui promittantur. *Not.* Cum eo Canone, aliquarum Ecclesiarum Canonici concilient, si possint, suam praxim de assumendis sibi coadjutoribus cum certa spe futuræ successionis, etiamsi firma valetudine fruantur.

Nono Canone, sancitur, ne fratres Templi, & Hospitalis Ecclesias de laicorum manibus recipiant; ne ab Episcopis interdictos, aut excommunicatos in suas Ecclesias admittant; ne in Ecclesiis, quæ *pleno jure* ad eos non pertinent, Presbyteros Episcopo non præsentatos exhibeant; ne eorum domestici sub obtentu privilegiorum ordinis, eximant se ab Episcopi jurisdictione. *Not.* 1. Si Templarii Clericos in Ecclesiis, quæ pleno jure ad eos pertinent, instituerint, id ex se non habent, cum sint laici; sed ex Ecclesiæ concessione. *Not.* 2. Præsentatus à Templariis, si post examen idoneus ab Episcopo judicatus non fuerit, jure excidit suo.

Decimo Canone, prohibetur, ne quid exigatur, aut detur ad Monasterii ingressum; ne Monachi peculium habeant; ne sepeliantur cum fratribus, qui in extremis inventi fuerint cum peculio. *Not.* 1. Ad Concilium Nicænum II. jam observatum est, cum Ecclesiæ decretis vix conciliari posse Monasteriorum, alioquin divitum, praxim; dictum quoque fuit, quid in pauperibus Monasteriis exigi possit. *Not.*2. Canon non vetat, quin in Monasterium admittendus quippiam det in eleemosynam, modò exacta non fuerit ejusmodi eleemosyna: *Si quis autem exactus* (inquit Canon) *pro sua receptione aliquid dederit*, &c. *Not* 4 Peculium indulgeri non debet à superioribus, nisi ad bonorum Monasterii administrationem: *Nisi ei ab Abbate pro injuncta fuerit administratione permissum*; verba sunt hujus Canonis. *Not.* 4. Peculium censetur, quod ex superiorum permissu apud œconomum deponitur ea lege, ut Monachus ipsum pro libito in proprium usum convertere valeat; aut cum ita fert Monasterii consuetudo, ut nunquam impendatur, nisi dependenter a dispensantis arbitrio.

Duodecimus Canon, vetat, ne Clerici in majoribus ordinibus constituti, ad sæcularia tribunalia causas agant, nisi proprias, vel Ecclesiæ, vel miserabilium personarum; ne villarum procurationes, aut jurisdictiones sæculares assumant. *Not.* 1. Tunc Clericis non licebat, nec modò licet, magistratus sæculares gerere. *Not.* 2. Quamvis Canon non sit in usu ratione pœnæ, quæ Clerico villarum procurationes suscipienti imponitur; viget tamen quoad scopum, quem sibi Concilium proposuit; nempè ne Clericus, nisi aliundè id exigat charitas, sese negotiis sæcularibus implicet.

Decimo tertio, & decimo quarto Canone, prohibetur beneficiorum pluralitas. *Not.* 1. Canon XIII. loquitur de dignitatibus & Parochialibus Ecclesiis; at XIV. loquitur de quibuslibet præbendis. *Not.*2. Tunc omnia ac singula beneficia obligabant ad personalem residentiam.

Decimus quintus Canon, præcipit, ut Clericorum bona, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penès Ecclesias remaneant. *Not.*1. Demonstrat Canon, Clericos non habere dominium in Ecclesiasticos reditus. *Not* 2. Ad restitutionem igitur in foro interiori cogendi sunt Clericorum hæredes. *Not.* 3. Canon non intelligitur tantùm de immobilibus, sed etiam de mobilibus: *Præsentibus innotescat, quòd Clerici de mobilibus, quæ per Ecclesiam sunt adepti, jure testari non possunt*; verba

verba sunt Alexandri Papæ III. can. *Ad hæc*.

Quæ Canonibus 20. 21. 23. 25. de tornamentis, treugis, & pace servanda, publicis usurariis, sanciuntur, explicuimus agentes de Concilio Lateranensi III.

Canon vigesimus septimus, damnat Vvaldenses, & Albigenses, aliosque hæreticos, qui in partibus Tolosanis grassabantur; tum adversus illos sacram edicit expeditionem. *Not.* 1. Vvaldenses pro locis, ubi grassabantur, varia sortiti sunt nomina; hincque patet, cur Bohemi, Bulgari, Albigenses nonnunquam appellati sint. *Not.* 2. Canon in hæreticos expeditionem sacram decernit, tum jure defensionis, nimirùm omnia populabantur; tum etiam ad eorum correctionem: *Catholicorum Principum constitutionibus* (Ecclesiastica disciplina) *adjuvatur, ut sæpè quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt evenire supplicium*. *Not.* 3. Clare docet Canon, quid intelligi debeat nomine remissionis peccatorum, quæ adversùs hæreticos pugnaturis indulgetur: *Bienaium de pœnitentia injuncta relaxamus*. Docet quoque eos, qui indulgentias largiuntur, debere attendere ad eorum laborem, quibus conceduntur: *Secundum modum laboris, major eis indulgentia tribuatur*.

ARTICULUS XII.

De Concilio Lateranensi IV.

Concilium Lateranense IV. quod quidem est œcumenicum duodecimum, habitum est anno 1215. Coactum est Innocentii Papæ III. Litteris, quæ ejusdem Concilii actis præfixæ sunt. Ei quoque præfuit laudatus Pontifex: *Anno ab Incarnatione Verbi 1215. celebrata est sancta universalis synodus Romæ in Ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Novembri, præsidente Domino Innocentio Papa III. Pontificatus ejus anno 18. in qua fuerunt Episcopi 412. inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus*. Verba sunt Vespergensis, qui eo tempore floruit.

§. I.

De causa, & actis Concilii Lateranensis IV.

CONCLUSIO 1. Concilium Lateranense IV. triplici de causa coactum est.

Probatur enumeratione. *Primò*, coactum est, ut eligerentur media, quibus urbs Hierosolymitana liberaretur è Saracenorum manibus. *Secundò*, ut damnarentur variæ, quæ tunc exortæ fuerant, hæreses. *Tertiò*, ut universæ Ecclesiæ reformationi consuleretur: *Vi* (verba sunt Innocentii Papæ III. in litteris hujusce synodi convocatoriis) *generale concilium convocemus, in quo ad corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas hæreses, ad inducendos Principes & populos christianos ad succursum & subsidium Terræ sanctæ, tam à Clericis, quam à laicis impendendum*.

CONCLUSIO 2. In Concilio Lateranensi IV. explicata est: 1. Catholica fides: 2. damnatus liber Abbatis Joachim in Petrum Lombardum de unitate Sanctissimæ Trinitatis: 3. damnatum quoque fuit perversum Almarici dogma: 4. multa de coercendis, ac puniendis hæreticis decreta sunt: 5. amplissimæ indulgentiæ concessæ sunt ad sacrum contra Saracenos bellum euntibus: 6. varia edita sunt capitula ad disciplinæ restitutionem spectantia.

Probantur eæ omnes conclusionis partes ex hujusce Concilii capitulis, quæ subsequente paragrapho exponentur; iis nimirùm in capitulis continentur, quæ in conclusione proposita sunt.

§. II.

De Canonibus, seu capitulis Concilii Lateranensis IV.

Prius capitulum, continet fidem de Sanctissima Trinitate, de rerum omnium creatione, de Verbi incarnatione, de reali præsentia corporis Christi in Eucharistia. *Not.* 1. Ea fidei expositio necessaria fuit propter Albigenses, aliosque sectarios, qui damnatos iis de articulis errores innovarant. *Not.* 2. Ex his verbis: *Qui simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, Angelicam videlicet, & humanam*, nonnulli colligunt, de fide esse; Angelos simul cum mundo corporeo conditos fuisse; id tamen alii negant, contendentes, concilium voluisse tantùm damnare errorem Origenis asserentis, Angelos, & animas rationales *per se* tantùm productas fuisse, corpora verò *per accidens*; hoc est, propter demerita spiritualium substantiarum; nempe Origenes censuit, creata fuisse corpora, ut substantiæ spirituales in peccati vindictam in iis, tanquam carceribus, recluderentur; ita Canonem interpretatur S. Thomas opusculo 23. *Not.* 3. Verbum *Transubstantiatio*, quo inter synodos prima usa est hæc Lateranensis, perfectè explicat Eucharistiæ mysterium.

Secundum capitulum, damnat libellum Abbatis Joachim, quod in eo assereret, Petrum Lombardum esse hæreticum, eo quòd docuisset, esse quandam summam rem, quæ nec generaret, nec esset genita, nec procedens. Reprobat quoque tanquam insanam, & hæreticam Almarici doctrinam. *Not.* 1. Joachimi persona non fuit damnata; nec mirum; nam damnari possunt authorum libri, licèt authores non damnentur, præsertim si (ut Joachimus) scripta sua Ecclesiæ correctioni subjecerint. *Not.* 2. Hæc canonis verba: *Si quis igitur sententiam, sive doctrinam præfati Joachim defendere, vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus confutetur*; intelliguntur de doctrina, quam concilium Joachimo tribuit, non autem de alia, quam seu per errorem, seu aliter (quòd hic non expendimus) nonnulli scriptores ei tribuunt. *Not.* 3. De Almarico hæc habet Genebraedus libro quarto Chronologiæ: *Almaricus, Carnotensis, vir eruditus, sed hæreticus, convictus est viginti errorum, quorum unus erat: Corpus Christi non magis esse in Sacramento Eucharistiæ, quam in qualibet alia re*. Idem testatur Sanderus lib. 7. de visibili Monarchia, ubi hæc addit: *Negabat, aut generationem filiorum, aut distinctionem sexuum in Paradiso futuram, nisi Adam peccasset . . . Thurificationem, qua in Ecclesiis utuntur, idololatriam vocabat. Negabat resurrectionem corporum, Paradisum, & infernum, & idearum in mente divina æternitatem. Dicebat, quemlibet fidelem teneri, ut credat se esse membrum Christi, & hoc esse de articulo fidei*.

Capitulo tertio, damnantur omnes hæretici: Damnati sæculari potestati traduntur puniendi. Dominorum temporalium, qui eos toleraverint, vassallos decernit absolvendos a fidelitatis sacramento, eorumque terras Catholicis occupandas exponit. *Not.* 1. Hæreticos, qui contumaces fuerint, meritò potestati sæculari tradi puniendos, libro 1. contra duas Epistolas Gaudentii, Epist. 66. lib. 1. contra Epistolam Parmeniani, cap. 7. Epist. 48. docet Augustinus. *Not.* 2. Domini temporales, quorum vassalli per canonem a fidelitatis sacramento eximuntur, non sunt Reges, aliique supremi Principes; nam canon hoc addit, quod supremis Principibus non convenit: *Salvo jure domini principalis*. Nec obstant hæc, quæ adduntur verba: *Eadem nihilominus lege servata circa eos, qui non habent dominos principales*; iis enim intelligi possunt, qui ab Ecclesia sola beneficiario jure suas ditio-

ditiones obtinent. Eo fenfu loquitur Tridentina fynodus fefl. 25. cap. 19 *Not.* 3. Ea canonis pars lata eft adversùs Raymundum Tolofanum comitem, Raymundum Rogertum comitem Fuxenfem, Bernardum comitem Convenarum, & Gaftonem Vicecomitem Bearnenfem, qui ad Albigenfium hæreticorum defenfionem confœderati erant; ii verò non fupremi Principes, fed feudatarii erant. *Not.* 4. Poteftas expoliandi inferiores dominos, qui faveant hæreticis, concilio delata eft ex confenfu fupremorum Principum, quorum Oratores aderant concilio Lateranenfi IV.

Capitulo quarto, damnantur Græci, qui non priùs facrificare volebant in altaribus, in quibus Latini facrificaffent, quam ea lavilfent; quique baptizatus à Latinis iterum baptizabant. *Not.* 1. In illud Græcorum odium Latini venerant propter fchifma ab eifdem Græcis undecimo fæculo per Michaelem Cærularium conflatum. *Not.* 2. Fides eadem effe poteft etiam inter eos, in quibus diverfi funt ritus: *Licèt Græcos* (ait Canon) *honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantùm cum Domino poffumus, fuftinendo.*

Capitulo decimo quarto, in Clericos incontinentes decernuntur pœnæ, & quidem graviores in eos, qui labuntur, etiamfi fecundum regionis fuæ morem, non abdicarint copulam conjugalem. *Not.* Loquitur de Græcis, qui non nubunt quidem poft fufceptos facrus ordines, fed utuntur uxoribus ante fuam ordinationem ductis.

Capitulum vigefimum primum, quod incipit: *Omnis utriufque fexus fidelis*, jubet 1, ut quifque fidelis, poftquam ad annos difcretionis pervenerit, omnia fua folus peccata confiteatur, faltem femel in anno, proprio facerdoti, & injunctam fibi pœnitentiam ftudeat pro viribus adimplere: 2. ad minùs in Pafchate Euchariftiæ Sacramentum reverenter fufcipiat: 3. fub depofitionis pœna prohibet facerdoti ne figno, vel verbo quovis alio modo prodat peccata, que quis ei confeffus fuerit. *Not.* 1. Nomine *proprii facerdotis*, Canon non intelligit quemvis Presbyterum, licèt debitè ac indefinitè approbatum; nempè declarat, neminem alieno poffe confiteri, nifi a proprio facultatem obtinuerit; at ea facultas indulgeri non poteft ab iis, quibus ea officio non incumbit animæ cura, licèt indefinitè approbati fuerint ab Ordinario. Præterea Canone 32. Concilium Lateranenfe proprium facerdotem vocat Vicarium perpetuum; at id non convenit iis, qui ex officio Sacramenta non difpenfant. *Not.* 2. Canon parochum intelligit, ita tamen, ut nec fummus Pontifex, nec Epifcopus excludantur: fcilicet datur medium inter proprium facerdotem, & alienum, communis nimirùm, ut funt Papa in tota Ecclefia, & Epifcopus in tota fua diœcefi. *Not.* 3. Tempus annuæ confeffionis non determinatur in fpecie: fit igitur fatis Canoni, quocumque anni tempore confeffio fiat. *Not.* 4. Præfcriptam in Pafchate communionem confeffarius poteft propter caufam in aliud tempus differre: *Nifi fortè de confilio proprii facerdotis ob aliquam rationabilem caufam, ad tempus ab ejus perceptione duxerit abftinendum.* *Not.* 5. Canon eos damnat, qui contendunt, pœnitentem pro libito poffe rejicere, aut acceptare injunctam fibi a facerdote fatisfactionem: *Et injunctam* (inquit) *fibi pœnitentiam ftudeat pro viribus adimplere.* Ii pariter profcribuntur, qui contendunt, poffe fidelem fe eximere fatisfactione in hac vita, ac eligere pœnam temporalem in altera perferendam. *Not.* 6. Non illicita eft modò, fed etiam irrita confeffio annua, quam quis alieno facerdoti fine proprii licentia fecerit: *Cùm aliter ille ipfe non poffit folvere, vel ligare.* Prolixiorem ejufdem Canonis expofitionem legere eft tomo 2. noftri Commentarii hiftorici de Sacramentis, a pagina 619. ad 627.

Alia funt in Concilio Lateranenfi IV. capitula, quæ pertinent ad fimoniam, quæ tum in difpenfandis Sacramentis, tum in conferendis beneficiis, tum in Monialibus ad Monafterium admittendis, committi folet. Nonnulla etiam funt, quæ ad judiciorum Ecclefiafticorum formam fpectant: Cum verò ea omnia capitula in decretales Gregorii IX. relata fint, eorum hic explicationem non tradimus. Unum tantùm monitum velim Lectorem; nempè in Jure Canonico intelligi Concilium Lateranenfe IV. quoties fine addito Concilium generale laudatur.

ARTICULUS XIII.

De Concilio Lugdunenfi I.

CONCILIUM Lugdunenfe I. quod eft generale decimum tertium, celebratum eft anno Chrifti 1245. Romæ fedente Innocentio Papa IV. in Germania imperante Friderico II. regnante in Galliis fanctiffimo Rege Ludovico IX. Illi adfuerunt duo Orientales Patriarchæ, Conftantinopolitanus & Antiochenus, quadraginta fupra centum Epifcopi, Balduinus Imperator Conftantinopolitanus, Oratores Regum Franciæ, Angliæ, Aragoniæ, pluriumque aliorum Principum.

§. I.

De caufa, actis, & Canonibus Concilii Lugdunenfis I.

CONCLUSIO 1. Quintuplex fuit caufa cogendi Concilium Lugdunenfe I.

Probatur. Quinque Concilii celebrandi caufas recitavit Innocentius Papa IV. in oratione, quam in ipfo Concilio habuit; nimirùm 1. excefsus Prælatorum, ac aliorum Clericorum, qui mores non exigebant ad Canonum regulas: 2. fubfidium Orientalibus Chriftianis ferendum adversùs Saracenos, qui capta Hierofolymorum urbe, præfentem ruinam tot fidelii populo minabantur: 3. media, quibus comprimerentur Tartarorum impetus, qui Poloniam, Hungariam, finitimafque regiones populabantur: 4. Græcorum fchifma, quod in dies augebatur: 5. tandem Friderici II. in Ecclefiam Romanam perfecutionem. Eas caufas legere eft pariter in litteris, quibus laudatus Pontifex Epifcopos evocavit ad Concilium.

CONCL. 2. Tribus actionibus abfolutum eft Concilium Lugdunenfe I.

Probatur ex eo, quòd nec plures, nec pauciores reperiantur in hujufce Concilii editionibus.

In priore, quæ habita eft quarto Kalendas Julii, Innocentius conqueftus eft de Prælatorum exceffibus; infelicem Chriftianorum tum in Oriente, tum in Septentrione, ftatum expofuit; multa dixit de Friderici in Ecclefiam tyrannide.

Actione fecunda, Epifcopus Calamenfis Friderici facrilegia, cæteraque fcelera, vim, ac tyrannidem, Patrum oculis fubjecit; ea quidem diluere conatus eft Thadæus Friderici Procurator; id tamen non impediit, quin Epifcopi, Hifpani præfertim, contenderint, animadvertendum effe adversùs eundem Fridericum fecundùm formam juris.

Actione tertia, lata eft in Fridericum excommunicationis & depofitionis fententia. Ubi Innocentius retulit, quæ in Ecclefiam Romanam tentaverat, defcripfitque varia ejus fcelera, hifce verbis tulit, tum excommunicationis, tum depofitionis decretum: *Nos itaque fuper præmiffis & compluribus aliis ejus nefandis exceffibus, cum fratribus noftris & facro Concilio deliberatione præhabita diligenti ..... memoratum Principem, qui fe Imperio & Regnis, omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter fuas iniquitates à Deo, ne regnet,*

regnet, vel imperet, est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum à Domino ostendimus, denuntiamus, ac nihilominus sententiando privamus. Omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò absolventes, auctoritate Apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tanquam Imperatori, vel Regi pareat, vel intendat; & decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut Imperatori, aut Regi consilium, vel auxilium præstiterint, seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Hactenùs Innocentius. *Not.* 1. Asserunt aliqui, Innocentium censuisse, Imperium Germanicum haberi jure beneficiario sedis Apostolicæ, quòd Romanus Pontifex electos Imperatores confirmare soleret. *Not.* 2. Scribunt alii, Fridericum spontè se primùm subjecisse Innocentii judicio; unde (inquiunt) Oratorem misit, qui suo nomine crimina ipsi objecta dilueret. *Not.* 3. Fridericus tamen Innocentii decreto postea non paruit, adversùs illud plures querelas egit, quas legere est in epistolis ad Francorum & Anglorum Reges datis. *Not.* 4. Exauctorationis decretum sic Innocentius inscripsit: *Sacro præsente Concilio ad memoriam sempiternam*; alia verò decreta aliis terminis exprimuntur; nempè Canone XIII. de Usuris, sic loquitur: *Præsentis Concilii approbatione sancimus.* Canone XIV. de subsidio Constantinopolitanis ferendo, hæc habet: *Ex communi Concilii approbatione statuimus.* Canone XVI. de impediendis Tartarorum incursibus, sic quoque loquitur: *Sacro suadente Concilio universitatem vestram monemus.* Sic etiam Canone XVII. de subsidio Terræ Sanctæ: *Diffinientes sacro approbante Concilio.* *Not.* 5. Meritò Innocentius hæc habet in suo decreto: *Cum fratribus nostris & sacro Concilio deliberatione præhabita diligenti*; siquidem revera cum Concilio deliberarat, an Fridericus censuris Ecclesiasticis, ipsa etiam excommunicatione, plecti deberet in pœnam scelerum, ac sacrilegiorum, quorum reus ab ipso Concilio judicatus fuerat: Ea autem scelera, ea sacrilegia sigillatim in Innocentii adversùs Fridericum sententia recensentur; nempe declaratur reus violatæ pacis inter Ecclesiam, & Imperium initæ, sacrilegii in captione & violenta detentione Cardinalium, & aliorum Antistitum, qui ad Concilium a Gregorio IX. Romæ indictum proficiscebantur; Pontificiæ dignitatis famosis in Gregorium IX. epistolis læsæ; invasionis patrimonii S. Petri; contemptus censurarum, quibus a Gregorio IX fuerat innodatus; Ecclesiæ in sacris præsertim electionibus oppressæ; tyrannidis in Clericos, quos duella subire coegerat; Romanæ Ecclesiæ frustratæ censu debito propter Siciliam, quam ab Ecclesia Romana habebat jure beneficiario. *Not.* 6. Post latum illud ab Innocentio decretum, plures Germaniæ, Italiæ & aliorum regnorum Principes Fridericum pro Imperatore habuerunt; hincque factum est, ut populi in diversas factiones abierint, ex quibus innumeræ clades in Rempublicam Christianam redundarunt.

§. II.

De Canonibus, Convocatione, Præside Concilii Lugdunensis I.

Septemdecim editi sunt Canones in Concilio Lugdunensi I. Duodecim priores judiciorum Ecclesiasticorum formæ consulunt; unde in juris Canonici corpus postea relati sunt. In aliis agitur de ferendo subsidio Imperio Constantinopolitano, de impediendis Tartarorum excursionibus, de Cruciatis, hoc est, iis, qui accepta cruce profectionem in Palæstinam voverant. Definitur, ejusmodi Cruce signatos censuris Ecclesiasticis, ipsa etiam excommunicatione, cogi debere, ut votum suum in Terræ sanctæ subsidium fideliter exequantur.

Certo certius est, ab Innocentio Papa IV. convocatum fuisse Lugdunense I. Concilium; convocationis litteras, quæ incipiunt, *Dei virtus*, Concilii actis præfixas legere est.

Constat quoque, laudatum Pontificem eidem Concilio per seipsum præfuisse. Ipse nimirùm orationem habuit ad Patres ad Concilium congregatos; ipse in Fridericum viva voce primùm, & deindè scripto tulit sententiam; ipsi tribuuntur pleræque ejusdem Concilii sanctiones; ipsius enim sunt hæ formulæ, quæ in plerisque Canonibus leguntur: *Præsentis Concilii approbatione sancimus.*

ARTICULUS XIV.

De Concilio Lugdunensi II.

Concilium Lugdunense II. quod est generale XIV. celebratum est Christi anno 1274.

§. I.

De causa, convocatione, præside Concilii Lugdunensis II.

CONCLUSIO 1. Concilium Lugdunense II. coactum est a Gregorio X. quadruplici de causa: 1. ad auxilium ad Christianos in Syria degentes mittendum: 2. ut Greci ad Catholicam communionem traducerentur: 3. ut Christianorum mores ad puriorem Ecclesiæ disciplinam reformarentur: 4. ut præscriberetur modus aliquis ad celerem Romani Pontificis electionem faciendam; multa enim acciderant mala ex Romanæ Ecclesiæ vacatione, quæ ante Gregorium biennio perduraverat.

Probatur ex litteris, quibus Gregorius omnes orbis Episcopos vocavit ad Concilium: *Non solùm scissuras* (inquit) *multiplicatas apertè videmus, sed & ruinæ magnæ periculum in subtractione populi Græcorum, qui à sedis Apostolicæ devotione ac obedientia se subtraxit; in occupatione maxima, & vastatione valida Terræ sanctæ, in subversione morum, quæ universaliter in Clero graviter obrepsisse videtur, & populo, jam non tam cernimus, quàm palpamus.*

CONCLUSIO 2. Gregorius X. per seipsum præfuit Concilio Lugdunensi II. Ipsi ingens adfuit Episcoporum & Doctorum hominum numerus, nec non & præcipuorum orbis Principum Oratores.

Probatur 1. Gregorius adfuit Concilio, de quo agitur, proindèque ipsi præfuit. Præter Patriarchas Constantinopolitanum & Antiochenum, adfuere quingenti Episcopi; adfuerunt pariter Jacobus Aragoniæ rex; Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris, regum Franciæ, Germaniæ, Angliæ, Siciliæ, Tartariæ Oratores. Vocatus fuerat & S. Thomas Aquinas, qui obiit in itinere; nec non S. Bonaventura, quem Gregorius Lugduni Cardinalem Episcopum Albanensem creavit. Patent ea omnia ex Photolomæo Lucensi auctore coævo, Hist. Ecclesiasticæ lib. 23. cap. 3.

§. II.

De actis, & Canonibus Concilii Lugdunensis II.

Concilium Lugdunense II. infrà tres menses sex sessionibus absolutum est. In prima sessione, Gregorius Papa X. tres, quæ superiùs relatæ sunt, cogendæ Synodi causas recitavit. Peracta secunda sessione, Pontifex, Cardinales, & Episcopi polliciti sunt, se daturos decimas omnium proventuum Ecclesiasticorum pro belli Hierosolymitani subsidio. Post tertiam sessionem ad Concilium advenerunt legati Imperatoris Græcorum.

In

In solemni Missa, quam Pontifex celebravit, ter Græcè decantatum est symbolum cum additione: *Filioque*. In quarta, lectis Imperatoris & Græcorum Episcoporum litteris, in quibus Catholicam fidem profitebantur, & primatum Romanæ Ecclesiæ divinitùs concessum agnoscebant, eorum legati Summo Pontifici obedientiam exhibuerunt. In quinta sessione, unus ex nunciis Tartarorum cum duobus sociis solemniter baptizatus est; lectæ sunt etiam Gregorii X. constitutiones, tum ad fidem, tum ad disciplinam spectantes. In sexta, lectæ sunt etiam duæ aliæ constitutiones, quæ incipiunt: *Religionum diversitatem*, *Cum sacrosancta*.

Inter Canones à Gregorio X. editos, *sacro approbante Concilio*, tres sunt magni momenti: Priore definitur, Spiritum sanctum a Patre, Filioque procedere, tanquam ex duobus principiis. *Not.* Ad multiplicitatem principii non sufficit multiplicitas personæ, sed præterea requiritur multiplicitas naturæ, quæ (ut docet fides) in divinis non reperitur.

Altero Canone, qui inscribitur: *De electione & electi potestate*, præscribitur modus, quo Cardinales sese in conclavi gerere debent, ut Summi Pontificis electionem accelerent. *Not.* 1. Ea constitutio relata est in Sextum a Bonifacio VIII. titulo de electione & electi potestate. *Not.* 2. Revocata fuerat per Hadrianum V. & Joannem XXI. sed eam renovarunt, tum Cœlestinus V. tum Bonifacius VIII.

Canone XII. Excommunicatione ipso facto incurrenda damnantur, qui contra jus *regalia* de novo usurpare conantur, & qui hæc fieri procurant: *Generali constitutione sancimus, universos & singulos, qui regalia custodiam, sive guardiam advocationis, vel defensionis titulum, in Ecclesiis, Monasteriis, sive quibuslibet aliis piis locis, de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, Monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantacumque dignitatis honore præfulgeant, Clericos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & personas cæteras locorum eorumdem, qui hæc fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere.* Clericos, qui regalia de novo usurpantibus sese non opposuerint, idem canon frustrat proventibus earum Ecclesiarum, aut locorum, in quibus regalia de novo usurpantur: *illos verò clericos, qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum, seu locorum ipsorum pro tempore, quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtius prohibemus.* Addit canon, eos, *qui ab ipsa Ecclesiarum, cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine, jura sibi hujusmodi vindicant, ab illorum abusu sic prudenter abstineant, & suos ministros in eis sollicitè faciant abstinere, quòd ea, quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore, non usurpent, nec bona cætera, quorum se asserant habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.* In eum canonem. *Not.* 1. Evidenter patet, regalia, quæ contra jus usurpata non fuerint, minimè damnari. *Not.* 2. In Galliis regalia hoc ritu clauduntur: Novus Episcopus fidelitatis juramentum regi præstat, regiæ litteræ præstiti ab Episcopo sacramenti, testes in cameræ Computorum Regesto conscribuntur, ab ipsaque camera impetratur mandatum, quo jubetur, manum Regiam temporalibus bonis injectam auferri.

ARTICULUS XV.

De Concilio Viennensi.

Concilium Viennense, quod est Generale decimum quintum, indictum anno 1307. apertum est quadriennio post Kalendis Octobris anni 1311.

Quadruplici de causa a Clemente Papa V. convocatum est: 1. ob causam Templariorum, quorum Ordo publica gravissimorum criminum infamia laborabat: 2. ob fidei causam; Fratricelli nimirum, Dulcinistæ, Beguardi & Beguinæ, quibus omnibus præiverat frater Joannes Petrus Olivi ex Ordine Minorum, varios errores sparserant: 3. ob subsidium terræ sanctæ: 4. denique ad restituendam in integrum Ecclesiæ disciplinam. Patent ea omnia tum ex constitutionibus, quæ *Clementina* vulgo dicuntur; tum etiam ex convocationis diplomate, quod incipit: *Regnans in cœlis*.

Concilio præfuit summus Pontifex Clemens V. Scilicet ipse orationem ad Patres habuit; acta ipsum ubique loquentem inducunt; ipsius nomine inscriptæ sunt constitutiones omnes, quæ in concilio editæ dicuntur. Præter Cardinales, & Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum latini ritus, ipsi adfuerunt (teste Guilielmi Nangii continuatore) centum quatuordecim Episcopi; trecenti verò secundùm Joannem Villanum: plurium Principum oratores, Philippus vulgò dictus Pulcher, Francorum rex, qui (ut narrat Nangii continuator) *sedit à dextris summi Pontificis, præ cæteris omnibus; in sede tamen aliquantulum inferiore.*

Tribus sessionibus absolutum est Viennense concilium. In priore, quæ habita est in Basilica S. Mauritii, quæ est Metropolitana, Clemens convocationis causas recensuit; postea variæ de Templariorum causa; de subsidio terræ sanctæ; de clericorum reformatione deliberationes habitæ sunt. In altera, quæ coram Philippo Francorum rege habita est tertia die Aprilis, debite discussis, qui in Templariorum causa conscripti fuerant, processibus, *sacro approbante Concilio*, promulgata est sententia, qua planè extinctus est Templariorum ordo, eorumque bona S. Joannis Hierosolymitani equitibus attributa fuere. Tertia sessio habita est pridie Nonas Maii. Videtur, quòd in ea promulgata fuerit Clementina prima *de Summa Trinitate, & de fide Catholica*, ubi damnantur tres Petri Joannis Olivi errores. Priore asserebat, Christi adhuc viventis latus lancea perforatum fuisse: altero negabat, animam rationalem esse formam corporis; tertio, fidem & virtutes in baptismate non infundi. Promulgata est etiam Clementina *Ad nostrum*, & legitur inter Clementinas, titulo *de Hæreticis*. Ea Beguardorum, & Beguinarum errores damnati sunt. Volunt & aliqui cum S. Antonino, promulgatas pariter fuisse Clementinas, *Ne in agro. De statu Monachorum. Dudum. De Sepulturis. Religiosi. De privilegiis, & excessibus privilegiatorum.*

In relata concilii Viennensis acta subsequentes notas subjicimus. *Not.* 1. Damnati sunt Templarii post duorum millium testium adversus eos depositionem; post factam tum in Francia, tum in Aragonia, tum in Anglia, tum in Italia per judices Ecclesiasticos & civiles diligentem inquisitionem; post præcipuorum ordinis professorum confessionem: ac proinde æquissima fuit lata in eum ordinem extinctionis sententia. *Not.* 2. Philippus Pulcher non promovit Templariorum extinctionem, ut eorum bonis potiretur; siquidem post extinctionis decretum, omnium bonorum, quæ ad Templarios pertinuerant, fruitionem S. Joannis Hierosolymitani equitibus per investituram concessit. *Not.* 3. Petrus Joannes Olivi, professione fuit Minorita, patria Aquitanus in diœcesi Biterrensi: cœco in Regulam S. Francisci zelo docuit, esse *propriè, ac verè eam, quam Christus ipse servavit, & Apostolis imposuit, & in Evangeliis suis conscribi fecit*. Plures alios similes errores scripsit in suo in Apocalypsim commentario. De iis consuli potest Eymericus in Directorio Inquisitorum. *Not.* 4 Fratricellorum sectæ initium dederunt Petrus de Macerata & Petrus de Forosempronio Ordinis Minorum apostatæ. Sub obtentu litteralis observationis regulæ S. Francisci, rebellarunt in legi-

legitimos Ordinis præpositos; rebellarunt quoque in Ecclesiam Romanam, quæ eorum correctionem tentaverat; contenderunt, Ecclesiam duplicem esse, carnalem unam, & divitem, cui præesset Romanus Pontifex, spiritualem alteram & pauperem, quam ipsi constituerent. De aliis eorum erroribus legi potest Joannis 22. constitutio adversùs eos apostatas edita ann. 1318. *Not.* 5. Unde Beguardi & Beguinæ nomen sortiti sint, incertum est; verùm constat, commune fuisse cum Fratricellis, qui ex Franciscanorum Ordine prodierant. Eorum errores recenset & damnat Clemens V. Cap. *Ad nostram de hæreticis*. Grassatam, in Germania præsertim, sectam illam docet eadem Clementis constitutio. *Not.* 6. Hæc Clementinæ, *Ad nostrum*, verba, *Doctrinam omnem asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis, aut intellectiva verè, ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, & veritati Catholicæ fidei inimicam, sacro approbante concilio, reprobamus*; non damnant philosophos, qui formam (ut ajunt) corporeitatis ab anima distinctam admittunt; hæc enim præcipuæ formæ, animæ nimirum rationali, subordinata est. Præterea eo sensu definitur, animam per se, & verè esse corporis humani formam, quòd corporis motus ex ea, tanquam causa procedant. *Not.* 7. Cum his ejusdem constitutionis verbis: *Opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in baptismo gratiam informantem, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbante concilio, duximus eligendam*; conciliantur oppositæ in schola sententiæ de distinctione gratiæ sanctificantis a charitate. Thomistæ, qui eam distinctionem admittunt, docent, fidem, spem, & charitatem, quæ in baptismate infunduntur, designari per hanc vocem: *Virtutes*; gratiam verò formaliter sanctificantem, per istas, *Gratiam informantem*. E contra Scotistæ ajunt, *charitatem*, hisce vocibus, *Gratiam informantem*, significari; hac verò altera, *Virtutes*, fidem & spem tantùm. Sed de his in tractatu de justificatione dicetur uberiùs. *Not.* 8. Definit quidem Clementina, de qua agitur, probabilius esse, quòd gratia informans, quæ per baptismum infunditur, sit habitus; sed in eo sensu intelligi debet, quòd permanens sit, ac inhærens per modum aliorum habituum; non autem, quòd sit habitus similis habitibus naturalibus acquisitis, qui subjectum, cui inhærent, ad actus similes inclinant.

ARTICULUS XVII.

De Concilio Constantiensi.

Concilium Constantiense, quod est generale decimum sextum, celebrari cœpit die 5. mensis Novembris anni 1415. habuit verò finem quatuor post annis; nempè die 21. Aprilis anni 1418.

§. I.

De convocatione, ac præside Concilii Constantiensis.

CONCLUSIO 1. Joannes Papa XXIII. coegit Concilium Constantiense.

Probatur ex Bulla convocationis, quam Concilii Constantiensis sessione 1. legere est, quæque incipit: *Joannes Episcopus servus servorum Dei ad futuram rei memoriam. Ad pacem, &c.*

CONCLUSIO 2. Non unus fuit Concilii Constantiensis præses.

Probatur. *Primò*, Joannes Papa per seipsum præfuit duabus primis sessionibus: id enim expressè testantur earumdem sessionum acta. *Secundò*, postquam idem Joannes ex Concilio discessisset, ipsi præfuerunt Cardinales; a sexta nimirùm sessione ad quadragesimam primam inclusivè præfuit Joannes Episcopus Ostiensis, Cardinalis Vivariensis. *Tertiò*, Martinus Papa V. per seipsum præfuit postremis Concilii sessionibus, scilicet 42. 43. 44. & 45. quæ Concilio finem imposuit: *Sanctissimo* (verba sunt, quæ cujusque ex postremis sessionibus initio leguntur) *Domino nostro Papa prædicto personaliter præsente, ibidem & præsidente.*

§. II.

De causa Concilii Constantiensis.

CONCL. Triplex fuit causa celebrandi Concilium Constantiense.

Probatur. Celebratum fuit *primò* ad extinctionem schismatis, quo jam diù laborabat Ecclesia: *Secundò*, ad universalis Ecclesiæ reformationem: *Tertiò*, ad stabiliendam fidem adversùs Vvicleffum, Joannem Hus, & Hieronymum de Praga. Posteriorem hanc causam probant acta sessionis 8. 15. 16. & 21. Duas verò priores ipsamet Constantiensis Synodus recenset sessione 4. & 5. ubi sic loquitur: *Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & unione, ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite, & in membris fienda, &c.*

Quæres 1. quodnam esset schisma, ad quod tollendum celebrari debuit Concilium Constantiense?

Resp. eo tempore, quo laudata Synodus habita est, dubium apud multos fuisse, quinam legitimus esset Pontifex, an Joannes XXIII. an Gregorius XII. an verò Benedictus XIII. unusquisque nimirum se pro vero Pontifice jactabat; cuique nonnulla regna, nonnullæque provinciæ parebant; cuique sui erant Cardinales.

Si quis verò roget, quid trium illorum Pontificum electioni causam dedisset, res paulò altiùs erit repetenda. *Primò*, Clemens Papa V. anno 1305. Sedem Apostolicam in Gallias transtulerat, ibique tum ipse, tum illius successores, septuaginta annorum spatio permansere. *Secundò*, Gregorius XI. licet natione Gallus, reliquit tamen Gallias, commigravitque Romam, ubi Sedem suam fixit. Illi autem mortuo Cardinales Urbanum VI. suffecere. Verùm cum illius severitatem ferre non possent, Fundos secesserunt, ubi contestati se per vim a Romanis illatam Pontificatum Urbano detulisse, ejus electionem irritam esse declararunt, communique consensu Romanum Pontificem designarunt Clementem VII. qui mox in Gallias recedens, Avenione Pontificatus sedem collocavit. Cum autem reges & provinciæ non intelligerent, uter verus esset Pontifex, alii hunc, alii illum, variis rationibus permoti sequebantur. *Tertiò*, in locum Urbani, qui annis ferè duodecim vixit, Bonifacius IX. successit, & in locum Clementis Benedictus XIII. Bonifacio successit Innocentius VII. & Innocentio Gregorius XII. *Quartò*, Cardinales utriusque Pontificis schismate pertæsi, cum eos adducere non potuissent, ut in unum locum convenirent, quo de mediis tollendo schismati aptioribus deliberarent, Pisas advolarunt, ubi congregato ex pluribus Episcopis Concilio, Gregorium, & Benedictum in jus vocarunt, & utroque ex Pontificatu dejecto, Pontificem renuntiarunt Alexandrum V. Verùm cum nec Gregorius, nec Benedictus Synodo parerent, tres nomine Summi Pontifices visi sunt in Ecclesia. Alexandro paulò post mortuo suffectus est Joannes XXIII. qui ut schisma tolleret, agentibus Sigismundo Romanorum Imperatore, cæterisque piis Principibus, Concilium, de quo hic agitur, Constantiæ coegit.

Quæ-

Quæres 2. quis effet Vvicleffus? quis Joannes Hus? quis Hieronymus de Praga?

Resp. ad 1. Joannem Vvicleffum, natione fuiffe Anglum, profeffione Presbyterum, & cujusdam Parochialis Ecclefiæ Lincolnienfis diœcefis rectorem. Is per decretum Summi Pontificis dejectus ex Collegii Cantuarienfis Oxonii præfectura, ac Epifcopatus Vvigornienfis repulfam paffus, in Ecclefiam virus evomuit; multos nimirum errores, tum in Deum, tum in Chriftum, tum in facramenta, tum in Ecclefiam, tum in plura alia religionis capita, tam viva voce, quàm editis libris apud Anglos diffeminavit: eofque quamvis in variis Angliæ Synodis damnatos ad extremam ufque vitæ periodum defendit.

Resp. ad 2. Joannem Hus, natione fuiffe Bohemum, profeffione Presbyterum, & in Academia Pragenfi profefforem. Is Vvicleffi libros, licèt ab academia damnatos, ac eorum authorem jam mortuum, miris laudibus extollebat; ejectis Vvenceslai regis opera Catholicis doctoribus, palam eosdem errores diffeminavit in fuis concionibus, libris confignavit, addiditque plures alios, quos apud Patres in Synodo generali fe defenfurum effe jactabat.

Resp. ad 3. Hieronymum de Praga fuiffe Magiftrum Artium in Bohemia, ac virum laïcum; plures ex erroribus a Joanne Hus diffeminatis publicè vir eloquens populum edocuit, atque ob id tum ab Archiepifcopo Pragenfi, tum ab Academia in jus vocatus eft.

Quæres 3. quæ vitia iis temporibus in Ecclefiæ mores irrepfiffent?

Resp. irrepfiffe præfertim fimoniæ labem; exemptione contra jus datas a Pontificibus in fuis obedientiis; unde eas Martinus Papa V. approbante Concilio abrogavit, ut videre eft in poftremis ipfius Concilii feffionibus, quibus laudatus Pontifex præfuit.

§. III.

De aliis Concilii Conftantienfis.

CONCLUSIO. Acta Concilii Conftantienfis ad varia capita reduci poffunt.

Probatur enumeratione. *Primò*, lecta convocationis bulla Joannis XXIII. promifit, vovit, ac juravit fe ceffurum Papatui, ubi & quoties Concilium judicaret, id ad Ecclefiæ pacem fore neceffarium.

Secundò, abfente Papa, qui ne cogeretur promiffis ftare, furtivè Conftantia difcefferat, Concilium fe agnovit pro œcumenico, declaravitque fe poteftatem a Chrifto immediatè habere, cui quilibet, etiamfi Papalis dignitatis exiftat, obedire teneatur.

Tertiò, prolata eft depofitionis fententia contra Joannem XXIII. tanquam contumacem, fchifmatis fautorem, perjurii, fimoniæ, aliorumque gravium criminum reum; quam quidem fententiam Joannes fcripto ratam habuit, ac confirmavit.

Quartò, feffione XIV. defignatus à Gregorio procurator, ejus nomine fic locutus eft: *Iftud facrum Concilium generale convoco, & omnia per ipfum agenda authorizo & confirmo.* Exhibita eft deinde ab Imperatore Sigifmundo ejufdem Gregorii ceffio, quæ unanimi confenfu admiffa fuit à Synodo; confirmata quoque fuerunt omnia, quæ idem Gregorius in fua obedientia Canonicè peregerat.

Quintò, cum Petrus de Luna, Benedictus XIII. in fua obedientia nuncupatus, Papatui cedere noluiffet, inter Sigifmundum Imperatorem, & Concilii legatos ex una parte, & inter Principes, ac Prælatos de obedientia ejufdem Benedicti ex altera, duodecim capitula, quæ ad fchifma tollendum Narbonæ concordata fuerant, probata fuere a facra Synodo, omnefque ejufdem obedientiæ, tum Clerici, tum laici, ad unionem admiffi funt, ac tandem in eundem Benedictum prolata eft feffione 37. definitiva fententia, qua fpoliatus eft dignitate Papali, quam obtenderat; ac ab Ecclefia Catholica tanquam membrum aridum præcifus eft.

Sextò, in octava feffione, quadraginta quinque articuli Joannis Vvicleffi damnati funt refpectivè tanquam notoriè hæretici, erronei, fcandalofi, blafphemi, piarum aurium offenfivi, temerarii, & feditiofi. Editi ab eodem Vvicleffo libri, ac tractatus, igne damnati funt; confirmata etiam fuit cenfura, quam Doctores Oxonienfes tulerant in 260. ejufdem authoris articulos, in relatos 45. (faltem quoad fubftantiam, incidentes.

Septimò, feffione 15. damnati funt triginta articuli Joannis Hus; quos cum abjurare noluiffet, juffu facræ Synodi degradatus eft, ac traditus fæculari poteftati. Probata fuit communio fub una tantùm fpecie, ac præcepta non celebrantibus. Damnata quoque fuis tanquam hæretica, hæc propofitio: *Quilibet tyrannus poteft & debet licite, & meritoriè occidi per quemcumque vaffallum fuum, vel fubditum, etiam per clanculares infidias, & fubtiles blanditias, vel adulationes, non obftante quocumque præftito juramento, feu confœderatione factis cum eo, non expectata fententia, vel mandato Judicis cujufcumque*, Cujus autem authoris effet ea propofitio, Concilium non aperit.

Octavò, Hieronymus de Praga, qui feffione 19. Joannis Vviclef, ac Joannis Hus errorum damnationi fubfcripferat, fubfcriptionem fuam fefsione 21. palam in Synodo revocavit; ob idque multus eft excommunicatione, traditufque fæculari brachio, vivus exuftus eft.

Nonò, Sefsione 40. decretum eft, ut non obftante abfentia Cardinalium Petri de Luna, ad novi Pontificis electionem procederetur. Deindè de confenfu Cardinalium fancitum eft, ut hac vice tantùm, illis ad eligendum Romanum Pontificem adjungerentur fex Prælati, vel aliæ honorabiles perfonæ in facris Ordinibus conftitutæ, de qualibet natione in Synodo pro tunc exiftentes, quos, fex quas quælibet ipfarum nationum per fe, ad hoc infrà decem dies eligeret. Tandem feff. 41. Martinus V. renuntiatus eft Pontifex a triginta Cardinalibus, & triginta Electoribus, qui fimul in conclave introjerant.

Decimò, Poft electionem Martini Papæ V. ab eodem Summo Pontifice feff. 42. 43. 44. & 45. facro approbante Concilio, variæ conftitutiones promulgatæ fuerunt: *De Exemptionibus; Unionibus; Annatis, feu fructibus percipiendis; Difpenfationibus; Decimis & aliis oneribus Ecclefiafticis; De vita & honeftate Clericorum; De loco futuri Concilii proximè celebrandi; De abfolutione & diffolutione Concilii.* In iis autem conftitutionibus plura funt ecclefiafticæ difciplinæ multùm utilia. Hortamur igitur lectorem, ut eas percurrat, nec non ejufdem Martini bullam, quæ eft de Joannis Vviclef, & Joannis Hus erroribus in Concilio Conftantienfi damnatis.

§. III.

Utrum Concilium Conftantienfe fit Oecumenicum.

CONCLVSIO. Concilium Conftantienfe eft Concilium œcumenicum.

Probatur 1. Ipfa Conftantienfis Synodus in omnibus declarat, *fe Concilium œcumenicum facere, in Spiritu Sancto legitimè congregatum, univerfam Ecclefiam repræfentans.*

Probatur 2. Martinus Papa V. in bulla de erroribus Joannis Vviclef, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, jubet, ut hæreticus in Ecclefiæ finum rediens, de tribus his articulis interrogetur: *Utrum credat, teneat*

neat & afferat, quod quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentet ..... Item, utrum credat, quòd illud, quod sacrum Concilium Constantiense, universalem Ecclesiam repræsentans, approbavit & approbat in favorem fidei, & salutem animarum, quod hoc est ab universis Christi fidelibus approbandum & tenendum; & quod condemnavit & condemnat, esse fidei, vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum ..... Item, utrum credat, quòd condemnationes Joannis Vuiclef, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, facta de personis eorum, libris & documentis per Sacrum Generale Constantiense Concilium, fuerint ritè & justè facta, & à quolibet Catholico pro talibus tenenda, & firmiter asserenda.

Probatur 3. In ultima Concilii sessione, hæc ipsius Martini Papæ V. verba leguntur, *quòd omnia & singula determinata, conclusa & decreta in materiis fidei per præsens Concilium conciliariter, tenere & inviolabiliter observare volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo.*

Objicies. Illud Concilium non fuit œcumenicum, cui ingens Europæ pars non adfuit: atqui ingens Europæ pars non adfuit Concilio Constantiensi; nempè Prælati, qui erant ex obedientia Gregorii XII. non adfuerunt tredecim prioribus sessionibus, & in quarta expressè protestati sunt, se non probare Concilii convocationem factam à Joanne Papa XXIII. Cardinales, qui stabant a Benedicto XIII. nusquam eidem Concilio præsentes fuerunt: ergo, &c.

Resp. 1. dist. maj. Cui ingens Europæ pars non adfuit sine contumacia, conc. maj. cum contumacia, neg. maj. Episcopi regionum, quæ parebant Gregorio XII. & Benedicto XIII. poterant, ac debebant sistere se præsentes Concilio Constantiensi, ac proindè contumaces fuerunt; contumacia verò Episcoporum, qui Canonicè vocati sunt, non impedit, ne Concilium sit œcumenicum. Vide quæ superiùs diximus, agentes de conditionibus ad Concilium œcumenicum requisitis.

Resp. 2. dist. min. Si ea pars, quæ non adfuit, postcà non adhæserit Concilio, conc. min. si adhæserit Concilio, neg. min. Tota obedientia Gregorii XII. a sessione 14. ad finem usque adfuit, adhæsitque Concilio, ac probavit, quæ in prioribus ejusdem Concilii sessionibus statuta fuerant; obedientia Benedicti XIII. idem, relicto eodem Benedicto, præstitit, ut videre est sessione 35. & sequentibus.

ARTICULUS XVII.

De Concilio Basileensi.

CONcilium Basileense convocatum est à Martino Papa V. in executionem, tum Decreti *Frequens*, à Synodo Constantiensi sess. 39. promulgati, tum etiam Decreti sessionis primæ Concilii Senensis. Qui Martino proximè successerat Eugenius IV. ejusdem Concilii Basileensis convocationem confirmavit, deditque in mandatis Juliano Cardinali Diacono S. Angeli, ut illi suo nomine præsideret; ut patet datis ad ipsum litteris lectis in priore hujusce Concilii sessione, ubi hæc habentur: *Præterea cum felicis recordationis Martinus Papa V. prædecessor noster inter cætera tibi injunxerit, ut præsidere deberes auctoritate Apostolica in Concilio Generali in Basileensi Civitate celebrando ..... placet nobis & volumus, tibique mandamus, quatenus ..... gressus tuos dirigas ad prædictam Civitatem Basileensem, & tibi (prout opus videris esse) juxta tibi injuncta & ordinata in Concilio Constantiensi, optimè provideas, prout in tua prudentia & circumspectione plenè confidimus.*

§. I.

De causa, & actis Concilii Basileensis.

CONCLUSIO 1. Concilium Basileense triplici de causa coactum est.

Probatur. Coactum est *Primò*, ad tentandam Bohemorum unionem cum Ecclesia Catholica; perstabant enim in erroribus Joannis Hus, & Hieronymi de Praga, quos Concilium Constantiense damnaverat: *Secundo*, ad conciliandam pacem inter Principes Christianos, qui bellis Rempublicam Christianam lacerabant: *Tertiò*, ad Cleri reformationem, quam tentarat quidem Concilium Constantiense, sed ad exitum non perduxerat. Triplex illa causa recensetur ad caput secundæ sessionis hujusce Concilii.

CONCLUSIO. 2. Concilii Basileensis acta continentur 45. sessionibus.

Probatur brevi relatione earumdem sessionum, quas quidem methodi causa reducemus ad capita, quæ ad auctoritatem Concilii, processum illius adversùs Eugenium Papam IV. fidem ac disciplinam pertinent.

Primò, Sessionibus II. III. XVIII. XXIX. recitata ac confirmata sunt duo capitula de potestate cujuslibet Concilii œcumenici legitimè congregati; quæ promulgata fuerant sessionibus IV. & V. Concilii Constantiensis. Declaratum quoque fuit, quod Synodus Basileensis per nullum, quavis auctoritate, etiamsi Papali præfulgeat, dissolvi, aut ad alium locum transferri, seu ad aliud tempus prorogari debuit aut potuit, debet aut potest, debebit aut poterit in futurum, absque ejusdem Synodi Basileensis deliberatione & consensu. Sessione XXXIII. eadem Oecumenici Concilii potestas hisce duobus articulis iterùm explicata fuit: *Veritas de potestate Concilii generalis, universalem Ecclesiam repræsentantis supra Papam & quemlibet alterum, declarata per Constantiense & hoc Basileense generalia Concilia, est veritas fidei Catholicæ ..... Veritas hæc, quod Papa Concilium generale universalem Ecclesiam repræsentans, actu legitimè congregatum super declaratis in præfata veritate, aut aliquo eorum, sine ejus consensu nullatenus auctoritativè potest dissolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, est veritas fidei Catholicæ.*

Secundò, Sessione III. declaratum est, irritam esse ejusdem Concilii Basileensis dissolutionem ab Eugenio Papa IV. factam. Sess. XII. editum est decretum citationis adversùs eundem Eugenium Papam. Sessione XXIX. irrita declarata fuit translatio Concilii ab eodem Eugenio in urbem Ferrariam. Sessione XXXI. Eugenius, quòd post iteratas monitiones Concilii translationem rescindere detrectasset, declaratus est suspensus ab omni administratione Papatus, tum in spiritualibus, cum in temporalibus. Sess. XXXIV. lata est in Eugenium depositionis sententia. Sessione XXXIX. confirmata fuit Amadei Sabaudiæ ducis in Papam electio facta a Cardinalibus, aliisque ad eam electionem peragendam specialiter a Concilio deputatis; cui quidem electioni idem Amedeus consentiens, Papatus insignia sub Felicis V. nomine sumpsit.

Tertiò. Sessione IV. probata sunt pacta, quæ in Egra oppido ad unionem Bohemorum inter Concilii & eorumdem Bohemorum nuntios conventa fuerant. Sess. XXII. damnatus est libellus fratris Augustini de Roma, Archiepiscopi Nazareni, in quo præter cætera continebatur hæc propositio: *Christus quotidie peccat, & ex quo fuit, Christus quotidie peccavit*; declarata est autem scandalosa & erronea in fide, quamvis (ait Concilium) idem frater Augustinus diceret, se eam non intelligere de capite Ecclesiæ Christo, sed de membris, seu fidelibus, qui cum Christo capite unum Christum constituunt... Sessione XXX, definitum est, fideles, sive laicos, sive Clericos non

ad-

aftringi ex præcepto Domini ad communionem fub utraque panis,ac vini fpecie: Sancitum eft quoque, confuetudinem communicandi fub una tantùm fpecie, haberi debere pro lege, quam nemini liceat immutare fine Ecclefiæ auctoritate.... Sefsione XXVI. actum eft de conceptione Beatæ Mariæ Virginis, declaratumque fuit, doctrinam, qua afferitur, Virginem Deiparam fuiffe femper immunem ab originali, & actuali culpa, effe approbandam, tenendam, amplectendam *tanquam piam & confonam cultui Ecclefiaftico, fidei Catholicæ, rectæ rationi, & Sacræ Scripturæ.*

Quartò, Seffione XII. reftitutæ funt electiones canonicæ in Ecclefiis Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, & Monafteriis... .Seffione XV. præfcriptum eft, ut in qualibet diœcefi fiat femel in anno diœcefana Synodus, habeaturque in fingulis Provinciis Concilium Provinciale, faltem de triennio ad triennium..... Seffione XX. edita funt decreta de Clericis publicè concubinariis; de excommunicatis aliquo modo non evitandis; de interdictis non leviter ponendis; de non appellando ante diffinitivam fententiam. Eæ autem conftitutiones poftea fub Carolo VII. relatæ funt in Pragmaticam Sanctionem in Bituricenfi Gallicanorum Præfulum conventu, & ex Pragmatica in Concordata Leonis Papæ X. & Francifci I. Francorum Regis. Verùm quæ eft de vitandis excommunicatis, nullibi obfervatur ad formam Bafileenfis Synodi, fed Conftantienfis tantùm, qua jubetur, poft expreffam judicis denunciationem tantùm, vitandos effe excommunicatos, etiamfi aliundè factum notoriè conftiterit..... Seffione XXI. agitur de annatis communibus, de pacificis per triennium poffeffionibus, de modo celebrandi divinum officium in Ecclefia. Hunc modum confulant, qui ad Breviarium, aut in Choro, aut privatim recitandum tenentur... Seffione XXIII. agitur de electione Summi Pontificis; de Cardinalibus, quorum numerus ad 24. reftringitur.... Seffione 24. referuntur acta quædam Concilii cum Græcis; indulgentiæ iis conceffæ funt, qui in favorem fubfidii pro Græcorum reductione procuranda aliquid contuliffent. Subfequentibus aliis feffionibus refciffa funt, quæ promulgaverat Eugenius, tam pro transferendo Concilio, quam ad femetipfum in Papatu poft depofitionem confervandum..... Seff. XLV. ftatutum eft, ut infra triennium ab hac Seffione Concilium Oecumenicum Lugduni celebraretur. Declaratum eft quoque, Concilium Bafileenfe cenferi non debere diffolutum, etiamfi deinceps actus conciliares forte propter varia impedimenta Bafileæ haberi non poffent; fed continuandum effe in civitate Laufanenfi. Habita eft poftrema hæc fefsio feptimo Kalendas Junii, anno 1442. proindeque cum prior celebrata fit decimo nono Kalendas Januarii, anno 1431. Concilium Bafileenfe per undecim annos perduravit.

§. II.

Utrum Concilium Bafileenfe fit Oecumenicum.

CONCLUSIO I. Concilium Bafileenfe haberi debet pro Oecumenico quoad eas fefsiones, in quibus ipfi Eugenius Papa IV. adhæfit.

Probatur. *Primè*, Concilium Bafileenfe legitimè convocatum fuit; nempè coactum eft ex decreto Oecumenici concilii Senenfis; ex litteris tum Martini Papæ V. tum Eugenii Papæ IV. quas ejufdem Concilii fefsione I. legere eft. *Secundò*, legitimus fuit ejufdem concilii præfes, Julianus nimirùm Cardinalis S. Angeli, cui ante concilii inchoationem, Eugenius fuas vices commiferat. *Tertiò*, univerfalem repræfentavit Ecclefiam; fcilicet ex omnibus orbis chriftiani partibus ad ipfum vocati fuetant Epifcopi; quorum licet initio perbrevis effet numerus, ingens tamen poftea accefsit. *Quartò*, Martinus in bulla convocationis, idem concilium vocat Oecumenicum. Eugenius quoque eodem ipfum nomine appellavit, tum in litteris pro revocatione translationis in civitatem Bononienfem, tum aliis, quæ datæ funt ad Julianum Cardinalem, tum denique in iis, quæ anno 1434. ad ipfummet concilium direxit; hæc enim eft earum fuperfcriptio: *Eugenius Epifcopus fervus fervorum Dei venerabilibus fratribus, & dilectis filiis in facro Generali Bafileenfi Concilio congregatis, falutem & Apoftolicam benedictionem.* Tandem *quintò*, idem probatur ex iis, quæ mox dicentur in refponfione ad primam adverfariorum objectionem.

Objicies I. Concilium Bafileenfe eft Oecumenicum folùm quoad priorem fefsionem; nempe Eugenius Papa IV. diffolvit idem Concilium, ac Bononiam tranftulit, ftatim poft priorem illius fefsionem; revocavit poteftatem Juliano Cardinali factam, ut ei præeffet Summi Pontificis loco: id patet ex bulla revocationis promulgata Romæ 15. Kalendas Januarii, anno 1431. ex litteris ad Sigifmundum Romanorum regem, ex litteris ad ipfum Concilium Bafileenfe, datis Romæ 16. Kalen. Ja. Martii, anno 1432. Illa monumenta, aliaque ad caufam, de qua agitur, fpectantia, legere eft in appendice prima Concilii Bafileenfis, editionis Labbeanæ.

Refp. Eugenium Papam IV. revocaffe poftea bullas, ac litteras quafcumque fcriptas pro diffolutione concilii, ac illius translatione in civitatem Bononienfem: *Ut mentis noftræ integritas* (inquit laudatus Pontifex in bulla promulgata Romæ 18 Kalendas Januarii, anno 1433. quæque incipit: Dudum facrum generale concilium Bafileenfe) *ac devotio, quam ad univerfalem Ecclefiam, & facrum generale concilium Bafileenfe gerimus, omnibus conftet evidenter, duas noftras litteras pridem in Palatio Apoftolico promulgatas; nam tertias, quæ dicuntur incipere*, Deus novit, *cum à nobis, aut de fcitu noftro nunquam emanarint, licèt fuperfluum videatur, quod non extat revocare, quia petitum eft, & ad cautelam, fi ullo unquam tempore apparerent; & alias quafcumque, & quidquid per nos, aut noftro nomine in præjudicium, aut derogationem prædicti facri concilii Bafileenfis, feu contra ejus auctoritatem factum, & attentatum, feu affertum eft, caffamus, revocamus, irritamus, & annullamus, nullas irritas fuiffe declaramus.*

Ne quis verò dicat, laudata Eugenii verba intelligi tantùm de fefsionibus, quæ deinceps habendæ erant, hoc eft, a tempore revocationis bullarum, quæ contra concilium emanarant, obftant hæc, quæ ab eodem Eugenio laudatis verbis præmittuntur: *Decernimus, & declaramus, præfatum generale concilium Bafileenfe à tempore prædictæ inchoationis fuæ legitimè continuatum fuiffe, & effe, profecutionemque femper habuiffe, continuari, ac profecutionem habere debere ad prædicta, & pertinentia ad ea* (extirpationem nimirùm hærefum, pacem populi chriftiani, ac generalem Ecclefiæ reformationem in capite & in membris) *perindè ac fi nulla diffolutio facta fuiffet. Quinimò præfatam diffolutionem irritam, & inanem de confilio, & affenfu fimili declarantes, ipfum facrum generale concilium Bafileenfe, purè, fimpliciter, & cum effectu, ac omni devotione, & favore profequimur, & profequi intendimus.*

Objicies 2. Pauci admodùm Bafileæ erant Epifcopi, cum habitæ funt fefsiones, quæ præcedunt decimam fextam, in qua Eugenii litteræ de revocatione diffolutionis, feu translationis admiffæ funt: ergo tunc concilium non fuit Oecumenicum; nec enim exiguus Epifcoporum numerus fatis eft ad repræfentandam univerfalem Ecclefiam.

Refp. I. non ingentem quidem Epifcoporum numerum priori feffioni adfuiffe; verùm cæteris mukie. tum Cardinales, tum Epifcopi, tum fecundi Ordinis

presbyteri, præsentes fuere. 2. Ad Concilium Oecumenicum, quod universam Ecclesiam repræsentet, non requiritur, ut plures omnium nationum Episcopi conveniant, sed satis est, ut omnes legitime vocentur; alioquin enim vacillarent decreta, quæ in prioribus concilii Tridentini sessionibus edita sunt; nempe nulli fere ex Gallia, ex Germania, ex Polonia præsules adfuere concilio, cum promulgata sunt. 3. Certum est, ingentem ex omnibus nationibus numerum, tum Cardinalium, tum Episcoporum, Basileam convenisse, sive cum in eo promulgata est Eugenii adhæsio, sive toto post quadriennio, quo inter Eugenium, & concilium pax & concordia perdurarunt: Ii verò tum Cardinales, tum Episcopi, tum etiam ipse Eugenius confessi sunt, Concilium Basileense à primo sui exordio ad ea usque tempora fuisse Oecumenicum & legitimè continuatum; unde si quid ei priùs defuit, Eugenius Papa abunde per suam declarationem, & sui adhæsionem supplevit.

Objicies 3. Illud Concilium non est Oecumenicum, in quo omnia non conciliariter, sed tumultuosè facta sunt: atqui in sessionibus, quæ præcedunt Eugenii declarationem, ac adhæsionem, omnia non conciliariter, sed tumultuose facta sunt: ergo, &c.

Resp. neg. min. Ratio est 1. quia id, quod asseritur in argumento, nullus Concilii Basileensis historicus scripsit: 2. Ejusdem minoris propositionis falsitas patet ex modo, ac ordine, quo res in Concilio pertractatæ sunt; ejusmodi autem fuit ille ordo. *Primo*, quatuor nationes, Italica, Gallicana, Germanica, & Hispanica, in quatuor conventus distributæ sunt, quos *sacras deputationes* vocarunt, quibus quidem pro negotiorum diversitate varia nomina, *Fidei nimirum*, *Pacis*, *Reformationis*, *& Communium* indita sunt. Pari numero, ex omni ordine constabant, proprioque habebant Magistratus, Ministros, Præsides, Promotores, Notarios. Ter in hebdomada iisdem horis conveniebant, ac post oblatum Missæ sacrificium, negotiis operam dabant. *Secundò*, ex quatuor Conventibus, duodecim viri seligebantur, terni ex singulis, eorumque magistratus mense concludebatur; finito autem mense, quatuor ex antiquis remanebant, qui octo recens electos dirigerent. Duodecim illi viri, ter in hebdomada conveniebant; ad hos omnia negotia, cujuscumque essent generis primùm referebantur; priùs discussa, vel rejiciebant, si judicarent nullius esse momenti; vel si censerent gravia, ad aliquem ex conventibus remittebant. Duodecim virum præses, cum id exposcebat negotiorum gravitas, quatuor conventus extra ordinem convocare poterat. *Tertiò*, quæ a Decemviris ad aliquem ex conventibus referebantur, proponebantur ab illius conventus præside; de propositis verò non licebat quidpiam prima die decernere, sed negotium differebatur ad aliam congregationem, ut de eo singuli consultiùs deliberare possent. *Quartò*, statuta communi consilio in aliquo ex tribus cōventibus, ad alios tres cōventus deferebantur, exponebanturque rationes, cur ita fuisset statutum. *Quintò*, Si verò duas in sententias abiisset congregatio, quamvis altera numero superior esset, res ad generalem conventum deferebatur a duobus ex utraque opinione, cum argumentis, quibus nitebatur, ut omnium judiciis cognitis, quod magis expediret, decerneretur; consuli tamen debebat primus conventus, ad quem spectabat res, de qua in generali conventu erat decernendum. *Sextò*, Concilii præses, nihil ad Patres referre poterat, nisi de quo priùs a quatuor conventibus, seu deputationibus, deliberatum fuisset. *Septimò*, priusquam generalis conventus haberetur, quatuor Deputationum præfecti Concilii præsidi exponebant, quæ in suis conventibus deliberata fuerant; in quibus, si quatuor unanimiter, aut tres saltem conventus consentirent, res ad ipsum Concilium referebatur. *Octavò*, quod in conventu, seu quatuor nationum congregatione generali approbatum fuerat, redactum in Decreti formam in publica Concilii sessione ritu solenni statuebatur, ac promulgabatur. De eo deliberandi, ac statuendi ordine in Concilio Basileensi servato, vide Augustinum Patricium cap. 26.

CONCLUSIO 2. Concilium Basileense non fuit Oecumenicum in iis sessionibus, in quibus Eugenius Papa IV. ipsi non adhæsit.

Probatur. Cum habitæ sunt sessiones, quibus Eugenius Papa IV. non adhæsit, Concilium Basileense non repræsentabat universam Ecclesiam: ergo tunc non erat Concilium Oecumenicum. Probatur ant. *Primò*, Sedis Apostolicæ legati iis sessionibus aut non adfuerunt, aut contra eas reclamarunt. *Secundò*, sanior Concilii pars obstitit alteri in iis omnibus, quæ a sessione 25. inclusive habita sunt. *Tertiò*, Concilium ex decreto tum ejusdem sanioris partis, tum Eugenii Papæ IV. Florentiam, aut in alium in Italia locum Papæ, ac Græcis magis accommodum, legitimè traslatum fuerat. Nam cum ingens Græcorum Episcoporum numerus, cum suo Imperatore Joanne Palæologo, ac Josepho Constantinopolitano Patriarcha, ad Orientalis Ecclesiæ cum Latina unionem faciendam jamjam in Italiam appellere deberent, expressèque protestarentur, sicut jam antea Basileæ per suos Oratores protestati fuerant, se non posse montes transilire ac se conferre vel Avenionem, vel Basileam, vel in Sabaudiam, quæ loca erant a pluribus quidem, sed contra saniorem partem, a Concilio Basileensi sessione 25. designata; contra quod sessione 19. conventum fuerat cum eorumdem Græcorum Oratoribus; par fuit, ut Eugenius Papa adhæreret iis Basileensis Concilii Patribus qui Basileæ sessione 25. post promulgatum aliorum decretum, suum quoque promulgaverant, quo Concilium Ferrariam, aut in alium locum Græcis, ac Papæ magis accommodum transtulerant.

De hoc argumento vide Augustinum Patricium Senensem in Summario Actorum Concilii Basileensis, quod quidem ab eo compositum est jussu Francisci Cardinalis Picolominei, anno 1480. Vide etiam Eugenii Papæ IV. constitutionem de translatione Concilii Basileensis, & inditione Concilii Ferrariensis, Bononiæ primo Kalendas Octobris, anno 1437. promulgatam. Extant ea monumenta par. 1. Concilii Florentini editionis Labbeanæ, pag. 858. ac sequentibus.

Objicies. Eugenius Papa IV. Concilium Basileense transferre non potuit Ferrariam: ergo immeritò dissensit a Patribus Basileensibus, qui sessione 25. decreverant, Concilium haberi debere aut Basileæ, aut Avenione, aut in Sabaudia. Probatur ant. *Primò*, sessione secunda ejusdem Concilii Basileensis definitum fuerat, neminem, etiamsi Papali dignitate fulgeret, posse Concilium aut dissolvere, aut prorogare, aut transferre, *absque ejusdem Concilii Basileensis deliberatione & consensu*. *Secundò*, sessione 25. a majore Concilii parte editum fuerat decretum de non transferendo Concilio aliò, quàm aut Avenionem, aut in Sabaudiam; quæ autem a majore Conciliorum parte statuuntur, firma ac immota stare debent: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dicendum est, decretum sessionis secundæ, intelligi debere in casu, quo non esset evidens, ac necessaria transferendi causa, ut erat revera, cum Eugenius laudatum Concilium transtulit. Confirmatur solutio ex decreto Concilii Constantiensis, quod incipit: *Frequens*, quodque Concilium Basileense sessione prima promulgavit tanquam regulam, quam deinceps sequeretur: *Locum autem* (inquit) *pro futuro Concilio celebrando deputatum absque evidenti necessitate Romanus Pontifex non mutet. Sed si fortè casus aliquis occurrerit, quo necessarium videretur ipsum lo-*

cum

cum mutari, tunc liceat Summo Pontifici de prædictorum fratrum suorum, aut duarum partium ipsorum consensu, atque subscriptione, alium locum subrogare. Ad 3. dicendum est, saniorem illam Episcoporum partem, quæ judicavit Concilium propter Græcos Ferrariam, aut in alium eis commodum locum transferri debere, non fuisse solam; nempè ea sanior pars adjunxit se Patribus, a quibus habita fuerat sessio 19. in ea enim (ut jam observatum) promissum fuerat Græcis Concilium in loco, qui tum eis, tum Summo Pontifici commodior esset.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, colligitur 1. nullius esse auctoritatis sessiones, quæ Basileæ a 25. ad finem usque Concilii celebratæ sunt. Colligitur 2. duas veritates, quæ sessione 33. sub nomine *veritatum fidei Catholicæ* promulgatæ sunt, revera non esse veritates fidei Catholicæ, ita ut hæreticus haberi debeat, qui ea negaverit. Colligitur 3. monitorium, quod sessione 26. decretum est in Eugenium Papam IV. sententiam depositionis in eum latam, electionem Amadei in Papam, irrita fuisse, ac inania.

ARTICULUS XVIII.

De Concilio Florentino.

Concilium Florentinum, quod Ferrariæ incœpit die 9. Aprilis, anno 1438. continuatio fuit Concilii Basileensis. Nempè (ut superiùs observatum est) sanior Concilii Basileensis pars decreverat, Concilium transferri debere aut Ferrariam, aut Utinum, aut in alium locum Summo Pontifici, ac Græcis magis accommodum. Sanioris illius partis decretum confirmavit Eugenius bulla, quæ incipit: *Doctoris gentium*, indixitque Ferrariam pro loco, in quo sessiones haberentur. Verùm cum postea pestis Ferrariæ grassaretur, in eaque urbe per annum integrum Græci cum Latinis commorati fuissent, Eugenius Concilium Florentiam transtulit.

§. I.

De causa, & actis Concilii Florentini.

CONCLUSIO 1. Concilium Florentinum habitum est ad unionem Orientalis Ecclesiæ cum Occidentali.

Probatur. Causam illam recenset Eugenius Papa IV. in bulla, *Doctoris gentium*, qua Concilii Basileensis translationem in Urbem Ferrariam probat ac decernit: 2. non de aliquo alio negotio, quam de illa unione sancienda ac firmanda, actum est viginti quinque sessionibus, ex quibus constat Florentinum Concilium.

CONCLUSIO 2. Acta Concilii Florentini continent *primò*, varias collationes, ac disputationes habitas inter Græcos, & Latinos de processione Spiritus Sancti a Patre, & Filio; de particula, *Filioque*, à Latinis addita symbolo; de consecratione azymi, aut fermentati panis; de purgatorio; de primatu Romani Pontificis. Continent *secundo*, Concilii definitionem, seu capita quæ definita sunt post disputationes, quæ per annum Ferrariæ, & per quatuor menses Florentiæ, Græcos inter & Latinos habitæ sunt: duodecim nimirùm ex Græcis, duodecim etiam ex Latinis, sive præsules, sive theologi, selecti fuerant, qui sessionibus de rebus, circa quas Orientales ab Occidentalibus dissidebant, disputarent: inter illos eminebant præ cæteris Bessarion Niceæ, Marcus Ephesiorum, Isidorus Ruthenorum Archiepiscopi. Inter istos verò Julianus Cardinalis S. Sabinæ, qui a Concilio Basileensi, cui præfuerat, post sessionem 26. ad Eugenium Papam accesserat, Nicolaus Albergattus e Carthusianorum Ordine ad Cardinalitium evectus, Joannes de Monte nigro, visitator Prædicatorum in provincia Longobardiæ.

Quæres, quid contineat synodi definitio edita post disputationes, ac collationes, quæ ferè per sexdecim menses, sive Ferrariæ, sive Florentiæ Græcos inter & Latinos habitæ fuerant?

Resp. definitam fuisse 1. Spiritus Sancti à Patre, Filioque processionem: *In nomine igitur sanctæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritus Sancti* (inquit Eugenius Papa, qui Concilio præerat) *hoc sacro universali approbante Florentino Concilio diffinimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & in unica spiratione procedit.* Addit Eugenius illi definitioni non esse contrarios textus, quibus Patres asseruerunt, Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere: *Quod sancti Doctores & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundum Græcos quidem, causam, secundùm verè Latinos principium subsistentiæ Spiritus Sancti, sicut & Patrem.* Reddit rationem, cur Spiritus Sanctus a Filio non minùs, quam à Patre, procedat: *Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum, quod Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo etiam æternaliter genitus est.*

Definitum fuit 2. particulam, *Filioque*, meritò additam fuisse symbolo: *Diffinimus insuper* (inquit idem Eugenius) *explicationem verborum illorum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.*

Definitum fuit 3. valere consecrationem, sive in azymo, sive in fermentato pane: *Item, in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere; unum quemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem.*

Definitum fuit 4. animas piorum, qui plenè pro peccatis in hac vita non satisfecerint, in altera pœnis purgatorii purgari, antequam Dei visione fruantur: *Item, si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas pœnis purgatorii post mortem purgari.* Addit prodesse oblatas pro eis preces: *Et ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundùm Ecclesiæ instituta.* Definitum est 5. animas plenè in hac vita purgatas, statim post mortem videre Deum intuitivè: *Illorumque animas, qui post baptisma susceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, prout superiùs dictum est, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi & intueri clarè ipsum Deum trinum & unum, sicuti est; pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs.*

Definitum est 6. eos, qui in statu peccati mortalis, sive originalis, sive actualis, moriuntur, statim in infernum torquendos descendere: *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.*

Definitum est 7. Romanum Pontificem jure divino habere primatum in omni Ecclesia: *Item, definimus, sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem*

Roma-

Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum patrem ac doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur.

Definitum est 8. servari debere jura, quæ canones aliis Patriarchis concesserunt: *Renovantes insuper Ordinem traditum in canonibus cæterorum venerabilium Patriarcharum, ut Patriarcha Constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum Romanum Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autẽ Antiochenus, & quintus Hierosolymitanus, salvis videlicet privilegiis omnibus, & juribus eorũ.*

In descriptam hactenùs Synodi definitionem: *Notandum est* 1. hæresim de processione Spiritus sancti à solo Patre, seculo nono inventam fuisse a Photio, qui rebellarat in Ecclesiam Romanam, à qua dejectus fuerat a Pontificatu, quem vivente Ignatio Constantinopolitano Patriarcha invaserat: *Notandum est* 2. Patres Græcos, cum dixerunt, Patrem esse causam Spiritus sancti, nomine *causæ*, non intellexisse causam strictè sumptam, sed latè tantùm, seu quatenùs sumitur pro eo omni, à quo alius sumit suum esse, sive sit esse independens, ut est esse Spiritus sancti, sive dependens, ut est esse creaturarum respectu Dei: *Notandum est* 3. quod licèt Græci in concilio Florentino probaverint particulam, *Filioque* symbolo à latinis insertam, eam tamen suo symbolo nusquam, etiam post synodum, inseruerint: *De additione* (inquiunt Græci sessione 15. editionis Labbeanæ pag. 498.) *nos illam nunquam admittimus, sed eam vobis in vestris Ecclesiis habere permittimus, non autem in Orientalibus.* Rationem, qua Græci nitebantur, ibidem legere est. *Notandum est* 4. Græcos admisisse semper Purgatorium, quod admittunt Latini; sed cum hoc discrimine, quod Latini passim credant animas in Purgatorio existentes igne torqueri, Græci verò velint, Purgatorium esse locum caliginosum, in quo animæ tristitia quidem, ac mœrore afficiantur, sed tamen igne non torqueantur. Verum circumstantia ea ad fidem non pertinet; unde eam Synodi definitio non recenset, indifferens ipsismet Græcis visa est: *Medias autem* (inquiunt, loquentes de animabus iis, quæ in hac vita plene pro peccatis non satisfecerunt) *esse in loco tormentorum; sed sive ignis sit, sive caligo, ac turbo, sive quid aliud, non contendimus*; leguntur ea Græcorum verba sess. 25. paulò ante Synodi definitionem. *Notandum est* 5. Concilium Florentinum, primam esse synodum Oecumenicam, in qua expresse definitum est, animas pias, quæ in hac vita, aut in altera plenè satisfecerint, statim, ac sine mora frui intuitiva Dei visione. Illi definitioni occasioni fuerunt verba quorumdam Græcorum, qui docuerunt, animas, de quibus agitur, non fore beatas, nisi post corporum resurrectionem: non erraverant tamen cum Millenariis; nempè (ut legitur sessione 25.) id de perfecta beatitudine, quæ tum ad animam, tum ad corpus pertinet, intellexerant. *Notandum est* 6. Florentinam Synodum definitione, quam loco sexto retulimus, favere eorum theologorum sententiæ, quibus placet, infantes, qui non recepto baptismate moriuntur, igne torqueri; nempè vult eos in eundem locum descendere, in quo adulti igne torquentur. *Notandum est* 7. ad fidem non satis esse, ut quis credat, Romanum Pontificem habere primatum in tota Ecclesia; sed præterea requiri, ut credat primatum quem habet, *juris esse divini*. In quo autem positus sit ille primatus, quo sensu Romanus Pontifex plenam habeat potestatem regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam, Synodus Florentina peti vult ex gestis, ac canonibus Oecumenicorum conciliorum: *Quemadmodum etiam* (inquit) *in gestis Oecumenicorum conciliorum, & in sacris canonibus continetur.*

§. II.

De iis, quæ Florentinam Synodum subsecuta sunt.

CONCLUSIO. Multa Florentinam Synodum subsecuta sunt.

Probatur enumeratione. *Primò*, Latini post finitam Synodum Græcis proposuere varias quæstiones, inter quas istæ præcipuum tenent locum: *Quare Episcopi non inungunt sacro chrismate, sed sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum..... Quare non contenti estis Domini verbis: Accipite & comedite, sed postea dicitis: Et fac quidem panem hunc preciosum corpus Christi tui; & transmutans ea Spiritu sancto tuo. Amen, Amen, Amen.... Quare conjugia dirimitis, dicente Domino: Quod Deus conjunxit, homo non separet....Qua de causa non eligitis hic Patriarcham.* Græcorum ad eas quæstiones responsa non referuntur in actis concilii, sed Latinis probata fuisse, fidem faciunt, hæc eorumdem actorum verba: *Hæc à Latinis objecta Mitylenensis canonicè omnia, legitimèque dissolvit, præterquam duo, de quibus Papa significavit Imperatori: cur scilicet matrimonia dirimantur, & Patriarcha non eligatur.* Hinc patet, Latinos probasse praxim Græcorum, apud quos Presbyteri tanquam ministri extraordinarii conferunt confirmationis sacramentum. Patet iterum, eorumdem Græcorum praxim circa dissolubilitatem matrimonii in casu adulterii, licèt à Latinis minimè probatam, non habitam fuisse tanquam *apertam* hæresim; neque enim, si tanquam hæresis aperta apud Latinos audiisset, Latini cum Græcis eam hæresim apertè profitentibus unionem absolvissent. Quid autem postea in concilio Tridentino de ea quæstione definitum fuerit, suo loco dicetur.

Secundò, Post solutam Florentinam Synodum, quatuor post Græcorum discessum mensibus, decimo nimirùm Kalendas Decembris, anno 1439. promulgatum est Eugenii decretum pro instructione Armenorum, quod incipit: *Exultate Deo adjutori nostro.* In eo autem decreto Eugenius Armenis pro regula tradidit 1. Symbolum Constantinopolitanum cum particula, *filioque*, quæ ipsi deinceps inserta fuit ab Ecclesia Romana. Tradidit 2. definitionem quarti universalis concilii Chalcedonensis, in quinto postea & sexto universalibus conciliis renovatam, de duabus naturis in una Christi persona. Tradidit 3. definitionem de duabus voluntatibus, duabusque Christi operationibus in sexto concilio Generali promulgatam. Tradidit 4 universales omnes Synodos, quæ legitime celebratæ fuerant, seu, cum Armeni Nicænam I. Constantinopolitanam I. & Ephesinam I. tantum Synodos admitterent, Eugenius decrevit, ut non solùm tres dictas Synodos, sed & Chalcedonensem, & alias universales auctoritate Romani Pontificis legitimè celebratas, sicut & cæteri fideles, reverenter susciperent. Tradidit 5. Ecclesiæ Romanæ praxim circa septem novæ legis sacramenta. Tradidit 6. compendiosam illam fidei regulam, quæ incipit: *Quicumque vult salvus esse.* Tradidit 7. decretum unionis cum Græcis consummatæ in concilio Florentino pridie nonas Julii, anno 1439. quodque incipit: *Lætentur cœli, & terra.* Tradidit 8. usum Ecclesiæ Romanæ circa dies, quibus festivitates Annuntiationis Beatæ Mariæ Virginis, Nativitatis Beati Joannis Baptistæ & consequenter Nativitatis, & Circumcisionis Domini nostri Jesu Christi, ac Præsentationis ejusdem in Templo, seu Purificationis Beatæ Virginis Mariæ, celebrari debeant.

Circa relatum Eugenii pro Armenis decretum: *Notandum est* 1. ipsum non fuisse editum, quamdiù Florentinum Conciliũ erat Oecumenicũ; cum enim promulgatum est, jam tota Orientalis Ecclesia Florentia discesserat

serat; ac proinde Patres Occidentales, qui Florentiæ remanserant, non repræsentabant universalem Ecclesiam. Nec obest, quod ipse Eugenius declarat, decretum pro Armenis editum fuisse, *sacro approbante Concilio Florentino*; nam id intelligitur de Concilio Occidentalium, qui cum Eugenio remanserant Florentiæ, non autem de Concilio, quod tunc esset Oecumenicum. Confirmatur ex ipsa decreti inscriptione comparata cum inscriptione decreti unionis Græcorum. Illud inscribitur: *Definitio sanctæ Oecumenicæ Florentinæ Synodi*; illud verò: *Decretum Eugenii Papæ IV.* .... *Notandum est* 2. inter theologos non esse omninò certum, an sacramento Ordinis, materiæ ac formæ, quæ in illo decreto recensentur, sint essentiales, an accidentales tantùm. Probabiliùs nobis sentire videntur, qui contendunt, accidentales esse; neque enim verisimile est, Eugenium voluisse id statuere, ex quo sequeretur irritas esse Ordinationes Græcorum, quibuscum, sacro approbante Concilio, strictissimam unionem sanciverat; nempe Græci in conferendis Ordinibus sola manuum impositione, ac oratione, non adhibita aliqua instrumentorum porrectione, aut recitatis formis absolutis, quæ in decreto leguntur, usi sunt semper & nunc etiam utuntur. Eugenius eo in capite, ac in pluribus aliis, quorum ibidem fit mentio, Armenos ad Latinorum usum ac praxim adducere voluit. Vide Morini nostri librum de sacris Ordinationibus. *Notandum est* 3. Armenos amplexos fuisse errorem Eutychetis, duas in Christo naturas in unam confundentis; unde Eugenius meritò eis injunxit, ut præter Synodos Nicænam I. Constantinopolitanam I. & Ephesinam I. reciperent quoque Chalcedonensem, ac scripta Leonis Magni, qui Nestorii & Eutychetis oppositas hæreses in Synodica ad Flavianum epistola confixerat.

Tertiò. Quamvis felix fuerit exitus Concilii Florentini, eventum tamen postea habuit diversum, seu diù non stetit sancita Græcos inter & Latinos unio. Nam 1. (ut scribit Nicolaus Papa V. in litteris, quas ad Constantinum Imperatorem Joannis Paleologi fratrem dedit) Joannis ipsius, quo præsente celebratum est Concilium, nimio erga res civiles studio factum est, ut unitatis negotium ad optatum finem non pervenerit. 2. Unionis firmitatem impedit Marcus Ephesius, qui cum Florentiæ unus ex Græcorum omnium Episcoporum numero sese segregasset, ac pertinaciter perstitisset in opinione, quam semel imbiberat, noluissetque Concilii definitioni subscribere; redux in patriam, scriptis adversus sacram Synodum variis epistolis, impedimento fuit, ne Græci antiqua schismatis consuetudine malè affecti, unitatem amplecterentur. Hinc factum est, ut præter eos Patres Orientalis Ecclesiæ, qui Synodo interfuerant, Græci nunquam hoc generale Concilium receperint. 3. Eandem unionis firmitatem impedierunt Turcæ, qui paucis post Concilium Florentinum annis Græcos & Imperio, & libertate spoliarunt.

§. III.

Utrùm Concilium Florentinum sit Oecumenicum.

CONCLUSIO. Concilium Florentinum verè fuit Oecumenicum.

Probatur. *Primò*, auctoritate legitima, sanioris nimirùm partis Concilii Basileensis, ac decreto Eugenii Papæ IV. convocatum est. *Secundò*, debitum habuit præsidem, eundem scilicet Eugenium; unde quæ in eo factæ sunt definitiones, Eugenio, sacro approbante Concilio, tribuuntur. *Tertiò*, universam Ecclesiam repræsentabat; Occidentalis enim illi præsens fuit per Eugenium Papam, Cardinales octo, Episcopos 51. ac plures, tum Abbates, tum Ordinum præpositos generales, tum Doctores; Orientalis verò illi adfuit per Josephum Patriarcham Constantinopolitanum, per Vicarios Alexandrini & Antiocheni Patriarcharum, per Basilium Patriarcham Hierosolymitanum, per plures tum Metropolitanos & Episcopos; ipsum etiam Joannem Paleologum Imperatorem. *Quartò*, quæ in eo definita sunt, Oecumenicæ sunt fidei, seu dogmata sunt, quæ Ecclesia Catholica quovis sæculo professa est, ac nunc etiam ubique profitetur.

Objicies 1. Nulli ex Germania, pauci ex Galliis Episcopi, unus tantùm ex Anglia, nullus ex iis, qui Amedæo, in sua obedientia Felix Papa V. nuncupatus, parebant, adfuerunt Concilio Florentino; Præsules, qui adhuc Basileæ congregati erant, ipsi contradicebant, contendentes irritam esse illius convocationem ab Eugenio Papa IV. contra (ut aiebant) Basileensis Concilii decretum: ergo Concilium Florentinum repræsentare non potuit universam Ecclesiam; ac proinde non fuit Oecumenicum.

Resp. dist. ant. Nulli ex Germania, &c. adfuerunt Concilio Florentino, & tamen ad illud Canonice vocati fuerant, conc. ant. Et non fuerant ad illud Canonicè vocati, neg. ant. Eugenius convocationis litteras ad omnes orbis Episcopos miserat, enixèque Principes rogarat; ut præsules suæ ditioni subditos ad Concilium mitterent; atque adeò per eum non stetit, quin de facto omnes ad illud se conferrent. Ut autem Concilium sit Oecumenicum, non requiritur, ut omnes Episcopi sint illi præsentes; sed satis est, ut ad illud vocentur, tantaque sit præsentium copia, ut de eis dici possit, quòd universam Ecclesiam repræsentent ..... Quod spectat ad præsules, qui adhoc Basileæ conventum agebant, dicendum est, conventum, quem agebant post Concilii Basileensis translationem in urbem Ferrariam, ac postea Florentiam, non fuisse Concilium legitimum; ac proinde nullius adversùs Florentinum ponderis fuit eorum contradictio. Vide quæ superiùs agentes de Conciliis in genere diximus.

Objicies 2. In Galiis Concilium Florentinum non semper audiit tanquam Oecumenicum. Nam 1. Præsules Galli à rege prohibiti sunt, ne Ferrariam primum, ac postea Florentiam se conferrent. 2. Ipsimet præsules Galli ipsum pro Oecumenico non habuerunt: *Apud Gallos* (verba sunt Cardinalis a Lotharingia ad Britonem secretarium, ac suum in Curia Romana ministrum scribentis) *Constantiense Concilium in partibus suis omnibus ut generale habetur: Basileense in auctoritatem admittitur: Florentinum nec legitimum, nec generale reputatur.*

Resp. dist. ant. In Galliis Concilium Florentinum non semper audiit tanquam Oecumenicum, re nondum plenè discussa, conc. ant. plenè discussa, neg. ant. Ideò Florentinum Concilium quibusdam Gallis non semper pro Oecumenico habitum est, quòd per verba, quibus in Synodi definitione asseritur, Romano Pontifici divinitùs traditam fuisse potestatem regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, credidissent iis inferri labem, quæ de Conciliorum generalium potestate leguntur sessionibus IV. & V. Concilii Constantiensis: Verùm, re deinceps diligentiùs excussa, Galli judicarunt verba, de quibus agitur, rectè cum Concilio Constantiensi conciliari; nempè advertebant verborum, de quibus est quæstio, sensum his aliis, quæ immediatè sequuntur explicari: *Quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur.* Ad antecedentis confirmationem dicendum est, quòd licèt Galli Concilio Florentino, corpore non adfuerint, illi tamen mente, ac affectu fuerint præsentes; omnes enim ad unum, seu nullo contradicente, Græcorum unioni in eo sancitæ, & articulis ad fidem spectantibus, qui in eo definiti sunt, consensere.

AB.

ARTICULUS XIX.

De Concilio Tridentino.

Not. Concilium Tridentinum, quod quidem apud Gallos est decimum nonum Oecumenicum, ab anno 1545. usque ad annum 1563. sub tribus Romanis Pontificibus Paulo III. Julio III. & Pio IV. celebratum est. Nemini dubium est, quin a Romano Pontifice coactum sit; nempè Pauli Papæ III. Bulla indictionis, ejusdem Concilii actis præfixa legitur, data Romæ xi. Kalendas Junii, anno 1542. Certum est quoque, eidem Concilio Romanos Pontifices præfuisse; singulis nimirùm sessionibus fit mentio legatorum, qui eorum locum tenuerint: *Sacrosancta Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, in ea præsidentibus tribus Apostolicæ Sedis legatis*; verba sunt, quibus singulæ ferè sessiones incipiunt.

§. I.

De causa Concilii Tridentini.

CONCLUSIO. Duplex fuit causa cogendi, ac celebrandi Concilium Tridentinum.

Probatur. Concilium Tridentinum coactum, ac celebratum est: 1. ad confirmandam fidem contra Lutheri, Zuinglii, Calvini, ac plurium aliorum hæreticorum errores: 2. ad restituendam Ecclesiæ disciplinam, quam bella, ac hæreses plurimùm labefactaverant: *Placetne vobis* (verba sunt decreti primæ sessionis) *ad extirpationem hæresum, ad pacem & unionem Ecclesiæ, ad reformationem cleri & populi christiani, declarare, sacrum Tridentinum & generale Concilium incipere & incæptum esse?* Ut autem sacra Syuodus scopum assequeretur suum, singulis ferè sessionibus post fidei definitionem, subjectum est decretum de reformatione.

Quæres, quinam essent Lutherus, Zuinglius, Calvinus, aliique hæretici, qui elapso proximè sæculo Ecclesiam vexarunt, & contra quos Concilium Tridentinum celebratum fuit?

Resp. 1. Martinum Lutherum Islebii in Saxonia natum esse, ann. 1483. Augustinensium Ordini in cœnobio Erfordiensi ætatis anno 22. nomen dedit. Anno 1508. Vvitebergam translatus, post actus academicos, quibus acre & vehemens ingenium probaverat, Doctoratus lauream consecutus est. Anno 1517. occasione indulgentiarum, quas Leo Papa X. concesserat, & quarum promulgatio, omissis præter consuetudinem Augustinensibus, commissa fuerat Dominicanis, scripsit primùm contra indulgentiarum abusum, deindè contra ipsasmet indulgentias, purgatorium, sacramentorum virtutem, justificationem, aliaque capita, quæ in bulla Leonis adversùs Lutherum edita, legere est. Intelligens se brevi Romæ damnandum, die 28. Novembris anno 1518. à Summo Pontifice non rectè consulto provocavit ad futurum Concilium legitimè, ac in loco tuto congregandum. Ubi Leo Papa X. anno 1520. unum supra quadraginta illius articulos damnasset, Lutherus eosdem articulos triplici libello defendit: priorem inscripsit. *Adversùs execrabilem bullam Antichristi*: alterum: *Assertio articulorum à Leone X. damnatorum*: tertium: *Articuli Martini Lutheri, quare damnati sint?* Ab eo tempore in pejus profecit semper, ac tandem, tum religionis, tum fidei jugum excussit. Mortuo Friderico Saxoniæ Duce, qui prætensæ reformationi faverat, monialem *Catharinam de Borè*, ex Monasterio raptam duxit in matrimonium. Obiit Islebii anno 1546. die 17. Februarii.

Resp. 2. Huldricum Zuinglium, urbis Tigurinæ apud Helvetios Parochum, adversùs indulgentias, & Romani Pontificis primatum, ann. 1519. prædicare cœpisse. Articulos sexaginta de indulgentiis, de justificatione, de sacramentis, ac aliis permultis capitibus Tigurinus magistratus in conventu publico propugnatos probavit, edixitque, ne quis adversùs illos quidquam auderet asserere; postea verò prohibita fuit Missa, abrogati Ecclesiæ ritus, ac invecta prætensa reformatio, quæ jam temporis apud Helvetios protestantes obtinet. Zuinglius in acie contra Catholicos pugnans, interfectus est die 11. Octobris, anno 1531. Quænam autem fuerint præcipua illius dogmata, & in quibus a Luthero dissenserit, dicemus agentes de actis Concilii Tridentini.

Resp. 3. Joannem Calvinum Novioduni sexto idus Julii, anno 1509. ex Catholicis parentibus in lucem prodiisse. Ann. 1524. apud Bituricas, ubi Andream Alciatum Jurium professorem audiit, iniit amicitiam cum Melchiore Vvolmaro, Græcarum litterarum professore; à quo erroris Lutherani rudimenta edoctus, eum in castellis, ac pagis disseminare cœpit. Anno 1535. ætatis 26. Basileæ, quò se receperat territus Francisci I. Francorum regis edictis adversùs novatores latis, libros promulgavit, quos inscripsit: *Institutiones religionis Christianæ*. Paulò post Genevam, quæ non ita pridem agentibus Farello Vapinrensi, & Petro Viseto ex agro Bernensi ad Sacramentarios, expulsis Episcopo, ac Clero, defecerat, Argentorati uxorem duxit ex consilio Buceri, præcipui illius urbis Sacramentariorum ministri, ibique theologum per aliquot annos egit. Genevæ mortuus est die 26. Maii, anno 1564. natus menses decem supra annos quinquaginta quatuor.

Respondeo 4. Anabaptistæ, anno 1522. prodierunt authore Nicolao Storkio, Silesio, qui primùm Luthero adhæsit; sed postea jactans acceptas per Michaelem Archangelum insolitas revelationes, sectam excogitavit singularem. Præcipua Anabaptistarum dogmata, hæc sunt; parvulis, quòd fidem profiteri non possint, non prodesse baptismum; Parvulos, cum adoleverint, iterùm baptizandos esse; Magistratus, cum omnes in republica sint æquales, abjici debere. In omnibus ferè aliis capitibus Sacramentariorum errores profitebantur. Adversùs illos, similesque hæreticos habita est Tridentina Synodus, quæ illorum errores post diligens examen proscripsit.

§. II.

De actis Concilii Tridentini.

Acta Concilii Tridentini continentur viginti quinque sessionibus, quarum undecim priores habitæ sunt sub Paulo Papa III. sex sub Julio III. reliquæ sub Pio IV.

De Actis Sessionum I. II. III. & IV.

Prima sessione, habita die 13. mensis Decembris, anno 1545. declaratum est, Concilium esse Oecumenicum, incipere ac incæptum esse. *Not.* 1. Mos est Conciliis declarare se Oecumenica, ac per id supplere iis, quæ aliundè deesse possent. *Not.* 2. Præsules per verbum, *Placet*, suam sententiam dixere publicis in sessionibus; nempè decreta, quæ tum in privatis theologorum congregationibus, tum in generalibus, quibus aderant Episcopi, excussa ac examinata, per verbum *Placet*, in sessionibus conciliariter probabantur.

Sessione secunda, editum est decretum de modo vivendi, & aliis in Concilio servandis. *Not.* 1. Decreto oblatrarunt hæretici, quòd Missæ oblationem, ac Li-

taniarum

Litaniarum recitationem commendaret: verùm par fuit, ut Patres ad veterum potius, quam ad novatorum normam suas preces exigerent. *Not.* 2. In antiquis Conciliis habita est ratio Sedium in assignando cuique præsuli loco, sed in posterioribus habita est ratio ordinationis, declaratumque est hinc nulli novum jus acquiri.

Sessione tertia, quòd in dies Episcopi expectarentur, nihil novi decretum est, sed recitato fidei symbolo, indicta est quartæ sessionis dies. *Not.* 1. Symbolum Constantinopolitanum præ Apostolico, ac Niceæno recitatū est, quòd prolixius fidem explicet, ac multis ante sæculis intra Missarum solemnia caneretur. *Not.* 2. Patres symbolum recitarunt, ut omnibus notum facerent, se in suis definitionibus ab eo non esse recessuros.

Sessione quarta, promulgatum est decretum de numero librorum Canonicorum; de traditionibus; de vulgatæ editionis authenticitate; de usu ac impressione sacrorum librorum. *Not* 1. Editum est decretum contra Lutheranos, & Calvinistas, qui (ut supra retulimus) plures libros ex canonicorum albo expunxerant. *Not.* 2. Quo sensu Latina vulgata Bibliorum editio, declarata fuerit authentica, dictum quoq; supra est. *Not.* 3. Quinā traditiones rejecerint; quid intelligendū sit traditionum nomine; quibus regulis veræ a falsis dignosci possint, fusè pertractatum est superiùs. *Not.* 4. Mulcta pecuniaria, quæ impressoribus imponitur, locum habet in iis locis, in quibus impressores subduntur temporali Ecclesiæ dominio, aut in quibus Principes sæculares illi statuto non contradicunt.

De actis Sessionis V.

Sessione quinta, actum est de peccato originali; nempe definitum fuit 1. Adamum per divini mandati transgressionem excidisse ex sanctitate & justitia, in qua constitutus fuerat. *Not.* Adhibita est vox *Constitutio*, non autem *Creatus*, quòd nonnulli theologi fateantur quidem Adamum creatum fuisse in integritate, tum mentis tum corporis; sed negant creatum fuisse in justitia, & sanctitate supernaturali.

Definitum fuit 2. Adamum in posteros suos peccatum transfundere non imitatione, sed propagatione. *Not.* De modo, quo peccatum originale transfunditur in Adami posteros, disputatum quidem fuit in Concilio Tridentino, ut docet Palavicinus hist. lib. 7. cap. 8. sed nihil postea in sessione fuit definitum.

Definitum fuit 3. parvulos, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, baptizari debere, quòd ex Adamo trahant originale peccatum. *Not.* Rationem illam negavit Zuinglius, scilicet lib. de baptismo, tractatu 3. contendit, peccatum originale esse quidem morbum, sed negat esse peccatum propriè dictum, quod hominem Deo inimicum reddat. Vide Bellarminum lib. 4. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 2. Concilium addit alioquin formam baptismatis in remissionem peccatorum non fore veram, sed fallam. *Not.* Nomine *formæ*, Concilium hic non intelligit invocationem SS. Trinitatis, sed ritus, qui in baptismate adhibentur, exorcismos, exsufflationes, orationes, quæ illius collationem præcedunt.

Definitum fuit 4. per baptismi gratiam id totum tolli, quod veram & propriam peccati rationem habet. *Not.* Iis verbis non damnantur ii, qui docent, peccatum originale positum esse materialiter in concupiscentia; nam in concupiscentia in se sumpta non reperitur reatus peccati, seu malitia, quæ hominem Deo inimicum reddat.

Definitum fuit 5. Deum in renatis nihil odisse; concupiscentiam in renatis propriè non esse peccatum, sic tamen appellari, quòd ex peccato sit, & ad peccatum inclinet. *Not.* Odii nomine hic intelligitur odiū inimicitiæ, quod supponit peccati reatum; non autem odium displicentiæ; revera enim concupiscentia Deo displicet, cum à Deo non sit, & inclinet ad peccatum. Declaratum est postea non fuisse concilii intentionem in decreto de peccato originali comprehendere Virginem Deiparam, sed observandas esse constitutiones Sixti Papæ IV. *Not.* Concilium neutri parti, sive neganti B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali, sive affirmanti conceptam fuisse, officere voluit; imò nec declarare voluit opinionem affirmantem esse opinionem *piam*, quamvis Paceccus id (Palavicino teste) vehementer urgeret. Edixit postea Pius Papa V. anno 1570. ne quis in concionibus popularibus assereret, B. Virginem conceptam fuisse in peccato originali; sed permisit, ut in academiis & scholis id propugnaretur. Paulus V. anno 1617. vetuit, ne id fieret etiam in academiis, & scholis. Gregorius Papa XV prohibuit, ne id in privatis etiam colloquiis fieret; sed anno 1622. Dominicanis concessit, ut in suis privatis scholis, ubi non essent alii, quam religiosi ex suo ordine, defenderent antiquam Ordinis de ea controversia sententiam.

Eadem sessione quinta, actum est reformatione, ac declaratum fuit, Episcopos per se teneri ad prædicandum Jesu Christi Evangeliū. *Not.* 1. Quo jure ad id teneantur, definitum est sessione 23. cap. 1. de reformatione. Declaratum fuit 2. regulares non posse prædicare sine Episcopi licentia extra Ecclesias, quæ non sunt suorum Ordinum; imò nec in Ecclesiis suorum Ordinum, nisi petita ab Episcopis benedictione. *Not.* 2. Tunc non ferebat rerum status, ut eo in capite abolerentur omnia privilegia, quæ in Clementinis concessa fuerant; sed posteà sessione 24. cap. 4. de reform. decretum est regulares non posse prædicare, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, Episcopo contradicente. Declaratum fuit 3. lectionem Sacræ Scripturæ instituendam esse in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, necnon in Collegiatis insignium oppidorum, si Clerus ibi numerosus fuerit; idque per assignationem præbendæ, quæ ad id specialiter deputetur. *Not.* Illi decreto fit satis ab eo, qui theologiam scholasticam docet. Divinis officiis theologus ea die præsens censetur, quibus vacat publicæ lectioni. Scholares, licet in academiis studeant ex licentia Capituli, jus non habent in distributiones quotidianas, sed tantum in præbendarum proventus.

De actis Sessionis VI.

Sessione sexta, actum est de justificatione, ac definitum 1. naturam, & legem satis non esse ad justificationem, sed necessaria esse merita Christi, qui licet pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii tantum, quibus meritum passionis ejus communicatur. *Not.* Aliud est sufficientia mortis Christi, aliud illius applicatio; illa ad omnes omninò spectat; ista verò ad eos tantùm, quibus per gratiam actu datam meritum passionis illius communicatur.

Definitum fuit 2. adultos quibusdam actibus, fidei nimirum, spei, charitatis, timoris ad justificationem præparari. *Not.* 1. Lutherus contrarium senserat; docuerat enim omnes actus, qui justificationem præcedunt, esse peccata. *Not.* 2. Quæ Concilium hic definit de actuum fidei, spei & charitatis necessitate ad Cathecumeni justificationem, locum etiam habent in lapsi justificatione in sacramento Pœnitentiæ recipienda. Vide quæ de eo argumento dicta sunt in nostro Commentario Historico de sacramentis, nec non harum Institutionum tom. 6. *Not.* 3. Fidem *explicitam* in Christum necessariam esse necessitate medii, probant hæc capitis sexti verba: *Credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, atque illud inprimis, à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu,*

Not. 4. Ex his ejusdem capitis sexti verbis: *Disponuntur autem ad justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum*; plures e schola Thomistica theologi colligunt, gratiam sufficientem ad salutem non dari infidelibus, qui nihil unquam de Evangelio audire potuerunt. Vide nostrum tractatum de gratia.

Definitum fuit 3. hominis justitiam esse homini intrinsecam, ac inhærentem. *Not.* 1. Lutherus voluit esse extrinsecam tantùm; nempe per non imputationem peccatorum, quorum reatus remaneat in viris etiam sanctissimis. *Not.* 2. An ea justitia inhærens, sit donum à charitate infusa distinctum, non definit sacra Synodus; imò ne definire videretur, justitiam inhærentem, tum gratiæ, tum doni, tum etiam charitatis nomine appellat. Expressè quoque non definit, an ea justitia sit ipsemet actus charitatis Dei super omnia antea elicitus, & virtualiter remanens; an verò (ut censemus) habitus ab illo actu distinctus.

Definitum fuit 4. eo sensu impium per fidem justificari, quòd fides sit humanæ salutis initium; addit, ideò etiam impium justificari gratis, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationis gratiam promeretur. *Not.* per hoc verbum, *Promeretur*, intelligitur meritum de condigno, non autem de congruo; neque enim (ut ait Augustinus) fides suo caret merito.

Definitum fuit 5. ad justificationem impii non requiri, ut impius certò credat se absolutum & justificatum esse. *Not.* Est contra, tum Lutheranos, tum Calvinistas, quibus placet per illum solum actum, impium justificari. Eum autem actum vocant actum fidei de misericordia speciali, seu actum, per quem impius credit sibi applicari misericordiam, quam Deus in genere, credentibus pollicitus est. Concilium rationem reddit, cur actus ille non sit necessarius: *Cum* (inquit) *nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.* Ambrosius Catharinus in congregationibus ante publicam sessionem habitis asseruerat, justum posse scire, se gratiam Dei esse consecutum, fide divina, cui tamen falsum subesse posset, eò quòd non esset Catholica, seu circa articulum, quem ut a Deo revelatum Ecclesia proponeret; eo ferè modo (inquiebat) quo presbyter credit parvulum, quem baptizavit, justitiam consecutum esse. Dominicus Soto post habitam sessionem scripsit, Catharini eo in capite sententiam a Concilio proscriptam fuisse. Catharinus è contra edita apologia conatus est ostendere eam, etiam post sessionem, in integro stare. Vide Palavicinum Hist. lib. 8. cap. 12.

Definitum fuit 6. mandata Dei homini justificato non esse ad observandum impossibilia. *Not.* 1. Est contra Lutherum & Calvinum, qui contenderant, mandata Dei esse impossibilia justo adjuto gratia etiam efficacissima; unde concluserant justum in quolibet opere, eo etiam, quod ex gratiæ auxilio præstiterit, saltem venialiter peccare, quia concupiscentiæ venenum (inquiebant) singulas illius actiones inquinat. Concilium confirmat definitionem ex Augustino, qui asserit mandatorum possibilitatem contra Manichæos, qui docebant, ideò ea esse impossibilia, quòd in homine esset natura mala, opus principii nequam, ratione cujus peccatum vitari non possit. Confirmat iterum ex eo, quòd cum justi sint filii Dei, adjuti actuali gratia Deum diligant, ac proinde servent mandata. *Not.* 2. Hæc verba, quæ Concilium ex Augustino laudat: *jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis*, supponunt aliquibus justis, iis etiam, qui (cum orent) gratia sufficiente, seu excitante, moventur, possibile non esse præceptum ea possibilitate, quæ complectitur omnia auxilia, quæ necessaria sunt, ut præceptum actu servetur. *Not.* 3. Eadem verba supponunt quoque, præter gratiam excitantem, seu (ut nunc loquuntur) præter sufficientem, requiri aliam, ad actu operandum, quam omnes justi non habent; si enim eam haberent, frustra eam a Deo peterent. *Not.* 4. Hæc verba: *Adjuvat ut possis*, quæ non sunt Augustini, sed Concilii, eam gratiam significant, quam justi petere jubentur: *Petere quod non possis*; ac proinde cum justi, ut mox dictum est, non petant gratiam possibilitatis, cum supponantur eam jam habere, sed actionis; hoc est, non petant sufficientem, sed efficacem, de efficace, non autem de sufficiente intelliguntur hæc verba: *Adjuvat ut possis*. Nec obstat vox hæc *possis*, qua Concilium utitur; nempè intelligitur (ut jam observatum est) de potentia secundum tritum ac grammaticalem loquendi modum sumpta, hoc est, de potentia, quæ complectitur ea omnia, quæ necessaria sunt, ut præceptum actu & de facto servetur.

Definitum fuit 7. justos non peccare in iis actibus, in quibus suam socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, mercedem quoque intuentur æternam. *Not.* 1. Merces illa, vel est Dei visio ac amor perfectus, vel effectus, qui ex illa visione, & ex illo amore sequuntur, pax nimirùm & gaudium. Si primum, actus ille est actus spei simul, ac veræ charitatis; spei quidem, quatenùs est expectatio boni absentis & ardui; charitatis verò, quatenùs, est desiderium unionis cum objecto amato; ac proindè actus ille, tum in specie, tum in individuo, bonus est ac pius. Si secundum, actus erit quidem bonus in se, quia licitum est pacis internæ desiderium, sed in individuo imperari debebit à charitate, seu in gloriam Dei ultimò referri; idque non obscurè ipsamet sacra Synodus innuit: *Cum hoc* (inquit) *ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.*

Definitum fuit 8. neminem usque adeò præsumere debere, ut certò statuat, se omninò esse in numero prædestinatorum. *Not.* 1. Est contra Calvinum, qui ex una parte asseruit Deum non alios, quam prædestinatos, justificare, & ex alia, impium justificari per actum, quo certò credit, sibi peccata non imputari. *Not.* 2. Concilium vocat prædestinationem ad gloriam *arcanum mysterium*; ac proinde supponit illam esse omninò gratuitam, hoc est, independentem a prævisis pietatis operibus; neque enim arcanum erit mysterium, si operum cum gratia versatili faciendorum prævisionem supponat.

Definitum fuit 9. perseverantiam esse Dei donum, quod nemo certò sibi polliceri possit. *Not.* 1. Igitur perseverantia non est posita in consensu, quem voluntas præbeat gratiæ versatili; a nobis enim, non a Deo, est ille consensus. Præterea Deus, quantùm est in se, omnibus justis perseverantiam largiretur; daret enim id omne, quod ex parte sui esset necessarium ad actu perseverandum; perseverantia falsò diceretur, *magnum donum*; nempè nihil ex parte Dei diceret, quod aliæ gratiæ non complectantur. *Not.* 2. Ea Concilii definitio est contra Calvinum, cui placet, justificationem positam esse in actu, quo quis credat se esse de justificatorum, ac proindè, secundùm ipsum, de prædestinatorum numero; in illius nimirùm systemate soli prædestinati justitiam in tempore consequuntur.

Definitum fuit 10. Non solo infidelitatis peccato, sed etiam quovis alio mortali, acceptam justificationis gratiam amitti. *Not.* 1. Est contra Lutheranos & Calvinistas; scilicet contendunt justificationem esse positam in non imputatione peccatorum; at (ex ipsis) Deus nunquam hominibus prædestinatis imputat peccata, quantumcumque sint gravia. *Not.* 2. Nomine infidelitati Lutherani & Calvinistæ non intelligunt, aut apostasiam à fide Catholica, aut actum aliquem contra illam fidem, sed intelligunt actum, quo quis desineret credere (quod tamen putant esse impossibile) peccata sibi non imputari.

De-

Definitum fuit 11. Justificatis hominibus, si in justitia perseveraverint, vitam æternam deberi tanquam veram mercedem, quæ ob id eis sub ea ratione proponi debet. *Not.* 1. Contrarium negarunt Lutherani & Calvinistæ contendentes, pia justorum opera, coram Deo nihil aliud esse, quam sordes & inquinamenta. *Not.* 2. Si omnibus justificatis vita æterna proponi debeat tanquam merces, agere intuitu mercedis æternæ, non est imperfectorum tantum hominum, (ut volunt illuminati quidam) sed etiam perfectorum. Ad pleniorem intelligentiam eorum, quæ hucusque a Concilio definita retulimus, vide Canones, quibus idem Concilium oppositos fidei Catholicæ errores proscribit.

Fidei explicationi Concilium subjicit decretum de reformatione, decernitque 1. teneri Prælatos ad personalem residentiam. *Not.* 1. Quo jure, divino, an Canonico tantum, innuitur sess. 23. cap. 1. de reform. *Not.* 2. Quæ causæ excusent a residentia, & quandonam eo in capite peccatum mortale committatur a non residentibus, atque etiam quando defectu residentiæ, ad fructuum restitutionem teneantur, ibidem clarè definitur. Decernit 2. excessus Clericorum, ac regularium agentium extra Monasterium, corrigi debere ab Ordinario loci tanquam Sedis Apostolicæ delegato. *Not.* In Galliis Episcopi contendunt jus illud sibi ratione Episcopatus convenire, nec unquam in corrigendis excessibus dicunt se Apostolicæ Sedis delegatos. Decernit 3. Ecclesias quascumque majores, ac illarum personas, posse ab Episcopis visitari, quoties opus fuerit. *Not.* Ubique promulgatum non est illud decretum, nec ubique viget. Decernit 4. Episcopum in aliena diœcesi, nec Pontificalia exercere, nec Ordines conferre posse. *Not.* 1. Pontificaliorum nomine, intelliguntur omnia (excepta tamen jurisdictione) quæ pertinent ad Episcopos. *Not.* 2. Ordines hic latè sumuntur, ita ut in illis ipsa etiam tonsura Clericalis intelligatur.

De aliis Sessionis VII.

Sessione VII. Concilium Tridentinum de Sacramentis agit. Definit 1. Sacramenta novæ legis fuisse a Jesu Christo instituta. *Not.* Non dicit omnia a Christo *immediate* instituta fuisse, ne damnaret scholasticos, quibus placet, Apostolos, accepta tamen à Christo potestate, instituisse Confirmationem, & Extremam Unctionem. Addit, ea nec esse plura, nec pauciora, quam septem. *Not.* Est contra Lutherum, qui inter sacramenta propriè dicta recensuit tantùm Baptismum, Eucharistiam & Pœnitentiam: est etiam contra Calvinum, qui exceptis Baptismo, Eucharistia & Ordine, non alia admisit: est quoque contra Zuinglium, qui sacramentorum albo inscripsit Baptismum tantùm & Eucharistiam.

Definit 2. Sacramenta novæ legis continere, ac conferre gratiam ex opere operato, semper & omnibus, quantùm est ex parte Dei. *Not.* 1. Est contra recentiores omnes hæreticos, quibus placet, sacramenta esse sigilla gratiæ independenter ab eis acceptæ, seu esse mera signa extrinseca, quibus homines utuntur, ut sese confirment in fide, hoc est persuasione acceptæ per Christum justitiæ. *Not.* 2. Concilium non ait sacramenta gratiam continere *physicè*, *aut moraliter*; nempe utrumque in scholis disputatur. *Not.* 3. Illæ voces: *Ex opere operato*, innuunt discrimen sacramentorum veteris legis à sacramentis novæ legis; illa enim gratiam conferebant ex operè operantis, seu ex vi dispositionum, quæ erant & in ministro, & in subjecto; ista verò ex vi applicationis formæ supra materiam, modò tamen subjectum debitè præparatum sit. *Not.* 4. In hæreticorum systemate sacramenta habent suum effectum in solis justificatis; quia (ex ipsis) sunt signa extrinseca, ac confirmativa fidei, quæ jam subjectum suum justificaverit.

Definit 3. Tria sacramenta, non autem omnia, producere characterem. *Not.* 1. Damnantur hæretici recentiores, qui sacramentis nullam prorsùs efficientiam tribuunt. *Not.* 2. Non definitur, in quo posita sit characteris natura: par fuit, ut id theologorum scholis permitteretur. *Not.* 3. Concilium non distinguit inter sacramenta, aut in Ecclesia per Catholicos ministros, aut in hæresi per hæreticos collata; de utrisque igitur Canon intelligi debet.

Definit 4. Christianos omnes in verbo & omnibus sacramentis administrandis non habere potestatem. *Not.* 1. Contrarium docuerat Lutherus, ut potestatem, qua contra Romanam Ecclesiam Altare erexerat, in tuto poneret; voluit tamen ratione scandali, omnium sacramentorum administrationem singulis fidelibus permitti non debere. *Not.* 2. Cum omnes Christiani validè administrent baptismum, meritò Concilium dixit, *in omnibus sacramentis*.

Definit 5. In ministris, dum sacramenta conficiunt & conferunt, requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. *Not.* 1. Ecclesia unum tantùm facit, cum per ministros suos sacramenta conficit; nempè formam cum materia conjungit; satis est ergo, ut minister intentionem habeat eam conjungendi; eam verò intentionem semper habet, quoties de facto seriò & liberè eam conjungit: neque enim potest seriò eam conjungere, nisi habeat intentionem conjungendi. *Not.* 2. Lutherus, quem Concilium damnare proposuit, contendebat, satis esse formæ cum materia conjunctionem, quæ etiam exteriùs mimicè fieret: nec mirum; nempè in illius systemate, sacramentis mimicè, etiam exteriùs, datis quilibet uti potest tanquam signis, quibus suam de justificatione fidem faciat sibi certam. *Not.* 3. Concilium non dicit requiri *totam* intentionem, quam Ecclesia sibi proponit; nec enim ad sacramenti valorem requiritur, ut minister habeat intentionem conferendi effectum sacramenti; sed dicit requiri intentionem, *saltem faciendi, quod facit Ecclesia*, hoc est (ut dictum est) seriò conjungendi formam cum materia; ex illa nimirùm conjunctione, velit nolitve minister, resultat sacramentum, quod Christus instituit.

Definit 6. in solemni sacramentorum administratione non licere cuique ministro omittere, aut contemnere, aut mutare receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus. *Not.* 1. Solemnis est administratio, quoties minister nō arctatur imminente subjecti morte. *Not.* 2. Quale sit peccatum omissio ritus, pendet ex gravitate, aut levitate materiæ. *Not.* 3. Est contra Lutherum & Calvinum, qui docent, Ecclesiam non posse de ritibus, aut aliis rebus a Christo non præscriptis, leges ferre, quæ citra scandalum obligent in conscientia.

Definit 7. in Ecclesia Romana veram esse de baptismo doctrinam. *Not.* 1. Est contra Lutheranos & Calvinistas, quibus placet, Ecclesiam Romanam errare ratione effectus, quem baptismo tribuit, & ratione ceremoniarum, quas illius administrationi conjungit. *Not.* 2. Nomine Ecclesiæ Romanæ non intelligitur sola fidelium congregatio, quæ Romæ sita est, sed omnes Ecclesiæ, quæ cum Apostolica Sede communione conjunctæ sunt.

Definit 8. baptismum esse ad salutem necessarium. *Not.* Intelligitur de necessitate medii, scilicet hæretici quos damnat, fatebantur baptismum esse necessarium necessitate divini præcepti.

Definit 9. baptizatos universæ legis Christi servandæ debitores fieri, non autem solius fidei. *Not.* Contendebant Lutherus, & Calvinus, solum præceptum fidei; hoc est, persuasionis de accepta justificatione, esse possi-

N 2 bile;

bile; ac proindè mirum non est, quòd senserint baptizatos non esse aliorum præceptorum debitores, addebant aliorum præceptorum prævaricationem iis non imputari, qui fidem illam haberent.

Definit 10. vota, quæ post baptismum fiunt, vi promissionis in baptismo ipso jam factæ non esse irrita. *Not.* 1. In baptismo govetur observatio legis Christi, in votis verò, quæ ipsum sequuntur, voventur media quædam libera, quæ ad legis Christi observationem conferunt. *Not.* 2. Lutherus contrarium docuit, ut excussum Religionis, quam professus fuerat, jugum excusaret.

Definit 11. peccata post baptismum commissa, nec dimitti, nec venialia fieri sola recordatione, & fide suscepti baptismi. *Not.* Lutherus, & Calvinus contrarium senserunt, hoc argumento nixi: Peccata (inquiebant) dimittuntur, cum venalia fiunt, hoc est, non imputantur per fidem misericordiæ specialis: ergo cum baptismus sit illius fidei protestatio, ac confirmatio, per recordationem recepti baptismatis, ac proinde eliciti actus fidei, de qua agitur, propter eam baptismi recordationem peccata non imputantur.

Definit 12. baptismum ab hæreticis datum in nomine Patris, & Filii, &c. valere; iterari non debere ei, qui apud infideles Christum negavit. *Not.* 1. Quæstionem, quam Patres aliqui post Cyprianum immeritò judicarant solius esse disciplinæ, Concilium determinavit ad fidem pertinere. *Not.* 2. Licèt canon non recenseat hæc verba: *Ego te baptizo, vel Baptizatur servus Christi*; ea tamen supponit, cum definit valere baptismum. *Not.* 3. Nec Lutherus, nec Calvinus rejecerunt baptismum ab hæreticis datum; alioquin a se receptum in sinu Ecclesiæ Romanæ, quam dicebant esse diaboli synagogam, rejecissent. *Not.* 4. Canon Anabaptistas damnat, qui quosvis homines extra suam sectam baptizatos, iterum baptizabant, cum eorum hæresi dabant nomen.

Definit 13. parvulos licet actum credendi non habeant, baptizari debere; nec cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos. *Not.* 1. Est contra Anabaptistas, quibus visum est irritum esse datum parvulis baptisma, defectu actus credendi. *Not.* 2. Licet Pelagiani negarent existentiam peccati originalis, docebant tamen parvulos baptizari debere ad regnum cœleste consequendum, non autem ad vitam æternam, quam sine baptismo mortuis concedebant.

Definit 14. homines in infantia baptizatos, cogi debere ad Christianam vitam, quamvis ratum habere nolint, quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt. *Not.* 1. Canon ille perstringit Erasmum, cui placuit quod hic rejicitur. *Not.* 2. Censuris, non sola sacramentorum privatione, homines, de quibus agitur, ad christianam vitam cogi debent, imo a Principibus exilio, aliisque pœnis castigari possunt. *Not.* 3. Christiana vita importat obedientiam Ecclesiæ: peccant igitur hæretici cum latas ab illa leges infringunt.

Definit 15. Confirmationem esse verum, & propriè dictum sacramentum. *Not.* Est contra Lutheranos, Calvinistas, aliosque omnes hæreticos recentiores.... Damnantur ii, qui asserunt, injuriosos esse Spiritui sancto, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt. *Not.* Non dicitur, quòd sit aliqua virtus in chrismate; sicque non damnantur Theologi, quibus placet chrisma non esse materiam essentialem confirmationis sacramento. Unum tantùm proscribitur, nempè censura, quā Protestantes inurebant opinioni theologorum, qui virtutem producendi gratiam, ac characterem chrismati tribuebant..... Additum fuit, confirmationis *ordinarium* ministrum esse solum Episcopum. *Not.* Ex Palavicino in congregationibus, quæ sessionem præcesserunt, de voce illa *ordinarium*, diu disputatum est; sed tandem addita est, ut illæsa servaretur opinio S. Thomæ contendentis, presbyterum simplicem posse delegari ad conferendum Confirmationis sacramentum.

Post fidei definitionem statuta sunt plura capita ad disciplinam spectantia.

Determinatum est 1. quinam sunt capaces regiminis Ecclesiarum Cathedralium. *Not.* Hæc verba: *Ex legitimo matrimonio natus*, intelliguntur etiam de legitimato per subsequens matrimonium, seu habilis declaratus ad Episcopatum.

Determinatum est 2. eos, qui vel in titulum, vel in commendam tenent plures Cathedrales Ecclesias, teneri omnes, excepta una, dimittere. *Not.* Lex illa non obtinet in Germania: nempe Episcopis Germanis, ut Lutheranis obsistere possint, plures Ecclesiæ etiam in titulum committuntur.

Determinatum fuit 3. simul haberi non posse plura incompatibilia beneficia. *Not.* Incompatibilia sunt, quæ requirunt personalem residentiam: sic capellania, quæ exigit servitium in choro, est incompatibilis cum canonicatu. Dignitas verò, seu personatus, in locis, ubi id fert consuetudo, non est incompatibilis, cum canonicatu, unde idem, servatis servandis, potest esse thesaurizarius, & canonicus.

Determinatum fuit 4. Episcopum posse examinare, ac irritas declarare beneficiorum uniones. *Not.* Causa legitima unionis est necessitas, aut utilitas Ecclesiæ. In unione facienda citari debent omnes ii, quorum interest. Rectoris, seu possessoris beneficii consensus non exigitur in unione facienda ab Episcopo, si illa debet effectum sortiri tantùm post obitum rectoris.

Determinatum fuit 5. beneficia curata, licet perpetuò unita, posse ab Ordinario visitari. *Not.* Id intelligitur, tum de regularibus, tum de sæcularibus, seu & Ecclesiam, licèt sit Ordinis caput, & illius Rectorem, etiam regularem, Episcopus potest visitare.

Determinatum fuit 6. litteras dimissorias à capitulo, sede vacante, intra annum vacationis, dari non posse nisi arctatis. *Not.* Arctati occasione beneficii recepti, sunt ii, qui obtinent aliquod beneficium requirens personale servitium, quod sine hoc, vel illo ordine præstari non potest. Arctati ratione beneficii recipiendi, sunt illi, qui habent jus ad beneficium, ad cujus possessionem obtinendam certus ordo requiritur.

Determinatum fuit 7 neminem, à quocumque sit præsentatus, institui debere sine prævio Episcopi examine. *Not.* Id intelligitur etiam ratione beneficiorum simplicium. Excipit Concilium præsentatos ab universitatibus; sed ea exceptio locum non habet in Galliis.

De aliis Sessionum [VIII. IX. X. XI. XII] & XIII.

Sessione VIII. Promulgatum est decretum de translatione Concilii ex civitate Tridentina ad Bononiensem, propter pestem, quæ Tridenti grassabatur. Sessio 9. Bononiæ habita est sub Julio III. die 21 mensis Aprilis, ann. 1547. Nihil aliud edixit, quam prorogationem sessionis. Sessione 10. aliud prorogationis decretum promulgatum est. Sessio 11. Tridenti, quo reductum fuerat Concilium, habita est Kalendis Maii, anno 1551. decretum est resumi debere Concilium Tridentinum. *Not.* Non aliud igitur fuit tunc Concilium ab eo, quod Paulus Papa III. primùm indixerat. Sessione 12. prorogata est iterum sessio.

Sessione XIII. actum est de Eucharistia, ac definitum fuit 1. Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia. *Not.* Est contra Zuinglianos, & Calvinistas, qui putant, Eucharistiam continere non ipsum corpus, sed figuram & virtutem corporis Christi. Additum est, Christum instituisse hoc sacramentum, cum post panis & vini benedictionem, se suum corpus præbere testatus est.

est. *Not.* 1. S. Thomas per benedictionem illam intelligit prolationem verborum: *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus.* Alii intelligunt invocationem divinæ potentiæ a consecratione distinctam. *Not.* 2. Concilium non definit, an per illam benedictionem, an vero per evangelica verba: *Hoc est corpus meum*, Christus Eucharistiam consecraverit. In congregationibus discipuli Angelici Doctoris contenderant, sententiam S. Thomæ esse proponendam tanquam de fide; sed obstiterunt alii, opponentes opinionem Innocentii Papæ IV. Definitum fuit 2. Corpus Christi esse realiter in Eucharistia ante illius usum. *Not.* 1. Est contra Lutheranos, qui contendunt, Corpus Christi esse in Eucharistia solum, dum actu sumitur. *Not.* 2. Voces istæ, *vi verborum*, intelliguntur de Evangelicis, *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus*, scilicet corpus & sanguis, clare in eis exprimuntur .... Additum est, conversionem panis & vini rectè vocari transsubstantiationem. *Not.* Vox illa paulò ante Concilium Lateranense IV. adhibita est, sed res per eam significata, semper credita fuit. .... Additum est iterùm, venerabili sacramento deberi latriæ cultum. *Not.* Sacramentum sumit pro re contenta; non autem pro continente; nam species, quæ in se continent corpus Christi, sunt creaturæ; ac proindè ipsis latriæ cultus non debetur. Ratio reddita est, cur instituta fuerit festivitas in honorem Corporis Christi. *Not.* Fusè de ea festivitate, ac processione egimus in Commentario Historico de Sacramentis. Probatus quoque fuit perpetuus mos Eucharistiam asservandi, ac eam ad infirmos deferendi. *Not.* Morem illum damnant Lutherani, quòd velint corpus Christi non esse in Eucharistia extra actualem illius usum, aut saltem (ut ipse Lutherus docuit) post peractam liturgiam.

Definitum fuit 3. statum gratiæ requiri in eo, qui accedit ad Eucharistiam. *Not.* Est contra Lutherum, cui placuit fidelem eò magis esse dispositum ad Eucharistiam, quò plurium criminum sibi conscius est ...... Additum est eum, qui sibi conscius est alicujus peccati mortalis, non debere absque præmissa sacramentali confessione ad Eucharistiam accedere. *Not.* Dicit quidem *contra Lutheranos* requiri confessionem, sed non dicit eam satis esse. *Not.* 2. Cum ait necessitate urgente, sacerdotem lapsum, si non habeat copiam confessoris, posse absque præmissa sacramentali confessione celebrare, loquitur de eo, cui incumbit animarum cura, & de casu, in quo hostiæ defectu, aliquis fidelis esset absque viatico moriturus, aut quo (sit tamen non esset quæstio de externo peccato carnis, aut immani aliquo alio facinore, aut flagitio, aut de peccato ex consuetudine contracto) populus fidelis die festo dimitti deberet sine sacrificio. Vide quæ de hoc casu dicuntur tomo 6. ubi referuntur dispositiones ex parte sacerdotis ad celebrandam Missam requisitæ. *Not.* 3. Hæc verba, quæ synodus addit de sacerdote, qui peccati mortalis sibi conscius, celebravit absque prævia confessione: *Quamprimùm confiteatur*, non sunt consilium, sed strictum præceptum; quod quidem non urget tantum pro eo tempore, quo sacerdos suo tempore celebraturus est, sed quamprimùm, ita ut sine mora teneatur Confessarium quærere. Vide tom. 6. quæstionem de dispositionibus ad celebrandam Missam requisitis.

Post explicatam octo capitibus Catholicam de Eucharistia fidem, Concilium undecim Canonibus errores oppositos proscribit. In Canonem III. *nota*, Dominicanos nullum non movisse lapidem, ut Concilium determinaret, totum Christum contineri sub singulis speciei partibus ante earum separationem; verùm obstiterunt alii theologi. Concilium litem istam dirimere noluit; sat ei fuit definire id, in quo Catholici omnes conveniebant; nempe totum Christum esse sub singulis cujusque speciei partibus, *separatione facta*.

Capita, quæ ad reformationem spectant, hæc sunt, 1. Prohibetur, ne in causis visitationis & correctionis, sive habilitatis & inhabilitatis, nec non in criminalibus, ante definitivam sententiam ab interlocutoria appelletur. *Not.* 1. Illi decreto Gallicana jura consentiunt, seu statuunt, effectum appellationis ab interlocutoria sententia non esse suspensivum, sed simpliciter devolutivum ad Judicem Ecclesiasticum superiorem. *Not.* 2. Excipi tamen debet casus, quo per interlocutoriam sententiam infertur damnum irreparabile, ut est pœna corporalis. 2. Episcopo fit facultas, ut tanquam Apostolicæ Sedis delegatus summariè cognoscat de gratiis, quibus peccatum remittitur, aut pœna. *Not.* Cautio illa non est necessaria in Galliis; neque enim admittitur pœnæ remissio, nisi inferioris judicis sententia per sententiam superioris Canonice rescissa fuerit. 3. Prohibetur, ne Episcopus personaliter citetur, nisi ob causas, propter quas deponi posset. *Not.* Id decretum est, ut consulatur, tum episcopali dignitati, tum residentiæ, quæ plerumque à malevolis impediretur. 4. Definitur, causas de Episcoporum personis ad Pontificem maximum referri debere, ac coram ipso terminari. *Not.* Varia variis temporibus fuit circa judicia de Episcopis disciplina. In Galliis Episcoporum causæ majores referuntur quidem ad Romanum Pontificem, sed in regno a duodecim vicinioribus Episcopis ab ipso Romano Pontifice designatis terminantur.

De actis Sessionis XIV.

Sessione XIV. actum est de pœnitentiæ, & extremæ unctionis sacramentis.

Definitum fuit 1. pœnitentiam esse sacramentum à Christo post resurrectionem institutum. *Not.* Est contra Zuinglium & Calvinum. ...... Additum est, in illius institutione Christum sacerdotibus dedisse potestatem remittendi & retinendi peccata. *Not.* Est contra Lutherum, qui contendit, absolutionem esse sententiam merè declaratoriam remissi per fidem peccati. ...... Assertum est quoque, Novatianos ideò damnatos fuisse, quòd eam potestatem in Ecclesia non agnoscerent. *Not.* Eo sensu intelligi debet assertio, quòd Novatiani aliquorum tantùm criminum, non autem omnium, remittendorum potestatem in Ecclesia non agnoverint.

Definitum fuit 2. pœnitentiæ sacramentum esse lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut est nondum regeneratis ipse baptismus. *Not.* Contrarium docuerunt omnes hæretici sæculi proximè elapsi .... Additum est, per pœnitentiæ sacramentum lapsum non pervenire ad acceptam per baptismum novitatem & integritatem sine magnis fletibus & magnis doloribus. *Not.* Falsò quidam eam novitatem, eam integritatem interpretantur de sola pœnæ temporalis remissione, quam Catechumenus in baptismate consequitur. Nam Scriptura & Patres fletus & labores præscripserunt non hominibus justis, a quibus sola pœna temporalis Deo esset persolvenda, sed lapsis ac jacentibus in peccato: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Præterea si fletus & dolores ad remissionem pœnæ temporalis requirantur, a fortiori requiruntur pro remissione culpæ, ac pœnæ æternæ. Vide Augustinum in Psalm. 6. & 106. Hincque colligitur, lapsum non ita facilè converti, ut nonnulli arbitrantur.

Definitum fuit 3. formam sacramenti pœnitentiæ in his ministri verbis: *Ego te absolvo &c.* positam esse. *Not.* 1. Apud Græcos absolutio modo deprecativo exprimitur. *Not.* 2. Reticentia, &c. intelligitur de expressa invocatione SS. Trinitatis: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; an autem requiratur, ut absolutio valeat, Concilium definire noluit.

Definitum fuit 4. pœnitentis actus, contritionem,

confessionem, & satisfactionem, esse quasi materiam hujus sacramenti. *Not.* 1. Scotistæ locum illum interpretantur de materia *circa quam*, seu volunt, contritionem & confessionem ideò vocari *quasi materiam*, quòd sint dispositiones ad recipiendum sacramenti effectum requisitæ; e contra Thomistæ interpretantur de materia *ex qua*, quæ tamen dicitur *quasi* materia, quòd non, sicut in aliis sacramentis, physice sit extra recipientem. *Not.* 2. Concilium non aliud voluit, quam damnare Lutheranos, qui nec contritionem, nec confessionem, nec satisfactionem requirebant ad lapsi justificationem.

Definitum fuit 5. Contritionem includere dolorem ac detestationem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. *Not.* Lutherus solum vitæ novæ propositum requirebat, abutens hoc Patrum effato: *Optima pœnitentia, nova vita.* —— Additum est, contritionem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuisse necessariam. *Not.* Contritio quovis tempore necessaria est, contritio concepta ex inchoata saltem charitate: cum ergo Concilium cap. 3. asseruerit, eam contritionem esse quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, sequitur, cum sacramento pœnitentiæ requiri contritionem, quæ ex inchoata saltem Dei charitate super omnia concepta sit. —— Deindè Concilium proponit divisionem contritionis in perfectam & in imperfectam. *Not.* 1. Dubium est, an duplex illa contritio specificè differat, seu utrùm habeat diversum motivum præcipuum. Nonnulli contendunt, utramque præcipue concipi ex charitate Dei super omnia; differre vero tantùm secundum majorem, vel minorem numerum graduum charitatis. *Not.* 2. Non conveniunt authores circa sensum horum Concilii verborum: *Hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu recipiatur.* Estius non vult id *semper* fieri, sed *aliquando tantùm*, unde apud illum hæc est textus Concilii constructio: *Docet, etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque aliquando reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur.* Alii e contra volunt hominem *semper*, seu etiam extra necessitatis casum, justificari per contritionem charitate perfectam; si tamen, ut supponitur, cum voto sacramenti conjuncta sit. Quid nos de ea controversia sentiamus, fusè explicuimus in Commentario Historico pag. 534. & sequentibus. *Not.* 3. Circa hoc verbum *Disponit*, quod imperfectæ contritioni tribuitur, variant sententiæ. Nonnulli volunt, ipsum intelligi de dispositione proxima, seu, quæ satis sit ad gratiam in sacramento pœnitentiæ recipiendam; idque (ajunt aliqui) quòd per imperfectam contritionem Concilium eo loci intelligat eam, quæ ex charitate, licèt inchoata tantùm, præcipuè concipitur; sique (ajunt alii) licet nomine contritionis Concilium intelligat dolorem ex solo pœnarum metu conceptum. Vide nostram de eo argumento dissertationem in Commentario Historico. Hic satis sit observare, decreti confectores primùm scripsisse *Sufficit*, sed Patres in Congregatione generali jusserunt deleri *Sufficit*, ac substitui *Disponit*. Vide Palavicinum in hunc locum.

Definitum fuit 6. integram apud sacerdotem peccatorum confessionem lapsis necessitate medii necessariam esse ad justitiam consequendam. *Not.* Est contra Lutherum & Calvinum. —— Additum est, omnia peccata mortalia declarari debere. *Not.* Lutherus voluit aliqua declarari debere, & quidem publicè tantùm, tum ad humilitatem, tum ad populi fidelis ædificationem. —— Declaratum est, accusandas esse circumstantias, quæ peccati speciem mutant, nec immeritò; siquidem actus, in quo reperitur circumstantia mutans peccati speciem, duplex peccatum includit. *Not.* Concilium idem non dicit quidem expresse de circumstantiis multum intra eandem speciem aggravantibus, quòd id controversum sit inter Catholicos: sed ratio, qua utitur cap. 8. ut probet, sacerdotem teneri proportionatam peccatis satisfactionem injungere, probat quoque, pœnitentem teneri circumstantias, de quibus agitur, confiteri.

Definitum fuit 6. non ad omnes Christi fideles, sed ad solos Episcopos & sacerdotes, hæc Christi verba: *Quorum remiseritis peccata, &c.* spectare. *Not.* 1. Lutherus ratus ea verba non aliud importare, quam potestatem declarandi peccatum remissum esse credenti, contrarium senserat. *Not.* 2. Concilium in ministro præter potestatem ordinis, & jurisdictionis, non aliam intentionem requirere videtur, quam quæ opponitur mimicæ, ac jocosæ: *Atque adeò* (inquit) *non debet pœnitens* (ut putarat Lutherus) *adeò sibi de sua ipsius fide blandiri, ut etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus seriò agendi & verè absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem, verè, & coram Deo esse absolutum.*

Definitum fuit 7. in ministro pœnitentiæ præter potestatem ordinis requiri jurisdictionem; Episcopos posse sibi nonnullos casus reservare; ita tamen, ut in articulo mortis nulla sit reservatio. *Not.* Nonnulli censent, Concilium loqui solùm de ministris Catholicis, sed obstant hi generales termini, quibus idem Concilium utitur: *Atque adeò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.*

Definitum fuit 8. totam pœnam cum culpa per pœnitentiam non remitti. *Not.* Contrarium visum est omnibus recentioribus novatoribus. Hinc Concilium conclusit, jure divino niti praxim confessis ac contritis, ac absolutis imponendi satisfactionem. Cum autem ex justitia petatur illud debitum, conclusit iterùm, eam satisfactionem debere esse proportionatam cum gravitate criminum. *Not.* 1. Peccant igitur ministri, qui leves admodùm pœnas pro gravibus criminibus imponunt. *Not.* 2. Ut satisfactio sit proportionata, debet id in pœnitentibus operari, quod ibidem Concilium exigit.

Iis, quæ spectant ad pœnitentiæ sacramentum, Concilium ea subjungit, quæ pertinent ad Extremam Unctionem.

Definit 1. eam esse sacramentum propriè dictum. *Not.* 1. Rejicitur a Luthero, & Calvino. *Not.* 2. Concilium non definit eam a Christo *immediatè* institutam fuisse; unde cum decreti confectores loco istius vocis, *Insinuatam apud Marcum*, istam inseruissent, *Institutam*, Patres in congregatione generali probarunt decretum, ut nunc legitur. *Not.* 3. Licèt Concilium in oleo, quod est hujus sacramenti materia, requirat Episcopalem benedictionem, non definit tamen eam esse *jure divino* necessariam; unde plures theologi docent eam solo Ecclesiastico jure requiri. *Not.* 4. Ideò Concilium, dum loquitur de hujus sacramenti forma, reticentia &c. utitur, quod noluerit definire scholasticam quæstionem, utrùm omnia verba, ex quibus constat, requirantur, ut sacramentum valeat.

Definit 2. Extremam-Unctionem delicta, ac peccati reliquias abstergere, alleviare animam ægroti, & corporis sanitatem interdum conferre, ubi saluti animæ expedierit. *Not.* 1. Per hanc vocem *Delicta*, Sambovius intelligit non tantùm peccata venialia, sed etiam lethalia; atque quòd, cum extrema unctio sit sacramenti pœnitentiæ veluti pars consummativa, non tantùm *per accidens*, sed etiam *per se*, peccata lethalia dimittat, primamque gratiam conferat. *Not.* 2. Non definit Concilium, an hoc sacramentum corporis sanitatem conferat ex opere operato, an verò opere operantis tantum. Utraque sententia theologorum dispositioni permittitur. *Not.* 3. Concilium non definit corporis sanitatem per extremam unctionem conferri *semper*, etiam ubi animæ saluti expedierit; sed *interdum* tantùm. Vide Estium in 4. sentent.

Defi-

Definit 3. hujus sacramenti ministros esse presbyteros. *Not.* 1. Concilium ait presbyterorum nomine intelligi ministros, qui *rite ordinati fuerint per impositionem manuum presbyterii*, hinc plures theologi concludunt impositionem manuum esse solam materiam essentialem presbyteratus. ... Additum est *infirmis* extremam-unctionem conferri debere. *Not.* 1. Non dicit, quod *solis infirmis* conferri debeat, unde non damnat aperte praxim Græcorum, qui eam etiam sanis hominibus conferunt. ... *Not.* 2. Modus loquendi, quo utitur, innuit non in eodem infirmitatis statu, sed in diverso tantùm, iterari debere extremam unctionem: Vide canones, quibus concilium proscribit errores mox allatis definitionibus oppositos.

Ubi Concilium in hac sessione XIV. ea definiit, quæ ad fidem spectant, agit de reformatione.

Et quidem *primò*, qui prohibentur, etiam ob occultum crimen, ascendere ad ordines, si ascendant, puniri debent, nullaque eis licentia de se promoveri faciendo suffragari potest. *Not.* 1. Illud decretum locum habet etiam in iis, qui sunt arctati propter beneficium, seu Ordinarius, ex causa, cujus ipse judex est, potest ab Ordinibus arcere Clericum, cui collatum est beneficium habens annexam animarum curam. *Not.* 2. Quod Episcopus potest respectu ordinum, id etiam potest ratione primæ tonsuræ, seu potest negare primam tonsuram cuilibet laico, nec ex illa negatione provocari potest ad tribunal alicujus judicis superioris.

Secundò, Episcopis titularibus sub pœna suspensionis per annum ab exercitio Pontificalium prohibetur, ne alienum subditum, imò nec familiarem suum, ad ordines, ipsam etiam primam tonsuram, etiam in loco, qui nullius sit diœcesis, sine proprii Episcopi litteris commendatitiis promoveant. *Not.* Vide Innocentii Papæ XII. constitutionem, quam harum institutionum tom. 6. inseruimus.

Tertiò, Clericis, qui aut in sacris ordinibus constituti sunt, aut ecclesiastica beneficia possident, præscribitur, ut utantur veste ordini, ac dignitati congruente. *Not.* 1. Quænam vestis cuique ordini, ac dignitati congruat, Episcopi est determinare, *juxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum*, verba sunt ipsiusmet concilii. *Not.* 2. Nomine beneficiorum, de quibus concilium loquitur, non debent tantùm intelligi ea, quibus animarum cura annexa est; sed omnia, cujuscumque sint generis, ac speciei: *Aut* (inquit concilium) *beneficia qualiacumque Ecclesiastica obtinuerint*.

Quartò, Prohibetur, ne voluntarii homicidæ aliquando ordinentur; aut si jam sunt ordinati, Concilium jubet, ut a ministerio separentur, ac omnibus beneficiis careant. E contra ei, qui homicidium casu commisit, aut vim vi repellendo, vult ut dispensatio concedatur, resq; Ordinario, aut ex causa, Metropolitano, seu viciniori Episcopo committatur, qui nonnisi causa cognita, ac probatis precibus dispenset. *Not.* 1. Canon complectitur non tantùm homicidium publicum, sed illud etiam, quod est prorsùs occultum. *Not.* 2. Homicidium casuale tunc tantùm parit irregularitatem, cum oritur ex negligentia; illud enim, quod post moralem diligentiam adhibitam ab eo fit, qui rei illicitæ nō vacabant, irregularitatem non parit. *Not.* In Galliis beneficia Clerici, qui incidit in homicidium voluntarium, non censentur vacare ante juridicam sententiam judicis.

Quintò, translati ad alium ordinem, in claustro sub obedientia manere debent, & beneficiorum sæcularium incapaces existunt. *Not.* 1. Eo canone iis itum est obviam, qui ut suæ religionis jugum excuterent, sub libertatis spe ad alias religiones translationem obtinere conabantur. *Not.* 2. Attendant ad eam regulam Prælati regulares, qui tam facilè translatis indulgent, ut extra Monasterium divagentur.

Sextò, decernitur, ut juspatronatus nemo, nisi ex fundatione, vel dotatione obtineat; edicitur q; ne præsentatus, ab alio, quam ab Ordinario instituatur. *Not.* 1. Id non intelligitur de quibusdam capellaniis, quæ propriè non sunt beneficia, sed meræ Missarum commissiones. *Not.* 2. Quomodo probandum sit juspatronatus, edicitur sess. 25. cap. 9. de reformatione.

De Actis Sessionis XV.

Sessio decima quinta, & aliæ usque ad vigesimam primam exclusive, nihil aliud sunt, quam sessionum prorogationes, tum in gratiam protestantium Germanorum, quorum adventus de die in diem expectabatur, tum in gratiam Episcoporum Gallorum, qui ingenti numero Tridentum accessuri erant.

De Actis Sessionis XXI.

Sessione 21. quæ habita est die 16. Julii anno 1562. actum est de communione sub utraq; specie, & de communione parvulorum.

Definitum fuit 1. laicos, & clericos non conficientes, non adstringi jure divino ad communionem sub utraque specie. *Not.* 1. Est contra Lutheranos, & Calvinistas, quorum errorem canon prior expressiùs proscribit. *Not.* 2. Licet Concilium, textum Joannis caput applicet Eucharistiæ, non definit tamen, quod de ea debeat intelligi: *Utcumque* (inquit) *juxta varias sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur*.

Definitum fuit 2. justis de causis ab Ecclesia abrogatam fuisse consuetudinem communicandi sub utraque specie. *Not.* 1. Desiit ea consuetudo labente sæculo 12. *Not.* 2. Concilium asserit, niti eam abrogationem potestati, quæ divinitùs Ecclesiæ circa sacramentorum dispensationem concessa est, *salva tamen illorum substantia*; cùm quibus quidem verbis vix conciliari potest sententia theologorum, qui contendunt omnium, ac singulorum sacramentorum materias, & formas jam non esse easdem secundùm speciem, ac erant antiquitùs.

Definitum fuit 3. nulla gratia ad salutem *necessaria* eos defraudari, qui sub una tantùm specie communicant. *Not.* Non dicit Concilium, quod ii, qui sub una tantùm specie communicant, non minus gratiæ recipiant, quam qui sub duplici; sed tantùm asserit, eos per unius speciei subtractionem non defraudari aliqua gratia *ad salutem necessaria*, qua Lutherani eos defraudari contendebant.

Definitum fuit 4. parvulos nulla obligari necessitate ad Eucharistiæ communionem; Patres, qui eam eis tribuerunt, culpari non debere. *Not.* Lutherani, & alii hæretici id eis vitiò vertunt, sed quàm immeritò, vide harum institutionum tom. 6.

Quæ sessione 21. de reformatione decreta sunt, ad subsequentia capita reducuntur.

Edicitur 1. ut Episcopi gratis ordines conferant, concedantque dimissorias & testimoniales litteras. *Not.* 1. Tolluntur omnes prætextus; quippe statuitur nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, aliquid, etiam sponte oblatum, accipi posse. *Not.* 2. Notariis tamen indulgetur, ut decimam aurei partem accipiant; sed tribus suppositis conditionibus, scilicet dummodò eis nullum salarium ab Episcopo constitutum sit; dummodò non sint in locis, in quibus viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi; dummodò tandem Episcopis ex notariis commodis aliquod emolumentum directè, vel indirectè provenire non possit. *Not.* 3. Concilium asserit contrarias illi decreto consuetudines esse abusus & corruptelas simoniacæ pravitati faventes. *Not.* 4. Cum eo Synodi decreto concilient Episcopi, si possint, praxim notariorum suorum. *Not.* 5. Hæc clausula, *In locis ubi viget*

viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, inserta est ad Episcoporum Gallorum petitionem.

Edicitur 2. ne quis sine beneficii, aut patrimonii titulo ad sacros Ordines promoveatur. *Not.* 1. Potest Episcopus absque titulo ordinare, sed tunc tenetur ordinato alimenta præstare. *Not.* 2. Eorum respectu, qui sub ficto titulo ordinantur, innovantur antiquorum Canonum pœnæ. Eæ autem pœnæ sunt eæ, quæ in decreto Gratiani continentur; ac proinde irregularitatem complectuntur: unde incurritur iis in locis, ubi promulgatum est Concilium Tridentinum; non autem in iis, in quibus non est promulgatum, aut in quibus speciales ea de re leges æditæ non fuerunt.

Edicitur 3. ut quotidianæ distributiones augeantur per tertiæ partis detractionem ex proventibus dignitatum, Canonicatuum, portionum & officiorum. *Not.* 1. Id locum habet tantùm in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis; earum enim tantùm Concilium in suo decreto meminit. *Not.* 2. Vim non habet in dignitatibus, quæ licèt locum habeant in Choro, nullas tamen distributiones percipiunt. *Not.* 3. Non uni, aut duabus tantùm horis, sed omnibus, servata proportione, applicari debet ea, de qua agitur, fructuum detractio.

Edicitur 4. Episcopos posse facere uniones perpetuas in casibus a jure permissis. *Not.* 1. Tres sunt casus, in quibus id licet; nempe cum multùm crevit populus; cum ingens est locorum distantia; cum Ecclesiæ ita pauperes sunt, ut aliorum rectorum sustentationi satis esse non possint. *Not.* 2. Id habet locum etiam in Parochiis, quarum rectores sunt regulares; modò tamen fiat sine obtinentium præjudicio.

Edicitur 5. ut Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, & beneficia quæcumque quotannis ab Ordinario visitentur; ut Quæstorum tum nomen, tum officium aboleantur. *Not.* Quæstores erant ii, quibus committebatur indulgentiarum promulgatio, quique colligebant eleemosynas, quas erogabant ii, quibus indulgentiæ concedebantur.

De actis Sessionis XXII.

Sessione XXII. proposita, ac explicata est Ecclesiæ doctrina, proscripti quoque fuerunt hæreticorum errores de Missæ sacrificio.

Definitum fuit 1. Christum sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem suum Deo Patri obtulisse, ac Apostolis, quos tunc novi testamenti sacerdotes constituebat, ut ea sub earumdem rerum symbolis offerrent, præcepisse. *Not.* 1. Non eo sensu Christus, tunc Apostolos novi testamenti sacerdotes constituit, quòd sacerdotii sacramentum eis contulerit; neque enim usus est signis sensibilibus, quibus sacramentum essentialiter constat; sed quòd ordinis potestatem, non collato tamen ipsomet ordine, eis tradiderit. *Not.* 2. Concilium asserit, *celebrato veteri Pascha*, Christum instituisse novum, cujus illud erat figura; hincque concluditur, Christum, eo quo passus est anno, Paschalem Agnum comedisse. Parùm verò theologice, (ne quid dicam duriùs) locutus est quidam recentior, qui ut solvat illum Concilii locum objectum sibi contra sententiam, qua asserit, Christum non manducasse Agnum Paschalem anno, quo mortuus est, respondet, eandem non deberi fidem capitibus, quibus Concilium doctrinam proponit, quæ debetur Canonibus, quibus damnantur hæreticorum errores: Quasi verò Ecclesia minùs sit infallibilis in tradenda veritate, quam in damnandis erroribus. Præterea author ille cum sua responsione conciliet, si possit, hæc Synodi verba, quæ habentur in procemio, quod præfigitur capitibus de justificatione: *Intendit omnibus Christi fidelibus veram, sanamque doctrinam ipsius justificationis, quam Sol justitiæ Christus Jesus docuit, Apostoli tradiderunt, & Catholica Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuò retinuit; districtiùs inhibendo, ut deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere, quàm præsenti decreto statuit, ac declarat.*

Definitum fuit 2. Eucharistiam esse visibile sacrificium propitiatorium pro vivis & defunctis. *Not.* 1. In hoc posita est hujus sacrificii propitiatio, quòd per illud cruenti in cruce sacrificii merita nobis applicentur: tantùm abest, ut illi (prout Luthero visum est) per istud quovis modo derogetur. *Not.* 2. Ex eo, quòd Missæ sacrificium per modum propitiationis suum effectum producat, plures theologi concludunt, ipsum non agere ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, ratione nimirùm dispositionis fidelium, qui se ei præsentes sistunt. Vide in hunc locum Commentarium Historicum de sacramentis. *Not.* 3. Contritio, quam Concilium requirit, ut quis aliquem fructum colligat ex Missæ sacrificio, non est contritio super omnia; nempè ex ipso Concilio, via est, qua pœnitentiæ donum obtinetur. Hincque colligitur, eum non sine fructu sistere se præsentem sacrificio, qui dominante peccati amore implicatus, Missæ adest, ut obtineat auxilium, per quod illo dominante peccati amore liberetur.

Definitum fuit 3. Missam offerri quidem in honorem sanctorum, non autem ipsismet sanctis, sed Deo soli. *Not.* Lutherani contrarium Catholicis imponebant. —— Probatus est postea Missæ Canon. *Not.* Lutherus ab illo expunxit verba omnia, quibus innui potest, Missam esse verè, ac propriè dictum sacrificium. —— Commendatæ sunt solemnes Missæ sacrificii ceremoniæ. *Not.* Quasdam Lutherus in sua liturgia retinuit, sed omnes a Calvinistis rejiciuntur. —— Probatus quoque fuit usus Missarum, in quibus solus sacerdos communicat. *Not.* Lutherus eas proscripserat, non advertens eas Missas verè esse communes, eò quòd a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Christi corpus pertinent, celebrentur. —— Confirmatus quoque fuit usus miscendi aquam cum vino in Calice offerendo. *Not.* 1. Concilium dicit, præceptum esse ab Ecclesia. Igitur non divini, sed humani juris est illud præceptum. *Not.* 2. An illa aqua in Christi sanguinem mutetur, an verò in propria specie remaneat, non est in Concilio definitum.

Ubi sacra Synodus Ecclesiæ de Eucharistiæ sacrificio fidem exposuit, subjicit decretum de observandis & evitandis in celebratione Missæ. In eo autem decreto jubet Episcopis, ut curent è medio tollere, quæ in Missæ celebrationem, vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio invexerunt. Et quidem quod ad avaritiam pertinet, prohiberi vult cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur; nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones. *Not.* 1. Lutherani corruptelas hujusmodi, quas quorumdam cupiditas invexerat, Ecclesiæ Catholicæ tribuebant. *Not.* 2. Per ea decreti verba non prohibentur spontaneæ eleemosynæ, quæ a fidelibus offeruntur, aut intra Missarum solemnia, aut extra, ad sacerdotalis sustentationis subsidium; sed tantùm illæ eleemosynarum exactiones, aut pacta, quæ mercedum conditionem redoleant. Vide quæ de sacramento Eucharistiæ agentes diximus de Missarum stipendiis.

Quod autem spectat ad irreverentiam, idem decretum vetat, ne cui vago & ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat. *Not.* Parisiis nemo sacerdos admittitur ad Missæ celebrationem, nisi specialem Archiepiscopi Parisiensis licentiam scripto probet .... Vetat iterùm, ne is, qui publicè & notoriè criminosus est, sacris interesse permittatur. *Not.* Non est Parochi, sed Episcopi, publicè ac notoriè criminosos, qui per specialem denuntiationem non sint excommunicati, è templis, cum Missæ sacrificium offertur, expellere .... Vetat quoque ne Episco-

pi patiantur Missam celebrari privatis in domibus, & extra oratoria ab eisdem Episcopis visitanda. *Not.* Decretum non aufert ab Episcopo potestatem concedendi facultatem in aliquibus casibus celebrandi extra Ecclesiam in Altari portatili. Quæ a Romano Pontifice obtinetur facultas ad celebrandum in oratorio privato, vim non habet, nisi postquam ordinarius de non subreptione judicaverit....... Vetat præterea, ne peragatur Missæ sacrificium, nisi priùs, qui intersunt, decenter compositio corporis habitu, declaraverint se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solùm corpore adesse. *Not.* 1. Auctores, qui censent ab eo, qui voluntarias patitur evagationes mentis, fieri satis ecclesiastico de audienda Missa præcepto, concilient, si possunt, suam sententiam cum mox relatis Concilii verbis. *Not.* 2. Sacerdos, qui nondum consecravit, debet ex Altari recedere, si ii, qui immodestiam præseferunt, ac confabulantur, sese ad modestiam post debitas monitiones non se componant. —— Vetat tandem, ne adhibeatur music, ab. sive organo sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur. *Not.* Nonnunquam canuntur quidem res sacræ, sed quæ ex certa vocis modulatione cor ad lasciviam emolliunt: eam igitur vocis, aut instrumenti modulationem ab Ecclesiæ cantu Concilium vult ablegari.

Quod pertinet ad superstitionem, Concilium cavere vult, ne sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent; ne alias ceremonias, aut preces in Missarum celebratione adhibeant, præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ sunt. *Not.* Hora Missæ celebrationi destinata, est ab aurora, seu ab eo instanti, quo prima solis irradiatio aerem perfundit, ad meridiem usque. Parisiis, ex decreto Illustrissimi Archiepiscopi, presbyteris non licet Missam incipere pòst meridiem: si tamen cœpta fuerit, perficere debent. ...... Vult quoque a divino cultu ablegari quarumdam Missarum, & candelarum certum numerum. *Not.* Non prohibetur tamen numerus novem Missarum, qui a populis exigi solet a sacerdote, modò exigens non putet, illi præcise numero alligatam esse virtutem, quam sperat se ex sacrificio consecuturum ...... Tandem fidelem populum moneri vult, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus festis accedat. *Not.* Vox illa, *Moneant*, præceptum, non autem consilium indicat. Confirmaturque ex eo, quòd sacra Synodus ibidem jubeat, ut Episcopus populum fidelem ad frequentandam parochiam censuris Ecclesiasticis compellat.

Iis traditis, quæ ad Missæ sacrificium pertinent, concilium progreditur ad capita, quibus reformatio continetur. *Primò*, veteres de vita & honestate Clericorum canones innovantur. *Not.* Igitur Concilium choreis, lusibus, luxu, negotiis sæcularibus, venatione, meritò Clericos interdicit, cum ea omnia antiquis canonibus prohibeantur. *Secundò*, præscribitur, ut ad cathedrales Ecclesias assumendi, præter morum probitatem, hujusmodi scientia polleant, qua muneris sibi injungendi necessitati possint satisfacere. *Not.* Graviter igitur peccant, qui cum ignorantiæ, in qua versantur, conscii sint, Episcopatum tamen, aut ambiunt, aut sibi delatum suscipiunt. *Tertiò*, prohibetur ne Subdiaconatu non initiatus suffragium ferat in Ecclesiis cathedralibus, aut collegiatis. *Not.* Decanus, aut quivis alius, cui jurisdictio competit, si non sit subdiaconus, potest quidem convocare capitulum, ac ei præesse, sed non potest de re proposita ferre judicium decisivum. *Quartò*, præscribitur, ut ii qui in dictis Ecclesiis obtinent beneficia, quibus onera varia sunt annexa, intra annum ordines suscipiant requisitos. *Not.* Viri quidam nobiles, qui ferè nusquam ordines sacros suscipiunt, quamvis fruantur canonicatibus, quibus annexum est onus Missam ordine suo canendi, cum eo, si possint, Synodi decreto suam praxim concilient. Nec enim excusantur, quòd suas ea de re partes aliis committant: nempè Concilium jubet Episcopis, ut eos cogant diebus statutis sua officia per se ipsos exercere. *Quintò*. Committuntur locorum Ordinariis dispensationes obtentæ in curia, ut ab eo examinentur. *Not.* 1. Per locorum Ordinarios hic non intelliguntur soli Episcopi, sed quicumque alii prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, ac proprium districtum. *Not.* 2. An propter falsi narrationem subreptitiæ sint ejusmodi dispensationes, summariè & extrajudicialiter, citatis tamen partibus, cognoscere debent. *Sextò*, præscribitur, ut ad commutandas ultimas voluntates adsit justa & necessaria causa. *Not.* 1. Utraque conditio copulative requiritur. Justa verò ac necessaria est causa, cum legata pecunia ad usum à defuncto præscriptum non sufficit; cum onus legata pecunia præscriptum adimpleri non potest; cum, si tamen consentiat hæres, sit alius utilior pecuniæ usus. *Not.* 2. Eam facultatem Concilium Episcopis tribuit tanquam ab Apostolica sede delegatis, sed in Galliis id juris habent Ordinarii jure. *Septimò*, decernitur, ut locorum ordinarii quæcumque pia loca visitent. *Not.* Id intelligitur de hospitalibus, collegiis, ac laicorum confraternitatibus, etiamsi apud exemptos erectæ sint. *Octavò*, Notarii, etiam auctoritate regia creati, episcoporum examini & judicio subjiciuntur. *Not.* Decretum illud locum non habet in Galliis; nempe officiales regia auctoritate creati; ab Episcopis non pendent in iis, quæ pertinent ad officium suum exercendum. *Nonò*. Bonorum cujuscumque Ecclesiæ, aut pii loci occupatores, anathemati subjiciuntur, ipsoque facto privantur jurepatronatus, si illud possideant. *Not.* Statutum quoad ultimam partem non obtinet in Galliis. *Decimò*, Clerici, qui nefandæ fraudis & usurpationis fabricatores, seu consentientes fuerint, iisdem pœnis subjiciuntur, suisque beneficiis spoliantur. *Not.* Id locum non habet in Galliis, nisi post juridicam Ecclesiastici judicis sententiam.

De aliis Sessionis XXIII.

Sessione XXIII. actum est de Sacerdotio novæ legis. *Primò*, definitum est ipsum à Christo institutum fuisse, ac complecti potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus & sanguinem Christi, nec non peccata dimittendi & retinendi. *Not.* Isti sessioni ac aliis ad finem usque Concilii celebratis adfuerunt Gallicani, tum Episcopi, tum Theologi, qui cum Cardinale a Lotharingia Tridentum a Carolo IX. Francorum rege missi fuerant.

Definitum fuit *Secundò*, esse septem Ordines, quorum tres dicuntur majores, alii vero quatuor, minores. *Not.* 1. Concilium non obscurè innuit, Diaconatum (contra quod asseruit Durandus) esse ex institutione divina, cum ait Sacras Scripturas de diaconis apertam mentionem facere, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docere. *Not.* 2. Concilium non definit, quatuor esse minores Ordines, tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia; nempè certum est, solùm lectoratum, ex quatuor minoribus a mille & ampliùs annis in usu esse apud Græcos. *Not.* 3. Non definitur quoque, nec plures, nec pauciores esse, quam septem Ordines; unde non damnantur ii, qui contendunt Episcopatum esse Ordinem, & sacramentum a cæteris Ordinibus distinctum.

Definitum fuit *tertiò*, Ordinem verè esse sacramentum: *Not.* 1. Lutherus contrarium censuit. *Not.* 2. Licèt de fide certum sit, Ordinem esse sacramentum propriè dictum; non est tamen de fide, id singulis in specie Ordinibus convenire. *Not.* 3. Ut Concilium probet sacram Ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur esse verè sacramentum, laudat locum primæ ad Timoth. 4. ubi dicitur, gratiam dari per manuum impositionem;

nem; innuit igitur, manuum impositionem esse essentialem sacramenti Ordinis materiam.

Definitum fuit *quartò*, in sacramento Ordinis imprimi characterem; hincque Concilium concludit, temporariam non esse potestatem sacerdotum novi testamenti. *Not.* Non dicitur simpliciter characterem in Ordine imprimi, sed in sacramento Ordinis; nec immeritò, nempe cum dubium sit, an quilibet Ordo sit sacramentum, dubium est quoque, an per quemlibet character imprimatur.

Definitum fuit *quintò*, Episcopos, inter cæteros ecclesiasticos gradus ad ordinem hierarchicum præcipuè pertinere. *Not.* Cum, ex canone VI. hierarchia, quæ est in Ecclesia, divina ordinatione sit instituta, sequitur necessariò Episcopos esse ex institutione divina. ...... Additum est eos presbyteris superiores. *Not.* 1. Est contra Lutheranos, & Calvinistas, qui presbyteros cum Episcopis confundebant. *Not.* 2. Superioritas illa est, tum ratione Ordinis, scilicet Episcopi ex vi Ordinis Episcopalis, præ presbyteris habent potestatem confirmandi, & ordinandi; tum ratione jurisdictionis, sive gratiosæ, sive contentiosæ. *Not.* 3. An superioritas ratione jurisdictionis Episcopis conveniat jure divino immediatè accepto a Christo, disceptatum est in congregationibus, quæ sessionem præcesserunt; verùm licet major, tum Theologorum, tum Episcoporum, pars judicaret, superioritatem jurisdictionis jure divino immediatè accepto a Christo, Episcopis convenire; tamen quòd nonnulli contradicerent, Concilium ab ea quæstione dirimenda temperavit.

Definitum fuit *sextò*, in ordinatione Episcoporum, sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, & magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem, ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio. *Not.* Aliquibus sæculis requisitus quidem fuit ad ministrorum ordinationem populi consensus, sed ea conditio non divini, sed humani juris erat; nec illius defectu irrita erat potestas Ordinis, sed jurisdictionis tantum. ...... Decretum est præterea eos, qui a populo tantùm, aut sæculari potestate, ac magistratu vocati, & instituti, ad sacra ministeria exercenda ascendunt, non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones habendos esse. *Not.* Est contra Lutherum, aliosque sectarios, qui non ex Ecclesiæ ministris, sed ex magistratus sæcularis vocatione, & auctoritate suam missionem habuerunt.

Ubi Concilium tradidit veram Ecclesiæ fidem de Ordinis sacramento, errores hæreticorum octo canonibus proscribit. In quartum canonem *notandum est*, hæc verba: *Ac proindè frustra Episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum*, non significare, quod per ea præcisè verba, sacræ Ordinationis gratia producatur; sed tantùm, quòd gratia per Ordinationem conferatur; ac proindè Episcopum, qui sacram Ordinationem celebrat, frustra non dicere: *Accipe Spiritum sanctum*. In canonem VIII. *notandum est*, ex Palavicino, sic primùm paratum fuisse; *Anathema sit. Si quis dixerit, B. Petrum per institutionem Christi non fuisse primum inter Apostolos, & ejus Vicarium in terris; vel necesse non esse, ut sit in Ecclesia unus Pontifex Petri successor, eique æqualis in auctoritate regiminis, atque in Romana Sede legitimos ejus successores, ad hoc usque tempus, non habuisse jus principatus in Ecclesia, nec fuisse Patres, Pastores, ac Doctores omnium Christianorum, nec fuisse ipsis traditam à Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem pascendi, regendi, & gubernandi Ecclesiam universalem*. Verum propter dissidia, quæ inter Episcopos circa postrema hæc verba: *Gubernandi Ecclesiam universalem*, orta sunt, canon suppressus est, isque qui modò legitur, ejus loco fuit substitutus.

Fidei expositioni, errorum damnationi, subjecta sunt octodecim de reformatione capitula.

Priore capitulo declaratum est *primò*, eos, quibus incumbit animarum cura, quacumque dignitate fulgeant, teneri ad personalem in sua Ecclesia, vel diœcesi, residentiam. *Not.* Quo jure, an divino, an verò humano tantum, pastores ad personalem residentiam teneantur, *implicitè*, licèt non *expressè*, definitum est. Nempè definitum est, præcepto divino omnibus, quibus animarum cura commissa est, mandatum esse, ut oves suas agnoscant, pro iis sacrificium offerant, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascant. Definitum est iterum, ea omnia nequaquam ab iis præstari & impleri posse, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt. ...... Declaratum fuit *secundò*, Episcopos posse singulis annis per tres menses, sive interruptos, sive continuos, & non amplius, abesse a diœcesi. *Not.* Concilium vult, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis detrimento; quod quidem an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit. ...... Declaratum est *tertiò*, eos, qui contra decreti dispositionem a suis Ecclesiis abfuerint, præter mortalis peccati reatum, quem incurrunt, pro rata temporis absentiæ, fructus non facere suos, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere posse; sed teneri eos aut fabricæ Ecclesiarum, aut loci pauperibus erogare. *Not.* Quænam sint legitimæ causæ, propter quas pastores abesse possunt, ac per id tempus facere fructus suos, sacra Synodus hisce verbis declarat: *Nam cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent & exigant*, &c. *Not.* Ad illud Concilii decretum, quod quidem non aliud est, quam juris divini, imò & naturalis declaratio, attendant ii, qui Episcoporum confessiones excipiunt.

Capitulis IV. V. & sequentibus præscribuntur, quæ in Clericorum ordinatione servanda sunt. *Not.* 1. Quæ iis in capitulis præscripta sunt, puriorem veteris Ecclesiæ disciplinam redolent. Si exactè ab Episcopis servarentur, brevi antiquus Cleri splendor restitueretur. *Not.* 2. Seminariis regendis præpositi, legant sæpiùs capitulum XVIII. de erectione seminariorum, & ad normas in eo præscriptas, Clericos suæ curæ creditos regant, ac erudiant. *Not.* 3. Quæ de seminariorum erectione sancita sunt, edicta regia in Galliis confirmarunt.

Capitulo XV. privilegia circa confessiones audiendas olim Mendicantibus concessa, rescissa sunt. Nempè decretum est, ut nullus sæcularium confessiones audiat, nisi approbatus fuerit ab Ordinario. *Not.* 1. Satis non est, ut quis approbationem petierit, sed præterea requiritur, ut eam de facto obtinuerit. *Not.* 2. Per illud decretum regulares non prohibentur, ne religiosorum sui Ordinis, ex approbatione superiorum regularium confessiones audiant. *Not.* 3. Vide eo super argumento tomum 2. Commentarii Historici, & Dogmatici de Sacramentis.

De actis Sessionis XXIV.

Sessione vigesima quarta, actum est de sacramento matrimonii, declaratumque fuit *primò*, primum humani generis parentem pronuntiasse perpetuum, indissolubilemque matrimonii nexum, cum Genesis 2. dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo Patrem suum & Matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. *Not.* Verba, quæ Concilium Adamo tribuit, Christus Matth. 19. refert tanquam a Deo prolata. Nulla tamen est contradictio, quia Deus non immediatè per seipsum illa verba protulit, sed mediatè per Adamum.

Declaratum fuit *secundò*, matrimonii vinculo duos tantummodò copulari & conjungi. *Not.* 1. Id ipsemet Christus docet, Matthæi 19. ubi hæc Genesis verba: *Relinquet*, &c. tanquam a Deo prolata referens, dicit:

dicit: *Itaque jam non sunt duo, sed una caro.* Ex iis quoque indissolubilem matrimonii nexum confirmat, cum subjicit: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Not. 2. Concilium *expressè* quidem non definit, quo jure, naturali, an divino positivo, matrimonium sit indissolubile; sed videtur, quod implicitè innuat id ei jure naturali convenire; scilicet laudans Adami verba: *Quamobrem relinquet*, &c. supponit indissolubilitatem matrimonio convenisse in statu naturæ innocentis; at in eo statu præter prohibitionem esus fructus cujusdam, non erat positivum aliquod præceptum.

Declaratum fuit *tertiò*, matrimonium inter novæ legis sacramenta meritò recenseri, eò quod in lege Evangelica veteribus connubiis gratia per Christum collata præstet. *Not.* 1. Concilium asserit quidem, matrimonii gratiam *innui* his Pauli verbis ad Ephes. 5. *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam & tradidit seipsum pro ea. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia*; sed non dicit eam invictè probari; nec immeritò, cum Paulus alloquatur eos etiam fideles, qui matrimonium inierant, antequam religioni Christianæ darent nomen. *Not.* 2. Quod Synodus ex Scriptura non asserit, asserit ex unanimi Patrum ac traditionis consensu; ex quo etiam capite theologi argumenta petunt, ut idem adversus heterodoxos confirment. Adversus traditam Ecclesiæ de matrimonio fidem, hæretici, qui elapso proximè sæculo grassati sunt, varios errores sparserant, quos Concilium duodecim Canonibus proscribit.

Primò, anathemate eos damnat, qui negant matrimonium esse propriè dictum sacramentum novæ legis. *Not.* Est contra Lutherum, Calvinum & alios, quibus placet, matrimonium esse merum contractum naturalem & civilem. —— *Secundò*, eos, qui dicunt licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina prohibitum. *Not.* 1. Est contra Lutherum, qui polygamiam Hassiæ Langravio expressè permisit. *Not.* 2. Posita est hæc vox *Christianis*, quòd contendant aliqui, polygamiam sola Evangelica lege prohibitam fuisse; unde concludunt homines, tum in lege naturæ, tum in lege Mosaica, potuisse sine dispensatione plures simul uxores ducere: contendunt iterùm ethnicos, qui jam temporis pluribus simul nubunt, non peccare, si laborent invincibili Evangelii ignorantia. —— *Tertiò*, damnantur hi quoque, qui docent eos tantùm consanguinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum & dirimere contractum. *Not.* Catholici fatentur quidem gradus illos dirimere matrimonium, sed contendunt eos vim illam non habere præcisè, quòd in Levitico statuantur. Nonnulli (inquiunt) jure naturali dirimunt matrimonium, alii verò jure tantùm Canonico; unde concludunt, Ecclesiam in nonnullis posse dispensare. —— *Quartò*, proscripti sunt, qui asserunt, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia. *Not.* 1. Nomine Ecclesiæ hic non intelligitur (ut voluit Launoius) coetus fidelium, prout & clericos, & laicos continet; sed prout solos Ecclesiæ pastores, seu ordinem sacerdotalem complectitur. *Not.* 2. Canon ferit Lutherum, non autem theologos, qui fatentes Ecclesiam posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, id quoque juris, contractus respectu, principibus sæcularibus concedunt. —— *Quintò*, damnantur ii, qui asserunt Ecclesiam errare, cùm docuit & docet, juxta Evangelicam & Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere. *Not.* Canon (inquit Palavicinus lib. 22. historiæ Trid. cap. 4.) paratus fuerat cum anathemate in eum, qui diceret matrimonia consummata, ob adulterium dissolvi; sed propter Græcos, qui in casu, de quo agitur, matrimonium dissolvunt, sub ea forma, qua nunc legitur, promulgatus est: unde expressè non damnatur Græcorum praxis, sed sola censura, quam Lutherani inurebant Ecclesiæ Romanæ, quæ docuit, ac docet, matrimonia, de quibus agitur, minimè dissolvi. Vide Commentarii Historici de Sacramentis tomum 2. pag. 972. —— *Sextò*, damnantur ii, qui docent ordines sacros, aut solemnem in approbata religione professionem non esse matrimonii impedimenta dirimentia. *Not.* 1. Concilium ait quidem, Ordines sacros dirimere matrimonium *ex lege ecclesiastica*, sed idem non definit de voto solemni; nempè plures Catholici contendunt, ipsum jure divino matrimonium dirimere; unde concludunt, Ecclesiam non posse cum religioso professo dispensare, ut matrimonium contrahat. *Not.* 2. Canon ferit Lutheranos, aliosque recentiores sectarios, qui, ut post emissum solemne religionis votum, impunè nuberent, contenderunt, votum illud non dirimere matrimonium. *Septimò*, tandem damnantur ii, qui dicunt, causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos. *Not.* 1. Lutherani contendentes matrimonium non aliud esse, quam civilem contractum, asseruerunt causas, quæ ad illud spectant, non ad Ecclesiam, ad quam solæ causæ spirituales deferri debent, sed ad magistratus sæculares pertinere. *Not.* 2. Canon edicit quidem causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos, sed non ait, quòd ad eos *solos* spectent; neque enim damnare voluit magistratus, qui judicium ferunt de effectibus civilibus matrimonii, aliisque ad rempublicam spectantibus.

Post doctrinam & canones subjicitur decretum de reformatione matrimonii, ediciturque *primò*, matrimonia clandestina fuisse valida, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; sed deinceps fore invalida, si aliter, quam præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, contracta fuerint. *Not.* 1. Decretum ad Gallorum postulationem latum est. *Not.* 2. An matrimonia clandestina valuerint sub ratione sacramenti, an verò contractus tantùm naturalis, Concilium non definit; quæstio est, quæ theologorum disputationibus permittitur. *Secundò*, anathemate damnantur, qui affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. *Not.* 1. Est contra Lutheranos, qui docebant, hujusmodi matrimonia esse irrita jure naturali, ac divino. *Not.* 2. In iis matrimoniis sæpè reperitur impedimentum, quod vocant raptum seductionis. *Not.* 3. Judices sæculares in Galliis ea matrimonia declarant irrita quoad effectus civiles. Edicitur *tertiò*, ut nullum deinceps celebretur matrimonium, non præmissis proclamationibus. *Not.* 1. Hic clausula irritans non additur, sicut addita fuit, cum actum est de Parochi præsentia. *Not.* 2. Quæ in hoc decreto sancita sunt, non habent locum in iis locis, ubi specialiter promulgata non fuerunt: *Decernit insuper* (verba sunt sacræ Synodi) *ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.* Vide Concilia provincialia, quæ in Galliis post Tridentinum habita sunt. Vide etiam Edictum Blesense sub Henrico III. Francorum Rege. *Quartò*, varia statuuntur de cognatione spirituali; de impedimento publicæ honestatis; de affinitate, de raptu, aliisque matrimonii impedimentis, de quibus lector consulere poterit tomum 2. nostri Commentarii Historici de Sacramentis.

Decretum ad matrimonii reformationem spectans, subsequitur decretum de morum ac disciplinæ reformatione, quod quidem viginti capitulis continetur.

In quartum *notandum est* 1. prædicationis munus dici

dici Episcoporum præcipuum Officium, indeque colligitur, graviter peccare Episcopos, qui, licet legitimè impediti non sint, nunquam, aut saltem perrarò concionantur. *Notandum est* 2. Parochos juberi prædicare, seu docere creditum sibi populum, saltem omnibus Dominicis & solemnibus diebus festis. Parochi suam in prædicando socordiam ac negligentiam concilient, si possint, cum eo sacræ Synodi decreto. *Notandum est* 3. ex hisce capituli verbis: *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei*, certò inferri debitum audiendi Missam Parochialem; nempè Parochi, ex hujus sessionis capitulo 7. intra Missarum solemnia concionari debent, ac fidelem populum docere. Vide nostram de eo argumento dissertationem Gallico idiomate conscriptam.

In quintum capitulum *notandum est*, illud in Galliis non esse receptum. Vide quæ superiùs dicta sunt de judiciis in Episcopos ferendis ...... In sextum *notandum est*, illud exactè in Galliis observari etiam quoad absolutionem ab hæresi; nec enim sunt in usu constitutiones, quibus ea potestas ab Episcopis aufertur...... In octavum, quod est de pœnitentia publica publicis peccatoribus injungenda, *notandum est*, ipsum editum fuisse ad postulationem Gallorum; unde mirum non est, quòd in provincialibus Galliarum Conciliis promulgatum sit, ac plerisque Ritualibus præscriptum, ut videre est in Parisiensi.

In duodecimum *notandum est*, eo rectè præscribi, quæ a Cathedralium Canonicis agenda sunt; nempè prohibetur, ne ultra tres menses vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, quolibet anno a suis Ecclesiis abesse possint. Hincque infertur, perniciosam corruptelam esse consuetudinem aliquarum insignium Ecclesiarum Cathedralium, quarum Canonici per tres tantùm menses in suis Ecclesiis resident. Infertur præterea, Canonicos illos non tantùm peccare graviter, sed etiam ad restitutionem pro rata absentiæ teneri. Decernitur quoque, Canonicos teneri *per se* sua obire officia, atque in Choro ad psallendum instituto hymnis & canticis, Dei nomen reverenter, distinctè, devotèque laudare. Hincque concluditur, eos suo officio non facere satis, cum, dum alii canunt, ipsi submissa voce horas canonicas recitant.

In capitulum decimum quintum *notandum est*, cum eo conciliari non posse pravum Canonicorum, qui a Canonicis in possessionem admittendis, fructuum, aut distributionum deductionem, aut pecuniam, aut cœnam, aut quidlibet aliud ad usus pios non convertendum exigunt.

In capitulum decimum septimum, quo vetatur beneficiorum etiam simplicium pluralitas. *Notandum est* 1. illud ad petitionem Episcoporum Gallorum editum fuisse. *Notandum est* 2. ipsum habere locum etiam respectu Cardinalium. *Notandum est* 3. honestam sustentationem, de qua loquitur, peti non debere ex nobilitate beneficiarii, sed ex dignitate beneficii; neque erecta fuerunt beneficia, ut mundano fastui conferretur. *Notandum est* 4. beneficiorum pluralitatem in seipsa consideratam, habere difformitatem, quæ contra ipsam rationem pugnet: *Cum* (inquit Concilium) *Ecclesiasticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum*. In aliquibus tamen circumstantiis, ubi nempè *manifestè* expedit Ecclesiæ utilitati, si absit scandalum, ex legitima dispensatione, ejusmodi difformitas tollitur. Vide quæ in tractatu de Beneficiis inferiùs dicentur.

In capitulum decimum octavum *notandum est*, illud in Galliis non esse in usu; scilicet Episcopus per se solum, non adhibitis examinatoribus (ut vocant) synodalibus, potest ad regimen Parochialis Ecclesiæ prætendentium examinare.

De aliis Sessionis XXV.

Sessione XXV. quæ habita est die 4. Decembris, ann. 1563. promulgatum est 1. decretum Fidei de Purgatorio, de Invocatione, Veneratione & Reliquiis Sanctorum, de cultu imaginum. Promulgatum est 2. decretum de Regularibus, & Monialibus. Promulgatum quoque fuit 3. decretum de reformatione. Ac tandem 4. aliud promulgatum est de indulgentiis, de delectu ciborum, jejuniis & diebus festis, de indice librorum, Catechismo, Breviario, & Missali.

De Purgatorio, hoc unum definit, ipsum scilicet existere, ac animas in eo detentas juvari fidelium suffragiis. *Not.* De loco, in quo positum est, de specie pœnarum, quæ in eo perferuntur, altum est in Concilio silentium.

De Sanctis, qui unà cum Christo regnant, definit 1. eos orationes suas Deo pro viatoribus offerre: 2. bonum ac utile esse suppliciter eos invocare. *Not.* 1. Sacra Synodus eo in loco supponit sanctos jam in cœlis frui intuitiva Dei visione, contra quod tamen nonnulli Patres ante Concilium Florentinum senserant: vide harum institutionum tomum 2. *Not.* 2. Licet Concilium doceat bonum esse, ac utile sanctos suppliciter invocare, non dicit tamen quoslibet fideles ad id divino, aut ecclesiastico præcepto specialiter teneri. Monendi sunt tamen hominibus, ut dum sistunt se præsentes, aut Missæ sacrificio, aut Ecclesiasticis Officiis, una cum sacerdote, qui Ecclesiæ nomine, sanctorum suffragia exposcit, mentem ac voluntatem conjungant. *Not.* 3. Qua ratione viatorum orationes sanctis in cælis regnantibus innotescant, Concilium non aperit, unde ea quæstio theologorum examini permittitur.

De Sanctorum martyrum & aliorum cum Christo regnantium corporibus definit, venerationem ac honorem eis deberi, nec inutiliter eorum memorias frequentari. *Not.* 1. Concilium triplicem affert causam, cur sanctorum corporibus veneratio exhiberi debeat; nempè, quod fuerint viva Christi membra, ac templum Spiritus Sancti; quòd ab ipso ad æternam vitam suscitanda & glorificanda sint; quòd denique per ea, multa beneficia a Deo hominibus præstentur. *Not.* 2. Concilium non asserit, sanctorum corporibus inesse virtutem aliquam physicam, aut moralem, quæ stata lege, sicut novæ legis sacramenta, in eos operetur, a quibus, etiam piè, exhibetur veneratio.

De imaginibus Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum sanctorum, definit 1. eas in templis habendas & retinendas esse: 2. eis debitum honorem esse impertiendum: 3. honorem eis exhibitum, ad prototypa referri. *Not.* 1. Absolutus igitur non est, sed relativus est cultus, qui sanctorum imaginibus exhibetur. *Not.* 2. Discrimen, quod reperitur inter venerationem, qua prosequimur sanctorum imagines, & eam, qua gentiles simulacra Deorum suorum prosequebantur, Concilium hisce verbis tradit: *Non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colenda; vel quòd ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant.*

Ne autem in sanctorum, sive reliquias, sive imagines, sive miracula, abusus irrepat, decernit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo. *Not.* Ex eo decreto patet hæreticos immeritò Ecclesiæ crimini vertere abusus, ac superstitiones, quæ circa sanctorum, tum imagines, tum reliquias, tum cæterum cultum apud imperitos, ac superstitiosos quosdam irrepserunt.

De-

Decreto, quo agitur de Purgatorio, ac Sanctorum invocatione, reliquiis, imaginibus. Concilium subjicit decretum de regularibus, & monialibus, quod quidem XXII. capitulis constat.

Primò, præcipitur, ut regulares omnes, tam viri, quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant. *Not.* Graviter igitur peccant regulares, qui monasteriorum ad regulæ præscriptum reformationem impediunt.

Secundo, proprietas iisdem regularibus omninò prohibetur. *Not.* Cum ea prohibitione conciliari non potest usus pensionum, quæ monialibus post professionem a parentibus traduntur, & de quibus, etiamsi apud superiores depositæ fuerint, pro libito disponunt.

Tertiò, omnibus monasteriis, exceptis domibus Cappuccinorum, & Minorum de Observantia, permittitur, ut bona immobilia possideant. *Not.* Ante illam Concilii indulgentiam, id nulli Ordini Mendicantium permissum erat.

Quartò, jubetur Episcopis, ut monialium clausuram, ubi violata fuerit, diligenter restituant; ac inobedientes, etiam exemptos per censuras ecclesiasticas, quacumque appellatione postposita, compescant. *Not.* Hinc patet, graviter peccare moniales, quæ Episcopo clausuram restituere conanti contradicunt.

Sextò, præscribitur ratio eligendi superiores, decerniturque id fieri debere per vota secreta; nec suppleri posse absentium suffragio; nec ad electionem faciendam constitui posse Provinciales, Abbates, Priores, aut alios quoscumque titulares. *Not.* Illi decreto non adversatur praxis, per quam aliqui ex variis monasteriis, per vota secreta electi, mittuntur ad capitulum, ut superiores pro se, ac pro absentibus eligant.

Septimò, jubetur, ne professio in religione, sive virorum, sive mulierum fiat, nisi exacto probationis anno & decimo sexto ætatis completo. *Not.* Nonnullis visum fuerat, ad professionem expectandum esse annum 25. sed id a cæteris rejectum est propter pericula, quibus pubeires in sæculo exponuntur. Præscribitur quoque, ut novitii finita probatione, aut profiteantur, aut ejiciantur. *Not.* Decreto adversatur praxis, qua nonnullarum monialium professio ad multum tempus post expletum novitiatum differtur, eò quòd promissa pro dote pecuniæ summa, quæ ut plurimùm sine simonia, nec datur, nec accipitur, parata non sit. ...Prohibetur pariter, ne quid a novitio ante professionem, excepto victu, & vestitu, tribuatur. *Not.* Victum, & vestitum a novitiis, quibus suppetunt opes, monasterium potest exigere.

Octavò, decernitur, quomodo ex causis deficientium a religione procedendum sit. *Not.* Post quinquennium audiri non debet religiosus, qui contendit irrita esse vota, quæ emisit in professione; nec etiam intra quinquennium, si sub obtentu nullitatis eorumdem votorum, habitum, aut monasterium sponte dimiserit.

Nonò, vetatur, ne monasteria, & ea præsertim, quæ sunt ordinum capita, dentur in commendam. *Not.* Non tulit temporum iniquitas, ut illud disciplinæ caput in omnibus Catholicis provinciis obtinuerit.

Decreto de regularibus, & monialibus Concilium subjicit unum supra viginti capita de reformatione.

In primum autem caput *notandum est* 1. meritò Concilium præscribere, ut Episcopi modesta supellectili, ac frugali victu contenti sint; nempè ratione status, ac proinde naturali ac divino jure, populo fideli tenentur esse modestiæ, frugalitatis, ac aliarum virtutum exemplo. *Notandum est* 2. eodem capite meritò innovari canonem Apostolicum, quo Episcopi prohibentur, ne res ecclesiasticas consanguineis donent, usve familiares suos augere studeant. Nimirùm (ut ait idem Concilium) bona Ecclesiæ, Dei sunt, hoc est Deus, non autem homines, earum est Dominus; proindeq; qui eas a beneficiariis recipiunt, nisi tamen sint pauperes, ad restitutionem tenentur.

In secundum reformationis caput, quo præcipitur, ut in proximo concilio provinciali palam recipiantur, quæ in Tridentino definita ac statuta sunt, *notandum est*, ea, quæ ad fidem pertinent, ab omnibus Ecclesiis Catholicis recepta fuisse, non autem, quæ ad reformationem; tum quòd nonnulla probatis provinciarum usibus adversarentur, tum quod id non permitteret temporum iniquitas, tum deniq; quod magistratus civiles iis contradicerent. Vide quæ de eo argumento §. 3. inferiùs dicentur.

In caput quartum, quo circa numerum Missarum, quibus celebrandis propter nimium earum numerum, aut tenuiorem eleemosynam, satis non sunt Ecclesiæ, Episcopis fit facultas ea statuendi, quæ magis ad Dei honorem, & Ecclesiarum utilitatem viderint expedire. *Notandum est* 1. decretum non intelligi de Missis votivis, quæ in dies a fidelibus petuntur; sed de fundatis, seu de iis, ad quas pecuniæ summa per testamentum relicta fit. *Notandum est* 2. vi ejusdem decreti posse Episcopos idem statuere de Missarum fundationibus, quæ post concilium Tridentinum in variis Ecclesiis factæ fuerunt.

In caput sextum, in quo agitur de visitatione capitulorum exemptorum, *notandum est*, ipsum in omnibus Galliarum provinciis non esse in usu. Idem dicendum est de septimo, quoad primam partem, qua tollitur regressus ad beneficia; quoad posteriorem verò, quæ est de coadjutoribus, usum corrigit, qui in multas Ecclesias irrepserat, quique his etiam temporibus, in nonnullis adhuc grassatur; in iis nimirùm e Canonicis, licèt sanitate fruantur, coadjutores, a quibus non adjuventur, sub certa spe futuræ successionis eliguntur.

In caput decimum octavum, in quo præcipitur, ut canones adamussim ab omnibus, quoad ejus fieri poterit, indistinctè observentur, *notandum est* 1. non agi de omnibus, ac singulis Conciliorum canonibus; nonnulli enim quoad externam disciplinam abrogati sunt per non usum, cui per suam praxim Ecclesia Catholica tacite consensit: sed agitur de iis canonibus, quorum executionem his etiam temporibus Ecclesia præscribit. *Notandum est* 2. probari quidem dispensationes, sed eas tantùm, quæ ex parte concedentis præsupponunt causæ cognitionem, & ex parte recipientis urgentem causam, justamque rationem, & ex parte Ecclesiæ majorem utilitatem.

In caput decimum nonum, quo monomachia pœnis gravissimis punitur, *notandum est* 1. pœnas temporales, quæ duello confligentibus per Canonem infliguntur, intelligi de confligentibus, qui civitatis, castri, aut loci, dominium ab Ecclesia obtinent; neque enim Canones Ecclesiastici aliquam in bona temporalia potestatem exercere solent. *Notandum est* 2. Excommunicationem ipso facto incurrere dominos temporales, qui locum ad duellum concesserint; eos, qui pugnam commiserint; eos etiam, qui pugnantium patrini vocantur; eos quoque, qui in causa duelli, tam jure, quam facto consilium dederint, aut alia quacumque ratione id alicui suaserint, eos deinde, qui pugnantes spectaverint. *Notandum est* 3. Disciplinam eo capitulo præscriptam, ubique ferè, sed in Galliis præsertim, per Synodos provinciales, quæ post Tridentinam habitæ sunt, promulgatam fuisse, eique robur maximum additum fuisse regiis, tum Ludovici XIII. tum XIV. edictis.

In caput vigesimum, quo Ecclesiæ & personarum ecclesiasticarum immunitas Principibus commendatur, *notandum est*, ecclesiasticæ immunitatis usum non esse omninò eandem in singulis orbis Christiani provinciis. In aliquibus omnes, tum civiles, tum ecclesiasticæ Clericorum causæ ad Judices ecclesiasticos spectant, in nonnullis

nullis ecclesiasticæ solùm, in aliis verò etiam mixtæ.

In caput vigesimum primum, quo declaratur omnia & singula, quæ de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in Concilio statuta sunt, ita decreta fuisse, ut in his salva semper Sedis Apostolicæ auctoritas & sit, & esse intelligatur, *notandum est*, ipsum sic exponi debere, ut Summus Pontifex de Concilii decretis pro loco & tempore, servatis servandis, aliquando dispensare valeat. Nempè, cum Concilium non semper sit congregatum, ac circa disciplinam ab eo præscriptam dubia nonnunquam occurrant, ac præterea major Ecclesiæ utilitas interdum postulet, ut ea disciplina ab omnibus ad litteram non observetur, par est, ut is, qui divino jure primatum habet in Ecclesia, Conciliorum statuta moderetur, interpretetur, ac nonnunquam de eis dispenset: *Necessaria rerum dispensatione constringimur* (inquit Gelasius Papa I. in epistola ad Episcopos Lucaniæ) *& Apostolicæ Sedis moderamine convenimur, sic Canonum paternorum decreta librare, & retrò præsulum, decessorumque nostrorum præcepta metiri, ut quæ præsentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantùm fieri potest, temperemus.*

Post decretum de reformatione morum, sacra Synodus aliud de indulgentiis promulgavit, definitque 1. potestatem conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessam fuisse: 2. illarum usum Christiano populo maxime salutarem esse: 3. abusus, qui in earum usum per corruptelam irrepserint, ab Episcopis tolli, ac corrigi debere. *Not.* 1. Eæ de indulgentiis definitiones sunt contra Lutherum, Zuinglium, Calvinum, aliosque elapsi proxime sæculi sectarios. *Not.* 2. Indulgentiæ, quas Concilium probat, ejusdem sunt naturæ, ac speciei cum iis, quæ antiquorum Conciliorum Canonibus firmatæ sunt; atque ità cum indulgentiæ antiquorum Conciliorum Canonibus firmatæ, nihil aliud sint, quam Canonum pœnitentialium relaxatio, & pœnarum iis præscriptarum, aut imponendarum vera coram Deo remissio, ita nec aliud sunt hodiernæ. *Not.* 3. hæc sacræ Synodi verba: *In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit*; probant, in indulgentiarum concessione, ac applicatione haberi debere rationem contritionis, ac laborum hominis pœnitentis; neque enim majores nostri eas largiebantur hominibus lapsis, nisi intensam contritionem probassent pœnitentiæ laboribus, aut saltem, nisi proportionatam peccatis pœnam & suscipere, & exequi parati essent, quamvis aut præ infirmitate, qua detinebantur, aut propter instans mortis periculum, proportionatam suis peccatis pœnam actu subire non possent. *Not.* 4. Quodnam sit indulgentiarum fundamentum, unde illarum virtus desumatur, Concilium non apertè quidem in suo de indulgentiis decreto; sed id explicatum supponit sessione sexta, ubi definitum est, quælibet hominis merita, quamlibet satisfactionem, peti ex Christi meritis, ac satisfactione; illud verò fundamentum à scholasticis *thesaurus* dicitur, in quo etiam thesauro locum habent sanctorum merita, ac satisfactio, non quidem per modum redemptionis, ac solutionis, sed per modum suffragii ad impetrandam nobis sanguinis Christi, ac exhibitæ ab eo satisfactionis, applicationem. Alia quæ ad indulgentiarum argumentum spectant, vide fuse pertractata ad calcem Commentarii Historici & Dogmatici de Sacramentis, nec non harum Institutionum Theologicarum tomo 6.

Post decretum de indulgentiis actum est de delectu ciborum, jejuniis & diebus festis, de indice librorum, Catechismo, Breviario & Missali, de loco Oratorum, de recipiendis & observandis decretis Concilii, de recitandis in publica sessione decretis Concilii sub Paulo III. & Julio III: ac tandem de fine Concilii, & de confirmatione petenda a Pio Papa IV. *Not.* Petitioni de petenda a Summo Pontifice confirmatione Concilii, Granatensis Archiepiscopus, Palavicino teste, contradixit quidem; sed tamen decretum unanimi Patrum consensu promulgatum est.

§. III.

Utrum Concilium Tridentinum sit Concilium Oecumenicum.

Not. Ubi Lutherus à Leone Papa X. damnatus est, provocavit ad Generale Concilium. Qui Luthero sub Protestantium nomine adhæserunt in Germania, nihil frequentiùs habuerunt in ore, quam Oecumenicum Concilium, cujus judicio (inquiebant) & seipsos, & fidem suam parati erant subjicere: Verùm, ubi a Paulo Papa III illud, quod petere fingebant, Concilium indictum est Tridenti, varias adversùs ipsum querelas moverunt; nempe contenderunt ipsum non esse legitimum, quòd à Summo Pontifice convocatum esset; quòd idem Pontifex Maximus per suos legatos ei præesset; quòd extra Germaniam, ubi quæstiones de fide, ac reformatione morum cœperant, haberetur; quòd suarum partium theologis, ac prætensæ suæ reformationis ministris suffragium decisivum non concederetur. Iis querelis, aliisque causis, quas ante ac post celebratum concilium obtenderunt, probarunt manifestè, (quod est palmarium in sua secta principium) se non alios, quam seipsos agnoscere fidei judices.

CONCLUSIO. Concilium Tridentinum est Concilium legitimum, ac œcumenicum.

Probatur. Ad legitimum & œcumenicum Concilium requiritur, ut Canonice convocetur; ut debitum habeat præsidem; ut Episcopi ex præcipuis orbis partibus in illo sedeant; ut iidem Episcopi summa in ferendo suffragio libertate fruantur; ut de causis, propter quas indictum est, non feratur judicium, nisi post diligens ac maturum examen; ut præcipuæ orbis Ecclesiæ illi consensum suum præbeant: Atqui eæ omnes conditiones in Concilio Tridentino reperiuntur; ergo Concilium Tridentinum est Concilium legitimum ac œcumenicum. Minor argumenti propositio subsequentibus momentis ostenditur.

Primò, Concilium Tridentinum Canonicè convocatum est, a Summo nimirùm Pontifice ad quem (ut superiùs ostensum est) pertinet jus convocandi Concilia generalia, & a quo plurima ex Orientalibus; & omnia, quæ in Occidente celebrata sunt, reipsa convocata fuerunt.

Secundò, habuit quoque debitum præsidem, scilicet eundem Romanum Pontificem, qui omnibus Conciliis Generalibus (excepto tamen Constantinopolitano I. quod quidem non fuit œcumenicum, nisi post Occidentalium consensum,) quæ tum in Oriente, tum in Occidente celebrata sunt, per suos legatos præfuit, ac jure (ut agentes de Conciliis in genere demonstravimus) præesse debuit.

Tertiò, Concilio Tridentino adfuerunt Episcopi ex præcipuis orbis Christiani provinciis, & quidem ingenti numero; nempè decretis ab eo latis subscripsere quatuor Sedis Apostolicæ legati præsides, duo alii Cardinales, tres Patriarchæ, vigintiquinque Archiepiscopi, centum sexaginta octo Episcopi, triginta novem Procuratores Prælatorum absentium, septem Abbates, & totidem Religiosorum Ordinum Præpositi generales.

Quartò, Episcopi in ferendis suffragiis summa potiti sunt libertate; quamvis enim legati de præcipuis capitibus

capitibus

pitibus definiendis per litteras certiorem facerent Pontificem maximum, ipseque Pontifex ad eos rescribens, suam de eis mentem aperiret; nunquam (ut videre est apud Palavicinum lib. 8. cap. 12.) id factum est per modum imperii, sed admonitionis & consilii, ut scilicet complurium judicio perspecto, Synodus posset id statuere, quod optimum esset. Præterea, Pontifices maximi nonnunquam Tridentinos Patres monuerunt, ut iis inconsultis, sive fidei, sive reformationis capita prosequerentur: *Ne tempus teratis amplius in petendo hinc consilio* (verba sunt Cardinalis Boromæi ad legatos, nomine Pii Papæ IV. rescribentis) *eoque citius vobis expedire liceat id, quod superest.*

Quintò, de quæstionibus, sive fidei, sive reformationis, nusquam definitio lata fuit sine præcedenti maturo examine. Scilicet hæc observata est agendi ratio. 1. Legati, aut motu proprio, aut ad Oratorum preces, aut ad vota Patrum, aliquos theologos committebant, ut controversias, de quibus agendum erat in sessione, in ordinem redigerent. 2. Eædem quæstiones in ordinem a selectis theologis redactæ, subjiciebantur examini ac discussioni privatæ theologorum congregationis, cui aliquis Episcopus præerat, cuique alii omnes Episcopi pro libito adesse poterant. 3. Quæ in privata illa theologorum congregatione decreta fuerant, referebantur ad congregationem generalem, in qua, omnibus ferme præsentibus Episcopis, iterato examine discutiebantur. 4. Quæ in congregatione generali decreta fuerant, referebantur ad publicam Concilii sessionem, in qua Episcopi, aliique, quibus jus erat ferendi decisivum suffragium, suum de rebus propositis judicium ferebant, per verbum *placet*, si tamen nihil in decreto mutandum esse censerent. Vide Palavicinum, aliosque sacri Concilii historicos.

Sexto, Concilii Tridentini decretis, præcipuæ orbis Christiani Ecclesiæ consenserunt. Suscepta sunt a Catholicis Germaniæ regionibus in Synodo Augustana, quæ ab Othone Cardinale Truxesio celebrata est anno 1567. Suscepta quoque fuerunt ab Hispania, Sicilia, cæterisque Catholici regis ditionibus, anno 1564. idque per edictum præcipiente Philippo Hispaniarum rege. Suscepta quoque fuerunt à Lusitania, ut patet ex Sebastiani regis litteris ad Pium Papam IV. quas refert Palavicinus hist. l. 24. c. 9. Suscepta pariter fuerunt a Polonia in regni Comitiis, quæ anno 1564. habita sunt. Suscepta etiam fuerunt a Republica Venetorum, ac (ut refert Morosinus lib. 8. historiæ Venetorum) intra Missarum solemnia, promulgata sunt.

Septimò. Licet quoad aliqua disciplinæ capita, Ecclesia Gallicana ejusdem Concilii decreta non promulgaverit; amplexa tamen est ea omnia, quæ in eo de fide & moribus definita, ac statuta fuerunt. Id nimirum patet ex Synodo Remensi, quæ Præside Carolo Cardinale a Lotharingia, anno 1564. celebrata est; ex Rothomagensi, quæ habita est anno 1581, præside Carolo Cardinale Borbonio; ex Burdigalensi, anno 1583. ex Turonensi, anno 1583. ex Bituricensi, anno 1584. ex Aquensi, ann. 1585. ex Tolosana, ann. 1590. ex Avenionensi, ann. 1594.

Octavò. Clerus Gallicanus ad generalia Comitia coactus, frequenter a christianissimis regibus postulavit, ut sibi liceret Concilium Tridentinum promulgare, non tantùm quoad fidem, ut jam ubique promulgatum fuerat, sed etiam quoad ea disciplinæ capita, quæ regni juribus & consuetudinibus, ex veterum Canonum præscripto servari solitis, non adversantur. Libellum supplicem Henrico III. in eum finem, oblatum videre est in Comitiis Blesensibus. Iteratas de eodem argumento preces legere est in actis Conventus, qui anno 1579. Meloduni celebratus est; in actis Conventuum Parisiensium ann. 1585. 1586. & 1596. Eæ, pluresque aliæ Cleri Gallicani supplicationes de verbo ad verbum descriptæ reperiuntur tom. 1. Commentariorum Cleri Gallicani.

Objicies 1. Papa præesse non poterat Concilio in causa Protestantium celebrato, cum ipse pars esset, in quam iidem Protestantes movebant litem: 2. Concilium in causa, de qua agitur, celebrari debuisset in Germania; par nimirùm erat, ut negotio finis imponeretur, ubi inceperat: 3. Lutherani, Calvinistæ, inauditi damnati sunt, quod quidem omnia jura vetant: 4. In Concilio Tridentino multa sunt, quæ regnorum, ac inprimis imperii Gallicani, juribus adversantur: 5. Licet Clerus Gallicanus sæpius petierit Concilii Tridentini promulgationem, nusquam tamen a regibus Christianissimis eam obtinere potuit: Ergo Concilium Tridentinum non est Concilium legitimum ac œcumenicum.

Resp. ad 1. Papam per suos legatos adfuisse Concilio tanquam judicem, non autem tanquam partem, in quam Protestantes (ut ajebant) litem moverant; nec is, cui divino jure concessa est potestas ferendi judicium de fidei controversiis, jure excidit suo, quòd ii, in quos protulit condemnationis sententiam (ut revera Leo X adversùs Lutheranos tulerat,) eum tanquam fidei perduellem ausi fuerint accusare; nam alioquin, nec Cyrillus de Nestorio, nec Leo I. de Eutyche, nec Agato de Monothelitis, judicium ferre potuissent.

Resp. ad 2. lites, quæ de personis sunt, ut plurimùm quidem, juxta Canonum normam, dirimi debere in locis, ubi cœptæ sunt; nec enim testes, ex quorum testimonio res facti pendent, facile in loca dissita advocari possunt. Sed idem ferri non debet judicium de causis fidei; cum enim ad omnes spectent, ubique possunt examinari ac definiri. Confirmatur ex eo, quòd hæresis Ariana Niceæ in Bithynia damnata sit, quamvis in Ægypto ab Ario cœpta fuisset. Nestoriana lues, quæ Constantinopoli primùm prodiit, Ephesi proscripta fuit; & ita in pluribus aliis actum fuisse, præteritis experimentis docemur.

Resp. ad 3. Lutheranos, Calvinistas, aliosque sectarios, sæpius ad Concilium vocatos fuisse, oblatis etiam (ut loquuntur) salvis conductibus. Præterea discrimen est inter causas de personis & causas de dogmatis. Causæ, quæ ad personas spectant, quantùm fieri potest, dirimi non debent, nisi prius personæ auditæ fuerint; ac proinde, nec ordinarie extra locum, in quo facta per testes probari possunt: e contra causæ, quæ sunt de dogmatis, examinari ac definiri possunt extra locum, in quo primùm ortæ sunt, imò & inauditis partibus. Ratio est, quia dogmata (ut supponitur) produntur authorum scriptis; scripta vero discuti, ac examinari possunt secundum sensum obvium, seu, quem termini præseferunt, etiamsi illorum authores non audiantur; neque enim sensus obvius alicujus scripti pendet ex sensu, quem author contra ordinariam verborum significationem, aut contra naturalem sententiarum connexionem potest interiùs effingere.

Resp. ad 4. equidem in disciplinâ, quam Conciliû Tridentinum præscribit, nonnihil reperiri, quod probatis aliquorum regnorum usibus adversatur; sed id nihil officit fidei aut morum causæ; unde licèt ea disciplinæ capita singulæ orbis Catholici provinciæ non admiserint; nulla est, quæ fidei aut morum decretis non subscripserit.

Resp. ad 5. Clerum Gallicanum non absolutè, sed conditionate tantùm, seu salvis regni juribus, & Ecclesiarum immunitatibus, petiisse a regibus christianissimis promulgationem disciplinæ, quæ in Concilio Tridentino sancita est: *Comme aussi n'entendons prejudicier par cette publication aux immunitez, & franchises de l'Eglise Gallicane* (verba sunt Claudii d'Angennes Episcopi & Comitis Noviodunensis, apud regem christianissimum Oratoris Cleri Parisiis ad comitia congregati, die 14. Octobris ann. 1595.) *les quelles nous promettons, & assu-*

& assurons, que le saint Pere en ayant etè suppliè, sera bien content maintenir & conserver : ces reservations ayant etè faites ja par deux fois à la publication de ce Concile, à scavoir aux Etats de Blois, & par l'assemblée du Clergé tenue à Melun, nous pensons ne nous en devoir departir. Quænam autem sint ea regni jura, quænam immunitates, non est hic aperiendi locus; sed de iis, vide Febretium *de Abusu*, Bochellum, libro 5. Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, pag. 916. editionis Parisiensis, ann. 1609. Cur verò reges christianissimi votis Cleri, licèt (ut observavimus) conditionatis, non annuerint, nostrum non est definire.

Objicies iterum. Prioribus Concilii sessionibus pauci adfuerunt præsules. Sessioni quartæ, in qua de libris canonicis, & de traditionibus actum est, præter Cardinales legatos adfuerunt tantùm novem Archiepiscopi, & Episcopi quadraginta duo: ergo, in iis saltem sessionibus, Concilium Tridentinum non fuit Concilium Oecumenicum; neque enim dici potest, in exiguo illo Episcoporum, non aliorum ferè, quam Italorum numero, universam Ecclesiam repræsentari.

Resp. prætermissa responsione, qua (ut jam superiùs observatum est) asseritur, omnes orbis Catholici Episcopos canonicè ad Concilium Tridentinum vocatos fuisse, dicendum esse ingentem numerum Episcoporum, qui postremis sessionibus adfuerunt, suo judicio priores sessiones comprobasse; nempè hæc leguntur in ultima Concilii sessione, capitulo VI. continuationis, sessionis 25. *Quoniam diversis temporibus, tam sub felicis recordationis Paulo III. quam Julio III multa in hoc sacro concilio quoad dogmata, ac morum reformationem statuta, & definita sunt, vult sancta Synodus, ut illa nunc recitentur, & legantur.*

QUÆSTIO IV.

De Ecclesia.

Not. INitio dissertationis quartæ, in qua versamur, observatum est, Ecclesiæ Catholicæ consensum, judicium, auctoritatem, esse locum theologicum, ex quo pro confirmanda fide, & regulandis moribus argumenta desumi possunt. Verùm id frustra (quod tamen nobis in hac quæstione propositum est) assereretur, nisi intelligeretur, quid intelligatur nomine Ecclesiæ catholicæ; quænam sit illius essentia; quibus membris constet; quibus notis cognoscatur; quas habeat proprietates. Igitur, ut loci theologici, de quo hic agitur, vis ac firmitas stabiliantur, operæ pretium est, ut ea quiuque capita accurate hic a nobis exponantur.

CAPUT I.

De nomine Ecclesiæ.

CONCL. ECclesiæ nomen tribus modis sumi potest.

Probatur enumeratione. Sumi potest 1. pro loco materiali, in quo homines congregari solent, de quo dicitur: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Sumitur 2. pro aliqua locali fidelium congregatione: *Primum quidem* (ait Paulus 1. ad Cor. 11.) *convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, & ex parte credendo ... Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Sumitur 3. pro fidelium cœtu, ac societate, abstrahendo a locis, in quibus ejusmodi societas reperitur. De Ecclesia in eo sensu sumpta intelligi debent hæc Apostoli ad Galatas scribentis verba: *Persequebatur Ecclesiam Dei; & expugnabam illam:* Ad Ecclesiam in eo tertio sensu sumptam referuntur omnia, quæ in hac quarta quæstione dicentur.

Quæres, cur fidelium cœtus in antiqua lege vocaretur *Synagoga*, in novâ verò *Ecclesia* dicatur?

Resp. Synagogam dici à congregatione, Ecclesiam è contra ab evocatione. Judæi, quòd carnales essent, pecorum more congregari dicebantur; Christiani verò quòd sint spirituales, more creaturarum ratione præditarum evocari debent. Augustinus illud discrimen advertit in epistolam ad Romanos, ubi sic loquitur: *Ecclesia ex vocatione appellata; Synagoga verè ex congregatione. Convocari enim hominibus magis congruit, congregari autem magis de pecoribus dici solet; unde greges propriè pecorum dici solent. Quamvis ergo, plerisque Scripturarum locis, ipsa Ecclesia grex Dei, & ovile Dei, & pecus Dei vocetur; tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinent, & apparet, hujusmodi homines non esse sempiternæ veritatis, sed temporalium promissionum tanquam terreno pabulo esse contentas. Paulus ergo vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, unde, nisi ex grege Synagogæ?*

CAPUT II.

De essentia Ecclesiæ.

Not. ESsentia Ecclesiæ convenire debet Ecclesiæ tum militanti in terris, tum triumphanti in cœlis, tum patienti in Purgatorio; revera enim sive fideles, qui militant in terris, sive beati, qui in cœlis triumphant, sive animæ, quæ patiuntur in Purgatorio, ad Ecclesiam pertinent.

CONCLUSIO. Ecclesiæ essentia hac definitione continetur: Cœtus sanctorum sub uno capite Christo, Deo servientium.

Probatur. Allata definitio continet genus & differentiam Ecclesiæ in communi sumptæ: ergo debet admitti. Probatur ant. *Primò*, prout Ecclesia dicitur *Cœtus*, convenit cum qualibet congregatione, sive ex infidelibus, sive ex hæreticis constet.

Secundò, prout dicitur *Cœtus Sanctorum*, ab ea excluduntur, tum infideles, tum aperti hæretici, quippe iis ne externa quidem sanctitas convenit.

Tertiò, eadem verba: *Cœtus sanctorum*, complectuntur eos omnes, qui habent aliquam sanctitatem, sive interna sit, sive externa tantum. Interna & quidem perfecta beati in cœlis fruuntur, juxta illud Apostoli ad Hebræos 12. *Accessistis ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Hierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & spiritus justorum perfectorum.* Internam sanctitatem, sed imperfectam, habent omnes justi, qui adhuc militant in terris: *Christus* (ait Paulus ad Ephes. 5.) *dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.* Solam verò externam sanctitatem habent ii omnes, qui gratia sanctificante destituti, exteriùs fidem profitentur: *Habentes quidem* (inquit Paulus 2. ad Timoth. 3.) *speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Impii propter eam sanctitatem externam, sub eorum etiam nomine continentur, ad quos hæc scribit Petrus 1. epist. cap. 2. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei.* Nempè Petrus scribebat non tantum ad justos, sed etiam ad omnes, qui baptizati, fidem Christianam exteriùs profitebantur.

Quartò, hæc verba: *Sub uno capite Christo*, continent discrimen essentiale, quod inter Ecclesiam & Synagogam reperitur: Ista enim expectat Christum venturum, illa è contra advenisse credit, eumque agnoscit pro capite: *Et ipsum* (ait Apostolus ad Ephes. 1.) *dedit caput supra omnem Ecclesiam.* Capite 5. *Quoniam vir caput*

put est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Ibidem, *Sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus*. Eòdem spectant multa alia Scripturæ loca.

Quintò, hæc verba: *Deo servientium*, denotant Ecclesiæ finem, qui quidem alius non est, quàm ut creaturæ Deo serviant, aut perfectè, ut fit in cœlo, aut saltem imperfectè, ut fit in terris. Inde verò sequitur, ut Ecclesia ex omni gente ac populo coalescat; nulla nimirum est gens, quæ Deo servire non possit; nec curat Ecclesia de populorum, aut genere, aut moribus, aut legibus, quibus iidem populi non impediuntur, ne Deo serviant: *Cum cælestis civitas* (hoc est, Ecclesia Christiana) *unum Deum colendum nosset* (inquit Augustinus lib. 19. de civit. Dei cap. 17.) *eique tantummodò serviendum servitute illa, quæ Græcè latria dicitur, factum est, ut religionis leges cum terrena civitate* (hoc est, cupiditati serviente) *communes non posset habere. Hæc igitur cælestis civitas, dum peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit civitatem, non curans quidquid in legibus, moribus, institutisque diversum est, quibus pax terrena conquiritur, vel tenetur, nihil eorum rescindens, vel destruens, imo etiam servans, ac sequens, si religionem, qua unus summus, ac verus Deus colendus docetur, non impedit.*

CAPUT III.

De membris Ecclesiæ.

Not. 1. Circa difficultatem, de qua agitur, variè opinati sunt hæretici. Vvicleffus censuit, Ecclesiam esse cœtum eorum tantùm, qui ad cœleste regnum prædestinati sunt; id patet ex sessione 15. Concilii Constantiensis.

Not. 2. Donatistæ docuerunt, eam constare quidem ex pluribus reprobis, sed qui nunquam fidem, vel facto, vel verbo, negaverint; ita enim asserere videtur Augustinus lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. In eundem errorem Novatiani antea abierant, ut videre est apud Cyprianum lib. 4. epist. 2. Epiphanium, ubi refert hæresim Catharorum, quamvis enim non absolverent gravium criminum reos, eos tamen ex suo cœtu non eliminabant.

Not. 3. Lutherani, qui Augustanæ confessioni subscripserunt, asseruerunt, solos justos ad veram Ecclesiam pertinere; malos verò, qui fidem exteriùs profitentur, ad externam quandam societatem, quæ non re, sed nomine tantùm, sit Ecclesia.

Not. 4. Calvinus Lutheranis adhæsit, seu voluit, solos justos ad veram Ecclesiam pertinere. Verùm cum in illius sententia nulli sint vere justi, nisi qui ad æternam fælicitatem prædestinati sunt (ut ex illius principiis colligunt theologi agentes de justificatione) sequitur, in eius systemate, veram Ecclesiam (ut antea Vvicleffus docuerat) ex solis prædestinatis constare.

Not. 5. Ab ea Calvini doctrina non recedunt hodierni Calvinistæ, qui contendunt, hæreticos, schismaticos, apostatas, modò credant fundamentales (ut loquuntur) Christianæ religionis articulos, esse veræ Ecclesiæ membra; nempè contendunt, hæresibus, schismatis, apostasia, quibus fidei fundamenta non subvertuntur, nec charitatem, nec justitiam amitti.

Not. 6. Catholicorum doctrina iis omnibus sectariorum erroribus plane opposita est. Scilicet Catholici docent, Ecclesiam adæquatè sumptam, hoc est, prout est quoddam totum, quod constat ex anima & corpore, complecti non tantùm ad vitam æternam prædestinatos, sed etiam plures reprobos; non tantùm justos, sed etiam plures impios; modò tamen, tum illi reprobi, tum illi impii fidem sub legitimis pastoribus exteriùs profiteantur. Ut autem cum methodo Catholicorum fides explicetur, necesse est, ut hocce caput in plures articulos dividamus.

ARTICULUS. I.

Utrum soli prædestinati sint Ecclesiæ membra.

CONCLUSIO. Soli prædestinati non sunt Ecclesiæ membra.

Probatur. Reprobi, qui sub legitimis pastoribus fidem exteriùs profitentur, sunt veræ Ecclesiæ membra; ergo soli prædestinati non sunt Ecclesiæ membra. Antecedens, in quod vertitur difficultatis cardo, subsequentibus momentis ostenditur.

Primò, Area, de qua hæc habentur Matth. 3. *Permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili*, est vera Christi Ecclesia: atqui in illa area non solùm est triticum, hoc est, qui tritico designantur prædestinati nimirùm, quos Christus in horreum suum, id est, cœlum congregabit; sed præterea sunt paleæ, seu reprobi, quos Christus igne inextinguibili damnabit.

Secundò, Convivium, cujus Evangelium meminit Matthæi 22. adumbrat veram Dei Ecclesiam: atqui in illo convivio non solùm sunt prædestinati, sed etiam reprobi; quippè nonnulli ex iis supremi judicis jussu in tenebras exteriores projiciendi sunt cum homine, qui non habebat vestem nuptialem.

Tertiò, Decem virgines, de quibus Christus ipse loquitur Matthæi 25. sunt Ecclesiæ figura; atqui inter illas virgines nonnullæ fuerunt reprobæ; fatuæ nimirùm, quæ cum sponso non intraverunt ad nuptias, quæque hisce sponsi verbis rejectæ sunt: *Amen dico vobis, nescio vos*.

Quartò, Gravissima sequuntur absurda ex sententia, quæ asserit, solos prædestinatos ad veram Christi Ecclesiam pertinere. Sequitur nimirùm 1. nec infantes baptizatos, qui non sunt ex prædestinatorum numero, nec adultos, qui nondum per aliquod peccatum mortale exciderunt ex justitia, esse Ecclesiæ membra. E contra fatendum erit, plures idololatras, qui nihil unquam audierunt de Christo, plures Judæos, qui cum Saulo Ecclesiam Dei persequuntur, esse veræ Ecclesiæ membra; scilicet plurimi, tum ex idololatris, tum ex Judæis, licèt nondum credant, sunt e prædestinatorum numero. 2. Ecclesia in eo systemate erit omninò invisibilis; oves non poterunt cognoscere legitimos suos pastores, nec vicissim pastores suas oves; neque enim oves scire possunt, quinam ex iis, qui externo pastoratu funguntur, sint e prædestinatorum numero; nec vicissim pastores, quænam ex ovibus, a quibus audiuntur, ad eum numerum pertineant. 3. Infideles, nonnisi temerariò nomen Ecclesiæ dare poterunt; quippe, quòd nullis omninò signis cognoscere poterunt, quænam & ubi sit vera Ecclesia; neque enim aliquibus indiciis detegere poterunt, quinam & ubi sint illi homines prædestinati, qui soli (ut adversariis placet) vera sunt Ecclesiæ membra.

Objicies 1. Vera Christi Ecclesia adumbratur horto concluso, fonte signato, puteo aquæ viventis, de quibus Scriptura loquitur Canticorum cap. 4. Atqui in illo horto, fonte, puteo soli prædestinati reperiuntur; ergo soli prædestinati pertinent ad veram Christi Ecclesiam. Minor propositio ostenditur authoritate Augustini, qui lib. 5. de Baptismo, cap. 26. locum illum de solis prædestinatis exponit: *Numerus ergo ille justorum, qui secundùm propositum vocati sunt sancti, de quibus dictum est: Novit Dominus, qui sunt ejus; ipse est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquæ vivæ*. Inde verò Sanctus Doctor concludit, multos ad veram Christi

Ecclesiam pertinere, qui in hæresibus, imò & in idololatria turpiter vivunt: *Sunt quidam ex eo numero, qui adhuc nequiter vivant, aut etiam in hæresibus, vel in gentilium superstitionibus jaceant; & tamen etiam illic novit Dominus, qui sunt ejus.* Idem S. Pater lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 32. asserit, eos, qui non sunt prædestinati, non esse ex vero, sed tantùm ex simulato corpore Christi: *Secunda* (inquit, agens de Tichonii regulis) *est de Domini corpore bipartito, quod quidem non ita debuit appellari. Non enim reverà Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum. Sed dicendum fuit, de Domini corpore vero, atque permixto, aut vero, atque simulato, vel quid aliud, quia non solum in æternum, verùm etiam nunc hypocritæ, non cum illo esse dicendi sunt, quamvis in ejus esse videantur Ecclesia:* Ergo, ex Augustino, Ecclesia constat ex solis prædestinatis.

Resp. 1. neg. min. Ad 2. conc. ant. dist. conseq. ex Augustino, Ecclesia quantùm ad esse finale, constat ex solis prædestinatis, conc. conseq. quantùm ad esse materiale, neg. conseq. Esse finale Ecclesiæ est status patriæ, in quo haud dubiè soli prædestinati reperiuntur. Esse formale est status viæ, sed cum charitate conjunctus; nempè charitas est forma, seu anima Ecclesiæ. Esse materiale, est idem viæ status, sed destitutus charitate; in isto sunt iniqui omnes, licet sint ex prædestinatorum numero. Augustinus locis in argumento relatis Ecclesiam sumit In priore ex iis tribus sensibus, nõ autẽ in posterioribus; indeque concludit, nimis probare argumentum, quod ex laudato Canticorum textu Cyprianus sumpserat pro nullitate baptismatis extra Ecclesiam dati. Textus ille (ratiocinatio est Augustini) intelligitur de prædestinatis: ergo si faveret Cypriano, probaret, baptismum a non prædestinatis datum, irritum esse; quod tamen negabat ipse Cyprianus: *Hoc intelligere non audeo* (inquit Augustinus) *in avaris & fraudatoribus, & raptoribus, & fæneratoribus, & ebriosis, & invidis, quos tamen cum justis baptismum habuisse communem, cum quibus communem non habebant neque charitatem, ex ipsius Cypriani litteris, sicut sæpè commemoravi, uberiùs discimus & docemus.*

Confirmatur responsio. Augustinus ibidem asserit, non hortum simpliciter, sed hortum conclusum esse illam Ecclesiam, de qua ipse laudato loco loquitur; illum autem hortum conclusum dicit esse, quasi lilium inter spinas: ergo quemadmodum spinæ, licet non sint in lilio, sunt tamen in horto, ita reprobi, qui fidem exteriùs profitentur, sunt in Ecclesia, quam ille hortus adumbrat, quamvis non sint in lilio, hoc est, e numero prædestinatorum: *Non dicat mihi aliquis* (inquit S. Doctor) *quomodo irrepserint in hortum conclusum, & fontem signatum, quos sæculo solis verbis, & non factis renunciasse Cyprianus, & tamen intùs fuisse, testatur? An ista sunt spinæ, in quarum medio est illa* (Ecclesia prædestinata) *sicut lilium, quod in eodem Cantico dicitur.*

Objicies 2. Arca Noe adumbravit veram Christi Ecclesiam, ut docet Augustinus lib. 5. de baptismo cap. 18. Ergo quemadmodum in Arca Noe non fuerunt, nisi ii, qui a diluvio salvi facti sunt; ita non sunt in Ecclesia, nisi ii, qui salutem consequi debent; ii verò sunt soli prædestinati: ergo, &c.

Resp. conc. ant. neg. conseq. In hoc nimirùm valet Ecclesiæ cum arca Noe comparatio, quòd quemadmodùm nullus a diluvio salvatus est, nisi per arcam; ita nullus salutem consecuturus est, nisi per Ecclesiam, hoc est, qui in Ecclesiæ sinu sacramenta non receperit: *Sicut ergo* (inquit Augustinus solvens argumentum Cypriani petitum ex Ecclesiæ cum arca comparatione) *non alia, sed eadem aqua, & in arca positos salvos fecit, & extra arcam positos interemit; sic non alio, sed eodem baptismo, & boni Catholici, salvi fiunt, & mali Catholici, vel hæretici pereunt.*

Objicies 3. Ii tantùm sunt in Ecclesia, qui sunt filii Dei: Atqui soli prædestinati, sunt filii Dei: *Ex nobis exierunt* (verba sunt primæ Joannis cap. 2.) *sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.*

Resp. 1. neg. maj. Ratio est, quia (ut dicetur inferiùs) gravissimi quidam peccatores verè sunt in Ecclesia sumpta secundùm suum esse materiale, quamvis non sint filii Dei, hoc est, quamvis charitate sint destituti. Resp 2. neg. min. Ratio est, quia in laudato ex Joanne loco loquuntur, non qui justi sunt simpliciter, sed qui præterea sunt prædestinati; unde ii, qui non perseverant, non sunt filii Dei secundùm esse finale; sed sunt secundùm formale, eò quòd habeant formam divinæ filiationis, quæ est charitas, seu gratia sanctificans.

ARTICULUS II.

Utrùm soli baptizati sint in Ecclesia.

Not. 1. Certum est, infideles, qui non sunt baptizati, ad Ecclesiam non pertinere; nam Paulus 1. ad Corinth. 5. apertè testatur, eos non intùs, sed extra Ecclesiam esse: *Quid enim mihi* (inquit) *de iis, qui foris sunt, judicare?*

Not. 2. Dubitarunt nonnulli, an Catechumeni ad Ecclesiam pertineant. Illud verò dubium nitebatur Ecclesiæ praxi, quæ pro Catechumenis mortuis sine baptismate actu recepto, quondam offerebat Missæ sacrificium.

CONCLUSIO. Catechumeni non sunt actu in Ecclesia.

Probatur 1. ex Scriptura. Actorum 2. hæc habentur: *Qui ergo receperunt verbum, baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia:* Ea autem verba: *Appositæ sunt*, significant ingressum in Ecclesiam: ergo illi homines, antequam baptizarentur, licet jam crederent, nondum erant in Ecclesia.

Probatur 2. ex Patribus. Catechumeni nusquam à Patribus fidelium nomine vocati sunt, imò semper ab eis distincti fuere. Tertullianus libro de Præscript. hæreticis vertit crimini, quod Catechumenos a fidelibus non distinguerent. Chrysostomus hom. 24. in Joannem, docet Catechumenum nihil habere cum fidelibus commune.

Probatur 3. ratione Theologica. Ecclesia, ex dictis superiùs, est cœtus fidelium sub legitimis pastoribus, & eorundem sacramentorum communione, sub capite Christo, Deo servientium. Atqui id Catechumenis non convenit, tum quod (ut dictum est) Catechumeni non sint fideles, tum quod sacramentorum communione cum Ecclesiæ membris colligati non sint.

Objicies. Illi sunt actu in Ecclesia, qui salutem consequuntur; neque enim quisquam potest extra Ecclesiam salvari: Atqui catechumeni salvantur, quippè pro iis offertur sacrificium, quamvis baptismum actu non susceperint.

Resp. neg. maj. Nam ut quis salutem consequatur, non requiritur absolutè, ut actu sit in Ecclesia; sed satis est, ut sit in ea per sincerum cordis desiderium, nec per eum stet, quin in eam actu per baptismum ingrediatur.

Instabis: Illi sunt actu in Ecclesia, qui habent Ecclesiæ formam, seu animam, hoc est, charitatem: atqui Catechumeni habent charitatem, cum, licèt non sint baptizati, salvari possint.

Resp. neg. maj. Scilicet satis non est informari anima Ecclesiæ, ut quis sit in ejus sinu, sed præterea necesse est, ut sit in ejus corpore, hoc est, ut per visibilem eorumdem sacramentorum communionem cum fidelium societate conjunctus sit.

AR-

ARTICULUS III.

Utrùm vera Ecclesia ex solis justis constet.

Not. 1. Affirmativam sententiam propugnant quidam heterodoxi recentiores, ut patet ex hujusce articuli paragrapho primo. Negativam è contra defendunt catholici; quippe contendunt, peccatores omnes, sive sint occulti, sive publici, esse in Ecclesia, donec ab ea, aut per excommunicationem ejiciantur, vel ipsi ab ea voluntariè per schisma, aut hæresim, aut apostasiam discedant.

Not. 2. Aliqui possunt voluntariè ab Ecclesia discedere, vel interius tantùm, ità ut propter motivum temporale fidem, quam corde abnegarunt, exteriùs profiteantur; vel interiùs simul & exteriùs, ita ut nec corde, nec opere sese fideles exhibeant.

Not. 3. Ecclesia duobus modis considerari potest, vel secundùm esse formale, seu animam, quæ est charitas; vel secundùm esse materiale, seu corpus, quod est fidei professio conjuncta cum eorumdem sacramentorum communione. His præmissis, difficultas, de qua agitur, triplici conclusione solvenda est.

CONCLUSIO 1. Soli justi sunt in Ecclesia tum secundùm esse formale, tum secundùm esse materiale sumpta.

Probatur. Soli justi habent Ecclesiæ formam, seu informantur illius anima, quæ non aliud est, quam charitas: Præterea cum cæteris fidelibus conjunguntur per visibilem sub legitimis pastoribus sacramentorum participationem.

CONCLUSIO 2. Non soli justi, sed gravissimi etiam peccatores, sive sint occulti, sive sint publici, sunt in Ecclesia secundùm esse materiale sumpta, si fidem exterius non negaverint.

Probatur 1. Ecclesia sumpta secundùm esse materiale, est societas hominum, qui sub legitimis pastoribus, Christi fidem profitentur, & eorumdem sacramentorum participatione inter se colligantur. Atqui peccatoribus, de quibus agitur, id convenit: ergo sunt in Ecclesia quoad esse materiale, seu secundùm visibile suum corpus, sumpta.

Probatur 2. Illi sunt in Ecclesia, qui possunt ejici ex Ecclesia: atqui peccatores, de quibus agitur in conclusione, possunt ejici ex Ecclesia. Et quidem *primò*, ejici possunt, qui correpti ab Ecclesia, eam audire noluerint: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum, &c. Si eos non audieris, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus, & publicanus*; verba sunt Christi apud Matthæum cap. 18. *Secundò*, re ipsa incestuosus Corinthius ex Ecclesia propter infandum suum crimen ejectus est ab Apostolo: *Auditur* (inquit 1. ad Corinth. 5.) *inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum* hoc est Ecclesia, *qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi sathanæ in interitum carnis.*

Probatur 3. Constans fuit semper Ecclesiæ traditio, peccatores, de quibus agitur, esse in Ecclesia.

Tertullianus, Cyprianus, aliique omnes, qui datum ab hæreticis baptisma censuerunt irritum esse, constanter supposuerunt valere datum peccatoribus, de quibus est quæstio. Hanc enim protulerunt discriminis rationem, quod hæretici non sint in Ecclesia, è contra in ea revera sint adulteri, homicidæ, aliique peccatores, de quibus agitur in conclusione.

Augustinus & alii Episcopi catholici in collatione, quam Carthagine cum Donatistis habuerunt, hæc tria probare conati sunt. *Primum*, Cæcilianum a Traditore (ut Donatistæ contendebant) ordinatum non fuisse: *Secundum*, quod licet id supponeretur, non sequeretur tamen periisse Ecclesiam, quæ cum Cæciliano communicaverant: *Tertium*, ideò autem non periisse, quod Ecclesia, quæ militat in terris, non ex justis tantùm, sed etiam ex iniquis constet. Idque etiam confessi sunt 296. Episcopi Donatistæ, ut hisce verbis docet Augustinus Breviculo collationis diei tertiæ: *Cum ad Evangelicam similitudinem venissent, quam Catholici in mandato suo posuerant de retibus in mare missis, quibus congregari dixit Dominus omnia genera piscium, & bonos à malis in litore, hoc est, in fine sæculi separari; etiam ipsi fassi sunt in Ecclesia esse permixtos saltem occultos malos.* Idem S. Doctor, latè illud argumentum prosequitur libro de unitate Ecclesiæ cap. 14. *Innumerabilia* (inquit) *testimonia de mixtione malorum cum bonis in eadem communione sacramenti —— In Canticis Canticorum, quod de Ecclesia sancta dictum omnis Christianus agnoscit.: Sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum: & easdem unde filias, nisi propter communionem sacramentorum?* Ejusdem libri cap. ult. idem hisce verbis docet: *Tunc quisque infructuosus & nondum à radice præcisus est, cum mala cupiditate agit quidem illa opera, de quibus dictum est. Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.*

Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos ait, quòd sicut in arca Noe fuerunt pardus, hœdi, lupi & agni; ita & hìc, hoc est in Ecclesia, cujus, ex ipso Hieronymo, arca Noe fuit typus, justi & peccatores reperiuntur.

Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 45. asserit, de fide esse, quòd mali cum bonis in Christi Ecclesia permisceantur. Idem pluribus argumentis demonstrat Gregorius Magnus homil. 38. in Evangelia.

CONCLUSIO 3. Occulti infideles, hoc est, qui interiùs contradicunt fidei articulis, si baptizati sint, & in externa cum fidelibus communione sub legitimis pastoribus permaneant, sunt in Ecclesia.

Probatur. Ii sunt in Ecclesia, qui jurisdictionem habent in Ecclesiam; neque enim probabile est cum, qui est extra Ecclesiam habere aliquam in fideles jurisdictionem; ideò enim Patres contenderunt, hæreticos, hoc est, hæresim palam profitentes, nihilominùs auctoritatis habere, quòd foris sint, non intùs. Ita ratiocinantur Cyprianus lib. 1. epist. 6. Ambrosius lib. 1. de Pœnitent. Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos, Augustinus in Enchyridio cap. 65. ubi ait, extra Ecclesiam non remitti peccata: Atqui infideles occulti, de quibus in conclusione, habent jurisdictionem in Ecclesiam: Scilicet Parochi, Episcopi, ligare possunt & solvere, quamvis interiùs fidei contradicant; nec excidunt ex suo jure, nisi cum præbuerunt manifesta infidelitatis argumenta.

Confirmatur argumentum ex Augustino, qui lib. 3. de Baptis. cap. 29. asserit, pseudochristianos, qui fraternæ charitatis sunt inimici, *foras* exire, ubi se dederit occasio; at *foras* exire non potuerunt, qui *intus* non erant.

Objicies 1. Illi non sunt in Ecclesia, qui non pertinent ad corpus Christi: sed impii non pertinent ad corpus Christi, cum non habeant ejus spiritum: *Qui spiritum Christi non habet* (ait Apostolus) *hic non est ejus.*

Resp. dist. min. Impii non pertinent ad corpus Christi sumptum secundùm esse formale, seu formam hoc est, charitatem, per quam vivit & informatur, conc. min. sumptum secundùm esse materiale, neg. min. Solutio patet ex dictis superiùs.

Objicies 2. Impii se habent Ecclesiæ respectu sicut paleæ respectu panis: *Unus panis* (ait Paulus 1. ad Cor. 10.)

10.) *& unum corpus multi sumus*: Atqui paleæ non pertinent ad panem: ergo neque impii pertinent ad Ecclesiam.

Resp. neg. maj. Nempè in eo valet similitudo fidelium cum pane, quòd sicut multa frumenti grana unum panem efficiunt; ita baptismus ex pluribus hominibus unam societatem efficiat.

Objicies 3. Ecclesia sancta est; id nimirùm profitemur in symbolo: ergo impii non sunt in illius sinu.

Resp. dist. ant. Sancta est quoad plura sui membra, conc. ant. quoad omnia, neg. ant. Cum denominatio sumatur a nobiliori parte, par est, ut Ecclesia, sancta dicatur a sanctis, quos in suo sinu fovet, quamvis minor sit sanctorum, quam iniquorum numerus. Præterea aliis etiam modis, de quibus infra dicetur, sanctitas Ecclesiæ convenit.

Objicies 4. Qui non habent Deum pro Patre, non possunt habere Ecclesiam pro Matre, sed impii Deum non habent pro Patre, sed diabolum, dicente Christo: *Vos ex patre diabolo estis*. Verùm qui non habent Ecclesiam pro Matre, non sunt in Ecclesia: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Qui nullo modo habent Deum pro Patre, non possunt Ecclesiam habere pro Matre, conc. maj. qui habent aliquo modo, neg. maj. Impii, seu, qui non sunt in statu gratiæ sanctificantis, habent Deum pro Patre, non quidem per imitationem, sed ratione generationis; nam revera a Christo geniti sunt in Ecclesiæ sinu; ac proinde ratione ejusdem generationis habent Ecclesiam pro Matre. Illis eo quidem titulo deberetur hæreditas æterna, sed cum generationem suam vitiis deturpaverint, exciderunt ex jure, quod ad eam habebant, unde de iis sic Ecclesia conqueritur Isaiæ 1. *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

Objicies 5. Augustinus libro de Unitate Ecclesiæ cap. 25. multa docet, quibus evincitur, infideles occultos, licèt in Ecclesia baptizati sint, & cum fidelibus in externa sacramentorum communione permaneant, non esse Ecclesiæ membra. Asserit 1. cum omnem, qui veritati contradicit, ipsa contradictione præscindi ab Ecclesia: *Sed* (inquit) *cum pro ipsis operibus, etiam veritati apertissimè, qua redarguitur, resistere cœperit, tunc præciditur.* Asserit 2. illam præcisionem fieri etiam in homine, qui externa sacramentorum communione fruitur: *Multi tales sunt in sacramentorum communione cum Ecclesia, & tamen jam non sunt in Ecclesia.* Asserit 3. præcisum non fieri Ecclesiæ membrum, si fictus reconciliationis ritui exteriùs se subjiciat: *Quid si ergo fictus accedat, atque adversùs veritatem, & Ecclesiam cor inimicissimum gerat, quamvis peragatur in illo ea solemnitas, numquid reconciliatur, numquid inseritur? Absit.*

Resp. ad 1. neg. ant. nempè per baptismum, externam fidei professionem, exhibitam legitimis pastoribus obedientiam, sacramentorum communionem, infidelis occultus unitur veris Ecclesiæ membris. Ad 2. dico, Augustinum loqui de contradictione manifesta, non autem de occulta. Ad 3. dicendum est, textum illum intelligi de insertione, & reconciliatione quoad fructum; neque enim ille hypocrita quidquam emolumenti percipit ficta sua reconciliatione; membrum est aridum, insertum quidem corpori, sed vita, & qualibet actione sibi propria destitutum.

Objicies 2. Infideles occulti, sunt vel pagani, vel judæi, vel hæretici: atqui nec pagani, nec judæi, nec hæretici sunt in Ecclesia: ergo &c.

Confirmatur argumentum: Baptizatus, qui liberè adhæret, aut paganorum, aut judæorum, aut hæreticorum erroribus, est ipso jure excommunicatus: Sed excommunicatus non est in Ecclesia: ergo neque qui aut gentilem, aut judaicum, aut hæreticum animum gerit, licet exteriùs fidem catholicam profiteatur.

Resp. veram esse minorem, si intelligatur de paganis, judæis, hæreticis publicis; falsam verò, si intelligatur de occultis: Idem dici debet de excommunicatis, si sint occulti; secus si sint publici. Ratio solutionis est, quia hypocritæ, de quibus agitur in argumento, excommunicatio, de quibus est quæstio, si sint Episcopi, aut Parochi, aut simplices presbyteri, non desinunt, etiam quoad potestatem jurisdictionis, esse veri Episcopi, veri Parochi, veri Sacerdotes; unde quamdiù tolerati fuerint ab Ecclesia, hoc est, quamdiù contra eos depositionis sententia lata non fuerit, fideles debent cum eis communicare, & licite possunt ab eis sacramenta recipere; ut in Concilio Constantiensi definitum est.

ARTICULUS IV.

Utrùm publici hæretici, manifesti schismatici sint in Ecclesia.

Not 1. Per publicos hæreticos, intelligimus eos, qui palam adhærent erroribus, quos norunt ab Ecclesia expresse fuisse damnatos; sive exteriùs in sacramentorum participatione, ac reliquis Christianæ religionis officiis communicent cum aliqua societate Christiana, sive non communicent. Per publicos schismaticos intelliguntur ii, qui publicè rebelles sunt in legitimos pastores, sive contra eos Altare erexerint, sive non erexerint.

Not. 2. Quidam recentiores Calvinistæ, inter quos Jurius, docent, publicos hæreticos, manifestos schismaticos, esse in vera Christi Ecclesia, ac salutem posse consequi, in quacumque sint secta, quibuscumque pastoribus adhæreant, modò ea secta, modò ii pastores profiteantur fundamentales (ut loquuntur) christianæ fidei articulos. Nempè contendunt, veram Christi Ecclesiam, non esse individuam aliquam societatem, sed congeriem omnium sectarum, quæ fundamentales (ut ajunt) fidei articulos non everterint, quamvis illæ sectæ ita a se invicem separatæ sint, ut sese mutuò anathemate confodiant.

Not. 3. In eam verò sententiam abierunt Calvinistæ duplici de causa: 1. ut suorum pastorum missioni consulerent: 2. ut liberarent se anathematis vinculo, quod Ecclesia in eos intorsit. Ecclesia Romana (inquiunt) priores nostros reformatores aluit in suo sinu, eis Evangelicum ministerium credidit; accepto autem in Ecclesia Romana jure non exciderunt, discedendo ab illius communione, & altare contra ipsam erigendo; quippè divina missio, legitimum ministerium conservantur, in qualibet societate, quæ fundamentales fidei articulos profitetur, quamvis ab ea, ex qua se ipsam separavit, anathemate confixa sit. Præterea (inquiunt) licet Ecclesia Romana nostris dogmatibus opponat œcumenica Concilia, nos ejusmodi Conciliorum non ducimus haberi debere rationem, quia non sunt Concilia, ad quæ omnes societates Christianæ convenerint; ac proindè non sunt infallibilia, cùm non sint Concilia œcumenica, hoc est, quæ totam Ecclesiam Christianam repræsentent.

Not. 4. Una omnium est Catholicorum vox extra Ecclesiam esse manifestos hæreticos, publicos schismaticos, ac eos omnes, qui aut propugnant errores, quos sciunt ab Ecclesia apertè damnatos, aut qui legitimis pastoribus subesse detrectant, sive cum sectis aliquibus communione colligentur, sive non colligentur, sive ii errores ex iis sint, quorum explicita fides est necessitate medii necessaria ad salutem, sive sint ex iis, quorum fides est necessaria sola necessitate præcepti.

Not. 5. Hoc principio nititur mox relata Catholicorum doctrina, quòd vera Christi Ecclesia sit unica & individualis societas, cujus membra eorumdem articulorum definitorum fide, eorumdem sacramentorum

parti.

participatione, eorumdem paſtorum communione inter ſe colligata ſunt.

CONCLUSIO. Publici hæretici, manifeſti ſchiſmatici non ſunt in vera Chriſti Eccleſia, ac proindè ſalutem conſequi non poſſunt.

Probatur 1. Illi non ſunt in Eccleſia, quos nullus chriſtianus per ſexdecim priora ſæcula credidit eſſe in Eccleſia: atqui nullus chriſtianus per ſexdecim priora ſæcula credidit, publicos hæreticos, manifeſtos ſchiſmaticos eſſe in vera Chriſti Eccleſia: ergo revera in ea non ſunt. Major propoſitio videtur evidens: Quod enim nemo credidit per ſexdecim priora ſæcula, decimo ſeptimo non poteſt eſſe articulus fidei; ſiquidem ut quid ſit articulus fidei, debet eſſe revelatum: id autem quod nemo per tot ſæcula credidit, non fuit revelatum; nempè in Eccleſia non ſunt novæ revelationes, ſed id totum, quod ad fidem & mores pertinet, fuit Apoſtolis revelatum, juxta illud Scripturæ: *Ille* (Spiritus Sanctus) *docebit vos omnia*. Minor verò propoſitio ſic oſtenditur: Illud per ſexdecim priora ſæcula non fuit creditum, quod non fuit auditum; fides enim (Apoſtolo teſte) eſt *ex auditu*: atqui per ſexdecim priora ſæcula non fuit auditum, publicos hæreticos, manifeſtos ſchiſmaticos eſſe in Eccleſia; ſcilicet id non fuit prædicatum: atqui a nemine per illud ſæculorum ſpatium prædicatum fuit publicos hæreticos, manifeſtos ſchiſmaticos eſſe in Eccleſia; neque enim in Patribus, qui iis ſæculis vixere, reperitur aliquid, quo probetur, illos prædicaſſe articulum, de quo agitur: ergo, &c.

Probatur 2. Tantùm abeſt, ut aliquis per ſexdecim priora ſæcula docuerit, publicos hæreticos, & manifeſtos ſchiſmaticos eſſe in Eccleſia, quin potiùs omnes ab ea illos excluſerint.

Primò, quoties Patres verbum, *Eccleſia*, ſimpliciter ac ſine addito protulerunt, ſemper intellexerunt ſocietatem, ex qua publici hæretici & manifeſti ſchiſmatici excluſi eſſent: ergo, &c. Antecedens ſubſequentibus momentis ſic oſtenditur.

Irenæus lib. 3. adversùs hæreſes cap. 4. hæc habet: *Tanta igitur oſtenſionis cum ſint hæc, non oportet adhuc* (de hæreticis loquitur) *quærere inter alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſimè in ea contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, ut omnis quicumque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus; omnes autem reliqui, fures ſunt & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum magna diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.* Evidens eſt, Irenæum eo in loco opponere Eccleſiam ſectariis, quos poſtea hæreticos appellat, propriiſque nominibus exprimit, atque ſpecialiter de Marcione, quòd *ſæpè in Eccleſiam veniens, & exomologeſim faciens, in his, quæ docebat malè, abſtentus ſit*. Ergo Irænæus Eccleſiæ nomine intellexit ſocietatem, a qua hæretici ac ſchiſmatici eſſent excluſi.

Tertullianus libro de Præſcriptionibus cap. 4. ſcribit hæreſes perſequi Eccleſiam: *Hoc erunt* (inquit) *hæreſes non minus doctrinarum perverſitate Eccleſiam laceſſentes, quàm tunc Antichriſtus perſecutionum atrocitate perſequetur*; unde ſic arguitur: Illi excluduntur ab Eccleſia, qui eam perſequuntur: atqui, ex Tertulliano, hæretici Eccleſiam perſequuntur: ergo hæretici excluduntur ab Eccleſia.

Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 7. pag. 765. ſic loquitur: *In unius ergo naturæ ſortem cooptatur Eccleſia, quæ eſt una, quam conantur hæreſes in multas diſcindere*. Ex quibus verbis ſic conficitur argumentum: Ille excluſit hæreticos ab Eccleſia, qui aſſeruit, hæreticos conari eam in multas Eccleſias diſcindere: atqui (ut ex mox laudato textu patet) Clemens Alexandrinus id aſſeruit: ergo, &c.

Hilarius lib. 7. de Trinitate cap. 12. hæc habet in eundem ſcopum: *Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt, ſed dum hæretici omnes ſe invicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt; victoria enim eorum, Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt*. Hincque ſic conficitur argumentum: Ille publicos hæreticos, & manifeſtos ſchiſmaticos excluſit ab Eccleſia, qui aſſeruit hæreticos venire contra Eccleſiam, eorum a ſe invicem victoriam, non illorum eſſe, ſed Eccleſiæ: atqui id aſſeruit Hilarius: ergo, &c.

Hieronymus adversùs Luciferianos, ſub finem, ſic loquitur: *Sicubi audieris eos, qui dicuntur Chriſti, non à Domino Jeſu Chriſto, ſed à quocumque alio nuncupari, utpotè Marcionitas, Valentinianos, Montenſes, ſive Campitas; ſcito non Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti eſſe ſynagogam*. Qui docuit hæreticos, ipſos etiam Montenſes ſive Montaniſtas, non eſſe Eccleſiam Chriſti, ſed Antichriſti ſynagogam; excluſit hæreticos a vera Eccleſia; atqui id docuit Hieronymus: ergo, &c.

Quod Patres egerunt in privatis ſuis ſcriptis, idem præſtiterunt ad ſynodos adunati, ſeu hæreticos, ac ſchiſmaticos excluſerunt ab Eccleſia.

Concilium Laodicænum canone 9. vetat iis, qui ſunt in Eccleſia, *ne ad hæreticorum cœmeteria, vel ad ea, quæ ab eis martyria appellantur, orationis cauſa, vel ſanitatis accedant*. Canone 10. edicit, *non oportere eos, qui ſunt Eccleſiæ, indiſcriminatim ſuos filios hæreticis matrimonio conjungere*. Eos igitur, qui ſunt in Eccleſia, diſtinguit ab hæreticis; ac proinde hæreticos excluſit ab Eccleſia.

Concilium Conſtantinopolitanum I. non minùs apertè ſumit Eccleſiam in ſenſu hæreticorum excluſivo: *Hæreticos autem dicimus* (verba ſunt canonis 6. Gentiano Herveto interprete) *& qui olim ab Eccleſia abdicati ſunt, & qui ſunt poſteà à nobis anathematizati; ad hæc autem & eos, qui ſe ſanam quidem fidem confiteri præſeferunt, avulſi autem ſunt & abſciſſi, & adversùs canonicos noſtros Epiſcopos congregationem faciunt*. In ea autem verba notandum eſt 1. Concilium hæreticos, & ſchiſmaticos opponere Eccleſiæ. Notandum eſt 2. ipſum hæreticorum nomine non intelligere tantùm eos, qui negant, aut Trinitatis, aut Incarnationis myſterium; ſed omnes ſectarios, qui ab Eccleſia abdicati ſunt; ac proindè Montaniſtas, & Novatianos, qui circa illa myſteria nuſquam erarunt. Vide ſeptimum ejuſdem Concilii canonem, in quo Montaniſtæ, & Novatiani recenſentur inter hæreticos, quos adhibito quodam externo ritu in Eccleſiam admitti debere decernit.

Concilium Ariminenſe ſic, cum adhuc eſſet Catholicum, in Valentem & Urſacium protulit depoſitionis ſententiam: *Detrahantur ab Eccleſia, ut Catholica Eccleſia in pace permaneat*. Synodus, quæ juſſit, ut Valens & Urſacius detraherentur ab Eccleſia, non cenſuit, eos poſt eam detractionem, adhuc eſſe in Eccleſia: atqui, &c. ergo, &c.

Concilium Chartaginenſe IV. canone 71. prohibet ne hæreticorum conventicula appellentur Eccleſiæ nomine: Illi igitur perſuaſum fuit, hæreticos non eſſe in Eccleſia.

Quinta Synodus generalis, actione 3. ſic loquitur: *Hac igitur recta confeſſione in ſancta Dei Catholica, & Apoſtolica Eccleſia ſervanda & prædicanda: Si quis ſemetipſum ab ejus communione ſeparet, contraria ei ſapiens, talis ſemetipſum alienans recta fidei, & hæreticis communicans, juſtè à ſancta Dei Eccleſia condemnatur, & anathematizatur*. Unde ſic arguitur: Qui condemnantur, & anathematizantur ab Eccleſia, non ſunt in Eccleſia: Atqui hæretici, & ii, qui ſeipſos illis adjungunt, condemnantur, & anathematizantur ab Eccleſia: ergo, ex quinta Synodo generali, non ſunt in Eccleſia..

Secundò, Patres veram Chriſti Eccleſiam vocarunt Eccleſiam *Catholicam*: atqui ab Eccleſia Catholica exclu-

cluserunt omnes publicos hæreticos, & omnes manifestos schismaticos: ergo, &c. Minor propositio, in qua positus est difficultatis cardo, ipsismet Patrum textibus ostenditur.

Tertullianus *Catholicam* opponit hæresibus; hæc enim habet libro de Præscriptionibus cap. 30. *Constat* (inquit de Valentino, & Marcione) *in Catholica primò doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec ob inquietam semper eorum curiositatem .... semel & iterum ejecti, &c.*

Concilium Nicænum I. in suo symbolo hisce verbis exprimit eorum damnationem, qui contendebant, Verbum non esse consubstantiale Patri: *Anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia*; ea autem verba omni carerent sensu, si *Catholica* nomen, ipsis etiam hæreticorum synagogis conveniret. Canone 8. idem Concilium manifeste supponit, Novatianos non fuisse in Ecclesia Catholica, imò ab ea fuisse revera separatos; hæc enim habet: *De his, qui se nominant Catharos, id est, mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam Catholicam, placuit sancto & magno Concilio, ut impositionem manus accipientes, sic in Clero permaneant. Hæc autem præ omnibus eos scriptis convenit profiteri, quòd catholica & Apostolica Ecclesia dogmata suscipiant, & sequantur.*

Concilium Constantinopolitanum I. eadem, qua Nicænum I. ratione sumit *Catholica* nomen cum canone 7. decernit, Arianos, Macedonianos, Novatianos, hac lege recipi debere: *Omnem hæresim anathematizantes, quæ non sentit ut sancta Dei Catholica, & Apostolica Ecclesia.*

Catholicæ nomen ita prioribus sæculis proprium erat veræ Ecclesiæ, sumptæ pro societate, quæ hæreticos, & schismaticos excludit, ut ipsi etiam hæretici conventiculis suis nomen illud tribuere non auderent: *Tenenda est nobis* (inquit Augustinus lib. de vera religione, cap. 6.) *Christiana religio, & ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint enim, nolintve ipsi quoque hæretici, & schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud, quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernunt, quo ab universo orbe nuncupatur.*

Tertiò, quæ Adversarii respondent ad loca, quæ hucusq; tum ex Patribus, tum ex Conciliis prolata sunt, nullius omninò sunt ponderis; nempè ajunt, ea intelligi debere de hæreticis, qui negant articulos fundamentales fidei; non autem de iis, qui negant eos, qui non sunt fundamentales. Ea (inquam) solutio nullius omninò est ponderis: Nam 1. iis locis, in quibus Patres & Concilia hæreticos excludunt ex Ecclesia Catholica, nequaquam distinguunt inter hæreticos, qui negant articulos fundamentales, & eos, qui negant non fundamentales; imò de omnibus prorsùs hæreticis absque exceptione loquuntur: *Omnem hæresim anathematizantes* (inquit Concilium Constantinopolitanum I. can. 7.) *quæ non sentit, ut sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia.* Idem quoque patet ex canone 8. Concilii Nicæni I. ubi præscribitur, ut qui in Ecclesiam redeunt, omnia Ecclesiæ Catholicæ dogmata suscipiant. 2. Montanistæ, Novatiani, Quartodecimani, Sabbatiani, non negabant articulos fundamentales; neque enim aut circa Trinitatem, aut circa Incarnationem, aut circa gratiam errabant; sed tantum circa nonnulla capita, quæ aut ad disciplinam, aut ad Ecclesiæ potestatem spectabant; Montanistæ tamen, Novatiani, Quartodecimani, Sabbatiani ab Ecclesia exclusi sunt à Patribus, ut patet ex locis, quæ a nobis relata sunt. 3. Qui in Concilio Gangrensi canonibus 11. 12. 13. 17. 18. 19. anathemate damnantur, proindeque ejiciuntur ex Ecclesia, non negabant articulos fundamentales, sed errabant tantùm circa quædam disciplinæ capita, ut cuique laudatos canones legenti manifestum fiet. 4. Sectarii, qui articulos fundamentales a non fundamentalibus distinguunt, nullam aut ex Scriptura, aut ex traditione regulam proferre possunt, per quam articuli fundamentales a non fundamentalibus distinguantur, ac proinde nullus, aut gentilis, aut Judæus, aut hæreticus, qui voluerit dare nomen Ecclesiæ Catholicæ, scire poterit, ubinam sit Ecclesia Catholica; cum enim variæ Christianorum sectæ propter quædam dogmata in se invicem anathematis fulmen intorqueant, Gentilis ille, aut Judæus, aut Hæreticus cognoscere non poterit, an illa dogmata sint articuli fundamentales, an verò non fundamentales. Scilicet quælibet secta, putat dogmata, quæ damnat anathemate, esse fundamentalia: sic Arianis persuasum est, articulum de Consubstantialitate Verbi, quem Ecclesia Romana profitetur, esse errorem fundamentalem; sic etiam Nestoriani censent, articulum de hypostatica Verbi unione cum natura humana esse errorem fundamentalem; & ita de cæteris hæreticis.

Solvuntur Adversariorum argumenta.

Objicies 1. Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos docet, justos & peccatores esse in Ecclesia: *Arca Noe* (inquit cap. 8.) *Ecclesiæ typus fuit .... Ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac universarum & gentium, & morum homines sunt: ut ibi pardus & hædi, lupus & agni; ita & hic justi & peccatores:* Atqui per justos & peccatores Hieronymus hic intelligit catholicos & hæreticos: ergo Hieronymus censuit catholicos & hæreticos, qui ex eo, quòd peccatores sint in Ecclesia, concludit, valere baptisma ab hæreticis datum; sed Hieronymus id reverà concludit; nempè docet, Cyprianum, quòd illum articulum ignorarit, seu in Ecclesia esse justos & peccatores, iterasse baptisma ab hæreticis datum: *Conatus est B. Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena; & idcircò hæreticorum baptisma reprobans, ad Stephanum tunc Romanæ urbis Episcopum, qui à Beato Petro vigesimus tertius fuit, super hac re Africanam Synodum direxit; sed conatus ejus frustrà fuit.*

Resp. 1. nimis probare illud argumentum; nempè probat, Saturninum, Carpocratem, Cerinthum, Hebionem, aliosque, qui (ut loquuntur Adversarii) negarunt fundamentales fidei articulos fuisse veræ Ecclesiæ membra. Scilicet ex eo, quòd injusti & peccatores sint in Ecclesia, Hieronymus concludit, baptisma ab illis hæreticis datum valuisse: *Ad eos* (inquit) *venio hæreticos, qui Evangelia laniaverunt, Saturninum quendam, & Ophitas, & Gaaitas, Carpocratem, & Cerinthum, & hujus successorem Hebionem, & cæteras pestes, quorum plurimi vivente adhuc Joanne Apostolo eruperunt; & tamen nullum eorum legimus rebaptizatum.* At id est contra adversariorum systema, & contra apertam ipsiusmet Hieronymi sententiam, qui ad calcem libri adversùs Luciferianos sic loquitur: *Sicubi audieris, eos qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, utputa Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas; scito, non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse synagogam.*

Resp. 2. concessa majore, neg. min. Ad cujus probationem, neg. maj. Ratio est, quia ex suppositione, quòd injusti & peccatores sint (ut fatebantur Luciferiani, contra quos agit Hieronymus) veræ Ecclesiæ membra, rectè sequitur, valeret baptisma datum ab hæreticis; nempè, si non valeret (hæc erat ratio Luciferianorum, quam antea Cyprianus contra Stephanum agens protulerat) maximè quia hæretici, cum non habeant Spiritum Sanctum, cum vacui sint charitate, non possunt per baptisma conferre Spiritum Sanctum, conferre charitatem, tribuere remissionem peccatorum: Sed (argu-

mentum

mentum est Hieronymi, quo S. Augustinus, contra Donatistas agens, pariter usus fuit) illa ratio nulla est; valet enim baptisma datum in Ecclesia ab impiis, qui, licet in ejus sinu existentes, nec charitatem, nec Spiritum sanctum habent: ergo valere debet datum etiam extra Ecclesiam ab iis, qui tum Spiritu sancto, tum charitate vacui sunt. Vide Augustinum lib. 6. de baptismo cap. 8. cap. 16. & cap. 18.

Objicies. 2. S. Basilius in epistola canonica ad Amphilochium expresse docet, schismaticos esse in Ecclesia: ergo aliqui ex iis, qui anathemate damnantur, sunt veræ Ecclesiæ membra. Probatur ant. Ubi S. Basilius distinxit inter hæreses, schismata & illegitimos conventus, sic loquitur canone 1. *Visum est ergo antiquis, hæreticos quidem omnino rejicere: qui se autem absciderunt, qui schismatici dicuntur, ut qui adhuc sint Ecclesiæ, admittere.*

Resp. 1. negando, Basilium eo sensu, quo a Calvinistis asseritur, docuisse, schismaticos esse veræ Ecclesiæ membra: Scilicet hodierni Calvinistæ eo sensu volunt, schismaticos esse veræ Ecclesiæ membra, quòd illi se conjungere non teneantur, quòd in suo schismate salutem consequi possint: Basilius verò contrarium expressè profitetur; hæc enim habet de Novatianis, qui circa præcipuos fidei articulos non errabant: *Cathari sunt & ipsi ex iis, qui sunt abscissi...... quoniam separationis quidem principium per schisma; qui autem se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent ampliùs in se gratiam Spiritus: Defecit enim traditio, quòd discissa sit consequentia. Qui enim primi recesserunt, ordinationem à Patribus habebant, & per manuum impositionem habebant spiritualem gratiam. Qui autem abrupti sunt, laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi habent potestatem, ut qui non possint ampliùs Spiritus sancti gratiam aliis quoque præbere, a qua ipsi exciderunt.*

Resp. 2. Basilium censuisse, schismaticos non reipsa, sed tantum nomine tenus, esse in Ecclesia; nam expresse asserit, eos post pœnitentiam, admitti debere in Ecclesiam; docet eos esse ab Ecclesia separatos: *Qui autem* (inquit) *se ab Ecclesia abjunxerunt, non habent in se ampliùs gratiam Spiritus:* indeque idem Basilius concludit, eos non habere baptizandi potestatem. Verùm cum ea Basilii loquendi ratio æquivocum locum præbere videretur, eam correxit prius Concilium Constantinopolitanum; siquidem can. 6. schismaticos ad hæreticorum classem reducit: *Hæreticos autem dicimus, & qui olim ab Ecclesia abdicati sunt, & qui sunt postea à nobis anathematizati; ad hæc autem & eos, qui se sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, avulsi autem sunt & abscissi, & adversus Canonicos nostros Episcopos congregationem faciunt.*

Objicies 3. Illi sunt in Ecclesia, qui cum ea sunt conjuncti: atqui publici hæretici, & manifesti schismatici sunt conjuncti cum Ecclesia: ergo revera sunt in Ecclesia. Minor ostenditur 1. auctoritate Augustini, qui lib. 1. de Baptismo c. 10. quærentibus schismaticis, utrùm pars Donati per baptismum Christo filios generet, sic respondet: *Quasi verò ex hoc generet, unde separata est, & non ex hoc, unde conjuncta est.* 2. Schismatici communem habent cum Ecclesia, tum fidem, tum baptismum; proindeq; cum illa nonnullam habent conjunctionem: *Sed ajuncta est* (inquit ibidem Augustinus) *in uno baptismate.*

Resp. dist. maj. Illi sunt in Ecclesia, qui cum ea sunt conjuncti secundum omnia, conc. maj. secundum aliqua tantùm, neg. maj. Ratio est 1. quia ii etiam hæretici, qui negant articulos fundamentales, Sociniani v. gr. secundum aliquid conjuncti sunt cum Ecclesia; nempe credunt Dei existentiam, divinam Christi missionem, plurimaque alia capita; habent præterea idem cum Catholicis baptisma; & tamen (fatentibus etiam adversariis, quos impugnamus) illi hæretici non sunt in Ecclesia. 2. Ea, quæ hæretici, aut schismatici habent communia cum Ecclesia, eis nequàquam prosunt ad salutem, quamdiu in hæresi aut schismate remanserint; proindeque ita non sunt in Ecclesia, ut sub salutis periculo ad unitatem redire non teneantur: ita ratiocinatur Augustinus enarratione in Psalmum 54. nempè hæc Psalmi verba. *In multis erant mecum;* sic in Donatistas, cæterosque schismaticos intorquet: *Quare dixit, Qui appropinquant mihi: Quia in multis erant mecum? Baptismum habebamus utrique, in eo erant mecum. Evangelium utrique legebamus, erant in eo mecum. Festa martyrum celebrabamus, erant ibi mecum. Pascha solemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum. In multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non erant mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum.* 3. Idem S. Doctor libro de fide & symbolo rationem reddit, cur hæreticorum ac schismaticorum in aliquibus capitibus cum Ecclesia conjunctio, satis non sit, ut sint in Ecclesia; ut quæ nobiscum habent communia, eis prosint: *Credimus* (inquit cap. 10.) *& sanctam Ecclesiam, utique Catholicam; nam & hæretici, & schismatici de Deo falsa sentiendo, ipsam fidem violant, schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quæ diligit Deum, nec schismaticus, quoniam diligit proximum.* 4. Non minùs clarè idem S. Augustinus libro de Unitate Ecclesiæ cap. 4 docet, conjunctionem imperfectam, seu secundùm aliqua tantùm capita, quam hæretici & schismatici habent cum Ecclesia, non satis esse, ut sint in illius sinu; sic enim loquitur: *Quicumque credunt quidem, quòd Christus Jesus in carne venerit, &c. sed tamen ab ejus corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum tota quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur, manifestum est eos non esse in Catholica Ecclesia.*

Objicies 4. Ii sunt veræ Ecclesiæ membra, quorum societas filios parit Christo: atqui societas, sive hæreticorum, sive schismaticorum, Christo filios parit; nempe per sacramentum baptismatis delet in infantibus peccatum originale, confertque gratiam, per quam verè sunt filii Dei: ergo manifesti hæretici, & publici schismatici, sunt veræ Ecclesiæ membra.

Resp. dist. maj. Ii sunt veræ Ecclesiæ membra, quorum societas filios Christo parit, tanquam ipsius Christi sponsa, conc. maj. tanquam Ecclesiæ ancilla, neg. maj. Distinguo pariter min. Atque societas, sive hæreticorum, sive schismaticorum, Christo generat filios, tanquam Ecclesiæ ancilla, conc. min. tanquam Christi sponsa, neg. min. In baptismate reperitur semen Christi, qui sponsus est Ecclesiæ; societates sive hæreticorum, sive schismaticorum, sunt veluti Ecclesiæ ancillæ; unde cum baptisma parvulis conferunt, in suo veluti utero excipientes Christi semen, fœtum, non sibi, sed Ecclesiæ, quæ sola est Christi sponsa, pariunt: *Ecclesia quippe omnes* (inquit Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatistas, cap. 15.) *per baptismum parit, sive apud se, id est, ex utero suo, sive extra se de semine viri sui, sive de se, sive de ancilla.* Cum autem adulti voluntarie adhæreant schismati, è contra verò infantes illi adhærere non possint, istis non nocet, quòd ex ancillæ utero nascantur, illis verò nocet quam maximè: *Sed & Esau* (inquit idem Augustinus) *de uxore natus, propter fraternam discordiam separatus est à populo Dei. Et Aser per uxoris quidem potestatem, sed ex ancilla natus, propter fraternam concordiam terram repromissionis accepit.* Idem declarat Hismaelis exemplo: *Unde* (ait) *& Hismaeli, ut separaretur à populo Dei, non obfuit fraterna discordia; non profuit potestas uxoris, cujus magis filius erat, & ex ancilla susceptus. Sicut apud illos Ecclesia jure, quod est in*

in baptismo, nascuntur quicumque nascuntur; sed si concordant cum fratribus, per unitatem pacis ad terram veniunt repromissionis, non de materno utero rursus ejiciendi, sed in paterno semine agnoscendi. Si autem in discordia perseverant, ad Hismaelis funiculum pertinebunt.

Objicies 5. Vera Christi Ecclesia debet esse ubique diffusa; id enim expressè docent theologi, cum agunt de Ecclesiæ notis: atqui si omnes societates Christianæ, quæ credunt fundamentales fidei articulos, non essent illius membra, non esset ubique diffusa: nempè constat, nullam esse Christianam societatem seorsim sumptam, ne Romanam quidem, quæ ubique diffusa sit.

Resp. *primò*, neg. min. Nam 1. ad veram Ecclesiam pertinent ii omnes, qui in aliis societatibus Christianis per baptismum regenerati, nondum schismati aut hæresi consensum præbuerunt: vera scilicet Ecclesia ex semine sui sponsi filios parit per ancillarum uterum, ut mox ostensum fuit ex Augustino. 2. Licèt fortè sint aliqui orbis anguli, in quibus non reperiantur, qui sint veræ Ecclesiæ membra, & sic, metaphysicè loquendo, Ecclesia non sit ubique; moraliter tamen (ut plerumque scripturæ loquuntur) nullus est locus, in quo non reperiatur: eminet enim, & quidem visibiliter, Catholica societas in præcipuis orbis partibus, tanquam civitas supra montem posita; Id verò satis est, ut in sensu morali asseratur eam ubique esse diffusam.

Resp. *secundò*, dist. maj. Vera Christi Ecclesia debet esse ubique diffusa, hoc est, debet esse corpus, quod amplitudine sua superet sectas omnes distributivè ac seorsim sumptas, conc. maj. quæ superet sectas omnes collectivè, ac conjunctim sumptas, neg. maj. Ecclesia Romana hoc secundo sensu latiùs se diffundit, quam sectæ Christianæ, quæ ex illius sinu exierunt; illæ enim sectæ aliquibus tantùm provinciis, aut regnis conclusæ sunt, cum è contra Ecclesia Romana in majori orbis parte ita emineat, ut sit civitas supra montem posita; quæ hominum, qui sectis dederunt nomen, oculos percellere possit. Quæ mox data est responsio, desumpta est ex Augustino; ad hanc enim Cresconii quæstionem: *Quomodo totus orbis communione vestra plenus est, ubi tam multa sunt hæreses, quarum nulla vobis communicat?* hisce verbis respondet lib. 3. contra Cresconium cap. 66. *Christianorum cum sint hæreses plures, atque omnes se Catholicos velint videri, aliosque præter se hæreticos nominent, una est Ecclesia, ut omnes concedunt, si totum orbem consideres, refertior multitudine.* Hæc iterùm habet ejusdem libri capite 67. *Ubique est illa, de qua exierunt, qui esse ubique minimè potuerint. Alii hoc loco, alii aliàs variarum præsumptionum, vel potius amputationum proprius particulas æstimantes, &c.*

Objicies 6. Eæ societates sunt veræ Ecclesiæ membra, in quibus populi salutem consequi possunt; nec enim salus haberi potest ab iis, qui sunt extra veræ Ecclesiæ sinum: atqui populi salutem consequi possunt in societatibus hæreticis. Nam 1. in schismate decem tribuum sub Jeroboamo, plures fuerunt viri pii, plures electi, plures prophetæ. 2. In schismate, quo ipsamet Ecclesia Romana decimo quarto sæculo laboravit, plures ex utraque parte viri sancti, ac docti floruerunt: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Et illi viri pii non consenserunt schismati, conc. ant. Et consenserunt schismati, neg. ant. Et sanè prophetæ, qui in regno Israelitico visi sunt, apertè damnarunt cultum vitulorum aureorum, quos Jeroboamus rex erexerat. Qui in regno fidem integram servarant, plerumque prophetarum domos adibant sabbati diebus, ut publicæ orationi, ac Scripturarum lectioni vacarent: id videre est lib. 4. Regum cap. 4. vers. 23. Nec audiendi sunt adversarii, eum reponunt, regni Israelitici prophetas non communicasse cum populo, qui regibus Juda parebat: Quamvis enim adorationis ac sacrificii causa singulis annis (ut jubebat lex) in urbem Hierosolymitanam, justo timore impediti, non proficiscerentur; fraternitatis tamen vinculo cum eadem tribu conjuncti erant; idque probant hæc Elisei verba ad Joram regem Israel lib. 4. Regum c. 4. *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quòd si non vultum Josaphat regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te, neque respexissem.* Ad 3. dicendum est, utramque diversorum Pontificum obedientiam inter sa mutuò, schismatum tempore, communicasse; non quidem immediatè, cum Pontifices in se invicem anathematis fulmen intorquerent, sed mediatè tantùm. Utraque nimirùm, licèt dubio Pontifici, ac illi adhærentibus sese non subjiceret, sese tamen toti Ecclesiæ ad Concilium legitimum adunatæ subjiciebat; ac proindè mediante illo Concilio, servabat fraternitatis vinculum: è contra verò, qui propriè sunt hæretici, aut schismatici, nec Ecclesiæ parti, nec toti ejusdem Ecclesiæ corpori, sive ad Concilium adunato, sive per singularum Ecclesiarum consensum firmato, sese subjiciunt; imò & ab ipso Ecclesiæ corpore, & à singulis ejus membris sese præscindunt, sibique principes, ac pastores constituunt.

Objicies 7. Qui supra fundamentum, quod est Christus Jesus, superædificat ligna, fœnum, stipulam, salutem consequi potest: *Si cujus opus arserit* (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 3.) *detrimentum patietur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem.* Sed ejus nomine, qui supra fundamentum superædificat ligna, fœnum, stipulam, intelligitur is, qui salvis articulis fundamentalibus, Christi nimirùm divinitate, aliisque capitibus ad ipsum spectantibus, hæreses apertis Conciliorum generalium definitionibus oppositas, etiam cum pertinacia, propugnat: ergo manifestus hæreticus circa articulos minime fundamentales, salutem consequi potest; ac proindè membrum est veræ Ecclesiæ.

Resp neg. min. Ratio est, quia nullum sexdecim seculorum authorem reperire est, qui ejus nomine, qui supra fundamentum superædificat ligna, fœnum, stipulam, intellexerit eum, qui voluntarie adhæret damnatis erroribus, quos hodierni sectarii errores non fundamentales appellant. Dicendum est igitur, per lignum, fœnum stipulam intelligi humanas opiniones, quæ Scripturæ, aut traditionis authoritate minimè nituntur, quæque aut Ecclesiarum unanimi consensu, aut Conciliorum definitionibus proscriptæ non fuerunt. Confirmatur ex eo, quòd Apostolus fundamenti nomine intelligat totum Christum, proindeque Christum cum suis membris, seu cum Ecclesia, cujus est caput; unde cum, ipsomet Christo teste, Ecclesia sit columna, & firmamentum veritatis, qui apertæ definitioni Ecclesiæ contradicit, aliud fundamentum ponit præter id, quòd positum est. Ea de causa Patres quovis sæculo anathema dixerunt iis, qui apertis Ecclesiæ definitionibus adhærere detrectarent; seu pronuntiarunt, eos extorres esse ab Ecclesiæ sinu.

CAPUT II.

De Notis Ecclesiæ.

Not. VArii varias proferunt veræ Ecclesiæ notas. Nos quatuor exponemus, quæ symbolo Constantinopolitano continentur, & ad quas (ut nobis videtur) cæteræ reducuntur: Itaque ostensuri sumus, veram Ecclesiam ab hæreticorum, & schismaticorum Synagogis discerni, quòd sit Una, Sancta, Catholica, Apostolica.

AR-

ARTICULUS I.

De unitate Ecclesiæ.

Not. QUæremus hic 1. utrum Ecclesia Christi sit una: 2. in quo posita sit ea unitas: 3. quodnam sit hujusmodi unitatis centrum.

CONCLUSIO 1. Ecclesia Christi una est, non multiplex.

Probatur 1. ex Scriptura. *Primò*, Ecclesia se habet respectu partium, quæ eam componunt, sicut ovile respectu ovium, ex quibus constat: *Alias oves habeo* (inquit Christus Joannis 10.) *quæ non sunt ex hoc ovili*: atqui respectu ovium, ex quibus constat, unum est: *Oportet* (ait ibidem Christus) *me illas adducere, & fiet unum ovile, & unus pastor*: ergo Ecclesia una est, non multiplex. Confirmatur: Quoties Christus de ecclesia locutus est, eam semper expressit tanquam unicam: *Si quis* (inquit) *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*; nunquam de ea locutus est in plurali numero, sed in singulari tantùm. *Secundò*, Christus est sponsus ecclesiæ, & vicissim ecclesia est sponsa Christi: *Sacramentum hoc magnum est* (ait Apostolus de matrimonio loquens ad Ephesios 5.) *ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*: ergo quemadmodum unicus est sponsus, ita una tantùm est sponsa. Nec obstat, quod singulæ fidelium animæ sint sponsæ; omnium enim animarum collectio unam efficit sponsam: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*; verba sunt Apostoli 2. ad Corinth. 11. *Tertiè*, Canticorum 6. exhibetur sub unius columbæ figura. *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ*. Ad Ephesios capite 2. asseritur, ecclesiam tanquam ædificationem, ex Judæis & gentilibus coalescere: *Ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos* (hoc est, Gentiles) *in habitaculum Dei in spiritu*. *Quartò*, ecclesia est mysticum corpus Christi: *Vos autem* (ait Apostolus 1. ad Corinth. 12.) *estis corpus Christi, & membra de membro*: atqui mysticum Christi corpus est unum tantùm: *Sicut enim* (inquit idem Apostolus) *corpus unum est, & membra habet multa; omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi*.

Probatur 2. ex Patribus. S. Patres ecclesiam compararunt cum Arca Noe, cum domo, in qua Agnus Paschalis comedi jubebatur, cum Christi veste, quæ inconsutilis erat, cum domo Rahab; in ea enim (inquit Cyprianus) ecclesia præformabatur: Atqui non multiplex, sed una tantùm fuit arca Noë, una erat domus, in qua Agnus Paschalis comedi debebat, una fuit ac indivisa Christi vestis: ergo pariter ecclesia non est multiplex, sed una tantùm.

Quæres, an alicujus momenti sit quæstio de unitate Ecclesiæ?

Resp. magni esse momenti; nempè extra unam illam Christi ecclesiam, nemo potest consequi salutem: *Quicumque* (ait Hieronymus epist. 57.) *extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio*. Nec mirum; neque enim ii, qui extra ecclesiam versantur, habere possunt charitatem: *Ipsa est charitas* (ait Augustinus tractatu de symbolo cap. 11.) *quam non habent, qui ab Ecclesiæ Catholicæ communione præcisi sunt*. Idem asseritur ab eodem S. Doctore lib. 3. de Baptismo cap. 16. *Quodlibet hæretici & schismatici accipiant, charitas quæ operit multitudinem peccatorum, donum est Catholicæ unitatis, & pacis*. Eòdem spectant hæc verba Enchyridii cap. 63. *Qui præter illam est, nec cum Deo est.... ipsa namque propriè Spiritum Sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur ulla peccata.*

Confirmatur responsio ex eo, quòd violare Christi fidem per crimen hæreseos, aut ejus vinculum scindere per schisma, non minus sit crimen, quam sint adulterium & scandalum; sed qui, aut adulterium commisit, aut incidit in peccatum scandali, nisi resipiscat, nusquam æternam salutem consequetur: *Si quis templum Dei violaverit* (ait Apostolus) *disperdet illum Deus. Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*.

Confirmatur iterùm ex eo, quòd hæresis, vel schisma, non unum, sed multiplex peccatum complectantur: complectuntur nimirùm 1. voluntariam rebellionem in Ecclesiæ ministros, de quibus ipse Christus ait: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. Complectuntur 2. calumniæ crimen; nempè hæretici & schismatici ab Ecclesia discedentes, eam corruptionis ac prostitutionis insimulant. Complectuntur 3. furti peccatum; nam hæretici & schismatici ministerium, quod ad solam Ecclesiam jure spectat, per summum nefas vindicant sibi. Complectuntur 4. scandali peccatum, scilicet hæretici & schismatici sua aperta in Ecclesiam rebellione & fidei corruptione, sunt offendiculo populis fidelibus; mirum igitur non est, quòd salutem consequi non possint, nisi ad fidem & unitatem redierint.

CONCLUSIO 2. Unitas Ecclesiæ in tribus posita est.

Probatur enumeratione. Ecclesiæ unitas dicit unam, ac eandem fidem; eadem omninò sacramenta; eosdem ministros ac pastores. *Primò*, dicit unam, ac eandem fidem: *Una fides, unum baptisma*. Hinc verò sequitur, quod superiùs fuse probatum est, hæreticos non esse veræ Ecclesiæ membra; neque enim eandem in omnibus habent fidem cum Ecclesia Catholica. *Secundò*, dicit eadem sacramenta; per ea nimirùm tantùm Christi sanguis hominibus ad justificationem applicatur: hinc qui aliis utitur, quam iis, quibus utitur Ecclesia Catholica, aut qui ex iis aliquod tanquam inutile rejicit, non est in Ecclesiæ unitate. *Tertiò*, dicit eosdem pastores, non quidem numero, sed missione, sed successione, sed ministerio: *Et ipse dedit quosdam quidem prophetas, alios pastores & doctores ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes, &c.* Verùm de hoc argumento sermo redibit inferiùs; hic satis sit ex illo principio colligere, schismaticos, licet fidem non temeraverint, non esse in Ecclesia; nempè non habent legitimos pastores, seu qui missione, & successione pastoratus officio fungantur.

CONCL. 3. Unitatis Ecclesiæ centrum, Sedes est Romana.

Probatur 1. Ea sedes est centrum unitatis Ecclesiæ, quæ jure divino primatum habet in omni Ecclesia: atqui sedes Romana primatum habet in omni Ecclesia; siquidem primatum habet, quem habuit Petrus; nimirùm Romani Pontifices succedunt Petrò, ut inferiùs dicetur: Sed Petrus (ut ostendemus quæstione 5.) jure divino primatum habuit in omni Ecclesia: ergo, &c.

Probatur 2. Patres expressè asseruerunt, sedem Romanam esse centrum unitatis Ecclesiæ: *Navigare audent* (inquit Cyprianus epist. 55.) *ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*. Optatus lib. 2. contra Parmenianum, hæc habet in eundem finem: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam... in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret*. Hieronymus non minùs clarè loquitur ad Damasum Papam, scribens de hypostasis nomine: *Hic* (inquit) *in tres partes scissa Ecclesia, me ad se rapere festinat; ego autem clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.*

Quæres, utrùm Sedes Romana, & Ecclesia Romana sint unum & idem?

Resp. Sedem Romanam, & Ecclesiam Romanam esse unum & idem, si nomine Ecclesiæ Romanæ intelligatur illa particularis Ecclesia, quæ Romæ constituta est; è contra verò differre tanquam includens ab incluso, si Ecclesiæ Romanæ nomen sumatur pro ea fidelium societate, quæ per totum orbem diffusa, sedem Romanam agnoscit pro sede, cui a Christo concessus est primatus in omni Ecclesia, seu cui aliæ omnes particulares Ecclesiæ secundùm canonicas sanctiones obedire tenentur. Quod mox traditum est sedis Ecclesiæ Romanæ discrimen, diligenter observandum est; nempè hæretici, ut Catholicos facilius calumniari possint, plerumque Romanam Ecclesiam per totum terrarum orbem longè latèque diffusam solent confundere cum Romana curia, seu Ecclesia Particulari, quæ extra territorium Romanum non diffunditur.

ARTICULUS II.

De sanctitate Ecclesiæ.

Not. 1. Certum est, in Ecclesia militante non reperiri sanctitatem, quæ sit absque omni macula, & absque omni ruga; nempè ejusmodi sanctitas soli Ecclesiæ triumphanti convenit; nullum enim est Ecclesiæ militantis membrum, in quo locum non habeat illud primæ Joannis 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Not. 2. Certum est iterùm, Ecclesiam non eo sensu esse sanctam, quòd singula illius membra prædita sint sanctitate, seu charitate, quæ eos Dei filios efficiat, sunt enim in Ecclesia (ut superiùs ostensum est) boni & mali. Quæstio igitur est de sanctitate, tum vocationis, tum professionis; de interna sanctitate, quæ non in omnibus quidem, sed in pluribus Ecclesiæ membris reperiatur.

CONCL. 1. Tota Ecclesia, sancta est sanctitate vocationis.

Probatur. Sanctitas vocationis posita est in vocatione ad sanctitatem: atqui tota Ecclesia, vocata est ad sanctitatem. Nempè id docet Apostolus ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* (inquit) *ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Ad Romanos 1. idem Apostolus eos, ad quos scribit, vocat sanctos: *Vocatis sanctis.* Eòdem spectant hæc primæ Petri 1. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Christus præcipue passus est, ut suæ Ecclesiæ sanctitatem conferret: *Jesus, ut sanctificaret populum per sanguinem suum, extra portam passus est*, unde ipse Joannis 17. sic loquitur: *Pro eis sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.*

CONCL. 2. Tota Ecclesia, sancta est sanctitate professionis.

Probatur. Ea societas est sancta sanctitate professionis, quæ fidem sanctam & mores sanctos profitetur: Atqui tota Ecclesia fidem sanctam & mores sanctos profitetur: quisquis nimirùm, cum initiatur baptismate, regulas profitetur, quæ in Scripturis & traditione continentur; eæ autem regulæ sunt verissimæ & maximè sanctæ, cum è contra in societatibus, quæ sunt extra Ecclesiam, plurima sint falsa, multa sint principia, quæ bonis moribus adversentur: v. gr. apud Calvinistas, dogma de inamissibilitate justitiæ, quod in eorum Synodo Dordretana, tanquam fidei articulus definitum est.

Quæ de sanctitate, quam Ecclesia profitetur, hic breviter dicta sunt, fusè pertractata legere est apud Justinum in utraque apologia, apud Tertullianum in libro apologetico cap. 36. apud Arnobium libr. 2. & 3. contra Gentes, apud Augustinum in libris de Civit. Dei: *Nihil* (inquit lib. 2. cap. 28.) *in Christianis Ecclesiis turpe & flagitiosum spectandum, imitandumque proponitur, ubi vero Dei aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur.*

CONCL. 3. Ecclesia in pluribus suis membris internam habet sanctitatem.

Probatur 1. Infantes, qui baptismate regenerati sunt, vere sunt filii Dei. Lapsi, qui in pœnitentiæ sacramento absolutione donati sunt, consecuti sunt peccatorum remissionem, ipsomet Christo teste. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Plures sunt alii, qui es justitia per baptismum accepta nunquam exciderunt: ergo Ecclesia in pluribus membris internam habet sanctitatem: Nec mirum; in Ecclesia enim reperitur Spiritus Sanctus. Ipsa est Christi sponsa, adversùs quam portæ inferi prævalere non possunt; cum qua ipsemet Christus erit usque ad consummationem sæculi. Hæc Ecclesiæ nota, seu sanctitas, ita propria est veræ Ecclesiæ, ut nulli alteri societati convenire possit; nec enim voluntariè jacentibus extra Ecclesiam, per baptismum, aut alia sacramenta datur Spiritus Sanctus. Vide Cyprianum iis in locis, in quibus pro rebaptizatione scripsit; Augustinum in libris, quos de Baptismo contra Donatistas exaravit.

Probatur 2. In Ecclesia visi sunt innumerabiles martyres, quorum constantia maximum fuit sanctitatis argumentum. In ea floruerunt quamplurimi Doctores, de quorum sanctitate nec ipsi etiam hæretici dubitare possunt; ejusmodi verò fuerunt Justinus, Irenæus, Cyprianus, Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Basilius, Chrysostomus, Augustinus, Bernardus, innumerique alii, qui scientia, pietate, miraculis fidelium societatem exornarunt. In Ecclesia videre est plures Episcopos, in quibus eæ dotes elucent, quas Apostolus ad Timotheum scribens, requirit: *Quàm enim multos Episcopos* (inquit Augustinus lib. 1. de Moribus Ecclesiæ cap. 33.) *optimos viros, sanctissimosque cognovi, quàm multos presbyteros, quàm multos diaconos, & hujusmodi ministros divinorum sacramentorum, quorum virtus eò mihi mirabilior, & majore prædicatione dignior videtur, quò difficilius est eam in multiplici hominum genere, & in ista vita turbulentiore servare.* In eadem Ecclesia videre est sanctas congregationes Cœnobitarum, qui contemptis sæculi divitiis, honoribus, illecebris, totos se tradunt pœnitentiæ, ac rerum divinarum contemplationi. Augustinus illud argumentum Manichæis opponit lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 31. *Quis* (inquit) *illos non miretur & prædicet, qui contemptis, atque desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam, sanctissimamque congregati, simul ætatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus; nulla superbia tumidi, nulla pervicacia turbulenti, nulla invidia lividi; sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, & intentissimam ad Deum gratissimum munus ipsi offerunt, à quo ista posse meruerunt?* Sunt etiam in Ecclesia innumerabiles laici, qui hoc mundo utuntur tanquam non utentes: *Nec ideò* (ait Augustinus eodem lib. cap. 31.) *laudabile Christianorum genus contempserim, eorum scilicet, qui in civitatibus degunt, a vulgari vita remotissimi. Vidi ego diversorium sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus unus presbyter præerat, vir optimus, & doctissimus. Romæ etiam plura cognovi, in quibus singuli gravitate, atque prudentia & divina scientia præpotentes, cæteris secum habitantibus præsunt, Christiana charitate, sanctitate, & libertate viventibus; ne isti quidem cuiquam onerosi sunt, sed Orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt —— Neque hoc viris tantùm, sed etiam in fœminis, &c.* Tam probatæ castitatis, tantæ temperantiæ, tantæ pœnitentiæ, tantæ virtutis

viros,

viros; ac mulieres hæretici in suis sectis ostendant, proferantque, ut suæ pseudo-ecclesiæ sanctitatem probent.

Objicies 1. Ea societas non est sancta, quæ identidem indiget reformatione: atqui Ecclesia identidem indiget reformatione; si enim non indigeret, frustra ab Apostolorum ætate, ad hæc usque tempora, tot editis canonibus reformatio præscripta fuisset: ergo, &c.

Resp. dist. maj. quæ indiget reformatione in rebus, quæ ad fidem, aut morum regulas spectant, conc. maj. in rebus, quæ spectant ad solam disciplinam, neg. maj. Ecclesia nusquam indiguit reformatione in iis, quæ ad fidem, aut morum regulas spectant; eandem enim fidem, eandem morum regulas professa est, quæ ab Apostolis post Christi in cœlos ascensionem edocta est; nempe sectarii nullam in iis capitibus novitatem probare possunt; nusquam ostendent tempus, locum, occasionem, causam, quibus doctrina vetus ab Apostolis per ordinem sparsa, primum innovata ac adulterata fuerit; unde contra eos, qui Ecclesiam insimulant tanquam ream novitatis in fide, aut in moribus, intorqueri possunt hæc Augustini verba lib. de utilitate credendi cap. 14. *Vos autem & tam pauci, & tam turbulenti, & tam novi, nemini dubium est, quàm nihil dignum authoritate proferatis*. Identidem tamen propter hominum corruptionem innovari oportuit eas morum regulas, sancirique novam disciplinam: Sicut enim cymba proprio pondere rapidissimi fluminis cursum sequens, deorsum labitur (verba sunt authoris Spongiæ,) nisi remis, velisque studio non intermisso in partem adversam agas; ita homines corruptæ naturæ impetu in carnis & sanguinis corruptelas, & disciplinæ relaxationem proni sunt, nisi legibus identidem renovatis, quasi repagulis quibusdam coerceantur. Hinc illud non solùm Tridentinæ, sed omnium penè Synodorum studium in condendis canonibus; quibus disciplina restauretur: Hinc illæ querelæ, Imperatorum, Regum, Principum, Cleri, Cardinalium de necessitate reformationis, sed quæ ad disciplinam, non autem ad doctrinam pertineat.

Objicies 2. Ecclesia variis sæculis plurium errorum insimulata est: ergo eorum rea fuit, aut saltem aliquod accusationi ejusmodi fundamentum præbuit.

Resp. dist. ant. Insimulata est ab hæreticis, conc. ant. a catholicis, neg ant. & conseq. Et sanè Manichæi (Augustino teste lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 24.) Catholicis objiciebant hypocrisim, superstitionem, sepulchrorum adorationem, luxuriam, aliaque ejusmodi scelera. Luciferiani (ut testatur Hieronymus contra eos agens) dictitabant, universum mundum, (hoc est Ecclesiam) esse diaboli, & factum de Ecclesia lupanar. Donatistæ (ut scribit Augustinus lib. 1. contra litteras Petiliani cap. 51.) Cathedram Romanam nuncupabant cathedram pestilentiæ: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus, &c. Quare appellas cathedram pestilentiæ Cathedram Apostolicam?* Vocabant eam meretricem: *Ipsa* (inquiunt apud Augustinum lib. 1. contra Cresconium cap. 5.) *meretrix est, asylum Romuli*, hoc est, refugium sceleratorum omnium. Pelagiani propter dogma de propagatione peccati originalis, apud Augustinum lib. 1. contra Julianum, vocabant Ecclesiam, *confusionem pudendam Babylonis, impudentissimam, contumacissimam, Deum prophanissimam*, & in qua adeptæ essent *stultitia & turpitudo dominatum*. Tandem (inquit author Spongiæ pag. 544.) quis hæreticus quindecim sæculis ebullivit, qui non Ecclesiã, quam schismate laceraverat, de gravissimis criminibus accusaverit? de erroribus magnis corruptamque Christi doctrina ream fecerit? neq; enim sine prætextu aliquo se ab Ecclesiæ communione præscidebant. Sed contigit illis, quod navigantibus, qui cum è portu solvunt, terram, a qua recedunt, non se ipsos, moveri putant: vel potius id, quod atra bile laborantibus, qui suas insanas imaginationes non dubitant ipsissimam esse veritatem. Sic etiam ipsi soli armati pertinacia, clamoribus suis impudentibus sine ulla probatione credi volunt, Ecclesiam erroribus, hæresibus, & apostasiis esse fœdatam, purpuratamque meretricem, & Antichristi sedem, vel reformandam esse, vel deserendam.

ARTICULUS III.

De Catholicitate Ecclesiæ.

Not. UT cum methodo pertractetur argumentum de Catholicitate ecclesiæ, quærendum est 1. utrùm nomen hoc *Catholica*, veræ ecclesiæ conveniat: 2. An ex voce *Catholica*, firmum argumentum desumatur pro vera ecclesia: 3. Utrum Catholicitas soli ecclesiæ Romanæ propria sit.

CONCLUSIO 1. Nomen hoc *Catholica*, soli veræ ecclesiæ convenit.

Probatur 1. authoritate Augustini, qui contra epistolam fundamenti cap. 4. sic loquitur: *Tenet* (me in ecclesiæ gremio) *ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniant, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere*. Eadem ratione loquitur sermone 131. de tempore: *Sola igitur* (inquit) *vera Christi sponsa Ecclesia nominis Catholici honorem semper & ubique retinuit*. Idem pariter docet lib. de vera religione cap. 7. *Tenenda est nobis* (ait) *Christiana religio, & ejus ecclesiæ communicatio, quæ catholica est, & catholica nominatur*.

Probatur 2. testimonio S. Cyrilli Hierosolymitani, qui Cathesi 18. sic loquitur: *Si forte veneris in civitates, non simpliciter interroga, ubi sit Dominicum, seu domus Domini; nam etiam hæretici suas speluncas domum Domini nominare volunt: nec petas, ubi sit Ecclesia Dei, sed ubi catholica ecclesia; hoc enim nomen proprium est hujus sanctæ ecclesiæ matris omnium nostrorum*.

Probatur 3. authoritate S. Paciani, qui epistola 1. ad Sympronianum, ut significet se in vera esse ecclesia, sic loquitur: *Christianus mihi nomen est, catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat, hoc ostendit. Hoc probor, inde significor*. Paulò post addit, veram ecclesiam a sectariorum synagogis per idem nomen, *catholica*, distingui: *Ego fortè* (inquit) *ingressus populosam urbem, hodie quam Marcionitas, quam Apellecianos, Cataphrygas, Novatianos, & cæteros hujusmodi comperissem, qui se Christianos vocarent, quo cognomine congregationem meæ plebis agnoscerem, nisi catholica diceretur?*

Quæres 1. quo tempore vera ecclesia cœperit vocari *Catholica*?

Resp. scriptores, quibus persuasum est, Apostolos esse non tantùm quoad substantiam, sed etiam quoad ordinem & verba, authores Symboli, quod inscribitur eorum nomine, censere ecclesiam ipsa Apostolorum ætate vocatam fuisse *Catholicam*; nempè (ajunt) nomen illud symbolo a se edito inseruerunt: *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam*; quòd scirent (inquiunt) eam ubique diffundi debere.

Resp. 2. plures ex Patribus docuisse, post Apostolorum ætatem tantùm ecclesiam vocatam fuisse *Catholicam*. Idque necessarium fuit (inquiunt) ut Ecclesia ab hæreticis, qui se Christianos dicebant, distingueretur: *Cum post Apostolos* (ait Pacianus epistola 1. ad Sympronianum) *hæreses extitissent, diversisque nominibus columbam Dei, atque reginam lacerare, & per partes scindere niterentur, cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem*.

CONCLUSIO 2. Ex hac voce *Catholica*, firmum pro vera Ecclesia argumentum desumitur, seu certò de-

monstratur, societatem Christianam, quæ verè est Catholica, esse veram Christi Ecclesiam.

Probatur. *Primò*, ita docet Augustinus: *Tenet me* (inquit contra epistolam Fundamenti cap. 4.) *ipsum catholicæ nomen, quod inter tam multas hæreses, sic ipsa sola Ecclesia obtinuit. Secundò*, Patres quovis sæculo usi sunt Ecclesiæ catholicitate, ut probarent schismaticorum, aut hæreticorum societates non esse veram ecclesiam Christi. Vide Cyrillū catechesi 18. Pacianum epistola 1. ad Sympronianum, Augustinum libro de unitate ecclesiæ, pluribusque aliis locis, in quibus probat, Donatistarum societatem non esse Christi sponsam, nec veram illius ecclesiam, quòd non esset catholica.

Objicies. Donatistæ, Ariani, aliique veteres hæretici nonnunquam vocati sunt catholici; ex eo tamen nomine, quod sibi tribuebant, desumi non potest argumentum, quo probetur, Donatistarum, Arianorum, aliorumque hæreticorum societates fuisse veram Christi Ecclesiam.

Confirmatur ex eo, quòd arbitrarius sit loquendi modus, proindeque nihil certi ex eo colligi potest.

Resp. dist. ant. A seipsis vocati sunt catholici, conc. ant. ab aliis societatibus christianis, neg. ant. Ariani v. gr. nusquam Donatistas appellarunt catholicos, nec vicissim Donatistæ Arianos; è contra omnes omninò sectæ christianæ societatem, quæ pro unitatis centro habet Apostolicam sedem, vocarunt semper, & nunc etiam vocant Ecclesiam catholicam: *Tenet me ipsum catholicæ nomen* (verba sunt Augustini) *quod non sine causa inter tam multas hæreses; sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut cum omnes hæretici, se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniant, nullus hæreticorum, vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.*

Ad confirmationem dico, quòd licet nihil certi colligi possit ex privatorum quorumdam hominum loquendi modo, colligatur tamen ex usu loquendi ubique semper recepto; qui enim ubique semper receptus fuit loquendi modus, certam ac evidentem significationem supponit, quam privati homines in alienam detorquere non possunt. Unde licet Lutherani, Calvinistæ, Sociniani, aliique sectarii conentur Catholicæ nomen eripere societati, quæ communione conjuncta est cum Romano Pontifice, illudque sibi tribuere; nusquam tamen impedient, ne eadem Romanæ communionis societas intelligatur, cum simpliciter & absolute *Catholicæ* nomen usurpabunt coram iis, qui suæ sectæ nomen non dederunt.

CONCLUSIO 3. Catholicæ nomen soli Ecclesiæ Romanæ convenit.

Probatur. Ei soli societati convenit *Catholica* nomen, quæ per totum terrarum orbem diffusa est; nempe (Augustino teste epist. 107.) *Ecclesia catholica appellatur, quod per totum terrarum orbem diffundatur*, unde ex eodem Augustino, Donatistarum adversarii, non autem ipsi Donatistæ, meritò catholici dicebantur, quòd toti orbi communicarent: *Quia* (inquit S. Doctor in Breviculo Collationis diei tertiæ cap. 3.) *Ecclesia toto orbe diffusa, cui testimonium perhibet Scriptura divina, ipsi, non Donatistæ, communicant; unde catholici meritò & sunt, & vocantur*: Atqui sola Ecclesia Romana per totum orbem terrarum diffusa est. Eminet nimirùm in Asia, in America, in Japonia, in Brasilia, in Europa, in Africa: è contra verò Christianorum societates, quæ cum ea non communicant, in aliquibus tantùm, aut Europæ, aut aliarum orbis partium angulis reperiuntur.

Objicies. Ecclesiæ Romanæ diffusio multùm imminuta est schismatibus, tum Græcorum, tum Lutheranorum; ita ut multæ sint, etiam in Europa, provinciæ, ubi nulli fere Catholici reperiuntur: ergo Ecclesia Romana non est ubique diffusa; ac proinde non debet appellari Catholica.

Resp. 1. imminutionem, quæ per schismata, tum Græcorum, tum Lutheranorum, accidit Ecclesiæ diffusioni, abundè resarcitam fuisse Barbararum nationum conversione. Scilicet eo tempore, quo Græci conflarunt schisma, Septentrionales populi, Hungari, Sueci, Dani, Christianæ ac Catholicæ religioni dederunt nomen. Non multò post Lutheri defectionem, Indi Orientales, & Occidentales, Japonenses, Brasilienses, innumeræque aliæ gentes Catholicam fidem amplexæ sunt.

Resp. 2. dist. ant. Ecclesia Romana non est ubique diffusa, physicè loquendo, conc. ant. sunt enim nonnullæ gentes, quibus Evangelium nondum fuit annuntiatum: moraliter loquendo, neg. ant. scilicet Ecclesia Romana (ut jam superiùs de unitate Ecclesiæ disserentes observavimus) in præcipuis orbis partibus ita eminet, ut diffusior sit qualibet alia secta seorsim, ac separatim sumpta; nec, sicut sectæ particulares, quibusdam provinciis, aut regnis coarctetur.

Confirmatur responsio ex eo, quòd prioribus Ecclesiæ sæculis pauciores non essent hæreses, quam nunc sint, ut patet ex Irenæo & Epiphanio; nec plures erant Catholici, quam sint modò, cum urbes paganis repletæ essent; nec plures erant regiones Christo servientes, quam sint jam temporis: Et tamen Ecclesia jam tunc vocabatur Catholica. Nemo dubitat, quin Augustini tempore innumeræ essent gentes, quæ nihil audierant de Evangelio. Constat, plurimas hæreses tunc in orbe Christiano grassatas fuisse; & tamen id non impedit, quin Ecclesia ab Augustino, cæterisque ejus ævi Patribus Catholica diceretur: *Diversorum hæreticorum Ecclesiæ* (ait Augustinus serm. 137. de tempore) *ideò Catholicæ non dicuntur, quòd per loca, & per suas quæque provincias continentur; hæc verò ab ortu solis usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.*

Quæres, utrùm per vocem *Catholica*, intelligatur sola Ecclesiæ per totum orbem terrarum diffusio.

Resp. 1. vocem hanc *Catholica* significare triplicem universalitatem, Doctrinæ nimirùm, Communionis permanentis, & Communionis successivæ.

Primò, quidem significat universalitatem doctrinæ; siquidem (ut agentes de Ecclesiæ unitate diximus) Catholicus non est, sed hæreticus, qui vel unum errorem contra fidem animo pertinace defendit, sive ille error sit (ut loquuntur heterodoxi) fundamentalis, sive non sit fundamentalis: *Propter unum verbum, aut duo* (apud Hieronymum lib. 3. adversùs Ruffinum) *quæ contraria fidei sunt, multæ hæreses abjectæ sunt ab Ecclesia.* Idem videre est apud Augustinum ep. 119. cap. 10. ubi sic loquitur: *Ecclesia, quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* Idem innuunt hæc alia ejusdem S. Doctoris verba libro de hæresibus: *Possunt & aliæ hæreses, quæ in hoc opere commemoratæ non sunt, vel esse, vel fieri, quarum aliquam quisque tenuerit, Christianus Catholicus non erit.*

Secundò, vox *Catholica*, includit universalitatem communionis permanentis, id est, constantem cum fidelibus per totum orbem dispersis communionem, a qua si quis seipsum separaverit, hæreticus est, schismaticus, non catholicus, scilicet eam veræ Ecclesiæ dotem, seu diffusionem per totum orbem prædixit lex: *In semine tuo* (Christo, ut explicat Paulus ad Galatas 4.) *benedicentur omnes gentes*; pollicitus est Christus; *Eritis mihi testes* (ait Actorum cap. 1.) *in Hierusalem & usque ad extremum terræ*; idem habetur Lucæ 24. *Quoniam sic scriptum est: Oportebat Christum pati, & prædicari pœnitentiam per omnes gentes, incipiens à Hierusalem.* Vide ea, similiaque scripturæ loca apud Augustinum libro de Unitate Ecclesiæ cap. 11. & 12. Vide etiam Vincentium Lirinensem Commonitorii cap. 31. ubi sic loquitur: *Id teneamus, quod ubique, quod ab omnibus creditum est, hoc*

est,

est, verè propriéque catholicum.

Tertiò, eadem vox *Catholica*, dicit universalitatem communionis successivæ, quæ ab Apostolorum Principe ad nos usque sine intermissione pervenerit. Nempè tum hæretici, tum schismatici sunt posteriores Ecclesia, nullamque cum ea, quæ illorum ortum præcessit, communionem habent: *Ante Valentinum* (ait Irenæus lib. de hæresibus cap. 4.) *non fuerunt, qui sunt à Valentino, neque ante Marcionem erant, qui sunt à Marcione*. Clemens Alexandrinus 7. Stromatum pag. 764. Idem his verbis docet: *Quòd in Ecclesia Catholica posteriora fuerint sua conciliabula, non est opus multis probare: Catholica verò Ecclesia semper fuit*. Huc referri possunt, quæ de Ecclesiæ Apostolicitate dicentur inferius.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, patet, nemini, ut suam Catholicitatem probet, satis esse, quòd fidem suam expendat ad Scripturarum normam; quòd credat se profiteri doctrinam, quam vetus Ecclesia professa fuerit; sed præterea requiri ut, ut communicet in fide, sacramentis, synaxibus, pastoribus, cum ea fidelium societate, quæ per totum terrarum orbem diffusa est. Hinc (ait author Spongiæ pag. 465.) Antistites Africani cum tempore Augustini demonstrare vellent se esse Catholicos, non doctrinæ suæ veritatem, fidei consensum, vel sacramentorum unitatem protulerunt; sed tantummodò communionem cum Ecclesia Catholica, quæ ista omnia, & alia plura sua generalitate complectitur; nam Augustinus quadringentorum circiter Episcoporum Africanorum personam, & causam agens in collatione cum Donatistis, cum Petilianus de Catholici titulo litem moveret, hæc ait: *Afrorum Christianorum Catholicorum hæc vox est: Nos universo orbi Christiano communione cohæremus*.

ARTICULUS IV.

De Apostolicitate Ecclesiæ.

Not. Ecclesia duobus modis potest esse Apostolica: 1. doctrina: 2. authoritate. Hic igitur quærendum est, utrùm Ecclesia duobus illis modis sit Apostolica.

CONCLUSIO 1. Ecclesia est Apostolica secundum doctrinam.

Probatur. Illa societas est Apostolica secundùm doctrinam, quæ nihil credit, quam quod Apostoli docuerunt: atqui Ecclesia nihil credit, quam quod Apostoli docuerunt; nihil enim credit, quam id, quod Apostolis revelatum est; id verò, & non aliud, docuerunt Apostoli, quam quod ipsis fuit revelatum, juxta illud Christi promissum: *Ipse* (Spiritus Sanctus) *vos docebit omnia*; nec non juxta illud Tertulliani lib. de Præscriptionibus. *Apostoli Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, à quibus traducem fidei & semina doctrinæ, cæteræ exindè Ecclesiæ mutuatæ sunt, ac per hoc & ipsæ Apostolicæ deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum*. Vide quæ de Traditione superiùs à nobis dicta sunt.

CONCL. 2. Ecclesia est Apostolica secundùm authoritatem.

Probatur. Illa societas est Apostolica secundùm authoritatem, quæ regitur a legitimis Apostolorum successoribus: id est scilicet, qui succedunt Apostolis, authoritate Apostolis divinitùs concessa potiuntur, de qua hæc habentur ad Ephesios 4. *Et ipse dedit quosdam Apostolos ad consummationem sanctorum in ædificationem corporis Christi*; perdurare enim debuit data semel Apostolis præfecturæ, & regiminis authoritas, quamdiù ecclesia perduratura est: atqui vera Christi ecclesia regitur ab Apostolorum successoribus, Episcopis nimirùm, sine quibus ecclesia, nec esse, nec concipi potest: *Ecclesia* (inquit Cyprianus epist. 69.) *plebs sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens. Unde scire debes, episcopum in ecclesia esse, & ecclesiam in episcopo; & si quis cum episcopo non sit, in ecclesia non esse.*

CONCLUSIO 3. Sola Ecclesia Romana est Ecclesia Apostolica.

Probatur. *Primò*, est Apostolica ratione doctrinæ; neque enim aliam profitetur, quàm quæ ab Apostolis tradita est. Hæretici novitatem in aliquo dogmate ipsi non possunt objicere; nempè omnium suorum dogmatum antiquitatem legitima præscriptione demonstrat: e contra verò hæreticis meritò in omnibus capitibus, in quibus ab ipsa dissentiunt, novitatem opponit, evidenterque probat, quo tempore, a quibus, qua arte invecta fuerint. *Secundò*, sola Ecclesia Romana est Apostolica secundùm authoritatem: scilicet episcopi, a quibus regitur, ab Apostolis primùm constituti sunt, ipsisque non interrupta serie, ad hæc usque tempora, successere. E contra, qui aliis ab ecclesia Romana societatibus præsunt, non sunt ab Apostolis, nec mediatè, nec immediatè constituti; continua ab Apostolis episcoporum series, in iis societatibus non reperitur: *Edant ergo* (inquit Tertullianus lib. de Præscriptionibus cap. 32.) *origines Ecclesiarum suarum, evolvant Ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit authoritatem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: Sicut Smyrnæorum Ecclesia habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert: Sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit; proindè utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos, Apostolici seminis traduces habent.*

Confirmatur argumentum. Ut societas aliqua sit Apostolica, duo requiruntur, ministrorum missio, & successio: atqui aliæ à Romana communiones, ac præsertim, Lutherana, Calviniana, Angliana, & aliæ, quæ elapso proximè sæculo schisma fecerunt, nec missionem habent, nec successionem: ergo non sunt Apostolicæ. Minor propositio subsequentibus momentis per partes sic ostenditur.

Primò, Ministri societatem, de quibus agitur, non habent missionem; nam missio duplex est, ordinaria, & extraordinaria. Prior est, qua Deus mediantibus ministris jam constitutis alios mittit, eisque potestatem largitur: Sic filii Aaron olim ad Sacerdotium per generationum successionem vocati sunt; sic jam temporis Episcopi & presbyteri per impositionem manuum ordinantur, & mittuntur. Altera missio est, qua Deus per seipsum absque medio aliquem ad ministerium vocat, eique potestatem immediatè largitur; sic Moyses & Aaron missi sunt; sic Christus misit Apostolos tanquam radicem ac fontem totius propagationis ministrorum novæ legis. Atqui hæretici, & ii præsertim, qui elapso proximè sæculo ab ecclesia Romana schisma fecerunt, nec ordinariam, nec extraordinariam missionem habent.

Non quidem ordinariam: hæc enim includit duplicem collatam potestatem, Ordinis & Jurisdictionis; Calvinus v.gr. ministris à se constitutis conferre non potuit potestatem Ordinis; hæc enim (ut tum Scriptura, tum traditione docemur) non confertur, nisi ab iis, qui sunt episcopi: *Quid facit excepta ordinatione episcopus* (verba sunt Hieronymi in epist. ad Evagrium) *quod presbyter non facit?*

Nec communio Anglicana, nec Lutherus, nec alii schismatici, aut hæretici, licet (ut supponitur) validè per episcopalium manuum impositionem ordinati, ministris a se constitutis conferre potuerunt potestatem jurisdictionis; id nimirùm conferre non potuerunt, quo ipsi caruerunt: at episcopi communionis Anglica.

glicanæ, Lotherus & alii schismatici, & hæretici caruerunt potestate jurisdictionis: *Episcopi* (inquit Cyprianus epist. 32.) *nec potestatem possunt habere, nec honorem, qui episcopatus nec unitatem voluerunt tenere, nec pacem*. Et sane jurisdictionem a Deo immediatè non habuerunt; hæc enim missioni extraordinariæ, de qua mox dicetur propria est: Non habuerunt etiam ab ecclesia Romana, quia propter temeratam in capitalibus articulis fidem, desierat (inquiunt) esse vera Christi sponsa, factaque fuerat diaboli lupanar; ac proinde exciderat qualibet jurisdictionis potestate.

Confirmatur. Si, cum Lutherus, Zuinglius, & Episcopi Anglicanæ communionis consecrati sunt, Ecclesia Romana integram habuisset potestatem jurisdictionis, tunc fuisset vera Dei ecclesia, vera Christi sponsa; quippe certo certius est, auctoritatem ecclesiastici ministerii, hoc est, erigendi, formandi, regendi ecclesiam Dei, mittendi operarios in Christi vineam, nonnisi veræ Christi ecclesiæ esse concessam; non enim schismaticis, aut hæreticis, sed Apostolis, veræque ecclesiæ dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum*: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Verùm, si Ecclesia Romana tunc esset vera Christi Ecclesia, potestatem tunc habuit auferendi ministerium, quemadmodum potestatem habuit conferendi, scilicet eidem Ecclesiæ, cui dictum est: *Tibi dabo claves regni cælorum, quodcumque solveris, &c.* dictum est etiam: *Quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis.* De ea pariter dictum est: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*; ac proindè cum eadem Ecclesia, Luthero, Zuinglio, eorumque sectatoribus anathema dixerit, ab eisque abstulerit ministerium, revera missionem ordinariam habere non potuerunt, nec fungi ecclesiastico ministerio, & a fortiori, nec adversùs eandem ecclesiam Altare erigere.

Ministri aliarum a Romana societatum, Lutherani præsertim & Calvinistæ, non habent missionem extraordinariam. Nempe missio extraordinaria probari debet signis mirabilibus, seu testimoniis miraculosis; peccat enim contra prudentiæ ac sapientiæ regulas, qui credit cuivis de seipso prædicanti: *Præcessisse deberet missionis patrocinium* (inquit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem cap. 2.) *in testimonium missi, quia nemo veniens ex alterius auctoritate, ipse eam sibi ex sua affirmatione defendit, sed ab ipsa defensione potius expectat præeuntis suggestu ejus, qui auctoritatem præstat.* Unde ipse Christus ait: *Si ego de me ipso testimonium perhibeo, testimonium meum non est verum.* Judæis petentibus, qua potestate hoc faceret, probat suam missionem Joannis testimonio: *Baptismus Joannis unde erat?* Probat etiam editis à se miraculis: *Si opera non fecissem, quæ nemo alius fecit peccatum non haberent.* Joannis 6. iisdem miraculis in eundem finem utitur: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater me misit.* Eo argumento usi sunt Patres, ut omnium Novatorum missionem elevarent: *Novatianus* (inquit Pacianus in Epistola contra Novatianos) *linguis locutus est, prophetavit, suscitare mortuos potuit?* Atqui nulli ex hæreticis, qui ex Ecclesiæ Romanæ sinu prodierunt, nec Lutherani, nec Calvinistæ, nec Zuingliani, nec Anglicanæ communionis Episcopi, nec Sociniani, nec tandem aliqui ex iis, qui elapso proximè sæculo Altare adversùs Ecclesiam Romanam erexerunt, portentis, signis, miraculis, se a Deo extraordinariè ad reformandam Ecclesiæ fidem, ad exercendum sacrum ministerium missos probarunt: ergo non habuerunt extraordinariam missionem; proindeque meritò hisce Tertulliani verbis libro de Præscriptionibus cap. 30. compellandi sunt: *Probent se novos Apostolos esse... Volo igitur & virtutes eorum proferre, nisi quod agnosco maximam virtutem eorum, qua Apostolos in perversum æmulantur: Illi enim de mortuis vivos faciebant, isti de vivis mortuos faciunt.*

Secundò, Hæretici, Lutherani, v. g. Calvinistæ, Episcopi Anglicanæ communionis, non habent successionem; neque enim aliquos pastores laudare possunt, quibus non interrupta serie successerint: Sicut ante Valentinum non erant, qui sunt a Valentino, neque ante Marcionem, qui sunt a Marcione; sic ante Calvinum non erant qui sunt a Calvino, neque ante Lutherum, qui sunt a Luthero; nec ante Episcopos communionis Anglicanæ, qui sunt ex Anglicana communione. De iis omnibus dici possunt, quæ Cyprianus ep. 76. de Novatiano dicit: *Novatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Evangelica & Apostolica traditione contempta, nemini succedens, à seipso ortus est.*

Objicies 1. Qui ordinati sunt in Ecclesia Romana, ordinariam missionem habuerunt; nempe per ordinationem presbyteris confertur potestas consecrandi, remittendi ac retinendi peccata, prædicandi Verbum Dei; unde in Pontificali sic ordinans alloquitur eos, quibus manus imponit: *Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei, ut prædicatione, atque exemplo ædificetis domum Dei*: Atqui Lutherus, & Zuinglius, ordinati fuerunt in Ecclesia Romana: ergo Lutherus, & Zuinglius, missionem ordinariam habuerunt.

Resp. 1. illud argumentum non favere Calvino, ipsique adhærentibus; nec enim Calvinus, aut ministri, qui primùm ipsi adhæsere, ordinati fuerant in Ecclesia Romana; imò nec ab Episcopis, sed tantum a viris laicis, a quibus manuum impositionem acceperunt; unde sum in Calvinum, tum in adhærentes illi pseudoministros intorqueri possunt hæc Cypriani verba libro de Unitate Ecclesiæ: *Hi sunt, qui se ultrò apud temerarios convenas, sine divina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt; qui nemine Episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt.*

Resp. 2. dist. maj. Qui ordinati sunt in Ecclesia Romana, missionem ordinariam habuerunt quoad aliqua pastoratus officia, conc. maj. quoad omnia, neg. maj. Per sacerdotalem ordinationem, ministri mittuntur ad consecrandum Christi corpus, & ad remittenda, aut retinenda peccata, non mittuntur verò ad aliquod aliud pastoratus officium; hæc enim verba, quæ a Pontifice sacerdotum consecratore proferuntur: *Sit doctrina vestra, &c.* non continent alicujus potestatis collationem, cùm proferantur ante ritum, quò ordinatio perficitur; sed tantùm regulam, ad quam sacerdotes, ubi posteà ad prædicandum Dei verbum ab Episcopis missi fuerint, concionandi modum, ac vivendi rationem exigere debeant. Præterea, dato quòd presbyteris detur in ordinatione concionandi potestas, certum tamen est, non dari reliqua pastoratus officia, exercendi nimirùm jurisdictionem extrinsecam, consecrandi ministros, regendi Ecclesiam Dei, erigendi societatem cui ministri præficiantur.

Resp. 3. dist. maj. Qui ordinati sunt in Ecclesia Romana, missionem ordinariam habuerunt, quam in hæresim, aut in schisma incidentes non retinuerint, conc. maj. quam retinuerint, neg. maj. Lutherus, Zuinglius, & alii prætensæ reformationis authores, per schisma, quod conflarunt adversùs Ecclesiam, a qua (ut falsò supponunt) ad pastoratus officium missi fuerant, exciderunt a jure fungendi ministerio Ecclesiastico; unde eadem Ecclesia, quæ (ut contendunt) eis ministerium contulerat, illud ab ipsis abstulit per anathematis decretum, quod in eos intorsit. De Luthero, Zuinglio aliisque elapsi proximè sæculi novatoribus, idem ferri debet judicium, ac de Nestorio, Dioscoro, Cælestio, Pelagio, aliisque quos Ecclesia proscripsit; scilicet quamvis in ea consecrati fuissent, ac pastoratu donati, ministerio tamen post suam ab eadem Ecclesia damnationem fungi minimè potuerunt.

Objicies 2. Deus unicuique mandavit habere curam

de

de proximo suo: ergo Lutherus, Zuinglius, & alii, cum temeratam in Ecclesia fidem, ac corruptos mores perspicerent, potuerunt ecclesiam reformare absque ulla alia missione: Sic enim vetus Synagoga identidem a piis regibus fuit reformata.

Resp. ad 1. neg. conseq. Ratio est, quia cura, quam divino jure debemus proximo, exigit quidem, ut ei impendamus charitatis officia; sed non dat jus ad officia authoritatis, cujusmodi sunt ea, quæ pastoratui alligata sunt: non enim omnibus, sed Episcopo solùm Apostolus ad Titum 3. dixit: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt corrigas, & constituas per civitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* Ad 2. dicendum est, pios reges in veteri testamento, non eo sensu Synagogam reformasse, quod sacerdotium usurpaverint, sed quòd suis officiis fungerentur: *Dixitque sacerdotibus filiis Aaron* (inquit Scriptura lib. 2. Paralipomenon cap. 29 referens reformationem ab Ezechia rege invectam) *ut offerrent super altare Domini, &c.*

Confirmatur responsio ex eo, quòd Deus tum in antiquo, tum in novo testamento, immutabili lege sanciverit, ut nemo sibi sumat honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron; unde nec Christus, nec Apostoli seipsos constituerunt Pontifices, sed id honoris ex Dei vocatione & missione consecuti sunt: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.*

Objicies 3. Illi divinitùs missionem habuerunt, qui veritatem populos docuerunt; eo nimirùm argumento Christus utitur, ut damnet Judæos, qui divinam illius missionem agnoscere detrectabant: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Atqui tum Lutherus, tum Zuinglius, tum alii novatores veritatem populos docuerunt: ergo veram habuerunt missionem.

Resp. ad 1. neg. maj. seu solam prædicationem veritatis esse vocationis ac missionis notam. Ratio est, quia schismatici plerumque (saltem suæ defectionis initio) veritatem annuntiant, & tamen (ut superiùs ex Augustino demonstratum est) missionem non habent. Confirmatur ex eo, quòd Core, Dathan & Abiron, non propter prædicationis falsitatem, sed propter ministerii usurpationem perierint. Ad 2. dicendum est, Christum, antequam diceret: *Si veritatem dico vobis, &c.* suam innocentiam tum miraculis, tum vitæ sanctitate comprobasse: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Lutherani verò, Zuingliani, Calvinistæ, aut alii quicumque sint sectarii, nec miraculis, nec vitæ sanctitate innocentiam suam probare possunt: e contra Ecclesia, in cujus sinu nutriti fuerunt, eos & impietatis & sacrilegii propter usurpatum ministerium arguit.

Confirmatur responsio. Si sola prædicationis veritas esset divinæ vocationis ac missionis argumentum, nullus hæreticus insimulari posset usurpati sacri ministerii; nempe nullus est, qui non se jactet de veritatis prædicatione.

Objicies 4. Fideles, licèt laici, Actorum 8. per regiones Judææ, & Samariæ evangelizarunt verbum Dei: *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Judææ & Samariæ, præter Apostolos.... Igitur qui dispersi erant, pertransibant evangelizantes Verbum Dei.* Præterea Edesius & Frumentius adolescentes Ægyptii, licet nullo consecrati fuissent ordine, Christum Indis prædicarunt: ergo absque ulla missione quisque potest fungi ministerio Ecclesiastico.

Resp. dist. ant. Fideles, licèt laici, evangelizarunt Verbum Dei, nec sibi cathedram erexerunt, conc. ant. & sibi cathedram erexerunt, neg. ant. Ut quis ex charitatis motivo doceat ignorantes (ut factum est a fidelibus, de quibus agitur in argumento) non est opus externa seu vocatione, seu missione, quæ tamen absolute requiritur, ut sibi cathedram erigat; ut populum fidelem regat, ut eum pascat sacramentis, ut fiat animarum pastor. Eam veritatem perspectam habuerunt Edesius & Frumentius, hoc est, tanquam homines privati, ex solius charitatis motivo, Indos docuerunt Evangelium; sed sibi cathedram non erexerunt, nisi accepta per ordinationem missione. Theodoretus narrat Frumentium retulisse Athanasio, quanto divinæ legis desiderio Indi, apud quos captivus fuerat, tenerentur: *Quæ cum audisset Athanasius* (verba sunt Theodoreti lib. 1. Hist. cap. 23.) *ei sacrosanctum Episcopatus munus impertit, mittitque ad animas illius gentis doctrina pietatis excolendas.* En ordinaria missio, quæ etiam extraordinaria, seu miraculis, confirmata fuit: *Ad gentem* (ait ibidem Theodoretus) *contendit cultura divinæ penitus expertem, & eam excoluit. Nam miraculis, quæ more Apostolorum edebat, sua dicta confirmans, &c.* Cuique Novatori hæc, aut similia exempla proferenti objici possunt hæc Augustini verba lib. 1. Operis imperfecti contra Julianum: *Videres ista, si oculos haberes, & caveres, si frontem haberes.*

Objicies 5. Patres plerumque utuntur subitanea ac numerosa infidelium conversione, ut Christianæ religionis veritatem asserant; nec enim (inquiunt) sine miraculo tot populi intra brevissimum tempus ubique fidem christianam amplecti potuerunt: Sed pariter intra brevissimum tempus ingens populorum multitudo Lutheranismum & Calvinismum amplexa est; proindèque Lutheranismi & Calvinismi authores divinitùs ad Ecclesiæ reformationem missi sunt.

Resp. neg. conseq. Ratio disparitatis est, 1. quia Lutheranismus & Calvinismus Principum authoritate, vi & armis plerumque in regnis obtinuerunt; e contra verò Evangelium, stabilitum fuit martyrum patientia, inermium ac simplicium hominum prædicatione. 2. Cum infideles Christianæ religioni dederunt nomen, nuntium remiserunt bonorum, divitiarum, voluptatum amori: è contra cum Catholici Lutheranismum, aut Calvinismum amplexi sunt, ab austeriore vivendi modo ad liberiorem transierunt; nempe virgines Deo sacræ, relictis monasteriis, publicas nuptias celebrarunt; Monachi votorum, quæ priùs emiserant, jugum excussere; presbyteri antea cœlibes, contraxerunt matrimonia; laici jejuniis, satisfactoriis operibus, confessionis auricularis debito liberati sunt; Principes authoritatem omnem non in temporalibus modò, sed etiam in spiritualibus vindicarunt sibi; Ecclesiastici proventus magistratuum, ac aliorum laicorum hominum præda fuerunt. Verùm opus non est miraculo, ut quis relicto austeriore vivendi modo, amplectatur eum, qui cupiditati magis favet. Vide Augustinum lib. 1. de Moribus Ecclesiæ cap. 31.

Objicies 6. Missio divina deest Pontificibus Romanæ communionis. Nam 1. Episcopi plerumque à regibus eliguntur. 2. Romani Pontifices eliguntur a Cardinalibus, quorum institutio non est divina, sed humana tantùm. 3. Nonnulli per simoniam in cathedras involant: ergo divina missio deest Pontificibus Romanæ communionis.

Resp. conc. antec. neg. conseq. Ratio est 1. quia aliud est electio, aliud ordinatio; per istam, non autem per aliam, datur missio; unde Pontifices a laicis electi, sed nondum consecrati, nullam habent jurisdictionem. 2. Episcoporum electio convenit laicis ex Ecclesiæ concessione; proindèque ipsa Ecclesia Episcopos per laicorum suffragia eligere videtur. 3. Qui per simoniam promoti sunt, si factum constet, possunt quidem deponi, sed eis ante depositionem, reverentia ac obedientia tanquam veris Pontificibus debetur; scilicet quamdiù ab Ecclesia tolerantur, ab ea acceptantur pro legitimis pastoribus, & eo nomine in authoritatem, & venerationem veniunt.

Objicies 7. Plures sunt Antistites in Ecclesia Romana

mana, qui per avaritiam, & per ambitionem sedes Episcopales invadunt; sed ii divinitùs non mittuntur, de eisque dici potest, quod Deus per Prophetam olim edixit: *Currebant & non mittebam eos*: ergo, &c.

Resp. conc. maj. dist. min. Sed ii divinitùs non mittuntur interiore missione, quæ fit per gratiam internam, conc. min. exteriore missione, quæ fit per veram ordinationem, neg. min. Hæc, non autem illa, absolutè requiritur; per istam, non autem per aliam, jurisdictio confertur. Similium pastorum respectu locum habent hæc Evangelii verba: *Quæcumque dixerint vobis facite, secundum autem opera eorum nolite facere*.

CAPUT IV.

De proprietatibus Ecclesiæ.

Not. TRes sunt Ecclesiæ proprietates, visibilitas, indefectibilitas, infallibilitas: de iis subsequentibus articulis nobis dicendum incumbit.

ARTICULUS I.

De visibilitate Ecclesiæ.

Not. NOvatores, qui elapso proximè sæculo visi sunt, docuerunt, veram Christi Ecclesiam esse invisibilem: *Quis* (inquit Lutherus in libro de abroganda Missa privata par. 1.) *Ecclesiam nobis monstrabit, cum sit occulta in spiritu, & solùm credatur? Sicut dicimus: Credo Ecclesiam sanctam.* Calvinus non dissimili loquendi modo utitur in præfatione Institutionum: *Sed non parum à vero aberrant, dum Ecclesiam non agnoscant, nisi quam præsenti oculo cernant.* Cohæret id cum eorumdem novatorum principiis; nempè docent, solos justos, ac proindè prædestinatos (cum in eorum systemate nulli sint verè justi, nisi qui prædestinati sunt) esse veræ Ecclesiæ membra. Commenti sunt illud dogma, ut declinarent vim argumenti, quod Catholici adversùs eos petunt ex defectu successionis, tum in doctrina, tum in pastoratu; seu ubi ab eis quæritur, ut in sæculis, quæ præcesserunt, prodant fideles, qui eorum dogmata professi sint, pastores quibus successerint, respondent se, sive in dogmatis, sive in pastoratu successisse viris piis, qui tunc in medio Romanæ communionis delitescebant. E contra Catholici omnes docent, ac docuerunt semper, veram Christi Ecclesiam esse, ac fuisse semper visibilem, ita ut societatem constituat, quæ ipsis etiam sensibus pateat.

CONCLUSIO. Vera Christi Ecclesia est visibilis.

Probatur 1. ex Scriptura. Ea societas est visibilis, de qua Scriptura ubique loquitur tanquam de congregatione visibili: atqui Scriptura ubique loquitur de Ecclesia tanquam de congregatione visibili. Numerorum 20. populus, qui exierat de Ægypto, dicitur Ecclesia: *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* Tertii Regum 8. Ecclesia sumitur quoque pro visibili multitudine: *Convertitque rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel; omnis enim Ecclesia Israel stabat.* Matthæi 17. hæc verba: *Dic Ecclesiæ: Si Ecclesiam non audierit, &c.* de visibili cœtu intelliguntur, quomodo enim quis peccata fratris ad cœtum invisibilem deferre posset? De cœtu quoque visibili, necessariò debent intelligi hæc verba Actorum 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei*; scilicet, si per ecclesiam societas invisibilis intelligeretur, regi non posset ab episcopis; nec enim grex, qui non cognoscitur, regi potest a pastore. Eodem sensu sumenda sunt hæc alia Actorum 15. *Illi quidem deducti ab ecclesia, pertransierunt Phœnicem.* Cap. 18. *Ascendit Paulus, & salutavit ecclesiam.* Tandem alium sensum pati non possunt hæc 1. ad Timoth. 3. *Hæc tibi scribo, fili Timothee, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi.*

Probatur 2. comparationibus, quibus Scriptura utitur, cum de ecclesia loquitur. Cyprianus lib. de Unitate ecclesiæ, eam comparat cum arca Noe; Hieronymus in dialogo contra Luciferianos, cum domo, in qua Agnus Paschalis edi debebat; Augustinus asserit, eam esse civitatem, quam Evangelium dicit esse supra montem positam: *Nulla* (inquit lib. 3. contra epistolam Parmeniani cap. 5.) *est securitas unitatis, nisi ex promissis Dei, Ecclesia declarata, quæ supra montem* (ut dictum est) *constituta abscondi non potest.* Tractatu 1. in epist. Joannis sic loquitur: *Numquid digito ostendimus Ecclesiam, fratres mei? nonnè aperta est?* Tractatu 2. hæc etiam habet: *Quid amplius dicturus sum, quàm cæcos, qui tam magnum montem non viderint; qui contra lucernam in candelabro positam, oculos claudunt?*

Probatur 3. ex rationibus theologicis. *Primò*, ex dictis, Ecclesia est societas hominum sub Christo capite, & legitimis pastoribus Deo servientium. *Secundò*, tenetur quisque audire Ecclesiam, ad illam redire, si per schisma, aut hæresim sit extra illius sinum; neque enim aliquis extra ecclesiam positus, salutem consequi potest: At quomodo quis ecclesiam audire, illi adhærere, ad illam redire poterit, si ecclesia non sit visibilis?

Objicies 1. Ecclesia Christi & novum testamentum est invisibile, juxta illud Hieremiæ 31. *Dabo legem meam in cordibus eorum, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum*: ergo, &c.

Resp. 1. neg. maj. nempè novum testamentum, & ecclesia differunt tanquam fœdus & personæ, cum quibus fœdus initum est, proindemque quavis daretur illud fœdus esse invisibile, non sequeretur Ecclesiam esse invisibilem. Resp. 2. neg. min. Ratio est, quia Christus publicum fœdus iniit cum ecclesia, exteriùs nimirùm eam docuit, promissa confirmavit sanguinis effusione. Nec obstant laudata Hieremiæ verba: *Dabo legem meam in cordibus eorum*; non enim aliud significant, quàm quòd Deus Ecclesiæ Christi charitatem collaturus sit, cum è contra externum tantùm legis corticem Judæis, prout Judæis, hoc est, prout ad solùm vetus testamentum pertinentibus, concesserit.

Objicies 2. Mons, de quo Apostolus loquitur, ad Hebræos 12. est Christi Ecclesia: atqui mons ille non est visibilis: *Non enim* (inquit) *accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, sed ad Sion montem, & civitatem Dei viventis*: ergo nec ecclesia est visibilis.

Resp. dist. maj. Mons ille est ecclesia triumphans, conc. maj. Ecclesia militans, neg. maj. Sensus est, Christianos in novo testamento spe accessisse ad intuitivam Dei visionem, cum e contra Judæi carnales non aliud sperarent, quam corporea bona; unde Apostolus laudatis in argumento verbis hæc alia subjicit: *Et multorum millium Angelorum frequentiam, & spiritus justorum, & perfectorum.*

Objicies 3. Quod creditur, non est visibile: sed ecclesia creditur; nempè illius existentia constituit unum de articulis symboli: *Credo sanctam Ecclesiam.* Ita ratiocinatur Lutherus in libro de abroganda Missa privata par. 1.

Resp. 1. neg. min. quod enim in symbolo profitemur, non est ecclesiæ existentia, sed sanctitas, quæ haud dubie invisibilis est. Resp. 2. conc. maj. dist. min. Ecclesia creditur, hoc est, hunc cœtum visibilem hominum, esse Christi ecclesiam, conc. min. scilicet sunt evidentia motiva, propter quæ credimus, illud in particulari cœtum esse veram ecclesiam Christi. Ecclesia creditur, hoc est, existere hominum cœtum, qui sub iisdem pastoribus, ac cum eorumdem sacramentorum usu profitentur Christi

fidem,

fidem, neg.mtn. Igitur unum videtur in Ecclesia, cœtus hominum Christi fidem, exteriùs saltem, profitentium, & aliud creditur; nempè illum cœtum esse veram Christi ecclesiam. Sic in baptismo videmus elementa, ex quis bus constat, & credimus illa elementa constituere verum Christi baptismum.

ARTICULUS II.

De indefectibilitate Ecclesiæ.

Nu. 1. Ecclesia duobus modis spectari potest, scilicet secundùm partem invisibilem, & secundùm partem visibilem. Sumpta priore modo, est cœtus hominum justorum; posteriore autem modo, est cœtus hominum, qui fidem catholicam exteriùs profitentur, abstrahendo an sint justi, vel impii.

Nu. 2. Calvinistæ fatentur quidem, Ecclesiam sumptam secundùm partem invisibilem, & interiorem, esse indefectibilem; sed contendunt sumptam pro parte visibili, & exteriore, esse defectibilem, & reverà nonnunquam omninò defecisse. Commenti sunt illud systema, ut declinent vim argumenti, quod Catholici adversùs eos desumunt ex defectu successionis; nempè ubi ab eis quæritur, quibus christianis successerint, respondent se non successisse quidem cœtui alicui visibili, qui exteriùs profiteretur omnes articulos, quos defendunt, sed cuidam hominum cœtui invisibili, in quorum cordibus Deus veram fidem, veramque charitatem in medio corruptæ Babylonis, seu Romanæ Ecclesiæ, conservaverit. E contra omnes catholici docent, ecclesiam esse indefectibilem, non tantùm secundum partem invisibilem & internam, sed etiam secundùm partem visibilem, & externam.

CONCLUSIO. Ecclesia est indefectibilis, etiam secundùm partem visibilem, & externam.

Probatur 1. ex Prophetarum vaticiniis. Prophetæ prædixerunt, Ecclesiam Christi fore indefectibilem. Isaias cap. 6. sic loquitur: *Fœdus perpetuum feriam eis: & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Locus ille intelligitur de ecclesia Christi; ipsa enim est semen, cui benedixit Dominus, est semen, quod scitum est gentibus: atqui ea ecclesia, illud semen sunt quid visibile, & externum; neque enim quod internum est tantùm, cognosci potest, aut videri. Ezechielis cap. 37. eadem legitur loquendi ratio: *Et scient gentes, quia ego sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.* Hæc quoque leguntur Danielis cap. 2. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri non tradetur.* Illud regnum haud dubiè est Ecclesia Christi, quæ post Romanum imperium incœpit: ergo quemadmodum imperia, quæ præcesserant, fuerunt invisibilia: ita & illud, quod Propheta successurum prædixit.

Probatur 2. ex parabolis Evangelicis & literis Apostolicis. Ecclesia est area, in qua sunt boni & mali: sed illa area perdurabit semper; scilicet in fine tantùm sæculi Christus, Matthæi 3. *Aream suam permundabit, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ecclesia est ager, in quo bonum semen, & zizania reperiuntur: atqui ager ille stabit usque ad mundi finem: *Sinite* (inquit Christus) *utraque crescere usque ad messem. Messis autem consummatio sæculi est.* Apostolus Timotheum sic monet: *Ut scias* (inquit) *quomodo oporteat te in domo Dei conversari* (Ecclesia nimirùm visibili; cum invisibili enim cœtu non est conversatio) *quæ est columna, & firmamentum veritatis:* at si visibilis domus Dei sit columna, & firmamentum veritatis, deficere non potest.

Probatur 3. ex iis, quæ à Christo ordinata sunt ad constituendam Ecclesiam. 1. Voluit, ut in ecclesia pastores essent usque ad sæculi consummationem: *Et ipse* (ait Paulus ad Ephesios 4.) *dedit quosdam quidem Apostolos, alios Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei, &c.* Atqui pastores non dantur, nisi visibili gregi; proindèque cum pastores (ex Apostolo) debeant esse perpetui, grex visibilis debet quoque esse perpetuus. 2. Præcepta, quæ pastoribus imposita sunt, non sunt ad tempus, sed ad ipsiusmet Christi adventum: *Præcipio tibi* (ait Paulus 1. ad Timoth. 6.) *ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri Jesu Christi.* Christus sacramenta instituit, quæ perduratura sunt usque ad sæculi consummationem: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Eucharistia edi debet usque ad mundi finem: *Quotiescumque* (ait Apostolus) *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Tandem remissio peccatorum per sacramentum pœnitentiæ, & ordinatio sacerdotum permanebunt inter fideles usque ad Christi adventum; non enim ad aliquod tantùm tempus, sed ad illud omne, quod erit usque ad mundi finem, extenduntur hæc Christi verba: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Probatur 4. ex Patribus. Augustinus variis in locis docet, visibilem fidelium cœtum nusquam defuturum. In Psalm. 105. disputans contra Donatistas, qui totam Ecclesiam visibilem, Cæciliani tempore, periisse, ac in paucis justis in Africa permansisse contendebant, hæc scribit: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est; periit: hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! illa non est, quia tu in illa non es. Vide ne tu ideò non sis; nam illa erit, etsi tu non sis.* Idque probat sanctus Doctor hac Christi promissione: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Chrisostomus Homil. 4. in Isaiam idem docet: *Facilius est* (inquit) *extingui solem, quàm Ecclesiam obscurari.* Idem apud Bernardum legere est serm. 89 in Cantica.

Probatur 5. ratione theologica. Si Ecclesia perire posset secundùm partem exteriorem, perire quoque posset secundùm interiorem; siquidem est de Christianæ Ecclesiæ essentia, ut exteriùs habeat pastores, ut singula illius membra visibilium sacramentorum vinculo conjungantur, & publice Christi fidem profiteantur: atqui si omnino pereat secundùm visibilem, & exteriorem sui partem, interior, quæ remansura supponitur, nullos exterius habebit pastores, nullis sacramentis colligabitur, publice Christi fidem non profitebitur; ergo non erit vera Christi Ecclesia.

Objicies 1. Ecclesia defecit 1. in Adamo & Eva, quando peccarunt: 2. defecit sæpiùs in lege naturæ, seu ante Moysem; nempè perpauci tunc fuerunt homines pii. 3. Defecit Moysis tempore, cum Aaron vitulum aureum proposuit adorandum, totusque populus Exodi 32. clamavit: *Hi sunt Dii tui Israel.* 3. Heliæ tempore, cum solo Helia visibiliter remanserat: *Derelictus sum* (inquit 3. Regum 19.) *ego solus.*

Resp. ad 1. Adamum & Evam non constituisse Ecclesiam, sed fuerunt Ecclesiæ initium. Resp. ad 2. argumentum probare, perpaucos tunc fuisse veri Dei cultores: quod non negamus, sed illi perpauci cultores constituebant veri Dei Ecclesiam. Resp. ad 3. totum populum Israeliticum non consensisse adorationi vituli aurei; eam è contra ultus est Moyses, qui tunc solus erat summus Israelitarum sacerdos; nondum enim Aaron inauguratus fuerat Pontifex Maximus; eam quoque ulta est tota tri-

tribus Levi: *Si quis est Domini* (verba sunt Moysis, Exodi 40) *jungatur mihi, congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.*

Resp. ad 4. Dato, quòd Ecclesia in solo Helia visibiliter in regno Israel remansisset, non sequeretur tamen eam omninò periisse; nam remanserat integra in regno Juda; in eo enim Asa, ac postea Josaphat optimi reges, numerosissimusque populus sacrificia ad legis normam Hierosolymis offerebant: Præterea Heliæ quærenti, quòd solus remansisset, Deus sic respondit: *Dereliquam mihi septem millia virorum in Israel, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Iis responsionibus addendum est, quòd quamvis daretur Ecclesiam in tota Judæorum Republica nonnunquam visibiliter periisse, idem tamen dici non deberet de Ecclesia Christiana. Ratio est, quia Deus Ecclesiæ Judaicæ perpetuam stabilitatem non promiserat, quam tamen Christianæ expressè pollicitus est.

Objicies 2. Apostolus 2. ad Thessalonicenses 2. prædixit generalem apostasiam futuram in Ecclesia, Antichristi tempore: *Ne quis* (inquit) *vos seducat ullo modo; quoniam nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, &c.*

Resp. 1. negando Antichristi tempore futuram esse generalem populi fidelis discessionem. Siquidem (ipsomet Christo teste) propter electos breviabuntur dies illi. 2. Discessio, quæ (ut ait Scriptura) futura est, erit apostasia a trunco, proindèque vera Ecclesia superstes erit in trunco. 3. Homo peccati dicitur, quidem sessurus in Dei templo, sed non dicitur, quòd interrupturus sit pontificum successionem. 4. Dicitur exaltandus super omne, quod colitur Deus; tunc igitur adhuc Deus publicè coletur.

Objicies 3. Arianorum tempore, Ecclesia Catholica defecit; nam 1. Hilarius in epist. ad Constantium scribit, paucos admodùm fuisse Catholicos in Oriente. 2. Hieronymus in dialogo adversùs Luciferianos, agens de Concilio Ariminensi, sic loquitur: *De Usia verò nomine abjiciendo, verisimilis ratio præbebatur: Quia in Scripturis* (ajebant) *non invenitur, & multos simpliciores novitate sua scandalizat, placuit auferri...... His ita gestis Concilium solvitur......Cœperunt postea Valens & Ursacius palmas suas jactare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis. Tunc Usia nomen abolitum est. Tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est.*

Resp. neg. ant. Ad cujus priorem probationem dicendum est 1. ex paucitate Orthodoxorum in Oriente malè colligi visibilem Ecclesiam periisse; nempè satis erat, ut tunc emineret in Occidente. Dicendum est 2. plures Episcopos, tunc etiam in Oriente, defendisse fidem Orthodoxam. Nempè ab Athanasii partibus stabant Gajus, Ammonius, Adelphius, Marcus, Paphnutius, aliique tam Africæ, quam Orientis antistites, partim in loca deserta relegati, partim spontanea fuga dispersi. His addi debent Philo Lybiæ Episcopus, Dracontius, quem S. Hilarion exulantem vidit, Serapion Tmensis, Eusebius Samosatenus, Cymatius, pluresque alii, quos S. Athanasius in Apologia pro sua fuga scribit, exules fuisse propter fidei Catholicæ confessionem.

Ad alteram ejusdem antecedentis probationem distinguendus est Hieronymi textus: Ingemuit totus orbis, & Arianum se in specie esse miratus est, conc. antec. à parte rei, neg. antec. Mox allatæ solutionis explicationem & veritatem lector fusè pertractatas reperiet hoc eodem tomo superiùs. In eundem sensum sumi debent hæc Augustini verba epist. 50. *Sic* (Ecclesia) *multitudinibus per schismata & hæreses pereuntibus subvenire consuevit. Hoc displicuit Lucifero, quia factum est in eis suscipiendis, atque sanandis, qui veneno perierant Ariano.*

ARTICULUS III.

De Ecclesiæ infallibilitate.

Not. 1. Ecclesia duobus modis considerari potest: 1. prout per Episcopos in Conciliis generalibus repræsentatur: 2. prout per varias orbis regiones dispersa est. Quæri igitur potest, utrùm Ecclesia, sive in Conciliis generalibus, sive dispersa per varias orbis regiones, sit infallibilis.

Not. 2. Agentes superiùs de Conciliis in genere, fusè probatum est, Ecclesiam, quæ per Episcopos in Conciliis generalibus repræsentatur, esse infallibilem: superest igitur, ut hic expendamus, utrùm dispersa per orbem eodem jure gaudeat; hoc est utrùm Ecclesiarum particularium, quæ per orbem dispersæ sunt, in unum dogma consensus unanimis, fidei articulum efficiat. Negativam sententiam defendunt heterodoxi, affirmativam verò omnes Catholici.

CONCLUSIO. Unanimis omnium particularium Ecclesiarum consensus in unum dogma, efficit articulum fidei, hoc est, omnes orbis Ecclesiæ simul sumptæ errare non possunt.

Probatur 1. Ideò Episcopi in Conciliis generalibus errare non possunt, quòd universam Ecclesiam repræsentent: ergo nec errare potest ipsa universa Ecclesia; sed omnes Ecclesiæ particulares simul sumptæ universam Ecclesiam constituunt: ergo earum unanimis in aliquod dogma consensus, non minùs est infallibilis, quam consensus Episcoporum, qui ad Concilia generalia congregati sunt.

Probatur 2. Ecclesiæ per orbem terrarum dispersæ, unam Christi sponsam constituunt, juxta illud Apostoli: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*: atqui Christi sponsa est infallibilis; nempè cum ea Christus semper erit: *Ecce* (inquit Matthæi 28.) *ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Eædem Ecclesiæ non minùs sunt domus Dei, quam Ecclesia in Conciliis generalibus per Episcopos repræsentata. Sed domus Dei, 1. ad Timotheum 3. *est columna & firmamentum veritatis*; ac proindè infallibilis: quomodo enim ea erit firmamentum veritatis, quæ filios suos in errorem inducere poterit?

Probatur 3. Ille consensus est infallibilis, cui oppositum dogma judicatum fuit hæresis: atqui dogma oppositum unanimi omnium Ecclesiarum consensui, judicatum fuit hæresis; ut subsequentibus momentis patebit.

Primò, Quæ per duo priora sæcula exortæ sunt hæreses, tales judicatæ sunt, quòd unanimi Ecclesiarum consensui essent oppositæ: *Ecclesia* (inquit Eusebius Hist. lib. 4. cap. 7. agens de Saturnini ac Basilidis erroribus) *per universum orbem instar clarissimorum siderum fulgeat, & viget in omne genus humanum fides Christi, &c. Plurimi Ecclesiastici viri patrocinium veritatis suscipiant, & pro Ecclesiastica, Apostolicaque doctrina disertissimè decertant, &c. Et adversariorum quidem inventa à semetipsis confutata, confestim extincta sunt.* Idem Scriptor cap. 11. recenset Valentini, Cerdonis, Marcionis & Marci mendacia, innuitque, ea solo Ecclesiarum consensu dissipata fuisse.

Secundò, Irenæus Florino hæretico non aliud opponit, quàm unanimem Ecclesiarum consensum: *Hæc dogmata* (inquit) *dissentiunt ab Ecclesia, &c.* Hieronymus eundem Ecclesiarum consensum, nulla facta mentione synodorum, opponit Vigilantio: *Male* (inquit) *facit ergo Episcopus Romanus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli, secundùm nos, ossa veneranda, secundùm*

domite, vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratur Altaria? Et non solùm unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum?

Tertiò, Quædam privatæ synodi oecumenicarum vim habuerunt, quòd eas postmodùm confirmaverit idem Ecclesiarum consensus; sic quæ labente secundo sæculo contra Montanistas in Asia celebratæ sunt, summæ fuerunt authoritatis, quòd (ut ait Eusebius Hist. lib. 4. cap. 16.) universa per orbem terrarum sparsa Ecclesia illis consensisset. Propter eandem rationem maximi ponderis fuerunt, quæ tertio sæculo contra Novatianos habitæ sunt. Cornelius in epistola ad Fabium Antiochenum refert consensum, quem totius Occidentis Antistites præbuerant synodo, quam ipse Romæ celebrarat: *Cum Roma* (inquit Eusebius Hist. lib. 6. cap. 43.) *congregata esset synodus, in qua sexaginta quidem Episcopi, presbyteri verò, ac diaconi multè plures convenerunt. Cùmque in provinciis Antistites, quid agendum esset, singuli consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est, &c. Extant epistolæ Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum, in quibus & Romanæ synodi gesta, & omnium per Italiam, & Africam, aliasve locorum illorum provincias sententiæ declarantur.*

Quartò, Eundem Ecclesiarum consensum Cyprianus iis opponit, qui Novatiano favebant: *Quàm vanum est* (ait lib. 3. epist. 13.) *ut Novatiano nuper retuso & refutato, & per totum orbem à sacerdotibus Dei abstente, nunc adulteres adhuc vobis patiamur illudere, & de majestate, ac dignitate Ecclesiæ judicare?*

Quintò, Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. ult. negat synodum generalem concedi debere Pelagianis, quòd eorum hæresis per synodos in provinciis habitas, ac Ecclesiarum consensu confirmatas, satis superque damnata intelligeretur: *Aut verò* (ait) *congregatione synodi opus erat, ut aperta perniciés damnaretur, quasi nulla hæresis aliquando sine synodi congregatione damnata sit? Cùm potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multòque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt.*

Sextò, Eundem in unum dogma Ecclesiarum consensum maximè commendat Vincentius Lirinensis Commonit. 1. cap. 3. *In ipsa* (inquit) *Catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.*

Quæres, an sit aliquod discrimen inter definitionem Concilii generalis, & unanimem Ecclesiarum particularium consensum?

Resp. hoc esse discrimen, quòd non solùm synodus generalis universam Ecclesiam repræsentet, sed etiam quod universæ Ecclesiæ sensum præsentem habeat, illumque expressè declaret, ac manifestet. Nempè ideò ex universo orbe Episcopi ad Concilium generale congregantur, ut intelligi possit, quæ sit circa propositum articulum singularum orbis Ecclesiarum sententia; unde quilibet Episcopus in Concilio generali fidem facit, Ecclesiam, cui præest, articulum, de quo agitur, profiteri; testatur, se eum per traditionem ab antecessoribus accepisse; hincque sequitur Concilium generale nihil, quoad substantiam, novi definire; sed declarare tantùm, quid Ecclesiæ per totum orbem dispersæ, saltem implicitè, crederent: *Quid Ecclesia* (inquit Vincentius Lirinensis Commonit. 1. cap. 32.) *unquam aliud Conciliorum decretis enisa est, nisi ut, quod anteà simpliciter credebatur, hoc idem postea diligentius crederetur?*

QUÆSTIO V.

De Romano Pontifice.

Not. Quæ ad Romanum Pontificem spectant, ad duo capita reducemus: quæremus nimirùm 1. utrùm, & quo jure primatum habeat in tota Ecclesia: 2. an illius de fide ac moribus solemne judicium, sit locus theologicus.

CAPUT I.

Utrùm, & quo jure Romanus Pontifex primatum habeat in Ecclesia.

Not. Joannes Vviclef negavit (teste Thoma Vvaldensi) Romanum Pontificem habere primatum in Ecclesia. Lutherus post suam à Leone X. damnationem asseruit, quòd tantùm abest, ut Papa sit visibile Ecclesiæ caput, & primatum habeat, quin potiùs sit Antichristus. Luthero adhæserunt Zuinglius, Calvinus, aliique recentiores sectarii. Iis præiverant Græci, qui Constantinopoli sedente Photio, schisma adversùs Ecclesiam Romanam conflaverant.

CONCL. Romanus Pontifex jure divino primatum habet in tota Ecclesia.

Probatur. Ille divino jure primatum habet in tota Ecclesia, qui legitimus est Petri successor: atqui Romanus Pontifex est legitimus Petri successor: ergo divino jure primatum habet in tota Ecclesia. Ambæ argumenti præmissæ sigillatim probandæ sunt.

Primò, Eum, qui legitimus est Petri successor, divino jure habere primatum in tota Ecclesia, sic ostenditur. Qui est legitimus Petri successor, eandem habet in tota Ecclesia potestatem, quam in ea Petrus habuit; sic qui succedit regi, eadem, qua rex, authoritate fruitur: atqui Petrus jure divino primatum habuit in tota Ecclesia. Siquidem Christus primum in Ecclesia locum ei contulit; nempè eum ipsi locum contulit, quem fundamentum habet respectu ædificii: *Tu es Petrus* (inquit Christus Matthæi 16.) *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: at fundamentum primum occupat locum in ædificio, cum totum ædificium ab eo sustentetur. Ita ratiocinantur Ambrosius serm. 47. & Gregorius Magnus lib. 4. epist. 32.

Præterea, Ille primatum divinitùs habuit, qui non agnorum tantùm, seu fidelium, sed ipsarum etiam ovium, seu pastorum, qui Christo per Evangelium filios generant, pastor constitutus est: Sed Petrus a Christo constitutus est pastor non agnorum tantùm, seu fidelium, sed etiam ovium, seu pastorum; ubi enim interroganti Christo ter respondisset, se eum diligere: *Tu scis, quia amo te*; hæc ab ipso audivit Joannis cap. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* In quæ quidem verba sic Chrysostomus loquitur: *Aliis omissis, Petrum duntaxat affatur, fratrum ei curam committit.* Eodem modo eundem locum explicant Theophylactus & Bernardus lib. 2. de Consideratione, & alii plures, quos Perronius recenset.

Addendum est, idem innuere varias prærogativas, quas Evangelium Petro tribuit. 1. A Christo mutatum est illius nomen: *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, hoc est, petra, saxum. 2. Primus inter Apostolos semper recensetur, licet Andreas eo major esset ætate, & prior vocatione: *Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt* (verba sunt Matthæi 10.) *Primus, Simon, qui dicitur Petrus.* 3. Primum Apostolorum Concilium convocavit, primus in eo suum suffragium tulit, in ejusque sententiam abiit tota multitudo. Quæ a Petro fundatæ sunt Ecclesiæ, Antiochena nimirùm, Alexandrina, & Romana, so-

læ prioribus sæculis Ecclesiæ Patriarchales habitæ sunt.

Patres in Petro divinitùs concessum in tota Ecclesia primatum agnoverunt. Cyprianus in epistola ad Quintum laudat Petrum, quòd in Legalium disceptatione, Paulo, a quo arguebatur, primatum suum non objecerit: *Nam* (inquit) *nec Petrus, quem primus Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione disceptaret, postmodùm vindicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, ut diceret se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi debere.* Leo Magnus sermone de sua ad Pontificatum assumptione, sic loquitur: *De toto mundo unus eligitur Petrus, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.*

Secundò, Romanum Pontificem esse legitimum Petri successorem, sic ostenditur. Ille est legitimus Petri successor, qui cathedram habet, in qua Petrus sedit, & mortuus est; nempe cum primatus Petro concessus sit propter Ecclesiam, ut inter Apostolos unitas constitueretur, necesse est propter eandem rationem, ut primatus in Ecclesia sit perpetuus; proindeque oportet, ut aliquis in primatu Petro succedat: At is est Romanus Pontifex: Nam 1. Nullus unquam Episcopus, alius à Romano, se Petri successorem prædicavit: 2. Tota traditio asseruit, Pontificem Romanum esse Petri successorem: Ita enim docent Tertullianus lib. de Præscript. cap. 36. Irenæus lib. 3. cap. 3. Cyprianus lib. 1. epist. 3. Epiphanius hæresi 27. Augustinus, qui lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 52. sic loquitur: *Cathedra tibi quid fecit Ecclesiæ Romanæ, in qua Petrus sedit, & in qua nunc Anastasius sedet?*

Probatur iterùm conclusio ex Conciliis. Hæc habet canon secundus prioris Concilii Constatinopolitani: *Constantinopolitanus habeat primatus honorem post Romanum Episcopum.* Tunc igitur Græcis Patribus persuasum erat Romanum Pontificem in tota Ecclesia primatum habere. Concilium Chalcedonense hæc etiam habet: *Perpendimus omnem quidem primatum, & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ, Dei amantissimo Episcopo conservari.* In Concilio Constantiensi damnatus est iste Vvicleffi articulus: *Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.* Hanc etiam legimus in concilio Florentino, Græcis consentientibus, definitionem: *Definimus sanctam Apostolicam sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium.*

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, evidenter patet, Patres, sive extra Concilia, sive in Conciliis adunatos, ubique semper Romanum Pontificem agnovisse pro vero, ac legitimo Petri successore.

Solvuntur Adversariorum objectiones.

Objicies 1. Hæc Christi verba: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non referuntur ad Petri personam, sed ad hanc illius confessionem: *Tu es Christus filius Dei vivi*; ita ut sensus sit, fidem de Christi divinitate esse fundamentum Ecclesiæ; ita enim Hilarius lib. 6. de Trinitate, Ambrosius in cap. 2. epist. ad Ephesios, Cyrillus Alexandrinus lib. 4. de Trinitate, Chrysostomus homil. 55. in Matthæum, locum illum interpretati sunt. Præterea alii Patres *Petræ* nomine ipsummet Christum intellexerunt; ita ut voluerint, hunc esse sensum verborum Christi: *Tu es Petrus, & super hanc petram quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam, petra enim erat Christus*; ita Augustinus tractatu 124. in Joannem, nec non Serm. 13. de verbis Domini.

Resp. ad 1. dist. antec. Hæc verba, *super hanc petram* intelliguntur de confessione Petri tanquam de causa meritoria, conc. ant. tanquam de causa subjectiva, neg. ant. hoc est, Petrus per illam confessionem aliquo modo meritus est, ut esset petra, super quam Ecclesia ædificaretur: *Mercedem* (ait Hieronymus in illum locum) *recepit vera confessio.* Ad 2. dist. antec. Patres per *petram* intellexerunt Christum, & non excluserunt Petrum, conc. ant. & excluserunt Petrum, neg. ant. Ideò Augustinus petram explicuit de Christo, quòd judicarit, eam expositionem minùs favere Donatistis contendentibus, ministrorum probitatem ad sacramentorum virtutem requiri: Verùm non exclusit aliam explicationem, quæ petram de Petro interpretatur; imò lib. 1. Retractat. cap. 21. asserit, postremam hanc explicationem non minùs esse probabilem, quam alteram: *Harum* (inquit) *autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector.* Cum igitur Augustinus lectori suo facultatem fecerit judicandi, quænam ex duabus illis sententiis sit probabilior, theologi, qui per petram censent Petrum intelligi, non peccant contra reverentiam Augustino debitam. Expositionem verò confirmant ex eo, quòd vox *Petra* referatur ad petram, de qua Christus antea immediate locutus fuerat; at non de seipso, sed de Petro antea locutus fuerat immediatè: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Præterea, cur Christus in mercedem confessionis dixisset Petro: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram, &c.*

Objicies 2. Hæc verba: *Tibi dabo claves regni cælorum: Quodcumque ligaveris, &c.* dicta sunt Petro non in propria ejus persona, sed quatenùs gerebat Ecclesiæ figuram: *Petrus* (inquit Augustinus tractatu 50. in Joannem) *quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit.* Ergo ex his verbis: *Tibi dabo claves, &c.* colligi quidem potest, penès Ecclesiam esse regimen populi fidelis, non autem penes Petrum: quemadmodum ex eo, quòd regis procurator nomine regis claves alicujus urbis accipiat, malè infertur, illius urbis administrationem ad illum pertinere.

Resp. dist. ant. Quatenùs gerebat figuram Ecclesiæ sub ratione rectoris, conc. ant. sub ratione procuratoris, neg. ant. seu Petrus repræsentabat ecclesiam, quemadmodum Princeps, dum civitatis claves recipit, repræsentat Rempublicam, cui præficitur: *Petrus Apostolus* (inquit Augustinus tractatu 124. in Joannem) *propter Apostolatus sui primatum, Ecclesiæ gerebat figurata quadam generalitate personam.*

Objicies 3. Cyprianus asserit, parem fuisse Apostolorum potestatem: *Hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit & Petrus, pari consortio præditi & honoris, & potestatis*: ergo Cyprianus censuit, Petrum non habuisse primatum inter Apostolos.

Resp. dist. ant. Cyprianus asseruit, parem fuisse Apostolorum potestatem & honorem, quoad amplitudinem rerum gerendarum, conc. ant. scilicet singuli ubiq; gentium poterant Evangelium annuntiare, erigere, ac fundare Ecclesias, fungi Episcopatus ac presbyteratus potestate, ac honore; quoad ordinem, & modum gerendi, neg. ant. nempe cæteri Apostoli Apostolatus ministerio fungebantur cum subordinatione ad Petrum, quem eis Christus præfecerat tanquam centrum unitatis, seu qui sua authoritate impediret, ne quis schisma conflaret in Ecclesia: *Quamvis Apostolis omnibus* (inquit Cyprianus) *post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua authoritate disposuit.*

Instabis. Cyprianus libro de unitate Ecclesiæ sic loquitur: *Episcopatus unus est, cujus à singulis in solidum*

pars

pars tenetur: ergò Apostoli erant cum Petro æquales potestate.

Resp. dist. antec. Episcopatus unus est ratione Ordinis, conc. ant. seu unus est ordo episcopatus, qui omnibus episcopis æqualiter tribuitur: Ratione jurisdictionis, neg. ant. hoc est, non tam latè patebat singuli cujusque Apostoli jurisdictio, quam jurisdictio concessa Petro; hæc enim in ipsos etiam erat Apostolos, illa verò in reliquos tantùm fideles, aut ministros: *Unum tamen* (inquit ibidem Cyprianus) *caput est, & origo una*.

Objicies 4. Patres non rarò asserunt, Paulum Petro fuisse prorsùs æqualem: scripserunt enim 1. Romanam ecclesiam ab utroque fuisse fundatam; ita Leo Magnus serm. 1. de natali Apostolorum: 2. docuerunt, Romanos Pontifices non minùs esse in cathedra Romana successores Pauli, quam Petri ipsius: 3. Paulus Papa III. in bulla convocationis Concilii Tridentini sic loquitur: *Authoritate Beatarum Apostolorum Petri & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur, &c.*

Resp. Patres illos intelligi debere de authoritate Apostolatus, excepto tamen (ut supra dictum est) primatu. Ad confirmationem verò dicendum est, Petrum & Paulum eo sensu fundasse Romanam ecclesiam, quod uterque Romæ fidem annuntiarit, uterque in ea urbe episcopatus munia obierit; ita tamen, ut Paulus Petro subordinatus fuerit. Unde Gregorius Magnus lib. 2. in Ezechielem, hom. 18. de Petri a Paulo reprehensione tractans, Petrum Pauli superiorem vocat: *Ecce* (inquit) *à minore suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur; non ad memoriam revocat, quod claves regni cœlorum acceperit*. Quod verò spectat ad constitutiones, quibus Romani Pontifices protinentur se authoritate Apostolorum Petri & Pauli convocare Concilia, dicendum est, id non intelligi de authoritate, cui Pontifices Romani successerint, sed de authoritate præsidii, quod implorant, unde non pauci Romani Pontifices in suis diplomatis, non Petri & Pauli tantum meminerunt; sed plurium aliorum Sanctorum, ipsius etiam B. Mariæ Virginis: *Sic Dei omnipotentis* (inquit Nicolaus Papa I. in depositionis sententia contra Photium lata) *& BB. Apostolorum Principum Petri & Pauli, & omnium simul sanctorum, atque venerandorum sex universalium Conciliorum authoritate, nec non & Spiritus sancti per nos judicio, ab omni sacerdotali honore alienus*. Eadem loquendi ratio reperitur quoque in epist. 9. Alexandri Papæ II.

Objicies 5. Petrus nusquam Romam profectus est. Nam 1. dici non potest, quo tempore profectionem illam susceperit, & quot annis Romæ commoratus sit. 2. Paulus ad Romanos scribens, multos Christianos salutat; at Petri non meminit, eum alioquin, cum esset Summus Pontifex, nequaquam prætermissurus. 3. Actorum 28. Lucas narrat, fratres obviam ivisse Paulo, qui illuc vinctus rapiebatur. 4. Ubi Paulus Romam pervenit, rogatus est à Judæis, ut de Christiana religione mentem aperiret suam (ut ex Actis constat) sed id eum non rogassent, si priùs Evangelium audiissent a Petro. 5. Paulus in 2. epistola ad Timotheum ex urbe Roma scribens, hæc ait: *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt*: verùm si Petrus tunc Romæ versatus fuisset, opem suam Paulo contulisset.

Resp. neg. ant. Nam 1. Petrum Romæ commoratum fuisse, ostenditur ex prioris illius epistolæ cap. 1. ubi hæc habentur: *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone*; quippe Papias Polycarpi discipulus apud Eusebium lib. 2. Historiæ cap. 14. S. Hieronymus in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, Tertullianus lib. adversus Judæos cap. 9. S. Augustinus lib. 18. de Civitate Dei cap. 22. Babylonis nomine Romam intellexerunt. 2. Petrum fundasse Romanam Ecclesiam, in eaque Episcopatum gessisse ad mortem usque, testantur Irenæus lib. 3. adversus hæreses cap. 3. Tertullianus lib. de Præscriptionibus, Cyprianus epist. 55. Optatus Milevitanus lib. 2. contra Parmenianum, Hieronymus epist. 57. Augustinus epist. 263. quæ est ad Generosum, innumerique alii; unde vel factum illud est verum, vel nulla unquam de facto aliquo poterit haberi certitudo.

Ad priorem antecedentis, quod negatum est, confirmationem, dicendum est, Petrum quinque fermè annis post Christi mortem in Judæa mansisse. Nempè Paulus ad Galatas 1. testatur, se anno tertio post conversionem, quæ contigit post primum annum a Christi passione, vidisse Petrum Hierosolymis: *Abii* (inquit) *in Arabiam, & iterùm reversus sum Damascum. Deindè post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum*. Paulò post illud tempus Petrus Antiochiam se contulit, ubi sedit annis septem. Anno post Christi mortem undecimo, cum Hierosolymam rediisset, ab Agrippa rege conjectus est in vincula, viderique iterum potuit a Paulo, qui ex urbe Antiochia eleemosynas ad fideles, qui Hierosolymis erant, detulerat; nam postquam Lucas Actorum 12. retulit Petrum vinculis liberatum, hæc subjicit: *Barnabas autem & Saulus reversi sunt ab Hierosolymis expleto ministerio*. Eodem anno, hoc est, post Christi mortem undecimo, Claudii Imperatoris secundo, Romam profectus, in ea urbe sedem suam in ævum permansuram fixit. Ejusdem Claudii anno nono, æræ vulgaris 49. Judæis publico edicto Roma ejectis, adfuit Concilio de Legalibus, quod anno sequenti Hierosolymis habitum est. In eum etiam annum incidit, quod Paulus scribit ad Galatas 2. *Deindè post annos quatuordecim* (a prima sua in urbem Hierosolymitanam profectione numerandos) *iterùm ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito*. Claudio e vivis sublato Romam rediit, ibique diem extremam clausit: *Simon Petrus* (inquit Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis) *post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ .... secundo Claudii anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quatuor annis Cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum Neronis, id est, decimum quartum*.

Ad alteram ejusdem antecedentis probationem, dicendum est, epistolam ad Romanos scriptam fuisse eo tempore, quod a Hierosolymitano Concilio ad Claudii mortem fluxerat; Corintho nimirùm scripta est ultima vice, qua (ut patet ex capite 15.) Paulus per eam urbem transiens Hierosolymam profectus est; ac proindè Petrus tunc Romam nondum redierat.

Ad tertiam probationem dici potest 1. cum Paulus Romæ vicinus esset, Petrum fortè Romæ non versatum fuisse; neque enim erecta Romæ Episcopali Cathedra, ita urbi affixus erat, ut in vicinioribus urbibus, ac provinciis, Evangelium non annuntiaret; idque confirmatur ex Epiphanio, qui hæresi 27. scribit, Petrum Lino & Cleto, cum Roma ad tempus discessisset, suas partes demandasse. Dici potest 2. non omnem fidelem populum Paulo ivisse obviam, nempe periculum fuisset, ne, cum Christianum nomen jam male apud Romanos audiret, seditionis suspicionem sua multitudine præberent: igitur verisimile est, aliquos tantùm ex Ecclesia Romana selectos, Paulo, aliorum nomine, obviam processisse, ac proindè mirum non est, quòd Petrus tunc Romæ Paulum expectarit.

Ad quartam probationem dicendum est, Judæos rogasse Paulum, ut de religione Christiana mentem suam aperiret, indicaretque, cùm legis peritissimus esset, an cum legis figuris, ac vaticiniis cohæreret; non rogarunt verò, ut ab eo docerentur Christianam fidem, quasi de ea nihil priùs audiissent; alioquin enim immeritò Paulus ad eos pluribus ante annis scribens, laudasset Romanorum fidem: *Fides vestra annuntiatur in universo mundo*.

Ad postremam probationem respondendum est, Paulum loqui de iis tantum, qui causam ejus apud Cæsarem

farem tueri potuissent, cui quidem juvandæ impar erat Petrus, cum propter eandem fidem non minus quam Paulus invisus esset Neroni. Vide Perronium pagina 182. & sequentibus.

Objicies 6. Cyprianus in Epistola ad Quintum, hæc ait. *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit*; ac proinde Romanus Pontifex non habet primatum inter Episcopos. Confirmatur. Idem Sanctus Doctor ibidem asserit, Episcopos a solo Deo judicari: *Expectemus* (inquit) *universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus, & solus habet potestatem, & praeponendi nos in Ecclesia sua gubernatione, & de actu nostro judicandi.*

Resp. dist. ant. Neque quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit, in Africa, conc. ant. extra Africam, neg. ant. scilicet Cyprianus ea loquendi ratione voluit innuere, nulli Episcopo in Concilio Carthaginensi vim illatam fuisse, ut rebaptizationi, quæ in eo decreta est, faveret, aut non faveret; sed quemque liberrime suam de proposito argumento sententiam aperuisse: *Superest* (ait) *ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus, neminem judicantes .....neque enim quisquam nostrum, &c.* Ad confirmationem resp. verba, quæ ex eodem Sancto Doctore laudantur, intelligi quoad occulta cordis, seu ad intentionem, quam quisque ad Synodos vocatus, sibi in dicenda sententia proponit, non autem quoad actus manifestos, & exteriores. Nam 1. Cypriano persuasum erat, ad primates in Africa, & ad synodos provinciales spectasse de Episcopis judicium 2. Ratum erat ei, idem judicium ad Romanum Pontificem pertinere: eo nimirùm principio nixus, Stephanum Papam I. hortatur, ut Marcianum Arelatensem Episcopum, qui ad Novatianos defecerat, jubeat in ordinem redegi: *Dirigantur* (inquit) *à te literæ in Provinciam, & ad plebem Arelate consistentem, quibus abstento Marciano, alius in locum ejus substituatur.*

Objicies 7. Canon sextus Concilii Nicæni I. non omnes Ecclesias, sed aliquas tantùm Romano Pontifici subjicit: *Et ut apud Alexandriam* (verba sunt Canonis, juxta versionem, aut expositionem Ruffini lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 6.) *& in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat*: Ergo ex Concilio Nicæno I. Romanus Pontifex, non habet primatum in tota Ecclesia.

Resp. 1. versionem Ruffini non tam esse canonis versionem, quam illius interpellationem; unde nihil simile apud alios Concilii interpretes legere est; nempè sic habet canonis lectio apud Dionysium Exiguum: *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Libyam & Pentapolim; ita ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & urbis Romæ parilis mos est.*

Resp. 2. admissa Ruffini versione, neg. conseq. Ratio est, quia canon, etiam in mente Ruffini, non confert Alexandrinum Episcopum cum Episcopo Romano secundum omnia jura, quæ Episcopo Romano conveniunt; sed tantùm secundum ea, quibus fruitur, quatenùs est Patriarcha, seu, prout pluribus diœcesibus, seu pluribus Ecclesiasticis provinciis præficitur. Jubet igitur, ut Alexandrinus Patriarcha iisdem juribus in Ægypto, Libya & Pentapoli potiatur, quibus Romanus Patriarcha potitur suburbicariarum Ecclesiarum respectu; hoc est, præcipit, ut Alexandrinus Episcopus Ægypti, Libyæ & Pentapoleos ordinet Metropolitanos, de eorum causis judicet, vocet eos, cum opus fuerit, ad Concilium, compellat, etiam per censuras, ut canones observent, quemadmodum Romanus Episcopus ordinat, vocat ad Concilia Metropolitanos variarum diœceseon, seu Ecclesiasticarum provinciarum, quibus tanquam Patriarcha præficitur.

Quæres. Quid Ruffinus intellexerit Ecclesiarum Suburbicariarum nomine?

Respondet Morinus noster *lib. 1. Exercitationum Ecclesiastic. Exercitatione* 30. per Ecclesias Suburbicarias intelligi omnes Occidentis Ecclesias. Responsionem suam confirmat ex eo, quòd ab Augusto Cæsare usq; ad Imperium Constantini Magni omnes Imperii Romani provinciæ respectu urbis Romæ dicerentur Suburbicariæ, hoc est, urbis Romæ potestati ac moderationi subditæ; nulla enim tunc temporis divisum habuit cum Roma imperium. Verùm post extructam a Constantino Magno Constantinopolim, Byzantium cum Roma divisit; ita ut dicta sit: *Regia civitas, nova Roma, Civitas imperans*. Ea autem Imperii Romani distinctio (inquit Morinus) maximè enituit sub Constantini filiis, inter quos divisum fuit imperium; enituit quoque sub Valentiniano & Valente fratribus, sub Valentiniano II. & Theodosio juniore, ac tandem sub Arcadio & Honorio, quibus imperantibus Ruffinus scribebat. Hinc factum est, ut ejusdem Ruffini temporibus totus orbis desiisset, Romæ respectu, Suburbicarius esse, idque tunc soli Occidenti conveniret.

Aliam Suburbicariarum Ecclesiarum ideam tradit Illustrissimus Petrus de Marca lib. 1. *De Concordia Sacerdotii & Imperii cap.* 7. Nempe scribit, Suburbicariarum Ecclesiarum nomine eas intelligi, quæ decem Provinciis Urbicariis, seu a Præfecto Prætorio per urbis Vicarium administratis, parebant; erant autem subsequentes: *Campania, Tuscia, Umbria, Picanum, Suburbicarium, Sicilia, Apulia, Calabria, Brucii, Lucania, Samnium, Sardinia, Corsica, Valeria*. Aliarum autem Occidentis provinciarum sextus Nicænus Canon non meminit, quòd licet Episcopus Romanus illas tanquam Patriarcha regeret, jura tamen Patriarchica non eadem ratione, qua in decem illis provinciis, non exercebat; sed plura permittebat consuetudinibus, quæ apud ea loca invaluerant.

Objicies 8. Ille non habet primatum in tota Ecclesia, qui non potest dici Episcopus universalis: atqui Romanus Pontifex non potest dici Episcopus universalis: Siquidem Gregorius Magnus lib. 4. epist. indict. 13. epist. 32. Joannem Constantinopolitanum insectatur, quod se diceret Episcopum Oecumenicum, atque nomen illud esse nomen blasphemiæ. Epistola 36. ad Eulogium Alexandrinum data scribit, nullum decessorum suorum propbano illo nomine usum fuisse. Ergo, &c.

Resp. distin. min. Non potest dici Episcopus universalis, seu solus universæ Ecclesiæ Episcopus, ita ut alii Episcopi sint tantùm Vicarii Romani Episcopi, conc. min. Non potest dici Episcopus universalis, seu, qui regat singulas orbis Ecclesias, servata singulorum Episcoporum jurisdictione, neg. min. Nomen Episcopi universalis priore tantùm sensu sumptum, non autem posteriore, repudiat Gregorius: *Sed absit* (inquit epist. 32.) *à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.*

Objicies 9. Si Romanus Pontifex haberet primatum in tota Ecclesia, posset 1. Canones ab Ecclesia conditos abrogare; posset 2. Episcopos pro libito deponere. Sed falsum est consequens: ergo & antecedens.

Resp. neg. antec. Ratio est, quia ipsi Romani Pontifices asseruerunt, sui primatus partem esse canonum executionem: *Canones Ecclesiasticos* (inquit Martinus Papa I. epist. 9.) *solvere non possumus, qui defensores & custodes canonum sumus, non transgressores*. Hinc cum canones præscribant formam, ad quam exigi debet Episcoporum depositio, eam Romani Pontifices non tentant, nisi servatis Canonibus. Vide quæ de ea forma Canones Sardicenses decernunt.

Objicies 10. Primatus non jure divino, sed humano tantùm, delatus est Episcopo Romano; nimirùm propter Romanæ urbis amplitudinem cæteris orbis præsu-

libus

libus præpositus fuit ab Imperatoribus & Conciliis: *Antiquæ Romæ* (inquit canon 28. Concilii Chalcedonensis) *throno, quòd urbs illa imperaret jure, Patres privilegia tribuerunt.*

Resp. neg. antec. Ad cujus probationem dist. Concilii Chalcedonensis verba: Privilegia patriarchica concesserunt, conc. antec. primatum in tota Ecclesia, neg. antec. Ratio est 1. quia ipsum Concilium Chalcedonense, cum primum a Romano Pontifice locum Episcopo Constantinopolitano tribuit, hac ratione utitur, quod sit *Nova Roma*; quemadmodum igitur ea ratio movit Concilium, ut Patriarchalem dignitatem Episcopo Constantinopolitano concederet; ita & quondam Patres movit, ut Episcopum Romanum totius Occidentis Patriarcham constituerent: sed inde desumpta non est dignitas primatus, quem Episcopus Romanus habet in tota Ecclesia, sed ab ipsomet Christo originem ducit suam: *Privilegia sua* (inquit Nicolaus Papa I. epistola ad Galliarum Episcopos) *per Petrum à Christo consecuta est Romana Ecclesia.*

CAPUT II.

Utrùm Romani Pontificis judicium sit locus theologicus.

CONCL. Romani Pontificis de aliqua controversia judicium, locus est theologicus.

Probatur. Locus theologicus est fons, ex quo ad probandam fidem, & regulandos mores argumenta desumi possunt: atqui reverà desumi possunt ea judicio Romani Pontificis: ergo Romani Pontificis de aliqua controversia judicium, locus est theologicus. Minor argumenti propositio variis momentis ostendi potest.

Primò, cum Romanus Pontifex (ut præcedenti conclusione dictum est) Primatum in tota Ecclesia divinitùs habeat, jus habet docendi eos omnes, quibus a Christo præpositus fuit, seu solvendi dubia, quæ circa Scripturarum sensum nasci possunt; proponendi traditionem Patrum; præcipiendi, ut ubique terrarum Canones observentur, imò & per censuras, ipsam etiam excommunicationem, compellendi singulos fideles, ipsos quoque præcipuarum sedium Episcopos, ut sanam fidem profiteantur; ut ad Evangelii & Canonum normam mores suos componant. Jus illud in Pontifice Romano quovis sæculo venerata est Ecclesia Catholica.

Altero Ecclesiæ sæculo Victor Papa excommunicationis minas Asiaticis intentavit, quòd Pascha cum Judæis celebrarent. Asiatici, ut seipsos tuerentur, non causati sunt, Romano Pontifici jus non fuisse excommunicandi tot Orientis Ecclesias, sed hoc uno se tuiti sunt; nempe praxim, quam sequebantur, se habere ex Apostolica traditione; ac proindè non esse causam, cur excommunicatione mulctarentur. Irenæus Lugdunensis Antistes eandem in Victore potestatem agnovit scribens, ut dispensatione potiùs, quam potestate uteretur, nec (ut ait apud Eusebium Hist. lib. 5. cap. 24.) universas Ecclesias abscinderet.

Natum tertio sæculo Novatianorum schisma, authoritate Cornelii Papæ compressum est: Decreti, quod Romæ in Novatianum tulerat, ubique habita est ratio: *Cumque* (ait Eusebius Hist. lib. 6. cap. 43.) *in provinciis Antistites, quid agendum esset, consultassent, hujusmodi decretum cunctis promulgatum est, &c.*

Eadem Romanorum Pontificum authoritate proscripti sunt Pelagiani ineunte quinto sæculo, latum in eos ab Apostolica Sede decretum omnes orbis Ecclesiæ summa cum reverentia amplexæ sunt: *Jam enim* (ait Augustinus sermone 2. de verbis Apostoli) *de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est; utinam aliquando finiatur error.* Subsequentibus sæculis Damatus Macedonium, Nestorium Cœlestinus, Leo Eutychetem, Monothelitas Agatho, damnarunt; damnationique omnes orbis Ecclesiæ subscripserunt. Ea eadem authoritate emanarunt tot leges, tot constitutiones, quæ tum in Gratiani Decreto, tum in Gregorii IX. Decretalibus leguntur, quasque totus orbis Christianus summa cum reverentia veneratus est.

Secundò. Majores nostri in causis dubiis Romanum Episcopum consulere solebant, ejusq; responsis omninò stare: *Mirari non possumus* (inquit Innocentius Papa I. epist. 4.) *dilectionem tuam sequi instituta majorum, omnia, quæ quæ possunt aliquam dubitationem recipere, ad nos quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus referre, ut consulta videlicet sedes Apostolica, ex ipsis rebus dubiis certum aliquid faciendum pronuntiet.* In ejusdem Innocentii, Siricii, aliorumque etiam antiquiorum Pontificum epistolis nihil aliud ferè legere est, quam eorumdem Pontificum responsa ad varias Episcoporum, imò & particularium synodorum consultationes; adeò omnibus retrò sæculis persuasum fuit, maximi esse momenti Episcoporum Romanorum decisiones.

Tertiò. Iidem majores nostri non rarò fidem, quam profitebantur, tuiti sunt sua cum episcopo Romano conjunctione: *Aut si eis placet* (inquit Hieronymus in epistola ad Marcum Presbyterum Celedensem) *hæreticum cum Ægypto, hoc est cum Damaso, Petroque, condemnet.* Idem ad Damasum scribens, a quo sciscitatus fuerat an tres hypostates, an verò unam tantùm in Trinitate admittere deberet, sic loquitur: *Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior .... Dignare scripta transmittere.* Hæc etiam habet de sua cum Antiochenis Episcopis communione: *Simul etiam, cui apud Antiochiam debeam communicare, significes ..... Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.*

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, colligitur 1. Romani Pontificis in tota Ecclesia primatum semper in omnibus orbis christiani provinciis enituisse. Colligitur 2. Eorumdem Romanorum Pontificum decreta apud primariarum etiam sedium episcopos, ipsas quoque variorum locorum synodos, magno semper in pretio fuisse. Colligitur 3. eadem decreta locum esse theologicum, ex quo tum ad stabiliendam fidem, tum ad regulandos mores argumenta desumantur; & quidem, fatentibus omnibus catholicis, ineluctabilia ac infallibilia, ubi Ecclesiarum consensus accesserit. Colligitur 4. recentiorum hæreticorum, Lutheri, Zuinglii, Calvini, Episcoporum Anglicanæ communionis, praxim distare quam maximè a praxi fidelium, qui præteritis sæculis, & quidem purioribus vixere. Nempe illi recentiores hæretici Pontificum Romanorum responsa, decreta, constitutiones, definitiones nihili faciunt; imò probris ac dicteriis non rarò lacessunt; cum e contra apud omnes, tum Orientales, tum Occidentales, sive clericos, sive laicos, magno semper in pretio fuerint.

QUÆSTIO VI.

De Episcopis.

Not. 1. Altero Tomo nostri Commentarii Historici & Dogmatici de Sacramentis, plura de Episcopis dicta sunt, quæ necesse non est, ut hic inferantur; nimirùm ostendimus 1. Episcopos divinæ esse institutionis: 2. eos divino jure presbyteris esse superiores: 3. eos suam jurisdictionem in creditum sibi populum immediatè accipere a Christo: 4. eos in ecclesiis necessarios esse, ut eorum ordo nec a Conciliis, nec a Summo Pontifice possit aboleri: 5. varios esse in episcopatu gradus, quos tum ad sui dignitatem, tum ad utilius regimen ecclesia vetus instituit.

Not. 2.

Not. 2. Omissis igitur iis quæstionibus, quæremus hìc 1. utrùm Episcopi judices sint cootroverliarum fidei: 2. cujus ponderis sit latum ab eis de ejusdem fidei controversiis judicium.

CONCLUSIO 1. Jure divino quisque Episcopus judex est controversiarum fidei.

Probatur. Quislibet Episcopus considerari potest, vel in conciliis, vel extra concilia: atqui sive in conciliis, sive extra concilia, est judex controversiarum, tum fidei, tum morum.

Et quidem *primò*, in conciliis; neque enim (ut de conciliis in genere disserentes diximus) Episcopi in Synodis sedentes, sunt consiliarii, sed veri judices; unde doctrinis variis ac peregrinis censuras inurunt, eorumque authores, si contumaces fuerint, anathemate feriunt.

Secundò, Extra concilia quilibet Episcopus positus est a Spiritu sancto (ut ait Scriptura) regere ecclesiam Dei: at regimen illud stare non potest, nisi doctrinam falsam damnare, & è contra veram probare possint; unde Christus vult, ut quisque fidelis suum Episcopum audiat, licèt plerumque illius facta non debeat imitari: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite, secundum opera verò eorum nolite facere.*

Eo jure Episcopi sæpiùs usi sunt: Sic Dionysius Alexandrinus (Eusebio teste hist. lib. 7. cap. 6.) hæresim Sabellianam proscripsit, prolixasque de suo judicio dedit litteras ad Sixtum Pontificem maximum. Sic etiam Galliarum Episcopi nuper plerosque recentiorum Casuistarum errores damnarunt. Sic etiam anno 1699. Galliarum Episcopi, sive in suis Diœcesibus, sive ad Synodos Provinciales congregati, accepta Innocentii XII. in forma *Brevis* constitutione, qua damnatur & prohibetur liber: *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure*, laudati Pontificis censuræ adhærentes, cum ipso judicarunt librum illum continere, *propositiones, sive in obvio eorum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, malè sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respectivè.*

Tertiò. In obscurioribus tamen causis, hoc est, ubi quæstionis solutio minùs est liquida ac minùs aperta, necessarium est concilium provinciale. Sic in causa Montanistarum pleraque quondam habita sunt: *Nam cum fideles, qui in Asia erant* (inquit Eusebius Histor. lib. 3. cap. 16.) *sæpiùs & in plurimis Asiæ locis convenissent, novamque illam doctrinam examinassent, & prophanam atque impiam judicassent, damnata hæresi, isti ab Ecclesia & fidelium communione expulsi sunt.* Plurima quoque, sive in Oriente, sive in Occidente, celebrata sunt in causa Pelagianorum.

Eæ verò particnlares Synodi latum à se judicium mittere solent ad Summum Pontificem, ut illud suo assensu comprobet, promulgetque in aliis provinciis, ubi id expedire judicaverit: id videre est in plerisque conciliis provincialibus, quæ post Tridentinum in Galliis celebrata sunt. Nonnunquam etiam particulares Synodi non tantùm Summo Pontifici, sed & aliis locorum Episcopis suam sententiam significare solent, sicut & solebant antiquitùs: sic Ario in Synodo Alexandrina damnato, Alexander episcopus ad omnes episcopos Synodi sententiam retulit per epistolam, quam sic inscripsit: *Dilectis ac reverendissimis comministris ubilibet per Ecclesias constitutis.*

Ubi autem Episcopi ad synodos convenire non poterant, ad eas mittebant judicium, quod in sua diœcesi tulerant; cujus quidem judicii eadem habebatur ratio, ac si in ipsomet Concilio latum fuisset. Ad eam praxim alludit August. lib. 4. ad Bonifacium cap. ult. ubi sic de Pelagianis per Episcoporum subscriptiones damnatis loquitur: *Quid est ergo, quod dicunt: De simplicibus Episcopis, sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus, extorta subscriptio est.*

CONCLUSIO 2. Licèt irrefragabile non sit judicium ab Episcopis extra concilia generalia de fide, aut moribus latum; ejus tamen, nisi evidens sit error, haberi debet ratio.

Probatur prior pars. A judicio privati cujuslibet Episcopi provocare licet, aut ad Metropolitanum, aut ad Synodum provincialem, aut ad Summum Pontificem: ergo cujusque privati Episcopi judicium non est irrefragabile. Confirmatur ex eo, quòd plures Episcopi, quibus non accessit aliorum consensus, aliquoties erraverint, ut in Cypriano circa baptismum ab hæreticis datum, Nestorio, Macedonio, pluribusque aliis videre est.

Probatur altera pars 1. authoritate Cypriani, qui epist. 55. sic loquitur: *Neque enim aliundè hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur.* 2. Episcopi, utpote præpositi a Deo superioris, est legem, ubi dubia est, explicare: non enim minori pollet authoritate, quàm sacerdotes Levitici, ad quos (scriptura teste) spectabat legis explicatio. 3. Si lati vel ab uno Episcopo judicii haberi debeat ratio, major haud dubiè haberi debet, cum plures in unam sententiam nullo reclamante consentiunt: Hincque patet, quantùm aberrent quidam recentiores, qui probabilitatem, aliasque molliores doctrinas, licèt a quinquaginta, & ampliùs Episcopis juridicè damnatas, iterùm typis mandare, & populos docere præsumunt. Eorumdem autem Episcopalium judiciorum maxima ratio debet haberi, ubi omnium Episcoporum consensus accesserit; siquidem (ut jam superiùs observatum est) irrefragabile est argumentum, quod ex illo unanimi singulorum Episcoporum consensu desumitur: *Aut verò* (inquit Augustinus lib. 4. ad Bonifacium cap. ultimo) *congregatione Synodi* (generalis) *opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi congregatione damnata sit. Cum potiùs rarissimè inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis exstiterit; multaque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi exstiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras devitanda innotescere potuerunt.*

QUÆSTIO VII.

De auctoritate Patrum.

Not. 1. QUæ ad Patrum auctoritatem spectant, ad quatuor capita reduci possunt. Nam 1. quæri potest, utrùm unius, aut alterius sententia, aliis reclamantibus, aut silentibus, vim multam habeat: 2. cujus sit ponderis plurium in unum dogma consensio, aliis ex alia parte reclamantibus: 3. quæ ratio haberi debeat Patrum, ubi unanimi consensu in eandem veritatem conspirant: 4. utrùm in omni argumentorum genere æqualis sit authoritas Patrum: 5. quænam cautiones in legendis Patribus adhibendæ sint.

Not. 2. Non est hìc quæstio de auctoritate Patrum in iis, quæ naturali lumine continentur, seu quæ, aut non sunt clarè revelata, aut ex revelatis minimè sequuntur; nempè apud omnes constat, in ejus generis argumentis tantùm valere auctoritatem Patrum, quantùm valet ratio, qua nituntur: nec id mirum est; siquidem Patres ut plurimùm neglexere philosophiæ, aliarumque scientiarum studium, ut totos sese divinæ sapientiæ traderent. Gregorius Nazianzenus & Basilius (Ruffino teste Histor. lib. 2. cap. 9.) per tredecim annos solius Scripturæ studio vacarunt. Hieronymus in proœmio in epistolam ad Galatas hæc de seipso scribit: *Plusquam quindecim anni sunt, ex quo manus meas nusquam gentilium litterarum quilibet auctor ascendit; & si quid fortè inde,*

de,

de, dum loquimur, obrepit, quasi antiqui per nebulam somni recordamur. Igitur quæstio est de iis solùm, quæ spectant ad theologiam, seu ad fidem, aut ea, quæ ex fide sequuntur.

CAPUT PRIMUM.

De auctoritate unius, plurium, omnium Patrum.

CONCL. 1. Unius, aut alterius Patris, de rebus theologicis sententia, aliis de ea silentibus, firmum argumentum non sufficit.

Probatur 1. In tantùm in rebus theologicis valet Patrum auctoritas, in quantùm fidem facit, aliquem articulum traditione contineri, seu a Christo, aut à Spiritu Sancto post Christi Ascensionem Apostolis fuisse revelatum; ita enim Augustinus docet lib. 3. de Peccatorum meritis, cap. 7. ubi adductis in medium testimoniis quorumdam veterum, sic loquitur: *Hæc non ideò commemoravi, quòd disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica auctoritate nitamur, sed ut appareat ab initio usque ad præsens tempus, quo ista novitas orta est, hoc de originali peccato apud Ecclesiæ fidem tanta constantia custoditum, ut ab eis, qui Dominica tractarent eloquia, magis certissimum proferretur ad alia refutanda, quàm id tanquam falsum refutari ab aliquo tentaretur*. Atqui unius & alterius Patris auctoritas, aliis silentibus, certam non facit fidem, quòd aliquis articulus Apostolis revelatus fuerit; neque enim concipi potest, revelationis depositum, quod universam spectat Ecclesiam, post Apostolorum tempora uni tantùm & alteri testi creditum fuisse.

Probatur 2. Eorum auctoritas firmum argumentum non sufficit, quorum sententiam improbare, ac rejicere licet: atqui unius & alterius Patris, aliis silentibus, sententiam improbare, ac rejicere licet: *Neque enim* (ait Augustinus epist. cx1.) *quorumlibet disputationes velut Scripturas Canonicas habere debemus; ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si fortè invenerimus, quòd aliter senserint, quàm veritas habet, divino adjutorio, vel ab aliis intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.*

CONCLUSIO 3. Plurium Patrum in unum dogma consensio, aliis ex altera parte reclamantibus, multùm quidem probabile, sed non omninò certum argumentum sufficit.

Probatur prior pars. Id sufficit argumentum multùm probabile, quo efficitur, ut multùm sit probabile, articulum aliquem Apostolis fuisse revelatum: atqui plurium Patrum consensione id efficitur; nempè, quòd articulus aliquis fuerit revelatus, est aliquod factum: Sed plurium testium consensione, factum aliquod redditur multùm probabile, licèt alii ex altera parte testes reclament: ergo, &c.

Probatur altera pars. Fieri potest, ut ii qui ex altera parte reclamant, præsertim si sanctitate & eruditione sint insignes, assecuti fuerint germanum, aut Scripturæ, aut traditionis sensum; proindeque non est certum certitudine fidei, quòd alii, qui contrarium docuere, non erraverint.

Quæres, quid eo in casu à theologo sit agendum?

Resp. theologum tunc debere expendere: 1. quid docuerint Patres, qui ante illos, de quibus agitur, scripserint: 2. quid de eodem articulo major & præcipua Ecclesiarum pars docuerit, ac doceat. Si id Theologus non potest assequi, majori parti debet adhærere, donec Ecclesia per expressam aliquam definitionem, quid de eo articulo credendū sit, ex Scriptura, vel traditione eruerit. Vide quæ superiùs dicta sunt art. 5. de script. sensu.

CONCLUSIO 3. Unanimis Patrum in unum dogma consensus, certissimum argumentum sufficit.

Probatur 1. Unanimis Patrum in unum dogma consensus certissimum est divinæ traditionis testimonium; neque enim alia via, quam per patres, qui singulis sæculis scripsere, Ecclesia potest scire, quid Apostoli tradiderint: atqui certissimum divinæ traditionis testimonium, certissimum argumentum sufficit, cum traditio non minùs sit Dei Verbum, quam quod in libris Canonicis scriptum legitur: ergo, &c.

Probatur 2. authoritate Concilii Tridentini prohibentis, ne quis contra unanimem Patrum sensum Scripturas audeat exponere: *Ad coercenda petulantia ingenia* (inquit Sacra Synodus sess. 4.) *decernit, ut nemo sua prudentia innixus in rebus fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.*

Ex duplici argumento, quod in conclusionis defensionem protulimus, patet, audiri non debere Cajetanum, cum hæc scribit initio Commentariorum in Genesim: *Si quando occurrerit novus sensus textui consonus, quamvis à torrente Doctorum sacrorum alienus, æquum se præbeat lector censorem...... Nullus detestetur novum Sacræ Scripturæ sensum ex hoc, quòd dissonat à priscis Doctoribus; non enim alligavit Deus expositionem Scripturarum Sacrarum priscorum Doctorum sensibus, sed Scripturæ ipsi integræ sub Catholicæ Ecclesiæ censura*. Confirmatur ex eo, quòd ea Cajetani sententia invehat in Ecclesiam novitates omnes, enervetque argumenta omnia, quæ adversùs hæreticos ex traditione desumuntur.

Quæres, utrùm Patres, etiam probatissimi, in omnibus fidei controversiis, æqualis sint auctoritatis.

Resp. negativè. Ratio est, quia Deus nonnullos Patres elegit, ut præ cæteris certas Catholicæ fidei veritates adversùs hæreticos propugnarent: Sic Athanasius adversùs Arium, Augustinus adversùs Pelagium, Cyrillus Alexandrinus adversus Nestorium, Leo Magnus contra Eutichetem specialiter electi sunt. 2. Ecclesia nonnullorum Patrum scripta expressè probavit, declaravitque iis contineri fidem, quam Apostoli prioribus fidelibus commendaruut. Ejus verò generis sunt libri, quos Augustinus contra Pelagianos & Semipelagianos de prædestinatione & gratia exaravit, ut in nostro tractatu de gratia fusè probabitur.

CAPUT II.

De cautionibus in legendis, aut laudandis Patribus, adhibendis.

CONCL. In legendis ac laudandis pro fide Patribus, nonnullæ cautiones servandæ sunt.

Probatur enumeratione. *Primò*, si aliquis è Patribus id docuerit, quod Ecclesia Catholica postea rejecit tanquam unanimi aliorum consensui contrarium; non ipsum Patrem, sed errorem, & quidem cum præfatione veniæ, theologus refellere debet, imitatus Augustinum, qui lib. 6. de Baptismo contra Donatistas cap. 2. sic de Cypriani circa rebaptizationem errore loquitur: *Quapropter reddens debitam reverentiam, dignumque honorem, quantùm valeo, persolvens pacifico Episcopo, & glorioso martyri Cypriano, audeo tamen dicere, eum aliter sensisse de schismaticis, vel hæreticis baptizandis, quàm postea veritas prodidit.*

Secundò, Theologus in primis cavere debet, ne quempiam ex Patribus temere erroris insimulet; unde si

quæ in ejus libris ambiguè dicta leguntur, ex aliis illius sententiis, quantùm fieri potest, explicari, excusarique debent. Regulam illam tradit Facundus Hermianensis lib. 9. de tribus capitulis cap. 5. *Quemadmodum calumniantium hæreticorum est, ex dubiis & obscuris, quæ certa & manifesta sunt, malè interpretari; ita solitum est prudentiæ, ac pietatis catholicæ, ex indubitatis atque evidentibus, & firmare ambigua, & latentia declarare. Ideòque melius facimus, si virorum doctissimorum in pace Ecclesiæ mortem obeuntium scripta meliùs interpretemur.*

Tertiè, Plurium Patrum (ut jam superiùs observatum est) sententiam paucorum aliorum (nisi tamen intervenerit Ecclesiæ judicium) opinioni theologus debet anteponere; ita ut hæc tria, quantùm fieri potest, semper sequatur, universitatem, antiquitatem, consensionem: *Sequemur autem universitatem hoc modo* (inquit Vincentius Lirinensis) *si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem verò ita, si ab his nullatenus sensibus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque itidem, si in ipsa vetustate, omnium vel certè penè omnium sacerdotum pariter ac magistrorũ definitiones, sententiasque sectemur.* Vide similia Patrum loca, quæ de traditione superiùs agentes laudavimus.

Quartò, Patres, qui ante exortas hæreses scripsere, simpliciùs ac proinde minùs cautè nonnunquam locuti sunt, quam qui post exortas hæreses: *Didicimus* (ait Augustinus lib. de dono perseveran. cap. 20.) *singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentiùs defenderetur Scriptura divina, quàm si nulla talis necessitas cogeret.*

Quintè, Patres in impugnandis erroribus nonnunquam usi sunt terminis, qui in speciem quidem erroribus oppositis faverent, sed re ipsa, & secundùm sensum ab eis intentum, omninò differrent: Sic qui Sabellianos impugnarunt, aliquando visi sunt destruere divinarum personarum consubstantialitatem, quam tamen (ut de Trinitate disserentes ostendemus) reipsa propugnabant.

Inter eos Patres, qui in speciem in errorem oppositum ei, quem impugnabant, declinare visi sunt, Augustinus (ut ostendetur in tractatu de gratia) cum de prædestinatione & gratia contra Pelagianos & Semipelagianos disserit, numerari non debet; nempè sæpiùs asserit se, cum Pelegianos impugnavit, cavisse sedulò, ne quidquam proferret, quod vel in speciem Manichæismo, hæresi Pelagianæ circa liberum arbitrium prorsùs opposito, faveret: *Illa* (inquit lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3.) *nefaria & damnabilia dogmata in hac tripartita divisione quisquis mente Catholica exhorret, illius quinquepartita latebras, insidiasque devitet, atque ita inter utrumque sit cautus, ut sic declinet Manichæum, ne se inclinet in Pelagium, rursusque ita se jungat à Pelagianis, ne se conjungat Manichæis, aut si in alterutris jam tenetur, nec sic se à quibuslibet alteris torvet, ut in alteros irruat.*

Eandem Augustini, Pelagianos, Manichæos, aut alios hæreticos impugnantis cautionem observavit Pomerius lib 3. de vita contemplativa cap. 31. ubi de eodem sancto Doctore sic loquitur: *S. Augustinus Episcopus, acer ingenio, suavis eloquio, sæcularis litteraturæ peritus, in Ecclesiasticis laboribus operosus, in quotidianis disputationibus clarus, in omni sua actione compositus, in expositione suæ fidei nostræ Catholicus, in quæstionibus absolvendis acutus, in revincendis hæreticis* Circumspectus, *& in explicandis Scripturis Canonicis* Cautus.

Ex his patet, quam immeritò recentiores quidam Augustinum traducant, quasi excesserit in suis contra Pelagianos & Semipelagianos disputationibus; quamq; falsa sint hæc, quæ de eodem sancto Doctore quidam Scriptor, cujus nomini ac instituto parcimus, scribere nõ erubuit: *Nunquam tamen longiùs zeli ardore Augustinus abreptus est, quàm ubi Pelagianos impugnavit: dum enim ab eorum loquendi ratione, & erroribus longissimè recedere intendit, in periculosos excessus incidit, ut hinc aliqui theologi doctrina & pietate insignes dixerint, eum veritatis limites transgressum esse, nimio disputationis calore accensum fuisse, aut visum fuisse favere hæreticis. Verba hæc* (pergit idem Scriptor) *insolentia & impudentia essent, nisi vera essent.* Sed hæc satis sint; nempe (ut jam monuimus) de Augustini auctoritate fusè dicemus in tractatu de gratia, & in tractatu de prædestinatione.

QUÆSTIO VII.

De auctoritate Scholasticorum.

Not. 1. Scholastici sunt, vel antiqui, vel recentiores. Sive illi, sive isti, vel Scriptura, & traditione nituntur, ut suas assertiones confirment; vel sola humana ratione, aut gravium (ut loquuntur) aliorum theologorum sententia.

CONCLUSIO 1. In iis, quæ ad fidem, aut mores pertinent, nulla debet haberi ratio scholasticorum, qui nec Scriptura, nec traditione, sed sola humana ratione, & recentiorum authoritate, sua placita confirmant.

Probatur 1. Nec humana ratio, quæ post peccatum originale tam facile fallitur, nec recentiorum sententia, quæ sæpius maximè temeraria est, leges sunt, ad quas sive fidem, sive mores exigere debeamus; id nimirum juris Scripturæ tantùm est, ac traditionis.

Probatur 2. Si scholasticorum, de quibus agitur, haberi deberet ratio, liceret in Moralibus sequi opinionum portenta, quæ ab Alexandro Papa VII. Innocentio Papa XI. & pluribus variarum provinciarum Episcopis proscripta sunt, tanquam quæ exitiosa sint ac scandalosa; ea enim opinionum in Moralibus portenta nõ ab uno tantùm, sed ab innumeris fere recentioribus, qui perrarò Scripturam aut traditionem laudant, propugnata sunt.

De iis authoribus audiendus est pius, ac doctus scriptor è familia Dominicana Vincentius Contensonius, qui Tom. 3. diss. præambula c. 2. Specul. 3. sic loquitur: *Vidimus his temporibus Casuistarum (quos eruditissimos morum doctores indocti prædicant) flaxam authoritatem à Religiosis & Sacerdotibus quamplurimis, ab Episcopis sine numero, & à Romano Antistite, nedum contemptam sed damnatam, ut exitiosam. Unde de illis potissimùm testibus, eorumque testimoniis, juxta Augustini regulam, tantùm credere, vel non credere, licet, quantum momenti ad faciendam fidem habere, vel non habere perpenderimus. Cum enim non è puris Ecclesiæ fontibus conclusiones suas derivent, sed iis neglectis, turbidis se proluant probabilismi fluentis, unde in tam horrida inciderunt opinionum portenta.*

Ei Theologorum generi adscribendi sunt quidam alii, de quibus Melchior Canus, lib. 8. de locis theologicis cap. 1. sic loquitur: *Intelligo autem fuisse in schola quosdam Theologos adscriptitios, qui universas quæstiones theologicas frivolis argumentis absolverint..... Et cum in his Sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis sanctis oleant.... Scholastici tamen, si superis placet, theologi vocantur.... quos ego probare, nec debeo, nec possum.*

CONCLUSIO 2. Plurium scholasticorum ex iis etiam, qui placita sua ad Scripturæ & Patrum normam exigere profitentur, consensus in aliquod dogma, si alii insignes, licèt numero pauci, dissentiant, non majoris est ponderis, quam rationes, quibus nituntur.

Probatur 1. Scholastici non sunt a Christo, aut Ecclesia constituti controversiarum judices; id nempe juris Episcopis, populos sibi creditos docentibus, divini-

tus

tus concessum est: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Unde cum in Synodis expenditur aliquod dogma, Patres non multùm moventur opinionibus, quæ in scholis hinc & inde agitantur, sed Scripturam tantùm & traditionem consulunt. Igitur Scholastici, de quibus est quæstio, se habent sicut causidici, seu causarum patroni; quemadmodum ergo causidici solius consultationis, non autem decisionis, vim habent, ita & scholastici.

CONCLUSIO 3. Unanimis scholasticorum omnium in unum dogma consensus, theologo suppeditat magni roboris argumentum.

Probatur 1. Id magni roboris argumentum suppeditat, quod Ecclesia nusquam explodit: error enim, cui non resistitur, approbatur: atqui Ecclesia nunquam explosit scholasticorum omnium in unum dogma consensum, seu Ecclesia, sive in Synodis adunata, sive extra Synodos divisa, nunquam rejecit dogma, in quod omnes scholastici uno ore consentirent. 2. Unanimis omnium scholasticorum consensus, est testimonium plusquam probabile, articulum, in quem consentiunt, esse traditum. Quod enim (ait Tertullianus lib. de Præscriptionibus) apud multos unum invenitur, non est erratum, sed traditum.

Quæres 1. quodnam censuræ genus debeatur dogmati, quod adversatur unanimi scholasticorum omnium consensui?

Respondet Melchior Canus, dogma, de quo agitur, si hæresis non est, proximè accedere ad hæresim. Respondent alii, esse saltem erroneum. Contendunt alii, esse temerarium tantùm. Verùm cum omnes scholastici vix unanimiter consentiant in dogmata, quæ ab Ecclesia definita non sint, inutilis ad praxim nobis videtur quæstio, de qua agitur.

Quæres 2. quam rationem theologus habere debeat judiciorum, quibus facultates theologicæ nonnunquam certas propositiones, aut probant, aut rejiciunt?

Resp. 1. theologum debere seriò attendere ad rationes, quibus nititur doctrinale judicium, de quo est hic quæstio; quò enim eæ rationes majoris fuerint ponderis, eò etiam majoris momenti erit doctrinale judicium à theologis facultatibus latum.

Resp. 2. secluso etiam examine rationum, quibus facultatis theologicæ judicium doctrinale fulcitur, in pretio apud theologum esse debere judicium latum ab iis facultatibus, quæ sapientiæ, & eruditionis fama commendantur, quæque solent fidei, ac morum quæstiones, non ad gravium (ut loquuntur) authorum placita, sed ad scripturæ, & traditionis normam expendere: Inter eas autem non ultimum locū tenere facultates theologicas *Parisiensem*, & *Lovaniensem*, is non inficiabitur, qui noverit, quot annis, quo labore, quibus Scripturæ, & Traditionis studiis opus sit, ut quis in iis facultatibus doctoratus gradum adipiscatur.

Confirmatur mox data responsio ex eo, quòd apud eas facultates receptus sit mos non ferendi doctrinale judicium, nisi post maturum examen, nisi auditis Magistrorum omnium votis, ac rationibus, nisi etiam major pars consentiat: Unanimi Magistrorum consensu anno 1631. Parisiis edita est censura, qua duo libri Anglicani percelluntur. Sic etiam anno 1611. edita fuit ea, qua *Philippi Mornai mysterium iniquitatis* damnatum est. Sic quoque anno 1526. edita est quæ Erasmi colloquia proscripsit. Sic tandem prodiit ea, qua anno 1521. Lutheri dogmata profligata sunt. Unanimi quoque consensu editum est judicium, quo facultas Lovaniensis anno 1587. probavit, ac suam esse declaravit doctrinam de gratuita prædestinatione ad gloriam, & necessitate gratiæ per se efficacis ad singulos pietatis actus. Sic etiam editum est, quod ab ea anno 1662. latum est pro necessitate inchoatæ saltem charitatis Dei super omnia ad recipiendam gratiam in sacramento pœnitentiæ: *Facultas Theologica Lovaniensis unanimi consensu censuit, &c.* Sic quoque editum est, quod anno 1653. ab eadem facultate latum est adversùs septendecim propositiones ad Moralem spectantes, de quibus ab Illustrissimo Mechliniensium Archiepiscopo consulta fuerat. Sic tandem, seu *unanimi Magistrorum consensu*, prodiit censura, quam eadem facultas anno 1657. tulit adversùs viginti sex alias propositiones sibi ab Illustrissimo Gandavensium Episcopo oblatas.

ARTICULUS VIII.

De Historia humana.

Not. DE humana historia hìc tria quæremus: 1. utrùm illius cognitio theologo sit utilis: 2. an aliquæ sint regulæ, quibus veræ a falsis historiis dignoscantur: 3. quænam sit historiæ humanæ authoritas.

CONCLUSIO 1. Historiæ sive prophanæ, sive ecclesiasticæ cognitio, theologo perutilis est.

Probatur prior pars. Cognitio historiæ prophanæ plurimùm confert ad Scripturarum, aut ecclesiasticorum monumentorum intelligentiam: *Quidquid igitur* (ait Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 28.) *de ordine temporum transactorum indicat ea, quæ appellatur Historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.*

Probatur altera conclusionis pars. Theologus ex historia ecclesiastica discit 1. quid antiquum sit, quidve novum; quæ dogmata, sive fidei, sive morum, quæ disciplinæ capita in Conciliis determinata fuerint. Discit 2. quid in arduis religionis negotiis agendum sit; pauca nimirùm nunc occurrunt, quæ alias non occurrerint: *Nihil sub sole novum* (ait Scriptura Ecclesiast. 1.) *nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; jam enim præcessit in seculis, quæ fuerunt.* Discit 3. qua occasione nonnulla in Conciliis statuta fuerint, quam ob causam aliqua a Patribus scripta sint; ac proinde, quinam sit germanus tum Conciliorum, tum Patrum sensus. Discit 4. præclara sanctorum gesta, ad quorum normam mores suos componat: *Exempla servorum tuorum* (inquit Augustinus lib. 9. Confess. cap. 2.) *quos de nigris lucidos, & de mortuis vivos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ urebant, & absumebant gravem torporem, ne in ima vergeremus.*

CONCLUSIO 2. Nonnullæ sunt regulæ, quibus veræ a fictis historiis dignoscuntur.

Probatur enumeratione. *Primò*, vera est, non ficta historia, quæ enarrat factum aliquod contigisse coram ingenti multitudine, quæ licet illius interesset falsum manifestare, si quod fuisset, ipsum admisit, tradiditque posteris tanquam certum. Hinc colligitur, maximam esse certitudinem historiarum, quibus veteris legis miracula recensentur; scilicet patrata dicuntur coram sexcentis millibus testium, qui ea non modò pro veris habuerunt, sed & posteris tradiderunt libros, quibus continebantur; quamvis facta narrarent, quæ sibi ac toti Judaicæ genti parum essent honorifica. Idem dici debet de miraculis, quæ referuntur in nova lege; eorum enim testes oculati pro defendenda illorum veritate mortem obierunt.

Secundò, Econtra cum factum aliquod non fuit evulgatum eo tempore, quo contigisse scribitur, sed tantùm multis post annis, fidem non meretur. Hincque patet, vel eo solo titulo rejici debuisse historiam de Joanna Papissa, quam ducentis & ampliùs annis, postquam contigisse fertur, tandem Marianus Scotus evulgavit.

Tertiò, Factum, quod non refertur ab insigni & fi-

deli alioquin historico, cujus plurimum intererat ipsum referre, quodque cum, si revera contigisset, non potuisset latere, fictitium censeri debet, quamvis a pluribus historicis tempore posterioribus referatur.

Quartò, Veritas factorum quæ secretò, hoc est, coram uno teste contigisse dicuntur, pendet ab illius hominis fide, coram quo ejusmodi facta contigisse narrantur. Unde de iis factis non habetur certitudo, nisi in quantùm certum est, eum hominem nec deceptum fuisse, nec voluisse cæteros decipere. Hincque patet, quàm inane sit ac fluxum totius religionis Mahumetanæ fundamentum.

CONCLUSIO 3. Præter authores Sacros nullus historicus certus esse potest ea certitudine quæ fidem generet.

Probatur. Quilibet privatus homo præter eos quos ex evidentibus motivis credibilitatis constat scripsisse ex motu Spiritus sancti, absolute loquendo, falli potest ac fallere: ac proinde nullus potest facere certitudinem, quæ generet fidem & cui, absolute loquendo, non possit subesse falsum.

CONCLUSIO 4. Historici graves, ac fide digni quales sive in ecclesiasticis, sive in sæcularibus nonnunquam reperire est, theologo argumentum probabile suppeditant.

Probatur. Probabile est, historicos de quibus agitur, nec falli, nec fallere velle; prudenter nimirum se gerit, qui credit homini fide digno, affirmanti se, aut rem vidisse, aut accepisse ab hominibus sapientibus, qui illius oculati testes extiterint. Hinc patet imprudentem, ac temerarium fore, qui fidem detraheret miraculis, quæ S. Augustinus in inventione corporis S. Stephani se vidisse testatur.

CONCLUSIO 5. Omnes probati, ac graves historici, nullo contradicente, factum aliquod enarrantes, theologo certum argumentum suppeditant.

Probatur. Id certum argumentum theologo suppeditat, de quo nemo qui sapiens sit, dubitare potest: atqui de facto quod ab omnibus probatis, ac gravibus historicis, nullo contradicente, refertur, nemo qui sapiens sit, dubitare potest. Nemo v. g. nisi desipiat, dubitare potest, Concilium Nicænum I. imperante Constantino Magno celebratum fuisse. Eo argumenti genere nituntur fideles, ut judicent quædam Concilia esse œcumenica, seu universam Ecclesiam repræsentare; ac proinde se prudenter fide divina credere, quæ in eis definita fuerunt.

Quæres, quid facto opus sit ad judicandum, an historicus aliquis sit de fide dignus?

Resp. expendendum esse 1. an sit coætaneus rei, quam enarrat; si enim multo post tempore vixerit, tantam fidem non meretur: 2. an in rebus etiam non multùm intricatis, nonnunquam deceptus sit: 3. an ipsius intersit facta sic extitisse, quemadmodum ab eo referuntur. Ob eam rationem Eusebii Cæsariensis fides in rebus quæ ad Arianos spectant, dubia est, arianismi nimirùm fuligine aspersus fuisse creditur: sic etiam Socratis, ac Sozomeni testimonia non sunt omninò certa in rebus, quæ pertinent ad Novatianos; nempè Novatianorum schismatis rei fuisse perhibentur. Vide Melchiorem Canum lib. 11. de Locis Theologicis.

QUÆSTIO IX.

De ratione naturali.

Not. DE ratione naturali quæri potest 1. utrum à theologis consuli debeat: 2. quam vim, ac auctoritatem habeat.

CONCLUSIO 1. Ratio naturalis utiliter à theologis consulitur.

Probatur. Quod a Deo datum est homini ad comparandam veritatis cognitionem, utiliter a theologo consulitur: atqui ratio naturalis ad eum finem homini a Deo data est; est enim quædam divini luminis participatio, juxta illud Psalmistæ: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.*

Quæres, utrum ratio naturalis se habeat per modum principii respectu theologiæ?

Resp. negativè. Ratio est, quia unum est tantùm theologiæ principium, divina scilicet revelatio, quæ aut Scriptura, aut traditione continetur; & per hoc theologia (ut hujusce tomi initio dictum est) differt a Philosophia, aliisque disciplinis naturalibus. Dicendum est igitur, rationem naturalem eo sensu ad theologiam conferre, quòd ex principii revelatis conclusiones eliciat, aut exponat motiva credibilitatis, quibus fit, ut prudenter credamus, scripturam & traditionem esse verum Dei verbum.

Hinc sequitur *primò*, eos abuti ratione, qui in rebus theologicis primas partes ei tribuunt; *Oportet* (inquit S. Thom. 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2.) *quòd naturalis ratio subserviat fidei*. Ejusmodi autem abusus rei sunt hæretici omnes: ii enim ad præconceptarum quarumdam opinionum normam de vero scripturarum sensu judicare soliti sunt, cum è contra germanus illarum sensus ex terminis quibus constant, ex Ecclesiæ ac sanctorum Patrum consensione desumi debeat.

Sequitur *secundò*, in eundem scopulum incidisse præsertim Socinianos, qui persuasi Deum nihil revelasse, quod humana ratio capere non valeat, in sensum metaphoricum detorquent omnia Scripturæ loca, quæ sumpta in literali, continerent dogma, quod hominis captum superat, aut rationi naturali oppositum esse videtur. Eo nimirùm nixi principio, Trinitatis, Incarnationis, aliorumque difficilium mysteriorum existentiam inficiati sunt.

Sequitur *tertiò*, ejusdem culpæ reos esse nonnullos hujus ævi conscientiæ casuum arbitros, qui Dei ipsius judices se ipsos constituentes affirmant: *Hac aut illa ejus præcepta, si ad litteram sumerentur, non satis fore attemperata infirmitati humanæ*: ex eo nimirùm temerario judicio argumenta petunt, quibus præcipua mandata clarè alioquin Scripturis expressa convellunt. Idem in iis contingit, qui præconcepto hoc axiomate nixi: *Præceptum non obligat per se, quando tempus obligationis non exprimitur*, contendunt, primum Decalogi mandatum nusquam hominem in vita obligare: *Homo* (inquiunt) *nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium.*

CONCLUSIO 2. Communia principia rationis naturalis certum theologo argumentum sufficiunt: conclusiones verò quæ alia via, quam per demonstrationem, ex illis inferuntur, argumentum tantùm probabile.

Probatur prior pars. Communia principia rationis naturalis, sive ad mores, sive ad alias veritates pertineant, certa sunt ac evidentia, ut patet in istis: *Totum est majus sua parte. Impossibile est idem simul esse & non esse. Bonum est faciendum, ac malum fugiendum. Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.*

Probatur altera conclusionis pars. Conclusiones, quæ per demonstrationem non eliciuntur ex communibus principiis rationis naturalis, inferuntur tantùm per medium probabile: ergo solum argumentum probabile theologo sufficiunt.

Quæres, quænam conclusiones ex communibus principiis inferantur per medium demonstrativum, quænam verò per medium probabile?

Resp. conclusiones, quæ immediatè eliciuntur ex primis principiis, plerumque inferri per medium demonstrativum;

ftrativum; fic ex ifto moralis difciplinæ principio: *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis;* demonftrative colliguntur plura ex præceptis, quæ vetant, ne proximo damnum inferatur: Econtra, quæ mediatè tantùm, & remotè ex iifdem rationis naturalis principiis inferuntur, plerumque probabiliter tantùm colliguntur, quia femper clarè non videtur connexio, quam remotæ conclufiones habent cum primis principiis, præfertim in rebus, quæ ad mores fpectant; idque contingit, aut Deo nonnunquam (ut ait Auguftinus) fpargente pœnales cæcitates fuper illicitas cupiditates; aut propter præjudicia, vel propter pravum aliquem affectum, quo mens inclinatur ad judicandum pro iis rebus, quæ cupiditatem fovent, ac nutriunt.

Confirmatur refponfio ex S. Thoma, qui 1. 2. q. 94. artic. 6. fic loquitur: *Ad legem naturalem pertinent primò quædam principia communiffima, quæ funt omnibus nota: Quædam autem fecundaria præcepta magis propria, quæ funt quafi conclufiones propinquæ principiis. Quantùm ergo ad illa principia communia, lex naturalis non poteft a cordibus hominum deleri in univerfali, deletur tamen in particulari, fecundùm quòd ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupifcentiam, vel aliquam aliam paffionem. Quantùm verò ad alia principia fecundaria, poteft lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas perfuafiones, eodem modo, quo etiam in fpeculativis contingunt errores circa conclufiones neceffarias, vel etiam propter pravas confuetudines & habitus corruptos, ficut apud quofdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut Apoftolus dicit ad Romanos.*

Confirmatur 2. eadem refponfio ex exceffibus authorum, qui hoc fæculo ad normam folius rationis per peccatum corruptæ de moribus fcripferunt. Scilicet neminem latet, nullum effe præceptum in decalogo, quod fuis ratiociniis ex primis principiis (ut iis videbatur) dedeductis non labefactaverint. Unde Alexander Papa VII. in decreto dato Romæ die 25. Septembris anni 1665. ejufmodi fcriptorum placita meritò dixit, *opiniones Chriftianam difciplinam relaxativas, & animarum perniciem inferentes, natas ex fumma luxuriantium ingeniorum licentia.*

DISSERTATIO V.

De propofitionum Cenfuris.

Not. 1. Satis non eft theologo notitia locorum, ex quibus argumenta pro confirmanda fide & regulandis moribus defumenda funt: fed præterea requiritur, ut noverit, quibus Cenfuris affici debeant propofitiones, quæ iifdem five fidei, five morum regulis oppofitas effe judicaverit. De primo, feu de locis theologicis, fusè tota præcedenti differtatione diximus: par eft igitur, ut in ifta de propofitionum cenfuris differamus.

Not. 2. Octo paffim recenfentur damnabilium propofitio hæretica, alia erronea, alia fcandalofa, alia blafphema, alia piarum aurium offenfiva, alia temeraria, alia feditiofa, alia denique fufpecta. Septem priores cenfurarum fpecies legere eft in Concilio Conftantienfi feff. 8. ubi recenfitis Vvicleffi articulis, hocce de illis judicium latum eft: *Quibus examinatis articulis, fuit repertum, (prout in veritate eft) aliquos, & plures ex iftis fuiffe & effe notoriè hæreticos, & à pluribus fanctis Patribus reprobatos, alios non Catholicos, fed erroneos, alios fcandalofos, & blafphemos, quofdam piarum aurium offenfivos, nonnullos eorum temerarios, & feditiofos.* Octava cenfuræ fpecies reperitur in Bulla Pii Papæ V. qua profcribuntur quædam propofitiones, quas nonnulli fcriptores Michaeli Bajo tribuunt: nempe laudatus pontifex afferit, quafdam ex iis propofitionibus effe *hæreticas, erroneas, fufpectas, temerarias, fcandalofas, immittentes offenfionem in aures pias.* Nonnulli fcriptores relatis propofitionum cenfuris addunt fubfequentes. Præterea (inquiunt) aliquæ propofitiones funt proximæ hærefi, quædam fapiunt hærefim, quædam fufpectæ funt de hærefi, quædam improbabiles, aliæ malè fonantes, & tandem aliæ damnabiles. De variis illis propofitionum cenfuris, hic a nobis breviter eft agendum.

QUÆSTIO I.

De propofitione hæretica.

CONCL. 1. Propofitio hæretica rectè definitur, ea quæ adverfatur, aut expreffo Dei verbo, aut expreffæ definitioni Ecclefiæ.

Explicatur. Propofitio hæretica dicitur adverfari 1. *Dei verbo*, quia Dei verbum, feu fcriptura, & traditio continent omnes articulos, qui ad fidem, aut mores fpectant: non enim (ut fuperius dictum eft) alii funt fidei Chriftianæ fontes.

Dicitur 2. adverfari Dei verbo *expreffo*, hoc eft, veritati quæ *expreffè* Dei verbo continetur: ut funt Chrifti mors, fepultura, refurrectio. Hinc patet, hanc propofitionem quæ inter quinque damnatas ab Innocentio X. numero 2. legitur: *Interiori gratiæ in ftatu naturæ lapfæ nunquam refiftitur*, meritò tanquam hæreticam fuiffe profcriptam, contradictoriè nimirum opponitur huic expreffæ Scripturarum fententiæ: *Vos femper Spiritui fancto refiftitis.* Patet iterum, hanc aliam: *Homo non tenetur amare Deum, neque in principio neque in decurfu vitæ fuæ moralis*, effe quoque formaliter hæreticam, quippe quæ contradictoria fit expreffo Dei verbo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; ac proinde fub ea qualificatione meritò damnata fuit ab Alexandro Papa VIII.

Dicitur 3. adverfari expreffo Dei verbo, aut *expreffæ definitioni Ecclefiæ*: fiquidem propofitio quæ implicitè tantùm continetur Dei verbo, poftquam Ecclefia declaravit eam illo reverà contineri, fide divina expreffè credi debet ab iis quibus fufficienter innotuit latum ab Ecclefia judicium; propter eam rationem hæc propofitio: *Baptifmus, qui datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclefia, non eft verus baptifmus*; ea (inquam) propofitio eft hæretica, quamvis olim, feu antequam Ecclefia in Concilio plenario (ut loquitur Auguftinus) de ea fententiam fuam expreffe tulit, nequaquam effet hæretica; nec enim tunc omnibus Ecclefiis conftabat, contrariam propofitionem contineri, vel etiam implicitè, in Dei Verbo five fcripto, five tradito.

Sic explicatæ conclufionis veritas hoc argumento probatur. Ea propofitio rectè dicitur hæretica, quæ evidenter contradictoria eft propofitioni Catholicæ: Ideò enim hæc propofitio: *Chriftus non eft homo*, evidenter fit contradictoria: atqui propofitio, quæ adverfatur, aut expreffo Dei Verbo, aut expreffæ definitioni Ecclefiæ, eft evidenter contradictoria propofitioni Catholicæ; fiquidem propofitio Catholica definitur ea, quæ explicitè Dei Verbo continentur, aut fit implicitè tantùm, ab Ecclefia declarata fuit reverà eodem Dei Verbo contineri: ergo, &c.

Quæres, cujus naturæ debeat effe res aliqua, ut fit materia propofitionis hæreticæ?

Refp. hærefis materiam effe, vel quæftiones juris, ad fidem, aut mores pertinent, aut quæftiones facti, quæ Dei Verbo fcripto, aut tradito continentur; nam aliæ quæftiones facti, quæ in Dei Verbo, aut fcripto, aut tradito nulla ratione continentur, poffunt quidem effe materia erroris ad fidem minimè fpectantis, fed non

pof-

possunt esse materia, aut erroris ad fidem spectantis, aut alicujus hæreseos: Ratio est, quia propositio hæretica (ut dictum est) est ea, quæ opponitur propositioni explicitè revelatæ, aut quam, si implicite tantùm revelata sit, Ecclesia solemni judicio declaraverit sequi ex revelata. Propositio erronea (ut infra dicetur) est ea, quæ opponitur veritati implicitè revelatæ, seu, quæ ex explicitè revelata colligitur, quam tamen Ecclesia nondum declaravit ex ea sequi.

Confirmatur argumentum. Materia hæresis, aut erroris ad fidem spectantis, debet esse res, circa quam Ecclesia sit infallibilis, seu, de qua absq; erroris periculo judicare possit: atqui Ecclesia est solùm infallibilis circa ea, quæ revelatione aut explicita, aut implicita continentur; è contrà verò falli potest circa res & facta, quæ revelatione nullo modo continentur: *Generale Concilium* (inquit Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11.) *cui Romanus Pontifex per se, vel per suos legatos præsidet, in quæstionibus facti errare potest.* Addit idem Cardinalis, Concilium sextum œcumenicum de facto errasse: *Quòd si aliquis adhuc non potest induci, ut credat corruptam esse sextam synodum, accipiat alteram solutionem, quæ est Joannis à Turrecremata lib. 2. de Eccles. cap. 93. qui docet, Patres sextæ synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione; ac proinde in eo judicio errasse. Quamvis enim Generale Concilium legitimum non possit errare, ut neque erraverit hoc sextum, in dogmatibus fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii epistolis, immeritò cum hæreticis commemorasse Honorium.*

QUÆSTIO II.

De propositione erronea.

Nr. NOn conveniunt authores, in quo præcisè posita sit erroneæ propositionis natura.

Melchior Canus lib. 12. de Locis theologicis cap. XI. docet, propositionem erroneam esse eam, quæ adversatur quidem alicui veritati Catholicæ, seu quam universa tenet Ecclesia, sed tamen qua fides non evertitur, licèt aliqua ei labes inferatur; & in hoc (inquit) propositio erronea, est opposita propositioni hæreticæ, per hanc enim Catholica fides planè subvertitur. Propter eam rationem (ait) hæc propositio, *Verbum non est consubstantiale Patri*, est propositio hæretica; ista verò, *Speciales orationes applicatæ uni personæ per prælatos, vel religiosos, non plus ei prosunt, quàm generales*, est propositio erronea.

Nonnulli theologi contendunt, propositionem erroneam esse eam, quæ repugnat veritati, quæ sequitur ex una præmissa de fide, & ex altera, quæ sit evidens. Propter eam rationem (inquiunt) hæc propositio, *Christus non est risibilis*, est erronea, quia (addunt) repugnat veritati, quæ sequitur ex hac præmissa, quæ est de fide, *Christus est homo*: repugnat quoque alteri huic propositioni, *Omnis homo est risibilis*, quæ est omninò evidens.

Alii tandem volunt, propositionem erroneam esse eam, quæ negat doctrinam communi Ecclesiæ consensu ita receptam, ut nullus pius & verè doctus de ea dubitare audeat propter affinitatem, quam in ea invenit cum doctrina fidei. Ob id (inquiunt) ista propositio: *Maria Virgo non fuit semper immunis à quolibet peccato actuali*, est erronea, quia (addunt) proximè accedit ad propositionem, quæ negat Mariam Virginem esse verè Dei matrem.

CONCLUSIO 1. Propositio erronea non est solùm ea, quæ adversatur propositioni, qua Catholica fides non evertitur. Est contra Melchiorem Canum.

Probatur. Per propositionem, qua fides Catholica non evertitur, vel Canus intelligit eam, quæ non versatur circa mysteria Trinitatis, & Incarnationis, Christi mortis, Gratiæ; vel solùm eam, quæ circa illa mysteria versatur. Si primum, propositiones de peccato originali, de justificatione, de sacramentis, ac multis aliis, quæ cum anathemate damnatæ sunt in Concilio Tridentino, non essent hæreticæ; quod est absurdum. Si secundum, solæ propositiones quæ propugnatæ sunt à Sabellianis, Arianis, Macedonianis, Pelagianis, Nestorianis, Eutychianis, Monothelitis essent hæreticæ. Sed hoc absurdum est: siquidem plures sunt propositiones, quæ licèt circa illa mysteria non versentur, tamen repugnant veritatibus, quæ a Deo, Apostolis, ac proinde Ecclesiæ, aut immediatè, aut mediatè, revelatæ fuerunt.

CONCLUSIO 2. Propositio erronea non est solùm ea, quæ repugnat veritati, quæ sequitur ex una præmissa de fide, & altera evidente per rationem naturalem.

Probatur. Propositio, quæ repugnat veritati, quæ sequitur ex una præmissa de fide, & altera, quæ est evidens ratione naturali, formaliter est hæretica; nam propter eam rationem ista: *In Christo non fuit humana voluntas*, est hæretica, & sic in sexto Concilio Generali damnata contra Monothelitas: & tamen (ajunt aliqui) non repugnat veritati, quæ sequatur ex duabus præmissis de fide, sed tantùm ex una de fide: *Christus est homo*, & ex altera, quæ evidens est ratione naturali: *Omnis homo habet humanam voluntatem*. Idem judicium ferri debet de hac alia propositione: *Petrus non resurget*; est enim formaliter hæretica, quamvis non adversetur dupli propositioni de fide, sed uni tantùm; nimirùm repugnat veritati, quæ sequitur ex hac præmissa de fide: *Omnis homo resurget*; & ex hac alia, quæ est evidens ratione naturali: *Petrus est homo.*

CONCLUSIO 3. Propositio erronea non est solùm ea, quæ negat doctrinam communi Ecclesiæ consensu ita receptam, ut nullus pius & doctus de ea dubitare audeat.

Probatur. Ea definitio non valet, quæ convenit alteri, quam definito; nempè accurata definitio debet convenire omni & soli definito: atqui ea, de qua agitur, non convenit soli propositioni erroneæ, sed præterea convenit propositioni scandalosæ; nam propositio scandalosa a nemine pio & verè docto propugnatur. Confirmatur argumentum ex eo, quòd neminem pium & doctum reperire sit, qui dubitare audeat de falsitate omnium ac singulorum articulorum, quos Concilium Constantiense adversùs Wicleffum proscripsit; & tamen omnes ac singuli illi articuli non sunt erronei, sed aliqui (ut ipsummet Concilium loquitur) sunt hæretici, alii erronei, alii scandalosi, alii blasphemi, alii piarum aurium offensivi.

CONCLUSIO 4. Propositio erronea strictè sumpta, est ea, quæ negat veritatem, quam communis Ecclesiæ consensus judicat esse mediate revelatam, quamvis Ecclesia id nondum exprefse definierit.

Probatur. Per eam definitionem propositio erronea differt ab hæretica; nimirùm hæretica negat veritatem, aut immediatè revelatam, aut mediatè solùm, sed addita solemni Ecclesiæ definitione. Differt quoque (ut subsequenti quæstione dicetur) à cæteris propositionibus damnabilibus, quas Concilium Constantiense recenset. Hinc patet, opinionem Cypriani de invaliditate baptismatis ab hæreticis collati, erroneam fuisse, antequam Ecclesia definiisset eam repugnare veritati, quæ continebatur Verbo Dei non scripto, seu traditione, quæ docebat, internas dispositiones baptizantis non nocere validitati baptismatis. Verùm post Ecclesiæ definitionem est formaliter hæretica, ut jam superiùs dictum est.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De propositionibus scandalosa, & blasphema.

CONCL. 1. PRopositio scandalosa strictè sumpta, rectè definitur: Propositio, quæ per se nata est parere spiritualem proximi ruinam, licet in ea nec error, nec hæresis apertè notari possint.

Explicatur definitio. Propositio, de qua agitur, dicitur 1. parere spiritualem proximi ruinam; hoc enim fert ipsum *Scandali* nomen, quod quidem secundùm Grammaticos non aliud significat, quam offendiculum, quod ante pedes alicujus positum, est causa, cur cadat. Dicitur 2. quòd *per se* nata sit parere spiritualem proximi ruinam; nempè *per accidens est*, hoc est ex parte subjecti petitur ratio, cur ejusmodi ruina non sequatur. Adduntur hæc verba: *Licet in ea nec hæresis, nec error apertè notari possint*; per quæ quidem verba propositio scandalosa strictè sumpta, seu, prout specialem censuræ notam continet, differt a propositione hæretica & erronea; in iis enim hæresis & error apertè notari possunt. In exemplum propositionis scandalosæ referri potest ista: *Ex auriculari confessione gravissima sequuntur incommoda*. Recenseri potest etiam hæc alia *Sanctè Mystici exclusorum à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum*; per se nimirùm inclinat animas, quæ sibi videntur esse transformatæ, ad dimittendas virtutum exercitationes.

CONCLUSIO 2. Propositio blasphema est ea, quæ aliquod aut in Deum, aut in Sanctos convicium continet.

Explicatur. Per eam definitionem propositio blasphema differt ab aliis propositionibus, quibus specifica aliqua alia censura debetur; neque enim aliæ propositiones continent convicium aut in Deum, aut in Sanctos; hoc est, nec Deo, nec Sanctis aliquid tribuunt, quod eos dedeceat, aut ab eis detrahunt perfectionem, quæ debeatur. Hinc patet, hanc propositionem ab Innocentio Papa XII. proscriptam: *Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes*; esse non solùm erroneam, sed etiam blasphemam; scilicet multùm detrahit ex perfectione, quæ Christo debetur, seu multùm est ipsi injuriosa. Patet 2. propter eandem rationem, hanc aliam propositionem, quæ primo est loco inter quinque ab Innocentio Papa X. damnatas: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*, non solùm esse temerariam, impiam, & hæreticam; sed etiam (ut idem Innocentius in sua Constitutione data Romæ anno 1653. pridie Kalendas Junii declaravit) blasphemam. Nempè Deum reddit injustum legislatorem, qui ea præcipiat, quæ justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sint impossibilia.

QUÆSTIO IV.

De propositionibus malè sonante, & piarum aurium offensiva.

CONCL. 1. PRopositio malè sonans rectè definitur propositio, quæ licet duplicem habeat sensum, unum bonum, & alium malum, absolutè tamen & sine distinctione profertur.

Explicatur. *Primò*, quatenùs propositio, de qua agitur, dicitur habere duplicem sensum, unum bonum, & alium malum, differt ab hæretica & erronea; illæ enim propositiones non habent aliquem sensum bonum, saltem qui sit obvius, hoc est, quem verba, ex quibus constant, præferant: 2. quatenus dicitur absolutè & sine distinctione proferri, differt a propositionibus, ex quibus pravus sensus excluditur, per explicationem ac restrictionem terminorum.

CONCLUSIO 2. Propositio piarum aurium offensiva, definitur propositio, quæ aliquid absonum, & subjecto, de quo fertur, indignum continet.

Explicatur. Propositio, de qua agitur, dicitur 1. offensiva *aurium*, non quidem propter sensum, quem à parte rei continet, sed propter modum, quo ille sensus exprimitur. Dicitur 2. offensiva aurium, non quarumcumque, sed *piarum*; neque enim (ut olim in Pharisæis accidit) si impii aliqua veritate offendantur, ob id propositio, quæ illam veritatem continet, dici debet per se aurium offensiva. Addendum est, eam quoque *per se*, non debere dici aurium piarum offensivam, quæ pios quidem, sed indoctos offendit; siquidem (ut observat Melchior Canus) ad ferendum judicium de aliqua propositione, consuli non debet promiscuum vulgus, licèt pietatem præseferat; sed consuli debent viri, qui cum pietate doctrinam conjunxerunt. Scilicet non rarò contingit, ut propositio, quæ piæ plebis aures offendit, viros peritos, ac sapientes non tantùm non offendat, sed etiam nec moveat. Id præsertim videre est in propositionibus, quæ ab hominibus, piis quidem, sed parùm peritis, nonnunquam admittuntur in quarumdam imaginum, aut quorumdam sanctorum cultu. Dicitur 3. nonnihil continere absonum, seu in subjectum, de quo profertur, non satis honorificum; ac per hoc patet, propositionem, de qua agitur, non tam peccare in sensu, quam in modo, quo ille sensus exprimitur; hincque colligitur, cavendum esse Theologo, cum de partu B. Mariæ Virginis loquitur, ne circumstantias explicet, quæ exprimi non possunt, nisi terminis, qui minimè deceant.

QUÆSTIO V.

De propositionibus temeraria, & seditiosa.

CONCL. 1. PRopositio temeraria, est propositio, quæ in materia fidei, aut morum profertur absque auctoritate, aut Scripturæ, aut unanimis traditionis, aut saltem aliquorum Patrum, & à fortiori, si major Episcoporum & Theologorum pars judicet, eam aut Scripturæ, aut traditioni, aut doctioribus Patribus adversari.

Probatur. Temerarium dicitur, quod absque fundamento asseritur, ac profertur in medium; sed propositio, quæ in materia fidei, aut morum profertur absque auctoritate, aut Scripturæ, aut unanimis traditionis, aut saltem aliquorum Patrum, asseritur ac profertur sine fundamento; cum (ut jam sæpiùs dictum est) non aliud sit fundamentum fidei ac morum, quam Scriptura, traditio, & Patres.

Inde verò colligitur 1. hoc Casuistarum axioma: *Honor potior est, quàm vita*; non solùm esse scandalosum & perniciosum, sed etiam temerarium; siquidem nullo, aut Scripturæ, aut traditionis, aut Patrum testimonio nititur. Colligitur 2. plures ex propositionibus, quæ circa cultum Deo debitum, charitatem exhibendam proximo, homicidium vitandum, a recentioribus prolatæ sunt in medium, esse temerarias; nempè, ne minimo quidem, aut Scripturæ, aut traditionis fundamento nituntur, sed levissimis tantùm ratiunculis. Ejusmodi verò sunt eæ omnes, quas Alexander Papa VII. & Innocentius XI. publicis decretis damnarunt.

Quæres, utrùm quælibet propositio temeraria sit hæretica, aut erronea; & vicissim, utrùm omnis hæretica, aut erronea, sit temeraria?

Resp. ad primum negativè. Ratio est, quia propositio

positio hæretica (ut supra dictum est) est ea, quæ contradictoriè opposita est veritati expresse, revelatæ; erronea, quæ opposita est veritati implicitè tantum revelatæ, seu, quæ per argumentationem (secluso solemni Ecclesiæ judicio) expressè revelata colligitur : ac qui qualibet propositio temeraria non est ejusmodi; nempe nonnullæ sunt propositiones temerariæ , quæ respiciunt facta, quæ multò post Apostolorum ætatem contigerunt; ac proinde, quæ,cum propter eam rationem revelata non fuerint, non possunt (ut supra dictum fuit) esse hæresis , aut erroris ad fidem pertinentis materia.

Resp. ad 2. omnem propositionem formaliter hæreticam, seu, quæ adversatur veritati, quæ explicitè & immediatè Dei Verbo , sive scripto , sive tradito ,continetur, aut quæ per solemne Ecclesiæ judicium declarata fuit eo contineri , semper esse temerariam: non enim major temeritas fingi potest , quam quæ aut expresso Dei verbo , aut apertæ definitioni Ecclesiæ contradicit.

Resp.Iterùm ad eandem propositæ quæstionis partem, quamlibet propositionem erroneam , non semper esse temerariam: nempè licèt veritas, cui opposita est, sit mediatè & implicitè revelata ; nonnunquam tamen multi sunt , & quidem primi ordinis Doctores, qui negant eam veritatem , cui opponitur ea, quam defendunt, esse, etiam mediatè, revelatam. Id videre est in quæstione de baptismo ab hæreticis dato, & in quæstione de visionis beatificæ dilatione usque ad corporum resurrectionem: eæ enim quæstiones ante Ecclesiæ definitionem, non ultimos , sive pro affirmativa parte, sive pro negativa, patronos habebant , ac proinde propositionibus, quæ de eis proferebantur , tunc temeritatis nota inuri non poterat.

CONCLUSIO 2. Propositio seditiosa , est ea, quæ per se apta est parere seditionem.

Evidens est ea definitio ex ipsa nominis etymologia. Contendunt aliqui, propositionem seditiosam,nisi aliundè opponatur doctrinæ fidei, vel morum, vel disciplinæ , non videri inter censuras theologicas comprehendi debere , licet ab Ecclesia prohiberi possit. Volunt alii eo sensu illam inter theologicas notas comprehendi, quòd ad scandalosam propositionem reducatur : nempè (ajunt) seditio, ad quam illa propositio movet, contingere non potest absque spirituali multorum ruina, & plurium peccatorum lethalium commissione.

QUÆSTIO VI.

De propositionibus , suspecta de hæresi , sapiente hæresim , hæresi proxima.

CONCL. 1. Propositio suspecta de hæresi rectè definitur, propositio,quæ multa cum probabilitate judicatur hæretica.

Explicatur definitio. *Primò*, propositio,de qua agitur, judicatur *hæretica* , hoc est, contradictoriè opposita veritati , quæ aut explicitè & immediatè revelata est, aut si implicitè tantùm & mediatè , ab Ecclesia solemni judicio declarata fuit revelata. *Secundò*, judicatur hæretica *cum probabilitate* , id est, ex hæretica infertur per argumenta , quæ licèt certitudinem moralem generent , non excludunt tamen omne dubium; unde propositio,de qua est quæstio , non potest dici absoluté hæretica, sed tantùm suspecta de hæresi. *Tertiò*, judicatur hæretica cum multa probabilitate: neque enim aliqua propositio propter levem probabilitatem , cum fundamento adduci debet in hæresis suspicionem : æquitati nimirùm repugnat, ut propter leve fundamentum, tam gravis censura alicui propositioni inuratur : gravis autem fundamenti nomine hìc intelliguntur rationes petitæ ex scriptura & traditione , quæ non unum , & alterum tantùm doctorem ad assensum moveant , sed ingentem magistrorum numerum , paucis exceptis, determinent.

CONCLUSIO 2. Propositio,quæ sapit hæresim, definitur, propositio,quæ multò majori cum probabilitate, quam suspecta de hæresi , judicatur hæretica .

Explicatur definitio.Probabilitas gradus quosdam habet, seu major est , vel minor pro majori , vel minori pondere rationum, quibus nititur : igitur quando magna est probabilitas,quòd aliqua propositio sit hæretica, tunc (ut conclusione præcedenti dictum est) constituitur propositio suspecta de hæresi : quando autem est maxima probabilitas, seu vehemens suspicio , tunc constituitur propositio sapiens hæresim,quia ea quæ per gustum exploramus, nobis magis certa sunt, quam quæ per solùm intellectum suspicantem attingimus. Hinc igitur patet, idem fundamentum , sed sumptum secundùm diversos gradus, constituere propositionem , aut quæ de hæresi suspecta sit , aut quæ sapiat hæresim.

Quæres, an, ut propositio dicatur suspecta de hæresi, aut hæresim sapere, attendenda sit conditio scriptoris, in quo reperitur; seu utrum habenda sit ratio sectæ, cui scriptor nomen dedit , an verò propositio in se sola considerari debeat?

Respondent nonnulli, propositionem, ut ei inurantur censuræ de quibus est quæstio , considerari debere in se ipsa , & independenter à sensu,quem author in libro, in quo propositio continetur , sibi proponere potuerit.

Respondet Melchior Canus lib. 12. de Locis Theologicis, cap. XII. attendi debere conditionem proferentis, seu ut suspicio de hæresi alicui propositioni inuratur, attendendum esse ad mentem scriptoris, à quo prolata fuit in medium. Melchiori Cano hac in parte subscribimus, eò quòd suspicio , sapor, ex adjunctis desumantur ; iis enim adjunctis seu circumstantiis nititur probabilitas, propter quam propositio, aut sapit hæresim ,aut in hæresis suspicionem adducitur .

Ex postrema illa responsione colligendum est 1. attendi debere ad conditionem , & fidem proferentis , si propositio,quæ suspecta est de hæresi,aut quæ sapit hæresim, consideretur in ordine ad puniendum , vel absolvendum proferentem. Ratio est , quia dubium est in eo casu,an propositio prolata fuerit in hæretico sensu;illud autem dubium solvi non potest, nisi ex statu,& conditione proferentis, seu si proferens sit hæreticus, moralis erit certitudo , quòd in sua propositione sensum hæreticum intellexerit: Hinc ista propositio: *Non oportet Eucharistia sacramentum solenni ritu per vias publicas circumferre*, in ore Lutherani , qui negat Christum esse in Eucharistia corporaliter præsentem extra actualem illius usum, aut in ore Calvinistæ, qui contendit Christum ne in ipso quidem actuali usu, Eucharistia substantialiter contineri , esset hæretica : è contra suspecta non esset in ore Catholici, qui timeret , ne propter aliquam peculiarem circumstantiam debita reverentia sanctissimo Sacramento per vias publicas delato non exhiberetur . Sic etiam hæc alia : *Una natura Dei Verbi incarnata* ,est hæretica cùm profertur ab Eutychianis ; ea nimirùm significare intendunt, unam tantùm esse in Christo naturam post unionem: cùm è contra sit Catholica , cum a viro Catholico profertur ; nam in illius mente significat non duas, sed unam tantùm personam, Verbi nimirùm, esse in Christo. Sic denique hæc alia : *Unus è Trinitate passus est*, quæ tot olim turbas movit , in Ecclesia non est suspecta de hæresi , cum à Catholico profertur , cum è contra certò sit hæretica in sensu Eutychianorum, in quo eam Hormisda Papa proscripsit .

Collegendum est 2. attendi debere ad antecedentia ; & consequentia , si sit quæstio de propositione , quæ in aliquo

aliquo libro continetur. Quamvis enim secundùm terminos, quibus constat, & separata a restrictione, quæ illam in eo libro aut præcedunt, aut subsequuntur, sit aliquando non solùm de hæresi suspecta, sed etiam certò hæretica; nihilominus poterit esse sana in sensu authoris, seu habita ratione connexionis, quam in libro, quo continetur, habet cum antecedentibus & consequentibus.

CONCLUSIO 3. Propositio hæresi proxima definitur ea, quam major & sanior doctorum pars ex Scriptura & traditione judicat esse hæreticam, licèt non audeat eam dicere simpliciter hæreticam, quòd aliqui non infimi nominis theologi contendant, ipsi censuram hujusmodi inuri non debere.

Ex ea definitione patet, propositionem hæresi proximam idem esse omninò cum propositionibus suspecta de hæresi, sapiente hæresim; non enim aliud dicit, quam summam probabilitatem, quòd revera sit hæretica.

Quæres, an propositiones suspectæ de hæresi sapientes hæresim, hæ est proximæ, semper certò mereantur aliam censuræ speciem?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia ejusmodi propositiones semper sunt temerariæ, & nonnunquam etiam scandalosæ, cum semper multùm sit probabile, eas contradictoriè oppositas esse veritati, quam tenet Mater Ecclesia.

QUÆSTIO VII.

De propositionibus improbabili, & damnabili.

CONCL. 1. Propositio improbabilis est ea, quæ nullo Scripturæ, aut traditionis, aut rationis theologiæ fundamento nititur.

Explicatur. Probabilitas in rebus, quæ ad fidem, aut mores spectant, non nascitur, nisi ex argumentis, quæ petuntur, aut ex Scriptura, aut ex traditione, aut rationibus theologicis: ergo propositio, quæ ejusmodi argumentis non nititur, rectè dicitur improbabilis.

Quæres, utrum improbabilitas sit species censuræ, quæ a temeritate distincta sit?

Respondent nonnulli negativè; nimirùm (inquiunt) propositio, quæ nec Scriptura, nec traditione nititur, est nova; ac proinde in rebus, quæ ad fidem, aut mores spectant, est semper falsa ac temeraria; nempe (ut supra dictum est) omnes veritates, quæ ad fidem, aut mores spectant, Apostolis, saltem implicitè, revelatæ sunt; ac proinde quod est novum, semper est falsum, ac temerarium.

Respondent alii theologi, improbabilitatem esse censuram specie distinctam a temeritate; nam (aiunt) temeritas, non tantùm in propositione dicit defectum argumentorum, quibus nitatur; sed præterea dicit positiva argumenta, quibus impugnetur. Priori sententiæ adhæremus.

CONCLUSIO 2. Propositio damnabilis est ea, quæ prohiberi debet, abstrahendo a speciali censura, qua affici potest.

Ex ea definitione patet 1. propositionem damnabilem differre a propositionibus, quibus specialis censura jam inusta est; hæc enim abstrahit a qualibet censura, quæ jam inusta fuerit: patet 2. propositionem damnabilem se habere per modum generis respectu omnium propositionum, quibus aliqua censura debetur.

Quæres 1. quas ob causas aliqua propositio dici possit damnabilis?

Resp. dici posse damnabilem 1. quoties fundamentum est ei inurendi aliquam ex censuris, quæ in hac dissertatione relatæ sunt, 2. Cum ea propositio inurit censuram alteri propositioni, quæ licèt falsa sit, non meretur tamen censuram: Hujusmodi est hæc, quæ in Pii Papæ V. bulla, quæ incipit: *Ex omnibus*, numero 22. legitur: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciant, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*. 3. Cum aliqua propositio injuriosè rejicit oppositam, licèt falsam, ut videre est in ista, quæ in laudata Pii V. bulla, numero 30. legitur: *Fures sunt & latrones, qui docent, tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut ab ea non superetur*. 4. Cum propositio detrahit famæ alicujus; nam propter eam rationem, libri famosi jure, ac meritò ab Ecclesia proscribuntur.

Quæres 2. quid per adverbium *respectivè*, significetur, cum reperitur in decreto, in quo dicitur has, & illas propositiones esse *respectivè*, hæreticas, erroneas, temerarias, scandalosas, perniciosas, blasphemas, &c.

Resp. eum loquendi modum, quem Summi Pontifices mutuati sunt ex Concilio Constantiensi, significare, aliquam ex recensitis notis afficere unamquamque ex propositionibus disjunctivè; ita ut nulla sit, in quam non cadat una saltem ex notis, quæ in condemnationis decreto referuntur.

Quæstionibus de propositionum censuris addenda est prohibitio Innocentii Papæ XI. quæ legitur in decreto, quo 65. propositiones ad moralem spectantes proscripsit, sic autem habet ea prohibitio: *Tandem ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu scholastici, aut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci & charitati consulatur, idem sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quàm in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni censura & nota, nec non à quibusvis conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec à S. Sede recognita, super iisdem propositionibus judicium proferatur.*

DISSERTATIO SEXTA.

De Theologia partibus.

Magister Sententiarum totum suum opus theologicum in quatuor libros partitur. Libro primo agit de Deo, & quidem in primis de SS. Trinitatis mysterio. Libro secundo disserit de Angelis, de creatione hominis, ac illius lapsu. Libro tertio agit de Christo hominis lapsi redemptore. Libro quarto tractat de Sacramentis, quibus Christi redemptoris sanguis hominibus per peccatum vulneratis, ad sanitatem & vitam applicatur.

S. Thomas suam Summam theologicam in tres partes dividit. In prima parte agit de Deo Uno, Trino, Creatore. In secunda, de Deo ultimo fine, nec non de mediis, quibus creatura rationalis, aut ad illum finem perduci, aut ab eo averti potest, virtutibus nimirùm & vitiis. In tertia denique de Deo Salvatore & Sacramentis ab eo institutis. Ea methodo S. Doctor complexus est omnia, quæ ad Deum, qui (ut suo loco fuit dictum) est objectum theologiæ, sive in se, sive extra se consideratum, referuntur.

Ab eo S. Doctoris ordine non discrepat is, quem in hisce Institutionibus sequimur. Octo scilicet erunt illarum partes. Prior ea complectitur, quæ ad Deum unum spectant; altera, quæ ad Deum Trinum; tertia, quæ ad Deum mundi Creatorem; quarta, quæ ad Deum incarnatum; quinta, quæ ad Deum authorem gratiæ; sexta, quæ ad Deum authorem legum; septima, quæ ad Deum ultimum finem; octava denique; quæ ad Deum authorem Sacramentorum.

Octo igitur existunt harum Institutionum Theologicarum partes.

I. DE DEO UNO.
II. DE DEO TRINO.
III. DE DEO CREATORE.
IV. DE DEO INCARNATO.
V. DE DEO AUTHORE GRATIÆ.
VI. DE DEO AUTHORE LEGUM.
VII. DE DEO ULTIMO FINE.
VIII. DE DEO AUTHORE SACRAMENTORUM.

Verùm cum in dissertatione præcedenti designati fuerint fontes, ex quibus hauriri debet theologia, par est, ut nunc disseramus de mediis, quibus scientiam illam adipiscamur in terris, quæ (ut scribit Hieronymus ad Paulinum) nobiscum perseveret in cœlis.

Ea verò media ad theologiam acquirendam necessaria, plura sunt. Necesse nimirùm est *primò*, ut concupiscentiæ refrænentur. Ratio est, quia corrupti mores intellectum ita excœcant, ut in iis, in quibus creaturarum amor dominatur, non rarò dicat bonum malum, & malum bonum. Impediunt quoque, ne mens attendat ad rationes, quibus damnatur objectum, cui corrupta voluntas inhæret; imò efficit, ut totus sit in perpendendis quibusdam ratiunculis, quibus honestum & licitum probetur, quod placet voluntati. Vnde notum est illud adagium: *Vnusquisque judicat, prout est affectus*. Sic (inquit in suis thesibus anni 1685. pius quidam & doctus theologus) Pharisæi, quòd essent avari, de eleemosynæ præcepto malè sentiebant, irridebantque Christum de eo differentem ad veritatis normam. Cum superbia in eis dominaretur, humilem Salvatoris doctrinam de non ambiendis primis cathedris, nec capere, nec ferre poterant. Sic (prosequitur idem author) de sobrietate rectè sentire non solent potatores, nec de castitate libidinosi, nec de necessitate divinæ vocationis ambitiosi, nec de religiosa paupertate proprietarii, nec denique de bonorum ecclesiasticorum dispensatione, beneficiorum accumulatores: *Excœcavit eos enim* (ait Scriptura Sapientiæ 2.) *malitia eorum*. In iis locum habet illud Augustini: *Lege infatigabili spargit Deus pœnales cæcitates super illicitas cupiditates.*

Necesse est *secundò*, ut theologiæ studio incumbens, charitate flagret, saltem inchoata; nam (ut sæpè ait Augustinus) *non intratur in veritatem, nisi per charitatem. Per charitatem pervenitur ad plenitudinem scientiæ. Si ergo in charitate profeceritis, quam diffundit in cordibus Spiritus Sanctus, docebit vos omnem veritatem.*

Necesse est *tertiò*, ut theologiæ candidatus humili vacet orationi; scilicet oratio confert in primis ad cognitionem rerum divinarum, de quibus theologia tractat. Hinc Psalmista divinam illam scientiam sæpiùs à Deo postulat: *Illumina* (inquit) *oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Hinc ipsa etiam Ecclesia in suis orationibus sæpiùs per annum à Deo petit, ut fideles, *quæ agenda sunt videant, & ad implenda, quæ viderint, convalescant. Vt terrenis affectibus mitigatis, faciliùs cœlestia capiamus. Vt cogitemus te inspirante, quæ recta sunt, & te gubernante, eadem faciamus*. Inde verò colligitur, quantùm aberrent ii theologi, qui sibi videntur terere tempus, quod impenderint orationi; quasi verò inutile sit, ac noxium illud Jacobi monitum, Epistolæ Canonicæ cap. 1. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.*

Necesse est *quartò*, ut theologus in diligenti studio, quod debet adhibere, rectum sibi finem proponat, suam scilicet & proximi salutem; nec ex iis sit de quibus Bernardus serm. 36. in Cantica sic loquitur: *Sunt qui scire volunt, ut sciant, & turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, & turpis vanitas est. Et sunt item qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, verbi causa pro pecunia, pro honoribus, & turpis quæstus est*. Dare contrà debet operam, ut ex iis sit, de quibus idem S. Pater hæc habet: *Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificentur, & prudentia est.*

Necesse est *quintò*, ut theologus in iis inprimis det operam, quæ ad suam & proximi salutem magis conferunt: *Quid est autem* (ait loco proximè laudato idem Bernardus) *sapere ad sobrietatem? Vigilantissimè observare, quid scire magis priusve oporteat. Tempus enim breve est. Est autem quod in se est, omnis scientia bona, quæ tamen veritate subnixa sit; sed tu, qui cum timore & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire priùs, ampliùsque curato, quæ senseris viciniora saluti.*

Sed jam tempus est, ut Prolegomenis nostris finem imponamus, ac operi proposito admoveamus manum; lectorem interim admonentes; ut si quid, vel in hocce priore tomo, vel in sequentibus reprehensione dignum notaverit, illud pro indicto, a me jam haberi sciat, præsertim, si utique invito, exciderit, quod S. Romanæ Ecclesiæ fidei adversetur.

Institutionum Theologicarum Prolegomenôn Finis.

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PARS PRIMA.

De Deo uno.

HÆc prior Institutionum Theologicarum pars plures continebit Dissertationes, in quibus agetur de Dei Existentia, Essentia, Attributis tum in genere, tum in specie.

DISSERTATIO PRIMA.

De Dei Existentia.

DEi nomine intelligitur ens perfectissimum à quovis alio independens, cæterorum omnium causa & origo.

Quæremus hic 1. utrum entis hujusmodi existentia demonstrari possit: 2. an reipsa demonstretur: 3. an hæc propositio, *Deus est*, sit per se nota: 4. utrum Dei existentia ignorari possit: 5. an unus, aut plures sint Dii.

QUÆSTIO I.

Utrum Dei existentia demonstrari possit.

Not. 1. DEmonstratio definitur à Logicis: Syllogismus constans tribus propositionibus certis ac evidentibus, quarum ultima ex prioribus ita necessariò sequitur, ut illis admissis, intellectus isti dissentire non possit: hujusmodi est hoc argumentum: Totum est majus sua parte: atqui corpus est aliquod totum respectu manus: ergo corpus est majus manu.

Not. 2. Demonstratio dividitur in demonstrationem à priori, & in demostrationē a posteriori: prior fit per causas rei, quæ demonstratur, posterior fit per illius effectus.

CONCL. 1. Existentia Dei non potest à priori demonstrari.

Probatur. Ex observatis, illud à priori demonstrari non potest, quod non potest demonstrari per causas: atqui existentia Dei non potest per causas demonstrari: 1. non per causam efficientem; cum enim, ex dictis, Dei nomine intelligatur ens a se, seu a quovis alio independens, non potest habere causam efficientem, a qua suum esse receperit: 2. non per causam finalem, quippè Deus, cum sit ens perfectissimum, ad aliud referri non potest: 3. nec per causas materialem & formalem; scilicet idea entis perfectissimi importat summam simplicitatem, ac proinde excludit a Deo compositionem ex materia & forma.

Objicies. Ideò asseritur, Dei existentia non posse demonstrari a priori, quòd nullam omnino habeat causam: sed ea ratio nulla est, si quidem habet pro causa saltem virtuali ipsius Dei essentiam; nam illud habet Dei essentiam pro causa saltem virtuali, quod sequitur ab essentia tanquam a radice; sed existentia Dei sequitur ab illius essentia tanquam a radice; quod sic ostenditur. Illud sequitur ab alio tanquam a radice, quod ex eo tanquam aliquo medio potest per discursum necessarium inferri; atqui ex essentia Dei, illius existentia tanquam ex medio potest per discursum inferri, hoc scilicet argumento: *Essentia Dei dicit ens, quo nullum perfectius potest excogitari: atqui ens hujusmodi includit existentiam, alioquin posset excogitari aliquod ens illo perfectius, ens nimirum, quod haberet existentiam*: Ergo ex essentia Dei tanquam ex medio, existentia per discursum necessarium inferri potest.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ad 3. & 4. neg. min. Ad 5. concesso toto argumento, nego conseq. Ratio est, quia radix, medium, debent esse, saltem per operationem intellectus, aliquid distinctum ab eo, quod ex eis sequitur: at Dei essentia, nequidem per operationem mentis, distinguitur ab illius existentia, cùm ens à se, ut est Deus, concipi non possit sine existentia: Unde hæc propositio, *Deus est ens à se: ergo existit*, se habet sicut hæc alia: *Petrus est homo: ergo est animal mente præditum*: non enim magis Dei essentia concipi potest sine existentia, quam homo sine animali, quod sit mente præditum: hinc fit ut hæc propositio, *Deus existit*, non sit illatio, sed explicatio istius, *Deus est ens à se.*

CONCL. 2. Existentia Dei potest demonstrari a posteriori.

Probatur, Ex iis, quæ observata sunt, illud potest demonstrari a posteriori, quod potest demonstrari per suos effectus: atqui existentia Dei potest demonstrari per suos effectus, nempè per creaturas, quæ, ut dicetur inferiùs, habent necessariam cum Deo connexionem; ita ut revera non existerent, si a Deo productæ non fuissent.

Objicies 1. Essentia Dei non potest demonstrari: ergo nec illius existentia; est enim ita idem cum essentia, ut ne per mentem quidem ab ea distingui possit.

Resp. dist. ant. Essentia Dei non potest demonstrari, quid & qualis sit, conc. ant. quòd sit, nego ant. dist. pariter conseq. ergo nec existentia quid & qualis sit, conc. conseq. quòd revera sit, nego conseq. Sensus hujus propositionis, *Deus existit*, non est, quòd Deus sit hoc vel illud, id enim est prorsùs indemonstrabile; sed quòd aliqua vera existentia Deo conveniat.

Objicies 2. Demonstratio procedere debet ex necessariis: in hoc enim differt ab opinione, quæ ex probabilibus oritur: atqui effectus Dei non sunt aliquid necessarium; quælibet nimirùm creatura est contingens, quia potuit esse & non esse: ergo Dei existentia demonstrari

non potest ex effectibus.

Resp. neg min. ad cujus probationem dist. ant. Creatura est ens contingens quoad suum esse, conc. ant. quoad dependentiam, nego ant. Esse creaturarum est absolutè contingens, quia nulla est creatura, quæ non potuerit non existere, nempè Deo liberum fuit illius non existentiam decernere, quemadmodum decrevit existentiam; sed dependentia non est contingens, ex suppositione enim quòd existat aliqua creatura, impossibile est, quòd non sit dependens à Deo.

Objicies 3. Quod est objectum fidei, non potest demonstrari, quia scientia cùm sit essentialiter evidens, stare non potest cum fide, quæ essentialiter est obscura: sed existentia Dei est objectum fidei, dicente Apostolo: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*: ergo existentia Dei non potest demonstrari, etiam a posteriori.

Resp. dist. maj. Non potest demonstrari remanendo objectum fidei, conc. maj. non remanendo objectum fidei, neg. maj. Deinde concessa min. dist. conseq. Existentia Dei non potest demonstrari remanendo objectum fidei, conc. cons. non remanendo objectum fidei, neg. cons. Apostoli locus intelligitur de fide secundùm animi præparationem, ita ut quisque debeat esse paratus ad credendam existentiam Dei, si ipsi per demonstrationem non innotesceret.

Quæres, num hæc propositio: *Dei existentia potest ex creaturis demonstrari*, ita sit certa, ut sententiæ neganti aliqua censura debeatur?

Resp. affirmativè. Ratio est, 1. quia sententia negans, expresse adversatur sacris paginis. Sapientiæ 13. vani dicuntur homines, qui Deum ex ipsius operibus non potuerunt intelligere: eo quòd *à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Job 12. hæc habentur: *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Ejusdem libri cap. 36. hæc leguntur: *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul.* Paulus ad Rom. 1. sic loquitur: *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque virtus ejus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Eadem negans sententia adversatur unanimi Patrum consensui: *Ex universitatis ordine ac consensu* (ait Athanasius libro contra Gentiles) *Principem & administratorem intelligi necesse est Deum.* Hæc etiam habet Gregorius Nazianzenus orat. 4. *Ac nimis profectò hebes & stolidus est, qui non huc usque*, Dei existentiam, *progreditur: naturaliumque demonstrationum vestigia sequitur.* Eodem modo loquuntur alii Patres, ut proximè sequenti quæstione videre est.

Dices, laudata tum Scripturæ, tum Patrum loca non intelligi de cognitione, quæ naturæ viribus haberi possit, sed de ea, ad quam opus sit auxilio gratiæ; demonstratio autem fieri debet solius naturæ viribus.

Sed contra est. 1. Falsum est, ea loca intelligi de cognitione, ad quam opus sit auxilio gratiæ, tum quòd Dei cognitio ex creaturis maximè sit proportionata cum debilitatis per peccatum naturæ viribus; neque enim ita exexcatus fuit intellectus, ut ex effectu existentiam causæ colligere non valeat: tum quòd a laudatis Patribus stultitiæ arguantur, qui eam cognitionem ex creaturis non hauriunt: stultus tamen quis non dicitur, quòd ea ignoret, quæ nemo naturæ viribus assequi potest. 2. Ex eo quòd auxilium gratiæ supponatur necessarium ad demonstrationem, de qua est quæstio, malè colligitur, eam demonstrationem haberi non posse; nec enim in ea suppositione auxilium gratiæ requireretur tanquam medium, ex quo inferretur Dei existentia, sed tanquam principium, quo mens adjuta conciperet connexionem necessariam, quam creaturæ existentes habent cum existentia Dei: unde licet ea demonstratio esset supernaturalis secundùm modum, foret tamen naturalis secundùm substantiam.

QUÆSTIO II.

Utrum Dei existentia reipsa demonstretur.

Not. 1. Varias rationes adhibent Scholastici, ut Dei existentiam contra Atheos demonstrent: nonnullas etiam alias legere est in sanctis Patribus. Utrasque hac in quæstione explicabimus.

Not. 2. Scholastici priorem rationem pro Dei existentia desumunt ex motu, ex eoque colligunt existentiam entis omninò immobilis. Alteram sumunt ex causa efficiente, ostenduntque dari primam omnium rerum causam. Tertiam petunt ex contingenti & necessario, seu ex eo, quòd detur contingens, S. Thomas colligit dari ens necessarium & a se. Quartam sumunt ex finito & infinito, id est, ex existentia finiti concluditur existentia infiniti.

Not. 3. Motus est triplex, ad substantiam, ad locum, ad qualitatem. Prior contingit, cùm non ens transit ad esse, aut cum forma in aliam mutatur. Alter est acquisitio aut amissio alicujus loci. Tertius fit per acquisitionem, aut amissionem qualitatis, seu, modi essendi, ut cum manus ex calida fit frigida.

Not. 4. Nomen motus, quo hic utitur S. Thomas, complectitur triplicem illam motus speciem, ita ut tam ex una, quam ex alia, Dei existentia necessariò & evidenter colligatur.

Prima demonstratio sumpta ex motu.

Existit primum movens omnino immobile: Atqui primum movens omnino immobile est Deus: Ergo Deus existit. Minor propositio est evidens, nam Dei nomine intelligitur ens, quod omnes omnino habet perfectiones possibiles: atqui primum movens omnino immobile habet omnes perfectiones possibiles: si enim aliqua ei deesset, ad eam posset moveri, seu posset eam acquirere: aut si habens omnes, aliquam posset amittere, posset moveri ab illa qualitate ad ejus privationem.

Itaque probatur maj. propositio. Datur motus tum ad substantiam, tum ad locum, tum ad qualitatem, ut experientia patet: ergo datur primum movens omnino immobile. Probatur conseq. Non datur motus, nisi detur illius causa, quia quilibet effectus supponit causam, à qua oriatur. Sed causa illius motus est primum ens immobile: Ergo si detur motus, datur primum ens immobile. Probatur min. Motus ille non est a re ipsa, quæ movetur, quia quidquid movetur, ab alio movetur: ergo ab aliquo ente immobili, quod quidem Deus est ipse, ut superiùs dictum est.

Respondebis 1. Falsum esse illud axioma: *Quidquid movetur, ab alio movetur*: idque patet in humana voluntate, quæ seipsam, ex Molinæ discipulis, movet ad actus sibi proprios.

Sed contra est. 1. Si quid seipsum moveret, esset secundùm idem simul in potentia & in actu: in potentia quidem, quatenùs posset recipere motum, quem supponeretur non habere; in actu etiam, quia, ut supponitur, seipsum moveret. Sed implicat, quòd idem secundùm idem, seu, secundùm eandem qualitatem v. g. simul sit in potentia & in actu: nam quod simul est in potentia & in actu ad eandem qualitatem, eam habet & non habet simul; quod quidem contradictionem involvit. 2. Humana voluntas, quæ seipsam movet ad actus liberos, ab alio, à Deo nempe, accepit potentiam, qua seipsam movet ad actus liberos; ac proinde virtualiter ab alio

mo-

movetur. In casu autem, de quo est hic quæstio, seu in casu quòd non existat primum ens movens & immobile voluntas a nullo alio accepisset potentiam, qua sese moveret. Præterea, dato quòd anima per acceptam a Deo potentiam sese moveat ad actus, qui tendunt ad finem, seipsam tamen non movet ad primam volitionem, quæ est circa finem ipsum, seu ad primam intentionem finis, cum illa prima intentio sit actus necessarius & indeliberatus; ac proinde ipsius etiam animæ, ac cujusvis alterius potentiæ liberæ respectu, valet, axioma: *Omne, quod movetur, ab alio movetur.*

Respondebis 2. Dato, quòd valeat axioma. *Omne quod movetur, ab alio movetur*, non sequi quod tandem necesse sit devenire ad primum ens movens immobile: nam res, quæ est in motu, movetur ab alia, & hæc alia etiam ab alia, & sic de cæteris in infinitum.

Sed contra est. Si in causis moventibus & motis daretur progressus in infinitum, nullus revera hic & nunc fieret motus; quod sic ostenditur: Ut fiat motus, causæ moventes debent attingere eam, quæ hic & nunc movetur. v. g. charta, quæ hic & nunc movetur, debet impelli ab alia, quæ ipsam attingat. Atqui causæ moventes, ex suppositione quod detur progressus in infinitum, nunquam attingerent eam, quæ hic & nunc movetur: ut enim eam attingerent, infinitum deberet pertransiri, multitudo nempe causarum, quarum sic progressus in infinitum, id est, quarum una ita movetur ab alia, ut ista ab alia, & sic de cæteris in infinitum ab aliis moveatur: atqui infinitum pertransiri non potest, cum finem non habeat: ergo, &c.

Secunda demonstratio desumpta ex causa efficiente.

Prima causa efficiens, est Deus: Atqui existit prima causa efficiens: Ergo existit Deus. Major propositio constat: nam prima causa efficiens non est producta ab alia, ac proinde habet esse a seipsa, & independenter a quavis alia: quod autem est ens a se & independens ab alio, est Deus.

Itaque probatur minor. Dantur plurima entia in natura: Sed illa entia supponunt primam causam efficientem: ergo datur prima causa efficiens. Probatur minor propositio. Illa entia non pendent a causis sese invicem efficientibus in infinitum, quia ut superiùs ostensum est, in causis motis, & moventibus dari non potest progressus in infinitum: pendent igitur ultimò a causa, quæ ab alia effecta non fuerit, ac proinde quæ sit improducta, seu quæ habeat esse a semetipsa, & independenter a quavis alia. Hinc patet, non multùm a præcedenti differre hanc secundam rationem S. Thomæ.

Tertia demonstratio petita ex contingenti, & necessario.

Ens summè necessarium, seu, cui repugnat non existere, est Deus: Atqui datur ens summè necessarium: Ergo datur Deus. Major patet, quia ens, cui repugnat non existere, debet esse a se, improductum, independens.

Minor verò, in qua sita est difficultas, sic ostenditur. Non omnia quæ existunt, sunt contingentia: ergo datur aliquod ens summè necessarium. Probatur ant. Si omnia quæ existunt, sint contingentia, potuerunt existere aut non existere; contingens enim definitur, quod potest esse aut non esse: Atqui omnia quæ existunt, non potuerunt existere, aut non existere: ergo non omnia sunt contingentia.

Probatur minor. Si quæcunque existunt, potuerint non existere, supponi posset, quod reverà nihil existat: illa enim suppositio nullam implicat contradictionem, cùm possibile sit, contingens non existere: atqui si supponatur, quod nullum ens existat, nullum ens erit possibile, sicque mundus erit omnino impossibilis: Ergo omnia quæ existunt, non potuerunt existere; aut non existere. Probatur minor. Ut non ens sit possibile, debet habere causam, a qua produci possit: sed in casu supposito, non ens nullam haberet causam, a qua produci posset: ergo nullum ens est possibile.

Probatur min. Non ens 1. non haberet semetipsum pro causa, quia res non potest esse causa sui ipsius, seu, cum non habeat esse, illud sibi dare non potest. Non ens 2. non haberet pro causa ens aliquod, cum suppositum fuerit, nullum omnino ens existere: ergo nullum omnino ens esset possibile. Recurrendum est igitur ad aliquod ens necessarium, a quo entia contingentia habeant suum esse; illud autem ens necessarium, est Deus: ergo Deus existit.

Quarta ratio desumpta ex finito & infinito.

Ens simpliciter infinitum est Deus, quia continet omnes omninò perfectiones: atqui existit Deus. Probatur min. Existit ens finitum, ut ipsis etiam oculis patet: ergo existit ens infinitum. Probatur conseq. Ens finitum non potest esse sui ipsius causa efficiens: ergo debet produci ab ente infinito.

Respondebis, ens infinitum accipere suum esse ab alio ente finito, & istud ab alio, ita ut sit finitorum series infinita.

Sed contra. Illa infinita series finitorum implicat contradictionem; quod sic ostenditur: Quod simul esset divisibile, & indivisibile, implicat contradictionem: atqui illa infinita series finitorum esset simul divisibilis & indivisibilis: ergo implicat contradictionem. Probatur min. 1. Illa series esset divisibilis; nam quodlibet totum potest dividi in partes, ex quibus constat: 2. Esset indivisibilis, nec enim dividi posset in partes infinitas: nam illæ partes infinitæ, essent æquales suo toti; quod repugnat, cùm non detur infinitum infinito majus: non posset quoque dividi in partes finitas, quia partes finitæ, quantumcunque multiplicentur, non possunt constituere compositum infinitum, ut in suppositione, quam confutamus, esset infinita actu series finitorum.

Quinta demonstratio desumpta ex vi mentis, quæ judicat de bonitate, pulchritudine, veritate rerum.

Bonitas, pulchritudo, veritas infinitæ sunt Deus: atqui dantur ejusmodi bonitas, pulchritudo, veritas: ergo datur Deus.

Probatur min. Mens nostra judicat de bonitate, de pulchritudine, de veritate rerum: judicat quoque, quænam inter res sint meliores, sint pulchriores, sint veriores: judicium illud non se extendit modò ad res sensibus subjectas, sed etiam ad spirituales, & ad ipsas etiam animas: judicamus nimirum non tantùm de pulchritudine unius corporis, præ pulchritudine alterius, non tantùm de pulchritudine colorum, præ pulchritudine sonorum; non tantùm de pulchritudine scientiarum, præ pulchritudine artium; non tantùm de pulchritudine virtutum, præ pulchritudine scientiarum; sed etiam de pulchritudine mentium & intelligentiarum, præ pulchritudine aliarum mentium, & aliarum intelligentiarum: atqui judicium illud supponit existentiam bonitatis, pulchritudinis, veritatis infinitæ: ergo dantur ejusmodi bonitas, pulchritudo, veritas.

Probatur min. Illud judicium supponit existentiam alicujus regulæ, ad quam feratur: non enim aliud alio potest dici aut melius, aut pulchrius, aut verius, aut minùs bonum, aut minùs pulchrum, aut minùs verum, nisi ex majore vel minore recessu aut accessu ad illam regulam: Atqui illa regula supponit existentiam, seu est

ipsa.

ipsamet existentia bonitatis, pulchritudinis, & veritatis infinitæ: Siquidem illud est infinitum, ex cujus accessu aut recessu judicari potest de omni bono, de omni pulchro, de omni vero, ita ut nullum omninò aut bonum, aut pulchrum, aut verum excogitari possint, quæ ex ista regula non judicentur; nullumque est, ultra quod fingi non possit aliud, quod pariter non judicetur ex eadem regula: Ergo existit ista regula infinita.

Quod hucusque traditum est argumentum, desumptum est ex Augustino, qui lib.8. de Civitate Dei, cap. 3. sic loquitur. *Bona est terra altitudine montium, & temperamento collium, & planitie camporum, & bonum prædium amœnum, ac fertile, & bona domus paribus membris disposita......bonus cibus suavis, atque aptus valetudini. ....bonum cœlum cum sole, & luna & stellis, & boni Angeli...... & bonum carmen, canorum numeris & sententiis grave. Quid plura & plura? Bonum hoc & bonum illud. Tolle hoc & illud, & vide ipsum bonum, si potes; ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni. Neque enim in his omnibus bonis, vel quæ commemoravi, vel quæ alia cernuntur, sive cogitantur, diceremus aliud alio melius, cum verè judicamus, nisi esset nobis impressa notio ipsius boni, secundum quod & probaremus aliquid, & aliud alii præponeremus.*

Quam Augustinus loco mox laudato prosecutus est rationem, ad formam scholasticam reducit Sanctus Thomas 1.p.q. 2.art.3.

Sexta demonstratio desumpta ex ordine, specie, & administratione Universi.

Eximia est species, seu, pulchritudo partium, ex quibus hoc universum constat; mirabilis est ordo in rerum natura; mirabiles operationes causarum, quæ in hoc mundo operantur: atqui ea pulchritudo, ille ordo, eæ causarum operationes, Dei existentiam supponunt: ergo existit Deus. Major propositio constat. Nam quis solem, stellas, cæteraque immensæ magnitudinis corpora cælestia, terram herbis, floribus ac fructibus onustam, maria cum suis gemmis, piscibus, hominis cæterorumque animalium corpus ex tot fibris, nervis, cartilaginibus, venis, ossibus, membris organisque compactum intueri potest, quin statim in admirationem rapiatur? Quid magis ordinatum excogitari potest solis, lunæ, siderum constanti perpetuoque cursu? Quid efficacius tellure, plantis, arboribus, ex quibus tot flores, tot folia, tot fructus singulis annis nascuntur?

Itaque probatur minor propositio, nempè, ea omnia supponere Dei existentiam. Immensa corporum moles, non nisi ab infinita potentia produci potuit. Stata illa dierum, annorum, tempestatumque sibi invicem absque intermissione succedentium series, non nisi à summa sapientia oriri potest. Ea causarum in corporum productione efficacia causam summè efficacem supponit. Atqui infinita potentia, summa sapientia, causa summe efficax nihil aliud sunt, quam Deus ipse: ergo universi tum pulchritudo, tum ordo, tum efficacia, Dei existentiam supponunt. Major propositio, in quam veritur cardo difficultatis, variis momentis ostenditur.

Primò. Immensa universi corpora a parte rei nihil aliud sunt, quam materia distincta in varias figuras: Sed ea materia produci non potuit, nisi ab infinita potentia: Siquidem non est à se; si enim esset à seipsa, id oriretur vel ex eo quòd sit ens, vel quòd sit, non quidem ens simpliciter, sed ens summè eminens, seu infinitè perfectum: atqui neutrum dici potest: Non primum, cùm non sequatur, rem necessariò existere, ex eo quòd sit ens; licet enim cogitatio nunc existat, non sequitur, quòd antea extiterit, aut quòd postea extitura sit; seu, non est connexio necessaria inter hoc instans existentiæ cum præcedente, aut cum subsequente. Alterum pariter dici non potest: nam tantum abest, ut materia sit ens infinitè perfectum, quin e contra sit ens imperfectissimum, seu, ut loquuntur, tabula rasa, quæ capax quidem sit plurium perfectionum, sed quæ ex se nullam prorsùs habeat: Ergo materia habet esse ab aliqua causa extrinseca: Illa autem causa extrinseca debet habere potentiam infinitam, per quam nempè superata fuerit distantia infinita, quæ est a non esse, in quo alias erat materia, ad esse quo nunc fruitur.

Secundò. Ordo, quem in hoc universo conspicimus, non est à casu, seu, ut ajunt, fortuitò non accidit: nam casus, ad quem Athei plerumque recurrunt, vel est ens, vel est nihil; si nihil sit, non potuit efficere mirabiles illas formas, quas in cœlis, terra, cæterisque corporibus intuemur: non potuit quoque constantem illum omnium elementorum, cæterarumque orbis partium concentum operari, tum quòd nihilum agere non possit, tum quòd quæ fortuitò accidunt, non semper eadem ratione, eodem tempore, eodem ordine contingere soleant. Si è contra casus sit ens, debet esse ens intelligens; nec enim ab ente non intelligente ordinari possunt media ad finem, ut reverà ordinata sunt ad illum concentum, de quo agitur, cum illi concentui aptiora alia fingi cogitarique non possint. Si autem casus sit ens intelligens, necesse est, ut Deus sit, quippè in concentu, de quo est quæstio, suisque aliis operibus perfectissimam sapientiam probaret.

Tertiò. Efficacia, quæ in agentibus reperitur, supponit causam summè efficacem, quod sic ostenditur. Efficaciæ illius triplex tantùm causa potest assignari, nempè aut materia, aut motus materiæ, aut Deus: atqui nec materia, nec motus materiæ vim illam habent. Non materia: nam ex se, seu, secundùm substantiam considerata, non est potentia activa, sed passiva tantùm; unde idea, quam de ea habemus, nihil aliud dicit, quam ens aut ad passionem, aut ad actionem indifferens: Non motus materiæ; nam materia non habet illum motum essentialiter & ab intrinseco, cum non desinat esse materia quamvis quiescat: ergo ab extrinseco tantum & contingenter, proindeque a causa intelligente, quæ motum illum impresserit materiæ. Præterea ad efficaciam causarum satis non est quilibet motus, sed requiritur motus in eam partem determinatus: A qua verò causa quàm ab intelligentia, ad eas partes determinari potuit ille motus, ut ex ea determinatione nata sit causarum efficacia, v. g. in semine animalis ea partium dispositio, is motus, qui aliud simile animal toties generat, quoties impeditum non fuerit ab aliqua causa extrinseca?

Quod hucusque explicuimus argumentum, desumptum est ex Augustino. *Mundus ipse* (ait S. Doctor lib. 11. de civitate cap.4.) *ordinatissima sua mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus, & factum se esse, & nonnisi à Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.*

Septima demonstratio desumpta ex existentia entium spiritualium.

Existunt quædam entia spiritualia: Atqui existentia entium spiritualium supponit existentiam Dei: Ergo existit Deus.

Major propositio supponitur ex Metaphysica, ubi sic Philosophi ratiocinantur. Certissimum est, hominem cogitare, & uti reflexione: quamvis enim de rebus omnibus dubitet, dubitare non potest, quin cogitet, quin reflexione utatur, cum illud dubium sit cogitatio: Cogitatio autem & reflexio non possunt esse ab ente materiali, nihil quippe aliud concipi potest in ente materiali, quàm materia ipsa, aut modus materiæ. Materia ex se, seu in suo conceptu, nihil aliud dicit, quàm extensionem

sionem in longum, latum, & profundum; cum ea verò extensione cogitatio & reflexio, cum non sint extensæ, nullam omninò habent connexionem. Modus materiæ vel est figura, vel motus, vel subtilitas: at quæcunque figura, quicunque motus, quæcunque subtilitas fingantur in materia, nunquam efficient, ut materia cogitet, ut materia reflexione utatur.

Supposita igitur ex Metaphysica argumenti majore propositione, sic ostenditur minor. Ens spirituale non existit a seipso: Si enim ex se haberet existentiam, haberet quoque omnes omninò perfectiones, cum id, quod ex se ipso habet majus, necessariò habeat quod minus est in eodem genere; at reverà perfectiones minores sunt existentia, cum nihil aliud sint, quam existentiæ modi.

Ens spirituale non est quoque ab atomorum aut motu aut concursu, cum, ut jam observatum est, ille motus, ille concursus nihil addant materiæ præter aut figuram, aut subtilitatem, quæ haud dubie materiam non reddunt capacem cogitationis: Ergo ens spirituale est ab alio ente spirituali infinitè perfecto, cui proinde per se convenit existentia, cum existentia sit prima inter perfectiones, & earum veluti radix & fundamentum.

Octava demonstratio desumpta ex idea Dei.

Inest hominibus idea Dei: de ente nimirùm, quod sit à se, quod sit omnium causa, plerumque cogitant: atqui idea Dei supponit illius existentiam: ergo Deus existit.

Probatur minor. Effectus supponit existentiam suæ causæ: Sed idea Dei, quæ inest hominibus, est Dei effectus: Ergo idea Dei supponit illius existentiam. Probatur minor. Idea Dei, quæ inest hominibus, non est opus creaturæ: ergo est Dei effectus. Probatur ant. Creatura non potuit fingere ideam entis infiniti, quod sic ostenditur. Ut creatura fingat ideam aliquam, debet illam haurire aut ex sensibus, aut ex se ipsa: Sed creatura ex neutro illo fonte potuit haurire ideam entis infiniti; non quidem ex sensibus, cum ens infinitum sit spirituale, ac proinde sub sensus non cadat; non etiam ex seipsa, cum ipsa, utpotè finita, nullam omninò proportionem habeat cum ente infinito: ergo creatura non potuit fingere Dei ideam, & consequenter est opus ipsius Dei, qui eam nobis impressit.

Confirmatur 1. illud argumentum. Idea Dei, quæ inest humanæ menti, non est acquisita, sed innata & ingenita: ergo est ab ipsomet Deo. Probatur an. Mens humana ideam illam non acquisivit educatione: quod enim educatione comparatur, idem non est in omnibus: sic propter variam educationem, furtum quod benè audiit apud nonnullas gentes, Lacedæmonios scilicet, pessimè audiit apud alias. Atqui idea Dei, seu, hujus veritatis, *Deus existit*, eadem omninò est, eademque fuit semper apud omnes homines, cujuscunque regionis, temporis, ac ætatis fuerint: eam non immutarunt variæ populorum inclinationes, imperiorum casus, temporum vicissitudo, cum è contra iis rebus educatio, artes, scientiæ, idiomata plerumque soleant immutari.

Confirmatur 2. Idea Dei opposita est sensibus, imaginationi, cordis passionibus: Sensibus quidem, quatenùs invaluit consuetudo id omne rejiciendi, quod non subjacet sensibus: Imaginationi, quæ capere non potest, quid Deus in se ipso ageret ante mundi productionem: Cordis passionibus, quæ idea, de qua agitur, omnes ferme comprimuntur; conservata est tamen illa Dei idea, remansitque apud omnes omniòd gentes: *Quæ gens unquam fuit, aut quod genus hominum*, inquit Tullius lib. 1. de natura Deorum, *quod non habeat sine doctrina anticipatam quamdam Deorum informationem?* Ab hominibus igitur non est, sed a Deo ipso idea hujus veritatis, *Deus existit*.

Confirmatur 3. Ipsa hominis conscientia demonstrat, ideam, de qua agitur, non esse hominis figmentum, humani laboris fœtum. Nemo est qui ubi versatur in periculis, ubi doloribus angitur, oculos absque mentis reflexione non erigat in cœlum, ut opem exoret: ex Atheis ipsis hæ voces, *Adsis mihi Deus*, inopinatò erumpunt: quod autem nobis invitis plerumque non attendentibus extorquetur, non est mentis figmentum, nec aliquid ab ea dependens.

Quod dialecticorum more proposuimus argumentum, hisce verbis prosequitur Tertullianus libro de testimonio animæ: *Adsis mihi Deus: O Deum immortalem: Deus videt. Ac quis* (ait) *ejusmodi eruptiones animæ non putaverit doctrinam esse naturæ, & congenitæ seu ingenitæ conscientiæ tacita commissa?* Probat hac ratione. *Certè prior anima, quàm litera, & prior sermo quàm liber, prior sensus, quàm stylus, & prior homo ipse, quàm Philosophus & Poeta. Nunquid ergo credendum est, ante literaturam & divulgationem ejus, mutos absque hujusmodi pronunciationibus vixisse homines? Et unde hæc didicit anima? Certè non à Philosophia, non a literis, vel scripturis, nec a disciplina; hæc enim pronuntiat nondum scholis formata, simplex, rudis, impolita, idiota, de compito, de textrino tota: hæc a natura didicit: magistra natura, anima discipula.*

QUÆSTIO III.

Utrum hæc propositio, Deus est, *sit per se nota.*

Not. 1. PRopositio per se nota, est ea, in qua prædicatum ita immediate connexum est cum subjecto, ut excludat causam natura aut ratione priorem, per quam manifestetur.

Not. 2. Propositio per se nota, est triplex; per se nota secundùm se tantum, per se nota quoad nos tantùm; per se nota & secundùm se, & quoad nos. Prior definitur: Propositio, cujus prædicatum immediatè quidem connexum est cum subjecto, sed ea connexio a nobis ignoratur. Altera est ea, cujus prædicatum non est quidem immediatè connexum cum subjecto, sed tamen ejus veritas ita est evidens, ut non indigeat causa, seu medio priore, per quod manifestetur. Ejusmodi est ista: *Sol lucidus est*. Si quis enim velit philosophari, facilè reddet rationem cur sol lucidus sit, ostendendo nimirùm id oriri ex certo motu partium, ex quibus componitur. Tertia denique est ea, cujus prædicatum & immediatè & evidenter connexum est cum subjecto; unde non indiget medio priore, quo manifestetur, sed sola terminorum penetratione, seu, cognitione essentiæ, tum prædicati, tum subjecti, cujus generis est ista: *Totum est majus sua parte.*

Not. 3. Conveniunt omnes Theologi, hanc propositionem: *Deus est*, esse per se notam secundùm se. Nempe prædicatum essentialiter connexum est cum subjecto, nec illa connexio demonstrari potest per medium distinctum, quod ea connexione sit prius aut re aut ratione. Sed non conveniunt, an sicut ea propositio est per se nota secundùm se, sit etiam per se nota quoad nos. Thomistæ negativam sententiam propugnant, affirmativam verò plures alii Theologi. Quid nos ea de controversia sentiamus, duplici conclusione dicetur.

CONCL. 1. Hæc propositio, *Deus est*, per se nota est secundùm se & quoad nos.

Probatur 1. Ea propositio est per se nota quoad nos, quæ non indiget medio priore & distincto, per quod nobis manifestetur: atqui ejusmodi est ea propositio: ergo est per se nota quoad nos.

Probatur minor. Illa propositio non indiget medio priore, & distincto, per quod nobis manifestetur, in qua prædicatum intelligitur convenire subjecto ex sola terminorum penetratione: Sed ejusmodi est ista, *Deus est*:

Ergo

Ergo non indiget medio priore & distincto, per quod manifestetur. Probatur min. Qui perfectè noscit quid tum Dei, tum existentiæ terminis intelligatur, cognoscit evidenter connexionem essentialem, quam existentia habet cum Deo: ergo ex sola terminorum penetratione evidenter intelligitur, prædicatum hujus propositionis, *Deus est*, essentialiter convenire subjecto.

Probatur ant. Dei nomine intelligitur ens perfectissimum, seu, quo nihil majus aut melius cogitari potest: *Omnes*, inquit Augustinus lib. 1. de doctrina christiana cap. 7. *pro excellentia Dei certatim dimicant, nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est*. Sed qui noscit, quid intelligatur nomine entis perfectissimi, cognoscit evidenter connexionem essentialem, quam existentia habet cum eo: quod sic probo. Nomine entis perfectissimi intelligitur ens, quod habet omnes omninò perfectiones: si enim aliqua ei deesset, non esset perfectissimum; aliud enim eo perfectius cogitari posset: Sed cum ente, quod habet omnes omninò perfectiones, existentia habet connexionem necessariam & essentialem: siquidem si existentia non haberet cum eo essentialem & necessariam connexionem, ens illud posset concipi sine existentia, cum quælibet res concipi possit absque eo, quod non est ipsi essentiale: Atqui ens, quod habet omnes omninò perfectiones concipi non potest absque existentia, cum existentia sit maxima perfectio, imò radix sit & fundamentum aliarum.

Respondent Adversarii distinguendo hanc propositionem: Ens quod habet omnes omninò perfectiones, concipi non potest absque existentia, aut formali, aut objectiva, concedunt; absque existentia objectiva, negant; seu, inquiunt, Ens quod habet omnes perfectiones, concipi non potest sine existentia, quæ sit in intellectu intelligentis; sed concipi potest sine existentia, quæ sit extra intellectum intelligentis, hoc est quæ objecto à parte rei conveniat.

Sed contra. Existentia quæ sit extra intellectum, seu quæ objecto à parte rei conveniat, est maxima perfectio: ergo si ens quod habet omnes omninò perfectiones, sine illa existentia concipiatur, concipietur tanquam ens, cui desit aliqua perfectio; quod, ut patet, implicat in terminis.

Probatur 2. Illa propositio est per se nota quoad nos, cujus veritas nobis est ingenita, & innata, seu quæ nec ex discursu, nec ex sensibus habetur, sed ab ipso auctore naturæ est nobis impressa, ut videre est in hac morum regula, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis*: aut in isto principio metaphysico, *Quidlibet est, vel non est*: Atqui veritas hujus propositionis, *Deus est*, est nobis ingenita & innata: Ergo illa propositio, *Deus est*, per se nota est quoad nos.

Minor propositio ostenditur 1. ex scriptura. Psalmo 4. hæc habentur, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* Isaiæ 46. *Redite prævaricatores ad cor. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non est ultra Deus*. Patet, scripturam iis in locis docere ipsum de Deo lumen seu notitiam esse nobis impressam; cuique homini, ipsi etiam prævaricatori satis esse, ut cor consulat ad consequendam Dei notitiam. Docuit igitur scriptura, ingenitam nobis esse & innatam illam cognitionem.

Eadem minor propositio probatur 2. ex Patribus Græcis. Sic loquitur Justinus ad caput secundæ suæ apologiæ: *Dei appellatio nomen non est, sed Dei inenarrabilis naturæ hominum insita opinio*. Sic etiam Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum: *Quamobrem universa quidem gens orientalium, & universa, quæ pertinet ad occidentem, septentrionem, & austrum, unam habet & eandem anticipatam notionem de eo, qui constituit principatum*. Sic quoque Gregorius orat. 5. quæ est de beatitudinibus: *Quemadmodum enim opinio de numine divino naturaliter quidem insita est omnibus hominibus, sed ignorantia Dei peccatur contra id, quod colitur*.

Eadem minor propositio ostenditur ex Patribus Latinis. Tertullianus Apologetici cap. 17. ex animæ ipsius testimonio sic contra Gentiles argumentatur: *Vultis ex ipsius animæ testimonio comprobemus, quæ licèt carcere corporis pressa, licèt institutionibus pravis circumscripta, licèt libidinibus & concupiscentiis evigorata, licèt falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, Deum nominat, hoc solo quia propriè verus hic unus Deus, bonus & magnus. Et quod Deus dederit, omnium vox est, judicem quoque contestatur illum, Deus videt, & Deo commendo. O testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Libro de testimonio animæ idem author asserit, animam in Dei cognitione esse naturæ non magistram, sed discipulam. Lib. 1. contra Marcionem cap. 10. hæc scribit: *Antè anima, quàm prophetia. Animæ enim à primordio conscientia Dei dos est*. Idem iisdemque verbis tradit Cyprianus lib. de vanitate idolorum.

Ex iis Patrum sententiis sic conficitur argumentum. Illius propositionis veritas nobis est ingenita, & innata, quæ naturæ insita est; quæ est anticipata, seu, studium præveniens notio; quæ naturaliter insita est omnibus hominibus; quam anima sibi relicta sine studio confitetur; quam anima ab ipsa sua natura didicit; quæ omnem omninò prophetiam, & humanum sermonem præcedit. Atqui ex Sanctis Patribus mox laudatis ejusmodi est veritas istius propositionis: *Deus est*: Ergo illius veritas nobis est innata & ingenita.

Respondent Adversarii, Patres ea ratione loquendi nihil aliud voluisse, nisi quod Deus indiderit homini naturale lumen, per quod facillimum ei sit divinæ existentiæ cognitionem assequi per demonstrationem ex creaturis petitam.

Sed contra est 1. Cognitio insita, anticipata, præcedens quodlibet studium, distinguitur ab acquisita: ergo & ab illa, quæ per discursum, licèt facile, comparari potest ex creaturis. Sed ex Patribus, veritas hujus propositionis: *Deus existit*, est cognitio insita, anticipata, præcedens omne studium. 2. Lumen naturale nobis inditum, ex Adversariis, sine discursu satis non est ad consequendam Dei cognitionem; è contra verò insita nobis Dei opinio, sine discursu, illius cognitionem præbet, cum ex illius vi in repentinis casibus, gentes etiam barbaræ, Deum, ex Tertulliano, nominent & invocent.

CONCLUSIO 2. Hæc propositio, *Deus est*, non eo sensu est per se nota quoad nos, quòd ita facilè intelligatur, sicut prima metaphysicæ principia: *Impossibile est, idem simul esse & non esse. Quidlibet est, vel non est*.

Probatur. Ea propositio non ita facilè intelligitur ac prima metaphysicæ principia, quæ requirit majorem mentis attentionem, ac uberiorem terminorum explicationem; atqui hæc propositio, *Deus est*, ut intelligatur, majorem requirit mentis attentionem, & uberiorem terminorum explicationem, quam metaphysicæ principia: nec enim tam clare patent isti termini, *Deus est*, quàm isti, *Impossibile est idem simul esse & non esse*: unde illius propositionis veritas, *Deus est*, non potest Atheo persuaderi, nisi multiplici propositionum anfractu, quæ uberiorem illam terminorum explicationem complectantur.

Objicies 1. contra priorem conclusionem. Propositiò, quæ negari potest ab eo, qui illius terminos intelligit, non est per se nota quoad nos: Atqui hæc propositio, *Deus est*, ab eo negari potest, qui illius terminos intelligit: ergo non est per se nota quoad nos. Probatur min. Illa propositio: *Deus est*, revera negatur 1. ab insipiente cum (ut ait Scriptura psal. 13.) *Dicat in corde suo, Non est Deus*: negatur 2. a viris etiam, qui sapientes olim habiti sunt, a Protagora nempè, Diagora, Theodoro Cyreneo: negatur 3. ab Atheis omnibus, qui licèt non multi sint, sunt tamen exiguo saltem numero, ut testatur Augusti-

gustinus tractatu 106. in Joannem.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dico 1. insipientem, de quo Psaltes Regius loquitur, non negare Dei existentiam speculativè, sed practicè tantùm; seu, licèt de Dei existentia conscientiam habeat, illius tamen sensum extinguere, illius testimonium præfocare nititur, ut libidini, ac dissolutæ vitæ tranquilliùs serviat; unde in laudato Scripturæ loco non dicitur, quòd non credat Dei existentiam, sed quòd statuerit illam non credere, seu quòd enitatur, ut illius ideam ex sua mente abjiciat.

Dico 2. philosophos, qui negarunt Dei existentiam, non satis attendisse ad istius termini *Deus*, ideam, seu non comprehendisse, ad quid se extendat; id verò contigit, Deo (ut ait Augustinus) spargente pœnales cæcitates super illicitas eorum philosophorum cupiditates. Idem dicendum est de Atheis, si qui sint speculativè Athei, seu, qui verè negent Dei existentiam; nempè perditis moribus excæcati sunt: unde laudatis ex psalmo verbis hæc subjiciuntur: *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt*: id est (inquit Augustinus in Psal. 13.) *Dum amant hoc sæculum, & non amant Deum: ipsæ sunt affectiones, quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, ut posset etiam dicere imprudens in corde suo: Non est Deus.*

Objicies 2. Propositio, quæ potest demonstrari, non est per se nota quoad nos, ut patet in hoc principio: *Quodlibet est, vel non est*: Atqui hæc propositio *Deus est*, potest demonstrari, ex creaturis nimirùm: Ergo non est per se nota quoad nos.

Resp. dist. maj. Si subjectum propositionis nullos habeat effectus, conc. maj. si aliquos habeat, neg. majorem. Dist. pariter min. Atqui hæc propositio *Deus est*, potest demonstrari, & illius subjectum, Deus, nempè, habet aliquos effectus, conc. min. & nullos habet effectus, neg. min. & conseq. Hincque patet, cur hoc principium, *Quodlibet est, vel non est*, demonstrari non possit; id enim accidit, quòd illius subjectum nullum effectum extra se producat: quod quidem de Deo dici non potest.

Objicies 3. Ideò hæc propositio *Deus est*, dicitur per se nota quoad nos, quòd terminus iste *Deus*, concipi non possit sine reali existentia: sed id falsum est: ideò enim concipi non posset sine reali existentia, quòd Dei nomen includat omnes omninò perfectiones. Atqui nulla est ea ratio; nam, quamvis idem nomen præter existentiam includat quoque omnes alias perfectiones, cum Dei nomine id intelligatur, quo melius cogitari non potest; Deus tamen sine aliquibus perfectionibus concipi potest, ut videre est in iis, qui licet illius existentiam admiserint, negarunt tamen cum Epicuro illius providentiam, aut cum Anthropomorphitis illius simplicitatem, aut cum aliis illius immensitatem: ergo Deus concipi potest sine actuali & reali existentia; proindeque hæc propositio, *Deus est*, non est per se nota quoad nos, seu, potest demonstrari per causam natura priorem & ab essentia divina distinctam, saltem virtualiter.

Resp. ad 1. & 2. neg. min. Ad 3. dato antecedente, neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia per errorem multi existimare possunt, providentiam, qua Deus se se ad res vilissimas demittat; simplicitatem, qua sit expers corporeæ substantiæ, immensitatem, qua obscœna & iniquissima loca repleat, veras non esse perfectiones: sed nemo potest id fingere de existentia, cum omnibus, vel rudioribus, sit evidens, eam esse primam omnium perfectionum, earumque esse veluti radicem & fundamentum.

Desumpta est ea solutio ex Augustino, qui lib. 1. de doctrina Christ. cap. 7. docet quòd licèt omnes fateantur Deum id esse, quo nihil melius sit atque sublimius, non conveniant tamen, quid melioris atque sublimioris nomine intelligendum sit; unde prout homines sunt affecti, melioris illius atque sublimioris boni ideam sibi animo fingunt: *Sanè (inquit) quoniam diversis moventur bonis, partim eis, quæ ad corporis sensum, partim eis, quæ ad corporis sensum, partim eis, quæ ad animi intelligentiam pertinent: illi qui dediti sunt corporis sensibus, aliquid lucidum imaginantur, aut humani corporis figuram cogitant: illi autem qui per intelligentiam pergunt videre quod Deus est, omnibus eum naturis visibilibus & corporeis, intelligibilibus etiam & spiritualibus, omnibus mutabilibus præferunt.*

QUÆSTIO IV.

Utrum Dei existentia invincibiliter ignorari possit.

Not. 1. Ex dicendis in tractatu de actibus humanis, ignorantia duplex est, invincibilis nimirùm & vincibilis. Prior est ea, quæ nec naturæ viribus, nec gratiæ ordinariis auxiliis vinci potest ac superari. Altera est ea, quæ ut naturæ viribus aut ordinariis gratiæ auxiliis superari potest. Illa tum in sestum in causa est prorsùs involuntaria, proindeque inculpabilis, ac excusat a peccato: illa vero est voluntaria aut in se, aut in causa; unde culpabilis est, nec a peccato excusat.

Not. 2. Duplex distingui debet Dei cognitio; demonstrativa scilicet, & maximè probabilis: illa generat certitudinem metaphysicam; ista verò generat moralem.

Not. 3. Status quæstionis in titulo propositus, non est, an quis invincibiliter carere possit demonstrativa Dei cognitione, sed tantùm, an carere possit ita probabili, ut contrarium judicio viri prudentis nullo modo probabile sit. Ratio cur sic intelligi debeat status quæstionis, petitur ex eo quòd ad operandum non prærequiratur necessariò certitudo metaphysica, sed moralis sufficiat: ac proinde non eximitur a peccato, qui carens illa certitudine metaphysica, & habens moralem, non operatur.

Not. 4. Aliqui Theologi ausi sunt scribere nonnullos homines posse per totam vitam invincibiliter ignorare Dei existentiam, sumendo ignorantiam non tantùm pro carentia cognitionis demonstrativæ, sed etiam pro carentia cognitionis maxime probabilis. Alii dixere, ejusmodi ignorantiam per longius aliquod tempus non posse quidem reperiri, sed per breve tantum.

CONCLUSIO. Nequidem per brevissimum tempus dari potest in aliquo ignorantia invincibilis existentiæ Dei.

Probatur 1. Scriptura omnibus omninò hominibus absque ulla exceptione Deum ignorantibus gravissimam pœnam minatur; *Effunde iram tuam*, verba sunt Prophetæ regii Deum alloquentis psal. 78. *in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt*: unde sic conficitur argumentum. Si in aliquibus hominibus dari posset invincibilis ignorantia Dei, illi homines non essent rei, quòd Deum ignorarent. Atqui rei sunt: nam illi sunt rei quibus infligitur pœna, cum sub Deo justo nemo miser esse possit, quin id mereatur: sed iis hominibus, docente Scriptura, infligitur pœna: ergo &c. Paulus ad Rom. 1. asserit, Dei existentiam creaturis sic manifestari, ut inexcusabiles sint, qui eam ignorant: *Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas: ita ut sint inexcusabiles.* Sed qui sunt inexcusabiles, non laborant ignorantia invincibili, quia (ut suo loco dicetur) ignorantia prorsùs invincibilis excusat à peccato.

Probatur 2. Patres docuerunt, à nemine, qui ratione utatur, posse ignorari Dei existentiam. Gregorius Magnus lib. 17. moral. cap. 3. exponens illud Job 36. Omnes homines vident eum, ait: *Eo ipso quòd rationalis* est

est conditus, debet ex ratione colligere, eum qui se condidit, Deum esse: ergo id potest, cum nemo ad impossibile teneatur. S. Joannes Damascenus lib. 7. orthodoxæ fidei cap. 1. sic loquitur: *Notitia Dei omnibus à natura est insita, neque id aliquis ratione utens ignorare potest*: ergo si revera ignoret, nec invincibilis, nec inculpabilis est illius ignorantia. Tertullianus tantùm abest, ut cum authoribus, quos impugnamus, excuset eos, qui Dei ignorantia laborant, quin eam ignorantiam summum delictorum appellet: *Et hæc est* (inquit Apolog. cap. 17.) *summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.*

Probatur 3. ratione theologica. Si quis invincibiliter & inculpatè Dei existentiam, etiam per brevissimum tempus, ignorare posset, quantumcunque flagitiosus esset, nullum tamen committeret peccatum mortale, nam peccati mortalis malitia petitur ex injuria, quæ Deo infertur: atqui ille homo flagitiosus Deo nullam injuriam inferret: siquidem nemo censetur injuriam inferre ei, quem invincibiliter & inculpatè ignorat existere: ergo nullum omninò peccatum mortale committeret. Confirmatur ea ratio. Romæ ab Alexandro Papa VIII. die 24. Aug. ann. 1690. proscripta est hæc thesis, seu, propositio. *Peccatum philosophicum seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi: Theologicum verò & morale, est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave, in eo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.* Atqui in Adversariorum suppositione ea propositio immeritò damnata fuisset; nam revera darentur peccata philosophica, quæ non essent theologica, seu, quæ forent quidem contra rationem, sed non contra Deum: ac proinde quibus homo ille invincibiliter & inculpate Deum ignorans, non excidisset ex justitia originali, quam infans consecutus fuisset in baptismate, quamvis apud barbaros postea educatus, innumera flagitia commisisset.

Huc etiam adduci possunt omnia argumenta, quibus superius ostensum est, hanc propositionem *Deus est*, esse nobis notam quoad nos.

Objicies 1. Id potest inculpatè & invincibiliter ignorari, quod demonstrari non potest: Atqui Dei existentia demonstrari non potest, saltem plurium respectu, qui ita plumbei sunt, ut videre non possint connexionem necessariam, quam creaturæ habent cum Deo; imò & doctiorum hominum respectu: ita ratiocinantur Petrus de Alliaco in 1. dist. 3. q. 3. Marori q. 1. conclusione 2. Casalius lib. 1. de quadripartita justitia c. 16. Ergo &c.

Resp. 1. falsam esse min. propositionem: nec eam laudatorum scriptorum authoritas confirmat, cum eorum sententia & Patribus & Theologis è diametro opposita sit.

Resp. 2. nego maj. Ratio est, quia, ut Dei existentia vincibiliter & culpatè ignoretur, satis est ut certa sit certitudine morali; est autem sic certa, cum, fatentibus scriptoribus in argumento laudatis, ita probabiliter ostendatur, ut contrarium judicio viri prudentis non sit probabile. Ratio solutionis petitur ex eo, quòd certitudo, quæ satis est, ut sit principium operationis practicæ, satis sit quoque ad tollendam ignorantiam invincibilem; certitudinem verò moralem sufficere ad operationem practicam, demonstrabimus in tractatu de actibus humanis.

Objicies 2. Plures sunt, qui Dei ignorantiam superare non possunt: ergo Dei existentia potest invincibiliter ignorari. Probatur ant. Dei ignorantia superari non potest nisi per discursum, ex creaturarum scilicet existentia colligendo existentiam Dei. Atqui multi sunt apud barbaros ita inculti & agrestes, ut non sint capaces hujusmodi discursus, tum propter ingenii tarditatem, tum propter pravam educationem, tum denique quòd eorum anima tota fere sensibus immersa sit, nec aliud cogitet, quam ut animalium more libidines suas expleat: ergo &c.

Resp. ad 1. neg. ant. ad 2. dico 1. maj. esse falsam, quippè superiùs ostensum est, Dei ideam nobis innatam esse ac ingenitam, ita ut ad illius cognitionem sola terminorum comprehensione opus sit, sola attentione ad conscientiæ testimonium.

Dico 2. data majore, negari debere min. Cum enim nec peccatum originale, nec prava educatio, nec vita sensibus dedita planè extinxerint naturalem mentis vim, licet eam debilitarint plurimùm, potest mens in agrestioribus & iniquioribus viris eos actus elicere, qui facillimi sunt: ut est revera discursus, quo ex effectis causa colligitur.

Dico 3. quòd licèt propter corruptos mores quidam, ut supponit argumentum, incapaces essent aut attentionis ad innatam sibi Dei ideam, aut discursus ex creaturis petiti, eorum tamen ignorantia non foret invincibilis: nam quamvis non esset voluntaria in se, esset tamen voluntaria in causa: ac proinde non esset absolute invincibilis & inculpabilis.

Objicies 3. Puer educatus in sylvis, postquàm adeptus est usum rationis, indiget aliquo temporis intervallo, ut ex creaturis concludat existentiam Dei: ergo illo saltem brevi tempore eam invincibiliter & inculpatè ignorabit.

Confirmatur argumentum, ex eo quòd illi puero, cum discurrere incipiet, offerent se dubia, occurrent pravæ educationis præjudicia: illa verò tum dubia, tum præjudicia puer ille unico momento expugnare non poterit, præsertim si hebes sit ingenio.

Resp. neg. ant. puncto scilicet temporis, si puer ille ad seipsum aut ad alias creaturas attendat, Dei cognitionem comparabit. Ratio est, quia tam clarum est conscientiæ de Deo testimonium, tam evidens creaturarum cum Creatore connexio, ut is, qui ut par est attenderit, ne momento quidem temporis esse queat sine cognitione Dei, si non planè demonstrativa, saltem maximè probabili, & moraliter certa.

Monendus est hic lector, quòd licèt tantam invidiam præ se ferre aliquibus non videatur opinio, quæ docet, brevi saltem tempore Dei existentiam inculpatè & invincibiliter ignorari posse, quantā fert ea, quæ asserit, plurimo tempore posse sic ignorari; iisdem tamen absurdis realiter obnoxia sit. Et sanè homo ille, qui invincibili Dei ignorantia brevi tempore laborare supponitur ab Adversariis, poterit eodem brevi tempore innumeris flagitiis consensum præbere; ac proinde illa flagitia, pro eo saltem brevi tempore, non erunt peccata mortalia, nec theologica, nec dissolvent Dei amicitiam, quam idem homo (ut supponitur) ab aliquo adhuc infans baptizatus, consecutus fuisset.

Objicies 4. Quod propriis viribus superari non potest, dicitur invincibile & inculpatum: atqui plerique homines propriis viribus non possunt superare ignorantiam Dei: ut enim superetur, necessarium est auxilium gratiæ; sine eo nimirùm mens non potest attendere ad innatam sibi Dei ideam, & ad connexionem, quam creaturæ habent cum Deo.

Confirmatur argumentum ex eo, quòd (saltem in schola Thomistarum) plures barbari ac gentiles non recipiant illud, alioquin necessarium, gratiæ auxilium: ergo in iis saltem hominibus inculpata ac invincibilis est Dei ignorantia.

Resp. 1. neg. maj. propositionem. Et sanè, si admitteretur illa major, invincibilis esset ac inculpatus consensus, quem quis, etiam ex deliberata ratione, præberet concupiscentiæ motibus: neque enim sine gratiæ auxilio illi motus superari possunt, ut docent Theologi

in

in tractatu de gratia. Ut igitur invincibiles funt aut ignorantia, aut motus aliquis, fic invincibile definiri debet: *Invincibile eft id, quod homo, nec propriis viribus, nec ordinariis gratia auxiliis fuperare poteft.*

Refp. 2. data maj. neg min. Ratio eft, quia (ut docet S. Thomas, cui fubfcribunt omnes Theologi) homo etiam in ftatu naturæ lapfæ, licèt nullum bonum, ficut oportet, operari poffit fine gratia; poteft tamen propriis viribus aliquod verum cognofcere, eo quòd intellectus non tantam per peccatum originale debilitatem contraxerit, quantam voluntas: fi autem mens verum aliquod per fe intelligere poffit, maximè Dei exiftentiam, cum qua tantam habet & proportionem, & connexionem.

Ad confirmationem, admifso antecedente, quod tamen expendemus agentes de gratia, neg. confeq. Ratio eft, quia in iis hominibus, fecundum Thomiftarum principia, privatio gratiæ eft voluntaria, faltem in caufa: in peccatis nimirùm, quorum illi barbari ac gentiles voluntarie rei facti funt.

QUÆSTIO V.

An unus tantùm, aut plures fint Dii?

Not. 1. UNitatem Dei impugnarunt 1. Gentiles, à quibus Deorum pluralitas inventa eft: unde priores religionis Chriftianæ apologiftæ contra eos agentes, non tam aggreffi funt atheifmum, quam politeifmum: id videre eft in Athenagora, Juftino, Minutio Felice, & Tertulliano. Impugnarunt 2. Marcionitæ, Deum veteris teftamenti opponentes Deo novi teftamenti. Impugnarunt 3. Manichæi, duo ftatuentes prima principia, unum à quo effet omne malum, aliud à quo effet omne bonum. Impugnarunt 4. Trithæiftæ, qui perfuafi tres effe perfonas in SS. Trinitate, docuerunt, tres illas perfonas effe tres Deos, non perfonalitate tantùm, fed etiam natura diftinctos.

CONCLUSIO. Deus unus eft.

Probatur contra Gentiles. Rationes, quibus fuperiùs ufi fumus ad demonftrandam Dei exiftentiam, demonftrant quoque illius unitatem.

Primò. Uti poffumus confcientiæ teftimonio, quo docemur, hominem etiam vanis fuperftitionibus, ac publicis erroribus occupatum, fi in anguftiis, fi in periculis conftitutus fit, non modò Deum invocare, fed unum Deum. Obfervat Tertullianus, ipfos etiam Gentiles paffim ita loqui folitos fuiffe: *Quod Deus dederit; Si Deus voluerit;* item, *Deus bonus eft: Deus benefacit: Benedicat te Deus:* cum, *Deus videt omnia: Deo commendo: Deus reddet: Deus inter nos judicabit*: ex iis verò loquendi formulis fic exclamat Tertullianus Apolog. cap. 17. *O teftimonium animæ naturaliter Chriftianæ!* Ex jurandi formula, quæ apud antiquos Romanos erat in ufu, fic argumentatur Lactantius lib. 2. Inftitutionum cap. 1. *Nam & cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut multos Deos, fed Deum nominant.*

Secundò. Poffumus fic argumentari ex mundi productione & gubernatione. Vel unus Deus fatis fuit ad productionem & adminiftrationem mundi: vel non fuit fatis. Si primum, inutilis fuit & eft nunc alterius Dei opera, ac proinde Deus non eft, cum ab eo mundus exiftere potuerit, & de facto exiftat fine ulla ab ipfo dependentia: Si fecundum, Deus ille non fuit omnipotens, quippe qui indiguerit ad mundi productionem alterius auxilio: *Quid enim multis opus eft* (inquit Lactantius lib. 1. Inftitutionum cap. 3.) *ad mundi regimen fuftinendum? nifi fortè arbitremur, fi plures fint, minus habere fingulos nervorum, atque virium.*

Probatur iterum conclufio contra Marcionitas, & Manichæos. Deus bonus debet effe fummè bonus, eò quòd (ait Auguftinus de doctrin. Chrift. lib. 1. cap. 7.) *Deo nihil melius fit atque fublimius.* E contra Deus malus debet effe fummè malus, eò quòd nullum malum fingi poffit, cujus non fit caufa. Atqui Deus fummè malus implicat: quod quidem fic oftenditur. Vel viveret ille Deus fummè malus, vel non viveret: fi primum, non effet fummè malus: haberet enim vitam, quæ non leve eft bonum: fi fecundum, nulli nocere poffet; nam careret cognitione, proindeque nec eum, cui malum inferret, nec ipfum malum, quod inferret, poffet agnofcere.

Probatur iterum tum contra gentes, tum contra Manichæos, tum contra Valentinianos. Dei nomine, Auguftino tefte, id intelligitur, *Quo melius cogitari non poteft*; aut ut ait Tertullianus, *Summum magnum.* Atqui id, quo melius excogitari non poteft, fummum magnum, eft unum, non multiplex: fiquidem id quo melius excogitari non poteft, & id quod fummum magnum eft, alterius confortium excludit; nam longè melius atque perfectius eft non habere æqualem, quam habere. Summum magnum non eft, quod omne magnum non habet: *Certè* (inquit Tertullianus, Marcionem urgens lib. 1 cap. 3.) *quemcunque alium Deum induxeris, non alia eum poteris forma tueri Deum, quam ut illi proprium divinitatis adfcripferis, ficut æternum, ita & fummum magnum: duo ergo fumma magna quomodo confiftent, cum hoc fit fummum magnum par non habere: par autem non habere uni competat, in duobus effe nullo modo poffit?*

Confirmatur argumentum ex idea Dei, qua monemur, ipfum effe ens perfectiffimum: At non foret hujufmodi, fi effet multiplex, quia vel ii Dii plures a fe invicem penderent, vel non penderent: fi primum, neuter effet Deus, cum dependentia fit magna imperfectio: fi non penderent, neuter effet ens perfectiffimum, eò quòd fumma perfectio importet authoritatem, & principatum in id omne, quod ab eo natura diftinctum eft.

Confirmatur iterum ratione S. Thomæ, quæ petitur quoque ex Dei idea, feu notione. Deus eft id, quod neceffe eft effe: igitur fi duo fint Dii, in eo convenient, quòd ambos effe necefse fit: ergo non different quoad illam *neceffitatem effendi*, fed fecundùm aliquid aliud ab ea neceffitate effendi diftinctum. Illud autem vel requiritur ad complendam illam efsendi neceffitatem, vel non requiritur: fi primum, neuter completam habebit efsendi neceffitatem, proindeque neuter erit Deus: fi non requiritur, aut profluat ab efsendi necefsitate, aut non profluat, erit in utroque, ficque nihil erit in uno Deo, quod non fit in alio: fi non profluat, orietur à caufa extrinfeca, proindeque differentia unius ab alio fumetur a caufa extrinfeca; atque ita uterque ille Deus, quoad differentiam fui conftitutivam, pendebit ab aliquo, quod non eft Deus: quod repugnat divinæ notioni.

Objicies 1. Tres funt perfonæ in SS. Trinitate: ergo funt tres Dii, cum quælibet fit Deus.

Refp. neg. confeq. Ratio eft, quia ut efsent tres Dii, deberent efse tres naturæ divinæ: non reperiuntur verò in SS. Trinitate, ut fuo loco dicetur.

Inftabis. In humanis ubi funt plures perfonæ, funt etiam plures naturæ, numero & individuo diftinctæ: ergo & in divinis.

Refp. neg. confeq. Ratio difparitatis eft, quia in humanis quælibet natura eft finita, proindeque tota exhauritur per unam perfonalitatem: è contra divina natura propter infinitatem pluribus perfonis terminari poteft.

Objicies 2. Probari non poteft Dei unitas, quin perfonarum trinitas evertatur: ergo aut plures funt Dii, aut una tantùm perfona. Probatur ant. Dei unitas demonftratur ex mundi productione & gubernatione; demonftratur quoque ex effentia Dei in eo pofita, quòd Deus fit ens perfectiffimum, fummum, magnum: atqui ea duo momenta deftruunt perfonarum trinitatem, fi deftruant

Dei unitatem: Et quidem 1. vel una persona (ut superiùs dicebatur de natura) satis est ad mundi productionem, & gubernationem, vel non est satis. Si primum, aliarum consortium excludit: si secundum, quælibet persona non erit omnipotens. 2. Quælibet persona (ut etiam dictum est de natura) vel est id, quo melius cogitari non potest, vel non. Si primum, quælibet persona debet includere omnes omninò perfectiones, ac proinde paternitas debebit includere filiationem, si filiatio sit perfectio: si secundum, quælibet persona non erit Deus, proindeque falsæ erunt hæ propositiones: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. dico, argumentum esse de non supponente, nempè supponit, personas olim produxisse, & nunc administrare mundum, quatenùs personæ sunt, quod est falsum; sed produxerunt & administrant, quatenus sunt natura divina: ergo cum eadem natura divina reperiatur in tribus personis, & illæ personæ licèt non sint idem inter se, sunt tamen idem cum natura divina, una persona non potuit in mundi productione & gubernatione, aliarum personarum consortium excludere, ut revera una natura divina exclusisset aliam naturam divinam, eò quòd in pluribus Diis non fuisset eadem, sed multiplex natura. Ad 4. dist. ant. Paternitas debebit includere filiationem *mediatè*, conc. ant. includit enim naturam divinam, quæ actu est idem cum filiatione: *immediatè* neg. ant. quippè eam non includit, nisi quatenus includit naturam divinam, quæ est actu & realiter idem cum filiatione.

Quæres, num eadem fuerit antiquitùs tum populorum, tum philosophorum sententia de Deorum pluralitate?

Resp. negativè. Ratio est, quia licèt philosophi exteriùs, quòd plebem timerent, sese in templis gesserint, quasi plures Deos colerent; privatim tamen in suis scholis unum tantùm admisere. Id videre est in Justino Martyre, Athenagora, Minutio Felice, cæterisque religionis Christianæ prioribus Apologistis: ipsi etiam populi cum argumentis urgebantur, solebant respondere (Orosio teste lib. 7. hist. cap. 1.) *Non se plures Deos sequi, sed sub uno Deo magno plures ministros venerari*; aut saltem (Augustino teste lib. 20. contra Faustum) agnoscebant unum omnium Deorum patrem: *Pagani* (inquit) *multos suos Deos ex una substantia asserunt.*

DISSERTATIO SECUNDA.

De Essentia Dei.

Not. 1. IN terris, imò nec in cœlis, perfecta & comprehensiva divinæ essentiæ cognitio haberi non potest; neque enim mens creata, cum finita sit, ens simpliciter infinitum capere potest ac comprehendere, ut agentes de Dei visione suo loco contra Eunomium, Eunomiique discipulos demonstrabimus: non est igitur, quòd lector hic expectet accuratam divinæ essentiæ definitionem.

Not. 2. Hìc in via, licèt perfecta haberi non possit divinæ essentiæ cognitio, imperfectam tamen duplici ex fonte, revelatione nimirùm & ratione, haurire possumus. Revelatio autem & ratio à Deo nonnulla removent, aliqua de eo affirmant; unde duplici via ad illius cognitionem nos deducunt, hoc est per negationem & affirmationem. Illa isti haud dubiè præferenda est, quippè quòd facilius ac tutius cognoscamus, quid non sit Deus, quam quid sit: *Quisquis Deum ita cogitat* (inquit Augustinus lib. 5. de trin. cap 1.) *& si nondum potest omninò invenire quid sit, piè tamen cavet, quantùm potest, aliud de eo sentire quod non sit.* Unde quamvis quippiam positivum hic de divina essentia dicturi simus, multò majora per negationem suppleri debent.

Not. 3. Quamvis omnia, quæ sunt in Deo, sint unum realiter actu, ubi oppositio relativa non occurrit; nonnulla tamen sunt, quæ in eo per modum essentiæ ac naturæ concipimus, alia verò per modum qualitatis, seu perfectionis, seu attributi, seu relationis. Ratio est, quia nonnulla sunt in Deo, quæ secundùm nostrum concipiendi modum ex aliis sequuntur, quemadmodum in rebus creatis perfectiones, operationes, modi, ex natura jam constituta emanant, aut ei jam constitutæ adveniunt. Non sunt hæc figmenta scholasticorum, nempè Patres meminerunt qualitatum, proprietatum, notionum, quæ divinæ essentiæ per mentis operationem adveniunt: *Qualitates* (inquit Basilius lib. 1. contra Eunomium) *& proprietatum differentias, quas circa substantiam ratione cogitationis intelligimus.*

Not. 4. De essentia Dei, eo quo jam jam dictum est modo sumpta, quæritur, in quo posita sit, seu quid sit illud, ex quo secundùm nostrum concipiendi modum attributa, cæteræque divinæ perfectiones emanant, hoc est (ut alii loquuntur) quodnam sit formale constitutivum divinæ essentiæ, prout ab attributis cæterisque qualitatibus præscindit.

Not. 5. Circa quæstionem sic propositam quatuor sunt scholasticorum sententiæ. *Prima*, quæ passim tribuitur Nominalibus, docet, essentiam Dei constitui per actualem cumulum, seu per congeriem omnium perfectionum. *Altera*, quæ est Scoti & ejus discipulorum, contendit, constitutivum essentiæ divinæ esse infinitatem radicalem, seu, exigentiam omnium perfectionum. *Tertia*, cui subscribunt plures Thomistæ, censet essentiam Dei positam esse in intellectione. *Quarta* denique vult, eam positam esse in Aseitate, seu in independentia, ita ut Deus sit Deus præcise quòd sit ens a se, & independens a quolibet alio. Quid in ea controversia sentiamus, duabus quæstionibus aperiendum est.

QUÆSTIO I.

Utrum essentia divina posita sit in cumulo perfectionum, an in infinitate radicali, an in intellectione.

CONCL. 1. FOrmale constitutivum divinæ essentiæ non est cumulus actualis, seu, congeries perfectionum.

Probatur. Quod post aliud concipitur, & fluit ex alio, non est de essentia subjecti; nam essentia est id primum, quod in re aliqua concipitur, quodve apprehenditur tanquam aliorum omnium causa & fundamentum: Atqui perfectiones divinæ non sunt id primum, quod concipitur in Deo: siquidem illud non concipitur primum in Deo, quod de Deo prædicatur in quale: sed perfectiones prædicantur de Deo in quale: Ergo non sunt id primum, quod in Deo concipitur. Major constat, cum ex logicis prius sit *quod rei*, quàm *quale rei*; seu prius sit rem habere esse, quam habere qualitatem: sic prius est hominem esse, quam esse aut pium aut impium. Minor quoque evidens est, per bonitatem v. g. per sapientiam, non dicitur quid Deus sit, sed qualis.

Objicies. Actus purissimus concipi non potest sine cumulo actuali omnium omninò perfectionum: si enim ei aliqua desit, etiam secundùm nostrum concipiendi modum, erit in potentia ad illam: proindeque non erit actus purissimus, cui essentiale est, ut omnem potentialitatem excludat: atqui Deus est actus purissimus: ergo concipi non potest sine cumulo actuali omnium perfectionum: Sed id sine quo res concipi non potest, est de illius essentia: ergo cumulus actualis omnium omninò perfectionum est de essentia Dei.

Resp. 1. argumentum nimis probare; si enim valeret, probaret, nullam dari distinctionem, nequidem rationis,

tionis, inter naturam, seu essentiam divinam, & ejus attributa; hoc est, probaret essentiam esse de formali, ut loquuntur, conceptu attributorum; & vicissim attributa esse de formali conceptu essentiæ: quod tamen est falsum, ut demonstraot Theologi agentes de Attributis in communi.

Resp. 2. neg. maj. Ad cujus probationem distinguo ant. Si naturæ desit aliqua perfectio essentialis, conc. ant. si accidentalis, subdistinguo: Et id oriatur ex defectu naturæ, natura non erit actus purissimus, conc. ant. si id oriatur ex eminentia ejusdem naturæ, neg. ant. Quòd essentia divina sine attributis, seu perfectionibus concipiatur, id non oritur ex defectu essentiæ divinæ, sed ex illius eminentia, in eo posita, quòd sit veluti radix tum perfectionum, tum attributorum; quòd per eam & perfectiones & attributa probentur, ex eaque necessariò sequantur. Ratio autem cur id, cui propter eminentiam aliquid deest secundùm nostrum concipiendi modum, sit tamen actus purissimus, petitur ex eo, quòd eminentia rei efficiat (sicut inferiùs dicetur) ut res illa æquivaleat alteri realiter distinctæ; ac proinde intellectui præbeat fundamentum eam sine altera concipiendi.

CONCLUSIO 2. Formale constitutivum divinæ essentiæ non est infinitas radicalis.

Probatur. Id non est formale constitutivum divinæ essentiæ, ante quod aliud concipitur in Deo: Atqui aliud in Deo concipitur ante infinitatem radicalem: siquidem infinitas radicalis est exigentia omnium omninò perfectionum: sed ante exigentiam omnium omninò perfectionum aliquid aliud in Deo concipitur, nempe causa illius exigentiæ: quælibet enim naturæ exigentia oritur ab aliquo priori; sic ex motu partium, ex quibus sol constat, reddi potest ratio, cur sol exigat producere calorem & lucem. Si quis verò respondeat, exigentiam omnium perfectionum in Deo oriri ab ipsa divina natura, non satisfaciet; ab eo nempè quæri rursus poterit, unde fiat, quòd divina natura ejusmodi habeat exigentiam?

Objicies. Deus consideratus in esse physico continet actu omnes omninò perfectiones: ergo consideratus in esse metaphysico, exigit habere omnes omninò perfectiones.

Resp. conc. ant. disting. conseq. Ergo consideratus in esse metaphysico, exigit mediatè omnes omninò perfectiones, conc. conseq. exigit immediatè neg. conseq. Deus consideratus in esse metaphysico, exigit quidem mediatè omnes omninò perfectiones, quia dicit hunc conceptum, nempè esse a se, ex quo (ut infra dicetui) sequitur hujusmodi exigentia.

CONCLUSIO 3. Constitutivum formale divinæ essentiæ non est intellectio.

Probatur. Intellectionis nomen sumi potest tantùm aut pro facultate intelligendi, aut pro intellectione actuali. Atqui nec facultas intelligendi, nec intellectio actualis sunt formale constitutivum divinæ essentiæ: ergo &c. Probatur min. Ut aliquid sit constitutivum alicujus rei tria in eo requiruntur: *Primum*, ut nihil aliud prius supponat: *Secundum*, ut omnes rei perfectiones ex eo fluant: *Tertium*, ut ita sit proprium illi rei, cujus est constitutivum, ut alteri communicari non possit: atqui neutrum ex his tribus convenit, aut facultati intelligendi, aut intellectioni actuali.

Non primum: siquidem intellectio actualis supponit ante se facultatem intelligendi, quia operatio supponit principium, seu, facultatem, a qua oriatur; prius est enim, secundùm nostrum concipiendi modum, naturam habere principium operationis, quam ipsam actualem operationem: ipsa verò facultas intelligendi supponit ante se naturam jam in suo esse constitutam: nempè prius intelligitur rem esse, quam habere facultatem operandi.

Non secundum; nec enim bonitas, infinitas, &c. sequuntur aut ex facultate intelligendi, aut ex ipsa intellectione actuali, cum non valeat hoc argumentum: *Deus habet facultatem intelligendi, aut actu intelligit: ergo est bonus: ergo est infinitus: ergo est immutabilis, &c.*

Non denique tertium; quippè certum est, tum intelligendi facultatem, tum actualem intellectionem posse convenire, & de facto convenire alteri quam Deo, nimirùm cuilibet menti creatæ, sive angelicæ, sive humanæ.

Objicies 1. Essentia Dei debet constitui per gradum intelligendi, ergo & per actualem intellectionem. Ant. patet ex eo, quod essentia Dei debeat constitui per perfectissimum ex iis gradibus, qui naturam, seu essentiam aliquam possunt constituere; solus autem gradus intelligendi est hujusmodi: nempe perfectior est simpliciter tum esse, seu eo, per quod res est extra causas, tum vivere, seu ente, quod habet primum gradum vitæ, ut plantæ, vel secundum, ut bruta. Itaque probatur conseq. Essentia Dei debet constitui per id, quod est perfectius in gradu intelligendi: Sed actualis intellectio est ejusmodi: ergo si Dei essentia constituitur per gradum intelligendi, debet constitui per intellectionem actualem.

Resp. 1. neg. ant. Ad cujus probationem dist. min. gradus intelligendi est perfectior esse, *præcisè* & in se sumpto, conc. ant. esse *A se*, & independenter ab alio, neg. ant. Ratio est, quia (ut quæstione sequenti dicetur) esse à se, est radix tum gradus intelligendi, tum aliarum omnium perfectionum.

Resp. 2. neg. ant. Ad probationem, dist. maj. Essentia Dei debet constitui per gradum perfectissimum ex iis gradibus, qui naturam aliquam constituere possunt, si ille gradus sit primus, si sit proprius, si ex eo emanent quæ sequuntur ex Dei essentia, conc. maj. si nec sit primus, nec proprius, nec radix aliorum, quæ ex Dei essentia sequuntur, neg maj. Ejusmodi verò non esse gradum intelligendi, ostentum est in probatione nostræ conclusionis.

Objicies 2. & simul Instabis. Essentia Dei per id constituitur, quod est ultimum complementum naturæ divinæ spectatæ ut natura est: sed intellectio actualis est hujusmodi: ergo constituitur per intellectionem actualem.

Resp. 1. neg. ant. Intellectio nimirùm non pertinet ad naturam, sed ad operationem, saltem secundùm nostrum concipiendi modum.

Resp. 2. dist. maj. Si sit ultimum complementum naturæ spectatæ, tùm in esse physico, tum in esse metaphysico, con. maj. si in esse physico tàtùm neg. maj. Antè intellectionem natura divina est completa in esse metaphysico, quia (ut jam observatum est) habet id, ex quo emanant tum intellectio, tum cetera attributa, quæ ad Deum spectant.

Objicies 3. Per illud natura divina constituitur, quod Verbum divinum recipit ex vi suæ processionis. Atqui Verbum ex vi suæ processionis recipit intellectionem actualem: ergo per illam natura divina constituitur. Major patet, quia Verbum divinum per id, quod recipit a Patre vi suæ processionis, constituitur filius: non potest verò constitui filius, nisi per communicationem naturæ: itaque sic ostenditur minor. Verbum vi suæ processionis recipit esse Verbi: sed esse Verbi est intellectio actualis: nam illud est intellectio actualis, quod est illius terminus: atqui Verbum est terminus actualis intellectionis, cùm Pater intelligendo semetipsum producat Verbum: ergo.

Resp. ad prim. conc. maj. neg. min. Ad 2. concessa quoque maj. neg. min. Ad 3. neg. maj. Terminus intellectionis est persona, quæ per eam producitur, sicut in humanis terminus generationis non est ipsa generatio, sed persona, quæ generatur: ea verò persona dicitur filius, eò quòd a patre procedat per actionem, intellectionem scilicet, quæ ex se est assimilativa generanti. Hinc patet

cur

cur Spiritus Sanctus non dicatur filius Patris: id nempè contingit, quòd filiatio dicat processionem viventis à vivente in similitudinem naturæ: ea autem processio in similitudinem naturæ non convenit Spiritui sancto, quippè procedit per amorem, qui *ex se* non est, sicut intellectio, assimilativus principio producenti.

QUÆSTIO II.

Utrum essentia Dei constituatur per ens à se.

CONCLUSIO. Essentia Dei constituitur per ens à se.

Probatur 1. argumento negativo. Quatuor sunt tantùm, per quæ secundum nostrum concipiendi modum essentia Dei constitui potest, nempè cumulus divinarum perfectionum, infinitas exigitiva, intellectio actualis, & ens a se, seu ut loquuntur, Aseitas: atqui per tria priora non constituitur; (ut ostensum est) ergo per ultimum tantùm.

Probatur 2. Ex dictis, tria requiruntur in eo, per quod essentia divina constituitur, ut sit primum, ut sit proprium, ut sit aliorum radix & fundamentum. Atqui tria illa conveniunt enti à se, seu, aseitati. Et quidem 1. ante ens à se nihil prius in Dei natura concipitur; si quid enim esset prius, foret ipsum esse simpliciter, seu esse abstrahens ab esse à se, aut esse ab alio: Sed esse simpliciter in Deo non est prius esse à se, aut esse ab alio, cum esse simpliciter sit maximè imperfectum, utpotè indifferens ad esse aut a se, aut esse ab alio. 2. Ens à se est maximè proprium Deo: scilicet ita naturæ divinæ convenit, ut non possit communicari naturæ creatæ; creatura enim est essentialiter ab alio, eò quod ipsi essentialis sit dependentia. 3. Ens a se est in Deo radix & fundamentum omnium, quæ sunt in Deo; quod enim à se ipso habet *existere*, seu esse, habet necessariò ea omnia, quæ sunt ipso esse substantiali minora, hoc est, perfectiones, quæ sunt modi ipsius entis substantialis. Confirmatur argumento, quod solet intorqueri adversùs Atheos. Si per impossibile creatura aliqua sibi dedisset esse, illa creatura dedisset quoque sibi omnes omninò perfectiones: qui enim dat sibi majus, dat & sibi quod minus est in eodem genere.

Probatur 3. Essentia Dei constituitur per id, quo ipse Deus eam expressit: atqui Deus suam essentiam expressit per esse a se; nam interrogatus a Moyse, quis esset, sic Exodi 3. respondit: *Ego sum qui sum: sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Quæ quidem verba R. Moses Maimonides sic apud Petavium interpretatur: *Existens, qui est existens; quasi diceret, Qui necessariò existit.*

Confirmatur. Voces istæ: *Qui est*, designant esse, quo entia destituta, sunt quasi nihil. Sed esse, quo entia destituta, sunt quasi nihil est esse à se, teste Hieronymo in tertium caput Epist. ad Ephesios, ubi hæc scribit: *Loquitur in Exodo Dominus sic: Ego sum qui sum. Nunquid solus Deus erat, & cætera non erant? utique angeli, cælum, terra, vel maria, & ipse Moses cui Dominus loquebatur, erant, & quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat Deus? Illa ut diximus causa, quia cætera ut sint, Dei sumpsere beneficio. Deus verò qui semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui origo est, suaque causa substantia, non potest intelligi aliunde habere, quod subsistit.*

Objicies 1. Per id non constituitur essentia divina, quod imbibitur in omnibus Dei perfectionibus: atqui esse à se, seu, ut loquuntur, aseitas imbibitur in omnibus Dei perfectionibus: ergo essentia divina non constituitur per esse a se. Major constat, quia id, per quod constituitur aliquid, efficit, ut ab aliis omnibus differat: sic quòd rationale hominis essentiam constituat, efficit, ut homo à cæteris omnibus entibus creatis differat: è contra ratio entis non potest alicujus rei peculiaris essentiam constituere, eò quòd reperiatur in omnibus alia rebus, & in omnibus ipsiusmet rei perfectionibus: itaque probatur minor. Illud imbibitur in omnibus Dei perfectionibus, quod de iis verè prædicatur: Sed esse a se, seu aseitas, de omnibus Dei perfectionibus prædicatur: veræ sunt enim istæ propositiones, Bonitas est ens a se, justitia est ens a se, & ita de cæteris: ergo ratio entis a se imbibitur in singulis Dei perfectionibus.

Resp. ad 1. concessa maj. nego. min. Ad 2. dist. maj. Illud imbibitur in omnibus Dei perfectionibus, quod de iis verè prædicatur, & secundùm conceptum implicitum, & secundùm conceptum explicitum, conc. maj. secundùm conceptum implicitum tantùm, nego maj. Dist. pariter min. Sed esse à se de omnibus Dei perfectionibus verè prædicatur, tantùm secundùm conceptum implicitum, conc. min. secundùm conceptum explicitum, neg. min. & conseq. Ens a se prædicatur de omnibus Dei perfectionibus secundùm conceptum implicitum, eò quòd singulæ Dei perfectiones sint realiter idem, cum essentia divina, cui convenit esse a se; proindeque qui concipit unam perfectionem, implicite concipit Dei essentiam: non prædicatur verò secundùm conceptum explicitum, quia conceptus explicitus perfectionis in eo positus est, quòd sit talis modificatio divinæ essentiæ: at reduplicativè, prout est modificatio divinæ essentiæ, seu entis à se, non est ens a se, sed ab eo (ut suo loco dicetur) virtualiter distinguitur; proindeque præbet fundamentum conceptus diversi ab eo, per quem ipsum esse a se concipitur.

Objicies 2. Per esse a se intelligi tantùm potest non esse ab alio, aut tanquam a causa, aut tanquam à principio: Sed neutrum constituit essentiam Dei: Ergo esse à se non est illius constitutivum formale, seu forma, per quam constituitur.

Probatur minor. *Primò*, esse à se, prout excludit causam, a qua pendeat, convenit singulis attributis, ipsis etiam relationibus: neque enim aut attributa, aut relationes pendent ab aliqua causa: Sed essentia Dei non constituitur per id, quod tum attributis, tum relationibus convenit, cum ex logicis, constitutivum rei sit quoque illius distinctivum. *Secundò*, Esse à se, prout excludit principium, non reperitur in divinis relationibus; personis nempe Filii & Spiritus sancti; nam persona Filii procedit a Patre, & persona Spiritus sancti procedit à Patre simul & Filio: sed quod non convenit divinis personis, non potest constituere essentiam divinam; alioquin personæ divinæ non essent Deus, quòd est contra fidem.

Resp. 1. neg. maj. Ratio est, quia inter non esse ab alio, aut tanquam a causa, aut tanquam a principio, datur medium, nimirum non esse ab alio tanquam a radice: non esse verò ab alio tanquam à radice, nequaquam convenit divinis attributis, ac proinde essentia divina per *Esse à se* secundum totam suam latitudinem sumptum non convenit divinis attributis; sicque per illud essentia rectè ab attributis distinguitur.

Resp. 2. ad secundam partem secundi argumenti, neg. min. Tantùm enim abest, ut valeat hoc argumentum: *Esse à se non convenit divinis personis, ergo non constituit essentiam Dei*: quin potiùs contrarium concludi debeat, cum id, quo essentia aliqua constituitur, ita sit ei proprium, ut alteri communicari minime possit: nec inde tamen sequitur, quod personæ non sint Deus: nempe sunt Deus, eò quòd sint idem realiter cum essentia divina, licet secundùm nostrum concipiendi modum ab ea distinguantur, eaque sint posteriores. Hinc patet, essentiam Dei per aseitatem adæquatè sumptam distingui 1. a creaturis, quòd sint ab alio tanquã a causa, à qua pendent: 2. a divinis attributis, quod sint ab alio tanquam a radice, a qua fluunt: 3. à personis, quòd sint ab

alio

alio tanquam à principio, à quo sumunt originem.

DISSERTATIO TERTIA.

De Dei Attributis in communi.

Not. 1. ATtributorum nomine Theologi intelligunt formas absolutas, quæ secundùm suum proprium esse existunt in Deo, ab ejusque natura tanquam proprietates emanant.

Not. 2. Ex ea definitione patet, attributa distingui à divinis personis: istæ enim sunt formæ relativæ, illa verò sunt formæ absolutæ. Patet 2. ea quoque distingui a creaturarum perfectionibus, quas vocant simplices secundùm quid; istæ nimirum non sunt a Deo (ut suo loco dicetur) secundùm suum proprium esse, illa verò proprium suum esse habent in Deo.

Not. 3. De Dei attributis in genere quærunt Theologi, quomodo tum ab essentia divina tum a se invicem distinguantur. Licèt quæstio illa ad tractatum de Dei simplicitate pertineat, hic tamen eam pertractabimus, eò quòd connexa sit cum iis, quæ priore dissertatione de Dei essentia dicta sunt.

Not. 4. Circa distinctionem essentiæ ab attributis, & attributorum à se invicem, duplex quondam fuit error e diametro oppositus. Gilbertus Porretanus docuit, cum inter essentiam, tum inter attributa, reperiri distinctionem realem actualem, qualis esse solet inter rem & rem. Gregorius Palamas schismaticus Græcus docuit essentiam realiter ab illius operationibus distingui.

Not. 5. Inter eos oppositos errores mediant Catholicorum sententiæ. Scotus censet, essentiam Dei tum ab attributis, tum a personis, attributa a se invicem distingui distinctione reali; non actuali quidem, sed formali. Thomistæ inter attributa admittunt distinctionem virtualem. Nominales contendunt, inter ea esse solam distinctionem rationis ratiocinantis. Sed ut tum fides Catholica, tum verior scholasticorum sententia astruantur, hanc de divinis attributis in communi dissertationem in varias quæstiones partiemur.

QUÆSTIO I.

De Gilberti Porretani errore circa distinctionem essentia divina ab attributis, & attributorum à se invicem.

Not. 1. GIlbertus Porretanus duodecimo sæculo Pictavorum, unde oriundus, Ecclesiam rexit. Cum in magno Clericorum conventu quædam inusitata de SS. Trinitate protulisset, delatus est ad Eugenium Papam III. à quo tum in Concilio Parisiensi, tum postea in Remensi damnatus est libellus, quo illius dogmata continebantur: cum ejus tamen persona humaniùs actum est, quod sæpiùs protestatus fuisset, se suam sententiam Romani Pontificis, ac Ecclesiæ judicio subjicere.

Not. 2. Auctores non conveniunt in explicando Gilberti errore circa essentiam divinam & illius tum attributa, tum personas. Vasquesius docet, eum catholicè sensisse circa identitatem essentiæ cum attributis divinis & attributorum inter se, seu, vult ab eo admissam fuisse identitatem realem essentiæ cum attributis, & attributorum cum se invicem; sed addit, peccasse eum contra fidem, quòd essentiam à personis realiter distinxerit: è contra cæteri theologi passim affirmant, Gilbertum peccasse contra fidem tum circa identitatem realem essentiæ cum attributis & cum personis, tum circa identitatem realem attributorum inter se, ita ut voluerit, essentiam in Deo à parte rei distingui & ab attributis & a personis, & ipsa etiam attributa a se invicem.

CONCL. 1. Gilbertus Porretanus distinxit realiter Dei essentiam tum ab attributis, tum à personis, tum attributa à se invicem.

Probatur 1. authoritate S. Bernardi, quem Gilbertus in Concilio Remensi strenuum adversarium passus est. Ille realiter actu distinxit essentiam ab attributis & attributa a se invicem, qui docuit, Deum esse justum, bonum, sanctum, Deum, per formas, quæ a se invicem discrepant, & quæ non sunt Deus. Atqui id docuit Gilbertus Porretanus: sic enim de ejus sententia loquitur Bernardus sermone octogesimo in Cantica: *Recedant à nobis, charissimi, recedant novelli, non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem qua magnus est Deus, & item bonitatem qua bonus, sed & sapientiam qua sapiens, & justitiam qua justus, postremò divinitatem qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant: Divinitate, (inquiunt) Deus est: sed divinitas non est Deus.*

Probatur 2. testimonio Gaufredi Claravallensis monachi, quem Bernardus ad Remense Concilium duxerat. Is in laudati Concilii actis, quæ misit ad Cardinalem Albensem, scribit, Gilberti æquivocationes hac una Bernardi interrogatione præclusas fuisse: *Quid necesse est circa hujusmodi verba diutiùs immorari? non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quòd plures creditre vos credunt, & docere, quod divina essentia, vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo non est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate.* Quibus quidem Bernardi verbis hæc Gaufredus subjicit: *Ausus est dicere: Forma Dei est divinitas, qua Deus est, & ipsa non est Deus.* Unde sic arguitur: Qui negavit attributa esse Deum, divinitatem esse Deum, ille reverà distinxit Dei essentiam ab attributis & attributa à se invicem: atqui id, Gaufredo teste, negavit Gilbertus Porretanus: ergo, &c.

Objicies. Otto Frisingensis scribit hist. lib. 1. cap. 50. hoc inter alia objectum esse Gilberto, quòd assereret, *divinam essentiam non esse Deum: quòd proprietates personarum non essent ipsæ personæ.* Scribit quoque, cum in Concilio Remensi Eugenio interroganti, *Anne illam summam essentiam, qua tres personas consiteris unum Deum, credas esse Deum*, respondisse, *Non esse Deum*: atqui Gilbertus Dei nomine non intellexit naturam divinam, sed personas divinas; ergo nusquam asseruit, inter essentiam & attributa reperiri distinctionem realem actualem, sed tantùm inter essentiam & personas. Probatur min. Gilbertus postridiè postulatus de suo responso, eodem Ottone teste, respondit, non se simpliciter asseruisse, naturam vel essentiam non esse Deum, sed tantùm cùm nomen *Deus* personam significat.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dico, fidem haberi debere potius Bernardo, qui in Concilio Remensi contra Gilbertum manus conseruit, quam Ottoni, qui ipsi non aderat. Præterea Otto plus æquo propensus fuit in Gilbertum, cujus errores emollit; scilicet morti proximus, teste Raderico, qui supplevit id, quod deerat illius historiæ, cavit, *ut si quid pro sententia magistri Gilberti dixisse visus esset, quod quemquam* (de Bernardo loquitur, cui subiniquus fuit) *posset offendere, ad piorum & doctorum arbitrium corrigeretur.*

CONCL. 2. Gilberti error de distinctione reali actuali, tùm inter essentiam, attributa & personas, tùm inter attributa à se invicem, meritò proscriptus est ab Ecclesia.

Probatur 1. Si essentia realiter actu ab attributis, aut personis distingueretur, aut eadem distinctione reali attributa inter se distinguerentur, Deus non esset ens simplex, sed compositum; quod quidem sic ostenditur.

Com-

Compositio, ex Philosophis, est distinctorum unio: atqui in Deo esset distinctorum unio, essentiæ nimirùm, attributorum & personarum, quæ licet a divina natura, in suppositione Gilberti, distincta essent, cum illa tamen intimè forent conjuncta. Urget illud argumentum Bernardus lib. 5. de Consideratione, ubi hæc ait: *Tam non est simplex quod uni fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo vel uni conjuncta viro*.

Probatur 2. Si essentia ab attributis realiter & entitative distincta esset, in Deo non esset trinitas, sed quaternitas: sed falsum est consequens, ut definitum est in Concilio Lateranensi: ergò & antecedens. Probatur major. Ibi est quaternitas, ubi sunt quatuor realiter & entitativè distincta; quemadmodum ubi sunt tres personæ, ibi est trinitas: sed in Deo essent quatuor realiter distincta: natura nimirùm, & tres personæ, imò esset centenitas, ut Bernardus loquitur, cum centum sint attributa tum ab essentia tum a personis realiter distincta: *Si diversa putamus*, ait S. Doctor lib. 5. de Consideratione, *non quaternitatem habebis, sed centenitatem*.

Probatur 3. In Concilio Remensi contra Gilbertum definitum est, Deum nonnisi sapientia, quæ ipse Deus est, sapientem esse; nec nisi magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse: Sed corrueret ea Concilii definitio, si essentia realiter & entitative ab attributis distingueretur: *Scribatur stylo ferreo*, inquit Bernardus in laudato Concilio Remensi, *quòd divina essentia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo, verè est Deus*.

QUÆSTIO II.

De Gregorii Palamæ sententia circa distinctionem essentiæ divinæ ab illius operationibus.

Not. 1. GRegorius Palamas primùm monachus apud Græcos, ac postea Thessalonicensis Episcopus, asseruit, Andronico juniore imperante, operationes Dei tum ad intra, tum ad extra, seu, tum eas, quibus Filius & Spiritus sanctus à Patre producuntur, quibus eædem personæ aut se ipsas amant, aut seipsas intelligunt; tum eas, quibus Deus olim creaturas eduxit ex nihilo, & nunc conservat, ab essentia Dei realiter esse distinctas; contendit tamen, eas non esse aliquid creatum, sed quid medium inter Deum & creaturam, quod ipsis creaturis in earum productione communicetur.

Not. 2. Ecclesia Græca schismatica, Palamæ, cæterorumque monachorum errorem amplexa est in synodo Constantinopolitana, quam Græci nonam Oecumenicam appellant: hæc Barlaamo monacho, & Acindyno illius discipulo anathema dixit, quòd contrarium docuissent: *Hæc sancta & Oecumenica synodus nona* (verba sunt, quibus utitur in synopsi quadam, pluribus ab hinc annis græcè edita Lutetiæ) *habita est Imperatore Andronico Paleologo, & Joanne ejus filio, contra Barlaamum & Acindymum; hi enim asserebant, aliàs quidem nullam in divina natura distinctionem esse inter substantiam & operationem; sed idem esse, ac nihil differre; aliàs verò interesse dicebant, sed substantiam quidem increatam esse, ejus autem substantiales operationes, & naturales, diversas esse concedentes, non tamen increatas, sed*, secundùm terminum, *creatas*. Historiam illam legere est apud Nicephorum Gregoram tom. 3. Bibliothecæ Patrum edit. Parisiensis.

CONCLUSIO. Inter Dei essentiam & illius operationes, nulla debet admitti distinctio realis entitativa.

Probatur 1. Palamas ac ejus discipuli supponunt, dari entitates aliquas, quæ nec quid creatum sint, nec quid increatum: quod est absurdum: vel enim medium illud, quod Deum inter & creaturam statuunt, a Dei essentia pendet, vel non pendet: si primum, est Deus; si secundum, non est a se; ac proinde non aliud est quàm creatura.

Probatur 2. Si operatio immanens, seu, quæ extra Deum non exit, cujusmodi est ea, qua Pater generat Filium, & cum Filio producit Spiritum sanctum, sit aliquid à divina substantia realiter distinctum, 1. Dei substantia non erit immutabilis; de novo enim adveniet ei entitas aliqua realis, operatio nimirùm ab eo distincta: 2. non erit omninò simplex, sed maximè composita, ex seipsa scilicet, & variis operationibus, quæ licet sibi intimè conjunctæ sint, aliud tamen erunt ab ipsa.

Probatur 3. Vel illæ entitates sunt substantiæ, vel accidentia: atqui neutrum dici potest: alioquin dicendum esset, in Deo plures esse substantias, plura esse accidentia realiter distincta; quod haud dubie naturæ divinæ repugnat.

Probatur 4. Palamitæ operationum nomine, non tantùm Dei actiones intelligunt, sed etiam Dei attributa, per quæ, in eorum sistemate, substantia operatur; contendunt enim, Dei substantiam per se non esse operativam, sed tantùm per suas, ut ajunt, energias, bonitatem, sapientiam & alias perfectiones: unde contra eos proferri possunt omnia argumenta, quæ contra Gilbertum Porretanum superiori quæstione prolata sunt.

Objicies 1. Patres docent, naturam & efficientiam differre: *Facere, efficientiæ est*, inquit Cyrillus; *naturæ verò, generare*: ergo in Deo natura & efficientia non sunt idem.

Resp. ad 1. negn ant. Ad 2. dist. conf. Non sunt idem secundùm terminum, eò quòd efficientiæ terminus sit creatura, terminus verò generationis sit Verbum divinum, conc. conseq. non sunt idem secundùm rem, & secundùm substantiam, neg. conseq. Ratio est, quia distinctio terminorum non constituit diversam realiter operationem: nam quamvis Spiritus sanctus sit persona distincta a persona Filii, spiratio tamen, per quam producitur, a cognitione, per quam Filius generatur, non distinguitur realiter.

Objicies 2. Dionysius caput secundum de divinis nominibus sic inscribit: *De unita & distincta Theologia; quænam sit divina unio & distinctio?* Ergo Dionysius supponit in Deo unitam, ac distinctam theologiam, unionem quandam & distinctionem. Atqui unionis nomine non aliud intelligit, quam divinam essentiam, quæ est unica; distinctionis verò, non aliud, quam operationes attributa, perfectiones Dei: ergo Dionysius censuit, ea distingui realiter a divina substantia.

Resp. neg. subsumptum. Ratio est, quia ad unionis nomen eo in capite Dionysius refert ea omnia, quæ absolutè Deo tribuuntur, ut sunt bonitas, sapientia, & cæteræ hujusmodi perfectiones; ad distinctionem verò refert perfectiones relativas, quæ, ut fides docet, distinctionem in divinis efficiunt.

Objicies 3. Chrysostomus hom. 73. in hæc Christi apud Joannem verba: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum*, apertè distinguit essentiam ab attributis: sic enim loquitur: *Videamus præterea, quidnam Philippus intueri velit, an sapientiam Patris? an vero bonitatem? Minimè. Sed hoc ipsum, quid tandem sit Pater, ipsam, inquam, essentiam*.

Resp. dist. ant. Chrysostomus attributa sumpta secundùm sui quandam communicationem in productione rerum creatarum, distinguit ab essentia, conc. ant. sumpta secundùm se & a parte rei, neg. ant.

Objicies 4. Dionysius cap. XI. de divinis nominibus ait, in Deo esse efficientias quasdam ab ipsa natura divina distinctas: *Quamobrem*, ait, *principaliter & divinè & causaliter, hoc quod vocatur ipsum esse, ipsam vitam, ipsam divinitatem, dicimus esse unum omnium superprincipale, & supersubstantiale principium & causam; participatione verè providas virtutes, quæ ex minimè participabili*

li Deo proficiscuntur: nempè per se substantiæ effectionem, ipsam vitæ effectionem, ipsam divini effectionem, quorum participatione pro suo captu quæcunque sunt nata & existentia & viventia, & divina sunt & nominantur. Palamiticæ igitur distinctioni essentiæ ab attributis favet Dionysius.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. admisso Dionysii testimonio, neg. conseq. Ratio est, quia S. Doctor nomine providarum virtutum, quæ ex natura divina proficiscuntur, non intelligit operationes divinas, aut attributa, sed ideas rerum, quas Deus gerit ab æterno in mente sua, ad quarum conformitatem fiunt quæcunque in tempore producuntur; quid autem sint illæ ideæ, quomodò à natura divina differant, dicemus infra, cum de divinis ideis sermonem instituemus.

QUÆSTIO III.

De errore Eunomii circa distinctionem Essentiæ ab Attributis.

Not. 1. EUnomius cæterique Ariani, docuerunt, nullam, ne mentalem quidem, admitti debere distinctionem inter essentiam divinam & illius proprietates, sive absolutas, sive relativas. Cum verò urgerentur Scripturis, quæ essentiam & attributa diversis nominibus exprimunt, respondebant, sola tantum seu nominis differentiam Scripturæ testimoniis innui, ita ut sapientia non differret ab essentia, aut ab aliquo attributo, nisi secundùm nomen.

Not. 2. Ideo autem Eunomius aliique Ariani negabant, distinctionem mentalem inter essentiam, & attributa divina admitti debere, ut totum discrimen, quod inter naturam, attributa, & personas Scripturæ statuunt, in naturam ipsam, non autem in nostrum intelligendi modum refunderent, concluderentque diversitatem, non personarum tantum, sed etiam naturarum inter Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

CONCLUSIO. A Patribus, & quidem meritò, proscriptus est error Eunomii, nullam, nequidem mentalem, admittentis distinctionem inter essentiam divinam & ejus attributa.

Probatur 1. Essentia divina, teste Basilio lib. 1. adversus Eunomium, se habet respectu attributorum, sicut Christus respectu variorum officiorum, quæ obiit: atqui inter Christum, & varia ejus officia reperitur mentalis distinctio: ergò reperitur quoque inter divinam essentiam, & illius attributa. Probatur min. Inter ea reperitur mentalis distinctio, quorum unum concipi potest, alio non concepto, saltem explicitè, id est sub ratione formali, quam istud aliud importat: Sed Christus concipi potest, non conceptis variis illius officiis, saltem explicitè; neque enim eum mens cum sibi tanquam pastorem exhibet, de eo cogitat, prout est (sicut ipsemet ait in Evangelio) vitis, via, ostium.

Probatur 2. Ideò essentia divina nequidem distinctione mentali distingueretur ab attributis, quòd sit idem actu cum illis: Atqui illa ratio nulla est, ut subsequentibus momentis ostendi potest.

Primò. Quamvis essentia sit idem actu cum personis, seu, (ut Patres loquuntur) cum notionibus, tamen mens concipit personas sine essentia, & vicissim essentiam sine personis, seu, has ab illa distinguit, & vicissim illam ab istis; hinc fit, ut ingenitum, & innascibile, non concipiantur in Filio, quamvis in eo sit essentia divina, cum qua ingenitum & innascibile sunt omninò idem. *Secundò*. Ea vis est mentis, ut quæ maximè sunt idem, dividat tamen, ac à se invicem distinguat: sic licèt triticum res una sit, & suo modo simplex, modò tamen concipitur ut fructus est de terra natus, modò ut semen, modò ut alimentum hominis: sic etiam quamvis anima, intellectus, & voluntas, sint à parte rei una res simplicissima; nihilominus mens modò animam absque illius potentiis, modò potentias absque anima concipit.

Objicies 1. Si attributa, etiam per mentem, distinguantur ab essentia, erit compositio saltem rationis in Deo: atqui nulla omninò, ne mentalis, quidem, admittenda est compositio in Deo: ergo neque distinctio.

Probatur maj. Compositio est unio distinctorum, qualicunque modo distincta sint, sive actu, sive per mentem tantùm: sed in Deo erit unio distinctorum, essentiæ nimirùm, & attributorum: ergo erit quoque compositio saltem mentalis.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. distinguo majorem: compositio est unio distinctorum, si illa distincta sese invicem excludant, conc. maj. si sese invicem includant, neg. maj. Distinguo pariter min. Sed in Deo est unio distinctorum, quæ sese invicem includunt, conc. min. quæ sese invicem excludunt, neg. min. & conseq. Compositio essentialiter dicit partes; partes autem sese invicem excludunt, sic pes excludit manum: at in Deo nullæ sunt omninò partes. Quamvis enim mens attributa sine essentia concipiat, eam tamen non excludit ab attributis; & quidem meritò, cum essentia sit idem realiter cum illis: hinc patet, mentem per varios suos conceptus rem unam & eandem attingere, sed sub diversis notionibus Gregorii Nysseni est illa solutio: *Quis ita stupidus*, ait adversùs Eunomium agens, *ut ignoret divinam quidem naturam, quidquid tandem secundùm essentiam est, esse unam & uniformem, atque compositionis expertem: humanam verò animam humi jacentem, quoniam non potest, quod quæritur, liquidò perspicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diversè ac multipliciter contendere, non una aliqua cogitatione quod latet indagantem?*

Objicies 2. Ea distinctio admitti non debet, quæ importat errorem: atqui distinctio quælibet, licèt mentalis, inter essentiam divinam & attributa, importat errorem: tunc enim errat intellectus, cum unum ab eo distinguit, a quo revera non est distinctum: ergo admitti non debet distinctio mentalis inter essentiam & attributa.

Resp. ad 1. nego min. ad 2. dist. maj. Tunc errat intellectus, cum unum ab eo distinguit, a quo reverà non est distinctum, si ea distinctio fiat per affirmationem, seu, per operationem intellectus, quæ dicitur *judicium*, conc. maj. si fiat tantùm per operationem, quæ dicitur *simplex apprehensio*, neg. maj.

Ratio est, quia distinctio, quæ fit tantùm per simplicem apprehensionem, est mera abstractio, seu, præscisio unius ab alio; abstrahentium autem, ut ajunt Philosophi, non est mendacium. Cadit igitur tantùm mendacium, seu error, in judicium, eò quòd non sit mera abstractio, sed vera aut affirmatio, aut negatio; at distinctio, quæ reperitur inter attributa & essentiam divinam, non fit per mentis judicium, sed per meram illius apprehensionem.

Objicies 3. Si attributa ab essentia per mentem distinguerentur, ideæ quædam singulares, seu notiones subessent nominibus, quibus aut essentia, aut attributa exprimuntur; isti v. g. nomini, *Ingenitum*, responderet idea, quæ non responderet isti nomini, *Substantia*, aut isti, *Immortalis*. Atqui nominibus, quibus aut substantia, aut bonitas, aut immortalis exprimuntur, non subsunt ideæ quædam, aut notiones singulares: ergo, &c.

Minor propositio sic ostenditur. Ingenitum, substantia, immortalis, idem in Deo significant; seu, & substantia, & principii expers, & carens fine, indifferenter significantur: alioquin dicendum esset, Deum esse ingenitum tantùm, quatenùs est expers principii; immortalem tantùm, quatenùs caret fine: substantiam tantùm, quatenùs subjectum est alterius: atqui id admitti non debet, nam inde sequeretur, quòd Deus quatenùs non est ingenitus, sit genitus: quòd sit mortalis, quatenùs non est im-

immortalis; quòd non sit substantia, quatenus non subest alteri. Ita apud Basilium ratiocinatur Eunomius.

Resp. ad 1. concessa maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ad 3. neg. min. Ad 4. denique nego sequelam. Ratio est, quia in ea propositione, *Deus quatenus non est ingenitus, est genitus*, ab abstractione mentis fit transitus ad ipsum subjectum, prout est a parte rei; seu concluditur, Deum esse genitum, ex eo quòd mens cum perpendit essentiam, aut immortalitatem, aut aliud attributum, non cogitet, quòd Deus expers sit principii: at transitus iste a nemine logico admitti debet; neque enim mera cogitatio aliquid ponit in re, aut quidpiam ab ea detrahit.

Desumpta est ea solutio ex Gregorio Niss. qui ad illum Eunomii argumentum sic respondet: *Itaque subjectum ipsum*, Deus, *sine initio est ac fine; quod quidem omne nomen, ac notionem omnem superat. Hoc verò quod est, neque ex causa ipsum oriri, neque unquam esse desinere hac nominum iterum*, ingenitum, incorruptibile, *commentatione declarantur*. Id verò S. Doctor extendit ibidem non tantùm ad ingeniti & incorruptibilis notiones, *sed ad alias innumeras, quas circa divinam vitam contemplamur, quarum unaquæque per sese, secundùm propriam, ac peculiarem intelligentiam, significantioribus nominibus enuntiatur*.

QUÆSTIO IV.

De sententia Scoti circa distinctionem essentiæ divinæ ab attributis, & attributorum à se invicem.

Not. 1. Distinctio passim à theologis dividitur, & in distinctionem realem, & in distinctionem rationis. Prior est ea, quæ ante mentis operationem reperitur, aut inter duas res, aut inter rem & ejus modum, aut inter varios ejusdem rei modos. Posterior est ea, quæ oritur ex diversis unius ejusdemque rei conceptibus, seu per quam intellectus apprehendit unam objecti perfectionem sine alia, quæ tamen a parte rei est idem cum ea.

Not. 2. Inter duplicem eam distinctionem Scotus tertiam admisit, quam vocat formalem ex natura rei: *formalem* quidem, quòd non sit inter duas res; sed aut inter substantiam, & illius formas, seu perfectiones, aut inter ejusdem substantiæ varias formas, seu perfectiones: *ex natura rei*, eò quòd sit in re ipsa, & independenter ab operatione mentis.

Not. 3. Scotus contendit, illam tertiam distinctionem reperiri tum inter essentiam divinam & illius attributa, tum inter attributa ad sese invicem comparata.

Not. 4. Ex illa distinctione sic explicata & admissa, Scotus multas elicit conclusiones.

Primò, Concludit essentiam, licèt *realiter* sit idem cum persona, aut cum bonitate, v.g. non sit tamen idem *formaliter*, etiam ante operationem mentis.

Secundò, Concludit, quòd quamvis tum essentia, tum attributa, de se invicem prædicari possint in concreto, non possint tamen prædicari in abstracto; seu, docet, quòd quamvis vera sit hæc propositio, *Deus est bonus, justus, sapiens*; istæ tamen falsæ sint, *Deitas est Bonitas, Bonitas est Deitas*.

Tertiò, Concludit, facilè explicari, quomodo Pater æternus Filio suo communicet suam naturam, non autem suam personam, cum persona sit ante mentis operationem aliquid ab ipsa Patris natura distinctum.

Quartò, Tandem infert, facile pariter explicari, quomodo tum essentia, tum attributa, varias habeant definitiones; posita nimirùm distinctione, quæ sit independens ab operatione mentis, essentia & attributa distinctas habent quidditates, proindeque varias, imò & contrariis definitionibus possunt enunciari.

CONCL. Essentia divina non distinguitur *formaliter ex natura rei* a suis attributis, nec attributa a se invicem.

Probatur. Argumenta omnia, quibus error Gilberti Porretani superius impugnatus est, militant contra Scoti sententiam.

Primò. Ea distinctione supposita, concipi minimè potest summa Dei simplicitas. Quomodo enim summè simplex esset ille, in quo sunt variæ formæ, tum ab ipsa Dei natura, tum a se invicem distinctæ ex parte objecti, seu ante mentis operationem? summa nimirum simplicitas importat omnem omninò unitatem, tum rerum, tum modorum, tum formarum.

Secundò. In Deo (ut urget Bernardus contra Porretanum) non trinitas, sed centenitas esset; centum scilicet formæ, seu attributa, reperirentur in natura divina, tum ab ipsa, tum a se invicem distincta, ante quamlibet operationem mentis.

Tertiò. Illæ formæ a natura divina sic distinctæ, non essent Deus; quod tamen in Concilio Remensi contra Gilbertum Porretanum damnatum est. Adeat lector supra, ubi illa argumenta fusius contra eundem Gilbertum prosecuti sumus.

Probatur 2. Scoti sententia non cohæret cum summa Dei perfectione: ergo est rejicienda. Probatur ant. Ens, quod secundùm suam essentiam, seu secundùm conceptum suum essentialem contineret omnes omninò perfectiones, perfectius esset eo, quod eas non contineret secundùm suam essentiam, seu secundùm suum conceptum formalem: Atqui excogitari potest illud ens; Deus verò in Scoti sententia non esset hujusmodi: ergo, &c. Probatur min. Illud secundùm essentiam non continet omnes omninò perfectiones, quod eas non habet a se, sed tantùm a formis ab eo *formaliter ex natura rei* distinctis: Sed Deus, supposita Scoti sententia, non haberet à se, seu a sua essentia, sed tantùm a formis, ab essentia *formaliter ex natura rei distinctis*, suas perfectiones: ergo admissa Scoti sententia, Deus secundùm suam essentiam non contineret omnes omninò perfectiones.

Urget illud argumentum Bernardus lib. 5. de Consid. cap. 7. ubi sic Gilbertum alloquitur. *Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest: si approbas, non oportet assentiris esse aliquod quo Deus sit, & quod Deus non sit: hoc enim sine dubio melius.*

Probatur 3. Si attributa aut ab essentia, aut à se invicem *formaliter ex natura rei*, seu ante mentis operam distinguerentur, nec essentia de attributis, nec attributa de essentia, nec attributa de se invicem, saltem in abstracto, prædicarentur: nam quæ habent quidditates realiter, licèt formaliter tantùm, ut volt Scotus, non autem entitativè, ut volebat Porretanus, distinctas, de se invicem in abstracto prædicari minime possunt. Atqui falsum est consequens: nam in Scripturis non tantùm concreta de Deo prædicantur, sed etiam abstracta. Joannis 14. hæc ait Christus: *Ego sum via, veritas, & vita*. Proverbiorum 8. sic loquitur Deus: *Ego sapientia habitavi consilio*. Primæ ad Corinth. 1. Paulus ait se prædicare Christum *Dei virtutem & sapientiam*.

Solvuntur argumenta Scoti.

Objicies 1. Ea distinguuntur formaliter ex natura rei, de quibus verè prædicantur duo contradictoria: atqui de essentia divina & illius attributis tum absolutis tum relativis, tum etiam de attributis ad se invicem comparatis, verè prædicantur duo contradictoria: ergo essentia divina & illius attributa distinguuntur formaliter ex natura rei, seu ante mentis operationem. Major constat: de una enim & eadem re idem non potest simul affirmari & negari.

Itaque probatur minor. Communicari & non communicari

municari sunt duo contradictoria: sed communicari & non communicari verè prædicantur de essentia & notionibus, seu attributis relationis; essentia nimirum divina communicatur Verbo, paternitas verò ipsi minime communicatur. 2. Generare & non generare sunt duo contradictoria; atqui generare & non generare verè prædicantur de attributis divinis: siquidem in divinis intellectus generat, cum Pater per sui intellectionem generet Verbum, quod est altera persona SS. Trinitatis; voluntas verò non generat, sed spirat Spiritum sanctum, tertiam personam SS. Trinitatis.

Resp. 1. nimis probare illud argumentum: si enim valeat, astruet in divinis non realem tantùm formalem, ut vult Scotus, sed & entitativam distinctionem, ut voluit Gilbertus Porretanus. Et verò ea distinctio admitti debet in divinis, quæ ejusdem sit ordinis, cujus est modus, quo essentia communicatur, non communicata persona: at modus ille non est realis formalis tantùm, sed realis entitativus: entitativè nimirùm essentia divina communicatur Verbo, non autem paternitas sumpta secundùm suum esse relativum; alioquin filius non distingueretur realiter a Patre secundùm esse relativum; quod est contra fidem. Ex his patet, distinctionem formalem Scoti satis non esse, ut tollatur contradictio, quæ de essentia & relationibus verè prædicatur.

Resp 2. ad 1. neg. maj. propositionem. Ad 2. dist. ant. De una & eadem re idem non potest simul affirmari & negari, si illa res non sit virtualiter multiplex, conc. ant. si sit virtualiter multiplex, neg. ant. Res, quæ virtualiter est multiplex, æquivalet pluribus realiter actu distinctis, ut patet in Petro, si hic existens, Romæ reproducatur; hic enim mori poterit, & Romæ vivere: natura autem divina, cum sit infinitè perfecta, est virtualiter multiplex, seu æquivalet multis entitatibus realiter actu distinctis, ut inferiùs docebitur; ac proinde de illa licet maximè simplici, duo contradictoria verè prædicari possunt.

Resp. 3. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. disting. maj. Communicari & non communicari, generare & non generare, sunt duo contradictoria, si dicantur de eodem secundùm eundem respectum, concedo majorem; si secundùm diversum respectum, neg. maj. Distinguo pariter min. Atqui communicari & non cõmunicari, generare & non generare dicuntur tum de essentia & relationibus, tum de attributis, secundùm diversum respectum, conc. min. secundùm eundem respectum, neg. min. Ratio est, quia communicari dicitur de natura in se & absolutè sumpta: non communicari verò dicitur de eadem natura non in se sumpta, sed pro ut est modificata per paternitatem: sic etiam generare in divinis dicitur de intellectu divino, sumpto non tantùm prout est quædam entitas, quæ æquivalet intellectui creato: non generare verò dicitur de intellectu, non pro ut est entitas a parte rei, sed pro ut est entitas æquivalens voluntati creatæ, quæ non generat.

Inst. 1. Ante mentis operationem verum est, quòd natura divina communicetur, non communicetur verò eadem natura, pro ut modificata per paternitatem: ergo ante mentis operationem natura in se sumpta distinguitur a se ipsa, pro ut est modificata per paternitatem. 2. Essentia divina, pro ut æquivalet intellectui creato, habet actum plane distinctum ab actu, qui ei convenit, pro ut æquivalet voluntati creatæ: ergo essentia, pro ut est intelligens, distinguitur realiter a se ipsa, pro ut est volens, cum illæ potentiæ distinguantur, quibus distinctæ operationes conveniunt.

Resp. ad 1. concesso ant. dist. conseq. Ergo essentia absolutè sumpta ante mentis operationem distinguitur virtualiter a se ipsa, pro ut est modificata per paternitatem, conc. conseq. distinguitur actu, nego conseq. Distinctio virtualis, de qua dicetur inferius, præcedit operationem mentis, quæ nihil est aliud, quam ipsiusmet Dei eminentia, quæ efficit, ut natura divina æquivaleat pluribus rebus actu distinctis: ea tamen distinctio licet realis sit, non sit actualis, nisi per actum intellectus, qui naturam divinam concipit per respectum ad aliquam perfectionem creatam, cui eam comparat.

Resp. ad 2. actum generandi in divinis distingui virtualiter, non autem actu a spiratione; per simplicem nimirùm & unum actum Pater & generat Verbum, & spirat Spiritum sanctum: sed ille actus, licèt sit in se maximè unus, & simplex, realiter tamen æquivalet actibus distinctis, ac proinde efficit, ut intellectus & voluntas non actu quidem ante operationem mentis, sed virtualiter tantùm, distinguantur.

Objicies 2. Ea, quibus conveniunt definitiones diversæ, distinguuntur actu ante mentis operationem: atqui essentiæ, relationibus, attributis, variæ definitiones conveniunt: ergo, &c. Major videtur certa ex eo, quòd ea, quibus variæ definitiones conveniunt, habere debeant diversas naturas, cum definitiones (ut ajunt logici) explicent naturam rei: unde probatur minor: essentia definitur *ad se*, relatio *ad aliud*, attributa *in alio*: sed *ad se, ad aliud, in alio*, diversa sunt: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg maj. Ad 2. neg. quòd definitio solùm explicet naturam rei, sed explicat præterea varios ejusdem rei respectus; unde fit, ut uni ac eidem rei diversæ definitiones conveniant: cum igitur natura divina varios respectus habeat propter suam eminentiam, mirum non est, quòd per varias definitiones aut in suis attributis aut in suis relationibus explicetur.

Objicies 3. Ea distinguuntur realiter actu, quæ non possunt de se invicem prædicari: sed attributa divina de se invicem non possunt prædicari: ergo &c. Probatur min. Non potest dici 1. quòd essentia sit paternitas, alioquin dici posset quòd essentia generet, sicut & paternitas generat; quæ tamen propositio damnata est in Abbate Joachimo in Concilio Lateranensi: 2. dici non potest, quòd justitia sit misericordia; alioquin dici posset, quòd Deus puniat per misericordiam, & misereatur per justitiam; quod quidem est absurdum.

Resp. 1. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dico 1. hanc propositionem: *Essentia est paternitas*, esse veram tum in sensu reali tum in sensu formali: nego tamen, inde sequi, quòd dici possit absolutè quòd essentia generet. Ratio est; quia generatio est unus ex iis actibus, quos theologi notionales appellant, seu qui aliquam important relationem: at actus notionales non conveniunt essentiæ præcisè ut in se sumptæ, sed tantùm prout est modificata per personas. Dico 2. admitti debere hanc propositionem: *Misericordia est justitia*, sed nego, quòd inde sequatur Deum punire per misericordiam & misereri per justitiam: Ratio est, quia cum profertur hoc nomen, *Justitia*, non intelligitur natura divina absolutè & in se sumpta, sed cum hoc addito, prout castigat: sic etiam cum hoc aliud attributum, profertur, *Misericordia*, non intelligitur quoque natura absolutè, sed sub hoc respectu, prout parcit: natura autem divina licèt sit realiter actu idem cum justitia & cum misericordia, non est tamen parcens prout est puniens: ac proinde non potest dici, quòd per misericordiam puniat, & parcat per justitiam.

QUÆSTIO V.

De sententia Nominalium circa distinctionem essentiæ ab attributis: & attributorum à se invicem.

Num. 1. NOminales, ut declinarent Gilberti Porretani errorem, qui entitativam distinctionem admittit inter essentiam, relationes, & attributa,

 conten-

contenderunt, in divinis admitti debere distinctionem rationis ratiocinantis, non verò rationis ratiocinatæ.

Not. 2. Nomine distinctionis rationis ratiocinantis, Nominales idem intelligunt, quod eodem nomine philosophi in logica; seu intelligunt distinctionem, quæ nullum habet fundamentum in re, sed in sola facultate intellectus; qui quidem pro libito distinguit objectum, ita ut ex parte objecti nulla intellectui idea obversetur, quæ non occurrat quoque, cum ipsum alia ratione perpendit.

CONCL. Essentia Dei non distinguitur ab attributis, nec attributa a se invicem sola distinctione rationis ratiocinantis.

Probatur 1. iis omnibus argumentis, quibus Scotus suam de distinctione *formali ex natura rei* sententiam adstruit. Nam licèt ea argumenta satis non sint ad stabiliendam Scotisticam illam distinctionem, valent saltem ad probandum, in Deo ipso esse aliquid, ratione cujus natura verè communicetur, non communicata persona, quæ tamen est idem realiter actu cum ipsa, ratione cujus pater generet filium per intellectum, non autem per voluntatem, quæ ab ipso realiter actu non distinguitur; ratione cujus natura, relationes, attributa varias habeant definitiones; ea nimirùm omnia in Deo sunt independenter ab operatione mentis humanæ; sive enim intellectus humanus cogitet de Deo, sive non cogitet, natura communicatur, non autem persona: Pater producit Verbum per sui intellectionem, non autem per amorem; natura eadem definitione non definitur, qua persona.

Probatur 2. iis argumentis, quibus Patres quondam impugnarunt Eunomium, de cujus sententia superiùs quæstione 3. a nobis dictum est.

Et quidem *Primò*, Basilius hæreticum illum arguit, quòd velit notiones naturæ, relationum, attributorum esse easdem omninò, nec differre, nisi secundùm nomen: *Quinam ergo* (inquit lib. 1, adversùs Eunomium) *manifesta insania non sit propriam unicuique nominum significatum negare subjecti: sed quod ad vim attinet, idem valere invicem affirmare nomina omnia?* Asserit ibidem, *nullum esse nomen quod totam Dei naturam comprehendat, & quantum satis est, explicet; quare multa esse diversa, qua singula propriam habent significationem*; quod quidem sic idem sanctus Doctor probat libro de recta fide: *Si quis dicat, Deus, non hoc ipsum quod est pater, exprimit: et porrò quod est Pater deest hoc quod est creator: tum illis deest oportetque addere, bonitatem, sapientiam, virtutem, & cætera, qua in sacra Scriptura memorantur.*

Secundò, Cyrillus conceptis terminis asserit omnia nomina non significare Dei essentiam sed nonnullis relationes, nonnullis attributa significari; *Non omnia ergo* (inquit 31. Thes.) *qua in Deo sunt & de Deo dicuntur, substantiam significant: reliquum est igitur, ut voce modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus.*

Tertiò, Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. docet, substantiam in Deo significare naturam, non autem personam: ait enim, *substantiam patris ipsum esse patrem, non quo pater est, sed quo est.*

Ex iis verò Patrum principiis, sic contra Nominales conficitur argumentum. Patres, qui contra Eunomium disputarunt, docent, non unam esse essentiæ relationem, attributorum notionem, sed plane diversam; seu mentem non idem, saltem explicitè, ex parte objecti intelligere, non habere eundem conceptum, cum apprehendit substantiam, personam, attributum: Atqui hæc omnia falsa essent, si vera sit Nominalium doctrina: siquidem ea, quæ sola ratione ratiocinante distinguuntur, eandem omninò ex parte objecti præbent notionem intellectui; unum non minùs explicitè, quàm aliud intelligitur: unus omninò est eorum conceptus, quippè non magis differunt, quàm Simon, Petrus, & Cephas.

Objicies. Inter ea reperitur sola distinctio rationis ratiocinantis, quæ distinguuntur tantùm penès diversa connotata extrinseca: atqui essentia, attributa, relationes in divinis distinguuntur tantùm penès diversa rei connotata extrinseca: ergo inter ea reperitur sola distinctio rationis ratiocinantis. Maj. patet: ideo enim Petrus ut senator, ut militiæ dux, distinguitur a se ipso sola distinctione rationis ratiocinantis, quòd ea distinctio non sumatur ex ipsomet Petro, sed tantùm ex connotatione seu relatione, quam habet ad diversa officia senatoris, militis, quibus fungitur. Itaque probatur min. Essentia in Deo, prout comparatur ad effectus à se producibiles, dicitur omnipotentia; sapientia verò, vel scientia, prout comparatur ad res præsentes & à se cognitas: ergo essentia, attributa, relationes distinguuntur tantùm penès diversa connotata extrinseca.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ratio est, quia essentia divina, sive intellectus eam comparet ad res extrinsecas, sive non comparet, habet in sua infinitate aliquid, vi cujùs sub diversis ideis seu conceptibus intelligatur. Solutio patet ex relatione paternitatis, quam natura divina habet independenter a quibuslibet rebus creatis: patet ex Patrum sententiis, quæ contra Nominales adductæ sunt; patebitque etiam ex iis, quæ subsequenti quæstione pro Thomistarum opinione dicetur.

QUÆSTIO VI.

De sententia Thomistarum circa distinctionem essentia divinæ ab attributis; & attributorum à se invicem.

Not. 1. Thomistæ docent *primò*, cum Catholicis omnibus, nec essentiam ab attributis aut relationibus, nec attributa à se invicem aut a relationibus distingui distinctione reali entitativa: ejus nimirùm generis distinctio damnata est in Concilio Remensi contra Gilbertum Porretanum.

Docent *secundò*, cum majore theologorum parte, inter eandem essentiam & attributa & relationes, aut attributa inter se invicem, admitti non debere aliquam distinctionem realem actualem, licet (ut vult Scotus) formalis tantùm sit, seu inter diversas formas, non autem entitativa, seu inter varias entitates: quippè contendunt, eam formalem distinctionem non satis discrepare ab ea, quam Ecclesia in Gilberto Porretano proscripsit.

Docent *tertiò*: cum Catholicis, admittendam esse in divinis distinctionem rationis. Nam (inquiunt) Patres Eunomium damnarunt, quòd eam rejiceret, velletque omnia nomina, quibus inter loquendum de Deo utimur, significare solam substantiam divinam; proindeque esse omninò synonyma.

Docent *quartò*, cum omnibus ferè theologis, Nominales, quibus placet admitti debere in divinis solam distinctionem rationis ratiocinantis, non videri satis ab Eunomii errore recedere.

Docent *quintò* necessariò admitti debere distinctionem rationis ratiocinatæ, per quam tum essentia ab attributis, tum attributa a se invicem distinguantur.

Not. 2. Distinctio rationis ratiocinatæ differt a distinctione rationis ratiocinantis, quòd (ut superiùs dictum est) ista fiat pro libito intellectus, absque ullo fundamento in re: illa verò cum fundamento, quod sit realiter in objecto, ut cum substantia solis, quæ actu est una, concipitur tamen ut multiplex, ratione nimirùm intrinsecæ virtutis, quam habet, producendi multiplices effectus, lucem, v. g. calorem, siccitatem.

Not. 3. Distinctio rationis ratiocinatæ potest sumi vel adæquatè, vel inadæquatè. Si sumatur adæquatè

rea-

realis est simul ac mentalis, realis quidem secundùm fundamentum: mentalis verò secundùm actum: unde ea, quæ distinguuntur ratione ratiocinata, distinguuntur fundamentaliter ante operationem intellectus; actu verò per solam intellectus operationem. Si verò inadæquatè sumatur, est vel realis tantùm, vel mentalis tantum.

Not. 4. Distinctio rationis ratiocinatæ efficit quidem, ut etiam ex parte objecti unum ab alio præscindatur, seu, sine eo concipiatur: sic virtus productiva caloris concipitur in sole sine virtute productiva lucis; sed tamen non efficit, ut unum excludat aliud, sicut genus excludit differentiam, & vicissim differentia genus: hinc concluditur, ea, quæ distinguuntur ratione ratiocinata, sese invicem includere implicitè, & confusè, quamvis explicitè & distinctè sese non includant.

CONCLUSIO. Dei essentia ab attributis, & attributa à se invicem distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ.

Probatur *primò*, iis omnibus argumentis quibus ostensum est contra Nominales, satis non esse distinctionem rationis ratiocinantis, ut salventur contradictoria, quæ in speciem de essentia & relationibus, de intellectu & voluntate prædicantur.

Secundò, Patres (ut patet ex locis contra Eunomium & Nominales superiùs adductis) admittunt in divinis præcisiones objectivas; seu, probant ex parte ipsius objecti, essentiam sine attributis, & unum attributum sine altero concipi saltem explicite: præcisiones autem objectivæ (ut observatum est nota quarta) supponunt distinctionem rationis ratiocinatæ.

Tertiò, Ea (ut ostensum est not. 2.) distinguuntur ratione ratiocinata, quæ per mentem distinguuntur cum fundamento in re; atqui essentia divina distinguitur ab attributis, & attributa à se invicem, cum fundamento in re. Nam ea distinguuntur per mentem cum fundamento in re, quæ sunt virtualiter multiplicia: atqui essentia divina & attributa sunt virtualiter multiplicia: ergo distinguuntur per mentem, cum fundamento in re. Major constat; virtualis nimirùm multiplicitas idem efficit, ac actualis multiplicitas: sicut igitur quæ actu multiplicia sunt, præbent intellectui fundamentum, ut sine se invicem concipiantur; ita etiam & ea, quæ virtute sunt multiplicia. Itaque probatur min. Ea sunt virtualiter multiplicia, quæ æquivalent pluribus perfectionibus, quæ actu in creatis distinguuntur. Sed tum essentia, tum attributa divina sunt hujusmodi: siquidem, cum sint infinita, continent omnes omninò perfectiones, quæ actu in creatis distinguuntur. Hinc patet, fundamentum distinctionis, de qua agitur, esse eminentiam Dei, & imbecillitatem nostri intellectus. Id verò hisce verbis confirmat Gregorius Nyssenus, contra Eunomium agens: *Quis ita stupidus est, ut ignoret divinam quidem naturam, quidquid tandem secundum substantiam est, esse unam & uniformem, atque compositionis expertem, nec ullo modo in vana quadam compositione spectari; humanam verò animam humi jacentem, & in terreno defossam corpore, quoniam non potest quod quæritur, liquidò perspicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diversè ac multipliciter contendere, non una aliqua cogitatione, quod latet, indagantem?*

Objicies 1. Sententia, quæ astruit in Deo distinctionem rationis ratiocinatæ, composita est ex sententia Scotistarum de amittenda distinctione reali inter attributa & essentiam divinam; nam distinctio rationis ratiocinatæ est vera distinctio realis; composita est quoque ex opinione Nominalium de amittenda distinctione rationis; nempè Thomistarum distinctio est distinctio rationis: Ergo cum falsæ sint & Scotistarum, & Nominalium sententiæ, stare non potest opinio Thomistarum, quæ ex utraque coalescit.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia (ut superiùs jam observatum est) licet distinctio rationis ratiocinatæ cum Scotistica in aliquo conveniat, in eo nempe, quod utraque sit realis; differt tamen in alio, nempe quod Scotistica sit realis actu: distinctio autem rationis ratiocinatæ sit realis tantùm fundamentaliter. Licèt quoque in eo conveniat cum distinctione Nominalium, quòd per mentem tantùm actu reperiatur inter essentiam & attributa, differt tamen, quod ex parte objecti præsupponat reale fundamentum, quo nititur.

Objicies 2. Non est fundamentum reale in Deo distinguendi mentaliter, aut essentiam ab attributis, aut attributa a se invicem; ergo inter ea admitti debet sola distinctio rationis ratiocinantis. Prob. ant. Non est fundamentum reale distinguendi mentaliter ea, quæ sese realiter includunt: atqui essentia & attributa sese realiter includunt; cum enim essentia sit infinita, omnes omninò perfectiones, ac proinde omnia attributa complectitur.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. maj. Si non sint virtualiter multiplicia, conc. maj. si sint virtualiter multiplicia, neg. maj. Sunt verò hujusmodi, (ut superiùs probatum est) essentia & attributa divina, proindéque præbent intellectui humano fundamentum, ut sine se invicem concipiantur.

Objicies 3. Quæ prædicantur de se invicem, non distinguuntur per mentem cum fundamento in re: Atqui essentia & attributa divina de se invicem prædicantur; veræ nimirùm sunt hæ propositiones, *Bonitas est essentia*, *Essentia est bonitas*: ergo &c.

Resp. dist. maj. Quæ prædicantur de se invicem, tum in sensu actuali, tum in sensu virtuali, non distinguuntur per mentem cum fundamento in re, conc. maj. quæ prædicantur in sensu actuali tantùm, neg. maj. Distinguo pariter min. atqui essentia & attributa prædicantur de se invicem in sensu actuali tantùm, conc. min. in sensu actuali & virtuali, neg min. Sensus solutionis est, quòd essentia & attributa, cum actu sint res una, de se invicem in sensu actuali prædicentur; è contra verò, cum sint virtualiter multiplicia, de se invicem non prædicentur in sensu virtuali; unde istæ propositiones, *Essentia, prout essentia, est bonitas, aut aliquod aliud attributum. Bonitas, prout est bonitas, aut aliquod aliud attributum, prout est attributum, est ipsamet essentia divina*, falsæ sunt: quia cum exprimant distinctionem virtualem essentiæ ab attributis, & attributorum ab essentia, hunc sensum efficiunt: *Attributum prout virtualiter distinctum ab essentia, est ipsamet essentia.*

DISSERTATIO QUARTA.

De Dei Attributis in specie.

ATtributorum alia sunt negativa, alia verò positiva: Priora aliquam a Deo imperfectionem removent: posteriora è contra perfectionem aliquam ipsi tribuunt. Inter negativa recensentur, Simplicitas, quæ non nisi per negationem compositionis explicari potest; Infinitas; Immutabilitas; Invisibilitas. Ex positivis nonnulla Deo conveniunt ut in se est, nimirùm Æternitas, Immensitas, Perfectio, Bonitas, Omnipotentia, Scientia, Voluntas, Libertas: Alia autem ipsi in ordine ad creaturas spectato tribuuntur; hujusmodi sunt, Justitia, Misericordia, Providentia. Prædestinatio, Reprobatio. De singulis iis attributis hic a nobis est differendum.

QUÆSTIO I.

De simplicitate Dei.

Not. 1. DEi simplicitas explicari non potest, nisi per negationem compositionis ex iis, quæ se

habent

habent per modum actus & potentiæ.

Not. 2. Compositio autem illa triplex est, physica nimirùm, metaphysica, & logica. Prior dicit totum, quod constat, aut ex materia & forma; hujus generis est quodlibet corpus: aut ex subjecto & accidente, ut subjectum, in quo recipitur aliqua qualitas. Altera dicit totum, cujus partes sunt, aut essentia & existentia, aut natura & suppositum. Tertia denique dicit totum, quod constat ex genere & differentia.

Not. 3. Præter simplicitatem intrinsecam, cui opponitur triplex, de qua mox dictum est, compositio, est alia simplicitas extrinseca, per quam efficitur, ne res uniri possit alteri, cum qua totum aliquod componat. De Dei simplicitate ad eas omnes compositiones comparata, hic est differendum.

CAPUT I.

Utrum in Deo sit compositio Physica.

Not. 1. Gentiles passim censuere, Deos, quos colebant, esse corporeos, ac proinde physicè compositos, ex materia nimirùm & forma. Inter Gentiles autem plebeji homines passim arbitrati sunt, muta simulacra veros esse Deos, quibus cultus exhiberi deberet: peritiores verò putarunt, simulacra esse mera instrumenta, quibus Dii uterentur ad exhibendam suam tum præsentiam, tum virtutem. Baruch cap. 6. Isaias cap. 4. 40. & 46. Tertullianus in Apologetico, priores insectantur. Contra posteriores, disputavit Augustinus: *Gentiles*, inquit in Ps. 118. *lignum adorant, quia Dei imaginem putant.*

Not. 2. Inter scriptores Christianos, Tertullianus lib. contra Praxeam cap. 7. lib. 2. contra Marcionem cap. 16. docuisse videtur, Deum esse compositum aliquod ex spiritu & corpore, sed alterius ordinis ab humano. Augustinus lib. de hæres. cap. 86. asserit, Tertullianum laudatis locis opponere corpus nihilo, aut alicui qualitati; ita ut censuerit, eo sensu Deum esse quippiam corporeum, quòd non sit nihilum, vel quòd non sit qualitas, quæ a substantia distincta sit: *Potuit*, inquit, *propterea putari corpus Deum dicere, quia non est nihil, non est inanitas, non est corporis vel animæ qualitas; sed ubique totus, & per locorum spatia nulla partitus: in sua tamen natura atque substantia immutabiliter permanet.*

Not. 3. Audius, a quo Audiani orti sunt, circa annum 427. in eundem errorem impegisse, nonnullis visus est, quòd (ut ait Epiphanius hæres. 70.) Dei imaginem, ad quam conditus est homo, in corpore sitam esse defenderet. Verùm fieri potuit, ut crederet Dei imaginem esse corpoream, quamvis Deus in seipso incorporeus sit. Unde mox laudatus Epiphanius ait, Audium Catholicè sensisse de SS. Trinitate; quod quidem falsum esset, si arbitratus fuisset, Deum esse corporeum, & humanis constare membris.

Not. 4. Anno Christi 40. quidam in Ægypto monachi palam propugnarunt, Deum esse revera corporeum, ob idque Anthropomorphitæ dicti sunt. De his verò hæc habet Sozomenus historiæ lib. 8. cap. 11. *Exorta quæstio per Ægyptum movebatur, oporteretne Deum Anthropomorphon, hoc est, humana forma præditum credere. Hujus autem sententiæ plurimi erant ex monachis illic commorantibus, qui præ simplicitate sine examine Scripturam sacram accipiebant, & in ea, Dei oculos, & faciem, & manus, & quæcunque alia hujusmodi audire consueverant.*

Not. 5. Compositio physica duplex est, substantialis nimirùm & accidentalis. Prior, ut superiùs observatum est, ea est, quæ resultat ex unione materiæ cum forma: Posterior verò, ex unione accidentis cum substantia. His positis, quæ ad excludendam à Deo compositionem physicam pertinent, duplici conclusione exponenda sunt.

CONCLUSIO 1. In Deo non est compositio physica substantialis, ex materia & forma.

Probatur *Primò* ex Scriptura, qua docemur 1. Deum esse spiritum: *Spiritus est Deus*, ait Christus Joan. 4. *& eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Docemur 2. eum nequaquam esse similem rebus, quæ sculptura aut imagine exhibentur: *Non debemus*, ait Paulus Act. 2. *existimare sculpturæ artis, & cogitationis hominis divinum esse simile.* Unde sic conficitur argumentum: Substantia merè spiritualis non constat ex materia & forma; per hoc enim differt a corpore. Atqui Deus, ut ex locis allatis patet, est substantia merè spiritualis: ergo non constat ex materia & forma.

Probatur *Secundò* rationibus Patrum. Greg. Nazianz. orat. 4 & 30. sic argumentatur.

1. Deus est infinitus, ergo non est corpus, quippè nullum corpus potest esse infinitum; nam infinitum caret figura, cum sit interminatum; corpus autem necessariò habet aliquam figuram.

2. Quod est immensum, non potest esse corpus; si enim daretur aliquod corpus immensum, repleret omnia loca, ac proinde nullum aliud corpus, præter illud immensum, esse posset in orbe. Atqui, ut inferiùs probabitur, Deus est immensus: ergo &c.

3. Deus est æternus, tum a parte ante, tum à parte post, seu caret initio & fine. Sed id falsum esset, si constaret ex materia & forma; haberet enim partes quantitativas: omne verò quantum, habet initium, & potest habere finem; nimirùm potest dissolvi in partes, ex quibus constat, proindèque obnoxium est corruptioni & fini.

4. Deus est ens, quo nihil majus, aut præstantius fingi potest: ergo non est ens compositum: nempè ens simplex, quod aliorum omnium perfectiones eminenter contineat, majus est ac præstantius composito: ita ratiocinatur Augustinus.

Objicies 1. Homo factus est ad imaginem & similitudinem Dei, juxta illud Dei ipsius Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Unde sic arguitur: Exemplar debet repræsentari in sua imagine; ac proinde debet ei esse simile: ergo cum Dei imago, homo nempè, sit corporea, necesse est, Deum esse corporeum.

Resp. 1. Prudentium sub finem Apotheosis asserere, Deum in paradiso terrestri assumpsisse corpus humanum, ad cujus similitudinem effictum est Adami corpus.

Resp. 2. Chrysostomum hom. 8. in Genesim scribere, Dei imaginem in homine esse ratione dominii, quo in cæteras creaturas a Deo donatus est. Unde post hæc verba Geneseos: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram,* statim Deus addidit, *ut præsit piscibus maris, & volatilibus cæli.*

Resp. 3. Augustinum lib. 1. de doctrina Christiana asserere, Dei imaginem non esse in homine secundùm corpus, sed secundùm animam; quæ quidem in eo similis est Deo, quòd verum intelligat, & bonum amet.

Objicies 2. Scriptura variis in locis humana membra Deo tribuit, brachia nimirùm, nares, oculos, aures; imò quantitatem in longum, latum, & profundum: *Excelsior cælo est*, inquit Job 11. *& quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, latior mari.* Atqui substantia, cui atribuuntur humana membra, & quantitas est substantia physicè composita ex materia & forma: ergo Deus est physicè ex eis compositus.

Resp. conc. maj. dist. min. Substantia, cui *propriè* tribuuntur membra humana & quantitas, est substantia

tia physicè composita; conc. min. cui tantùm tribuitur *impropriè*, neg. min. Metaphoricus est, non autem proprius, ille, qui nobis objicitur, Scripturarum loquendi modus: eo scilicet illæ virtutes, aut operationes Deo tribuuntur, quas homo per varia sui corporis membra exercere solet. Legendus est hac de re Augustinus, lib. de Genesi contra Manichæos cap. 17. lib. contra epist. Fundamenti cap. 23. Satis est hic lectorem monere, ut cum ea loquendi ratio in Scripturis occurrit, attendat ad hanc Gregorii Magni sententiam, *Humana*, inquit prologo in Cantica, *conversationis verba audientes, quasi extra humanitatem esse debemus: ne si humaniter, quæ audivimus, capiamus, nihil divinitùs de hoc sentire possimus.*

CONCL. 2. In Deo non est compositio physica accidentalis, ex substantia & qualitatibus.

Probatur 1. iis omnibus argumentis, quibus contra Gilbertum Porretanum superiùs ostensum est, attributa esse realiter actu idem cum essentia divina: quæ enim sunt idem inter se, non habent rationem partis: proindèque non efficiunt compositum.

2. Dei substantia planè est immutabilis, ut suo loco dicetur: ergo ei non adveniunt qualitates aliquæ; iis enim mutaretur.

3. Si esset compositus ex substantia & qualitate, non esset per se bonus, per se sapiens, per se justus; id enim haberet tantùm ex qualitatibus, quæ ipsi realiter advenirent. Sed id falsum est, alioquin posset excogitari eos aliquod Deo præstantius, illud nimirùm, quod non ab alio, sed à se, omnes omninò perfectiones contineret. Argumentum illud desumptum est ex Augustino, qui lib. 5. de Trinit. cap. x. sic loquitur: *In rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt, quibus est aliud esse, aliud magnum esse .... In his ergo rebus, aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est; & prorsùs non hoc est magnitudo, quod est magna domus: sed illa est vera magnitudo, qua magnum est quidquid aliud magnū dicitur: ut aliud sit magnitudo, aliud quod ab illa magna dicītur. Quæ magnitudo utique primitùs magna est, multòque excellentiùs, quàm ea, quæ participatione magna sunt. Deus autem, quia non ea magnitudine magnus est, quæ non est quod est ipse; ut quasi particeps sit ejus Deus, cum magnus est; alioquin illa erit major magnitudo, quam Deus. Deo autem non est aliquid majus: ea igitur magnitudine magnus est, quæ est ipse eadem magnitudo. Et ideò sicut non dicimus tres essentias, sic nec tres dicimus, sed unum magnum; quia non participatione magnitudinis Deus magnus est, sed seipso magno magnus: quia ipse est sua magnitudo. Hoc & de bonitate, & de æternitate, & de omnipotentia Dei dictum sit, omnibusque omninò prædicamentis, quæ de Deo possunt pronuntiari.*

CAPUT II.

Utrum in Deo sit compositio metaphysica.

Not. OBservatum est superiùs, compositionem metaphysicam dicere totum, quod constet ex essentia & existentia; unde ut solvatur difficultas, de qua agitur, necesse est, ut expendamus, utrum Deus constet ex essentia & existentia; seu quærendum est, utrùm in Deo essentia & existentia à se invicem distinguantur.

CONCL. In Deo non reperitur compositio ex essentia & existentia.

Probatur. Ut in Deo reperiretur compositio ex essentia & existentia, essentia & existentia deberent in Deo à se invicem distingui: est enim de ratione partium, ex quibus compositum constat, ut sese invicem excludant, ac proinde ut a se invicem distinguantur: Atqui in Deo essentia & existentia non distinguuntur. Et quidem 1. non distinguuntur realiter actu; si enim, ut ostensum est contra Gilbertum Porretanum, distinctio realis actualis non reperiatur inter essentiam divinam & illius attributa, a fortiori non reperitur inter essentiam & existentiam: nempè sunt magis idem, quam essentia & attributa. 2. Non distinguuntur realiter formaliter; ejusmodi enim distinctio, (ut suo loco ostensum est contra Scotum) non habet locum in divinis.

3. Non distinguuntur per mentem cum fundamento in re; siquidem essentia Dei concipi non potest sine illius existentia; quippè, ut suo loco dictum est, essentia Dei posita est in eo, quòd sit ens a se: ens autem a se existentiam includit in suo conceptu; nam ens a se est illud, quod existit per semetipsum, & independenter à quovis alio. Præterea concipi non potest Dei essentia, quin concipiatur ens, quo perfectius cogitari non potest: Atqui si per mentem cum fundamento in re essentia divina distingueretur ab existentia, conciperetur ens aliquod Dei essentia perfectius; illud nimirùm, quod haberet existentiam. Addendum est, Dei essentiam esse actum purissimum: sed in suppositione, quam hic impugnamus, essentia Dei non esset actus purissimus; nam illud ens non est actus purissimus, quod esset potentia passiva: atqui essentia Dei esset potentia passiva; quippe conciperetur ut potens recipere existentiam, per quam esset perficienda.

Objicies 1. Essentia Dei per mentem cum fundamento in re distinguitur ab attributis: ergo sic debet ab existentia distingui: non enim videtur esse potior ratio de uno, quam de altero.

Resp. conc. ant. neg. cons. Ratio disparitatis est, quia essentia (ut suo loco probatum est) licet sit idem actu cum attributis, virtualiter tamen ab iis distinguitur, proindeque fundamentum præbet intellectui, ut concipiatur sine attributis: at verò essentia non distinguitur virtualiter ab existentia: eam nimirùm in suo intrinseco ac essentiali conceptu complectitur, ita ut si non concipiatur ens actu existens, essentia divina minimè concipiatur.

Objicies 2. In creatis essentia, & existentia realiter actu distinguuntur: ergo in divinis distinguuntur saltem per mentem cum fundamento in re.

Resp. dato ant. quod tamen negant ii omnes Philosophi, qui sunt extra scholam S. Thomæ, nego conseq. Ratio est, quia creatura per se, & secundùm essentiam, est indifferens ad esse & non esse; unde cum existit, existit contingenter, non autem necessariò: Deus verò necessariò, per se, & ratione suæ essentiæ existit; nempè essentia Dei, ut probatum est superiùs, est ipsummet existere.

CAPUT III.

Utrum in Deo sit compositio Logica.

Not. 1. NOmine compositionis logicæ, intelligitur ea, quæ constat ex genere & differentia; nec mirùm; nam genus & differentia recensentur inter prædicamenta, de quibus logicorum est agere.

Not. 2. Circa propositam quæstionem, duplex est theologorum scholasticorum sententia. Inter antiquos Gabriel Biel & Gregorius Ariminensis docuerunt, compositionem, de qua agitur, in Deo reperiri. S. Thomas & ejus discipuli contendunt, eam in ente illo simplicissimo & infinito admitti non debere.

CONCL. In Deo admitti non debet compositio logica ex genere & differentia.

Probatur 1. authoritate Patrum. Cyrillus Alexandrinus in dialogo 2. de Trinit. conceptis terminis genus excludit à Deo: *Genus*, inquit, *ullum nominare, alienum est à recta ratione.* Lib. 3. Thesauri concludit, exclu-

di pariter debere differentiam: *Videmus*, ait, *id omne, quod differentiam recipit, esse compositum, non simplex; quare cum simplex, minimeque compositus Deus, omnium confessione, sit; non potest ingenitum*, (ut Anomæi contendebant) *esse illius differentia*. Boetius lib. de trinit. & unitate Dei, postquam decem logicorum prædicamenta recenuit, ait Deum in iis locum non habere: *Substantia*, inquit, *in illo verè non est substantia, sed ultra substantiam*. Augustinus in Confessionum libris veniam a Deo petit, quòd eum olim in prædicamento substantiæ collocasset.

Probatur 2. ratione theologica. Illud ens non componitur ex genere & differentia, in quo non sunt potentia & actus: atqui in Deo non sunt potentia & actus: ergo non componitur ex genere & differentia. Major patet ex eo, quòd genus in composito logico teneat locum, quem materia tenet in composito physico; differentia verò, eum quem forma: ergo sicut materia in composito physico est potentia, & forma est actus; ita in composito logico genus habet rationem potentiæ, & differentia rationem actus. Minor pariter videtur certa ex eo, quòd Deus sit actus purissimus, cum sit ens, quo nullum perfectius excogitari potest; actui autem purissimo repugnet quælibet potentialitas.

Respondent Adversarii, actui purissimo repugnare quidem potentialitatem realem, non autem mentalem, qualis est ea, quam genus ad differentias comparatum importat.

Sed contra est. Vel illa potentialitas mentalis, quam genus secum invehit, habet aliquod fundamentum in ipsa Dei natura, vel nullum habet. Si primum, in ipsa Dei natura erit potentialitas saltem fundamentalis: at ejusmodi potentialitas actui purissimo repugnat; efficit nempè, ut aliud ens purius, seu, in quo non sit etiam fundamentalis potentialitas, excogitari possit. Si secundum, frustrà & absurdè intellectus in Deo fingit conceptum generis & differentiæ.

Probatur 3. altera ratione theologica. Si Deus componeretur ex genere & differentia, id quod in eo teneret locum generis, vel esset ens, vel accidens, vel substantia. Atqui ex iis nullum dici potest. Non primum; eò quòd sit de ratione generis, ut illius differentiæ sint extra ipsum, seu, sine eo concipi possint: Sed differentiæ entis concipi non possunt sine ente: cum, etiam prout sunt differentiæ, sint essentialiter ens. Non secundum, quia (ut superiùs probatum est) accidens Deo non convenit. Non denique tertium; siquidem ut substantia sit genus respectu Dei & creaturæ, debet in Deo, sicut in creatura, concipi sine existentia actuali, cum substantia ex se concipiatur indifferens ad existendum, vel non existendum: neque enim substantia in se ipsa, seu secundùm ideam sibi essentialem, necessariò existit; alioquin enim in qualibet sibi subjecta specie, nempè tam in Deo, quàm in creatura, includeret illam existendi necessitatem. Sed substantia in Deo concipi non potest sine actuali existentia: siquidem substantia est esse per se, & non in alio: atqui esse in Deo concipi non potest sine existentia, eò quòd (ut dictum est superius) Deus sit suum esse, seu, illius esse sit ipsummet existere.

Objicies. Non magis Deo repugnat compositio ex genere & differentia, quam compositio mentalis ex pluribus attributis, à se invicem & ab essentia virtualiter distinctis: sed illud à Thomistis omnibus admittitur: ergo illud quoque debet admitti.

Resp. neg. maj. Ratio disparitatis est, quia compositio mentalis ex essentia & attributis, est compositio impropriè dicta, quæ non dicit potentiam & actum, sed divinæ essentiæ eminentiam, ratione cujus æquivalet perfectionibus, quæ in creatis realiter distinguuntur, præbetque fundamentum, ut intellectus eam sub variis ideis concipiat: è contrà verò compositio ex genere & differentia, & compositio propriè dicta, quæ dicit imperfectionem; mixtionem nimirùm potentiæ cum actu; ac proindè officit summæ Dei simplicitati.

CAPUT IV.

Utrum Deus extrinsecè possit esse compositus?

Not. 1. Nomine compositionis extrinsecæ, intelligitur ea, per quam res unitur alteri, cum qua totum aliquod constituit: sic hominis anima ideò dicitur extrinsecè composita, quòd unita corpori, compositum propriè dictum constituat.

Not. 2. Compositio extrinseca duplex est: una dicitur, *Ex his*: altera verò *Cum his*. Prior est ea, per quam duo ita intrinsecè uniuntur, ut unum se habeat per modum potentiæ, & alterum per modum actus informantis: Posterior fit, cum plura ad constituendum compositum ita conjunguntur, ut unumquodque eorum remaneat actus: ejusmodi est compositio ex numeris.

CONCLUSIO. Deus non potest venire in compositionem, quæ dicitur, *Ex his*; potest tamen venire in compositionem, quæ dicitur, *Cum his*.

Probatur prior pars. Compositio *Ex his* (ut mox fuit observatum) dicit duas partes, quarum una se habeat per modum potentiæ, & altera per modum actus informantis: atqui ea compositio Deo repugnat. Primò quidem, Deus non potest se habere per modum potentiæ, cum sit actus purissimus: 2. nec per modum actus informantis; quia actus informans dependet a potentia, cujus est forma, saltem tanquam à subjecto: atqui Deus non potest ab aliquo pendere: ergo &c.

Probatur altera pars. Compositio *Cum his*, est ea, in qua quodlibet componens se habet per modum actus: atqui Deus potest venire in ejusmodi compositionem; de facto nimirùm in eam venit per Incarnationem, in qua, ex unione humanæ naturæ cum persona divina, resultat compositum, quod est Christus Dominus.

Objicies. In mysterio Incarnationis persona Verbi se habet per modum actus informantis, & natura humana per modum potentiæ recipientis; nam persona Verbi recipitur in natura humana tanquam in subjecto, quod informat, ac perficit: ergo Deus potest venire in eam compositionem, quæ dicitur, *Ex his*.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia (ut dicetur in tractatu de Incarnatione) persona Verbi non est actus informans humanam naturam, sed actus, per quem humana natura terminatur, & per quem ultimò in existendo completur: complere autem aliud, dicit perfectionem, proindeque potest propriè Deo tribui.

QUÆSTIO II.

De infinitate Dei.

Not. 1. Infinitum triplex est, secundùm quantitatem, secundùm virtutem, & secundum essentiam. Non est hic quæstio de priori infinitate; certum est enim Deum non esse infinitum infinitate quantitatis; non quidem continuæ, cum non sit corpus, nec discretæ, cum illius perfectiones infinitæ, sint una eademque entitas simplicissima. Non est quoque quæstio de altera; nam infinitas virtutis idem est cum omnipotentia, de qua dicetur inferiùs. Sed quæstio est de infinitate secundùm essentiam, seu de infinitate, quæ Deo convenit ratione essentiæ.

Not. 2. Conveniunt Catholici omnes, Deum esse infinitum secundùm essentiam; non enim in Scripturis dici-

dicitur infinitus tantùm in aliquo genere, sed simpliciter & absolutè: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis* (inquit Psaltes Regius, Psal. 144.) *& magnitudinis ejus non est finis*. Sed nonnulli contendunt, id nullo evidenti argumento demonstrari posse.

CONCLUSIO. Evidentibus argumentis demonstratur, Deum esse infinitum secundum essentiam.

Probatur 1. Dei nomine intelligitur id, quo nihil majus aut melius fingi cogitarique potest. Atqui id falsum esset, si Deus non esset infinitus secundùm essentiam; posset siquidem cogitari ens infinitum secundùm suam essentiam: infinitum verò secundùm essentiam, est majus & melius ente, cui ejusmodi infinitas non convenit.

Probatur 2. Quod est totum in actu, nec aliquid habet potentialitatis, est infinitum secundùm essentiam; quod enim est ejusmodi, nihil omninò potest recipere; ac proinde a nullo alio perfici complerique potest. Atqui Deus est totus in actu, nec habet aliquid potentialitatis; cum potentialitas sit imperfectio, ac aliundè nulla imperfectio Deo conveniat.

Probatur 3. Essentia Dei ex nullo prorsùs capite potest esse finita: ergo Deus est infinitus secundùm essentiam. Probatur ant. Si Dei essentia posset ex aliquo capite esse finita, esset vel ex causa extrinseca, a qua divinum esse reciperetur, vel ex subjecto, in quo reciperetur, vel ex actu intellectus, qui concipit essentiam sine attributis: Atqui neutro ex iis capitibus essentia Dei est finita. Non quidem 1. ex causa extrinseca; cum enim essentia Dei in eo sit posita, quod sit ens a se, a nulla causa extrinseca pendere potest. Nec 2. a subjecto, in quo recipiatur: nam existentia Dei in nullo prorsùs subjecto recipitur; non in methaphysico, seu in essentia, quia (ut suo loco ostensum est) essentia Dei ab illius existentia, etiam per mentem, abstrahi non potest. Nec denique 3. eò quòd intellectus essentiam sine attributis concipiat: diversi enim conceptus in Deo, unius sunt, ac ejusdem rei virtualiter multiplicis.

Objicies. Si Deus esset infinitus secundùm essentiam, duo sequerentur absurda: ipsum scilicet Deum esse essentiam aliarum omnium rerum, & nullam in rebus creatis perfectionem secum compati posse; quod quidem sic ostenditur. Quod est infinitum secundùm locum, debet omnia prorsus loca replere, ac præterea quodvis extensum ab iis locis excludere: ergo a pari, si Deus esset infinitus secundùm essentiam, deberet esse essentia omnium rerum, nec posset aliquorum entium perfectiones compati.

Resp. ad 1. neg. sequelam maj. Ad 2. conc. ant. nego cons. Ratio disparitatis est, quia est de essentia infiniti secundùm locum, omnibus omninò locis coextendi cum impenetrabilitate; ac proindè solùm omnia prorsùs loca replere: at verò infinito secundum essentiam, non est essentiale excludere a rebus à se distinctis perfectiones illis proprias; sed satis est, ut eas omnes, nulla excepta, vel formaliter vel eminenter contineat, ut dicemus, cum agemus de Dei perfectione.

Quæres, utrum dari possit aliqua creatura infinita secundum essentiam?

Resp. negativè. Eam verò responsionem quidam Thomistæ ex eo probant, quod esse cujuslibet creaturæ limitetur a subjecto, in quo recipitur: forma quidem (inquiunt) a materia, & existentia ab essentia, a qua in quolibet ente creato realiter distinguitur.

Alii verò, qui Thomisticum principium de distinctione reali existentiæ ab essentia non admittunt, sic ratiocinantur. Quælibet creatura est ab alio, tanquam à causa efficiente, ac proindè dependens: dependentia autem conciliari non potest cum infinitate secundùm essentiam, quia dependentia dicit potentialitatem, seu privationē summæ perfectionis, scilicet independentiæ.

Dices. Plures reperire est Philosophos, qui docent infinitas secundùm numerum creaturas esse possibiles; in ea verò suppositione illæ creaturæ simul sumptæ continerent infinitas perfectiones.

Resp. eo in casu, de cujus possibilitate hic non agimus, perfectiones creatas fore infinitas secundùm numerum, non autem secundùm essentiam: cuique enim individuo perfectioni, imò & toti earum collectioni deesset independentia; ac proinde potentialitas, quæ repugnat infinito per essentiam, in ea collectione reperiretur.

QUÆSTIO III.

De immutabilitate Dei.

Not. 1. Immutabilitas explicari non potest, nisi per negationem mutationis; unde ubi quæritur, quid sit immutabile, respondere solent id esse, quod mutari non potest, seu, quod aliter non potest se habere, ac habebat antea.

Not. 2. Mutatio duplex est, substantialis nimirùm & accidentalis. Prior fit, aut per accessum, aut per recessum formæ substantialis, subjecto remanente eodem, ut cum ex ligno fit ignis: aut per conversionem totius compositi in aliud compositum, ut cum panis & vinum in Eucharistia transubstantiantur in corpus & sanguinem Christi: aut denique per transitum a non esse simpliciter, ut in creatione contingit. Posterior e contra fit per accessum aut recessum formæ accidentalis subjecto quoad substantiam eodem remanente, ut cum aqua ex frigida fit calida.

CONCLUSIO. Deus est omninò immutabilis.

Probatur 1. ex Scriptura Jacobus Epist. Can. cap. 1. ubi Deum vocavit *Patrem luminum*, mox subjicit, eum non esse materialis solis ad instar, cum ne umbra quidem mutationis in eo sit: *Apud quem*, inquit, *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Ipse sibi Deus hoc testimonium reddit Malachiæ 3. *Ego Dominus, & non mutor*. Numerorum cap. 23. hocce discrimen Deum inter & hominem statuitur: *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur: nec ut filius hominis, ut mutetur*. Scripturis adjungendi sunt Patres Nicæni primi Concilii, qui Arium damnarunt, quod Verbum mutabile diceret: *Eos, qui dicunt mutabilem & convertibilem filium Dei, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia*.

Probatur 2. eadem conclusio rationibus theologicis.

Primò. Deus est immutabilis secundùm substantiam: neque enim transiit à non esse ad esse, cum sit æternus; nec desinet aliquando, cum sit maximè simplex: res enim maxime simplices perire non possunt naturaliter, seu ab intrinseco, quia res naturaliter non perit, nisi per partium dissolutionem. Gregorii Nazianzeni est illud argumentum: *Compositio* (inquit orat. 34.) *pugnæ initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis: solutio porrò nullo modo in Deum, ac primam illam naturam cadit. Quocirca nullum dissidium admittendum est, ne solutio consequatur; nec pugna, ne dissidium oriatur; nec compositio, ne pugna existat*. Non potest quoque Dei substantia perire ab extrinseco, seu actione alicujus causæ extrinsecæ, quia cum Deus sit ens, quo majus ac præstantius cogitari non potest, nulla fingi potest aut æqualis, aut superior causa, quæ in illum agat. Præterea Deus, ex dictis, necessariò existit, existentia nimirùm necessaria, est illi essentialis: ac proindè desinere non potest: alioquin contingentem tantùm, sicut & creatura, haberet existentiam.

Secundò. Deus mutari non potest ratione operationis: non ejus quidem, quæ est ad intra, seu per quam cum Verbum, cum Spiritus sanctus producuntur: ea enim

operatio non est aliquid ab ipsa Dei substantia distinctum; alioquin conciperetur in Deo potentia agendi distincta ab ipsa actione, ac proinde Deus non esset actus purissimus, sed compositus ex potentia & actu ; quod tamen (ut supra dictum est) ideæ Deo essentiali repugnat.

Tertiò. Deus non est mutabilis per amissionem vel acquisitionem formæ alicujus accidentalis, quæ de novo ipsi adveniat, aut ab eo recedat: siquidem cum sit infinitè perfectus, essentialiter omnes simul perfectiones includit; quippè si vel una ei deesset, cogitari posset aliquod ens Deo perfectius ; quod est impossibile : *Nihil ibi deest* (ait Fulgentius Epist. 6. ad Theodor. cap. 4) *quia totum in ille est : nihil ibi superest, quia nihil præter illum est.*

Objicies 1. ex actione Dei ad extra. Ille mutabilis est, qui ab uno statu transit in alterum : quod enim est immutabile, manet semper idem ac in eodem statu : atqui Deus ab uno statu in alium transiit, nimirùm ex non producente mundum, factus est producens : ergo, &c.

Confirmatur argumentum. Ille mutatur, qui novas acquirit dotes : atqui Deus novam acquisiit, scilicet dotem supremi rerum omnium dominii ; hanc enim non habet ab æterno, cum dominium & res, ad quam se extendit, sint correlativa; correlativa quippè simul tempore existunt.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Deus ex non producente factus est producens per eundem actum, quem semper habuit, conc. ant. per actum, quem non habuerit semper, neg. ant. Deus ab æterno voluit mundi creationem, non pro æterno quidem, sed pro tempore respondente æternitatis virtuali instanti, quo revera eum eduxit ex nihilo. Augustini est ea responsio convellentis hoc Gentilium argumentum : *Si enim vacabat* (Deus) *& non operabatur aliquid, cur non sic deinceps, quemadmodum retrò, cessavit ab opere?* Sed etsi (inquit lib. 2. de Civit. Dei cap. 17.) *prius cessavit, & posteriùs operatus est ; hoc procul dubio quod dicitur prius & posterius, in rebus prius non existentibus & posteriùs existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit, aut abstulit voluntatem ; sed una eademque sempiterna & immutabili voluntate res, quas condidit, & ut prius non essent, egit, quamdiù non fuerunt, & ut posteriores essent, quando esse cœperunt.*

Ad confirmationem, resp. 1. errasse Origenem quòd lib. 1. de principiis, cap. 2. ut firmaret immutabilitatem, quam Gentiles ex rerum creatione ac dominii dote impugnabant, crediderit, ex omni æternitate Deum hanc universitatem creasse. Origeni præiverat Hermogenes, qui propterea quòd censeret, Deum nunquam non dominum fuisse, asseruit, materiam esse Deo coæternam : quod quidem dogma integro libro Tertullianus confutavit.

Resp. 2. ad argumentum, conc. maj. dist. min. Deus per creationem dotem novam acquisiit extrinsecè, concedo min. intrinsecè neg. min. Domini nomen, quod Deo post rerum creationem datum est, nihil ipsi intrinsecum contulit quod antea non haberet ; sed tantùm aliquid extrinsecum ; relationem nimirùm actualem ad res creatas, quam quidem non habuit ab æterno, sed acquisiit in tempore. *Si ergo nummus* (inquit Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 15.) *potest nulla sui mutatione toties dici relativè*, pretium, nempè, pignus, munus, *ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat ; quantò facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita relativè dicatur aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei accidisse aliquid intelligatur ; sed illi creaturæ, ad quam dicitur?*

Objicies 2. Ille mutabilis est, qui variis motibus movetur : atqui Deus sic reverà movetur : Nam 1. amat hominem justum, quem odit postea iniquum. 2. iram ipsi scriptura variis in locis tribuit ; 3. pœnitentia ei tribuitur Genesis 6. *Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra*. 1. Reg. 15. *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem*. Genes. 6. internus animi dolor ei adscribitur : *Tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, à facie terræ* : ergo varii animi motus Deo conveniunt.

Confirmatur argumentum ex Patribus. *Primò*, Lactantius, ubi removit a Deo plurimas animi passiones, iram ei tribuit. *Deum* (inquit lib. de Ira Dei cap. 12.) *moveri & indignari, non modò cum injusta fiunt, communis utilitas, sed etiam ratio ipsa & veritas persuadet*. *Secundò*, Tertullianus confutans Marcionem, quòd diceret, Deum non esse rerum nostrarum solicitum, sic discurrit lib. 1. cap. 26. *Stupidissimus ergo qui non offenditur facto, quod non amat fieri: aut si offenditur, debet irasci; si irascitur, debet ulcisci.*

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. concesso ant. dist. conseq. Ergo varii motus Deo conveniunt metaphoricè, concedo conseq. propriè, neg. conseq. seu, animi motus, de quibus est quæstio, non sunt in Deo quoad affectum ; sed tantùm quoad effectum : in rebus nimirùm creatis eas Deus mutationes efficit, quas homo solet efficere, cum variis animi passionibus intrinsecè movetur. Homo iratus destruit opus suum, ulciscitur, pœnam infligit ; cum igitur Deus idem agit in creaturam, Scriptura, quæ humano more plerumque loquitur, dicit, quòd eum pœniteat, quòd oderit id, quod amabat antea, quòd ira furoreque moveatur: *Quapropter* (inquit Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2.) *cum legimus etiam Dominum dicentem: Pœnitet me, consideremus, quid id esse soleat. In hominibus opus pœnitendi est, cum procul dubio reperitur voluntas mutanda, sed in homine cum dolore animi est; reprehendit enim in se, quod temerè fecit. Auferamus ergo ista, quæ de humana infirmitate atque ignorantia veniunt, & remaneat solum velle, ut non ita sit aliquid, quemadmodum erat.*

Plura alia, quæ ad Dei immutabilitatem pertinent, legere est inferius, ubi ex professo dicetur de immutabilitate divinæ voluntatis.

QUÆSTIO IV.

De invisibilitate Dei.

Not. 1. Scripturæ docent, Deum esse invisibilem: *Regi sæculorum immortali, & invisibili*, inquit Paulus 1. ad Tim. 6. *soli Deo honor & gloria*. Qua verò ratione illa invisibilitas intelligi debeat, hac in quæstione à nobis est exponendum.

Not. 2. Duplex Dei invisibilitas fingi potest, abstractiva nimirùm, & intuitiva. Prior opponitur abstractivæ visibilitati, seu cognitioni Dei : altera verò intuitivæ : unde ut explicetur invisibilitas tum abstractiva, tum intuitiva, necesse est ut hic exponatur, quid sint & abstractiva & intuitiva Dei cognitio.

Not. 3. Cognitio Dei abstractiva est ea, quæ de Deo per creaturas, tanquam per medium, habetur : ejusmodi est ea, quam Apostolus hisce verbis exprimit, ad Romanos scribens : *Invisibilia ipsius à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*. Cognitio intuitiva est ea, per quam Deus cognoscitur in se ipso, non autem in medio, quod ab eo distinctum sit : hinc que patet, cognitionem abstractivam esse obscuram ac confusam, cum è contra intuitiva sit clara, evidens, ac distincta.

Not. 4. De abstractiva Dei visibilitate hic non agemus, sed tantùm de intuitiva ; nempè dicemus de illius

possi-

possibilitate, existentia, principiis, objecto & proprietatibus.

CAPUT I.

De possibilitate intuitivæ Dei visionis.

Not. 1. Intellectus creatus potest spectari, vel secundùm vires naturales, vel secundùm supernaturales. Certo certius est, intellectum creatum sibi relictum, hoc est, solis viribus naturalibus instructum, non posse videre Deum intuitivè; unde hic quæstio est tantùm, utrum id possit adjutus ac corroboratus aliquo supernaturali auxilio; sive habituale, sive actuale sit illud auxilium; sive sit lumen gloriæ, sive extraordinarius Dei concursus, sive aliquid aliud.

Not. 2. Veritas triplici medio probari potest, Scriptura, Traditione, Ratione naturali: igitur difficultas potest esse, utrum tum Scriptura, tum Traditione, tum Ratione naturali possibilitas intuitivæ Dei visionis ostendi possit.

ARTICULUS I.

Utrum possibilitas intuitivæ Dei visionis ex Scripturis demonstretur.

CONCL. Possibilitas intuitivæ Dei visionis ex Scriptura demonstratur.

Probatur *primò*. Matthæi 5. hæc habentur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hæc quoque leguntur ejusdem Evangelii cap. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei.* Apostolus 1. ad Corinth. 13. sic loquitur: *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Ex iis verò locis sic conficitur argumentum: Visio, de qua tum Matthæus, tum Apostolus loquuntur, non est visio per similitudinem aliquam creatam; alioquin enim esset in ænigmate & in speculo, quod tamen negat Apostolus: non est quoque abstractiva, seu in Dei effectibus, cum dicatur visio faciei; visio, quæ erit facie ad faciem; visio ei similis, quam Deus habet de creaturis; visio Dei sicuti est: ergo est visio intuitiva.

Dices. Genesis 32. dicitur, quòd Moyses viderit Deum facie ad faciem; inde tamen colligi non potest, quòd eum intuitivè viderit: ergo neque colligi potest possibilitas intuitivæ Dei visionis ex iis Scripturæ textibus, ubi asseritur, quòd prædestinati Deum in cœlis facie ad faciem visuri sint.

Sed concesso antecedente, neganda est consequentia. Ratio disparitatis est, quia apparitiones, quæ tum Moysi, tum Patriarchis concessæ leguntur, non erant Dei apparitiones, sed Angelorum, qui in forma aliqua visibili eis se videndos præbuerunt; locuti sunt tamen in Dei persona, quòd agerent illius nomine: id autem ex Actorum c. 7. manifestè colligitur.

Objicies. Deus in Scriptura dicitur invisibilis: *Quem* (inquit Apostolus 1. ad Tim. 6.) *nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ille locus non potest intelligi aut de visione abstractiva, cum certum sit ex ipsomet Apostolo, Deum sic a viatoribus cognosci; aut de visione in ænigmate & in speculo, quippè idem Apostolus expresse ait, quòd sic a nobis cognoscitur: *Videmus nunc per speculum & in ænigmate*: ergo locus ille intelligitur de visione Dei intuitiva.

Resp. dist. Apostoli verba: Sed nec videre potest, aut oculis corporeis, cum Deus non sit ens materiale; aut in terris, quippè nunc non videmus facie ad faciem; aut visione comprehensiva, quam haud dubiè, propter Dei infinitatem, intellectus creatus assequi non potest, ut inferiùs suo loco dicetur, conc. ant. oculis mentis, in cœlo, visione non comprehensiva, neg. ant.

ARTICULUS II.

Utrum possibilitas intuitivæ Dei visionis, ex Traditione demonstretur.

CONCL. Possibilitas intuitivæ Dei visionis potest ex Traditione demonstrari.

Probatur. *Primò*, Irenæus lib. 4. cap. 37. sic loquitur: *Homines igitur videbunt Deum, & vivent per visionem, immortales facti, & pertingentes usque ad Deum.* Irenæum verò loqui de intuitiva Dei visione, ex eo colligitur, quòd visionem, quam recenset, opponat ei, qua Patriarchæ, dum in terris agerent, donati sunt.

Secundò, Clemens Alexandrinus in quinto Stromat. hæc habet: *Perspicuum est, nullum unquam vitæ suæ tempore posse Deum perspicuè comprehendere. Qui autem sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.* Per hæc verba: *Perspicuè comprehendere*, intelligit perspicuam Dei visionem, quæ tamen perfecta non sit; eam autem comprehensionem, hoc est, perspicuam visionem, quam Clemens negat viatoribus concedi, contendit ipse mundis corde in cœlo concedendam.

Tertiò, Augustinus Epist. 91. hæc Apostoli verba: *Regi sæculorum invisibili*, sic narrat: *Invisibili autem non in sæcula sæculorum, sed tantùm in hoc sæculo.* Epistola 92. ait, Deum Moysi in hac vita non apparuisse in natura propria, in ea tamen videndum esse in altera vita: *Non autem* (inquit) *ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat: ea quippè promittitur Sanctis in alia vita.*

Quartò, Bernardus idem asserit: *In hoc autem*, ait Serm. 4. in festum omnium Sanctorum, *in hoc erit vita æterna, ut cognoscamus Deum sicuti est, id est, non modò sicut inest, nobis videlicet, aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso.*

Quintò. Id apertè colligitur ex Conc. Florentino, sess. 25, in decreto unionis, ubi definitur: *Exutas corporibus animas, quæ in gratia Dei decesserint, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum, trinum & unum, sicuti est.*

Objicies 1. Chrysostomus multa docet, quibus evinci videtur, quòd Deus a nulla creatura possit intuitivè videri. Docet, Angelos ipsos Dei essentiam non videre: *Deum*, inquit in hæc Joannis verba, *Deum nemo vidit unquam, cujusmodi est in se; non solum Prophetæ, sed nec Angeli viderunt, nec Archangeli.* Docet 2. solum Filium & Spiritum Sanctum, Deum ipsum intueri: *Solus ipsum videt Filius & Spiritus sanctus.* Docet 3. hanc Christi sententiam: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*, non intelligi de visione essentiæ divinæ, sed tantùm de Angelorum cogitatione, quæ interrupta non sit: *Sic etiam* (ait) *in Angelis accipiendum est, propter puram ipsorum ac vigilem naturam, nihil ipsos aliud prætergquàm Deum, animo unquam videndum sibi proponere.* Docet 4. Deum ab Angelis non videri, nisi per quandam sui demissionem: *Non merum ipsum lumen intuebantur*, (inquit Oratione tertia contra Anomæos de Incomprehensibili) *neque sinceram ipsam substantiam, sed quandam Dei se demittentis accomodatio sunt.*

Ex iis autem locis sic conficitur argumentum: Ille censuit, intuitivam Dei visionem non esse possibilem, qui negavit, Angelos essentiam Dei videre; qui contendit, id soli Filio & Spiritui Sancto proprium esse; qui asseruit, Evangelica verba, *Angeli eorum semper &c.* non intelligi de visione essentiæ divinæ, qui voluit, Deum a nulla creatura nisi per sui demissionem, & quandam accommodationem etiam in cœlis conspici: Atqui id docuit,

esse, id asseruit, id contendit Chrysostomus: ergo censuit, intuitivam Dei visionem non esse possibilem.

Resp. disting. maj. Ille &c. qui negavit, Angelos Dei essentiam videre visione imperfecta; qui contendit, eam imperfectam visionem soli Filio, & Spiritui sancto convenire; qui asseruit, Evangelica verba, *Angelorum eorum*, &c. non intelligi de imperfecta visione essentiæ divinæ; qui voluit Deum non videri nisi per sui demissionem, quæ excludat imperfectam essentiæ visionem, concedo maj. Negavit, Angelos Dei essentiam videre visione perfecta, qui contendit eam perfectam visionem soli Filio & Spiritui sancto convenire; qui asseruit, Evangelica verba, *Angeli eorum*, &c. non intelligi de perfecta visione essentiæ divinæ, nego maj. Distinguo pariter min. Atqui id docuit, id asseruit, id contendit Chrysostomus de perfecta Dei visione, conc. min. de imperfecta visione, neg. min. & conseq.

Intuitiva Dei visio duplex est, imperfecta & perfecta: prior est ea, per quam clarè quidem & absque ænigmate videtur Dei essentia, sed non cognoscuntur ea omnia, quæ potest operari, seu, objecta, ad quæ sese extendere potest Dei omnipotentia: posterior è contra ea est, per quam ita essentia cognoscitur, ut etiam distincte cognoscantur omnia objecta, hoc est, omnes creaturæ possibiles, ad quas sese potest extendere Dei omnipotentia. Prior dicitur non comprehensiva, altera verò dicitur comprehensiva: Istam tantùm, non autè illam Chrysostomus cuilibet intellectui creato negavit.

Confirmatur 1. ex scopo, quem iis in locis sibi Chrysostomus proposuerat: agebat nimirùm contra Anomœos, qui arrogabant sibi comprehensivam Dei visionem: non minùs enim ineptè quam impiè jactitabant, sibi Deum tam perfectè cognitum esse, quam ipsemet Deo, ita ut nihil eos effugeret eorum, quæ Deus habet, aut in sua substantiâ, aut in sua virtute, aut in efficientia. *Audacissimus ille* (inquit Epiphanius hær. 76. de Aetio agens) *dicebat: Tam Deum novi, quàm me ipsum: imò non tam novi me ipsum, quàm Deum.*

Confirmatur 2. ex eo, quòd ubi idem S. Doctor Oratione tertia de incomprehensibili asseruit, nec Angelos, nec quamlibet aliam creaturam posse Deum intueri, hanc rationem reddit: *Ab nulla re facta & creata comprehendi potest.* Postquam hom. 15. in Joannem, scripsit, neminem unquam vidisse essentiam Dei, docet, id intelligi debere de eo tantùm cognitionis modo, qui Verbo convenit; de ea tantùm cognitione, quæ sit comprehensiva. *Quorsum istud: Nemo novit Patrem nisi Filius? an omnes in ignorantia versamur? absit. Sed nimirùm nemo novit ut filius ... essentiam nemo scit, hoc est, quid tandem ea sit, præter illum solum, qui ab ipso genitus est. Nam cognitionem ibi vocat accuratam contemplationem, & comprehensionem, ac tantam, quantam Filii notitiam habet Pater.*

Objicies 2. Theodoretus in Dialogo primo, qui *Immutabilis* inscribitur, tria docet, quæ cum possibilitate intuitivæ Dei visionis conciliari non possunt. *Primò*, contendit, Dei essentiam, ut in se est, videri non posse: *Quam ob rem* (inquit) *si impossibilis est hominibus: imò etiam Angelis dixerim: divina natura contuitus,* &c. Contendit *secundò*, Deum & Angelis, & hominibus post incarnationem tantùm visum fuisse: *Manifestum est igitur videri non posse divinam naturam, esse autem aspectabilem carnem, per quae hanc aspectabilem illam, quæ minimè est aspectabilis, esse conspectam*: Contendit *tertiò*, hæc Evangelica verba: *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*, intelligi non debere de visione ipsiusmet essentiæ divinæ, sed de quadam illius gloria, quæ illorum capacitati contemperata fuerit: *Sic igitur* (ait) *& de Angelis intelligamus, cum audimus, eos quotidie videre faciem Patris nostri. Non enim divinam substantiam vident, quæ neque circumscribi potest, neque cogitatione sepiri, & universa complectitur: sed gloriam quandam ad illorum naturam temperatam.*

Ex iis verò textibus, sic conficitur argumentum: Ille credidit, possibilem non esse intuitivam Dei visionem, qui conceptis terminis asseruit, eam impossibilem esse cuilibet creaturæ; qui docuit Angelos beatos non videre Dei essentiam, nisi in carne, quam Verbum assumpsit; qui scripsit, Evangelii verba, *Angeli eorum*, &c. non probare Angelos videre Dei essentiam. Atqui id asseruit, id docuit, id scripsit Theodoretus: ergo &c.

Resp. dist. maj. Qui credidit, eam esse impossibilem oculo mentis, conc. maj. oculo corporis, neg. maj. Distinguo pariter min. Atqui id asseruit Theodoret. de oculo corporis, conc. min. de oculo mentis, neg. min. & conseq. Ratio solutionis est, quia Theodor. in Dialogo, de quo est quæstio, vult contra Eutychianos probare, Christum habuisse verum corpus: id autem sic probat: *Ille verum habet corpus, qui oculis corporeis visus est: alia nimirum ratione, divina essentia, cum sit omnino spiritualis, videri non potest: sed Christus oculis corporeis visus est: ergo verum habet corpus.*

Instabis. Theodoretus asserit, Angelos ante Verbi incarnationem non vidisse Dei essentiam; verba Evangelica, *Angeli eorum*, &c. non debere intelligi de visione essentiæ Dei: ergo Theodoretus quamlibet Dei, ut in se est, visionem negavit cuilibet creaturæ.

Resp. dist. ant. non vidisse Dei essentiam carni unitam conc. ant. non vidisse simpliciter, & absolutè, neg. ant. Responsionem innuit ipse Theodoretus, quippè rationem reddens, eur locus Evangelicus, *Angeli eorum*, &c. non debeat intelligi de visione essentiæ divinæ, ait, id esse, quòd divina essentia circumscribi non possit: *Non enim divinam essentiam vident, quæ neque circumscribi potest, neque cogitatione sepiri*: non valeret autem ea ratio, si Theodoretus locutus fuisset de visione substantiæ divinæ consideratæ in seipsa, & independenter à carne, quam Verbum induit: neque enim alicujus ponderis est hoc argumentum: *Essentia divina circumscribi non potest; ergo non corporis tantùm, sed nec mentis oculis videri potest.*

Objicies 3. Hieronymus in primum Isaiæ caput, docet, nullam creaturam videre faciem Dei juxta naturæ proprietatem: *Licèt* (inquit) *faciem Domini juxta naturæ suæ proprietatem nulla videat creatura.* Ambrosius in commentariis in Lucam, hæc habet, quæ idem probare videntur: *Et quid de hominibus loquimur, cum etiam de ipsis cælestibus virtutibus, & potestatibus legerimus: Quia Deum nemo vidit unquam?*

Resp. ad 1. Augustinum Epist. 111. illum Hieronymi locum exponere de visione, quæ non per oculos mentis, sed per oculos corporis fiat: idque etiam locum habet in Angelis, quos Augustinus non credidit esse, cujuslibet corporis expertes: *His verbis* (ait Augustinus, ubi retulit laudatam a nobis Hieronymi sententiam) *vir doctissimus satis ostendit, quid etiam de futuro sæculo senserit, quod ad rem attinet. Quantumlibet enim oculi corporis nostri mutentur in melius, Angelorum oculis æquabuntur.* Resp. ad 2. Ambrosium loqui de visione comprehensiva: *Ideo* (inquit) *Deum nemo vidit unquam, quia eam, quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis, nemo conspexit, nemo mente, aut oculis comprehendit.*

Objicies 4. Ut intellectus creatus possit intuitivè videre Dei essentiam, requiritur, ut aliquam cum eo proportionem habeat: sic quod oculus nullam habeat cum sono proportionem, non potest videre sonum. Atqui intellectus creatus nullam habet proportionem cum Dei essentia; tum quia finiti ad infinitum nulla est proportio; tum etiam quia Dei essentia intuitivè videnda est ordinis supernaturalis.

Resp. dist. ant. Intellectus creatus nullam habet proportionem entitatis cum divina essentia, conc. ant. tunc enim

enim diversi omninò generis: nullam habet proportionem habitudinis, neg. ant. Cum Deus sit summè verus, & summè bonus, continetur sub objecto adæquato mentis & voluntatis humanæ: proindeque mens & voluntas humana cum eo habent proportionem habitudinis, seu eam, quæ inter potentiam & objectum, reperitur.

ARTICULUS III.

Utrum possibilitas intuitivæ Dei visionis ratione naturali demonstrari possit.

Not. 1. CErtum est, possibilitatem intuitivæ Dei visionis posse *negativè* demonstrari ratione naturali: nempè demonstrari potest, nullam involvere contradictionem, hoc est, nulla opponi posse argumenta, quæ sint insolubilia. Certum est quoque, id posse *positivè* ostendi saltem probabiliter; unde quæstio est, utrum id possit *demonstrativè* probari.

Not. 2. Duplex est in scholis ea de re sententia. S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 50. affirmativam expresse defendit, negativam verò plures alii, quibus Sylvius subscribit: *Verius est* (inquit 1. p. q. 12. art. 1.) *nullam omninò rationem naturalem dari posse, qua demonstretur, visionem illam esse intellectui creato possibilem.*

CONCLUSIO. Possibilitas intuitivæ Dei visionis potest ratione naturali demonstrari.

Probatur. Possibilitas intuitivæ Dei visionis demonstratur ratione petita ex desiderio substantiæ spirituali innato videndi Deum intuitivè: atqui ea ratio est demonstrativa: ergo possibilitas intuitivæ Dei visionis potest ratione naturali demonstrari. Minor ex eo constat, quod ea ratio reduci possit ad syllogismum, qui constet tribus propositionibus certis ac evidentibus, quarum ultima ex duabus prioribus necessariò sequatur. Hujusmodi autem est ille syllogismus: Cognitio, quam substantia spiritualis naturaliter desiderat, est intellectui creato possibilis: atqui substantia spiritualis naturaliter desiderat intuitivam Dei visionem: ergo possibilis est intuitiva Dei visio.

Major syllogismi propositio videtur certa, quia desiderium naturale non potest esse inutile in omnibus, ac singulis speciei individuis; quippè authorem habet Deum, qui nihil potest frustrà moliri. Minor verò ostenditur pluribus momentis, quibus utitur S. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 50.

Eo in capite S. Doctor sibi probandum assumit, *quòd in naturali cognitione, quam habent substantiæ separatæ de Deo, non quiescat earum naturale desiderium; sed ulterius tendat ad cognitionem Dei prout in se est, non autem in effectibus*: id autem subsequentibus argumentis ostendit.

Primò. Cognitio naturalis, quàm substantiæ spirituales habent de Deo, multùm est imperfecta; est enim abstractiva, seu, per effectus: atqui substantia spiritualis, quæ habet, & advertit se habere imperfectam rei cognitionem, desiderat naturaliter habere perfectam: ergo substantia spiritualis, quæ habet solam Dei imperfectam, hoc est, abstractivam cognitionem, desiderat naturaliter habere perfectam, seu intuitivam. *Omne quod est imperfectum in aliqua specie*, (inquit S. Doctor) *desiderat consequi perfectionem illius speciei. Qui enim habet opinionem de re aliqua, qua imperfecta illius rei est notitia, ex hoc ipse incitatur ad desiderandum illius rei scientiam. Prædicta autem cognitio, quam substantiæ separatæ habent de Deo, non cognoscentes ipsius substantiam planè, est imperfecta cognitionis species ..... Ex hac igitur cognitione, quam habent substantiæ separatæ de Deo, non quiescit naturale desiderium; sed incitatur magis ad divinam substantiam videndam.*

Secundò. Qui cognoscit, alicujus causæ effectus naturaliter desiderat ejusdem causæ substantiam cognoscere: ergo, cum substantia spiritualis cognoscat Dei effectus, se ipsa nimirùm & plura alia Dei opera, naturaliter desiderat cognoscere Dei substantiam ut in se est, ac proinde habere intuitivam illius visionem: *Ex cognitione effectuum* (inquit ibidem S. Doctor) *incitatur desiderium ad cognoscendam causam: unde & homines philosophari inceperunt causas rerum inquirentes. Non quiescit igitur sciendi desiderium naturaliter omnibus substantiis intellectualibus inditum, nisi cognitis substantiis effectuum, etiam substantiam causæ cognoscant: per hoc igitur, quod substantiæ separatæ cognoscunt omnium rerum, quarum substantias vident, esse Deum causam, non quiescit naturale desiderium in ipsis, nisi etiam ipsius Dei substantiam videant.*

Tertiò. Ubi quis cognoscit existere, naturaliter desiderat scire, quid res illa in se sit: ergo substantia spiritualis, quæ scit Deum existere, naturaliter scire desiderat, quid Deus in se sit: *Videmus autem* (ait) *quòd videntes naturaliter, quia est aliquid, scire desiderant, quid est ipsum, quod est intelligere ejus substantiam: non igitur quietatur naturale sciendi desiderium in cognitione Dei, qua scitur de ipso solum quia est.*

Quartò. Substantia, cujus desiderium est infinitum, nullius rei finitæ cognitione expleri potest: atqui substantiæ spiritualis desiderium cognoscendi est infinitum: ergo expleri non potest per cognitionem creaturarum, quæ, quocunque in numero, quacunque in perfectione supponantur, sunt semper finitæ: ergo solius Dei cognitione, cum solus sit infinitus, expleri possunt: tendunt igitur naturaliter in intuitivam Dei cognitionem, abstractiva enim non tam Dei, quam creaturarum est cognitio: *Nihil finitum*, verba sunt S. Doctoris, *desiderium intellectus quietare potest, quod exinde ostenditur, quòd intellectus quolibet finito dato aliquid ultrà molitur apprehendere: altitudo autem & virtus est finita cujuslibet substantiæ creatæ: non igitur intellectus substantiæ separatæ quiescit per hoc, quòd cognoscit substantias creatas quantumcunque eminentes; sed adhuc naturali desiderio tendit ad intelligendum substantiam, quæ est altitudinis infinitæ.*

Quintò, Substantia spiritualis, ubi advertit, se aliquid nescire, naturaliter desiderat eam nescientiam, seu ignorantiam pellere: ergo cum advertit se nescire, quid sit Deus, hoc est, cum advertit se non cognoscere Dei, ut in se est, substantiam, naturaliter desiderat eam nescientiam pellere, hoc est cognoscere Dei, ut in se est, substantiam: sic autem non cognoscitur, nisi per intuitivam, ut scholastici loquuntur, Dei visionem: *Sicut* (inquit S. Thomas) *naturale desiderium inest omnibus intellectualibus naturis ad sciendum: ita inest eis naturale desiderium ignorantiam, seu nescientiam pellendi. Substantiæ autem separatæ cognoscunt substantiam Dei esse suprà se, & suprà id omne, quod ab eis intelligitur, & per consequens sciunt, divinam substantiam sibi esse ignotam: tendit igitur naturale ipsarum desiderium ad intelligendam divinam substantiam.*

Ex iis omnibus argumentis S. Thomas concludit, substantiam spiritualem, eam præsertim, cui cognita est Dei existentia, habere desiderium naturale intuitivè cognoscendi illius essentiam: Ex eo autem naturali desiderio concludit, quod & nos susceperamus probandum, possibilem esse intuitivam Dei visionem, in eaque positam esse ultimam substantiæ spiritualis beatitudinem. *Ex quibus* (inquit) *concluditur, quòd ultima felicitas substantiarum separatarum non est in illa cognitione Dei, qua Deum cognoscunt per suas substantias, cum adhuc earum desiderium ducat eas usque ad Dei substantiam; in quo etiam satis apparet, quòd in nullo alio quærenda est ultima felicitas, quàm in operatione intellectus, cum nullum desiderium tam in sublime ferat, sicut desiderium intelligendæ veritatis.*

Objicies.

Objicies 1. Substantia spiritualis non habet naturale desiderium ad ultimum finem *determinate* sumptum, hoc est, ad possessionem objecti, quod Deus est, in quo posita est ratio ultimi finis: sed habet tantùm desiderium ad ultimum finem *indeterminatè* sumptum, seu, ad felicitatem in communi, abstrahendo, an in Dei, aut alterius objecti particularis possessione posita sit: ergo ex illo desiderio rectè non colligitur possibilitas intuitivæ Dei visionis.

Resp. neg. ant. Nam 1. ad id fertur substantia spiritualis, quod potest illius cognoscendi desiderium explere: id autem non potest beatitudo in communi, seu, indeterminatè sumpta. 2. Dato quòd desiderium naturale ultimi finis determinatè sumpti non reperiatur in iis, qui nesciunt, aut non attendunt, ultimum finem esse positum in intuitiva Dei cognitione; dicendum tamen est, illud reperiri in iis substantiis, quæ ad Dei existentiam attendunt, quæque norunt, in ipso solo positum esse ultimum creaturæ rationalis finem: id autem satis est, ut asseratur possibilitas intuitivæ Dei visionis. 3. Si naturale desiderium beatitudinis non feratur determinatè in possessionem objecti, in quo posita est, immeritò ex illo desiderio S. Thomas colligeret, Deum intuitiva visione possidendum, esse ultimum creaturæ rationalis finem. 4. Ea ratio non cohæret cum celebri hac S. Augustini sententia, lib. 1. Confess. c. 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Objicies 2. Illud naturale desiderium, cujus locis laudatis meminit S. Thomas, vel est innatum, vel elicitum: atqui neutrum dici potest. Non primum, quia desiderium innatum ad ea tantùm est, quæ substantia, in qua reperitur, per se potest comparare: quod quidem de intuitiva Dei visione, cum sit supernaturalis, dici non potest. Non etiam secundum, quia illud desiderium ab omnibus substantiis spiritualibus eliceretur: quod est falsum, cum multi sint homines qui de Deo nusquam cogitarunt.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. respondet Scotus in 4. dist. 49. q. 8. illud desiderium esse innatum; nec inde tamen sequitur, quòd substantia, in qua reperitur, possit *per se* assequi visionem intuitivam, quippè multa appetuntur appetitu innato, quæ anima propriis viribus assequi non potest, ut patet in resurrectione corporis, quam anima ex sola Dei potentia sperat ac desiderat: è contra S. Thomas respondet, illud desiderium esse elicitum: nempè elicitur a qualibet substantia spirituali, quoad specificationem; quoad exercitium verò, quoties occurrit menti existere primum ens, à quo cetera omnia suum habent esse, & in quo omnes omninò perfectiones reperiuntur. Confirmatur ex eo, quòd quilibet, cujuscunque sit sectæ ac religionis, rogatus, an Deum velit videre, id se velle extemplò responsurus sit.

Objicies 2. Substantia spiritualis id naturaliter non desiderat, quod est omninò supernaturale, quippè actus & objectum debent esse ejusdem generis: atqui intuitiva Dei visio est omninò supernaturalis: ergo substantia spiritualis eam naturaliter non desiderat.

Resp. dist. min. Intuitiva Dei visio est omninò supernaturalis quantum ad assecutionem, conc. min. neque enim sine gratiæ auxilio comparari potest: quantùm ad intentionem, neg. min. quippe maximè convenit naturæ substantiæ spiritualis, quæ essentialiter est imago Dei, ac proinde indito sibi à naturæ authore pondere fertur ad perfectam cum suo prototypo unionem, cum in ea dumtaxat unione quiescere possit. *Quamvis homo* (inquit S. Thomas) *naturaliter inclinetur in finem ultimum, non tamen potest illum naturaliter consequi, sed solum per gratiam; & hoc est propter eminentiam illius finis.*

Objicies 3. Substantia spiritualis id tantùm potest naturaliter desiderare, quod per naturæ vires cognoscit esse possibile; quippe desiderium efficax ac verum supponit judicium de possibilitate rei, ad quam fertur: atqui substantia spiritualis non potest per naturæ vires cognoscere, intuitivam Dei visionem esse possibilem: ergo &c.

Resp. 1. dist. maj. Quod per naturæ vires cognoscit esse, aut positivè, aut negativè possibile, conc. maj. positivè tantùm, neg. maj. Priori modo possibilem esse Dei visionem, substantia spiritualis cognoscit per solas naturæ vires; seu cognoscit, eam nullam involvere contradictionem: ea autem intellectus cognitio satis est, ut voluntas eam visionem naturaliter desideret. Sic ex eo quod intellectus noverit, scientiæ possibilitatem non implicare contradictionem; cujuslibet hominis voluntas scientiam naturaliter desiderat.

Resp. 2. neg. min. Ratio est, quia substantia spiritualis naturaliter cognoscit, Deum esse primam rerum omnium causam, eum esse substantiam infinitam, se de eo imperfectam tantum, per creaturas nimirum, habere scientiam; id verò sufficit, ut statim necessitetur ad desiderandam perfectiorem, scilicet Dei, ut in se est, cognitionem.

CAPUT II.

De existentia intuitivæ Dei visionis.

Not. 1. Status quæstionis est, utrum aliqua creatura in hac vita fruita sit intuitiva Dei visione. 2. An animæ Sanctorum ea nunc in cœlis potiantur.

ARTICULUS I.

Utrum aliqui in hac vita fruiti sint intuitiva Dei visione.

Not. 1. Difficultas potest esse 1. de Patriarchis, qui vixerunt in lege naturæ: 2. de Moyse, qui legem scriptam promulgavit: 3. de Paulo, qui vixit in nova lege.

Not. 2. Non una fuit ea de re Patrum ac præcipuorum scholasticorum sententia. S. Augustinus libro 12. de Genesi ad literam cap. 27. docere videtur, quòd Moyses, dum in terris ageret, Dei, ut in se est, essentiam ex singulari privilegio viderit. Idem de Paulo innuit epist. 112. cap. 12. & 13. S. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. ad 3. idem asserit, tum de Moyse, tum de Paulo. Idem etiam de eodem Paulo tradit 2. 2. quæst. 174. art. 3. ubi hanc conclusionem statuit: *Paulus usque in tertium cælum divina virtute raptus, Deum per essentiam vidit.* Plures alii tum Patres, tum scholastici contendunt, nemini unquam in terris concessam fuisse intuitivam Dei visionem.

CONCLUSIO. Sententia, quæ negat, alicui creaturæ in terris concessam fuisse intuitivam Dei visionem, probabilior est affirmativa.

Probatur 1. Negativa sententia propiùs ad Scripturam & ad Patres accedere videtur.

Primò, Exodi 33. Deus generalem hanc absque ulla exceptione sententiam protulit: *Non videbit me homo, & vivet*: illa autem sententia eò magis probat, nemini unquam concessam fuisse intuitivam Dei visionem quòd prolata sit tanquam ratio, cur Moysi concessa non fuerit; sic Deum rogaverat Moyses versu 13. *Si ergo inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam:* Hisce verò verbis Deus ipse respondit versu 20. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet.* Confirmatur ex eo, quòd Deus ipse versu 23. intuitivam visionem opponat cognitioni abstractivæ, hancque, dum pollicetur Moysi, neget alteram: *Vide-*

bis

bis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris; unde sic conficitur argumentum. 1. Ubi lex nullum excipit ex generali regula, nullum nos debemus excipere: atqui lex de non videndo Deo in hac vita, nullum excipit, ergo, &c. 2. Si quis excipi deberet, esset Moyses: sed ab ea regula Moyses non excipitur: imò aperte in ea expresse includitur: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet:* hoc est, statui nemini, dum aget in terris, facere copiam faciei meæ.

Secundò, Joannes Evangelii cap. 1. hæc habet: *Deum nemo vidit unquam*: eò autem majoris est ponderis ille locus, quòd Joannes Evangelium suum scripserit post Pauli mortem; ac proinde persuasum ipsi fuit, raptum in tertium cœlum, quem Paulus passus est, intelligi non debere de intuitiva Dei visione. Ipse Paulus cap. 6. prioris ad Timotheum epistolæ, quam scripsit multo post suum raptum tempore, generaliter ac sine exceptione sic loquitur: *Quem nullus hominum vidit.* Eo autem generali loquendi modo contineretur mendacium, si vel unus in terris Dei vidisset essentiam. Nec impediretur illud mendacium ex eo, quòd Paulus, ut volunt adversarii, alibi, secunda nimirum epistola ad Corinthios, se ipsum ab illa generali regula, *Quem nullus hominum vidit*, exceperit: nam propositio generalis negativa, qualis est ista: *Quem nullus hominum vidit*, mendacium, seu falsitatem continet, ubi absolutè & simpliciter profertur sine exceptione, quæ alio in libro addita fit; sic ille Gallus, qui Romam invisisset, mentiretur si multis post annis absolutè scriberet, nullum unquam Gallum Romam invisisse.

Tertiò, Sententiæ quam tuemur, favent Patres, seu Scripturam exponunt ea ratione, qua a nobis explicata fuit. Irenæus libro 4. adversùs hæreses cap. 27. probat, Deum esse invisibilem, ex illo Joannis loco, *Deum nemo vidit unquam.* Ubi autem objecit sibi Scripturæ textus, quibus Moyses, & nonnulli alii dicuntur Deum vidisse respondet, ipsos quasdam Dei similitudines, non ipsam Dei essentiam vidisse: *Non igitur*, inquit, *manifestè ipsam faciem Dei videbant prophetæ: sed dispositiones, & mysteria, per quæ inciperet homo videre Deum. Igitur si neque Moyses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel, manifestum est, quoniam Pater quidem invisibilis, de quo & Dominus dixit: Deum nemo vidit unquam: Verbum autem ejus, quemadmodum volebat ipse, & ad utilitatem videntium claritatem monstrabat, Patris & dispositiones exponebat.*

S. Augustinus epist. cx1. pro eadem sententia laudat Athanasium, & Gregorium Nazianzenum, atque scripsisse eos, Deum Moysi, ac aliis veteris testamenti prophetis visum fuisse *alicujus conspicabilis materiæ dispositione assumpta, salva sua invisibilitate.*

Objicies 1. Quæ de Moyse dicuntur in antiquo testamento, probare videntur, eum momentanea saltem, Dei intuitiva visione fruitum fuisse.

Primò, Esodi 33. dicenti Moysi Deo: *Ostende mihi gloriam tuam*, respondit Deus; *Ego ostendam omnem bonum tibi*: unde sic conficitur argumentum: Deus Moysi concessit, quod ipsi pollicitus fuerat: atqui his verbis, *Ego ostendam omne bonum tibi*, sui ipsius intuitivam visionem pollicitus fuerat: ergo, &c.

Secundò, ibidem asseritur, quod Dominus Moysi loqueretur *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*: ergo absque velo, ac proindè intuitivè Moyses Deum conspiciebat.

Tertiò. Numerorum 12. Deus constituens discrimen inter Moysem & alios Prophetas, sic loquitur: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses: ore enim ad os loquor ei: & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*: inde verò sic arguitur: Visio quæ est *ore ad os, non per ænigmata & figuras*, est intuitiva: atqui ejusmodi fuit ea, quam Dominus Moysi concessit: ergo, &c.

Confirmatur illud argumentum 1. ex Augustino, qui libro 12. de Genesi ad literam cap. 27. docet *primò*; Moysem a Domino petiisse intuitivam divinæ essentiæ visionem: *Concupierat etiam* (inquit) *videre Deum, non utique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo; sed in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, quæ mortalis carnis sensibus præsentetur; neque in spiritu figuratis similitudinibus corporum, sed per speciem suam, quantùm eam capere creatura rationalis, & intellectualis potest, sevocata ab omni corporis sensu, & ab omni significativo ænigmate spiritus.* Docet *secundò*, hoc Dei ad Moysem responsum, *Non poterit videre faciem meam*, figuratè dictum fuisse, & ad Ecclesiam, non ad Moysem pertinere. Docet *tertiò*, hæc alia Domini verba, *Non videbit me homo & vivet*, intelligi non de morte corporali, sed de extasi ac ab alienatione a sensibus corporeis: *Nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omninè exiens de corpore, sive ita aversus & alienus a carnalibus sensibus, ut meritò nesciat, sicut Apostolus ait, utrum in corpore, an extra corpus sit, cum in illam rapitur, & subvehitur visionem.*

Confirmatur 2. idem argumentum authoritate Ambrosii, qui lib. 1. cap. 2. sic de Moyse loquitur: *Non in visione, neque in somniis, sed ore ad os, cum Deo summo locutus: neque in specie, neque per ænigmata; sed clara atque perspicua præsentia divinæ cognitione dignatus*: atqui clara & perspicua cognitio, quæque non est in specie, & per ænigmata, est visio intuitiva: ergo Moyses, ex Ambrosio, Deum vidit intuitivè.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. quippè ea Dei verba. *Ostendam omne bonum tibi*, intelliguntur non de visione essentiæ divinæ, cum subsequentibus hisce verbis, *Faciem autem meam videre non poteris*, eam Deus excluserit, sed intelligitur de mirabilibus tum potentiæ tum providentiæ signis, quæ Deus se operaturum promisit.

Resp. ad 2. phrasim hanc: *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*, non intelligi de intuitiva visione. Nam 1. Deuteronomii cap. 5. Israelitæ dicunt: *Facie ad faciem locutus est nobis in monte, de medio ignis*: certum est tamen, quòd Israelitæ non viderint Deum intuitivè; cum hæc habeantur cap 4. *Locutus est Dominus ad vos de medio ignis. Vocem verborum ejus audistis, & formam penitùs non vidistis.* 2. S. Stephanus Actor. 7. asserit, quod Deus ipse Moysi non apparuerit, sed Angelus, qui ejus nomine locutus sit: *Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi* 3. Dicendum est igitur, verba *facie ad faciem*, eo loci significare familiare Dei cum Moyse colloquium: ita tamen ut non per se, sed interposita Angeli persona, ut narrat S. Stephanus, ei locutus fuerit.

Ad 3. dist. ant. Dominum, hoc est, Dei voluntatem, videt, conc. ant. ipsam Dei essentiam, neg. ant. Hoc igitur discrimen inter Moysem & alios Prophetas Deus statuit, quod in somniorum caligine, per obscuris visionibus, suam illis voluntatem aperuit; cum è contra Moysi absque involucris, & ænigmatibus eam declaraverit.

Ad priorem argumenti confirmationem, dicendum est 1. Augustinum *inquisitivè* potius, quam *definitivè* id protulisse, quod objicitur: *In quo opere* (ait ipsemet Augustinus lib. 2. retract. cap. 24. agens de libro in Genesim ad literam) *plura quæsita, quàm inventa sunt; & eorum, quæ inventa sunt, pauciora firmata.* Dicendum est 2. dubitanter id S. Doctorem asseruisse, nam epist. 142. suum de ea re dubium sic exprimit cap. 13. *Quid est ergo, quòd eum* (Moysem) *sic fecit exceptum, nisi fortè quia illa contemplatione dignum etiam tunc habuit populi sui talem rectorem, & ministrum in tota domo sua fidelem?*

Ad

Ad alteram verò confirmationem dicendum est, Ambrosium intelligi de clara cognitione præsentiæ, non per essentiam, sed per signa extrinseca, quæ eam certò demonstrarent.

Objicies 2. Paulus 2. ad Corinth. 12. sic de se ipso loquitur: *Scio, hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi ad tertium cœlum: & scio ejusmodi hominem, sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Ex iis autem verbis sic conficitur argumentum. Nomine tertii cœli, paradisi, arcanorum verborum, nihil aliud potest intelligi quàm intuitiva Dei visio: ergo Paulus ea fruitus est.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia Paulus non dicit, quòd in tertio cœlo *viderit*, sed quòd *audierit*; audire autem non ad intuitivam cognitionem, sed ad revelationem pertinet. 2. Qui Deo intuitivè fruitur, non ignorat, an exutus sit corpore, an verò cum illo adhuc unitus sit; neque enim id Beatos post resurrectionem fugiet. 3. Exponi debent ea Apostoli verba de arcanorum revelatione sibi facta in extasi, seu in raptu mirabili, quem, Deo sic volente, passus fuerat.

ARTICULUS II.

Utrum Sancti plenè purgati statim post mortem Deum videant.

Not. 1. Cerinthus, qui primo sæculo vexavit Christi Ecclesiam, apud Eusebium hist. lib. 3. cap. 22. docuit, Christum post generalem corporum resurrectionem per mille annos regnaturum esse in terris, ibique Sanctos toto eo tempore legalibus observationibus adstringendos esse, & satiandos impurissimis corporis voluptatibus.

Not. 2. Papias Hyerapoli in Asia Episcopus altero Ecclesiæ sæculo, idem de futuro Christi cum Sanctis per mille annos regno commentum asseruit: *Alia præterea idem author* (inquit Eusebius hist. lib. 3. cap. 23) *quasi traditione non scripta ad se pervenisse commonstrat, quæ peregrinas quasdam Servatoris parabolas, & novas ejus doctrinas, aliaque nonnulla commentitiis fabulis referta continent: in quibus asserit, regnum Christi post universæ carnis à mortuis resurrectionem, mille annos humano & corporeo more in terra hac continuatum, & stabilitum fore.*

Not. 3. Illud est discrimen inter Cerinthi, & Papiæ sententiam, quòd ille, ut mox observatum est, vellet sanctos adstringendos esse legalium observatione, ac satiandos impuris voluptatibus; iste è contra nihil tale somniarit: nec enim quidquam simile de se refert Eusebius.

Not. 4. In Papiæ errorem abierunt plures Patres, Irænæus, Tertullianus, Lactantius. Ineunte ac adulto jam sæculo decimo quarto, de ea quæstione, summis animorum contentionibus actum est inter Joannem Papam 22 et t. & Parisienses Theologos. Ille millenariis adhæserat; isti è contra Millenariorum doctrinam impugnabant, ut erroneam.

Not. 5. Concilii Florentini temporibus plures Græci eodem errore tenebantur, unde latum est eo in Concilio de ea quæstione decretum. Elapso proximè sæculo Joannes Calvinus eidem adhæsit errori: *Stultum & temerarium est* (inquit lib. 4. institut. cap. 20.) *inquirere, quo in loco sunt animæ justorum, & an gloria fruantur, necne. Idcircò cum Scriptura ubique jubeat pendere ab expectatione adventus Christi, & gloriam ac coronam eò usque differat, contenti simus hos finibus divinitùs præscriptis, animas piorum militiæ labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promissæ gloriæ expectant.*

CONCLUSIO. Sancti plenè purgati, statim post mortem fruuntur intuitiva Dei visione.

Nonnulli conclusionem probant his ad pium latronem Christi verbis Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Paradisi nomine (inquiunt) intelligitur status ille, in quo Christus constitutus, Deum videbat intuitivè: nam eum statum pius latro sua oratione petierat: *Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum.* Sed de ea *paradisi* interpretatione Patres non consentiunt: nam Augustinus epist. 57. censet paradisum, qui latroni promissum est, *generale nomen esse, ubi feliciter vivitur,* non autem animi felicitatem nullo loco addictam; unde (inquit Petavius) non satis ex illo textu probari videtur, Sanctos statim post exitum è corpore ad Dei visionem admitti.

Probatur itaque conclusio aliis Scripturæ locis. Apostolus 2. ad Corint. 5. sic loquitur: *Scimus, quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, æternam in cælis.* Ex ea autem sententia sic conficitur argumentum: Apostolus nomine *domus nostræ hujus habitationis*, intelligit corpus humanum, & nomine *domus non manufactæ, æternæ in cælis*, intelligit intuitivam Dei visionem: atqui domum illam non manu factam, æternam in cœlis Apostolus docet habituros nos post dissolutionem domus nostræ hujus habitationis: nec enim medium inter utramque tempus aliquod statuit: ergo &c.

Confirmatur ex eodem Apostolo. 1. Pii omnes cupiunt dissolvi & esse cum Christo: at id frustra cuperent, si statim post dissolutionem cum Christo esse non possent: nec enim per temporalem hanc vitam differretur præsentia cum Christo, seu intuitiva Dei visio; quippè sive quis citiùs, sive tardiùs moriatur, beatitudinem, ea Millenariorum doctrina, non consequeretur ante secundum Christi adventum.

Confirmatur 2. Idem Apostolus scribit, terrenam hanc in vita mortali peregrinationem, animæ, quæ plenè purgata fuerit, unicum esse videndo Deo impedimentum: *Videmus nunc* (inquit 1. ad Corinth. 13.) *per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.*

Probatur 2. Conclusio authoritate Patrum Græcorum.

Ignatius martyr in epistola ad Romanos dicit, se per martyrium proficisci de mundo ad Deum, audire se vocem sibi intrinsecùs dicentem: *Veni ad Patrem*: scribit miserum se esse, *donec Deum adipisci mereatur*: atqui veræ non essent illæ similesque sententiæ, si ad mundi finem protrahi deberet animæ fœlicitas, quæ in sola Dei visione consistit.

Basilius homilia in quadraginta Martyres hæc ait: *Vos non terra occultavit, sed cælum suscepit: apertæ sunt vobis paradisi portæ*; atqui ii, quos cœlum suscepit, quibus apertæ sunt paradisi portæ, Deum vident intuitivè: ergo &c.

Gregorius Nazianzenus in oratione xx. quæ est de S. Basilio, ait, hunc & in cœlo fuisse, precaturque, ut eum post mortem excipiat in æternis tabernaculis: *Ut beatam Trinitatem* (inquit) *tecum pariter contemplari valeam.*

Chrysostomus in posteriorem Epistolam ad Corinthios hæc ait: *Beati & ter beati qui illis bonis* (loquitur de cœlesti beatitudine) *fruuntur, sicut & miserabiles & miserrimi, qui hisce contraria sustinent.* Hom. 3. in epist. ad Philippenses scribit, justos esse in cœlis cum Rege suo *facie ad faciem*: Esse autem cum cœlesti Rege facie ad faciem, in sensu Scripturæ novi testamenti, est ipsam Dei essentiam videre intuitivè.

Probatur 3. nostra Conclusio authoritate Patrum Latinorum.

Cyprianus in calce libri de exortatione martyrii,

asserit,

afferit, Martyres ftatim poft mortem cœlum confcendere, eos frui Dei vifione : *Exire inter preffuras & angaftias gloriofum: claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus, & aperire eos ftatim, ut Deus videatur & Chriftus; tam velociter migrandi, quanta felicitas, ut terris repente fubtrahavis, ut in regnis cœleftibus repenaris!* Idem S. Doctor in fine libri de mortalitate fcribit, omnes fanctorum ordines in cœlis effe coronatos ac remuneratos : indèque fumit argumentum, ut fidelium animos erigat ad mortem alacriùs perferendam. *Ad horum* (inquit) *confpectum & complexum venire; quanta & illis & nobis in commune lætitia eft? illic Apoftolorum gloriofus chorus, &c.*

Auguftinus tractatu 124. in Joannem ait, abfurdam effe eorum fententiam, qui contendebant Joannem Evangeliftam adhuc vivere, & in fepulchro dormire, idque probat ex eo, quòd idem privilegium ipfi tribui debeat, quam Petro, cui ftatim poft mortem conceffa eft intuitiva Dei vifio: *Cum* (inquit) *beatum Petrum per ingentem martyrii gloriam, ab onere ipfius martyrii folverit, eique conceſſerit, quod Apoftolus Paulus fe concupiffe dixit, & fcripfit, diffolvi & effe cum Chrifto* : at Paulus fuum in intuitivam Dei vifionem defiderium hifce verbis, *effe cum Chrifto*, expreſſerat: *Audemus autem* (ait 2. ad Corinth. 5.) *& bonam voluntatem habemus, magis peregrinari à corpore, & præfentes effe ad Dominum.*

Bernardus in Epiftola ad Fratres de Hibernia, hæc fcribit : *Abfit* (defunctum Malachiam alloquitur) *ut tua nunc, ò anima fancta, minùs efficax æftimetur oratio ——— nec jam in fide ambulas, fed in fpecie regnas. Abfit, ut imminuta illa tam operofa charitas reputetur, cum ad fontem ipfum charitatis æternæ procumbis, pleno haurias ore, cujus & ipfa prius ftillicidia fitiebas.* Atqui non ambulare in fide, fed regnare in fpecie, haurire pleno ore charitatem æternam, eft, fecundum Scripturæ & Patrum phrafim, frui intuitiva Dei vifione : ergo &c.

Benedictus Papa XI. vulgò XII. adulto jam fæculo 14. expreffis terminis noftram propofitionem definiit in Extravaganti, quæ incipit: *Benedictus Deus*; quam quidem de verbo ad verbum defcriptam legere eft apud Alphonfum a Caftro libro 3. contra hæreſes, verbo, *Beatitudo.*

Idem definitum fuit feffione ultima Concilii Florentini, in decreto unionis, ubi hæc habentur; *Definimus, illorum animas, qui poft contractam peccati maculam vel in fuis operibus, vel eifdem exuta corporibus, prout fuperiùs dictum eft, funt purgata, in cœlum mox recipi, & intueri claré ipfum Deum trinum & unum, ficuti eft, pro meritorum tamen diverfitate, alium alio perfectiùs; illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel folo originali decedunt, mox in infernum defcendere, pœnis tamen difparibus puniendas.*

Concilium Tridentinum eandem veritatem, tanquam quæ ad Ecclefiæ dogma pertineat, fupponit feff. 25. agens de Sanctorum invocatione, *Docentes eos* (fideles) *Sanctos una cum Chrifto regnantes, orationes fuas pro hominibus Deo offerre &c........ illos verò qui negant, Sanctos æterna felicitate in cœlo fruentes, invocandos effe &c.*

Solvuntur quæ ex Scriptura pro Millenariis objiciuntur.

Objicies 1. ex Scriptura. In Joannis Apocalypfi multa funt, quæ Millenariis favent.

Primò, cap. 6. hæc habentur. *Vidi fubtùs altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teftimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vfque quò Domine non judicas & non vindicas fanguinem noftrum de iis, qui habitant in terra?*

Secundò, cap. 20. ligatur draco, *donec confummentur mille anni*; illi autem anni non alii funt, quam ii, quos Sancti in terris regnabunt cum Chrifto.

Tertiò, eodem 20. capite dicitur, quod qui non adoraverunt beftiam, *vixerunt & regnaverunt cum Chrifto mille annis*. Additur, quòd *ceteri mortuorum non vixerunt, donec confummentur mille anni : hæc eft refurrectio prima, in qua qui habet partem, in his fecunda mors non habet poteftatem : fed erunt facerdotes Dei & Chrifti, & regnabunt cum illo mille annis.*

Ex iis vero textibus fic conficitur argumentum. Qui funt fub altari, non funt in cœlis : atqui (ut patet ex priori loco) martyres funt fub altari. Ii, quibus opus eft, ut draco ligetur per mille annos, ne eis noceat, per mille annos regnabunt in terris : neque enim, fi in cœlis effent, timerent draconem : atqui (ut conftat ex altero loco) Sanctis opus eft, ut per mille annos draco ligetur. Qui poft refurectionem primam & ante aliorum fecundam mortem, hoc eft publicam damnationem, mille annis cum Chrifto regnabunt, ftatim poft primam mortem non fruuntur intuitiva Dei vifione : Atqui, ut evidens eft ex tertio loco, Sancti cum Chrifto regnabunt mille annis : ergo &c.

Refp. neg. ant. ad priorem probationem dicendum eft, altaris nomine non intelligi fubterraneum aliquem locum, in quo Sanctorum animæ ultimum judicii diem expectent, fed ipfummet cœlum; quippe Joannes cap. 7. ait, fe eofdem Sanctos vidiffe *ftantes ante thronum & in confpectu agni, amictos ftolis albis, & palmas in manibus eorum*. Addit quoque quòd fint *ante thronum Dei, & ferviunt ei die ac nocte in templo ejus*. Nec obftat, quòd Sancti, quos Joannes fubtus altare vidit, vindictam expofcant adverfus eos qui effuderunt eorum fanguinem; nam illud defiderium non aliud eft, quam mera expectatio diei ultimæ, in qua malis mala, bonis verò bona palam ac publicè ad divinæ juftitiæ manifeftationem tribuentur.

Ad alteram ejufdem antecedentis probationem, dicendum eft, ex Auguftino lib. 2. de civit. Dei cap. 7. ejufmodi mille annis defignari totum tempus, quod a primo Chrifti adventu ad Antichrifti adventum futurum eft : eo verò tempore Satanas ligatus dicitur; quòd libera ei non fit nocendi juftis ac præfertim prædeftinatis facultas, quæ tamen amplior concedetur, ubi Antichriftus apparuerit.

Ad tertiam probationem dicendum eft, mille priores annos complecti totum illud tempus, quòd a primo Chrifti adventu ufque ad alterum fluere debet : eo autem tempore Sancti cum Chrifto regnabunt, aut in cœlis per gloriam, aut in terris per gratiam; è contra verò reprobi nequaquam aut gloriæ aut gratiæ vita victuri funt; neque enim partem habebunt, aut faltem non ftabunt in refurrectione prima, quæ eft per gratiam fanctificantem. Dicendum eft iterum, mille pofteriores annos futuram poft extremum judicii diem æternitatem complecti, quippè poft diem illum prædeftinati perfecta gloria, animæ nimirùm & corporis, in æternum potientur. Nec mirum eft, quòd ea æternitas per mille annos defignetur; nempè Scripturis familiare eft, æternitatem amplo temporis fpatio defignare, quemadmodum longius aliquod tempus per æternum nonnunquam defignatur.

Objicies 2. Non ex Apocalypfi tantùm, fed etiam ex multis aliis Scripturæ locis colligitur æternam fœlicitatem non effe Sanctis rependendam, nifi poft alterum Chrifti adventum.

Matthæi 20. cap. denarius diurnus, quo defignatur merces bonis operibus rependenda iis, qui operati fuerant in vinea, perfolutus non fuit nifi fub vefperam, qua haud dubiè mundi finis adumbratur : ergo cuique Sancto ftatim poft mortem æterna merces, hoc eft, intuitiva Dei vifio non rependitur.

Apud eundem Evangeliftam cap. 25. prædeftinati, in extremo tantùm judicio, audient hanc Chrifti domini

mini sententiam: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.*

Apostolus ad Hebræos 11. agens de Sanctis veteris testamenti, expresè asserit, eos nondum donatos fuisse debita eis mercede: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus;* asserit iterum, eos meliorem patriam appetere, id est cœlestem: hisce verbis idem undecimum caput concludit: *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.*

Joannes prioris epist. cap. 4. ait, nos Deo perfruituros tantùm post alterum illius adventum: *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est.*

Ex iis autem locis sic arguitur: Idem ferri debet judicium de intuitiva Dei visione, ac de denario diurno, cujus Evangelica parabola meminit: atqui denarius ille persolutus est tantùm post diei finem: ergo post diei, hoc est sæculi finem tantùm, Sanctis pro mercede rependetur intuitiva Dei visio. Sancti incipient videre Deum, cum à Christo audierint, *Venite benedicti &c.* atqui id tantùm audient in extrema judicii die: ergo &c. Non est potior ratio de Sanctis novi testamenti, quam de Sanctis veteris: atqui, ut constat ex Apostolo, Sancti vet. testamenti nondum fruuntur intuitiva Dei visione: ergo &c. Tunc tantùm, ex Joanne, videbimus Deum sicuti est, cum apparuerit, hoc est, post secundum Christi adventum; ergo statim post mortem, Sancti licet plenè purgati, non fruuntur intuitiva Dei visione.

Resp. neg. ant. ad cujus priorem probationem dici potest, vesperam, de qua loquitur Evangelium, esse cujusque privati hominis ultimam diem. Dici potest iterum, quòd si intelligatur de ultimo judicio, sensus sit, quòd post eam tantum diem Sancti fruituri sint completa mercede, quæ in animæ ac corporis beatitudine posita est. Dici potest 3. attendendum esse in parabolis non ad circumstantias, quippe nonnunquam sunt ad ornatum tantùm: sed attendendum est ad scopum, ad quem proferuntur; prolata est autem ea, de qua est quæstio, ut homines doceantur, nullum esse vitæ tempus, quo de sua salute desperare debeant, cum vel in extrema vitæ periodo, quæ per ultimam diei horam designatur, a Deo vocari, & ad bonum moveri possint.

Ad secundam probationem, dicendum est Evangelii textum intelligi de beatitudine completa, quæ tum animæ tum corporis gloriam complectitur: *Ante resurrectionem* (inquit Gregorius Magnus lib. 35. Moralium cap. 9.) *Sancti singulas stolas accipiunt, quia sola animarum beatitudine perfruuntur: in fine autem mundi binas habituri sunt, quia cum mentis beatitudine, etiam carnis Beati gloriam possidebunt.*

Ad tertiam probationem, neganda est paritas; seu, quamvis detur, sanctos vet. testamenti statim post mortem fruitos non fuisse visione beatifica, non sequitur, idem dici posse de sanctis novi testamenti; quippè Christus per suam ascensionem cœlorum aditum reseravit: *Antea* (inquit Chrysostomus homilia de sanctis Berenice, Prosdoce, & Domnina) *mors ad inferos deducebat; nunc autem mors ad Christum perducit.*

Ad quartam probationem, dicendum est, terminum *cum apparuerit*, non referri ad Christum, unde sensus non est, nos Deo perfruituros tantùm cum Christus in extremo judicio apparuerit, sed referri ad id, quod erimus; hæc enim præcedunt, *Charissimi nunc filii Dei sumus; & nondum apparuit quid erimus;* ac proinde sensus est, quòd Deum conspecturi quidem simus, cum omnibus in corpore glorioso innotuerit, quid erimus; sed non sequitur, quod tunc tantùm divinus ille conspectus incepturus sit.

Solvuntur quæ pro Millenariis ex Traditione petuntur.

Objicies 1. Patres trium priorum sæculorum unanimi consensu Millenariis faverunt, ut videre est in Papia, Irenæo, Justino, Tertulliano, Lactantio, aliisque illorum sæculorum scriptoribus: ergo reverà admittendum est millenarium Sanctorum cum Christo regnum post generalem corporum resurrectionem: alioquin enim dicendum erit, totam Ecclesiam tribus prioribus sæculis errasse; quod tamen falsum est.

Resp. neg. ant. iis quippè sæculis sanior Patrum numerus, tum in Oriente, tum in Occidente, dogma catholicum propugnavit, ut patet ex Ignatio, Cypriano, Eusebio, & aliis, qui superiùs laudati sunt, scriptoribus: ii nimirùm fidem non adhibuerunt vanis traditionibus, quas Papias vir, Eusebio teste, ingenii pertenuis, pro apostolicis jactitarat.

Objicies 2. Chrysostomus hom. 39. in priorem epist. ad Corinth. asserit, quòd licèt animus sit immortalis, *sine carne ipsa admirandis illis bonis*, de cœlestibus loquitur, *non fruetur.*

Hilarius in Psalm. 138. hæc ait: *Hæc humana lex necessitatis est, ut sepultis corporibus, animæ ad inferos descendant.*

Augustinus circa quæstionem, de qua agitur, semper dubius fuit: *De functis hominibus* (inquit lib. 1. retract. cap. 14.) *jam defunctis, utrum ipsi saltem dicendi sint jam in illa possessione consistere, meritò quæritur.*

Bernardus sermone 3. de omnibus Sanctis scripsit, tres esse animarum status; *primum videlicet* (inquit) *in corpore incorruptibili, secundum sine corpore, tertium in beatitudine consummata: primum in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in Domo Dei.* Sermone 4. altare, sub quo Joannes vidit animas interfectorum, exponit de Christi humanitate, quam nunc vident Martyres, post resurrectionem visuri ipsam non humanitatis, sed divinitatis essentiam.

Resp. ad 1. Chrysostomum velle, quòd sola anima non sit futura particeps bonorum alterius vitæ: idque asseruit tanquam medium, quo probet corporum resurrectionem. Ad 2. dicendum est, Hilarium loqui de Sanctis vet. testamenti. Ad 3. respondendum est, dubium quidem fuisse Augustinum, tum de loco, in quo beatorum animæ fruuntur intuitiva Dei visione, tum de intensione, seu gradibus ejusdem visionis, sed nunquam de tempore, quo sancti ea visione perfruuntur: Nempe dubitavit S. Doctor, an locus, in quo sanctorum animæ post mortem recipiendæ sunt, sit aut sinus Abrahæ, & quis sit ille sinus; an in tertio cœlo. Hæsit pariter dubius, an animæ a corporibus separatæ Deum minùs intense videant, quam visuræ sunt post corporum resurrectionem: Sed de ipsa beatitudine, hoc est, Dei visione nullum unquam ipsi fuit dubium. Addendum est, S. Doctorem prius suum de loco, in quo nunc requiescunt animæ sanctæ, dubium tandem deposuisse; quippè lib. 2. quæstionum Evangelicarum cap. 38. conceptis terminis asseruit, sinum Abrahæ esse beatorum requiem, esse secretum Patris, *ubi* (inquit) *etiam ante resurrectionem animæ vivunt cum Deo.*

Ad 4. respondendum est, Bernardum velle eum esse animarum sanctarum statum, ut minùs intensè Deum videant separatæ a corpore, quam cum illi post resurrectionem conjunctæ fuerint: nimirùm S. Patri visum est, animas propter suum in corpora pondus non tam esse expeditas ad Dei visionem, quàm ubi naturalis animarum ad corpus inclinatio post resurrectionem expleta fuerit. *Acceperunt* (inquit serm. 3. de Sanctis) *jam singulas, sed non vestientur duplicibus, donec vestiantur*

entur & nos. Stola enim prima, ipsa est felicitas, & requies animarum: secunda verò, immortalitas, & gloria corporum.

Objicies 3. Joannes Papa XXII. docuit, animas Sanctorum non visuras esse Deum intuitivè ante diem universalis judicii. Nam 1. ingens pro ea sententia volumen conscripsit, ut testis est Ochamus in compendio errorum, quos affingit laudato Pontifici. 2. Adrianus VI. in 4. Sent. ad calcem de Sacramento Confirmationis scripsit laudatum Papam mandasse, ut ea, de qua agitur, doctrina ab omnibus teneretur, ac prohibuisse, ne quis in academia Parisiensi ad aliquem gradum promoveretur, qui in eam non juraret. 3. Raynaldus ad annum 1331. exhibet nonnullas Joannis XXII. conciones, ex bibliotheca Vaticana depromptas, in quibus expressè ea sententia defenditur. 4. Idem Papa dedit Epistolam ad Philippum Valesium Galliarum regem, in qua enixè eum rogat ut cuique facultatis theologicæ tum Magistro, tum Baccalaureo permittat, ut doctrinam de Sanctorum felicitate ad generalis judicii diem dilata propugnet. 5. Philippi Valesii jussu facultas theologica Parisiensis conventum habuit, in castro Vincennarum, ubi edito unanimi consensu, doctrinali judicio, sanctis statim ab ipsa morte intuitivam Dei visionem asseruit: illud verò judicium omnium magistrorum sigillis munitum Philippus rex misit ad Joannem XXII. quò eum a sententia, quam defenderat, revocaret: ergo Sancti, licèt plenè purgati, statim non fruuntur intuitiva Dei visione.

Resp. dist. ant. Joannes Papa XXII. tanquam privatus doctor docuit, animas Sanctorum non esse visuras Deum intuitivè ante generalis judicii diem, conc. ant. tanquam summus Pontifex, neg. ant. Opiniones, quas Romani pontifices ut doctores privati defendunt, non majoris sunt ponderis, quam rationes, quibus eæ opiniones nituntur.

Quòd autem Joannes XXII. sententiam, de qua agitur, non docuerit tanquam summus Pontifex, potest variis momentis ostendi.

Primò. Nihil unquam de ea publico diplomate definiit. Benedictus Papa XI. in bulla, quæ incipit, *Benedictus Deus*, testatur, quòd cum Joannes XXII. cui immediatè successit, pararet se ad conciliariter definiendam opinionem, quam privatus defenderat, morte præventus, vota sua ad optatum finem perducere non potuerit. Galliarum antistites a Carolo VII. in castrum Vincennarum coacti, declararunt præsente Paludano patriarcha Hierosolymitano, Joannem XXII. nihil unquam de Sanctorum animabus publico diplomate statuisse; ejusmodi verò testimonii publicum instrumentum confectum est, cujus authenticum apud Dominicanos Parisienses asservatur.

Nec obstat testimonium Ochami, quem norunt omnes Joanni Papæ fuisse infensissimum, ab eoque excommunicatum. Præterea Ochamus non asserit, quidquam a Joanne de ea controversia fuisse definitum, sed tantum id ferre publicum rumorem: eadem ratione locutus est Adrianus VI.

Secundò. Villanus lib. 11. cap. 19. historiæ de rebus Florentinorum, scribit, Joannem XXII. paulò ante mortem, coram Cardinalibus declarasse in consistorio 1. sibi concionibus, quas habuerat, nusquam propositum fuisse definire, Sanctorum animas non fruituras intuitiva Dei visione ante generalis judicii diem: 2. displicere sibi priorem, quam defenderat, sententiam: 3. contrariam amplecti, nisi aliter ab Ecclesia posteà definiretur. Qui plura de eo argumento nosse voluerit, adeat Raynaldum ad annum 1334.

CAPUT III.

De principiis intuitivæ Dei visionis.

Not. 1. Tria fingi possunt effectiva intuitivæ Dei visionis principia: unum ex parte objecti, scilicet species, quæ Deum repræsentet: alterum ex parte Dei, nempè auxilium extraordinarium, quod creatum intellectum corroboret, quodque vocant lumen gloriæ: tertium oculus corporeus, a quo ejusmodi visio eliciatur. De tribus illis principiis disserendum est sequentibus Articulis.

ARTICULUS I.

An aliqua species concurrat ad Dei visionem.

Not. 1. Species est objecti idea, seu imago, in qua objectum repræsentatur.

Not. 2. Species dividitur in impressam & expressam. Prior est idea objecti, quæ menti impressa, simul cum ea ad objecti, quod repræsentat, cognitionem concurrit. Altera est objecti cognitio ab intellectu expressa, seu actualis terminus cognitionis.

Not. 3. Supponit ea speciei in impressam & expressam divisio tritam Philosophorum sententiam de modo, quo mens objecta cognoscit. Docent verò Philosophi, 1. objectum sui ipsius speciem menti imprimere: 2. mentem per suum actum efformare ideam maximè spiritualem objecti, cujus habebat speciem impressam.

Not. 4. De utraque illa specie quæri potest 1. utrum de facto admitti debeat in intuitiva Dei visione: 2. utrum saltem de potentia Dei absoluta possit ad eandem Dei visionem concurrere.

CONCLUSIO 1. Nulla admitti debet impressa species in intuitiva Dei visione.

Probatur. Ea species non debet admitti in intuitiva Dei visione, quæ est omninò inutilis: atqui species impressa est omninò inutilis ad intuitivam Dei visionem: si enim quidquam conferret, esset, vel quòd Deum cum potentia cognoscente conjungat, vel quòd eam reddat cum Dei essentia proportionatam: atqui species impressa ad neutrum confert. Nam divina essentia per suam tum immaterialitatem, tum immensitatem est maximè creato intellectui conjuncta: Intimior est (ait Augustinus) intimo nostro. 2. Mens creata satis fit Deo proportionata per auxilium, quod a theologis lumen gloriæ dicitur: ergo &c.

Objicies. Ex parte intellectus debet admitti lumen gloriæ; ergo ex parte objecti, quod Deus est, debet admitti species impressa.

Resp. neg. cons. Ratio disparitatis est, quia ideò requiritur lumen gloriæ, quòd debilis ex se intellectus corroborari debeat ad eliciendum actum, qui superat vires illius naturales: objectum verò, quod est Deus, ex se maximè est intelligibile, cum sit summum verum; ac proindè non indiget specie impressa, per quam fiat intelligibile: quippè admittenda est eorum tantùm respectu, quæ per se non sunt intelligibilia.

Objicies 2. Deus non potest supplere defectum causæ formalis, cum non possit se habere per modum formæ: forma enim essentialiter est aliquid imperfectum: atqui mentem reddere intelligentem est effectus causæ formalis: non enim redditur intelligens, nisi per aliquam formam, quæ in ea recipiatur, eique inhæreat: admittenda est igitur species impressa, quæ respectu intuitivæ Dei visionis, in mente creata formalem illum effectum operetur.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ratio est, quia mens redditur formaliter intelligens, aliàs per vicariam objecti speciem, nempè cum objectum non

est intimè præsens intellectui; aut per ipsummet objectum, quando nimirùm est intime præsens intellectui, ut est divina essentia in iis, qui intuitiva illius visione fruuntur.

CONCL. 2. Impossibile est, ut Deus intuitivè videatur in aliqua specie impressa.

Probatur 1. Videre objectum aliquod in specie impressa, & illud videre intuitivè, pugnant inter se: quippè videre objectum intuitivè, est ipsum videre in se ipso, sine speculo, absque ænigmate: videre verò in specie, est ipsum videre in alio, in speculo, in ænigmate.

Probatur 2. Species impressa non potest Deum, ut in se est, repræsentare: ergo Deus in eâ non potest intuitivè videri. Probatur ant. Ea species, vel esset aliquid increatum, vel aliquid creatum: Si primum, esset Deus ipse; ac proinde Deus in illa specie visus, esset Deus visus immediatè in se ipso: Si secundum, ea species, quantumcunque immaterialis supponatur, esset finita; non tantùm, ut loquuntur, in essendo, sed etiam in repræsentando: neque enim infinita vis repræsentandi potest convenire enti, quod finitum est in essendo; tum quia, ex Philosophis, operari sequitur esse; tum etiam quia non potest esse infinita distantia inter esse reale alicujus entis, & illius esse repræsentativum.

Confirmatur illud argumentum variis momentis. *Primò.* Si species illa Deum, ut in se est, exactè & accuratè repræsentaret, deberet repræsentare summam identitatem, quæ est inter essentiam Dei, & illius esse, seu existere: atqui nulla species creata potest id repræsentare; neque enim in ente, cujus essentia concipi potest sine existentia, accuratè repræsentari potest objectum, quod est suum esse, hoc est, cujus essentia ita est idem cum existentia, ut sine ea concipi minimè possit. *Secundò.* Si aliquod ens creatum perfectè posset exhibere divinam essentiam, creatura rationalis posset esse verè & essentialiter beata per cognitionem illius entis creati: atqui id asseri non potest: cum (ut suo loco dicetur) Deus solus sit essentialiter objectum, in quo sita est creaturæ rationalis beatitudo. *Tertiò.* Ut ens aliquod creatum perfectè divinam essentiam repræsentet, debet eam in repræsentando comprehendere: sic species, quæ hominem perfectè repræsentat, comprehendit in repræsentando id totum, quod est homo. Atqui nullum ens creatum potest, etiam in repræsentando, Deum comprehendere; quippè nullo ente creato potest circumscribi.

CONCLUSIO 3. In intuitiva Dei visione locum nec habet, nec habere potest expressa aliqua species.

Probatur. Ibi locum nec habet, nec habere potest expressa species, ubi intellectus cognoscens nullum efformat verbum, nullam imaginem objecti, quòd cognoscit: atqui in intuitiva Dei visione intellectus cognoscens nec efformat, nec efformare potest verbum aliquod, aliquam imaginem objecti, quod cognoscit: nempè objectum, quod in aliquo ente creato repræsentari non potest, exprimi non potest per aliquam creatæ mentis actionem: *Unum est Verbum* (tritum est apud Patres axioma) *quòd verè & ad unum divinæ substantiæ est imago, nempè Verbum divinum, à Patre ab æterno productum.*

Objicies 1. Intuitiva Dei visio est actio: quævis autem actio debet habere aliquem terminum: atqui terminus cujusvis actionis intellectivæ est verbum: ergo intuitiva Dei visio exprimit, seu, efformat Dei verbum, hoc est, expressam illius speciem.

Resp. dist. maj. Quælibet actio debet habere terminum, aut quem efficiat, aut qui aliunde suppleatur, conc. maj. quem semper efficiat, neg. maj. Intuitiva Dei visio, cum (ut objectum est) sit actio, necessariò habet terminum; sed ille terminus est ipsamet divina essentia, quæ supplet locum termini, quem visio deberet efficere.

Instabis. Est de essentia intellectionis, ut producat verbum, seu expressam speciem rei, quam intelligit; sicut est de ratione calefactionis, ut calorem producat: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. paritatem. Ratio est, quia objectum proximum calefactionis est calor; ac proindè mirum non est, quòd calor semper à calefactione producatur; è contra verò proximum objectum intellectionis non est verbum, seu, species expressa, sed res ipsa, quæ intelligitur.

Objicies 2. Omnis actio est alicujus rei productiva: atqui non alterius rei, quam verbi creati potest esse productiva visio Dei: ergo revera illud producit.

Resp. dist. maj. Omnis actio transiens, conc. maj. actio immanens, cujusmodi est intuitiva Dei visio, neg. maj. Ratio est, quia actio immanens dicit vitalem tendentiam in suum objectum: ea autem tendentia non est productiva alicujus rei, sed tantum intellectiva objecti: unde quærenti, quid visione beata agat beatus: respondendum est, hoc unum ab eo effici, quod illius intellectus eliciat intellectionem, per quam Deum intuitivè videat.

Objicies 3. Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 11. asserit nos, cum Deum novimus, mente exprimere aliquam illius similitudinem: *Cum Deum novimus* (inquit) *ea notitia placita, dignèque amata, verbum est, fitque aliqua Dei similitudo illa notitia.* Libro 14. cap. 17. docet, perfectam in cœlo fore ejusmodi similitudinem: *In hac imagine, tunc perfectam erit Dei similitudo.* Lib. 15. asserit, verbum nostrum non fore falsum, dum fruemur intuitiva Dei visione: *Cum similes ei erimus* (ait cap. 16.) *quando videbimus eum sicuti est, tunc quidem verbum nostrum non erit falsum.* Ex iis locis sic conficitur argumentum: Ibi habet locum species expressa, ubi fit aliqua Dei similitudo, ubi est perfecta Dei imago, ubi verbum nostrum erit verum: atqui ex August. in cœlis fit aliqua Dei similitudo, reperitur perfecta illius imago, falsum non est verbum nostrum: ergo species expressa locum habet in intuitiva Dei visione.

Resp. concessa maj. neg. min. Ratio est, quia prior Augustini textus intelligitur de Dei cognitione, quam habemus in via, ubi propter absentiam objecti, necesse est, ut intellectus exprimat imaginem, in qua repræsentetur. In altero textu vox *imago*, non sumitur pro aliqua qualitate, in qua Dei essentia repræsentetur, sed pro ipsa beatorum mente, quæ perfecta erit Dei imago, cum eum intuitivè contemplabitur: nimirùm Joanne teste, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; hoc est, quod sicut ipse se ipsum videt intuitivè, ita & nos eum intuitivè visuri sumus. Vox *Verbum*, quæ reperitur in textu, qui tertio loco laudatus est, non sumitur pro verbo, quod exprimant beati; sed generaliter pro mentali sermone, hoc est, cogitatione, aut intellectione, quæ haud dubie falsa non erit, ut est sæpe in terris, sed omninò vera; quippe omnia ut sunt in se, Deum ipsum ut est revera, cognoscet.

ARTICULUS II.

De lumine gloriæ.

Not. 1. NOmine luminis gloriæ intelligitur auxilium, quo intellectus creatus plurimùm in se debilis, elevatur ad Dei intuitivam visionem: illud verò auxilium *lumen gloriæ* dicitur; quod respectu intellectus idem operetur, quod lux solis oculorum respectu. Ea loquendi ratione variis in locis utitur Scriptura: *Apud te est fons vitæ,* verba sunt Psal 35. *& in lumine tuo videbimus lumen:* similis est locus Apocalypseos 22. *Videbunt faciem ejus, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quia Deus illuminabit eos, & regnabunt in sæcula sæculorum.*

Not. 2.

Not. 2. De lumine gloriæ ſic explicato quæremus hic, utrum neceſſarium ſit ad Deum intuitivè videndum: 2. quænam ſint illius officia.

CONCLUSIO. 1. Lumen gloriæ neceſſariò requiritur ad videndum Deum intuitivè.

Probatur 1. ex Scriptura. Pſal. 35. hæc habentur: *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* loqui verò prophetam de cœleſti beatitudine, ſeu de viſione intuitiva, demonſtrant, quæ antecedunt verba: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabit eos:* unde ſic conficitur argumentum: Viſio Dei intuitiva deſignatur per hæc prophetæ verba: *Videbimus lumen*: atqui ex eodem propheta, ad videndum illud lumen requiritur aliud: *In lumine tuo:* aliud autem fingi non poteſt, quam lumen gloriæ: ergo ex Scriptura, lumen gloriæ neceſſarium eſt ad intuitivam Dei viſionem.

Probatur 2. ex Concilio Viennenſi, in quo damnatur Begardi & Beguinæ, aſſerentes, quod quælibet intellectualis natura in ſe ipſa eſt naturaliter beata, & quòd anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad videndum Deum. Habetur ea Concilii definitio in Clementina, quæ incipit: *Ad noſtrum, de hæreticis.*

Probatur 3. ratione. Intellectus creatus non poteſt naturæ viribus videre Deum intuitivè, quia (ut ſuo loco dictum eſt) intuitiva Dei viſio eſt ordinis ſupernaturalis: ergo indiget auxilio quo ad eam elevetur; illud verò auxilium non aliud eſt, quàm id, quod theologi vocant lumen gloriæ: ergo &c.

Objicies 1. Lumen gloriæ, vel requiritur ex parte divinæ eſſentiæ, vel ex parte intellectus creati: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, quia eſſentia divina per ſe ſumme cognoſcibilis eſt, cum ſit primum, & ſummum verum: non etiam ſecundum, quia facultas intellectiva per ſe poteſt attingere ſuum objectum, quod quidem eſt omne verum.

Reſp. ad 1. lumen gloriæ, propter allatam rationem, non requiri ex parte objecti, ſeu divinæ eſſentiæ: ſed requiritur ex parte intellectus creati, qui per ſe nimiùm debilis eſt, ut Deum, licèt ſummè viſibilem, intuitivè videat. Ad 2. diſt. ant. Facultas intellectiva per ſe poteſt attingere ſuum objectum, ſi ſit ordinis naturalis, conc. ant. ſi ſit ordinis ſupernaturalis, ut eſt intuitiva Dei viſio, neg. ant.

Objicies 2. Ad videndam Dei eſſentiam non aliud requiritur ex parte intellactus, quam ut in ſua cognitione fiat independens à phantaſmate: ergo ipſi neceſſarium non eſt lumen gloriæ. Probatur anteced. Dependentia a phantaſmatibus unicum eſt impedimentum, quo intellectus removetur à Dei viſione: ergo &c.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. pariter ant. Ratio eſt, quia intellectus ea, de qua agitur, dependentia liberatus, adhuc nimiùm debilis remanet ad intuitivam Dei viſionem.

Confirmatur ſolutio variis momentis. *Primò*, Si ſola à phantaſmate independentia ſatis ſit ad Dei viſionem, omnes animæ a corpore ſeparatæ, omnes ſubſtantiæ ſpirituales, ac proindè angeli tum boni, tum mali, naturaliter Deum intuitivè videbunt: quippè omnibus præſens erit Dei eſſentia, ſingulis expedita erit facultas ad intuitivam viſionem. *Secundò*, Si Dei viſio eliciatur ab intellectu ſibi relicto, ſed dependentia à phantaſmatibus libero, diſcrimen intenſioris aut minùs intenſæ viſionis unicè repeti debebit ab ipſo intellectu; quippè divina eſſentia, ex parte ſui, æqualiter ſe habebit reſpectu omnium beatorum: atqui id aſſeri non poteſt; nam alioquin dicendum eſſet, inæqualitatem viſionis non ſumi ex inæqualitate meritorum, ſed ex majori vel minori mentis acumine: quod eſt abſurdum.

Objicies 3. Lumen gloriæ vel eſt aliquid creatum, vel increatum. Si primum, non reddit intellectum proportionatum cum Deo: ac proindè eſt inutile. Si ſecundum, erit Deus ipſe, cum ſolus Deus ſit ens increatum: ergo neceſſarium non eſt ad Dei viſionem.

Reſp. varias eſſe theologorum ſententias de natura luminis gloriæ. Quidam cum Thomiſtis contendunt, lumen gloriæ eſſe habitum, quem animæ beatæ Deus infundit. Alii cum Scotiſtis cenſent, eſſe auxilium actuale, ſeu concurſum extraordinarium, quo Deus beatorum mentem elevat ac corroborat ad ſui viſionem intuitivam. Quænam verò ex iis ſcholaſticorum ſententiis ſit verior, nullibi definitum eſt. Nec poteſt inferri ex Concilio Viennenſi: quippe hoc ſolum definiit, nempè, intellectum creatum indigere lumine gloriæ, quo ad Deum videndum elevetur: elevari autem poteſt, aut per habitum infuſum, aut per actum, ſeu concurſum extraordinarium, quemadmodum per auxilium actuale homo in terris elevatur ad aliquod opus ſupernaturale v.g. ad amandum Deum.

His poſitis, reſpondeo ad 1. argumentum, lumen gloriæ, in ſententia Thomiſtarum, eſſe entitatem creatam, a Deo & intellectu beato diſtinctam: in ſententia verò Scotiſtarum eſſe intellectus beati modificationem, ei ſimilem, quæ fit in anima, quæ a Deo movetur ad eliciendum aliquod pietatis opus. Ad 2. diſt. ant. Non reddit proportionatum proportione æqualitatis, conc. ant. proportione habitudinis, neg. ant. Solutio patet ex iis, quæ ſuperiùs dicta ſunt de poſſibilitate intuitivæ Dei viſionis.

CONCLUSIO 2. Officium luminis gloriæ non eſt 1. diſponere intellectum ad recipiendam viſionem beatificam, ita ut viſio a ſolo Deo producatur: 2. nec ſupplere concurſum ſpeciei impreſſæ: 3. ſed per modum principii eſt facientis concurrere ad Dei viſionem.

Probatur prior pars. Viſio Dei intuitiva non producitur a ſolo Deo: ergo officium luminis gloriæ non in eo tantum poſitum eſt, ut recipiat Dei viſionem a ſolo Deo productam. Probatur ant. Actio vitalis non producitur a ſolo Deo: quippe eſt de ratione actionis vitalis, ut producatur a principio, in quo recipitur: ſic auditio producitur ab anima, in qua recipitur: atqui intuitiva Dei viſio eſt actio vitalis, ergo &c. Præterea actus charitatis in via non producitur a ſolo Deo, ſed etiam ab anima amante: ergo neque in patria actus charitatis a ſolo Deo producitur; ſunt enim unius ac ejuſdem ſpeciei. Robur addi poteſt ex Concilio Viennenſi, quod definiit, intellectum per lumen gloriæ elevari ad videndum Deum: ergo ad agendum, cum viſio ſit actio.

Probatur altera concluſionis pars. Lumen gloriæ id non ſupplet, quod repugnat, aut ſaltem quod neceſſarium non eſt intuitivæ viſioni: atqui ſpecies impreſſa repugnat, aut ſaltem neceſſaria non eſt intuitivæ viſioni, ut ſuo loco demonſtratum eſt; ergo lumen gloriæ non ſupplet illius locum.

Probatur tertia ejuſdem concluſionis pars. Lumen gloriæ, (ut ſuperiùs dictum eſt) vel eſt habitus, vel actus: atqui, ſive ſit habitus, ſive ſit actus, concurrit ad Dei viſionem per modum principii efficientis; non enim alio modo ad eam concurrit, quam habitus, aut actualis motio concurrunt ad actus virtutum, charitatis, v. g. aut fidei. Sed habitus, aut actualis motio concurrunt ad actus charitatis aut fidei per modum principii efficientis: ergo lumen gloriæ eadem ratione concurrit ad intuitivam Dei viſionem.

Objicies 1. Dici non poteſt, quid lumen gloriæ operetur in viſione beatifica: 2. an ſe habeat per modum cauſæ principalis, aut inſtrumentalis tantùm: ergo per modum principii efficientis non concurrit ad Dei viſionem.

Reſp. ad 1. lumen gloriæ operari totam viſionem beatificam, quam etiam totam producit intellectus creatus:

tus: Ratio est 1. quia lumen gloriæ se habet respectu visionis beatificæ, sicut se habent habitus infusi, & divina motio respectu actuum fidei, spei, & charitatis, qui eliciuntur in via; atqui habitus infusi & divina motio operantur id totum, quod est in actibus fidei, spei, & charitatis, quamvis anima illud etiam totum producat: ergo, &c. 2. Quando duo sunt intimè conjuncta, unum produci non potest sine alio: atqui supernaturalitas & vitalitas sunt intimè conjunctæ in visione beatifica: nam visio beatifica simul est actio supernaturalis & actio vitalis: ergo una sine altera produci non potest: ac proindè supernaturalitas attingi non potest a lumine gloriæ, quin simul vitalitas attingatur; nec vicissim ab intellectu creato elici potest visio, prout est actio vitalis, quin etiam illius supernaturalitas attingatur.

Resp. ad 2. lumen gloriæ esse visionis beatificæ causam principalem, non autem instrumentalem. Ratio est, quia vim suam agendi non recipit ab intellectu creato, quippè cum illa unicum efficit visionis beatificæ principium.

Quæres, utrum lumen gloriæ possit esse connaturale alicui creaturæ: 2. utrum de potentia Dei absoluta intellectus creatus possit Deum intuitivè videre sine lumine gloriæ.

Resp. ad 1. negativè. Ratio est, quia illud non potest esse connaturale alicui creaturæ, quod est essentialiter ordinis supernaturalis: atqui ejusmodi est intuitiva Dei visio: ergo &c.

Resp. ad 2. intellectum creatum posse videre Deum intuitivè sine lumine gloriæ, si nomine luminis gloriæ intelligatur aliqua qualitas habitualis, quæ aliis habitibus similis sit. Ratio est, quia habitus non sunt absolutè necessarii ad eliciendos actus virtutum, quorum sunt habitus: sic impius, in quo non est habitus charitatis, potest cum auxilio gratiæ actualis elicere actum amoris Dei super omnia. Si verò nomine luminis gloriæ intelligatur Dei aliqua supernaturalis actio, dicendum est Deum non posse intuitivè videri sine lumine gloriæ. Ratio est, quia, ex dictis, intellectus creatus debet elevari, ut Deum intuitivè videat, cum ea visio sit ordinis supernaturalis: non elevatur verò, nisi Deus aliquid in ipso operetur. Præterea nulla potentia potest elicere actum supernaturalem, etiam respectu objecti præsentis, nisi ad illum actum excitetur & adjuvetur per supernaturalem Dei motionem: ergo quantumcunque Dei essentia sit præsens intellectui creato, videri non potest sine actione Dei supernaturaliter in illum intellectum agentis.

ARTICULUS III.

Utrum Deus videri possit oculo corporeo.

Not. HÆretici, quibus olim persuasum fuit, Deum esse corporeum, consequenter asseruerunt, eum oculis corporeis videri posse. In eandem sententiam abierat Episcopus, de quo Augustinus loquitur ad Fortunatianum scribens Epist. cxi.

CONCL. Deus videri non potest oculo corporeo.

Probatur 1. Scriptura variis in locis asserit, Deum esse invisibilem: ea autem loca non probant quidem (ut superiùs ostensum est) Deum esse invisibilem simpliciter & absolutè; sed probant saltem, eum esse corporeis oculis invisibilem: ita ratiocinatur S. Thomas 1.p. q.12. ita etiam S. Ambrosius serm.8. in Psal. 118.

Confirmatur. Quoties Scriptura loquitur de visibilitate Dei, utitur terminis, qui mentis, non autem oculi corporei actum significant: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Epistolæ canonicæ Joannis cap.3. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. In quæ quidem verba, hæc ait Augustinus epist. 12. *Inde igitur videbimus, unde similes erimus. Quis autem dementissimus dixerit, corpore nos vel esse, vel futuros esse similes Deo? in interiore igitur homine ista similitudo est.*

Probatur iterùm conclusio ex Patribus. Augustinus in sententiam, quæ propugnatur in conclusione, Epist. cxi. laudat Athanasium, Hieronymum, Ambrosium, qui agentes contra Arianos constanter docuerunt, Verbum ut Verbum est, nusquam oculis corporeis visum fuisse, aut videri potuisse: *Non enim* (verba sunt Ambrosii) *corporalibus, sed spiritualibus oculis Deus videtur.* Iis Patribus ipse Augustinus laudata Epistola subscribit. Idem etiam docet Epistola 6. agens enim de luce illa, quæ Deus est, sic loquitur: *Hoc oculus videre corporis neque nunc potest, neque tunc*, in cœlis, *poterit*. Fulgentius in responsione ad inquisitionem tertiam Ferrandi, idem asserit. Idem quoque videre est apud Origenem lib. 1. de Principiis cap. 1. nec non apud Chrysostomum hom. 39. in Genesim, ubi de Abrahamo disserit, qui Deum vidisse dicitur.

Probatur iterùm rationibus. *Primò*. Quod videtur oculis corporeis, aliquo loco circumscribitur: ergo, cum Deus (utpote immensus) nullo circumscribatur, videri non potest oculis corporeis: *Omne* (inquit Augustinus Epist. 6.) *quod oculis corporis conspici potest, in loco aliquo sit, necesse est, nec ubique sit totum: sed minore sui parte minorem locum occupet, & majore majorem.*

Secundò. Si Deus oculo corporeo videri posset, posset quoque aliis percipi sensibus: non enim potior est ratio de sensatione, quæ fit per oculos, quam de ea, quæ fit per alios sensus: atqui non potest aliis sensibus percipi, quia alioquin dici posset, Deum esse sonum, odorem, molem: *Sonus ergo erit Deus* (ait Augustinus) *ut possit etiam auribus percipi? & halitus erit, ut sentiri possit olfactu? & liquor aliquis erit, ut possit & bibi? & moles erit, ut possit & tangi?*

Tertiò. Nulla res nisi corporea potest oculis corporeis videri: atqui Deus non est res corporea, ut ostendimus agentes de Dei simplicitate: ergo &c. *Carnis quidem oculis* (inquit Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi nona) *contemplari Deum, impossibile est: quod enim corporis est expers, in carnis oculos cadere nequit.*

Quartò. Si aliquis Deum videre posset oculis corporeis, illa prærogativa fuisset concessa Christo: atqui illi concessa non fuit, Augustino teste, qui Epist. 6. scribit, eos qui sic opinantur, *magis desipere, quàm qui carnem asserunt conversam irè in substantiam Dei, & hoc futuram esse, quod Deus est.*

Quintò. Id oculus corporeus videre non potest, quod est extra illius objectum adæquatum: cum enim sit potentia vitalis, quantumcumque a Deo elevetur, debet tanquam causa principalis movere se ipsum; non potest verò se ipsum movere nisi ad objectum, quod est ipsi connaturale; ideò enim auris non potest se ipsam movere ad visionem, quòd visio sit extra objectum ipsi connaturale. Atqui Deus est extra objectum adæquatum oculi quippe objectum adæquatum oculi est color sensibilis, qui Deo, cum sit substantia omninò spiritualis, convenire non potest; ergo oculus corporeus elevari non potest, etiam de potentia Dei absoluta, ad intuitivam Dei visionem.

Objicies 1. Scripturæ adscribunt oculo corporeo intuitivam Dei visionem.

Exodi 33. dicitur, quòd Deus Moysi locutus sit *facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Num. 12. ipsemet Deus hæc ait: *Ore ad os loquor ei & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Unde sic conficitur argumentum: Moyses vidit Dei faciem, sicut amicus videt faciem amici sui; atqui amicus videt amici faciem oculo corporeo: ergo Moyses oculo corporeo vidit Dei faciem.

Job

Job cap. 19. hæc ait: *In carne mea videbo Deum salvatorem meum:* cap. 49. sic iterum loquitur: *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.* Inde verò sic arguitur: Ille videri potest oculis corporeis, quem Job speravit se visurum esse in carne; quem quasi jam ipso fruens, asseruit oculum suum jam intueri: Atqui Job speravit se visurum esse Deum in carne; asseruit, quasi jam Deo fruens, suum oculum, ipsum intueri; ergo Deus videri potest oculis corporeis.

Resp. ad 1. dist. maj. Moyses quantùm ad aliqua vidit Dei faciem, sicut amicus videt faciem amici, conc. maj. quantùm ad omnia, neg. maj. Eo sensu Moyses vidit Dei faciem, sicut amicus videt faciem amici, quòd Deus ei per Angelum clarè ac sine figuris locutus sit, quemadmodum amicus loqui solet cum amico: non vidit verò sicut amicus amicum, quo ad modum videndi, hoc est, per oculos corporis, eò quòd ea ratione Deus non sit visibilis, Confirmatur ea solutio ex Aug. qui Ep. 12. exponens, quid sit videre Deum facie ad faciem, videre Deum per speculum, & in ænigmate, sic loquitur: *Intellige, inde nos tunc visuros facie ad faciem, unde videmus nunc per speculum in ænigmate: hoc autem utrumque interioris hominis munus est, sive enim illa peregrinatione adhuc per fidem ambulatur, in qua utimur speculo & ænigmate, sive in illa patria, cum per speciem contemplabitur, pro qua visione positum est: facie ad faciem.*

Resp. ad 2. neg. maj. Aliud est enim videre Deum in carne, aliud videre per carnem. Post generalem corporum resurrectionem, quilibet beatus Deum videbit in carne; at nullus eum videbit per carnem. *Illud* (inquit Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 29.) *quod ait supra memoratus Job, sicut in exemplaribus, quæ ex hebræo sunt, invenitur: Et in carne mea videbo Deum: resurrectionem quidem carnis sine dubio prophetavit, non tamen dixit: per carnem meam.* Præterea dato, quod illa verba: *Et in carne*, intelligantur, *per carnem*, dicendum erit, Dei nomine Job non intellexisse ipsam divinam essentiam ut est in se, sed Christi humanitatem: quod quidem (ait idem Augustinus) si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur.

Resp. ad 3. dist. ant. Job quasi jam Deo fruens ait, Nunc oculus *mentis* videt te, conc. ant. oculus corporis, neg. ant. Utitur autem ea metaphora, ut explicet perspicuitatem, & evidentiam cognitionis, quam de Deo beati habituri sunt: nec immeritò: nam cognitio, quæ per oculos comparatur, solet esse evidens, ac perspicua. Addi potest postremò, illo loco non esse quæstionem de Dei visione in altera via, sed de persuasione, qua creditur, existere providentiam; quam quidem cum antea S. Job visus esset negare, testatur se de ea re non minùs esse certum, quàm de re, quæ oculis conspicitur.

Objicies 2. Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 29. multa docet, ex quibus colligitur, ipsi fuisse persuasum, Dei essentiam posse intuitivè videri corporeis oculis.

Primò, rem ipsam ex professo tractat; *Sed* (inquit) *utrum videbunt Deum & per oculos corporis, cum eos apertos habebunt, inde quæstio, &c.*

Secundò, contendit, beatorum oculos majori virtute donandos, quam sit ea, qua viatorum oculi fruuntur: *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum.*

Tertiò, scribit eam vim non futuram tantùm majorem intensivè, sed etiam extensivè; ita ut cum nunc res corporeas tantùm respiciat, in altera vita respectura sit ipsas etiam substantias spirituales: *Vis itaque præpollentior oculorum erit illorum, non ut acriùs videant ... sed ut videant & incorporalia.*

Quartò, asserit, oculum corporeum id tunc acturum circa Deum, quod nunc agit circa aliorum hominum vitam, quam licet spiritualis sit, videt per motum, quo illorum membra moventur: *Quamobrem fieri potest, valdèque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cœli novi & terræ novæ, ut Deum ubique præsentem, & universa etiam corporalia gubernantem, per corpora, quæ gestabimus & quæ conspiciemus, quaquaversum oculos duxerimus, clarissima perspicuitate videamus.*

Quintò, præcludit eorum effugium, qui respondent, nos quidem cognituros Deum per corpora, quæ gestamus, & per ea, quæ ab aliis hominibus gestantur; sed illam cognitionem, licet paulò clariorem ea quam nunc habemus, fore abstractivam, seu per effectus, non autem intuitivam, id est Dei, ut in se est: *Non sicut nunc* (inquit) *invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, per speculum in ænigmate.* Confirmat asserens oculos corporis habituros in cœlo nonnihil simile mentis oculis: *Aut ergo per illos oculos sic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti simile, quo & incorporea natura cernatur.*

Ex iis autem locis sic licet argumentari. *Primò.* Ideò asseritur, Deum videri non posse oculo corporeo, quod oculus videre non possit rem spiritualem: atqui illa ratio nulla est ex Augustino, qui asserit, beatorum oculos visuros esse res incorporeas; qui scribit, posse eos intueri vitam, quæ planè spiritualis est; qui vult, oculum corporeum fore aliquo modo similem menti; qui contendit corporis oculum intuiturum esse Deum non in effectibus, sed in se ipso: ergo ex Augustino, Deus videri potest, & revera a beatis videtur oculo corporeo.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Augustinus asseruit, oculum corporeum in cœlis visurum esse impropriè res spirituales, conc. ant. propriè neg. ant. Eo sensu Augustinus vult, oculum corporeum visurum esse res spirituales, quòd videndo cœlum novum, terram novam, hominum beatorum corpora, præbiturus sit occasionem menti, ut statim in illo cœlo novo, in terra nova, in beatorum corporibus, intelligat præsentiam Dei, a quo gubernentur. Ratio est, quia S. Doctor ait corporeos oculos beatorum visuros esse Deum eodem modo, quo oculi hominum viatorum in aliorum hominum corporibus vident vitam, qua prædit sunt: at oculi propriè non vident vitam aliorum hominum, sed tantùm impropriè, quatenus nimirum videntes motum aliorum hominum præbent occasionem intellectui, ut statim judicet inesse iis hominibus vitam, qua eorum corpora moveantur. In eam solutionem incidit responsio S. Thomæ, qui 1. p. q. 12. art. 3. solvens argumentum ex Augustino desumptum, sic loquitur: *Ex quo patet, quod hoc modo intelligit oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri vident alicujus vitam. Vita autem non videtur oculo corporali sicut per se visibile, sed sicut sensibile per accidens; quod quidem à sensu non cognoscitur, sed statim cum sensu ab aliqua alia virtute cognoscitiva. Quòd autem statim visis illis corporibus divina præsentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus continget, scilicet ex perspicuitate intellectus, & ex refulgentia divinæ claritatis in corporibus innovatis.*

Resp. 2. dist. idem ant. Augustin. hypotheticè asseruit, oculum corporeum in cœlis visurum esse res spirituales; fore enim aliquo modo similem menti, conc. ant. asseruit absolutè, neg. ant. nempè id asseruit tantùm ex suppositione, quòd oculi corporei ita immutandi sint in cœlis, ut fiant omninò spirituales: *Quid* (inquit) *si tanta erit potentia spiritualis corporis, ut corpore videatur, & spiritus?* An verò ea suppositio admittenda sit, necne non definivit S. Doctor, *quia* (inquit) *spirituale corpus nescimus, quantos habebit accessus; de re quippe inexperta loquimur, ubi aliqua, quæ aliter intelligi nequeat, divinarum Scripturarum non occurrit, seu succurrit autoritas.* Hinc patet ex libro 22. de civitate Dei, non esse judicandum quid de quæstione, de qua agitur, absolutè senserit Augustinus, sed ex epistola sexta ad

Itali-

Italicam, nec non ex Epistolis cxl. & cxi. Nec obstat; quòd Epist. cxi. difficultatem illam ad 22. librum de civitate Dei remiserit expendendam: *De corpore verò spirituali, si Dominus juverit, opere alio experiemur, quid disputare valeamus*; non obstat (inquam) nam rei ambiguitate deterritus, ipsam quamvis antea promisisset, absolutè non definiit, sed explicavit tantùm ex suppositione (ut observavimus) quòd oculi corporei aliquo modo fierent spirituales in Beatis; in eum igitur sensum explicari debent hæc S. Doctoris verba lib. 2. Retract. c. 41. *De videndo Deo scripsi librum, ubi de spirituali corpore, quod erit in resurrectione Sanctorum, inquisitionem diligentiorem distuli, utrum, vel quomodo Deus, qui spiritus est, etiam per corpus tale videatur: sed etiam posteà quæstionem sanè difficillimam in novissimo, id est, in vigesimo & secundo libro de civitate Dei, satis, quantùm arbitror, explicavi*.

Objicies 3. Ideò asseritur, Deum videri non posse corporeis oculis, quòd oculi nullam cum eo proportionem habeant: atqui illa ratio nulla est, siquidem creaturæ per absolutam Dei potentiam elevari possunt ad objecta, cum quibus nullam omninò habent proportionem, ut patet in igne infernorum, qui agit in ipsas damnatorum animas, quæ sunt omninò spirituales: patet etiam in sacramentis, quæ producunt gratiam sanctificantem, eum qua, quòd corporea sint, nullam proportionem habent.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Creaturæ, quæ non agunt vitali modo, possunt elevari ad objecta, cum quibus nullam habent proportionem, conc. ant. quæ agunt vitali modo, neg. ant. Ratio disparitatis est, quia creaturæ, quæ non agunt vitali modo, sunt causæ tantùm instrumentales, cum a Deo elevantur ad effectus sibi improportionatos; è contra verò creaturæ, quæ agunt vitali modo, sunt essentialiter causæ principales effectuum, quos operantur: causæ autem principales sese ipsas movere debent ad suos effectus; ac proindè necesse est, ut inchoatam saltem cum illis proportionem habeant; seu requiritur, ut illi effectus non sint extra causarum vitalium objectum adæquatum.

Addi potest, non constare, quod ignis physicè agat in animas damnatorum, aut quòd sacramenta physicè producant gratiam sanctificantem: quippè nonnulli sunt, qui tum in igne infernorum, tum in sacramentis moralem tantùm actionem agnoscunt; seu docent, Deum ipsum ad ignis, ad sacramentorum præsentiam, torquere damnatorum animas, producere gratiam sanctificantem: sed hæc non sunt hujus loci.

CAPUT III.

De objecto intuitivæ Dei visionis.

Not. Objectum intuitivæ Dei visionis est duplex; primarium & secundarium. Prius est illud, quod per se, hoc est, ratione sui videtur; posterius è contra non videtur per se, sed tantùm ratione alterius. De utroque hîc est à nobis agendum.

ARTICULUS I.

De Primario objecto intuitivæ Dei visionis.

Not. Objectum primarium intuitivæ Dei visionis sunt, propter rationem mox allatam, essentia Dei, attributa tum absoluta, tum relativa.

Not. 2. Inter Dei attributa absoluta, quædam sunt ita absoluta, ut nullum, ne rationis quidem, respectum ad creaturas dicant; ejusmodi est perfectio: alia verò, quæ ad eas dicunt respectum saltem rationis, ut providentia.

Not. 3. Ut accuratè pertractetur argumentum de primario intuitivæ Dei visionis objecto, duo debent expendi: 1. Utrum per actum visionis essentiæ divinæ Beati videant attributa, tum absoluta, tum relativa: 2. utrum saltem de potentia Dei absoluta, aut essentia sine attributis, aut attributa sine se invicem videri possint.

CONCLUSIO 1. Beati per eundem actum, quo videtur Dei essentia, vident etiam omnia illius attributa, sive absoluta sint, sive relativa; seu vident id omne, quod est in Deo formaliter.

Probatur. Per eum actum videntur attributa omnia tum relativa tum absoluta, per quem videtur id, quod est actu idem cum attributis tum relativis, tum absolutis: atqui per actum, quo videtur essentia, videtur id, quod est idem cum attributis; neque enim essentia, ut suo loco dictum est, actu ab attributis, aut attributa à se invicem distinguuntur: ergo &c.

Confirmatur argumentum 1. authoritate Scripturæ: *Videbimus eum* (inquit Joannes) *sicuti est*, hoc est, secundùm modum, quo existit a parte rei. 2. Authoritate Concilii Florentini, ubi dicitur, quòd Beati clarè intuentur *Deum unum & trinum sicuti est*. 3. Authoritate Augustini, qui docet nos distinctè & clarè visuros in cœlis, quod per fidem obscurè tantùm intuemur in terris. Libro vigesimo de civit. Dei quærens, *Quid videbimus?* respondet: *Quid, nisi Deum? ut impleatur in nobis promissum Evangelicum: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt; & omnia illa, quæ nunc non videmus, credentes autem pro modulo capacitatis humanæ, longè minùs quàm sunt, atque incomprobabiliter cogitamus. Et videbitis* (inquit) *& gaudebit cor vestrum. Hic creditis, ibi videbitis*. Atqui hic in terris credimus, saltem implicitè, non tantùm Dei essentiam, sed etiam attributa, mysterium SS. Trinitatis, pluraque alia: ergo Beati per actum, quo videtur essentia divina, videbunt attributa omnia, tum absoluta, tum relativa.

Objicies 1. Ad videndum intuitivè Dei essentiam, ac ejus attributa, tum absoluta, tum relativa, requiritur virtus infinita: atqui Beati in cœlis non habent virtutem infinitam: ergo non vident Dei essentiam cum omnibus suis attributis. Minor est certa, quia creatura non est capax recipiendi virtutem infinitam: unde probatur major. Ad videndum numerum infinitum perfectionum, requiritur virtus infinita; quippe cum major requiratur ad videndum decem perfectiones, quam ad videndum quinque tantùm; consequens est, ut requiratur infinita ad videndum numerum infinitum perfectionum: atqui numerus divinarum perfectionum est infinitus: ergo &c.

Resp. ad 1. & 2. neg. min. neque enim in Deo à parte rei est numerus infinitus perfectionum, sed una ac simplex perfectio, una ac simplex entitas; quæ tota quidem, cum sit omninò indivisibilis, sed modo finito videtur.

CONCLUSIO 2. Attributa, quæ dicunt respectum rationis ad creaturas, sumpta secundùm esse absolutum, distinctè quidem cognoscuntur per actum, quo cognoscitur essentia divina; sumpta verò secundùm esse relativum, confusè tantùm cognoscuntur.

Probatur prior pars. Attributa, de quibus agitur, secundùm esse absolutum sunt idem realiter actu cum essentia divina: ergo clarè cognosci non potest essentia divina, quin illa attributa distinctè cognoscantur: neque enim res aliqua distinctè cognosci potest, quin simul distinctè cognoscatur, quod est realiter idem cum ea.

Probatur altera pars. Attributa, de quibus est quæstio, distinctè cognosci non possunt secundùm esse relativum, quin distinctè cognoscantur omnes eorum ter-

termini, seu creaturæ: neque enim distinctè relativa cognoscuntur, quin omnes eorum termini distinctè cognoscantur: atqui omnes termini Divinorum attributorum distinctè cognosci non possunt a Beatis: Siquidem illi termini, sunt numero infiniti, ut patet in omnipotentia, quæ quidem non tot concipitur posse producere creaturas, quin intelligatur novas & novas in infinitum posse producere.

CONCLUSIO 3. Essentia Dei, etiam de potentia absoluta, videri non potest sine attributis, nec attributa sine essentia, aut sine se invicem; sive illa attributa sint absoluta, sive sint relativa. Est S. Thomæ 2. 2. q. 2. art. 8. ad 3. contra Scotistas.

Probatur 1. authoritate Scripturæ: Christus Joannis 14. ex visione Verbi concludit visionem Patris: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Atqui Christus visionem Patris malè conclusisset ex visione Verbi, si una persona SS. Trinitatis posset sine alia videri. Si autem una persona sine alia videri non possit, a fortiori essentia non potest videri intuitivè sine suis omnibus attributis, tum absolutis, tum relativis: nemqè est idem realiter actu cum illis omnibus: personæ è contra, licet sint idem cum essentia, realiter tamen a se invicem distinguuntur.

Probatur 2. authoritate Augustini, qui lib. 1. de Trinitate cap. 8. sic loquitur: *Sive audiamus, ostende nobis Filium: sive audiamus, ostende nobis Patrem: tantumdem valet, quia neuter sine altero potest ostendi: unum quippe sunt, sicut & ipse ait: Ego & Pater unum sumus.* In eandem sententiam hæc etiam habet ibidem. *Aliquando ita loquitur Christus de Spiritu Sancto tanquam solus ipse sufficiat ad beatitudinem nostram: & ideo solus sufficit, quia separari à Patre & Filio non potest.* In Psal. 85. in ea Joannis verba: *Nescitis quia ego in Patre, & Pater in me est?* hæc scribit: *Id est, & me viso, videtur & Pater, & Patre viso, videtur & Filius. Patris & Filii separari non potest visio. Ubi non unius separatur natura & substantia, visio separari non potest.* Ex iis autem locis sic conficitur argumentum: Idem debet esse judicium de visione essentiæ & attributorum, quod de visione personarum: atqui, ex Augustino, una persona non potest videri sine alia: *Neuter* (inquit) *sine altero potest ostendi*; eum una sit trium personarum natura: *Visio* (ait) *separari non potest*: ergo &c.

Probatur 3. ratione, quam jam superiùs attigimus. Una est omninò essentiæ, attributorum omnium, personarum entitas absoluta: ergo nec essentia, aut sine attributis, aut sine personis; nec personæ, nec attributa aut sine essentia aut sine se invicem videri possunt; nam alioquin non viderentur, ut in se sunt ex parte objecti: quod est contra suppositionem.

Objicies 1. Illud potest videri sine alio, quod ab eo virtualiter distinguitur: atqui essentia divina virtualiter distinguitur tum ab attributis, tum a personis: ergo potest videri & sine attributis & sine personis. Minor certa est ex iis, quæ diximus agentes de simplicitate Dei; unde probatur maj. Quod virtualiter distinguitur ab alio, potest absque eo terminare actum intellectus: Theologi eo principio nixi, docent essentiam Dei posse concipi sine attributis, & vicissim attributa sine se invicem: ergo quod ab alio virtualiter distinguitur, potest sine eo videri.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Potest terminare actum intellectus abstrahentis, conc. ant. intuitivè videntis, neg. ant. Ratio est, quia distinctio virtualis efficit quidem, ut intellectus habeat fundamentum abstrahendi essentiam ab attributis, aut attributum ab alio attributo, cum quo tamen est realiter idem: sed tunc essentia non videtur intuitivè, seu sicuti est in se, quia in se non est abstracta ab attributis, imò est una ac simplex cum illis entitas.

Objicies 2. Ea possunt intuitive videri sine se invicem, quæ a se invicem realiter distinguuntur: atqui personæ SS. Trinitatis realiter actu a se invicem distinguuntur: ergo sine se invicem possunt intuitivè videri. Minor est de fide, major verò sic ostenditur: Quæ a se invicem sui ideam præbent intellectui adæquatam sine se invicem sui ideam præbet intellectui: ergo possunt intuitivè videri sine se invicem.

Resp. dist. maj. Si non identificentur cum alio, quod videtur, conc. maj. si identificentur, neg. maj. Dist. pariter min. Atqui personæ SS. Trinitatis a se invicem realiter distinguuntur, & identificantur cum alio, conc. min. & non identificantur cum alio, neg. min. identificantur nimirùm cum essentia divina: seu essentia Dei est una ac eadem entitas cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto; ac proinde videri non potest sicùti est in se, quin Pater, Filius, & Spiritus Sanctus videantur. Propter eandem rationem Pater videri non potest sicuti est, seu prout est unum cum essentia, quin pariter videantur aliæ personæ, quæ non minùs, quam Pater sunt idem cum essentia divina.

Objicies 2. Absolutum potest intuitivè videri sine relativo: neque enim ab eo pendet, cum sit eo prius: atqui essentia divina est quid absolutum, personæ verò sunt quid relativum: ergo potest intuitivè videri sine personis.

Resp. dist. maj. Si sit absolutum tantùm, conc. maj. si sit absolutum simul & relativum, neg. maj. Dist. pariter min. Essentia divina est aliquid absolutum simul & relativum, conc. min. absolutum tantùm, neg. min. Essentia, secundùm nostrum concipiendi modum, est quidem aliquid absolutum; sed a parte rei, seu prout est in se, est quid absolutum simul & relativum, quia (ut jam dictum est) est realiter actu idem cum singulis personis: ac proinde si absque personis videretur, non videretur sicuti est in se, & consequenter nec visione intuitiva, de qua est hìc quæstio.

Objicies 3. Tam potest una persona intuitivè videri sine alia, quam una potuit incarnari sine altera: atqui fide certum est, unam personam potuisse incarnari sine altera: nempe id revera contigit; Verbum enim carnem induit, non autem Pater, aut Spiritus Sanctus.

Resp. neg maj. Ratio disparitatis est, quia unio necessariò non postulat, ut res, quæ alicui unitur, ei uniatur, adæquatè hoc est, secundùm omnem entitatem, & omnem modum, quem in se habet: unde Filius Dei potuit se humanitati per incarnationem unire, tribuendo illi suam subsistantiam, licèt ei adæquate non uniretur secundùm id totum, quod est ejusdem naturæ cum ipso. E contra visio, ut sit alicujus objecti intuitiva, debet objectum adæquatè attingere, hoc est, secundum omnia, quæ sunt ejusdem cum ipso naturæ: alioquin (ut jam observatum fuit) non esset visio objecti, sicut in se est, quod est contra suppositionem.

Objicies 4. Essentia potest intuitivè videri sine personis, si absque personis sit sufficiens objectum beatitudinis: atqui essentia sine personis est sufficiens objectum beatitudinis: nam quod est infinitum, est sufficiens objectum beatitudinis; sed essentia divina est infinita: ergo &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. Quod est infinitum, nec aliud continet, est sufficiens objectum beatitudinis, conc. maj. quod aliud continet, neg. maj. Quòd sola essentia divina non sit sufficiens objectum beatitudinis, id non oritur ex illius defectu, sed ex ipsius perfectione & simplicitate, quæ tanta est, ut in sua quidditate attributa omnia & personas contineat: ac proindè nemo frui ea possit, quin & attributis & personis fruatur. *Res*, inquit S. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 5. *quibus fruendum est, Pater & Filius & Spiritus Sanctus est, eademque Trinitas, una quædam summa*

res, communisque omnibus fruentibus ea.

Objicies 5. Creatura tam potest esse beata sine visione Filii, quam ipse Pater æternus; atqui Pater æternus beatus est sine visione Filii; quod quidem sic ostenditur. Pater æternus in illo priori, in quo nondum generat Filium, est perfectè beatus, & tamen nondum videt Filium: ergo &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dico argumentum esse de non supponente; quippè supponit, esse aliquod instans reale, in quo Pater non generet Filium: at non datur ejusmodi instans: alioquin dicendum esset, Filium ex non esse transire ad esse, quod est ipsummet Arii dogma contendentis, ideò Filium non esse consubstantialem Patri, quòd ex non esse ad esse transierit.

ARTICULUS II.

De Secundario objecto intuitivæ Dei visionis.

Not. 1. SEcundarium objectum intuitivæ Dei visionis sunt creaturæ, quæ mediante divina essentia videntur à Beatis.

Not. 2. De illo objecto secundario quæri potest 1. utrum & quæ creaturæ videantur a Beatis: 2. utrum omnes, tum existentes, tum possibiles videri possint: 3. quomodo creaturæ a Beatis videantur in Verbo.

CONCL. 1. Beati vident in essentia divina aliquas creaturas.

Probatur. Illi in essentia divina vident aliquas creaturas, quorum status est status omnium bonorum aggregatione perfectus: quippè est aliquod bonum videre in Dei essentia nonnullas creaturas: atqui status Beatorum est status omnium bonorum aggregatione perfectus: ergo &c.

CONCL. 2. Beati non vident in essentia divina omnes in individuo creaturas existentes in aliqua temporis differentia, seu præteritas, præsentes & futuras.

Probatur, tum quia essentia divina non est speculum necessarium creaturarum existentium in aliqua temporis differentia: tum quia illa omnium individuorum cognitio non pertinet ad statum cujuslibet Beati.

CONCL. 3. Beati vident in essentia divina omnes species rerum, quæ pertinent ad perfectionem universi.

Probatur, quia cognitio illarum specierum pertinet ad statum Beatorum; nimirum decet Beatorum statum, ut sciant species rerum, quæ propter illos factæ sunt.

CONC. 2. Beati cognoscunt omnia singularia, quæ ad eorum statum pertinent.

Probatur authoritate Patrum. Ambrosius in oratione funebri de Theodosio, docet Theodosium in cœlis suscepturum esse Arcadii & Honorii filiorum tutelam. Gregorius Magnus lib. 12. moral. cap. 17. ait Sanctos, fratres suos in terris periclitantes videre, amare, de eorum salute curare. Concilium Senonense in decretis fidei c. 13. asserit, Beatis pervium esse divinitatis speculum, in quo quidquid illorum interest, illucescit. S. Thomas 3. p. q. 10. sic loquitur: *Nulli intellectui beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia, quæ ad ipsum spectant.*

Quæres, quænam ea sint, quæ spectant ad cujusque Beati statum?

Resp. ea reduci 1. ad ea, quæ ad Beatos pertinebant, dum in terris agerent: sic summi Pontifices norunt ea, quæ ad Ecclesiam spectant; fundatores, Ordinum suorum præcipuos eventus. Reducuntur 2. ad preces, quæ ad eos diriguntur: *Maximè* (inquit S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 4.) *excellentiam eorum decet, ut cognoscant petitiones ad eos factas, vel voce, vel corde.*

Objicies In libro, quem Augustinus inscripsit: *De cura pro mortuis gerenda*, multa sunt, quibus evincitur, Beatos latere omninò quæ hic in terris fiunt.

S. Doctor cap. 13. conceptis verbis asserit, mortuorum animas rebus viventium non interesse: Id verò probat ex matre, quæ mortua eum minimè consolabatur: *Si* (inquit S. Doctor) *rebus viventium interessent animæ mortuorum, & ipsa nos, quando eas videmus, alloquerentur in somnis; ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra marique secuta est, ut mecum viveret. Absit enim, ut facta sit vita feliciore crudelis, usque adeo, ut quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium consoletur, quem dilexit unicè, quem nunquam voluit mæstum videre.*

Probat iterùm ex 2. Paralip. cap. 34. ubi pro magno beneficio Josiæ regi promittitur, quòd antè moriturus esset, ne videret mala, quibus a Deo castigandus erat populus, cui præerat: *Quid est ergo* (ait) *quod piissimo regi Josiæ pro magno beneficio promisit Deus, quòd esset antè moriturus, ne videret mala, quæ ventura illi loco, & populo minabatur?*

Probat quoque ex his verbis Psalmi 26. *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me*; ex quibus sic argumentatur: *Si ergo dereliquerunt nos patres nostri, quomodo nostris curis & rebus intersunt? Si autem parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverunt, quid agamus, quidve patiamur?* Ergo Augustinus docuit, Beatos nescire, quæ fiunt in terris, licèt ad eorum statum pertineat.

Respondet S. Thomas his verbis 1. p. q. 89. art. 8. *Sed Augustinus hoc dubitando dicit; unde præmittit: Ut volet, accipiat quisque quod dicam.*

Respondent alii, de quæstione, de qua agitur, non eo sensu dubitasse Augustinum, quòd de ea anceps hæserit, sed quòd suam sententiam, quam veram existimavit, protulerit absque contrariæ sententiæ præjudicio. Responsionem verò suam probant ex his verbis, quibus Augustinus utitur cap. 13 *An fortè nos errando ista dicimus, & hos putamus quietos, quos inquieta vita vivorum solicitat?* quasi dixisset; Nequaquam id errando dicimus, sed magno cum fundamento. Probant iterùm ex capite 15. ubi absolutè sic concludit Augustinus: *Proinde fatendum est, nescire quidem mortuos quid hic agatur.*

His autem præmissis, respondent ad argumentum, negando ant. ad cujus probationem, distinguunt conseq. Ergo Augustinus docuit, Beatos nescire per conversationem inter vivos, quæ fiunt in terris, concedunt conseq. absolutè & simpliciter, negant conseq.

Confirmant suam responsionem ex eo, quòd ipsemet Augustinus libri, de quo agitur, capite 15. expresse affirmet, a mortuis res aliquas (quæ nimirùm ad eorum statum pertinent) tribus modis cognosci. 1. eorum relatione, qui hinc ad illos transeunt: *Fatendum est, postea audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt: non quidèm omnia, sed quæ sinuntur indicare; qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire.* 2. Ab ipsis etiam Angelis argumentum desumit; *Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt.* 3. Ex peculiari Dei revelatione: *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos nosse, & quæ necessarium non est eos non nosse, non solùm præterita vel præsentia, verùm etiam futura, spiritu Dei revelante, cognoscere: sicut non omnes homines, sed Prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant; nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda Dei providentia judicabat.*

Confirmant 2. eandem responsionem ex scopo, quem Augustinus locis, quæ in argumento relata sunt, sibi proposuit; scilicet, probare voluit *primò*, animabus, quæ in gratia decesserint, prodesse vivorum suffragia:

secun-

secundo, *sis per se*, nec prodesse, nec obesse, utrum, vel ubi eorum corpora sepeliantur. Adversus hoc secundum caput objicit, sibi inanem fore curam, mortuos cum honore sepeliendi. Objicit iterùm evinci contrarium ex apparitione animarum, quæ a quibusdam viris in somnis exigere debitam suis corporibus sepulturam. Ad postremum illud argumentum respondet, ea somnia causari non ab animabus, quæ dormientibus adsint, sed à Deo sic ordinante, ut malos terreat, & pios consoletur. Illam responsionem Augustinus cap. 13. probat ex eo, quòd defunctorum animæ nulla deinceps cum viventibus conversatione fruantur.

CONCLUSIO 5. Beati non vident omnes creaturas possibiles.

Probatur. *Primò*, Beati, ex dictis, videntes, Deum intuitivè, non vident omnia futura: ergo a fortiori non vident omnia possibilia. *Secundò*, Si Beati videntes Deum intuitivè, viderent omnes creaturas possibiles, ipsum Deum comprehenderent: quippè comprehenderent Dei omnipotentiam. Nam comprehendere Dei omnipotentiam nihil aliud est, quam cognoscere ea omnia, ad quæ potest se extendere. Si autem comprehenderent Dei omnipotentiam, comprehenderent quoque cætera illius attributa, cum non sit potior ratio de uno, quam de altero: ac proindè ipsammet Dei essentiam, quæ ab attributis realiter actu non distinguitur.

Dices, Beatos in ea suppositione comprehensuros quidem omnipotentiam extensivè sumptam, non autem intensivè.

Sed contra est, quia Beati comprehenderent Dei omnipotentiam etiam intensivè sumptam: nam comprehensio intensiva sequitur ex extensiva: Siquidem intensiva comprehensio nihil aliud est, quam cognitio modorum omnium, quibus Dei essentia est participabilis a creaturis; sed qui extensivè comprehendit Dei omnipotentiam, hoc est, qui cognoscit effectus omnes, ad quos potest sese extendere, cognoscit modos omnes, quibus Dei essentia est participabilis a creaturis: ergo comprehendit, etiam intensivè, Dei omnipotentiam.

CONCLUSIO 6. Creaturæ, quas Beati vident, sive sint merè possibiles, sive existant in aliqua temporis differentia, in Verbo, & in se ipsis videntur.

Probatur 1. authoritate Patrum. Augustinus lib. 4. de Genesi ad litteram, cap. 13. duplicem in Beatis distinguit creaturarum cognitionem, matutinam & vespertinam: priorem vocat eam, per quam creaturæ videntur in Verbo: alteram verò, per quam in se ipsis videntur: illa clarior est ac perfectior, & ideò orienti soli comparatur; ista è contrà obscurior est, & ea de causa comparatur soli jamjam occasuro: *Multum* (inquit) *interest inter cognitionem rei cujusque in Verbo Dei, & cognitionem in natura ejus, ut illud meritò ad diem pertineat, hoc ad vesperam: in comparatione enim lucis illius, quæ in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio, qua creaturam quamlibet in se ipsa novimus, non immeritò nox dici potest.*

Idem S. Doctor cap. 24. asserit, beatos Angelos videre universam creaturam in Dei verbo: *Quapropter cum sancti Angeli, quibus post resurrectionem coæquabimur, semper videant faciem Dei, Verbo ejus unigenito Filio, sicuti Patri æqualis est, perfruantur, procul dubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei priùs noverunt, in quo sunt omnium, etiam quæ temporaliter facta sunt, æternæ rationes, tanquam in eo, per quod facta sunt omnia.* Mox subjungit Augustinus, Angelos videre etiam creaturas in ipsismet creaturis: *Ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt, tanquam infrà despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cujus incommutabili veritate rationes, secundùm quas facta est, principaliter vident.* Ex iis locis patet, Augustinum docuisse 1. creaturas à Beatis videri in Verbo: 2. videri etiam in semetipsis: 3. priorem cognitionem propter summam sui evidentiam dici matutinam, alteram verò, quòd minùs clara sit, vespertinam appellari.

Idem docet Bernardus libro 5. de Considerat. cap. 4. *Creatura cœli* (inquit) *videt verbum, & in verbo facta per verbum: neque opus habet ex his, quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare: nec enim ut vel ipsa noverit, ad ipsa descendit, quæ ibi videt, ubi longè meliùs sunt, quàm in se ipsis*. Eadem loquendi ratione cæteri Patres utuntur; eorum verò loca videre est in quæstione de perfectione Dei, ubi expendimus, quo modo creaturarum perfectiones in Deo contineantur.

Probatur 2. ratione theologica. Id Beati vident in Verbo, cujus Verbum est veluti speculum: atqui Verbum est veluti speculum rerum omnium; ut agentes de Dei perfectione dicemus: ergo Beati vident in Verbo res omnes, sive sint possibiles, sive existentes in aliqua temporis differentia.

Objicies 1. Beati non vident in Verbo id, quod ab illo infinitè diversum est: neque enim res aliqua repræsentat id, quod ipsi non est simile: atqui creaturæ, secundùm suum esse formale, infinitè diversæ sunt a Verbo: ergo Beati non vident creaturas in Verbo.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Verbum non repræsentat id, quod ipsi non est simile, si nullam habeat cum eo connexionem, conc. ant. si habeat aliquam connexionem, neg. ant. Creaturæ habent connexionem cum Verbo, tum ratione causæ exemplaris, quippe factæ sunt ad normam idearum, quas de iis Verbum habuit ab æterno; tum ratione causæ efficientis, à Verbo nimirùm essentialiter suum esse recipiunt.

Objicies 2. Si Beati viderent in Verbo aliquas creaturas, aut possibiles, aut existentes, viderent omnes tum possibiles, tum existentes: atqui non vident omnes tum possibiles, tum existentes: ergo &c. Probatur major. Ideò beati vident in verbo aliquas creaturas possibiles, & aliquas existentes, quod repræsententur in Verbo tanquam in speculo: Atqui omnes omninò tum possibiles, tum existentes in eo æqualiter repræsentantur: ergo si Beati aliquas creaturas tum possibiles, tum existentes videant in Verbo, debent videre omnes tum possibiles, tum existentes.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. maj. Ideò, &c. quòd repræsententur in Verbo, & prætereà quòd Deus speciali concursu adjuvet Beatorum intellectum, conc. maj. solùm quòd repræsententur in Verbo. neg. maj. Ad visionem creaturarum in Deo satis non est, ut in Deo repræsententur tanquam in causa exemplari, aut contineantur tanquam in causa efficiente; sed præterea necesse est ut Deus speciali concursu adjuvet, ac corroboret intellectum, ut in ea causa exemplari, in ea causa efficiente scrutetur creaturas, quæ in eo repræsentantur & continentur.

Objicies 3. Si tum possibilia, tum existentia videantur in Verbo, intellectus non cognoscet possibilia sub ratione possibilium, aut existentia sub ratione existentium: Siquidem nihil erit in Deo, per quod intellectus determinetur ad cognoscendum ens, sub ratione existentis potiùs, quam ratione possibilis: quippe existens & possibile eadem prorsùs ratione in Deo repræsentantur, ac continentur. Atqui id absurdum est: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. ant. nempè per ens merè possibile Deus terminatur alio modo ab eo, per quem terminatur per ens, quod aut actu existit, aut extitit aliquando: nam respectu entis possibilis, essentia Dei nondum est participata; respectu verò entis, aut existentis aut futuri, est vel participata, vel participanda.

Objicies 4. Si Beati viderent creaturas in Verbo, ea visio non esset intuitiva; atqui absurdum est consequens: ergo & antecedens. Minor constat, quia creaturarum

visio in Beatis debet esse perfecta: sola autem cognitio intuitiva est perfecta, siquidem abstractiva multùm est obscura; ac proindè plurimùm imperfecta: unde probatur major. Illa visio non est intuitiva, per quam res videtur in alio: atqui visio creaturarum esset in alio, nimirùm in Verbo: ergo non esset intuitiva.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. maj. Si illud aliud perfectè rem non repræsentet, conc. maj. Si perfectè eam repræsentet, nego maj. At Verbum cum sit perfecta Patris imago, est etiam perfecta imago rerum omnium, tum possibilium, tum existentium.

Quæres, utrum Beati simul in Verbo videant omnia, quæ in ipso vident?

Resp. 1. Beatos videre simul in Verbo omnia, quæ vident ab initio suæ beatitudinis. Nititur ea responsio authoritate Augustini, qui lib. 15. de Trinitate cap. 16. sic de Dei visione disserens, loquitur: *Fortassis etiam volubiles non erunt nostra cogitationes, ab aliis in alias euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno simul conspectu videbimus.* Quod loco relato dubitantis adinstar visus est affirmare S. Doctor, affirmat determinatè, ac absolute libro 12. Confess. cap 13. *Sic interim sentio* (inquit) *propter illud cœlum cœli, cœlum intellectuale, ubi est intellectus, nosse simul, non ex parte, non in ænigmate, non per speculum, sed ex toto in manifestata facie ad faciem, non modò hoc, modò illud, sed quod dictum est, nosse simul sine ulla vicissitudine temporum, quæ soles habere modò hoc, & modò illud, quia ubi nulla species, nusquam est hoc, aut illud.*

Resp. 2. ea, quæ a Beatis non videntur ab initio beatitudinis, simul non videri. Ratio est, quia in casu, de quo agitur, Dei essentia jam ante videbatur, ac proinde simul cum ea visa non sunt, quæ postea videri cœperunt. Sic temporum decursu Angeli nonnullas Incarnationis circumstantias, extremum judicii diem, varias hominum cogitationes videbunt, quas antea non videbant. Nec repugnat Augustinus locis, quæ ex eo mox laudata sunt: quippe hoc tantùm sensu intelligi debent, quod ex quo essentia divina, ut actu repræsentans aliqua, a Beatis visa fuerit, Beati non modò hoc, modò illud per actus distinctos visuri sint.

CAPUT IV.

De proprietatibus intuitivæ Dei visionis.

Not. PRoprietates intuitivæ Dei visionis, duæ sunt præcipuæ, incomprehensibilitas nimirum, & inæqualitas: hic agitur quærimus 1. utrum videntes Deum, ipsum comprehendant: utrum eum æqualiter videant.

ARTICULUS I.

Utrum videntes Deum, ipsum comprehendant.

Not. 1. COmprehensionis nomen duobus modis sumitur: *Primò*, pro adeptione rei alicujus: *Secundò*, pro perfecta & adæquata rei cognitione. Non hic agimus de comprehensione in priori sensu sumpta, quippe certum est Beatis convenire, seu constat, in eis adimpletum esse illud Apostoli 1. ad Corinth 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Tota igitur quæstio est de comprehensione in secundo sensu sumpta.

Not. 2. Ad cognitionem comprehensivam tria requiruntur. Primum est claritas, seu evidentia cognitionis: tanta nimirùm esse debet, ut satis sit ad penetrandos omnes, ac singulos objecti, tum existendi, tum operandi modos. Secundum est certitudo cognitionis; nec mirùm, cum is, qui sine certitudine rem cognoscit, eam perfectè non noverit. Tertium est adæquatio objecti, hoc est, ut sese extendat ad id omne, quod in objecto est intelligibile.

Not. 3. Anomœi, ut observavimus agentes de possibilitate intuitivæ Dei visionis, asserebant Dei essentiam nedum a Beatis, sed etiam a viatoribus comprehendi: *Deum* (inquiunt apud Epiphanium, hæresi 76.) *tam perspicuè scio, ac tantam cognitionem ejus habeo, ut non tam meipsum, quàm Deum perfectè sciam.* E contra Catholici omnes docuerunt semper, quòd licet Deus clare videatur a Beatis, ab iis tamen minimè comprehendatur.

CONCL. Videntes Deum, ipsum non comprehendunt.

Probatur 1. Scripturæ sæpiùs asserunt, Deum videri non posse: *Quem nullus hominum vidit* (ait Paulus 2. ad Timoth. 6.) *sed nec videre potest.* Eum non rarò nominant invisibilem: *Regi sæculorum immortali, & invisibili.* Docent ea, quæ Dei sunt, a solo Deo cognosci: *Spiritus* (inquit Apostolus 1. ad Corinth. 10.) *omnia scrutatur, etiam profunda Dei ..... quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Verùm licet illa loca exponi possint de cognitione, quæ habeatur aut per corporis oculos, aut per mentis quidem oculos, sed in hac vita, solent etiam a Patribus exponi de cognitione comprehensiva: hoc est, Patres ex iis textibus concludunt, Deum neque in hac vita, neque in altera a creaturis posse comprehendi.

Probatur 2. Una vox est Patrum, Deum esse incomprehensibilem: *Vocemus igitur inexplicabilem illum* (inquit Chrysostomus oratione tertia contra Anomœos) *incomprehensibilem illum, quem nemo cogitare, nemo videre, nemo assequi potest.* Hæc etiam habet Ambrosius in tractatu in symbolum Apostolorum cap. 10. *Incomprehensibilia sunt judicia Dei, quia quamvis proficiat quis in scientia, & sapientia arcana rimetur; tamen creata natura increati substantiam, ut talis est, nunquam potest ad plenum comprehendere.* Gregorius Magnus in hæc Job verba: *Excelsior cœlo est, & quid facies?* sic loquitur: *Excelsior itaque est cœlo, quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantæ celsitudinis perfectè non penetrant.*

Ex iis autem textibus sic conficitur argumentum: Ille est incomprehensibilis, quem Patres *incomprehensibilem* vocant: quem asserunt, a nemine, quantumcumque proficiat, comprehendi posse; quem contendunt, perfectè etiam a Beatis penetrari non posse. Atqui id (ut ex locis mox relatis patet) docent Patres: ergo Deus, ex Patribus, est vere incomprehensibilis.

Probatur 3. ratione theologica. Comprehendere aliquod objectum, est clarè certòque cognoscere non tantùm illius essentiam, sed etiam omnia, ad quæ virtus illius sese potest extendere: *Hoc enim esset comprehendere omnia* (inquit S. Thomas 1. p. q. 12. art. 7.) *quæ Deus potest facere, quod esset comprehendere divinam virtutem, & per consequens divinam essentiam. Virtus enim qualibet cognoscitur per cognitionem omnium, in quæ potest.* Atqui nullus intellectus creatus potest clare certòque cognoscere omnia, ad quæ Dei virtus sese potest extendere: ergo nullus intellectus creatus potest Deum comprehendere. Probatur min. Ut clarè certòque cognoscant omnia, ad quæ Dei virtus sese potest extendere, requiritur infinita virtus cognoscendi: quia sic Deum cognoscere, est infinito modo illum cognoscere: sed intellectus creatus non potest habere virtutem infinitam cognoscendi: ergo, &c.

Objicies 1. Apostolus hæc habet ad Philippenses 3. *Sequor autem, si quo modo comprehendam:* ergo Deus, ex Apostolo, comprehendi potest.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo Deus comprehendi potest comprehensione impropriè sumpta, conc. conseq.

seq. propriè sumpta, neg. conseq. Quid verò sint, & in quo discrepent ea duo comprehensionum genera, videre est priora in huncce Articulum notata.

Objicies 2. Ex Augustino, epistola 112. illud comprehenditur, quod ita totum videtur, ut nihil ejus lateat videntem: atqui Deus ita totus videtur a Beatis, ut nihil ejus Beatos lateat: neque enim clarè cognosci potest, quin totus simul videatur, cum sit ens maximè simplex: ergo Deus, ex Augustino, potest ab intellectu creato comprehendi.

Resp. dist. maj. ut nihil ejus, tum intrinsecum, tum extrinsecum lateat, conc. maj. intrinsecum tantùm, neg. maj. Distinguo pariter min. Deus ita totus videtur a Beatis, ut nihil ejus intrinsecum Beatos lateat, con. min. nihil extrinsecum, neg. min. Ut res aliqua comprehendatur, satis non est, ut illius tum essentia tum attributa clarè ac certò cognoscantur; sed præterea necesse est, ut cognoscantur, quæ ex ea sequi possunt, seu quæ ab ea possunt pendere: hæc autem, ut probatum est, a nullo intellectu creato clarè ac certò cognosci possunt.

Quæres, utrum fide certum sit, Deum esse incomprehensibilem?

Resp. affirmativè: id nimirùm expressè in Scriptura & traditione legitur. Præterea definitum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi hæc leguntur: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quòd unus solus est verus Deus, æternus, immensus, incommutabilis, & incomprehensibilis.*

ARTICULUS II.

Utrum videntes Deum, ipsum æqualiter videant.

Nr. JOvinianus, Hieronymo teste, duobus libris, quos adversùs illum conscripsit, docuit, omnes homines æqualiter fore beatos; ac proinde æquali Dei visione fruituros. In eum verò abiit errorem, quòd Stoicorum more censeret, æqualia esse vitia, æquales esse virtutes, æqualia esse tum merita, tum demerita.

CONCL. Videntes Deum, ipsum non vident æqualiter.

Probatur ex Scriptura. Joannis 14. sic Christus loquitur: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*: intelligi verò sententiam illam de domo cœlesti, seu de æterna beatitudine, probant quæ sequuntur: *Si quominus dixissem vobis, quia vado vobis parare locum*: probat etiam authoritas Patrum, qui eandem sententiam non de Ecclesia militante, sed de triumphante explicarunt: *Nam* (inquit Tertullianus Scorpiaci cap. 6.) *quomodo multæ mansiones apud Patrem, si non pro varietate meritorum?* Hæc etiam habet Gregorius Magnus lib. 4. Moralium cap. 31. *Quò hic alius alium merito superat, illic alius alium retributione transcendit: Unde in Evangelio veritas dicit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Prioris ad Corinth. cap. 15. hæc habet Paulus: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate: sic & resurrectio mortuorum.* Licet Apostolus ibi loquatur de futura corporis gloria: *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*; intelligi quoque debet de animæ gloria, eo quòd ex illa sequatur alia. Ex iis autem locis sic arguitur: Visio beatifica idem est ac mansio, de qua Christus loquitur Joannis 14. idem est cum stellarum claritate, cujus meminit Apostolus: atqui æqualis non est eorum claritas: ergo neque æqualis est visio.

Probatur 2. ex Patribus. Concilium Romanum sub Syricio proscribens Joviniani errores, hunc etiam proscripsit. Concilium Florentinum in decreto unionis definit, Beatos intueri clarè ipsum Dominum trinum & unum, sicuti est; *pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs*. Idem evincitur ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 32. Idem ex Hieronymo, Ambrosio, & cæteris Patribus, qui pro Ecclesia quondam adversùs Jovinianum pugnarunt.

Probatur 3. ratione theologica. Illud est inæquale, cujus principium inæqualis est virtutis: atqui visionis intuitivæ principium est inæqualis virtutis: ergo inæqualis est ipsa visio. Probatur minor. Principium visionis intuitivæ, est lumen gloriæ: Sed lumen gloriæ est inæquale: nimirùm pro diversitate meritorum, diversi erunt in lumine gloriæ gradus: *Unusquisque* (ait Apostolus 1. ad Corinth. 3.) *propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem.*

Objicies 1. Quod est maximè simplex, non potest inæqualiter videri: atqui Deus est maximè simplex: ergo &c. Probatur maj. quod est maximè simplex: non potest dividi: ergo non potest inæqualiter videri: siquidem inæqualis visio, est veluti quædam objecti divisio.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Non potest dividi ex parte objecti, conc. ant. ex parte intellectus, neg. ant. Cum Deus sit infinitus, est objectum virtualiter multiplex: ac proindè propter sui eminentiam præbet intellectui fundamentum, ut perfectiùs & perfectiùs in infinitum intelligatur.

Objicies 2. Inæqualitas intuitivæ visionis repugnat Beatorum statui; paci nimirùm internæ, quæ illi statui essentialis est, adversatur: nempe qui imperfectiùs videret Deum, desiderat videre perfectiùs; proindeque expletum non esset illius desiderium.

Resp. singulos Beatos tantum habere visionis, quantæ per lumen gloriæ capaces sunt: unde omnes planè sunt exsaturati: ac proinde aliorum perfectiorem statum nequaquam ambiunt.

Objicies 3. Matthæi cap. 20. Parabola operariorum æqualitatem intuitivæ Dei visionis, in qua posita est æterna beatitudo, videtur adstruere. *Primò*, paterfamilias plures operarios diversis horæ diebus, prima nimirùm, tertia, sexta, nona, undecima conducit, ac mittit ad excolendam vineam: *Secundò*, illis operariis labore perfunctis eandem omninò mercedem rependit: ita ut nihilo plus tribuat iis, qui totum diem in opere consumpserant, quam qui tardiùs. Inde autem sic conficitur argumentum: Paterfamilias, cujus parabola meminit, non alius est, quàm Deus ipse; vinea est Ecclesia Christi: operarii sunt homines, qui ad illam Ecclesiam, hoc est, ad fidem & pietatem vocantur: horæ, de quibus parabola loquitur, sunt variæ hominum ætates, juventus, adolescentia, ætas virilis, senectus: Denarius, qui singulis rependitur in præmium, est cœlestis beatitudo. Atqui æqualiter omnibus operariis datur ille denarius, æqualis merces omnibus rependitur: ergo in omnibus Beatis æqualis erit cœlestis beatitudo, quæ illo denario adumbratur, quæque non in alio posita est, quam in intuitiva Dei visione.

Resp. 1. dist. maj. Denarius, qui singulis rependitur, est cœlestis beatitudo sumpta pro vita æterna, con. maj. sumpta pro intuitiva Dei visione, neg. maj. Concessa min. dist. conseq. ergo æqualis erit in omnibus Beatis cœlestis beatitudo sumpta pro vita æterna, con. conseq. sumpta pro intuitiva Dei visione, neg. conseq. *Denarius ille* (inquit Augustinus sermone 56. de verbis Domini capite 4.) *vita æterna est, & in vita æterna omnes æquales erunt. Quamvis enim meritorum diversitate fulgebunt, alius minus: quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus: non enim alteri longius, alteri brevius; quod pariter sempiternum est.*

Resp. 2. concessa maj. disting. min. Atqui æqualiter omnibus operariis æqualibus in merito rependitur idem denarius, conc. min. inæqualibus in merito, neg. min. Dist. pariter conseq. Ergo in omnibus Beatis æqua-

qualibus in merito, æqualis erit beatitudo cœlestis, conc. conseq. inæqualibus in merito, neg. conseq. Ideò extrema hora conductis eadem, quæ prioribus, merces rependitur, quòd perbrevi temporis spatio merita priorum asseeuti sint: *Deinde* (inquit Gregorius Nazianzenus Oratione 40.) *etsi laboris modum plus contulerint, qui priores ingressi sunt, non tamen quantum ad voluntatis modum. Propter quam etiam fortasse postremis amplior merces debebatur; quamvis absurdum quodammodo potest videri, quod dico.*

Resp. 3. dist. maj. Denarius ille est beatitudo cœlestis, & is non est parabolæ scopus, conc. maj. & est parabolæ scopus, neg. maj. Non eo fine prolata est a Christo parabola, ut aut æqualitas, aut inæqualitas futuri in cœlo præmii demonstraretur; sed ut doceremur, æternæ salutis adipiscendæ modum ac rationem omnem non ex humanis æstimari judiciis, sed ex sola Dei voluntate, qua fit, ut ii nonnunquam salutem consequantur, qui hominum judicio ab ea magis remoti videbantur; eum autem esse parabolæ sensum ac finem, clausula ipsa demonstrat: *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.*

Dices, Si is sit, qui mox relatus est, parabolæ sensus, explicari non poterit, quid significet unus omnibus datus denarius; quid adumbretur ea hominum conductorum mora; quid iis repræsentetur, qui in parabola murmurantes inducuntur.

Resp. ea, de quibus agitur, materiales esse circumstantias, quæ non ad aliquid significandum, sed ad parabolæ ornatum positæ sunt. Nec id mirum est; quippe Augustino teste libro 22. contra Faustum cap. 94. *Sicut in citharis non quidem omnia, quæ tanguntur, canorum aliquid resonant; sed tantum chorda ..... ita in his propheticis narrationibus, aut aliquid jam sonant significatione futurorum, aut si nihil tale significant, ad hoc interponuntur, ut sit, unde illa significantia, tanquam sonantia, connectantur.*

Quæres, unde petatur in Beatis inæqualitas intuitivæ Dei Visionis?

Resp. inæqualitatem illam peti à solo lumine gloriæ, quod quidem majoris vel minoris est intensionis pro majori vel minori merito Beatorum.

QUÆSTIO V.

De Dei Æternitate.

Not 1. ÆTernum sumitur in Scripturis *primò* impropriè, nempè aut pro eo, quod extitit multo ab hinc tempore: sic Christus Genesis 49. dicitur desiderium collium æternorum, hoc est, antiquissimorum sanctorum: vel pro eo, quod diù perduraturum est: eo sensu Dominus Genesis c. 17. Abrahæ pollicetur terram Canaam in possessionem æternam: aut tandem pro eo, cujus non erit finis, quamvis extiterit initium: sic præmium, quod Deus iis rependet, qui perseveraturi sunt in justitia, dicitur merces æterna. Sumitur 2. propriè, pro eo nimirùm, quod nec habuit initium, nec habiturum est finem.

Not. 2. Æternitas propriè sumpta sic definitur à Boetio lib. 5. de considerat. prosa 6. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* In ea verò definitione vox hæc, *possessio*, æternitatis stabilitatem designat: nec mirum, ea enim, quæ possidentur, firmiter ac constanter haberi solent. Hæ aliæ voces, *tota simul* ab æternitate successionem excludunt; & in hoc differt a tempore, cujus partes non possunt esse simul, sed essentialiter sibi invicem succedunt. Hocce termino, *perfecta*, innuitur, quòd licèt æternitas sit prorsùs indivisibilis, contineat tamen ea perfectionem, quæ per mentem in duratione successiva fingi posset. Hac voce, *vitæ*, significatur, æternitatem se extendere non solùm ad rei substantiam, sed etiam ad illius operationem: nam idea, quæ huic voci *vivere*, respondet, & esse & operari complectitur. Tandem hoc verbo, *interminabilis*, significatur, æternitatem nullum prorsùs habere terminum, sive a parte antè, sive a parte post, seu eam & principio & fine carere. Ex ea autem æternitatis idea Augustinus lib. 9. Confess. c. 10. concludit, Dei sapientiam esse æternam: *Et ipsa non fit* (inquit) *sed sic est ut fuit, & sic erit semper: cum potius fuisse, & futurum esse, non est in ea, sed esse solum, quoniam æterna est: nam fuisse, & futurum esse, non est æternum.*

Not. 3. Æternitas est perfecta quædam durationis species; nempè, cum sit vitæ possessio, dicit, sicut & duratio, rei in suo esse perseverantiam. Ea verò duratio ab imbecilli hominis mente explicari non solet, nisi per comparationem ad alias durationes: sic dicimus, eam rem esse æternam, quæ extitit ante omne tempus, quæque post quælibet sæcula perdurabit: verùm licèt æternitas à nobis non explicetur, nisi per comparationem cum tempore, in se tamen est aliquid absolutum, & omninò independens à tempore.

Not. 4. Iis, claritatis causa, de æternitate præmissis, quærunt theologi 1. utrum æternitas propriè sumpta Deo conveniat: 2. utrum Deo soli tribui possit.

CONCLUSIO 1. Æternitas propriè sumpta convenit Deo.

Probatur 1. Scriptura variis in locis Deo æternitatem tribuit. Deuteronomii cap. 31. sic Deus ipse loquitur: *Vivo ego in æternum.* Danielis cap. 1. hæc leguntur: *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Ad Hebræos 1. *Ipsi peribunt, tu autem permanes.*

Probatur iterùm conclusio variis rationibus theologicis.

Primò. Deus est ens, quo nec melius, nec perfectius fingi, cogitarique potest: atqui id falsum esset, si Deus non esset æternus: nempè posset aliud ens Deo perfectius cogitari, illud nimirùm, cui æternitas propriè dicta conveniret.

Secundò. Deus est ens à se, seu à quolibet alio prorsùs independens, tum in esse, tum in conservari, tum in operari: Atqui ens à se debet esse æternum: Siquidem non potest esse ab alio ente, cùm esse ab alio expressè repugnet enti, quod est a se: non potest quoque esse a se ipso existente in nihilo, quia nihilum non potest operari, ac proinde non potest esse causa existentiæ.

Tertiò. Deus est essentialiter ens infinitum, proindèque omnes omninò perfectiones complectitur: atqui æternitas est perfectio: ergo in Deo reperitur.

Quartò, Deus, ut suo loco demonstratum est, est prorsus immutabilis: ergo non potuit transire a non esse ad esse, nec modò potest ab esse transire ad non esse, cum ille transitus maximam mutabilitatem includat: ergo & extitit, & extabit semper: *Summum bonum* (ait Augustinus initio libri de natura boni contra Manichæos) *quo superius non est, Deus est, ac per hoc incommutabile bonum est, & ideò verè æternum & verè immortale.*

Quæres, utrum Gentiles inanibus Diis æternitatem, quam Deo vero vindicamus, olim tribuerint?

Resp. 1. Poetis visum esse, Deos non esse æternos, scilicet asseruerunt, Jovem Deorum (inquiebant) hominumque parentem a Saturno fuisse procreatum; Saturnum esse cœli filium; cœlum verò a terra genitum fuisse.

Resp. 2. aliquos quidem ex veteribus Philosophis Deo æternitatem adscripsisse: hinc Thales interrogatus, *quid esset antiquissimum*, apud Plutarchum in Convivio respondit, Deum esse, quòd ortu careat. Sed illud responsum non potest intelligi de Diis inanibus, sed de eo tantùm, qui verus sit Deus, ut probant hæc Tertulliani verba:

ba: *Quis Deus novus* (ait lib. 1. contra Marcionem cap. 8.) *nisi falsus? ne Saturnum quidem tanta homo antiquitas Deum probabit, quia & illum novitas aliquando produxerit, cum primùm consecravit.*

CONCL. 2. Æternitas est ita propria Deo, ut nulli creaturæ communicari possit.

Probatur authoritate traditionis. *Primò*. Ex æternitate Verbi Patres sumpserunt argumentum, ut illius divinitatem contra Arianos assererent: atqui illud argumentum nullius omninò fuisset ponderis, si æternitas alicui enti creato convenire posset: *Habet ille* (inquit Athanasius in epist. ad Africanos, de Dei filio loquens) *æternitatem. Quæ creata sunt, æterna esse non possunt.*

Secundò. Tertullianus Hermogenem, cui visum est, materiam esse Deo coæternam, non alio refellit argumento, nisi quòd æternitas soli Deo convenire possit. *Quis enim* (ait lib. contra Hermogenem cap. 4.) *alius Dei census, quàm æternitas? quis alius æternitatis census, quàm semper fuisse & futurum esse, ex prærogativa nullius initii & nullius finis? hoc si Dei est proprium, solius Dei erit, cujus est propriissimum.*

Tertiò. Cuilibet enti, quod non sit Deus, essentiale est, ut creatum sit, seu, eductum ex nihilo: ergo nihilum præcedere debet existentiam cujuslibet entis creati: ergo nullum ens præter Deum potest æternum esse, cùm æternitas nihil aut tempore aut natura prius supponat. Athanasii est illud argumentum: *Res creatæ* (inquit apud Photium in secunda disputatione contra Arianos) *æternæ esse non possunt, quia ex non extantibus sunt, & non erant, antequam fierent.*

Quæres, an sit de fide, quòd æternitas creaturis communicari non possit?

Resp. æternitatem esse duplicem, independentem nimirùm & dependentem. Prior tum ex immutabilitate, tum ex infinitate, tum ex aseitate nascitur; altera verò cum mutabilitate, infinitate, & dependentia cohæret, saltem secundùm aliquos.

His præmissis, dicendum est, fide catholica certum esse, quòd prior æternitas ita Deo conveniat, ut nulli enti creato communicari possit, cùm nullum ens creatum possit fingi, & quod finitum, & mutabile, & dependens non sit. Dicendum est 2. non esse de fide, quòd altera æternitas creaturis communicari non possit: unde plures Thomistæ docent, mundum potuisse esse ab æterno secundùm entia successiva, hoc est, quorum unum ab alio generatur. Nixi sibi videntur illi Scriptores modo loquendi Patrum, qui quidem (inquiunt) de independente tantùm æternitate locuti sunt, cum dixere, Deo eam esse propriam. Ut autem suam explicationem confirment, laudant hæc Augustini verba tractatu 25. in Joannem: *Quid est ergo, quod ait Apostolus de Deo: Qui solus habet immortalitatem: nisi quia hoc apertè dixit, solus habet incommutabilitatem, quia solus habet veram æternitatem?*

QUÆSTIO VI.

De immensitate Dei.

Not. 1. IMmensitatis nomine intelligitur vis, seu aptitudo existendi in omnibus rebus, in omnibus locis; quæ vis, quæ aptitudo, ubi extabunt res, ubi loca existent, ad actum reducatur.

Not. 2. Duobus præsertim modi res aliqua potest esse in loco, nempè aut ratione substantiæ ut sol in cœlis, aut ratione virtutis, ut idem sol in visceribus terræ.

Not. 3. Aliud est rem esse in loco, & aliud ratio, per quam res in loco constituitur. Rem esse in loco, denotat substantiam, quæ est in loco: ratio verò, per quam est in loco, denotat formam, per quam in eo constituitur.

Not. 4. Locus duplex est, realis & imaginarius. Prior est idem cum quantitate reali, seu, est realis extensio in longum, latum & profundum. Posterior est spatium, quod non existit, nisi in solo apprehendentis ingenio.

Not. 5. His de immensitatis idea ac divisione præmissis, quæri potest 1. utrum Deus sit ubique præsens substantialiter, an verò per virtutem tantùm; 2. per quid formaliter constituatur in loco: 3. utrum sit in spatiis, quæ extra cœlos imaginamur: 4. quot modis à theologis dicatur esse in loco.

CAPUT I.

Utrum Deus sit ubique substantialiter præsens.

Not. 1. NOn una fuit de Dei immensitate philosophorum sententia. Platonici docuerunt, Deum in mundo esse, sicut nauta est in navi, quam regit. Stoicis visum est, eum esse extra cœlum, ac inde universi molem torquere. Loca quibus duplex illud factum oritur, legere est in Tertulliani Apologetico. Judæi rudiores censebant, Deum esse in solo Hierosolymorum templo: *Invisibilem, & incorporalem, & incomprehensibilem Deum* (inquit Hieronymus in c. 66. Isaiæ) *templo Hierusalem posse concludi censuerunt.* Vorstius Calvinista docuit, Deum in cœlo tantùm esse substantialiter præsentem; extra cœlos autem virtualiter. Augustinus Steuchus Eugubinus (vir alioquin catholicus) abiit in Vorstii sententiam: nam in hæc Psalmi verba: *Intellexisti cogitationes meas de longè*, sic loquitur: *Quanquam sit ab omnibus remotissimus, sedem enim habet celsissimam; perindè tamen omnia cernit, ac si præsens sit. Ac videbatur pariter mirabile ipsi Prophetæ, ut qui in oriente esset, videret quæ fierent in occasu: atque Deus regnans in altissima regione, videat subjectas terras.*

Not. 2. Quamvis fide certum sit, Deum esse ubique præsentem substantialiter; a nonnullis tamen dubitatur, an id argumentis e sola ratione petitis demonstrari possit; quænam ea de re sit mens nostra, subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Propositio, qua asseritur Deum non esse ubique substantialiter præsentem, est hæretica.

Probatur. Ea propositio est hæretica, quæ adversatur expressæ tum Scripturarum, tum Patrum definitioni: atqui propositio, de qua est quæstio, adversatur expressæ tum Scripturarum, tum Patrum definitioni: ergo est hæretica.

Minor propositio, quoad priorem partem sic ostenditur: Jeremiæ 23. hæc habentur: *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Numquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus*. In eo autem Prophetæ textù vox, *impleo*, intelligi non potest de mentis, aut voluntatis actione; ac proinde nec de sola Dei virtute, cum Dei virtus non aliud sit, quàm actio aut mentis aut voluntatis.

Hæc quoque leguntur Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades*. Eodem modo locus ille loquitur de præsentia Dei in inferis, quo de præsentia in cœlis: ergo, cum ex Adversariis, Deus sit in cœlis substantialiter præsens, est quoque substantialiter præsens in inferis, ac aliis omnibus locis.

Isaiæ cap. 66. hæc leguntur: *Hæc dicit Dominus: cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum*, Si ex eo loco colligatur, Deum esse substantialiter præsentem in cœlis, colligi quoque debet, illum eadem ratione esse præsentem in terris; nec enim Propheta aliquid profert, ex quo discrimen inferri possit: cum autem cœlum & terra sint, ut concipimus, orbis extrema, Isaias per Synecdochen totum universum complexus

xus

xus est: proindeque docere voluit, Deum esse ubique substantialiter præsentem.

Paulus Actor. 17. in Areopago sic differit: *Non longè est ab unoquoque nostrum: in ipso enim vivimus, movemur, & sumus*. In ea Apostoli argumentatione duo sunt membra; primum, Deum esse nobis substantialiter præsentem: *Non longè est ab unoquoque nostrum*; alterum, præsentiam illam substantialem probari posse ex Dei operatione in nobis: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus*.

Altera ejusdem minoris propositionis pars, seu adversari Patribus sententiam, quæ negat, Deum esse ubique substantialiter præsentem, variis momentis ostenditur.

Origenes hom. 12. in Genesim exponens, quis esset locus, in quem Rebecca abiisse dicitur, ut consuleret Dominum, sic loquitur; *Quò abiit? Ex eo loco, in quo non erat Dominus, abiit ad eum locum, in quo erat? nonne ubique Dominus.? nonne ipse dixit: Cælum & terram ego impleo?*

Athanasius orat. 3. contra Arianos asserit, stultum esse ac impium quærere: *Ubi sit Deus*. Non esset tamen aut impium aut stultum, si Deus non sit ubique substantialiter præsens. Athanasio subscribit Basilius: *Ubique simul*, inquit contra Arianos agens, *extensam filii hypostasim reperies*. Basilio igitur persuasum fuit, Verbum omnia replere, non tantùm per suam potentiam, sed etiam per hypostasim, ac proinde per naturam, cum natura in Filio ab hypostasi substantialiter non distinguatur.

Hieronymus in comment. ad Isaiæ cap. 66. docet, hæc verba: *Cælum sedes mea*, à Propheta scripta fuisse, ut argueret Judaicum errorem, quem nota 1. huicce capiti præfixa retulimus. Augustini Epistola 57. tota est, ut dogma, de quo agitur, explicetur: *Substantialiter* (ait) *Deus ubique diffusus*.

Ex iis autem Antiquorum textibus evidenter patet, veterem Ecclesiam unanimi consensu docuisse Deum, non virtute tantùm, sed etiam substantia esse ubique præsentem.

Objicies 1. Scripturæ passim asserunt, Deum in cœlis esse, non autem in terris; *Cælum cæli Domino* (verba sunt Psal. 103.) *terram autem dedit filiis hominum*. At falsum id esset, si supponatur ubique substantialiter præsens: siquidem secundùm substantiam non minùs foret in terris præsens, quam in cœlis.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. disting. ant. Non minùs foret præsens in terris secundùm substantiam, quam sit in terris, conc. ant. secundùm modum substantiæ, neg. ant. nam in cœlis Deus, non autem in terris, ut solent homines, gloriam suam manifestat. *Ille locus* (inquit Damascenus lib. 1. cap. 16) *magis particeps est operationis istius, & gratiæ*: Præterea dici potest cum Athanasio lib. 1. contra Sabell. textum illum non debere propriè sumi, sed metaphoricè; seu sic locutus est David, ut Dei majestatem, & hominum humilem statum exprimeret.

Objicies 2. SS. Patres multa dixerunt, quibus evinci videtur, quòd Deus non sit ubique substantialiter præsens. Augustinus lib. 83. quæst. asserit, Deum *nusquam* esse. Chrysostomus hom. 5. in Epist. ad Colossens. scribit eum *nullibi* esse.

Resp. ea & similia Patrum loca, quæ quidem hic brevitatis causa prætermittimus, intelligi de præsentia definitiva, quæ convenit spiritibus creatis, per quam nimirùm ens aliquod ita est in uno loco, ut non sit alibi; vel exponi debent de præsentia circumscriptiva, quæ propria est corporibus, hoc est, per quam ens coextenditur variis alicujus spatii partibus: *Non cum omnibus extensus complet omnia Deus* (ait Athanasius, adversùs Sabellianos agens) *hoc enim corporeum est, ut si quis aerem diceret implevisse, quidquid inter cælum & terram interjacet*.

Objicies 3. Absurdum est asserere, Deum esse substantialiter præsentem in damnatis, dæmonibus, & locis maximè sordidis: id tamen asseri deberet in systemate, quod in conclusione propugnatur.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia si quid obstaret, ne Deus sit substantialiter præsens in locis, quorum in objectione fit mentio, esset periculum contrahendi aut dæmonum malitiam, aut locorum sordes; sed fictitium est illud periculum; nam quemadmodum solis lumen nulla ratione lutulentis locis læditur: ita nec Dei sanctitas dæmonibus, licèt illis sit substantialiter præsens.

CONCLUSIO 2. Ratione naturali demonstrari potest, Deum esse ubique substantialiter præsentem.

Probatur 1. Ratione naturali demonstrari potest, Deum esse infinitum, æternum, illius operationem esse idem cum illius substantia: ergo demonstrari quoque potest, eum esse immensum. Probatur conseq. *Primò*, Non est potior ratio, cur Deus sit infinitus secundùm essentiam, quam secundùm præsentiam substantialem. *Secundò*, Non est quoque potior ratio, cur Deus sit substantialiter in omnibus temporibus existens, & non substantialiter præsens in omnibus locis. *Tertiò*. Deus operatur ubique, quippè nullum est ens, quod ab eo non conservetur: ac proindè Deus est ubique per operationem: ergo & per substantiam, cum in Deo operatio entitative sumpta, sit omninò idem cum illius natura: *In simplici & corporis experte natura eadem est* (inquit Basilius lib. 5. adversùs Eunomium) *ratio substantia & actionis*.

Confirmatur argumentum ex Scriptura. Psalmo 138. Propheta regius substantialem Dei ubique præsentiam infert ex operatione, quam exercet ubique: *Si ascendero* (inquit) *in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Paulus actor. 17. ut probet, Deum non longè esse ab unoquoque nostrum, illius operatione tanquam certissimo medio utitur: *In ipso enim* (inquit) *vivimus, movemur, & sumus*.

Objicies 1. Ex actione Solis in visceribus terræ colligi non potest, quòd iis in locis sit substantialiter præsens: ergo neque ex eo, quòd Deus operetur ubique, colligi potest, eum esse ubique substantialiter præsentem. 2. Ex actione Christi per sacramenta novæ legis, malè inferretur, illius humanitatem esse substantialiter præsentem in aliis ab Eucharistia sacramentis: ergo, &c.

Resp. concessa utraque antecedentis parte, neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia tum sol, tum Christi humanitas agunt per virtutem a se ipsis distinctam, ac proindè mirum non est, quòd ex illorum operatione non rectè colligatur eorum substantialis ubique præsentia: è contra Dei virtus ab ipsa Dei substantia nequaquam actu distinguitur; proindèque fieri non potest, ut alicubi operetur, quin ibi sit substantialiter præsens.

CAPUT II.

Per quid Deus constituatur formaliter in loco.

Not. Circa propositam quæstionem duæ sunt Authorum sententiæ. Thomistæ docent, Deum esse formaliter in loco per solam operationem ad extra; inde verò concludunt demonstrationem, quæ pro Dei præsentia ex illius operatione petitur, esse demonstrationem a priori, seu per causam. Aliis verò theologis placet, Deum esse præsentem in loco per sui indistantiam à rebus creatis: hinc autem inferunt demonstrationem, quæ pro Dei præsentia petitur ex illius operatione, esse demonstrationem à posteriori, hoc est, per effectum.

CONCLUSIO. Deus constituitur formaliter præ-

præsens in loco per operationem ad extra.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ ubi loquitur de præsentia Dei in rebus, semper eam exprimit per Dei operationem ad extra: *Non longe est ab unoquoque nostrum* (inquit Apostolus) *in ipso enim vivimus, movemur & sumus.* Hæc etiam leguntur Psal. 138. *Si sumpsero pennas meas diluculè, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Unde sic conficitur argumentum: Per id Deus constituitur formaliter in loco, per quod Scriptura substantialem illius præsentiam in rebus exprimit: Atqui Scriptura, ut ex locis mox laudatis patet, eam exprimit per operationem ad extra: ergo, &c.

Probatur 2. ex Patribus. Afferunt nimirùm *primò*, ideò Deum in omnibus rebus æqualiter non esse, quòd in eis æqualiter non operetur: ita ratiocinatur Gregorius Magnus hom. 8. in Ezechielem. Ex eo autem effato Scolastici concludunt, Deum non moraliter tantùm, sed etiam physice esse magis præsentem in justis, quàm in impiis: nam in istis (inquiunt) operatur tantùm ea, quæ ad naturam spectant; in illis verò operatur insuper ea, quæ ad gratiam pertinent. Afferunt *secundò*, præsentiæ substantialis modum reduci ad vim & potestatem, quas ubique Deus exercet: *Cæterum* (inquit Tertullianus lib. contra Praxeam, cap. 23) *scimus Deum etiam intra abyssos esse, & ubique consistere, sed vi & potestate.* Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæst. 1. expendens hæc Scripturæ verba: *Spiritus Dei ferebatur super aquas,* ait, quòd superferebatur, non *locorum gradibus, intervallisque spatiorum, sed excellentia & eminentia dominantis super omnia voluntatis.* Ex iis autem locis sic conficitur argumentum. Ille est ubique formaliter præsens per operationem, qui secundùm majorem vel minorem operationem dicitur esse magis, vel minùs præsens in loco. Atqui (ut patet ex laudatis Patrum textibus) Deus ratione majoris vel minoris operationis dicitur minùs vel magis præsens in rebus: ergo &c.

Probatur 3. variis rationibus. 1. Se habet extrinseca Dei operatio respectu Dei, sicut dimensio respectu corporis: atqui corpus est formaliter in loco per dimensionem, seu, per quantitatem: ergo & Deus per operationem extrinsecam. Major propositio est Gregorii Magni, qui ubi hom. 8. in Ezechielem asseruit, *Deum ubique esse, & ubique totum esse,* mox subjungit, eam Dei præsentiam esse per divinæ virtutis contactum: *Omnia tangit* (inquit) *nec tamen æqualiter tangit. Quædam tangit ut sint: quædam tangit ut sint, & vivant; quædam tangit ut sint, vivant, & sentiant; quædam tangit ut sint, vivant, sentiant, & discernant.* Similia apud alios Patres legere est. 2. Deus non est in rebus *præcisè* ratione suæ essentiæ, quia essentia est ab æterno, licet Deus ubique non sit ab æterno. Non est quoque in rebus *præcisè* ratione infinitatis, quippe infinitas non minùs est æterna, quam essentia; nec etiam ratione indistantiæ; siquidem indistantia & contactus sunt omninò idem; ergo, cum rei spiritualis contactus sit illius operatio ad extra, Deus est indistans a rebus; ac proinde substantialiter in eis præsens, prout in eis operatur.

Objicies 1. Deus est ubique eo quòd sit immensus; atqui est immensus, quamvis actu nihil operetur ad extra; ergo est ubique formaliter præsens independenter ab actuali operatione.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia immensitas non consistit in actuali Dei præsentia in rebus, sed tantùm in aptitudine, quam habet, ut in illis existat; unde si immensitas per actualem operationem ad extra non reducatur ad actum, non efficiet, ut Deus ubique sit substantialiter præsens.

Objicies 2. Deus non est formaliter alicubi præsens per id, quod in priori temporis, aut saltem naturæ, supponit illius præsentiam; Atqui Dei in rem aliquam operatio supponit illius in ea re præsentiam; siquidem prius est, rem esse alicubi, quam ibi operari; si enim concipiatur operari ubi non est, concipietur agere in distans, hoc est, in subjectum, cui nulla ratione conjungitur.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. nego, quòd prius sit, rem spiritualem alicubi esse præsentem, quam ibi operari. Ad 3. neg. quòd inde sequatur, rem spiritualem agere in distans. Ratio est, quia per suam actionem intime conjungitur rei, in qua agit. Hinc fit, ut *in ordine locandi*, verba sunt Cajetani, prior sit rei spiritualis operatio, quam substantia, quamvis *in ordine essendi* prior sit substantia, quam operatio. Confirmatur ex eo, quòd licet Deus non esset in rebus, antequam eas eduxisset ex nihilo, in eis tamen operatus sit, dando nimirùm & conferendo esse, quo fruuntur.

Objicies 3. Necessarium non pendet ab eo, quod est liberum: Atqui præsentia Dei in rebus est aliquid necessarium, operatio verò in iisdem rebus est libera: nam, licèt fieri non possit, ut Deus non sit in rebus, fieri tamen potest, ut in eis non operetur: ergo formalis præsentia Dei in rebus, non pendet ex illius operatione in iisdem rebus.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. disting. ant. fieri non potest, ut Deus aptitudine & potentia non sit præsens in rebus, conc. ant. id enim exigit illius immensitas: ut actu non sit in rebus, neg. ant. siquidem cum possit temperare ab earum conservatione, potest quoque in eis non operari.

CAPUT III.

Utrum Deus sit substantialiter præsens in spatiis imaginariis.

Not. 1. PEr spatia imaginaria intelliguntur ea, quæ extra cœlos concipiuntur: nam sicut cogitamus extitisse quandam vacuitatem, in qua mundus conditus sit; sic extra cœlos inania fingimus spatia, in quibus alia entia creari possunt.

Not. 2. Duplex in rebus præsentia distinguitur, actualis & potentialis. Prior est ea, per quam res actu, & de facto est in loco; altera verò, per quam res non est quidem actu in loco, sed potest in eo esse.

Not. 3. Conveniunt omnes theologi, Deum præsentia potentiali & aptitudinali esse substantialiter in spatiis imaginariis præsentem, sed non conveniunt, an actu in eis sit. Qui censent, ea spatia existere independenter ab operatione intellectus, docent, Deum in illis spatiis esse substantialiter præsentem. Qui verò censent, ea spatia realiter non esse extra cœlos, sed tantùm in imaginatione cogitantis, contendunt, Deum in iis non esse præsentem substantialiter.

CONCL. Deus non est substantialiter præsens in spatiis imaginariis.

Probatur 1. ex S. Patribus. Patres interrogati, ubinam esset Deus, antequàm mundum creasset, nusquam responderunt, eum fuisse in spatiis imaginariis, sed tantùm in se ipso: *Ante omnia* (inquit Tertullianus lib. adversùs Praxeam c. 5.) *erat Deus solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia.* Minucius Felix in Octavio eadem ratione loquitur: *Palam est* (ait) *quòd ante mundum Deus fuerit ipse pro mundo.* Augustinus exponens hæc verba Psal. 122. *Qui habitat in cælis*, sibi hancce quæstionem proponit: *Antequam faceret Deus cælum & terram, ubi habitabat?* sic verò respondet: *In se habitat Deus, apud se habitabat, & apud se est Deus.*

Probatur variis rationibus. Esse in aliquo loco, est illi coexistere: atqui Deus non coexistit spatiis imaginariis: siquidem coexistentia supponit existentiam eorum,

quæ sibi invicem coexistunt; sed spatia imaginaria nullam habent existentiam, quippè quæ sint mera errantis imaginationis figmenta, ut hisce verbis declarat Augustinus lib. 7. Confess. cap. 1. *Ita te vitam vita mea grandem per infinita spatia undique cogitabam penetrare totam mundi molem, & extra eam quaquaversum per immensa sine termino, ut haberet te terra, haberet cœlum, haberent omnia, & illa finirentur in te, tu verò nusquam. Ita suspicabar, quia aliud cogitare non poteram, nam falsum erat.*

Præterea Deus, ut superiùs dictum est, non est substantialiter actu præsens alicui, nisi per suam operationem ad extra: ergo, cum extra cœlos nihil extrinsecum operetur, extra eos non potest esse substantialiter præsens.

Objicies 1. Qui non continetur hoc mundo, est extra mundum, ac proindè in spatiis imaginariis: atqui Deus non continetur hoc mundo: *An non cogitas* (inquit Scriptura, Job. 22. cap. 1.) *quòd Deus excelsior cœlo sit, & supra stellarum verticem sublimetur?* Isaias idem innuit cap. 4. ubi asserit, quòd Deus omnia pugillo vel palmo contineat: *Quis* (inquit) *mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ?* Ergo, quemadmodum homo aliquid manu ponderans, est extra rem, quam ponderat, & res ipsa est extra manum ponderantis; sic Deus est extra hoc universum: proindeque universo nequaquàm continetur.

Resp. dist. maj. Qui non continetur hoc mundo, est extra ipsum, in potentia, conc. maj. actu, neg. maj. Et concessa min. disting. pariter conseq. Ergo Deus est extra mundum, in potentia conc. conseq. actu, neg. conseq. Cum Scriptura docet, Deum mundo non contineri, hoc unum vult, Deum præter locum, quem habet in mundo, esse actu in semetipso, & in potentia ubi nullæ sunt creaturæ: ibi enim potest creaturas producere, quemadmodum produxit in vacuitate, in qua fingimus, mundum fuisse a Deo constitutum.

Objicies 2. Augustinus lib. 11. de Civitat. Dei cap. 5. docet *primò*, quòd sint aliqua spatia imaginaria: *Cogitent extra mundum infinita spatia locorum*. Docet 2. eos in vaniloquium progredi, qui asserunt, Deum *à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse*: ergo, ex Augustino, Deus est in spatiis imaginariis.

Resp. dist. ant. Augustinus docet, quòd sint spatia imaginaria, & quòd Deus in illis sit in sententia Philosophorum, quos impugnat, conc. ant. in rei veritate & in propria Augustini sententia, neg. ant.

S. Doctor eo loci solvit argumentum, quo Philosophi conabantur probare, mundum esse ab æterno: hujusmodi verò erat illud argumentum: *Si mundus non sit ab æterno, infinita tempora præcesserunt illius productionem: Sed id absurdum est: alioquin enim dicendum foret, Deum infinitis illis temporibus otio torpuisse.* Illud autem argumentum sic Augustinus impugnat: Si Deus per infinita tempora sit operatus, infinita fingi debebunt spatia, in quibus operatus fuerit; ac proinde non unus, sed infiniti mundi existabunt: quemadmodum igitur absurdum est infinita illa spatia cogitare, in quibus Deus de facto operatus sit, ita absurdum est fingere infinita tempora, in quibus fuerit operatus: *Nam* (verba sunt Augustini) *si infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non videtur, Deus ab opere cessare potuisse; similiter ergo cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse vacare omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogatur .... Quòd si dicant, inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit præter mundum, respondetur eis, isto modo inaniter homines cogitare præterita tempora vacationis Dei, cum nullum tempus sit ante mundum.*

Objicies 3. Si Deus non esset substantialiter præsens spatiis imaginariis, mutaretur, ubi in iis aliquod ens produceret: siquidem acquireret novam realem denominationem, præsentiæ nimirùm, quam antea non habuisset: nova verò denominatio realis fit per formam de novo advenientem subjecto, de quo prædicatur.

Resp. dist. ant. Deus acquireret novam denominationem extrinsecam, conc. ant. intrinsecam, neg. ant. Denominatio præsentiæ in loco est denominatio extrinseca, quæ quidem in Deo nihil aliud dicit, quam operationem, per quam aut producit, aut conservat subjectum, cui est præsens. Hinc autem patet, formam, per quam Deus de novo denominatur præsens, in Deo non recipi, sed tantùm in creatura, in quam agit.

Objicies 4. Nonnulla sequuntur absurda ex sententia, quæ negat, Deum esse substantialiter præsentem spatiis imaginariis. Nam sequitur 1. divinam substantiam posse a semetipsa dividi: nempè, si duo corpora a se invicem distantia produceret in spatiis imaginariis, esset intimè præsens duobus illis corporibus, & tamen non esset in spatio, quod inter duo illa corpora interjectum esset. Sequitur 2. Dei substantiam moveri, saltem per accidens, ad motum corporis, cui esset intime præsens; sicut nauta movetur ad motum navis, quam regit.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dicendum est, in allata suppositione, Deum non fore actu præsentem spatio, quod medium esset inter duo corpora producta in spatiis imaginariis, sed negandum est, quòd inde sequatur, divinam substantiam fore a se ipsa divisam. Ratio est, quia substantia spiritualis non censetur divisa ex eo, quòd divisi sint illius effectus: at cum actu est præsens duobus corporibus a se invicem distantibus, & tamen non est præsens medio, accidit tantùm, ut illius effectus sint divisi, seu accidit, ut operetur in duobus corporibus a se invicem distantibus, licèt in spatio intermedio non operetur.

Ad 3. respondendum est, non sequi, Deum per accidens moveri. Ratio est, quia ad motum etiam per accidens, requiritur, ut ens, quod dicitur moveri, accedat ad terminum, in quo non est & ad quem tendit: sic cum dextra manus applicatur sinistræ, anima non dicitur moveri, quia non accedit ad terminum, in quo prius non esset; ergo, cum Deus definitivè non sit in uno corpore, sed præterea sit simul in omnibus aliis, non censetur accedere ad alia corpora, proindeque nec ad illa moveri.

CAPUT IV.

Quomodo Deus sit ubique præsens.

Not. 1. Res potest esse in loco tribus modis, repletivè nimirùm, definitivè, circumscriptivè. Esse in loco repletivè, est rem aliquam ita replere locū, ut tamen eo nec ambiatur, nec terminetur. Esse in loco definitivè, est rem totam esse in toto, & totam in qualibet parte loci; sed ita ut loco ambiatur, & terminetur, seu non sit extra locum. Esse in loco circumscriptivè, est, rem ita occupare locum, ut ratione suarum partium variis loci partibus respondeat.

Not. 2. Certum est, Deum non esse in loco circumscriptivè; neque enim quantitatis adinstar habet partes, ratione quarum variis loci partibus respondeat: *Quanquam* (ait Augustinus Epist. 57.) *in eo ipso, quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens à sensibus corporeis avocanda, ne quasi spatiosa magnitudine opinemur, Deum per cuncta diffundi, sicut fumus, aut aer, aut lux ista diffunditur. Omnis enim hujusmodi magnitudo minor est in sui parte, quàm in toto; sed ita potius sicuti est magna sapientia, etiam in homine, cujus est corpus parvum.*

Not. 3. Certum est quoque, Deum non esse in

loco

loco definitivè, ut sunt Angeli: nempe divina immensitas exigit, ut Deus sic existat in uno loco, ut eo minimè terminetur: *Quid est omnipotens Deus* (inquit Augustinus serm. 1. de verbis Apostoli) *quid? nisi inæstimabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, ultra omnia, extra omnia, præter omnia?*

Not. 4. Certum est etiam, Deum esse in omnibus locis repletivè, quippè totus est in toto loco, & totus in qualibet parte loci, ita tamen, ut sit etiam extra omnem locũ; & quidem apud semetipsum & in se ipso, ubi erat tantùm, antequam aliquæ creaturæ eductæ fuissent ex nihilo: *Alias verò* (ait Bernardus lib. 5. de Considerat. c. 5.) *ubi erat antequam mundus fieret, ibi est. Non est, quòd quæras altra, ubi erat. Præter ipsum, nihil erat: ergo in se ipso erat.*

Not. 5. Qua ratione Deus ubique sit repletivè explicat S. Thom. cùm asserit, Deum esse ubique per essentiam, per potentiam, per præsentiam. Nonnulli sunt Scholastici, quibus post Durandum non probatur traditus ille à S. Thoma loquendi modus: quid autem nos de eo sentiamus, subsequens aperiet conclusio.

CONCLUSIO. S. Thomas meritò docuit Deum esse ubique præsentem per essentiam, per potentiam, per præsentiam.

Probatur. *Primò*. Ille est præsens per essentiam, cujus substantia cuique adest loco, atqui (ut contra Vorstium Calvinistam ostensum est) Dei substantia cuique adest loco. *Secundò*. Ille est ubique per potentiam, qui operatur in quocumque loco reali, & potest operari in imaginario, sed Deus operatur in quocumque loco reali, cum ibi creaturam conservet suam, potestque in spatiis imaginariis operari ratione suæ immensitatis, ut supra demonstratum est. *Tertiò*. ille est ubique per præsentiam, cujus cognitioni omnia nuda sunt ac aperta; atqui Dei cognitioni omnia nuda sunt ac aperta: *Procedis?* (ait Augustinus serm. 46. de verbis Domini) *videris. Intras? videris. Lucerna extincta est? videris. Cubile ingrederis? videris. In corde versaris? videt te.*

Objicies. Si cognitio, quam Deus habet de re aliqua, satis sit, ut dicatur esse in illa re, dici poterit, eum esse in rebus merè possibilibus, cum res possibiles non minus noverit, quam existentes; quod tamen est absurdum.

Resp. dist. ant. Dici poterit, quòd sit *secundùm quid* in rebus possibilibus, conc. ant. quòd sit in eis *simpliciter*, neg. ant. Esse simpliciter in rebus, est esse in eis substantialiter, quo quidem modo constat, Deum non esse in creaturis possibilibus. Esse verò secundùm quid, est esse secundùm aliquam virtutem, quæ quidem est aut scientia, aut omnipotentia; unde rectè dicitur, quòd Deus sit in creaturis possibilibus, modò addatur *per præscientiam*, aut *per omnipotentiam*.

Quæres, an præter triplicem illum modum, quo Deus à S. Thoma dicitur ubique præsens, sint aliqui alii speciales, quibus sit præsens creaturæ rationali?

Resp. affirmativè. Nam 1. in hominibus justis Deus est præsens per gratiam, aliaque dona supernaturalis ordinis. 2. Deus est per unionem hypostaticam in humanitate, quam Verbum per incarnationem assumpsit.

QUÆSTIO VII.

De perfectione Dei.

Not. 1. PErfectum id dicitur, quod habet omnes perfectiones, quæ suo esse conveniunt. Illud autem est perfectius, quod ex natura sua plures perfectiones exigit, quàm aliud.

Not. 2. Ut cum methodo ea pertractentur, quæ ad Dei perfectionem pertinent, quatuor expendenda sunt; 1. utrum Deus sit simpliciter & absolutè perfectus; 2. quomodo contineat rerum omnium perfectiones; 3. utrum simul cum creaturis conceptus sit extensivè perfectior, quam cum solus, hoc est, à creaturis præcisus, consideratur.

CAPUT PRIMUM.

Utrum Deus sit simpliciter, & absolutè perfectus.

Not. ILlud est discrimen inter perfectum simpliciter, & perfectum secundum quid, quòd illud sit in omni genere perfectum; istud verò in aliquo tantùm genere, ut in esse bonitatis, in esse justitiæ.

CONCLUSIO. Deus est simpliciter & absolutè perfectus.

Probatur 1. Ille est simpliciter & absolutè perfectus, in quo est plenitudo totius esse; atqui in Deo est plenitudo totius esse: ergo Deus est simpliciter & absolutè perfectus. Major propositio certa est, quia is, in quo est plenitudo totius esse, habet omnes omninò perfectiones; cum perfectiones nihil aliud sint, quam quædam participationes ipsius esse. Minor verò, in qua posita est difficultas, variis argumentis ostenditur. *Primò* Scriptura sic Deum Moysi loquentem inducit: *Ego sum qui sum*: sic etiam inducit Moysem Dei vice Israelitas alloquentem: *Qui est, misit me ad vos*: quasi dixisset: *Ego qui sum ipsummet esse, præter quem nihil est, &c.* 2. Damascenus lib. 4. de fide Orthodoxa cap. 12. asserit videri *omnium, quæ de Deo dicantur, nominum maximè proprium ens*: idque confirmat mox allato Scripturæ testimonio: *Quemadmodum Moysi respondens in monte dixit: Dic filiis Israel: Qui est, misit me. Totum enim in se ipso comprehendens habet esse, velut quoddam essentiæ pelagus infinitum, & interminatum.* 3. Si in Deo non esset plenitudo totius esse, non esset Deus, quippè cogitari posset aliquod ens illo melius; illud nimirùm, in quo plenitudo totius esse reperiretur.

Probatur 2. Ille est simpliciter & absolutè perfectus, qui est infinitus in omni prorsùs genere: atqui Deus est infinitus in omni prorsùs genere: ergo Deus est simpliciter & absolutè perfectus. Major est evidens; nam qui infinitus est in omni genere, est infinitus in esse, in bonitate, in sapientia, & omnibus omninò perfectionibus: unde probatur minor. 1. Deum esse infinitum in genere entis, constat ex eo, quòd (ut jam dictum est) in eo sit plenitudo totius esse. 2. Eum esse infinitum in omnibus modificationibus entis, seu in omni existendi modo, demonstratur ex eo, quòd modificationes, seu differentiæ, seu perfectiones entis verè sint ens, cum non sint nihil; ac proinde continentur in eo, quod est infinitum in ratione entis: nam infinitum in aliquo genere includit ea omnia quæ sub illo genere continentur, infinitum v. g. in sapientia includit omnem omninò, tum existentem, tum possibilem sapientiam.

Probatur 3. Ille est simpliciter & absolutè perfectus, qui totus est in actu: atqui Deus totus est in actu: ergo est simpliciter & absolutè perfectus. Major patet, quia enti, quod est totum in actu, nihil omninò deest; si enim ei quidpiam deesset, foret in potentia ad id, quod deesset: proindeque non esset totum in actu, sed esset mixtum ex actu & potentia. Minor non minùs est evidens; nam, ut supra ostensum est, Deus est actus summè purus, & consequenter est expers cujuslibet potentialitatis: totus igitur est in actu.

CAPUT II.

Quomodo Deus contineat rerum omnium perfectiones.

Not. 1. DUplex est genus perfectionis. Quædam dicitur *simpliciter simplex*, alia verò dicitue perfectio *secundùm quid*. Prior est ea, quæ in suo conceptu formali nullam imperfectionem includit, nec excludit aliam perfectiorem: hujus generis sunt sapientia, bonitas, vita, &c. Posterior, aut quidpiam imperfectum includit in suo conceptu, aut aliquid aliud perfectius excludit: hujusmodi sunt motus, discursus, & omnes creaturarum differentiæ, tum specificæ, tum numericæ. Desumpta est ea distinctio ex Anselmo, qui in Monologio cap. 14. docet, quasdam esse perfectiones, quæ meliores sunt ipsæ quam non ipsæ: quasdam vero, quæ non meliores sunt ipsæ quam non ipsæ.

Not. 2. Perfectio potest in aliquo subjecto contineri tripliciter, nimirùm formaliter, eminenter, virtualiter. Ea continetur formaliter, quæ continetur secundùm propriam formam: sic rationale formaliter continetur in homine. Illa verò eminenter continetur, quæ nobiliori modo continetur, quam in subjecto, in quo reperitur secundùm propriam suam formam. Tandem ea perfectio continetue virtualiter, quæ ipsa quidem non est in subjecto, sed est alia æquivalens, quæ illius sit causa; sic planta in semine continetur.

CONCLUSIO 1. Perfectiones creaturarum simpliciter simplices, in Deo formaliter continentur.

Probatur. Quod in suo conceptu, hoc est in idea, quam exbibet menti, dicit aliquam perfectionem, nec excludit aut majorem aut æqualem, continetur formaliter in Deo: atqui creaturarum perfectiones simplicitee simplices in suo conceptu (ut observatum est) dicunt aliquam perfectionem, nec excludunt aut majorem aut æqualem: ergo sunt formaliter in Deo.

Major est evidens, quia (ut demonstratū est superiori Capite) Deus omnes omninò perfectiones includit: ergo includit esse formale omnium perfectionum, si illud esse formal, hoc est, si forma illarum perfectionum sit aliqua vera perfectio: Minor verò constat ex definitione perfectionnm simpliciter simplicium. Hincque patet ratio, cur illæ perfectiones de Deo formaliter prædicentur: sic dicitur, quòd Deus sit formaliter justus, sapiens, bonus, ita tamen ut illæ formæ non sint in ipso accidentia, sicut in creaturis; hincque fit, ut in eo sint non tantùm formaliter, sed etiam eminenter, seu nobiliori modo, quam sint in creaturis.

CONCLUSIO 2. Creatuearum perfectiones simplices secundùm quid, non sunt in Deo formaliter, sed eminenter.

Probatur prior conclusionis pars. Quod in suo concéptu, seu in sua idea, dicit aliquid imperfectum, non continetur formaliter in Deo: Sed perfectiones simplices secundùm quid dicunt aliquid imperfectum: ergo non continetur formaliter in Deo.

Major patet, cùm Deus sit ens, quo melius ac perfectius cogitari non potest. Unde sic minor ostenditur, *Primò*. Perfectiones simplices secundùm quid non sunt (ut utar Anselmi verbis) meliores ipsæ, quam non ipsæ, & præterea excludunt majorem aut æqualem perfectionem: sic discurrere, cum sit illatio unius ab alio, excludit perfectiorem modum cognoscendi: sic etiam motus excludit subjectum, quod sit mere spirituale, quippè motus non alteri quam corpori convenit. *Secundò*. Perfectiones, de quibus agitue, non possunt de Deo prædicari secundum propriam suam formam; sic Deus non potest absolutè dici aurum, vel Angelus, vel corpus: atqui quod absolutè de Deo non dicitur, sumptum secundùm propriam suam formam, importat imperfectionem: ergo, &c.

Probatur altera conclusionis pars. Contineri eminenter (ut patet ex observatis) est contineri nobiliori modo, quam in subjecto, in quo reperitur secundùm propriam suam formam: atqui perfectiones simplices secundùm quid, in Deo continentur nobiliori modo, quam in subjecto, in quo reperiuntur secundùm propriam suam formam: ergo in eo eminenter continentur.

Minor propositio sic probatur. Perfectiones, de quibus est quæstio, continentur in Deo secundùm id omne, quod habet rationem boni, veri, ac pulchri: quippè Deus est causa tum efficiens tum exemplaris cujuscumque boni, cujuscumque veri, cujuscumque pulchri: ergo quodcumque in Dei effectibus habet rationem aut boni, aut veri, aut pulchri, in Deo præexistit, quia quælibet causa debet suum effectum præcontinere: in Deo autem illæ perfectiones non continentur secundùm defectum, quem in sui idea includunt, cum Deus capax non sit ejusmodi defectus: ergo nobiliori modo, ac proinde eminenter, in Deo præexistunt.

Confirmatur argumentum authoritate S. Augustini lib. 1. de Trinitate cap. 1. sic loquentis: *Sic intelligamus Deum, si possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnū, sine indigentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione mutabilia facientem, nihilque patientem. Quisquis Deum ita cogitat, etsi nondum possit omnino invenire, quid sit, piè tamen cavet, quantum potest, aliquid de eo sentire quod non sit.* Omnia igitur, remoto, quo in creatura sunt, imperfecto modo, Deo (ex Augustini mente) conveniunt; ac proinde in eu sunt, non formaliter quidem, ut ostensum est, sed eminenter tantùm.

CAPUT III.

Utrum Deus simul cum Creaturis conceptus, sit perfectior, quàm cum solus concipitur.

Not. 1. CErtum est, Deum cum creaturis conceptum non esse quid perfectius intensive, quàm si seorsim concipiatur: nam ut quid sit intensive perfectius, requiritur, ut majorem perfectionum numerum, aut plures ejusdem perfectionis gradus contineat; atqui Deus cum creaturis simul conceptus non continet majorem perfectionum numerum, aut plures ejusdem perfectionis gradus, quam si solitarie consideretur; siquidem (ut superiori Capite demonstratum est) nulla omninò est in creaturis perfectio, quæ in Deo non sit, & quidem nobiliori modo, quam in creaturis.

Not. 2. Durandus, nonnullique alii Scholastici censent, Deum cum creaturis consideratum, esse extensive perfectiorem, quam si ipse solus & solitarie consideretur; negant verò passim Thomistæ cum Angelico Doctore 1. 2. q. 34.

Not. 3. Difficultas, quæ proposita fuit in titulo, moveri quoque potest de personis SS. Trinitatis; seu quæri potest, utrum tres personæ SS. Trinitatis simul conceptæ, sint extensivè perfectiores una, quæ solitarie & seorsim concipiatur.

CONCLUSIO 1. Deus simul cum creaturis conceptus, non est extensivè perfectior, quam cum seorsim concipitur.

Probatur 1. Augustinus tractatu 11. in Joannem sic loquitur: *Si fueris sine Deo, minor eris: Si fueris cum Deo, major Deus non erit. Non ex te ille major, sed tu sine illo minor.*

Probatur 2. Ut Deus simul cum creaturis conceptus esset, etiam extensive, perfectior, requireretur, ut creaturarum perfectiones additæ Dei perfectionibus

majo.

majorem numerum facerent : atqui in illa hypothesi non facerent numerum majorem : nam finitum in aliquo genere additum infinito in eodem genere non facit majorem numerum, quia illud finitum continetur in infinito : ſed perfectiones creaturarum ſunt finitæ, Deus verò eſt infinitus in eodem perfectionum genere , quod reperitur in creaturis: ergo &c.

Objicies. Perfectiones creaturarum numericè diſtinguuntur a Dei perfectionibus; nam ſapientia creaturæ non eſt Dei ſapientia : ergo, ſi illæ perfectiones addantur Dei perfectionibus , facient numerum majorem: nam duo diſtincta, ſi ſibi invicem addita fuerint, faciunt majorem numerum ; proindèque majorem extenſionem, quippe major extenſio reſultat ex majori unitatum numero.

Reſp. ad 1. neg. conſeq. Ad 2. diſt. ant. Duo diſtincta, ſibi invicem addita, faciunt majorem numerum, ubi unum non continetur in alio, conc. ant. ubi in alio continetur, neg. ant. Solutio patet ex iis, quæ ſuperiùs dicta ſunt.

CONCLUSIO 2. Una SS. Trinitatis perſona ſeorſim conſiderata, non minùs eſt perfecta, quam ſi cum aliis ſimul ſpectetur.

Probatur authoritate Auguſtini, qui lib. 6. de Trinit. cap. 8. ſic loquitur : *Tantus eſt ſolus Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater & Filius & Spiritus Sanctus.*

Nec dici poteſt, Auguſtinum loqui de perfectione intenſivè ſumpta , non autem de perfectione , quæ extenſivè tantùm ſumitur : Nam, ſi una perſona cum aliis concepta aliquid perfectionis adderet , Pater ſeorſim conſideratus, non eſſet tantus, quantus eſt, ſi ſimul cum Filio & Spiritu Sancto perpendatur : quod tamen conceptis verbis negat Auguſtinus.

Confirmatur argumentum. Id quod majus eſt, etiam extenſivè, eſt melius, ſeu majus bonum, quam id quod eſt extenſivè minus : *In iis* (ait Auguſtinus) *quæ non mole magna ſunt, hoc eſt majus eſſe, quod eſt melius eſſe.* Atqui dici non poteſt, quòd tres perſonæ SS. Trinitatis ſimul ſumptæ, ſint majus bonum, quam una ex iiſdem perſonis ſolitariè ſumpta : unde mox laudatus Doctor lib. 8. de Trinit. aſſerit , *tantam eſſe æqualitatem in SS. Trinitate, ut non ſolùm Pater non ſit major quàm Filius, quod attinet ad Divinitatem ; ſed nec Pater & Filius ſimul magis aliquid ſint, quàm Spiritus Sanctus; aut ſingula quæque perſona quælibet trium minus aliquid ſit , quàm ipſa Trinitas.*

Objicies. Illud eſt extenſivè majus alio, quod plures quam ipſum perfectiones includit: atqui SS. Trinitas plures perfectiones includit , quam quælibet perſona ſeorſim ſumpta: ergo &c. Probatur min. Trinitas includit tres perfectiones perſonales ; quælibet verò perſona ſeorſim ſumpta unam tantùm perfectionem relativam includit : ergo SS. Trinitas majorem perfectionum numerum includit, quam una ejuſdem SS. Trinitatis perſona, quæ ſeorſim ac ſolitariè concipitur.

Reſp. ad 1. neg. min. Ad 2. diſt. ant. Quælibet verò perſona, unam tantùm includit, explicitè, conc. ant. implicitè, neg. ant. Ratio eſt, quia unaquæque perſona eſt idem actu cum eſſentia divina , cum qua tres perſonæ, licèt realiter inter ſe ſint diſtinctæ , ſunt tamen omninò idem, ob idque per circumincesſionem (ut loquuntur ſcholaſtici) in ſe invicem eſſe dicuntur.

Confirmatur mox data reſponſio ex Auguſtino, qui lib. 6. de Trinitate cap. 7. ſic loquitur : *Nec quoniam Trinitas eſt, ideò triplex putandus eſt : alioquin minor erit Pater ſolus, aut Filius ſolus, quàm ſimul Pater & Filius. Quanquam non invenitur quomodo dici poſſit aut Pater ſolus, aut Filius ſolus, cum ſemper, atque inſeparabiliter, & ille cum Filio ſit, & ille cum Patre : non ut ambo ſint Pater, aut ambo Filius : ſed quia ſemper in invicem, neuter ſolus.*

QUÆSTIO VIII.

De bonitate Dei.

Not. 1. BOnitas genericè ſumpta, eſt idem , ac convenientia : unde id bonum eſt, quod eſt conveniens, quemadmodum id malum eſt, quod non convenit.

Not. 2. Convenientia, vel eſt abſoluta, vel reſpectiva. Abſoluta dividitur in eſſentialem & accidentalem. Eſſentialis eſt conformitas rei cum idea, quæ illius naturam debet conſtituere : accidentalis eſt conformitas rei cum idea , quæ naturam jam in ſuo eſſe conſtitutam perficere poteſt, aut phyſicè, ſicut calor ſolem, aut moraliter, ſicut ſanctitas hominem. Convenientia reſpectiva eſt conformitas cum voluntate ; unde movet ad appetitum ſui. Ex ea autem multiplici convenientiæ diviſione petitur varia bonitatis diviſio: ſeu, cum bonitas ſit convenientia, neceſſe eſt, ut totuplex ſit bonitas , quotuplex eſt convenientia.

Not. 3. Aliquid poteſt eſſe bonum , hoc , eſt conveniens, vel per eſſentiam, vel per participationem. Prius, eſt bonum independenter ab alio; poſterius, dependenter ab alio. Iis præmiſſis , quæcumque ad Dei bonitatem ſpectant, triplici concluſione exponemus.

CONCLUSIO 1. Deus eſt bonus bonitate abſoluta eſſentiali.

Probatur. Ille eſt bonus bonitate abſoluta eſſentiali , cujus natura eſt conformis ideæ , quæ debet eum conſtituere: atqui natura Dei eſt conformis ideæ , quæ debet eam conſtituere : nam idea, quæ debet Dei naturam conſtituere, eſt idea entis quo melius ac præſtantius nec eſſe , nec fingi poteſt : Sed Dei natura eſt ejuſmodi ideæ conformis , quippe ſuperiùs oſtenſum eſt , Deum eſſe ens a ſe , hoc eſt, a quocumque alio independens: ens verò, quod eſt a ſe, nec melius, nec præſtantius fingi poteſt.

CONCL. 2. Deus eſt bonus bonitate abſoluta accidentali, tum phyſica, tum morali.

Probatur prior pars. Accidentalis bonitas phyſica poſita eſt in formis , quæ ſubjecto advenientes illud in eſſe phyſico perficiunt : Atqui in Deo, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, ſunt ejuſmodi formæ: Siquidem , ut oſtendimus agentes de diſtinctione attributorum ab eſſentia divina , in Deo ſunt quædam formæ, quæ licet ſint idem realiter cum Dei eſſentia, concipiuntur a nobis, advenire eidem eſſentiæ jam in ſuo eſſe conſtitutæ.

Probatur altera concluſionis pars. Bonitas abſoluta moralis, eſt perfecta ſanctitas : atqui perfecta ſanctitas Deo convenit. Nam *primò*, Deus immunis eſt omninò a cujuslibet peccati labe ; unde ipſe ait in Scripturis : *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, & Chriſtus in Evangelio : *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quibus ſententiis plures alias ſimiles legere eſt in ſacris codicibus. *Secundò*. Deus eſt prorsùs impeccabilis , neque enim poteſt a bono deficere : quippè peccandi poteſtas in aliquo , ſaltem remotè, petitur ex eo, quòd ſit ens ex nihilo productum, quòd ſit mutabile , quòd novas affectiones recipere poſſit : eorum verò neutrum Deo convenit; ac proinde prorsùs eſt impeccabilis.

Confirmatur argumentum authoritate Auguſtini, qui lib. 1. contra Julianum cap. 8. de Manichæis agens , ſic loquitur : *Quærunt itaque à nobis, unde ſit malum : reſpondemus ex bono , ſed non ſummo & incommutabili bono : Ex bonis igitur inferioribus atque mutabilibus orta ſunt mala, quæ mala licet intelligamus non eſſe naturas , ſed vitia natu-*

naturarum: tamen simul intelligimus, tam nisi ex aliquibus, & in aliquibus naturis esse non posse; nec aliquid esse malum, nisi à bonitate defectum ..... Nec malam voluntatem natura habere posset, nisi mutabilis esset: mutabilis porrò natura non esset, si de nihilo facta non fuisset.

CONCLUSIO 3. Deus est bonus bonitate respectiva.

Probatur. Bonitas respectiva posita est in convenientia rei cum voluntate; atqui Deus maximè convenit voluntati, tum propriæ, tum creatæ, cum sit bonum, ad cujus fruitionem creatura tendit; cum sit ultimus finis, in quo solo (ut dicetur infra) creatura potest suam beatitudinem reperire.

CONCLUSIO 4. Deus est per essentiam bonus, tum bonitate absoluta, tum bonitate respectiva.

Probatur. Ex observatis, illud est bonum per essentiam, quod est bonum per se, & independenter ab alio; atqui Deus bonus est, tum bonitate absoluta, tum respectiva; ergo est per essentiam bonus utraque illa bonitate.

Minor ostenditur 1. authoritate Patrum: *Bonus natura Deus solus* (inquit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 6.) *qui enim quod est, sine initio habet, non institutione habet illud, sed natura.* Sic etiam loquitur Augustinus epist. 54. *Nullius participatione bonus est, quoniam bonum, quo bonum est, ipse sibi est.*

Ostenditur 2. eadem minor propositio ratione theologica. Deus non est bonus per bonitatem a se realiter actu distinctam, ut ostensum est contra Gilbertum Porretanum; ergo non est bonus dependenter ab aliqua forma, quæ ab essentia realiter distincta sit. Non est quoque bonus dependenter ab alio, tanquam a causa efficiente; cum enim sit ens a se, necessariò habet a se omnem omninò bonitatem: *Omnia bona ipse fecit,* (ait Augustinus in Psal. 134.) *ipse est bonus, quem nemo fecit. Ille bono suo bonus est, non aliundè participato bono; non eguit à quo fieret bonus, sed eguerunt illo cetera, ut fierent bona.*

CONCLUSIO 5. Non quævis tantum bonitas, sed quæ summa sit in quocumque genere boni, Deo convenit.

Probatur. Deus potest considerari vel intra se, vel extra se; atqui Deo tum intra se, tum extra se considerato, convenit summa bonitas. Et quidem *primò.* Summum est bonum intra se, cum (ut dictum est) sit ens a se, ens infinitum, ens immutabile, ens, quo melius, nec esse, nec fingi potest. *Secundò.* Deus est etiam summum bonum ad extra, cum sit ultimus finis, cui creatura, ut beata fit, debet inhærere, unicum objectum, quo debet frui: *Beatitudinis causa est adhærere Deo* (inquit Augustinus lib. 12. de civitat. Dei cap. 1.) *miseriæ causa ex contrario est intelligenda, quòd est non adhærere Deo. Quamobrem si cum quæritur, quare illi* (de Angelis, & hominibus loquitur) *beati sint; rectè respondetur, quia adhærent Deo. Cum quæritur, cur isti sint miseri, rectè respondetur, quia non adhærent Deo, nam est creaturæ rationalis, vel intellectualis bonum, quo beata sit, Deus.*

Objicies. Si Deus esset quocumque in genere, quacumque in linea summum bonum, nullum malum, nullum peccatum esset, etiam extra Deum: Sed falsum est consequens: ergo, &c.

Probatur maj. Infinitum in aliquo genere, tum à subjecto, in quo est, tum ab aliis extra ipsum positis, quodcumque contrarium excludit: ergo, si Deus sit summum in quocumque genere boni, debet excludere omne malum, tum a se, tum a quolibet alio ente. Antecedens probatur a pari. Si calor esset infinitus, & ubique diffusus, a quocumque loco frigus excluderet: ergo infinitum in aliquo genere excludit ab omni subjecto quodcumque illi infinito contrarium fingi potest.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Si illud infinitum agat necessariò, ut agit ignis, conc. ant. si agat liberè, ut Deus agit ad extra, neg. ant. Quæ à Deo necessariò procedunt, nihil omninò possunt habere mali: eò quòd ea non ex nihilo, sed ex se ipso producat, ut patet in Filio, & in Spiritu sancto, quos Pater æternus ex sua substantia producit: è contra quæ à Deo sunt contingenter, non ex ipsa Dei substantia, sed ex nihilo fiunt, ac proindè necessariò sunt mutabilia, hoc est, si ratione sunt prædita, sunt malitiæ & bonitatis capacia. Ab entium ejusmodi productione Deus temperare potuit, aut producta potest destruere, sed tamen produxit & producta conservat: *Melius enim* (inquit Augustinus in Enchiridio cap. 26.) *judicavit de malis benè facere, quàm mala nulla esse permittere.*

QUÆSTIO IX.

De Dei omnipotentia.

QUæ spectant ad omnipotentiam Dei, reducemus ad hæc capita. Quæremus 1. utrum, & unde Deus sit omnipotens: 2. an alia possit facere ab iis, quæ vult ac facit: 3. an meliora iis, quæ hactenùs operatur, possit operari.

CAPUT PRIMUM.

Utrum, & unde Deus sit omnipotens.

CONCL. 1. DEus est omnipotens.

Probatur 1. ex Scripturis: Marci 10. hæc habentur: *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Marci 14. sic Christus Patrem alloquitur: *Pater, omnia tibi possibilia sunt.* Sic Angelus apud Lucam cap. 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Cum iis Scripturæ locis cohærent hæc symboli verba, *Credo in Deum Patrem omnipotentem.*

Probatur 2. ex Patribus. *Primò.* Desumpserunt argumentum ex omnipotentia Dei, ut argumentarentur contra Marcionem & Manichæos, qui admiserunt duo principia sibi invicem contraria, quorum unum esset causa mali, & aliud causa boni. Sic enim, ut videre est apud Tertullianum libro 1. contra Marcionem cap. 11. ratiocinati sunt: Si detur principium mali Deo contrarium, Deus non erit omnipotens, nempe ejusmodi principii nequam vim & operationem impedire non poterit. 2. Eodem argumento usi sunt contra Hermogenem aliosque veteres sectarios, qui contendebant, Deum præexistente ab æterno materia indiguisse, ut hancce mundi machinam fabricaret. *Patrem omnipotentem Deum negant* (ait Augustinus lib. de fide & symbolo c. 2.) *ut non eum credant mundum potuisse facere, nisi ad eum fabricandum alia natura, scilicet quæ jam fuerat, & quam non fecerat, uteretur.* 3. Eandem rationem adhibuere contra Arianos, qui voluerunt, Filium Dei à Patre conditum esse, velut instrumentum, quo ad cætera procreanda usus sit: Qui est omnipotens (ajunt apud Athanasium libro 3. contra Arianos) adjutore aut instrumento non indiget, quo opera sua moliatur.

Probatur 3. ratione theologica. 1. Omnipotentia est perfectio simpliciter simplex: ergo in Deo reperitur formaliter. 2. Deus est infinitus, ergo est omnipotens; nam qui infinitus est, habet infinitam virtutem: infinita verò virtus idem est ac omnipotentia.

Objicies. Sunt aliqua, quæ Deus efficere non potest: ergo non est omnipotens. Probatur ant. 1. Deus nec mori, nec peccare potest. 2. Facere non potest, ut quæ præterita sunt, reverà non præterierint, v.g. facere non potest, ut Judas Christum non prodiderit. 3. Ex quolibet non potest facere quodlibet, v. g. facere non potest, ut lapis videat; proindeque nonnulla sunt, quæ ab ipso non possunt fieri.

Resp.

Resp. ad 1. posse mori, posse peccare, non arguere potestatem, sed infirmitatem; quippè posse mori, posse peccare, ingentes sunt defectus: *Jam ego dico* (verba sunt Augustini sermone 109. de tempore) *quanta non possit: non potest mori, non potest peccare, non potest mentiri, non potest falli: tanta non potest, quia si posset, non esset omnipotens.*

Resp. ad 2. Deum in sensu diviso posse facere ut præterita non fuerint, quia potuit ea non velle, antequam eorum futuritionem pro eo tempore, quo contigerant, decerneret; non posse verò in sensu composito, quia facere, ut præterita non fuerint in sensu composito, est facere, ut præterita fuerint simul præterita, & non fuerint præterita; ac proinde est facere, ut verum sit falsum; quod quidem fieri non potest, nisi ab eo, qui contrarius potest esse veritati: *Sententia* (ait Augustin. lib. 26. contra Faustum cap. 5.) *qua dicimus, aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus, jam non est. Hanc sententiam Deus falsam facere non potest, quia non est contrarius veritati.*

Resp. ad 3. Deum ex quolibet posse facere quodlibet in sensu diviso, seu cujuscumque rei naturam mutare potest in naturam alterius rei: sic olim aquam in vinum mutavit. Ratio est, quia si ex nihilo quidlibet creare potest, a fortiori quamlibet rem existentem potest in aliam convertere; sed non potest facere quidlibet ex quolibet in sensu composito; v. g. non potest ex lapide facere hominem, ita ut lapis simul lapidis naturam retineat, & acquirat naturam hominis; alioquin esset lapis, & non esset lapis simul, quod implicat.

Hinc patet, quo sensu possit facere, ut lapis videat: potest nempe, si eum mutet in animal vivens, non potest verò, si lapis remaneat lapis, quia videre est actio vitalis immanens, quæ non nisi a principio vivente produci potest.

Hinc iterum constat, quid sit potentia obedientialis, quam theologi cuique rei creatæ inesse contendunt; posita est nimirùm 1. in eo, quòd res quælibet in aliam a Deo mutari possit: 2. in eo, quòd Deus ea possit uti ad id operandum, quod illius vires naturales superat: 3. in eo, quòd illius naturæ indiderit inchoatum principium, ratione cujus ad quosdam, sed non ad omnes insolitos effectus ab eo elevari possit. *Ut autem* (ait Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. cap. 17.) *lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine terra & aqua repentè floreat, & fructum gignat; ut per juventam sterilis femina in senectute pariat, ut asina loquatur, & si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis quas creavit, ut ex eis, hæc fieri possent..... Verumtamen alio modo dedit, ut hæc non haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent, ut eorum natura voluntati potentiori amplius subjaceret.*

CONCLUSIO 2. Dei omnipotentia nascitur ex ipsa Dei essentia.

Probatur. Essentia Dei, ut suo loco dictum est, posita est in eo, quod Deus sit ens a se, seu a quovis alio prorsus independens: atqui ens a se essentialiter debet esse omnipotens: siquidem ab ente a se quidquid est, habet esse actu; quidquid esse potest, habet esse in potentia; proindeque ens a se potest facere id omne, quod fieri potest, sicque est omnipotens. Augustini est illud argumentum, sic enim lib. 26. contra Faustum cap. 5. loquitur: *Ille plane omnipotens verè solus dicitur, qui vere est, & à quo solo est, quidquid aliquo modo est, vel spirituale, vel corporale.*

CAPUT II.

Utrum Deus possit facere alia ab iis, quæ facit, & vult facere.

Not. 1. Bernardus Epist. 190. refert, Abaelardum sensisse, Deum non posse facere alia ab iis, quæ vult facere & actu facit, in eoque positam esse illius omnipotentiam. Dogma ejusmodi recantavit postea in sua Apologia, quæ est inter ejus Epistolas vigesima, ubi hæc ait: Deum ea solummodò posse facere credo, quæ ipsum facere convenit: & quòd multa facere potest, quæ nunquam faciet.

Not. 2. Estius in lib. 1. sent. dist. 43. asserit, Calvino & Bucero idem visum fuisse, quod antea Abaelardo; sed Estii assertum vix conciliari potest cum his, quæ habet Calvinus lib. *de vera Ecclesiæ reformandæ ratione*, ubi fatetur, Christum posse mutare panem in suum corpus, licèt illud revera non mutet: *Rerum omnium conversionem fieri posse a Christo, nos quoque fatemur.* Nec contrarium efficaciter probant verba, quæ habet lib. 2. Institutionum cap. 7. §. —— *Fieri non potest, quod non futurum Scriptura pronuntiant.* Ea enim verba non in sensu diviso, sed in sensu composito possunt intelligi. Non favent quoque hæc alia, quæ habet lib. 3. Institutionum cap. 23. §. 5. *Commentum absolutæ potentiæ, sicuti profanum est, ita meritò nobis detestabile esse debet.* Siquidem non de omni extraordinaria potentia id intelligere videtur: sed de ea, qua causa redditur, cur Deus reprobos citra meritum puniat, in eos absolutam potestatem exercendo: quod tamen illius dictum cum ejus de reprobatione sententia cohærere non potest, ut suo loco dicetur.

CONCLUSIO, Deus potest facere alia ab iis, quæ vult facere & actu facit.

Probatur 1. ex Scriptura. Danielis 3. tres pueri regi Nabuchodonosor dixisse leguntur: *Deus noster potest nos eripere de camino ignis, & de manibus tuis liberare: quod si noluerit, notum tibi sit &c.* Id dicunt (ait Estius) certi de potentia, incerti de voluntate. Secundi Machabæorum 8. Judas Machabæus ait, *Dominum posse universum mundum uno nutu delere*; & tamen sic non delebit. Matth. 26. Christus sic loquitur: *An putas, quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum?* at id Christus revera non rogavit Patrem. Ibidem cap. 3. hæc habentur, *Potens est Dominus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ:* non suscitabit tamen. Ergo Deus potest alia facere ab iis, quæ vult, & facit.

Probatur 2. ex traditione. Patres docent, Deum alia ratione, quam per Verbi incarnationem, hominem potuisse redimere. *Poterat*, ait Athanasius lib. 3. contra Arianos, *etsi nunquam advenisset Christus, solummodo loqui Deus, & maledictionem solvere.* Concinit Bernardus: *Quis negat omnipotenti ad manum fuisse alios & alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis?* Idem apud Augustinum legere est lib. 26. contra Faustum cap. 7. Quod S. Doctor speciali incarnationis exemplo probarat, variis aliis ostendit in Epist. ad Marcellinum, iisque utitur, ut probet, quod ad eum scripserat: *fieri posse, ut sit homo sine peccato, si voluntas ejus non desit, ope adjuvante divina; quamvis nemo tam perfectæ justitiæ in hac vita vel fuerit, vel sit, vel futurus sit.* Lib. de natura & gratia contra Pelagianos cap. 7. ad id, quod Pelagius scripserat: *Aliud esse quærere, an possit aliquid esse, quod ad solam possibilitatem pertinet: aliud utrumne sit*, sic respondet: *Hanc distinctionem veram esse nemo ambigit: Consequens est enim, ut quod est, esse potuerit; non est autem consequens, ut quod esse potest, etiam sit.*

Probatur 3. ratione. Deus est omninò a qualibet crea-

creatura independens: ergo ita eam producit & circa eam agit, ut non producere & circa eam non agere potuerit. Prætereà nulla creatura est summum bonum, summum perfectum: in qualibet igitur est aliquis defectus, seu imperfectio, ratione cujus possit à Deo non eligi.

Objicies 1. ex Scriptura. Genesis 19. hæc ait Deus ad Loth: *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illic.* Matth. 16. sic Christus Patrem alloquitur: *Si possibile est, transeat à me calix iste*: atqui ideò Deus ait, se non potuisse aliud facere, quia sic statuerat; ideò asserit Christus, impossibile esse Patri eum à morte liberare, quòd decrevisset non liberare: ergo ea tantùm Deus potest, quæ vult facere, & actu facit.

Resp. 1. dist. min. Atqui ideò Deus ait, se non potuisse aliud facere in sensu composito, quia sic statuerat, conc. min. in sensu diviso, neg. min. Sensus solutionis est, quòd Deus non potuerit conjungere privationem actionis cum ipsa actione; seu ex suppositione, quòd decrevisset non opitulari Loth, nisi post illius egressum à Sodomitis, revera non erat opitulaturus; proindèque dici non potest, quòd opitulaturus esset, id enim implicat; sed ita id statuerat, ut aliud statuere potuisset.

Resp. 2. disting. eamdem min. Ideò Deus ait se non potuisse potentia ordinata, quòd sic statuerat conc. min. potentia absoluta, neg. min. Ista est potentia, quæ respicit res in se, secundùm suam naturam consideratas: illa verò est ea, per quam Deus respicit res, quas præscivit ac præordinavit. Absoluta potentia potest, quidquid in se non implicat contradictionem, ut Judam salvare, damnare Petrum, reprobos liberare pœnis, electos è cœlo ejicere: ordinata verò potest ea solùm, quorum contrarium libero decreto non determinavit.

Objicies 2. ex traditione. Patres in eo tantùm videntur constituere omnipotentiam Dei, quòd omnia faciat, quæ vult facere: ergo censent, ipsum non posse operari alia ab iis, quæ actu operatur, & vult operari. Probatur ant. Augustinus Enchiridii cap. 96. asserit, *Deum non ob aliud vocari omnipotentem, nisi quia quidquid vult, potest.* Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum, docet, Dei potentiam non ad plura se extendere, quam se extendat illius voluntas: *Propterea* (inquit) *in illo diguè plena potestas creditur, cui tantum posse, quantum velle, & tantum velle, quantum posse, naturaliter suffragatur.* Hieronymus in dialogo primo contra Pelagianos, asserit tantùm esse possibile, quod est futurum: *Qui ergo* (inquit) *aiunt, hominem posse esse absque peccato, si velit, non poterunt hoc verum probare, nisi futurum docuerint.*

Resp. ad 1. dist. ant. In eo tantum, &c. quæ aut potentia aut actu vult, conc. ant. actu tantùm, neg. ant. Seu Patres asserunt, Deum esse omnipotentem, non tantùm quòd faciat, quæ vult actu, sed etiam quòd possit facere, quæ juxtà divinæ suæ sapientiæ leges potest velle; ita ut divina illius voluntas nullo prorsùs impedimento superetur. Sic cum dicimus de homine qui sui juris est, quòd faciat, quæ vult, verbum *vult*, non strictè pro iis, quæ actu vult, sed latè pro iis, quæ potest velle, sumimus.

Resp. ad 2. dist. ant. Hieronymus asserit, id tantùm esse poss[illegible]le homini, quod est futurum, conc. ant. possibile Deo, neg. ant. S. Doctor agit de vitandis ab homine viatore quibuslibet peccatis: probatque, vitari non posse, moraliter loquendo, quòd id (excepta tamen Virgine, de qua, cum de peccatis actualibus agitur, nolumus habere sermonem) nusquam factum fuerit, nec deinceps fieri debeat.

CAPUT III.

Utrum Deus agere possit meliora iis, quæ operatur.

Not. Abaelardus lib. 3. introductionis theologicæ cap. 5. docet, penès Deum non esse operari meliora iis, quæ actu operatur: contrarium unanimi consensu docent theologi.

CONCLUSIO. Deus potest facere meliora iis, quæ facit.

Probatur 1. Ille potest facere meliora iis, quæ actu operatur, qui potest producere creaturas perfectiores in infinitum iis, quas produxit olim & producit modò. Atqui Deus id potest; nam alioquin infinita illius sapientia, infinita illius potentia planè exhaurirentur iis, quæ actu vult, & operatur, quod est absurdum: neque enim infinitum per finitum potest exhauriri.

Probatur 2. Deus potuit modo, qui incarnatione imperfectior sit, humanum genus redimere, eum tamen non elegit: ergo potest operari minùs bona, relictis quæ meliora sunt. Probatur ant. ex Patribus: *Quis negat* (inquit Bernardus epist. 190.) *omnipotenti ad manum fuisse & alios modos nostræ redemptionis, justificationis, liberationis? Verùm hoc non præjudicat ejus, quam è multis elegit, efficaciæ.*

Objicies 1. Si Deus potuit meliora facere iis, quæ operatus est, invidus fuisset ea non faciendo: sed absurdum est consequens: ergo & ant. Probatur major. Si Deus noluisset filium æqualem sibi gignere, invidus fuisset: ergo à pari invidus fuisset, si cum potens fuerit operari meliora iis, quæ produxit, ea tamen operatus non fuerit. Antecedens est Augustini, qui libro octoginta trium quæstionum sic loquitur quæstione 50. *Deus, quem genuit, quoniam meliorem se gignere non potuit (nihil enim Deo melius) generare debuit æqualem. Si enim voluit, & non potuit, infirmus est; si potuit, & non voluit, invidus est.* Consequentia est quoque ejusdem Augustini, cujus hæc sunt verba lib. 4. de Genesi ad litt. cap. 16. *Si bona facere posset Deus, nec faceret, magna esset invidentia*: ergo esset quoque invidentia, si posset facere meliora, & tamen ea non faceret.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia naturæ æqualitas Filio debetur: quippè Pater generare debet in similitudinem naturæ: proindèque invidus est, si Filio negет æqualitatem. E contra meliora non debentur creaturis: non est igitur, quòd Deum invidiæ insimulent, quòd cum meliora concedere possit, ea tamen non concedit. Ad 3. dico allatam ex Augustino sententiam ex iis esse, quas S. Pater lib. 2. retract. cap. 24. fatetur, non satis esse expertas a se in lib. ex quo desumptus est textus, qui nobis objicitur.

Objicies 2. Augustinus sæpiùs asserit, id quod Deus vult, esse semper melius: ergo non potest operari meliora. Probatur ant. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 1. scribit, Verbum potuisse sine nativitate humanam carnem induere: *Sed* (inquit) *melius erat quod fecit.* Cap. 4. cum dixisset, Christum potuisse venire, etiamsi non ex fœmina nasceretur, hæc ait: Potuit, sed noluit, & hoc melius est, quod voluit: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Augustinus non dicit, quòd ea, quorum meminit lib. 19. contra Faustum, sint simpliciter & absolutè meliora, sed tantùm comparativè; seu docet, melius fuisse Christum nasci, quam non nasci, ut scilicet illius carnis veritas solidiùs adstrueretur; meliùs fuisse nasci ex fœmina, ne muliebrem sexum, ut ipse S. Doctor asserit, à salute repulisse videretur.

Objicies 3. Deus est optimus: ergo necesse est, ut meliora semper operetur. Probatur ant. homo bonus

bona

bona agit; melior meliora : ergo Deus optimus, optima semper debet agere.

Resp. ad 1. neg. conseq. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia determinari non potest aliquod Dei opus ad extra, quod sit optimum, ita ut nullum sit melius : siquidem dantur meliora, & meliora in infinitum.

Objicies 4. Hæc habet Damascenus lib. 2. de fide Orthod. cap. 19. *Necesse est, omnia, quæ Dei providentia fiunt, secundum rectam rationem, & optima & Deo decentissima fieri, ita ut nequeant meliora fieri :* ergo Deus non potest quin faciat meliora.

Resp. dist. ant. Necesse est fieri, optima secundùm modum, conc. ant. secundùm substantiam, neg. ant. Quæcunque facit Deus, optimè facit, seu, cum sit sapientissimus, modo optimo operatur; sed non facit optima, eò quòd a quocumque assignabili opere sit prorsùs independens; unde aut illud eligere, aut omittere pro libito potest.

QUÆSTIO X.

De scientia Dei.

HAncce quæstionem in octo capita partiemur. Septem prioribus, existentiam, essentiam, objectum, medium, divisionem, causalitatem, & immutabilitatem explicabimus : in octavo autem dicemus de ideis divinis.

CAPUT I.

Utrum in Deo sit scientia.

Not. SCientia sumitur 1. latissimè pro qualibet cognitione in communi, sive sit incerta, sive certa; sive evidens, sive obscura; sive discursiva, sive non discursiva. Sumitur 2. minùs latè, pro cognitione certa, & evidente, sed quæ per discursum comparata fuerit. Sumitur 3. strictiùs, pro cognitione certa, & evidente, quæ non per discursum, sed unico actu habita sit. Sumitur 4. strictissimè, pro cognitione, quæ licèt non sit discursiva, rem tamen per ejus causas attingit.

CONCLUSIO 1. Non est in Deo scientia duplici priore sensu sumpta.

Probatur. Quod involuit imperfectionem in suo conceptu, non reperitur in Deo, cum Deus sit ens, quo perfectius cogitari non potest: atqui scientia duplici priore sensu sumpta, inperfectionem includit. Et quidem 1. prout accipitur pro qualibet cognitione in communi, quæ nimirùm abstrahit a certitudine, aut incertitudine, ab obscuritate, aut evidentia; nam quod est in Deo, non abstrahit ab incerto, & obscuro, sed illud essentialiter excludit. 2 Scientia includit quoque imperfectionem, prout sumitur pro cognitione discursiva per actus distinctos; quippe in Deo, cum sit ens simplicissimum, actus a se invicem non distinguuntur.

CONCLUSIO 2. In Deo est scientia, prout sumitur pro cognitione simplici, certa, & evidente.

Probatur 1. ex Scriptura. Job. cap. 28. hæc habentur : *Deus intelligit viam ejus* (sapientiæ) *& ipse novit locum illius; ipse enim fines mundi intuetur, & omnia quæ sub sole sunt, respicit.* Cap. ultimo : *Scio, quia omnia, potes, & nulla te latet cogitatio.* Psal. 138. *Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima & antiqua.* Esther. cap. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Idem in novo testamento, sæpiùs legitur : sed hic satis sit laudare textum 1. ad Corinth. 1. in quo Dei Filius appellatur, *Dei sapientia :* nec non ad Colossenses 2. ubi in Dei Filio dicuntur esse omnes thesauri *sapientiæ, & scientiæ Dei.* Ea certa ac evidente cognitione, de qua agitur, nituntur ea omnia, quæ tum in Scripturis, tum in traditione dicuntur de providentia & de prædestinatione.

Probatur 2. ratione theologica. Omnis perfectio simpliciter simplex, (ut superius ostensum est) reperitur in Deo; Atqui cognitio certa & evidens, est perfectio simpliciter simplea, quippè quæ nullam in suo formali conceptu imperfectionem involvat.

CONCLUSIO 3. In Deo est scientia strictissimè & maximè proprie sumpta.

Probatur contra Vasquez, aliosque nonnullos Scholasticos. Cognitio certa & evidens rei per causam, est scientia strictissimè & maximè propriè dicta; atqui hujusmodi cognitio reperitur in Deo : ergo, &c. Minor constat ex eo, quòd Deus perfectè cognoscat dependentiam, quam effectus habent à suis causis, & vicissim connexionem, quæ inter causas, & earum effectus reperitur. Major verò patet ex eo, quòd cognitio, de qua agitur, ad nullum alium mentis habitum, quam ad habitum scientiæ, referri possit.

Objicies 1. Ad rationem scientiæ maximè propriè sumptæ requiritur 1. discursus : 2. ut minùs notum cognoscatur per notius : atqui duo illa repugnant Dei scientiæ, cum maximam involvant imperfectionem : ergo, &c.

Resp. 1. neg. priorem partem majoris; quippè tantùm abest, ut discursus pertineat ad rationem, seu essentiam scientiæ, quin potiùs sit ejus defectus, seu imperfectio.

Resp. 2. dist. alteram partem maj. Ad rationem scientiæ requiritur *ex parte rei cognitæ*, ut minùs notum cognoscatur per notius, conc. maj. *ex parte cognoscentis*, neg. maj. Quamvis Deus non minùs clarè unum, quam aliud cognoscat, ex parte tamen rei cognitæ unum est notius alio, quia per se magis cognoscibile est a priori, cum sit illius causa : at hoc satis est ad rationem scientiæ.

Objicies 2. Deus non habet scientiam strictè sumptam, saltem suorum attributorum, cum attributa non procedant ab essentia, tanquam a causa: de ratione verò scientiæ sit procedere per causam.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Attributa divina non procedunt ab essentia, tanquam a causa formali, conc. ant. cùm enim quodlibet attributum sit ens a se, non potest habere causam, a qua reverà pendeat : tanquam a causa virtuali, neg. ant. Siquidem, unum esse causam virtualem alterius, nihil aliud est, quam duo sic inter se comparari, ut si intercederet actualis distinctio, unum penderet ab alio; hocque revera in attributis contingeret, si realiter actu distinguerentur ab essentia.

CAPUT II.

De essentia scientiæ Dei.

Not. UT essentia divinæ scientiæ explicetur, satis est, ut hic proponantur variæ differentiæ, quæ inter eam, & creatam reperiuntur : eas autem non esse exiguas numero, hisce verbis docet Augustinus lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 2. *Longum est percurrere cætera discrimina scientiæ divinæ ab humana; & sunt innumerabilia, quibus ostenditur, multa divina iisdem nominibus appellari, quibus humana : cùm incomparabili diversitate sejuncta sint.*

CONCLUSIO. Quæ in Deo est scientia, in multis differt à scientia, quæ reperitur in Creaturis.

Probatur. Perfectissima est Dei scientia, quippè caret iis omnibus imperfectionibus, quæ sunt in scientia, qua creaturæ prædicatæ sunt.

Et quidem 1. scientia in Deo non est accidens, seu aliquid ipsi adventitium; est enim prorsùs idem cum illius essentia, & id quidem propter mirabilem illius simplicitatem, ubi, inquit S. Augustinus epist. 102. *non*

aliud est esse, aliud intelligere.

Secundò. Non est habitus eo sensu, quòd aliquando suo actu privari possit. Quippe cùm Deus actus sit purissimus, totus est in actu, ac proinde omnem omninò potentialitatem excludit.

Tertiò. Præstantissimum habet objectum; versatur enim non tantùm circa esse, quod creaturæ habent in semetipsis, sed etiam, & quidem præcipuè, circa esse, quod habent in Dei sapientia, quæ earum est artifex. *Ibi*, ait Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. de æterna sapientia agens, *novit Deus omnia, quæ fecit per ipsam: & ideò cùm decedant & succedant tempora, non decedit aliquid, vel succedit scientiæ Dei.*

Quartò. Non habetur per discursum, sed per unicum, & quidem in instanti, intuitum. *Non more hominum*, inquit Augustinus, *quod futurum est, prospicit, vel quod præsens est, aspicit, vel quod præteritum, respicit: neque ejus cogitatio, de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorporeo intuitu adsunt cuncta, quæ novit, quoniam tempora ita novit nullis suis temporalibus rationibus, quemadmodum temporalia movet nullis suis temporalibus motibus.*

Quintò. Dei scientia non est præcisiva, seu, naturam sine differentiis, ut solent homines, non attingit. Nec mirum; cum enim sit infinita Dei scientia, statim id omne, quod est idem cum natura, perspicit: *Infinitas itaque numeri, quamvis infinitorum numerorum nullus sit numerus; non est tamen* (ait Augustin. lib. 12. de civit. Dei cap. 18.) *incomprehensibilis ei, cujus intelligentiæ non est numerus. Quapropter si quid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur; profectò & omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiæ ipsius incomprehensibilis non est.*

Sextò. Dei scientia est omninò immutabilis; nec enim capax est, aut incrementi aut decrementi; nec de præterito ad præsens, nec de præsenti ad futurum transit. *Cum enim*, ait Augustin. in lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 2. *dempsero de humana scientia mutabilitatem, & transitus quosdam à cogitatione in cogitationem . . . . , insinuatur mihi utcunque scientia Dei*. Verum de ea, nonnullisque aliis scientiæ divinæ dotibus, occurret sermo inferiùs, cùm de illius immutabilitate, & causalitate dicetur.

CAPUT III.

De objecto divinæ scientiæ.

OBjectum alicujus habitus, ex logicis, est id, circa quod habitus ille versatur: ut igitur divinæ scientiæ objectum explicetur, dicendum est de iis, circa quæ versatur: unde quærendum est, utrum Deus seipsum; non entia; mala; creaturas possibiles; præteritas, & existentes; demùm futura omnia cognoscat.

ARTICULUS I.

Utrum Deus seipsum cognoscat.

CONCL. DEus seipsum cognoscit.

Probatur 1. ex Scripturis: Hæc habentur Luc. 10. *Nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater; & quis sit Pater, nisi Filius*. Hæc quoque leguntur 1. ad Corinth. 2. *Spiritus Dei scrutatur omnia, etiam profunda Dei*. Deinde: *Nemo novit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei.*

Probatur 2. ex SS. Patribus. Constans est Patrum assertio, Deum res omnes creatas videre in seipso. *Novit omnia Deus Pater in seipso*, ait Augustin. lib. 15. de Trinitate cap. 14. *novit in Filio, sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam verbum suum, quod est de his omnibus, quæ sunt in seipso. Omnia similiter novit & Filius; in se scilicet tanquam ea, quæ nata sunt de iis, quæ Pater novit in seipso; in Patre autem tanquam ea, ex quibus nata sunt, quæ ipse Filius novit in seipso*. Ergo Deus seipsum cognoscit; siquidem ratio cætera cognoscendi, debet saltem in instanti rationis priùs cognosci, quam ea, quæ per eam cognoscuntur, juxta illud Logicorum axioma: Propter quod unumquodque tale, & illud magis.

Probatur 3. ratione. Scientia Dei est perfectissima: ergo debet habere objectum perfectissimum: atqui solus Deus est hujusmodi: ergo Deus ut in se est, debet esse objectum, circa quod versatur divina scientia.

CONCL. 2. Deus seipsum ita cognoscit, ut perfectè comprehendat.

Probatur. Ad cognitionem comprehensivam requiritur 1. ut percipiantur quæcunque Deus potest facere: requiritur 2. (saltem secundùm aliquos Scholasticos) ut tanta sit intensive perfectio cognitionis, quanta est intensivè perfectio cognoscibilitatis in objecto, seu, tam perspicua, tamque perfecta cognitione objectum percipiatur, quam ipsum est perspicuum, ac perfectum: Atqui duo illa, Dei respectu, conveniunt divinæ scientiæ. Et quidem 1. cùm omnia, quæ a Deo fieri possunt, in mente divina concipiantur secundùm ideas, ad quas exigi debent, necesse est, ut à Deo intelligantur. 2. Dei cognitio est infinita, non extensive tantùm, sed etiam intensive, cùm sit omninò idem cum essentia divina; ergo tam perfecta est intensivè, quam ipsamet essentia, quam attributa, quæ secundùm nostrum concipiendi modum, emanant ab essentia divina.

ARTICULUS II.

Utrum, & qua ratione Deus cognoscat non entia, & mala omnia.

Not. 1. HIC non entium nomine, non intelligimus, 1. quæ verè possibilia sunt: de iis enim Articulo sequente dicemus; sed quæ sunt omninò impossibilia, ut quòd homo sit lapis. Intelligimus 2. entia ficta, seu chimeras, aut, ut loquuntur, mera entia rationis.

Not. 2. Malum triplex est; naturæ, ut sunt monstra; pœnæ, ut calamitates, quas nonnunquam homines patiuntur; culpæ, ut sunt peccata.

CONCL. 1. Deus cognoscit impossibilia, & entia rationis.

Probatur argumento S. Thomæ. Deus cognoscit, quæcunque cadere possunt in creatam cogitationem; atqui tam impossibilia, quam entia rationis, cadunt nonnunquam in creatam cogitationem; homo nimirùm multa fingit, quæ realiter esse non possunt, & quæ non habent aliud esse, quam in intellectu creaturæ cognoscentis.

Objicies 1. Si Deus cognosceret entia rationis, ipsa ea faceret, sicut facit creatura; siquidem facere ens rationis, est illud cognoscere, cùm non alibi habeat existentiam, quàm in intellectu cogitantis.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Facere ens rationis, est illud cognoscere per modum entis realis, conc. ant. per modum impossibilis, neg. ant. Deus hoc, non autem illo modo cognoscit entia rationis, cùm omnia cognoscat, ut sunt realiter; entia verò rationis sunt realiter impossibilia.

CONCL. 2. Deus cognoscit mala omnia.

Probatur enumeratione. *Primò* quidem cognoscit mala naturæ, seu monstra; nam ea cognoscit, quæ ipse producit: atqui Deus producit monstra, cùm sint entia vera, & realia; quodlibet autem ens verum & reale sit a Do.

Secundò. Deus cognoscit mala pœnæ: siquidem (ut mox dictum est) ea cognoscit Deus, quæ verè ab

ipso

ipfo funt: atqui mala pœnæ verè funt à Deo: *Si erit malum in Civitate*, inquit Scriptura Amos 3. *quod non fecerit Dominus*. Præterea quæ media funt, quibus fua confilia Deus exequitur, ab ipfo cognofcuntur. Sed mala pœnæ funt media, quibus exequitur fua confilia: tis nimirum utitur, ut fuos electos probet, ut reprobos impediat à quibufdam exterioribus actibus, quibus ipfa Ecclefia funditùs everteretur.

Tertiò. Deus novit mala culpæ. Nam id Deus novit, quod caftigat: atqui caftigat mala culpæ; nonnunquam quidem in hoc fæculo variis calamitatibus, quibus peccatores laceffit; in altero verò cruciatibus, quibus ii torquentur, quos fcelerum in hac vita non pœnituit. Prætereà id cognofcit, quod permittit, ut inde bona quamplurima colligat: atqui Deus permittit peccata, ut plurima ex iis bona colligat, ut dicetur in tractatu de Prædeftinatione. *Melius*, inquit Auguftinus in Enchiridio ad Laurent. *judicavit de malis benefacere, quàm mala nulla effe permittere.*

CONCL. 3. Deus non cognofcit peccatum in ipfo peccato, fed in rectitudine illi oppofita.

Probatur prior pars. Deus non cognofcit aliquid in eo, quod non habet effe pofitivum; atqui peccatum, nullum habet effe pofitivum: nempe confiftit in mera boni privatione, (ut in tractatu de actibus humanis dicetur ex principiis Auguftini, cujus fatis fit hic unam laudare fententiam.) *Quid eft*, inquit in Enchiridio ad Laurentium, *aliud quod malum dicitur, nifi privatio boni?*

Probatur altera pars. Privatio cognofcitur in forma, quæ illi eft oppofita; fic tenebræ cognofcuntur in luce, cujus funt privatio: ergo, cùm, ex dictis, malum culpæ, five peccatum, fit privatio boni, cognofcitur in ipfa bonitate formæ, feu rectitudinis, cujus eft privatio.

Confirmatur ex S. Dionyfio, qui cap. 2. de divinis nominibus, afferit, privationes in formis oppofitis contineri, ficut tenebræ in luce continentur; ubi enim docuit, Deum omnia in feipfo & in fubftantia fua, tanquam eorum caufa, cognofcere, hæc fubjicit: *Non ita tamen, ut per propriam cujufque fpeciem, & ideam, in unumquodque fit intentus; fed ut fecundùm unicam caufa præftantiam, omnia norit, & contineat: quemadmodum lux, fecundùm caufa rationem, in feipfa tenebrarum notitiam ante complectitur; non aliunde tenebras, quàm ex luce cognofcens.*

Hinc autem fequitur 1. malum à Deo non cognofci directè, fed indirectè tantùm. Sequitur 2. quòd licèt mala culpæ tanquam objecta contineantur in Dei fcientia, quæ ab ipfo Deo ejufque fubftantia minimè differt, non funt tamen in Deo tanquam in fubjecto: nec enim comprehenduntur in idea, feu exemplari proprio, fed in idea, & exemplari alieno. Ea illatio eft Auguftini, qui lib. de natura boni, cap. 28. ait, quòd cum audimus *omnia ex ipfo, & per ipfum, & in ipfo, omnes utique naturas intelligere debemus, quæ naturaliter funt. Neque enim ex ipfo funt peccata, quæ naturam non fervant, fed vitiant.*

ARTICULUS III.

Utrum Deus cognofcat omnes creaturas poffibiles, tum præteritas, tum exiftentes.

Not. 1. NEgarunt, Deo omnia effe cognita Philofophi, qui negarunt illius providentiam ad hocce univerfum, aut faltem ad minimas quafque res, fefe extendere.

Not. 2. Creaturæ habent effe duplex; eminentiale in Deo, & formale in feipfis: his præmiffis, fit.

CONCLUSIO. Deus cognofcit omnia tum poffibilia, tum præterita, tum exiftentia.

Probatur prior pars. Ea Deus cognofcit, quorum habet ideas: atqui Deus habet ideas omnium poffibilium: ergo eas cognofcit. Major conftat: neque enim nos ob aliud dicimur rem aliquam cognofcere, quam quòd illius ideam in mente noftra geramus: itaque probatur min. Se habet Deus refpectu poffibilium, ficut artifex refpectu eorum, quæ per artem fuam poteft facere: Atqui artifex habet ideas eorum, quæ per artem fuam poteft facere: ergo & Deus poffibilium. Auguftini eft illud argumentum: nam lib. 12. de civit. Dei cap. 20. afferit: *In una Dei fapientia effe immenfos quofdam, atque infinitos thefauros rerum intelligibilium, in quibus funt omnes invifibiles, atque incommutabiles rationes rerum etiam vifibilium, & mutabilium, quæ per iftam facta funt*. Rationem reddit S. Doctor: *Quoniam*, inquit, *Deus non aliquid nefciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice rectè dici poteft. Porrò fi fciens fecit omnia, ea utique fecit, quæ noverat.*

Probatur tum fecunda, tum tertia pars conclufionis. Deus (ut mox demonftratum eft) habet ideas rerum omnium poffibilium: hincque meritò conclufum eft, eum omnia prorsùs noffe poffibilia: Atqui valet ea ratio & pro præteritis, & pro præfentibus: non enim per actualem tum præfentium, tum præteritorum productionem, amifit ideas, quas de iis habebat, antequam fierent: ergo non minùs ab eo cognofcuntur, quàm cum erant tantùm poffibilia: *Ibi* (verba funt Auguftin. lib. 6. de Trinit. cap. 10.) *novit omnia Deus, quæ fecit per ipfam* (de fapientia æterna loquitur, quam vocat artem omnipotentis Dei,) *& ideò cum decedant & fuccedant tempora, non decedit aliquid, vel fuccedit fcientiæ Dei.*

Probantur iterùm omnes fimul conclufionis partes. Deus (ut oftenfum eft fuprà) feipfum perfectiffimè comprehendit: ergo cognofcit omnia, ad quæ poteft fe extendere, ac de facto fefe extendit divina illius virtus. Atqui poteft fe extendere ad omnia poffibilia, & de facto extendit fefe ad præterita & præfentia: ergo, &c.

Quæres, num fit de fide, quòd Deus vel minima quæque diftinctè noverit?

Refp. affirmativè. Exprefsè nimirùm id tum Scriptura, tum traditio definiunt. Genef. cap. 1. dicitur, quòd Deus opera fua ftatim poft eorum creationem figillatim contemplatus fit, ac peracta probaverit: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona*. Hæc habentur Job cap. 28. *Ipfe enim fines mundi intuetur, & omnia, quæ fub fole funt, refpicit*. Efther cap. 24. hæc leguntur: *Domine, qui habes omnium fcientiam*. Idem afferit Apoftolus ad Hebr. 4. *Non eft ulla creatura invifibilis in confpectu ejus: Omnia verò nuda funt & aperta oculis ejus*. Huc pertinent, quæ in Evangelio leguntur de cura, quam Deus gerit liliorum agri, volatilium cœli. Hìc etiam laudari poffunt textus, in quibus ipfæ vel occultiffimæ hominis cogitationes dicuntur notæ effe Deo: *Intellexifti cogitationes meas de longè.*

Patres non minùs, quàm Scripturæ exprefsè id, de quo agitur, afferunt. Cyrillus Thefaur. lib. 15. refellit Arianos, contendentes, Deum Patrem Verbum fuum produxiffe velut inftrumentum, quo ad res cæteras procreandas uteretur, eò quòd (inquiebant) res aliæ creatæ non potuerint ferre vim & efficientiam Dei ipfius. Refellit (inquam) ex eo, quòd indignum Deo non fit, minutiffima quæque per cognitionem ac providentiam attingere. Ambrofius lib. de interpel. cap. 2. impios, qui Pfal. 7. dicunt: *Quomodo fcit Deus, & fi eft fcientia in excelfo?* fic refellit: *Qui exiftimat ab eo, qui omnia videt, non videri, & tenebris credit commiffa fua poffe celari, umbram prætendit: fed fruftrà latere fe credit; cum oculus Domini lucidior fole, occulta omnia deprehendat, tenebrofa illuminet, & intimi cordis penetret confcientiam, atque in alta & profunda defcendat.*

Objicies. Hieronym. ad 1. cap. Habacuc, expressè negat, Deum minuta quæque cognoscere; imo dicit, *Absurdum esse, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur; quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo; quanti pisces in aqua natent; & qui de minoribus, majorum prædæ cedere debeant.*

Resp. dist. ant Hieronymus negat, Deum minuta, quæque cognoscere ea cognitionis specie, quæ conjuncta sit cum eodem amore, eadem benevolentia, quibus homini per suam providentiam prospicit, conc. ant. cognitione simpliciter sumpta, neg. ant. Petitur ea responsio ex his verbis ab Hieronymo in objectione laudatis: Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.

CONCLUSIO 2. Deus cognoscit, tum esse eminens, quod creaturæ habent in illius essentia, tum esse formale, quod habent in seipsis.

Probatur prior pars. Esse eminens, quod creaturæ habent in Dei essentia, est idem cum ipsa Dei essentia: Atqui (ut suo loco ostensum est) Deus perfectè novit suam essentiam: ergo novit quoque esse eminens, quod ipsæ habens in illa.

Probatur altera conclusionis pars. Deus id omne cognoscit, quod est cognoscibile, quia vis cognoscendi in Deo est infinita; Atqui esse formale creaturarum est cognoscibile, est enim verum aliquod ens, cum sit aliquid reale, ergo, &c. Confirmatur ex eo, quod, si Deus cognosceret solum esse eminens, quod creaturæ habent in illo, non cognosceret creaturas, sed tantùm suam essentiam, cum (ut mox dictum est) esse eminens creaturarum non sit aliquid ab ipsa divina essentia distinctum.

C A P U T IV.

Utrum Deus cognoscat futura.

Not. 1. FUturum duplex est; necessarium & contingens. Prius est illud, quod habet necessariam connexionem cum sua causa; sic necessariò futura est combustio paleæ, cui fax ardens admovebitur. Posterius subdividitur in contingens ab extrinseco, & contingens ab intrinseco. Contingens ab extrinseco, est illud, quod licèt oriatur a causa intrinseca necessaria, impediri tamen potest ab alia causa estrinseca, ut patet in morbis, qui necessariò acciderent, nisi præoccuparentur medicamentorum virtute. Contingens verò ab intrinseco, est illud, quod oritur a causa extrinsecè contingente, seu quæ indifferens est, ut agat, vel non agat; hujusmodi sunt sola futura libera.

Not. 2. Futura contingentia libera, nonnulla sunt absoluta, nempè quæ licet sint a causa libera, absolutè tamen seu independenter ab aliqua conditione, habitura sunt existentiam in certa temporis differentia: alia verò sunt conditionata, quæ in certa temporis differentia non habitura sunt existentiam, nisi dependenter ab aliqua conditione: Ea autem conditio vel nunquam ponetur, ut miracula Christi apud Tyrios & Sidonios, qui conversi fuissent, si a Christo apud eos, sicut apud Judæos, patrata fuissent; vel ea conditio aliquando ponetur; sic futurus fuit Petri casus, si ab ancilla tentaretur.

CONCLUSIO 1. Deus distinctè cognoscit futura necessaria.

Probatur. Ille distinctè cognoscit futura necessaria, qui distinctè cognoscit effectus, qui ex causis necessariis emanaturi sunt: Atqui Deus cognoscit distinctè effectus, qui es causis necessariis emanaturi sunt: Siquidem ille cognoscit effectus, qui ex causis necessariis emanaturi sunt, qui cognoscit connexionem necessariam, unam cum illis habent: Sed Deus eam cognoscit: quippe comprehendit virtutem causarum, ac proinde ea omnia, quæ cum illis habent connexionem necessariam: hoc enim est comprehendere.

Confirmatur illud argumentum ea S. Patribus, qui docuerunt, hanc esse æternitatis rationem, ut omnia quodam in sensu, de quo dicetur inferiùs, sint præsentia, nec quidquam Dei respectu sit præteritum, aut futurum: *Ita ut* (ait Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 10.) *nec ea, quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant; sed & præterita & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia.*

CONCLUSIO 2. Deus distinctè cognoscit futura, quæ sunt ab extrinseco contingentia.

Probatur. Ille cognoscit futura, quæ sunt ab extrinseco contingentia, qui distinctè cognoscit seriem, & ordinem omnium causarum, quæ necessariæ sunt, hoc est, ad unum determinatæ: atqui Deus eum ordinem, seriemque cognoscit: ergo, &c. Minor patet, quia ordo, & series causarum necessariarum ab ipsomet Deo constituta sunt, cum nihil, illius respectu, casu & fortuitò fiat; unde probatur major. Qui cognoscit ordinem & seriem omnium causarum, cognoscit fore aliquas, quæ impeditura sint effectus, qui per se ex causis necessariis alioquin emanaturi essent; novit quoque, quis futurus sit effectus ex causis, quæ aliarum vim, ac virtutem impeditura sunt. Sed illi effectus nihil aliud sunt, quàm futurum, quod est contingens ab extrinseco: ergo, &c.

CONCLUSIO 3. Deus distinctè cognoscit futura omnia libera absoluta.

Probatur 1. ex Scripturis. Danielis 13. capite Susanna sic Deum alloquitur: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant.* Intelligitur verò textus ilic de liberis hominum actionibus, quippè Susanna alludit ad impium senum in suam castitatem conatum. Psal. 138. hæc ait Propheta Regius: *Omnes vias meas prævidisti..... Tu cognovisti omnia, novissima & antiqua.* Plures alios similes textus reperire est in utroque Testamento: nempè multa sunt loca, quibus Deus, vel immediatè, vel mediatè per Angelos, per Prophetas, per Filium suum incarnatum humanas actiones prædixit, v. g. infidelitatem Judæorum, negationem Petri, proditionem Judæ, conversionem gentium.

Probatur 2. ex Patribus. Augustinus libro 5. de Civit. Dei cap. 9. sic loquitur: *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Asserit ibidem S. Doctor, Ciceronem, qui, ut consuleret humanæ libertati, negavit, Deum præscium esse futurorum liberorum, *dum vult facere liberos, fecisse sacrilegos.* Tertullianus vocat Prophetas, qui de contingentibus liberis vaticinati sunt, irrefragabiles divinitatis testes: *Tantos* (inquit lib. 2. contra Marcionem cap. 5.) *testes* Deus *habet, quantos fecit Prophetas.* Nec immeritò, cum apud Isaiam Dominus ipse demonstret, Gentilium Deos falsa esse numina, quòd futura libera prædicere non valeant: *Accedant* (ait cap. 41.) *& nuntient nobis quæcumque ventura sunt. Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.*

Probatur 3. rationibus Theologicis, 1. Si Deus futura, de quibus agitur, non noverit, illius providentia tolli debet de medio: 2. Deus seipsum non comprehenderet: 3. non haberet perfectissimam cognitionem, nempe eum plurima fugerent: 4. non erit Deus: *Aut enim* (ait Augustinus, contra Ciceronem agens) *Deum esse negat; aut si confitetur esse Deum, quem negat præscium futurorum, etiamsi dicit nihil aliud, quàm quod ille dixit insipiens in corde suo: Non est Deus; qui enim non est præscius futurorum, non est utique Deus.*

Objicies 1. Id non præscribitur, quod non habet de-

tec-

terminatam veritatem; atqui futura contingentia libera non habent determinatam veritatem; ergo, &c. Major constat, quia modus cognitionis sequitur modum objecti; ac proinde quod non est in se determinatè verum, non potest determinatè præsciri. Undè probatur minor: Quod est indifferens ad esse & ad non esse, non habet determinatam veritatem: atqui futura contingentia libera sunt hujusmodi; sic enim a Philosophis definiuntur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. maj. Quod est indifferens ad esse, & ad non esse pro quolibet tempore, non habet determinatam veritatem, conc. maj. pro aliquo tantùm tempore, neg. maj. Distinguo pariter min. Futura contingentia libera sunt indifferentia ad esse & ad non esse pro aliquo tantùm tempore, præsenti nimirùm, conc. min. pro quolibet tempore, neg. min. sunt enim determinata ad esse, aut ad non esse pro tempore futuro, pro quo futura, aut non futura a Deo prævidentur.

Instabis. Futura contingentia non habent causam determinatam: ergo sunt omninò indeterminata pro quolibet tempore; neque enim effectus potest ab alio, quam a causa, habere suam determinationem. Probatur ant. Causa futurorum contingentium, v. g. proditionis Judæ, aut pœnitentiæ Petri, nondum existit eo tempore, quo futura illa supponuntur cognosci a Deo: cognoscuntur nimirùm ab æterno, cum tamen eorum causa, nempè creata voluntas, in tempore tantùm creata fuerit.

Resp. dist. ant. Futura contingentia non habent determinatam veritatem pro æterno, conc. ant. pro tempore, quo futura prævidentur, neg. ant. Futura libera non prævidentur futura independenter a suis causis; ac proinde Deus videt determinationem causarum futuram eo tempore, pro quo earum effectus præsciuntur futuri. In quo autem medio, an in ipsis causis, an in Dei decreto, videatur ea causarum futura determinatio, dicetur inferiùs.

Objicies 2. Præscientia futurorum stare non potest cum libertate creata: ergo, &c. Probatur ant. Illud stare non potest cum libertate creata, quo posito, res præscita necessariò debet venire: atqui posita Dei præscientia, res prævisa debet necessariò evenire: siquidem non potest non evenire: quippè si posset non evenire, posset supponi quòd reverà non eveniret, quia possibili posito in actu, nulla sequitur implicantia: ac proinde falli posset Dei præscientia; quod est absurdum.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. concedo, quòd res prævisa possit non evenire, sed nego posse supponi, quòd reverà non eveniet. Ratio est, quia rei futuritio præsupponitur prævisioni: ideò nimirùm prævidetur, quòd sit futura. Hieronymi est illa solutio: nam in hæc Dei verba apud Ezechielem cap. 2. *Si forte vel ipsi audiant*, sic loquitur: *Non enim, quia ille ventura cognoscit, necesse est facere quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum quasi Deus.*

CONCL. 4. Deus determinatè prævidet futura omnia conditionata, sive conditio aliquando poni debeat, sive non debeat poni.

Probatur 1. ex Scriptura. Id Deus determinatè prævidet, quod prædixit futurum: atqui Deus prædixit futura libera conditionata, ea etiam, quorum conditio nusquam poni debet. Nam primi Regum cap. 23. prædicitur futura Davidis per Ceilitas proditio, si in eorum urbe remansurus fuisset: nempè roganti, *Si descendet Saul, sicut audivit servus tuus?* à Deo ipso responsum est, *Descendet*. Roganti iterùm, *Si tradent me viri Ceila, & viros, qui sunt mecum, in manus Saul?* responsum est, *Tradent*: quo audito responso: *Surrexit David, & viri ejus quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti*. Matth. 11. Christus prædixit futuram Tyriorum & Sidoniorum pœnitentiam, si ipse apud eos eadem, quæ in Galilæa, miracula patrasset: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.*

Probatur 2. ex S. Patribus. Id Deus certò ac determinatè novit, ad quod ipse exigit suam agendi rationem: atqui Deus ad futura conditionata, ea etiam, quorum conditio nusquam poni debet, exigit suam agendi rationem: ergo, &c.

Probatur minor. *Primò*, Augustinus libro de correptione & gratia cap. 8. asserit, quòd ejusmodi futurorum prævisione nitatur agendi modus, quem Deus servat in aliquos, qui sunt ex electorum numero; scilicet rapit eos ex hoc mundo, quòd prævideat eos lapsuros esse in crimina, si vitam ad provectam usque ætatem ducere permitterentur: *Sicut ergo* (inquit, postquam laudavit hæc Sapientiæ verba: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius) *coguntur* Pelagiani *fateri*, *Dei esse, ut finiat homo vitam istam, antequam ex bono mutetur in malum.* Idem S. Doctor lib. de dono persever. cap. 11. docet, Deum noluisse, ut miracula patrarentur coram nonnullis gentibus, quas tamen, si patrata fuissent, prævidebat credituras; *Hic* (inquit) *quos prævidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus noluit subvenire, non subvenisse: de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed justè aliud judicavit*. Libro primo quæstionum ad Simplicianum, quæstione secunda, scribit reprobos quosdam oculto quidem, sed justo Dei judicio, non vocari ea vocatione, cui Deus prævidet eos præbituros esse consensum. *Quis* (ait) *audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est*. Idem pluries repetit Augustinus in omnibus ferè libris, quos contra Pelagianos, aut eorum reliquias exaravit.

Secundò, constans est antiquorum doctrina, Deum permittere, ut electi variis modis vexentur quòd alioquin eos lapsuros prævideat. *Quia* (inquit Gregorius Magnus lib. 23. Moralium c. 27.) *mera potentia prævidet, quòd si quieti ac liberi in tranquillitate persisterent, tentationes ferre adversarii non valentes, mentis prostrati vulneribus jacerent.*

Objicies 1. Augustinus lib. 1. de anima & ejus origine ad Renatum cap. 12. supponit, Deum non prævidere quod non est futurum, licèt alioquin posita quadam conditione futurum esset: utitur nimirùm eo principio, ut confutet Pelagianos, qui contendebant, parvulos ex hac vita sine baptismate subtractos, ideò salutem non consequi, quòd Deus præsciret eos, si ad adultam usque ætatem vixissent, malè usuros esse libero arbitrio: *Quid* (inquit) *ipsa exinanitur omninò præscientia, si quod præscitur, non erit? quomodo enim rectè dicitur præsciri futurum, quod non est futurum?* ergo, &c.

Resp. dist. ant. Augustinus supponit, Deum non prævidere, &c. præscientia absoluta, conc. ant. præscientia conditionata, neg. ant. Quamvis Pelagiani verbo tenùs contenderent, conditionatam esse præscientiam, quam Deo asserebant, respectu futuri mali usus liberi arbitrii in parvulis, qui sine baptismate moriuntur; reipsa tamen supponebant, absolutam esse præscientiam, de qua agitur; quippè (ut argumentatur Augustinus) necesse est, ut absoluta sit ea præscientia, quæ Deum movet, ut pœnas non præparet modò, sed etiam actu infligat; cum enim æquum non sit animadvertere in crimen, quod nondum commissum est, licèt aliquando committi debeat: a fortiori par non est, ut animadvertatur in crimen, quod nusquam debet admitti. Ad eum sententiæ Augustinianæ sensum reduci debent hæc Fulgentii verba libro primo de veritate prædestinationis: *Neque enim Dominus, rerum omnium conditor,*

facien-

facienda præscisset, quæ facienda non essent. Scimus namque, præscientiam Dei sic esse veram atque incommutabilem, ut quæ futura præscit, verè futura sint. Nempè eo loci Fulgentius Pelagianos arguit, quòd assererent, Deum ideò sævire in parvulos, qui sine baptismate moriuntur, quòd si ad adultam usque ætatem vixissent, malè usuri fuissent libero arbitrio.

Objicies 2. Futura contingentia, tum absoluta, tum conditionata, nonnunquam dubitanter in Scripturis prædicuntur: ergò Deus ea certò non novit. Probatur ant. Ezechielis 2. hæc dicit Dominus: *Si fortè vel ipsi audiant.* Jeremiæ 26. *Noli subtrahere verbum, si fortè audiant.* Mat. 21. *Verebuntur fortè filium meum*: ergo Deus non certò, sed conjecturaliter tantùm cognoscit ejusmodi futura.

Resp. 1. neg. conseq. Ratio est, quia Scriptura eo loquendi modo utitur, ut rei, ex parte hominum, non autem ex parte Dei, incertitudinem significet. Resp. 2. adverbium illud, *fortè*, non significare rei, quæ prædicitur incertitudinem, sed ex parte hominum difficultatem maximam; ita censet Gregorius Magnus Hom. 18. in Ezechielem. Resp. 3. adhibitam fuisse eam loquendi rationem, ut denotaretur id, de quo agitur, esse penès liberum hominis arbitrium; ita visum est Hieronymo ad caput 26. Jeremiæ.

CAPUT IV.

De medio scientiæ Dei.

Not. NOmine medii hic intelligitur id, in quo tanquam in ratione priùs cognita Deus ea novit, quæ per scientiam suam attingit. Attingit autem, ut dictum est superiùs, seipsum, peccata, possibilia, præterita, præsentia, futura omnia, tum libera, tum necessaria, tum absoluta, tum conditionata. Quærendum est igitur, quonam in medio cognoscantur.

ARTICULUS I.

Quo in medio seipsum Deus cognoscat,

Not. IN Deo est essentia, per quam constituitur: sunt etiam attributa, quæ ex essentia secundùm nostrum concipiendi modum sequuntur. Quæremus ergo 1. utrùm Deus cognoscat suam essentiam in aliquo medio: 2. utrum essentia sit medium, in quo attributa cognoscantur.

CONCLUSIO 1. Deus non cognoscit suam essentiam in aliquo medio.

Probatur. Nullum fingi potest medium, in quo Deus suam essentiã cognoscat: ergo in nullo eam cognoscit. Probatur ant. Ut aliquid sit medium cognitionis, requiritur 1. ut sit prius quam res, quæ in ipso cognoscitur: 2. ut sit illius causa, saltem secundùm nostrum concipiendi modum. Atqui nihil fingi potest prius essentia divina, nihil quoque potest esse illius causa, etiam secundùm nostrum concipiendi modum. Nempe essentia Dei (ut suo loco dictum est) posita est in eo, quòd Deus sit ens a se, & a quovis alio prorsùs independens: sed nihil prius est ejusmodi ente, nihil fingi potest, quod illius respectu vel umbram habeat causæ; ac proinde excogitari non potest medium, in quo cognoscatur.

CONCL. 2. Deus in essentia sua, tanquam in medio, cognoscit sua attributa.

Probatur. Duæ conditiones, quæ ad rationem medii requiruntur, reperiuntur in essentia divina respectu attributorum; nam 1. secundùm nostrum concipiendi modum, essentia est prior attributis, quia *esse simpliciter* prius est modis entis, ut sunt attributa respectu essentiæ: 2. Essentia, secundùm nostrum concipiendi modum, est causa, non actualis quidem, sed virtualis, attributorum; nempe singula attributa sequuntur ex independentia, per quam essentia divina constituitur.

Objicies. Ad rationem medii requiritur, ut priùs cognoscatur, quam res, cujus est medium; atqui Deus non cognoscit suam essentiam priùs, quàm cognoscat sua attributa: utrumque enim attingit unico ac simplicissimo actu.

Resp. dist. maj. Requiritur, ut medium ex parte objecti cognoscatur priùs, quam res cujus est medium, conc. maj. ex parte cognoscentis, neg. maj. hoc autem modo, non autem illo, Deus essentiam ante sua attributa cognoscit. Quamvis Deus uno ac simplicissimo actu tum essentiam, tum attributa simul cognoscat; videt tamen, esse quemdam ex parte objecti ordinem, ratione cujus essentia est radix attributorum, seu videt attributa sequi ex essentia. Hinc Sylvius concludit, scientiam, quam Deus habet de suis attributis, non minùs vocari posse *scientiam propter quid*, quam ea, quam habet de suis creaturis.

ARTICULUS II.

Quo in medio Deus cognoscat possibilia.

Not. 1. CErtum est apud omnes Theologos, Deum cognoscere creaturas possibiles in sua essentia. Ratio est, quia alioquin intellectus divinus reciperet ab extrinseco species creaturarum: ac proindè ab ipsis perficeretur, quod est absurdum.

Not. 2. Dei essentia duobus modis spectari potest; vel prout est causa creaturarum possibilium, vel prout eas repræsentat in esse intelligibili. Nonnulli Scholastici negant, Deum videre creaturas possibiles in sua essentia, tanquam in earum causa. Contendunt alii, Deum eas videre tum in essentia divina, tanquam in causa, tum in se ipsis, prout à divina essentia repræsentantur.

CONCLUSIO 1. Deus videt in sua essentia, tanquam in causa, omnes creaturas possibiles.

Probatur. Qui comprehendit essentiam Dei, videt in ea, tanquam in causa, omnes creaturas possibiles: atqui (ut suo loco demonstratum est) Deus comprehendit suam essentiam: ergo, &c. Probatur maj. Comprehendere Dei essentiam est eam cognoscere, tum secundùm id, quod est in se, tum secundùm id, ad quod potest se extendere: atqui sic divinam essentiam cognoscere, est in ea, tanquam in causa, cognoscere creaturas possibiles, cum revera ad eas possit per creationem se extendere. Major constat, quia comprehendere, est rem cognoscere omni modo, quo potest cognosci: ergo est eam cognoscere, tum secundùm id, quod est in se, tum secundùm id, ad quod potest se extendere.

Objicies 1. Id non cognoscitur in essentia Dei, tanquam in causa, cum quo divina essentia non habet connexionem necessariam: atqui essentia Dei non habet connexionem necessariam cum creaturis possibilibus; nam alioquin 1. ab iis penderet: 2. destructis creaturis, destrueretur Dei essentia, quod est absurdum.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. Siquidem unum relativum est necessariò connexum cum alio, nec tamen ab eo pendet; quippè relativa sunt simul natura & cognitione. Ad 3. dist. ant. Destructis quoad existendi possibilitatem creaturis, destrueretur Dei essentia, conc. ant. illa enim creaturarum existendi possibilitas nihil est aliud, quàm vis eas producendi: ea autem vis est omninò idem cum Dei omnipotentia; proindeque cum essentia. Destructis quoad existentiam actualem creaturis, destrueretur Dei essentia, neg. ant. Ratio est, quia licèt creaturæ, ex suppositione quòd existant, habeant necessariam connexionem cum Dei omnipotentia; tamen Dei omnipotentia cum eis necessariò

ſariò non connectitur : nempè liberè eas produxit, pro libito quoque poteſt eas ad nihilum redigere.

Objicies 2. Cognoſcere effectum in cauſa, eſt diſcurrere: atqui Deus non diſcurrit: ergo creaturas poſſibiles non cognoſcit in ſua eſſentia, tanquam in cauſa. Probatur major. Cognoſcere effectum in cauſa, eſt eum inferre ex cauſa; ſed inferre effectum ex cauſa, eſt diſcurrere: ergo, &c.

Reſp. ad 1. neg. maj. Ad 2. diſt. min. Inferre effectum ex cauſa per plures actus, quorum unus cauſetur ab alio, eſt diſcurrere, conc. min. per unicum ac ſimplicem actum, ut fit in caſu, de quo agitur, neg. min.

CONCLUSIO 2. Deus videt creaturas poſſibiles non tantùm in eſſentia divina, prout eſt earum cauſa, ſed etiam in ſe ipſis, prout in eſſentia divina, tanquam in ſpecie, repræſentantur.

Probatur prior pars. Deus videt creaturas omni modo, quo videri poſſunt, quique Deum non dedecet: atqui creaturæ poſſibiles videri poſſunt in ſe ipſis, nec is videndi modus Deum dedecet; ergo, &c. Probatur minor. *Primò*, creaturæ poſſibiles habent verum eſſe, non tantùm in Dei eſſentia, tanquam in cauſa ſui eſſe, ſed etiam in ſe ipſis; ergo in ſe ipſis videri poſſunt. *Secundò*, modus ille videndi Deum non dedecet, quia nullam includit imperfectionem, nec excludit perfectiorem cognoſcendi modum, in eſſentia nimirùm tanquam in cauſa.

Probatur altera pars. Ut aliquod ens cognoſcatur, debet eſſe in cognoſcente aut ſecundùm propriam formam, aut ſecundùm ſpeciem, in qua velut in ſpeculo repræſententur: atqui eſſe, quod creaturæ poſſibiles habent in ſe ipſis, non eſt in Deo ſecundùm propriam ſuam formam; ergo in eo ſunt tantùm ſecundùm ſui ſpeciem; ea autem ſpecies non eſt transfuſa a creaturis ad Deum; eſt igitur ipſamet eſſentia, in qua tanquam in ſpecie intelligibili infinitæ creaturæ repræſentantur.

Confirmatur argumentum ex Auguſtino. Docet S. Doctor, Dei eſſentiam exhibere creaturas, non tantùm ſecundùm eſſe eminentiale, quod in ea habent, ſed etiam ſecundùm eſſe, quod habent in ſe ipſis; hincque concludit, Angelos videre creaturas tum in eſſentia divina, prout eſt earum cauſa, tum in ſe ipſis, prout in eſſentia divina tanquam in ſpeculo repræſentantur. Addit laudatus Pater, poſteriorem hunc cognoſcendi modum eſſe minùs perfectum, quam ſit prior, quem tamen non excludit: *Cognitio creaturæ in ſe ipſa* (ait lib. 11. de Civ. Dei cap. 7.) *decoloratior eſt, ut ita dicam, quàm cùm in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte, qua facta eſt.* Sic iterum loquitur cap. 29. *Omnia hæc aliter in Verbo Dei cognoſcuntur ab Angelis, ubi habent cauſas, rationeſque ſuas, id eſt, ſecundùm quas facta ſunt, incommutabiliter permanentes; aliter in ſe ipſis: illic clariore, hic obſcuriore cognitione, velut artis atque operum.*

Objicies 1. Si creaturæ poſſibiles viderentur in eſſentia divina, eſſent objectum ſpecificativum, ſaltem inadæquatum, cognitionis divinæ; ſed id dici non poteſt, ſiquidem objectum ſpecificativum cognitionis ipſi cognitioni ſpeciem tribuit; atqui creaturæ non poſſunt divinæ cognitioni ſpeciem tribuere; alioquin divina cognitio ab iis penderet, cùm actus pendeat ab objecto, a quo ſuam ſpeciem ſumit.

Reſp. ad 1. neg. maj. Ratio eſt, quia actus non ſpecificatur ab objecto ſecundario, ſeu minùs præcipuo, ut ſunt, reſpectu divinæ cognitionis, creaturæ poſſibiles; ſed ſpecificatur ab objecto primario, quod quidem objectum primarium eſt divina eſſentia, quæ independenter ab eſſe, quod creaturæ habent in ſe ipſis, perfectè terminat cognitionem divinam, prout eſt earumdem creaturarum cauſa.

Objicies. 2. Si creaturæ poſſibiles à Deo viderentur in ſe ipſis, moverent divinum intellectum ad ſui cognitionem: atqui id fieri nequit: ergo, &c. Major conſtat, quia potentia movetur ab objecto, quod attingit: unde probatur minor. Ita ſe habet veritas creata ad intellectum divinum, ſicut bonitas creata ad voluntatem divinam: atqui bonitas creata nequit movere divinam voluntatem: ergo neque veritas creata poteſt intellectum divinum movere. Probatur minor authoritate S. Thomæ, qui 1. p. q. 19. art. 2. ad 2. ſic loquitur: *In his, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi eſt finis, & hoc eſt quod movet voluntatem: unde cùm Deus alia à ſe non velit, niſi propter finem, qui eſt ſua bonitas, non ſequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem ſuam, niſi bonitas ſua; & ſic ſicut alia à ſe intelligit intelligendo eſſentiam ſuam, ita alia à ſe vult volendo bonitatem ſuam.*

Reſp. 1. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. conc. maj. diſt. min. Bonitas creata non poteſt movere voluntatem divinam, tanquam motivum præcipuum, conc. min. tanquam motivum ſecundarium, neg. min. Idem dici debet de veritate creata reſpectu divini intellectus; nec aliud loco in objectione laudato S. Thomas voluiſſe videtur.

Reſp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. maj. Ratio diſparitatis eſt, quia veritas creata non movet intellectum divinum, tanquam aliquid Deo extrinſecum, ſed tantùm quatenùs in eſſentia divina tanquam in ſpeculo, ſeu ſpecie intelligibili, repræſentatur; è contra creata bonitas, ſi in ſe amaretur a Deo, ipſius voluntatem moveret tanquam aliquid Deo extrinſecum.

Confirmatur ea reſponſio authoritate S. Thomæ, qui 1. p. q. 14. art. 5. ſic loquitur: *Deus ſe ipſum videt in ſe ipſo, quia ſe ipſum videt per eſſentiam ſuam; alia autem à ſe videt non in ipſis* (ſeu in ſpeciebus emendicatis à rebus ipſis) *ſed in ſe ipſo, in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo.*

ARTICULUS III.

Quo in medio Deus cognoſcat præterita, præſentia, & futura.

Not. 1. CErtum eſt, Deum præſentia & præterita videre in eſſentia ſua, tanquam in medio: nec mirum: nam eſſentia divina per ſui communicationem eſt præſentium ac præteritorum cauſa. Certum eſt præterea, Deum ea videre in ſua divina eſſentia, tanquam in ſpecie; quippè in ea repræſentatur realis eorum exiſtentia. Certum eſt quoque, futura neceſſaria a Deo videri in eſſentia divina, prout ad illorum futuram productionem determinata eſt per decretum efficax, quod de eorum productione in tempore facienda latum eſt ab æterno.

Not. 2. Cajetanus, non paucique alii contendunt, Deum videre futura libera, cujuſque ſint generis, ſive ſint conditionata, ſive abſoluta, in reali eorum coexiſtentia cum æternitate. Nempe ii authores volunt, futura eodem modo ab æterno eſſe Deo præſentia, ac res, quæ de facto exiſtunt, hoc eſt, non tantùm ſecundùm eorum ideas objectivas, ſed etiam ſecundùm realem ſui exiſtentiam. Cum enim (inquiunt) æternitas ſit tota ſimul, ſeu cùm ſit omninò indiviſibilis, rerum omnium tum præteritarum, tum præſentium, tum futurarum exiſtentiam actualem & realem complectitur.

Not. 3. Ludovici Molinæ diſcipuli docent, futura, de quibus agitur, ſive ſint ordinis naturalis, ſive ordinis ſupernaturalis; ſive pertineant ad ſtatum naturæ innocentis, ſive ad ſtatum naturæ lapſæ, a Deo videri in ſe ipſis immediatè, non quidem quòd Deus ab illis ſpecies emendicet, ſed quòd in illius eſſentia, tanquam in ſpeculo, repræſententur.

Not. 4. Pluribus Thomiſtis placet, efficax Dei decretum eſſe medium, in quo Deus videt futura omnia,

ad

ad quemcumque statum ; & ad quemcumque ordinem pertineant. Ratio est (inquiunt illi Thomistæ) quòd nihil ominò sit futurum independenter a decreto, per quod Deus efficaciter decernat illius futuritionem, statuatque se in tempore physicè prædeterminaturum Creaturam liberam, ut hos, vel illos actus eliciat.

Not. 5. Alii Theologi, inter juratos Molinæ discipulos & Thomistas rigidiores, media incedunt via: Nempè docent 1. cum Molinæ discipulis, Deum futura libera tum ordinis naturalis, tum ordinis supernaturalis, sed ad naturæ inoocentis statum pertinentia, videre in ipsis futuris immediatè, & non in aliquo decreto, quod sit eorum causa. Docent 2. cum Thomistis rigidioribus, Deum videre, tanquam in causa, futura libera ordinis supernaturalis ad statum naturæ lapsæ pertinentia, in suo de eorum futuritione absoluto ac efficaci decreto. Cuinam ex propositis opinionibus subscribamus, subsequentibus Paragraphis aperiemus.

§. I.

Utrum Deus videat futura libera in reali coëxistentia cum æternitate.

CONCLUSIO. Deus non videt futura libera in reali eorum coexistentia cum æternitate. Est contra Cajetanum.

Probatur. Ut Deus videat futura libera in reali eorum coexistentia cum æternitate, necesse est ut realiter coexistant æternitati: atqui illi realiter non coexistunt: nam id realiter non coexistit æternitati, quod secundùm suum esse proprium non existit ab æterno; sed futura libera non existunt ab æterno secundùm suum esse proprium: ergo, &c. Major videtur certa: siquidem duorum coexistentia nihil aliud est, quàm simultanea eorum existentia, cùm sit relatio, cujus aliud fundamentum assignari non potest, quàm simultanea utriusque extremi existentia. Minor videtur quoque certa, quia futura libera nondum sunt extra suam causam proximam, voluntatem nempè creatam, quæ quidem aut nondum existit, aut si existat, nondum (ut suppono) determinata est ad actum futurum; imò nec de illo quidem cogitavit.

Objicies 1. Ideò dicitur, Deum non videre futura libera in reali eorum coexistentia cum æternitate, quòd revera illi non coexistant: atqui id falsum est, quippè Patres docuerunt 1. Dei respectu nihil esse aut præteritum, aut futurum. Docuerunt 2. præterita & futura ipsi esse maximè præsentia: *Cui* (inquit Hieronymus initio Commentariorum in Jeremiam) *nedum facta jam facta sunt, secundùm illud quod Apostolus loquitur: Quis vocavit ea, quæ non erant, quasi ea, quæ essent?* Similia habet Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. 7. *Quis ergo hominum* (inquit) *habere potest illam sapientiam, qua novit Deus omnia: ita ut nec ea, quæ dicuntur futura, quasi desint, expectentur, ut veniant: sed & præterita & futura cum præsentibus sint cuncta præsentia, nec singula cogitentur, & ab aliis ad alia cogitando transeatur; sed in uno conspectu simul præsto sint universa?* ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Patres docuerunt, futura esse Deo præsentia, cognitione, conc. ant. existentia reali, neg. ant. Omnia, ex SS. Patribus, sunt quidem præsentia Deo objectivè, quia Deus habet in sua essentia notiones, seu ideas præteritorum, præsentium, & futurorum; sed non sunt ipsi præsentia per existentiam realem & propriam, quippè (ut jam observavimus) futura nondum facta sunt: proindeque non habent actu realem existentiam.

Confirmatur responsio ex ipsis sanctis Patribus, quorum auctoritate Adversarii abutuntur: *Unde illud* (inquit Augustinus lib. ad Orosium contra Priscillianistas, & Origenistas, cap. 8.) *quod ajunt, in ejus sapientia jam fuisse facta omnia, antequam in ipsas formas & modos proprios preferrentur; atque in suis ordinibus apparerent, non sobriè dicitur; facta enim quando essent, antequam facta essent? Sed in Dei sapientia omnium faciendarum rationes esse potuerunt, non tamen facta.* Sic etiam loquitur Ambrosius lib. 1. de fide, cap. 7. *Quomodo ergo facta sunt quæ futura sunt, nisi quia operatoria virtus & scientia comprehendit numerum omnium seculorum?*

Confirmatur iterùm hoc argumento. Si Scholastici, quos impugnamus, ex eo concludant futura coexistere Deo actu & realiter, quòd Patres asseruerint, futura esse Deo præsentia, concludere pariter debent ea jam non existere, sed desiisse existere, ex eo quòd iidem Patres scripserint ea, quæ futura sunt, Dei respectu esse præterita. Quemadmodùm igitur hoc ultimum interpretari coguntur in sensu metaphorico, ita & primum; hoc est, futura dicuntur præterita Dei respectu, quia eorum cognitio Deo non minùs est certa ac evidens, quàm cognitio rerum præsentium: *Hoc autem* (ait Hieronymus in 2. caput Epist. ad Ephesios, ubi rationem reddit, cur Scriptura futurum per præteritum nonnunquam exprimat) *ideò ne quia futura semper incerta sunt, hominum spes fluctuet & vacillet, ea quæ Deus futura cognovit, apud quem nihil ambiguum est, quasi jam facta memorantur. Ut quia præterita, secundùm Philosophos quoque, fieri infecta non possunt, qui audierunt qui audierunt, quasi jam facta habeant quæ futura sunt.*

Objicies 2. Illud realiter coexistit æternitati, quod æternitas complectitur: atqui æternitas complectitur omnia simul tempora, præterita, præsentia, & futura: ergo, &c. Probatur minor Infinita & indivisibilis duratio complectitur omnia omninò tempora, sed æternitas est infinita & indivisibilis duratio: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. maj. Infinita & indivisibilis duratio complectitur omnia simul tempora, quæ revera sunt, conc. maj. quæ revera non sunt, neg. maj. Porrò futurum nondum est, ac proindè mirum non est, quòd æternitas, licèt sit infinita & indivisibilis duratio, illud actu non complectatur.

Confirmatur responsum exemplo petito à Dei immensitate, quæ quidem licèt sit infinita & indivisibilis, non complectitur tamen spatium, quod non est reale, nec corpus, quod nondum est extra causas.

§. II.

Utrum Deus in suo decreto efficaci videat futura libera ordinis naturalis.

CONCLUSIO. Deus non videt in suo decreto absoluto ac efficaci futura libera, quæ sunt ordinis naturalis; nec ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, si ad statum naturæ innocentis pertineant. Est contra plures Thomistas.

Probatur. Deus non videt futura libera in decreto, quod ipse nusquam tulit: atqui Deus nullum unquam tulit decretum absolutum & efficax de futuritione actus liberi, qui ordinis est naturalis aut qui supernaturalis quidem est, sed ad statum naturæ innocentis pertinet? ergo, &c.

Probatur minor. De illius actus futuritione Deus nullum unquam tulit decretum absolutum ac efficax, quod est futurum independenter ab ejusmodi decreto: atqui actus, de quo agitur, est futurus independenter à Dei decreto absoluto ac efficaci: siquidem illud est futurum independenter ab absoluto Dei decreto, quod est futurum independenter ab eo, per quod Deus in tempore exequitur decreta absoluta ac efficacia, quæ tulit ab æterno; sed actus liber, de quo est hic quæstio, est futurus independenter ab eo, per quod Deus in tempore exe-

quitur

quitur decreta absoluta ac efficacia, quæ tulit ab æterno.

Nempè actus liber ordinis naturalis, futurus independenter a præmotione physica; actus liber ordinis supernaturalis, qui ad statum naturæ innocentis pertinet, est quoque futurus, & revera in sanctis Angelis existit independenter a gratia per se efficaci: per præmotionem tamen physicam, per gratiam ex se efficacem, Deus in tempore solet exequi decreta, quæ tulit ab æterno, de rebus ordinis naturalis, aut de rebus ordinis supernaturalis: ergo, &c.

Antecedens fusè à nobis probabitur inferiùs, ubi agemus de Dei voluntate, nec non in Tractatu de gratia, ubi ostensuri sumus, Angelos sanctos reipsa in justitia perseverasse per gratiam versatilem, seu quæ non determinaverit voluntatem: imò quæ in priori naturæ, præviam angelicæ voluntatis determinationem expectaverit. Ibidem quoque dicetur, Adamum innocentem non indiguisse gratia efficaci, seu determinante, ut in sanctitate divinitus accepta perseveraret.

§. III.

Utrum Deus videat in creata voluntate futura, libera ordinis naturalis.

CONCL. Deus videt in voluntate creata, tanquam in medio, futura libera ordinis naturalis; in ea quoque vidit ab æterno futura libera ordinis supernaturalis, ad statum naturæ innocentis pertinentia. Ita passim Molinæ discipuli.

Probatur 1. In eo, tanquam in medio, Deus vidit ab æterno futura libera, de quibus agitur, quod est prius cognitum, quodque est eorum causa: atqui voluntas creata priùs, secundùm nostrum concipiendi modum est a Deo cognita, quam futura libera, estque eorum causa: ergo, &c.

Respondebis, voluntatem creatam non esse causam necessariam futurorum liberorum, de quibus agitur: quod tamen requiritur, ut respectu ejusmodi futurorum sit certum cognitionis medium.

Sed contra sic arguitur. Quamvis causa contingens, ut est voluntas creata, non habeat necessariam connexionem cum suo effectu, habet tamen infallibilem: eam verò infallibilem connexionem, licet ab intellectu creato non attingatur, attingit tamen intellectus divinus, eò quòd perfectissimè comprehendat causæ contingentis, tum naturam, tum propensionem; ac proinde certò novit, ad quid se se determinatura sit in his, aut illis circumstantiis posita: ea ratione Deus ab æterno prævidit Angelorum apostatarum lapsum, & Sanctorum perseverantiam.

Probatur 2. Deus non videt futura, de quibus est quæstio, in reali eorum coexistentia cum æternitate: neque in decreto absoluto de conferendis in tempore aut physica præmotione, aut gratia per se efficaci; neque in ipsismet futuris ante voluntatis determinationem, cùm ideo futura sint, quòd voluntas ad ea se se in tempore determinatura sit: ergo futura, de quibus agitur, videntur in ipsa voluntate creata. Antecedens patet tum ex iis, quæ dicta sunt superiùs, ubi ostensum est, fictitiam esse realem actuum liberorum æternitati coexistentiam, tum etiam ex iis, quæ præcedenti paragrapho dicta sunt circa decreta ad actus liberos ordinis supernaturalis, ad statum naturæ integræ pertinentia: patet quoque ex eo, quòd futura illa non habeant esse objectivum in essentia divina, antequam, secundùm nostrum concipiendi modum, ad ea se se voluntas creata determinaverit.

Quæ contra conclusionem moveri possunt argumenta, partim soluta fuerunt iis locis, in quibus actum est de medio, in quo Deus videt creaturas possibiles, partim quoque solventur inferiùs, cùm agetur de efficacia divinæ voluntatis.

§. IV.

Utrum Deus in decreto absoluto videat futura libera ordinis supernaturalis, ad statum naturæ lapsæ pertinentia.

Not. Futura libera, alia sunt absolutè futura, alia conditionatè: de medio, in quo utraque cognoscuntur, est hic agendum.

CONCLUSIO 1. Deus in decreto absoluto de conferenda gratia per se efficaci, tanquam in medio, videt futura libera absoluta ordinis supernaturalis, ad statum naturæ lapsæ pertinentia. Ita Thomistæ omnes contra Ludovici Molinæ discipulos.

Probatur. In eo, tanquam in medio, Deus videt futura libera ordinis supernaturalis, ad statum naturæ lapsæ pertinentia, in quo ejusmodi futurorum respectu, reperiuntur omnes conditiones ad medium requisitæ: atqui reperiuntur in decreto absoluto de conferenda gratia per se efficaci: ergo in illo decreto, tanquam in medio, Deus videt futura libera ordinis supernaturalis, ad statum naturæ lapsæ pertinentia. Probatur minor. Tres conditiones requiruntur, ut aliquid sit alterius respectu, medium cognitionis, nempe, ut revera detur; ut prius sit cognitum, quam res, cujus est medium; ut sit ejusdem rei causa: Sed tres illæ conditiones reperiuntur in decreto, de quo agitur: ergo &c.

Primò. Illud decretum revera datur: siquidem Deus, ex mero beneplacito, homini lapso collaturus est in tempore gratiam per se efficacem ad opera supernaturalis ordinis, quia (ut dicetur in tractatu de gratia) auxilium per se efficax est homini lapso necessarium ad singulos pietatis actus: ergo Deus ab æterno tulit absolutum decretum de conferenda homini lapso ejusmodi gratia: nihil enim a Deo fit in tempore, quod ab æterno non fuerit ab eo decretum.

Secundo. Decretum illud absolutum priùs à Deo cognoscitur, quam futura libera, de quibus est quæstio: nam secundùm nostrum concipiendi modum, illud à Deo priùs cognoscitur, quod ex parte objecti prius est, quam aliud, nempè ob eam rationem sol cognoscitur ante calorem: atqui decretum absolutum prius est ex parte objecti, quàm futuritio actuum liberorum ordinis supernaturalis in statu naturæ lapsæ, quippe nullus ejusmodi actus futurus est, nisi post illud decretum, cùm nullus sit futurus independenter a gratia per se efficaci, quæ quidem (ut mox dictum est) præsupponit æternum illud decretum.

Tertiò. Decretum absolutum est causa futuritionis actuum, de quibus est quæstio: scilicet est causa, cur Deus in tempore gratiam per se efficacem largiatur: quippe ideò Deus eam largitur in tempore, quòd ab æterno eam dare decreverit: gratia autem efficax est in tempore causa actuum, de quibus agitur; cum (ut docet Augustinus) indeclinabiliter & insuperabiliter lapsam voluntatem determinet ad actuum supernaturalium productionem.

Ex his patet, tres conditiones requisitas, ut aliquid sit medium cognitionis, reperiri in decreto absoluto de conferenda homini lapso gratia per se efficaci: ac proinde sequitur, quòd in illo decreto, tanquam in medio, Deus videat futura opera ordinis, quæ ad statum naturæ lapsæ pertinent.

CONCL. 2. Deus in decreto ex parte Dei absoluto, & ex parte objecti conditionato, videt, tanquam in medio, futura ordinis supernaturalis, quæ aliquando erunt, si ponatur aliqua conditio, v. g. si prædicetur Evan-

Evangelium, aut patretur aliquod miraculum, aut quid simile fiat, homo ille convertetur.

Probatur. Deus ejusmodi futura non videt independenter a futura collatione gratiæ per se efficacis; quia (ut jam observatum est) auxilium per se efficax, est homini lapso simpliciter necessarium ad quemlibet pietatis actum: ergo Deus ea futura non videt independenter a decreto de conferendo in tempore ejusmodi auxilio. Illud verò decretum, licet ex parte Dei sit absolutum, tamen aliquam conditionem supponit ex parte objecti, ut est aut prædicatio Evangelii, aut quòd patretur aliquod miraculum; igitur illud decretum est ex parte objecti, seu ex parte creaturæ, conditionatum.

CONCLUSIO 3. Ea, quæ nusquam erunt, sed essent, si poneretur aliqua conditio, videntur in essentia divina.

Probatur. Ea, de quibus agitur, sunt merè possibilia, ut capite sequenti dicetur: atqui merè possibilia, ut supra ostensum est, videntur in essentia divina, quæ possibilium omnium rationes, notiones, ideas, continet.

CAPUT V.

Quotuplex sit in Deo scientia.

Not. 1. A Parte rei non multiplex, sed una tantùm, & quidem simplicissima, est in Deo scientia: nec mirum, cum (ut suo loco dictum est) Dei perfectiones sint omninò idem cum illius essentia, juxta illud Patrum axioma: Quidquid est in Deo, Deus est.

Not. 2. Licèt a parte rei una sit, & quidem simplex in Deo scientia: tamen humanus intellectus multiplicem cum fundamento distinguit; ex multiplicitate nimirùm objectorum, ad quæ divina cognitio sese extendit.

Not. 3. Ex suppositione, quòd multiplex in Deo scientia distingui possit, quærunt theologi, quotuplex distingui debeat. Circa celebrem eam quæstionem, duplex est Authorum sententia: Thomistæ docent, duplicem tantùm admitti debere: Simplicis nimirum intelligentiæ, & Visionis: Prioris autem nomine eam intelligunt, per quam Deus videt res merè possibiles præcisè sub ratione possibilitatis, seu abstrahendo ab omni existentia, sive præterita, sive præsente, sive futura. Alteram asserunt eam esse, per quam Deus intuetur res existentes in aliqua temporis differentia, seu quæ sunt aut præteritæ, aut præsentes, aut futuræ. Ludovicus Molina in sua Concordia quæst. 23. art. 4. præter duplicem illam scientiæ speciem contendit, admitti debere tertiam, quam *mediam* vocat. Ratio (inquit) est, quia inter res merè possibiles, & res existentes in aliqua temporis differentia, datur tertia species rerum, earum nempè, quæ existerent, si poneretur aliqua conditio. Hinc concludit, Deum per eam *mediam* scientiam cognovisse futuram Davidis per Ceilitas proditionem, si in urbe Ceila usque ad Saulis adventum remansisset: Concludit iterum, Deum per eandem *mediam* scientiam cognovisse Sidoniorum & Tyriorum futuram conversionem, si Christus apud eos prædicasset, fecissetque virtutes, quas apud Judæos patrarat.

Not. 4. Pluribus è schola theologis placet, quòd licèt daretur, illam *mediam* scientiam, cujus nomen Molina excogitavit, habere locum respectu futurorum liberorum ordinis naturalis, imò & respectu supernaturalium in statu naturæ innocentis; nullum tamen locum habere possit respectu actuum supernaturalium, qui ab homine lapso elici possunt. Ratio est (inquiunt) quia isti actus, non autem illi, futuri non sunt, etiam conditionate, nisi dependenter a gratia per se efficaci, ac proinde dependenter a decreto absoluto de conferenda hujusmodi gratia, si Christus prædicaret Evangelium, aut patraret miracula, aut ejusmodi aliquod aliud extrinsecum contingeret.

Not. 5. Ut cum methodo hæc celebris quæstio pertractetur, quintum hoc Caput partiemur in plures articulos: in priore quærendum est, an adæquata sit divisio divinæ scientiæ in scientiam simplicis intelligentiæ & in scientiam visionis: in altero, expendendum est, quid de scientia media senserit Augustinus: in tertio solventur argumenta, quæ Molinæ discipuli pro sua scientia media proferunt.

ARTICULUS I.

Utrum adæquata sit divina scientia divisio in scientiam Simplicis intelligentiæ, & in scientiam Visionis.

CONCL. SCientia Dei adæquatè dividitur in scientiam Simplicis intelligentiæ, & in scientiam Visionis.

Probatur. Scientia Dei in eas species adæquatè dividitur, quæ complectuntur totum ac adæquatum objectum, quod Dei scientia potest attingere: atqui scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis complectuntur totum ac adæquatum objectum, quod scientia Dei potest attingere: ergo, &c. Major constat, nam, ex Logicis, tunc adæquata est divisio, quando membra dividentia simul sumpta totum divisum exhauriunt: itaque probatur minor. Res possibiles & res in aliqua temporis differentia existentes, constituunt adæquatum objectum scientiæ Dei: sed, ex observatis superius, scientia simplicis intelligentiæ & scientia visionis complectuntur, tum res possibiles, tum res in aliqua temporis differentia existentes: ergo, &c. Probatur maj. Quidquid Deus cognoscit, vel existit in aliqua temporis differentia, vel non existit: nam inter existere, & non existere non datur medium, cum sint contradictoria. Si primum, est res vel præterita, vel præsens, vel futura: si secundum, est res mere possibilis: ergo res possibiles, & res existentes constituunt adæquatum objectum scientiæ Dei.

Respondent Adversarii, inter existens & non existens dari medium, illud nimirùm, quod nec est, nec erit, sed futurum esset, si poneretur aliqua conditio: ejusmodi est (inquiunt) Davidis per Ceilitas proditio, si in eorum urbe usque ad Saulis adventum remansisset.

Sed contra illam responsionem sic argui potest. Vel illa conditio aliquando ponetur, vel nusquam ponetur. Si primum, id, quod pendet ab ea conditione, est aliquando futurum; ac proindè est objectum scientiæ visionis. Si secundum, est simpliciter possibile, atque adeò est objectum scientiæ simplicis intelligentiæ.

Objicies 1. Futura conversio Tyriorum sub conditione prædicationis Evangelii; proditio Davidis à Ceilitis futura, si diutiùs remansisset in eorum urbe; peccatum in iis futurum, quos Deus rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, non pertinent ad scientiam visionis: neque enim habitura sunt existentiam in aliqua temporis differentia: non pertinent quoque ad scientiam simplicis intelligentiæ, cum non sint aliquid merè possibile: quippè Scriptura non dicit, Tyrios potuisse converti, si Christus apud eos fecisset signa, quæ apud Judæos operatus est; sed dicit, eos revera convertendos fuisse: non ait quoque, Davidem prodi potuisse, sed prodendum: ergo ea omnia pertinent ad scientiam mediam: adæquata igitur non est divinæ scientiæ divisio in scientiam simplicis intelligentiæ, & in scientiam visionis.

Resp. ad 1. neg. ant. seu contendimus, ea, de quibus in argumento, esse mere possibilia. Ad 2. neg. ant. Nec

enim

enim refert, quod Scriptura dicat eventura fuiffe, fi pofita fuiflet conditio: quippè humano more Deum inducit loquentem: verùm inde non fequitur, quod Deus humano more cognofcat, feu non fequitur, quod hypotheticè rem cognofcat, ex eo quod rem fic futuram enunciet; quemadmodum non fequitur, Dei fcientiam effe dubiam ex eo, quod Scriptura eum nonnunquam dubio modo loquentem inducat, ut Genef. 4. ubi Deus fic Cainum fratricidam interrogat: *Ubi eft Abel frater tuus?*

Objicies 2. Futurum fub conditione, quæ nunquam ponetur, plus habet actualitatis, quam id, quod eft merè poffibile: fiquidem proditio Davidis per Ceilitas, fi ufque ad Saulis adventum remanfiffet in eorum urbe, nec non converfio Tyriorum, fi Chriftus ipfis prædicaffet Evangelium, magis erant futura, quam alter mundus poffibilis. Et fane, fi non magis fuiffent futura, ut quid David Saulis in urbem Ceilam defcenfum pertimuiffet? ut quid in univerfali judicio Corozaitæ, & Betfaitæ graviùs caftigandi funt, quam Tyrii & Sidonii?

Refp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. pariter ant. Ad 3. neg. utramque fequelam. Ratio eft, 1. quia, cum Deus Davidi non revelaffet, num Saul defcenfurus effet in Ceilam, fed hoc unum, nempè iniquum Saulis in Davidem affectum, David non perpendit Saulis defcenfum tanquam merè poffibilem, ut erat revera, fed tanquam probabilem: ac proindè fapienter fibi per difceffum confuluit. 2. Non ideò Tyrii & Sidonii mitiùs excipientur in die judicii, quòd eorum converfio magis fuerit futura, quam converfio Corozaitarum, & Bethfaitarum; fed quòd magis in prava cordis difpofitione indurati & obcæcati fuerint.

ARTICULUS II.

Quid de fcientia media fenferit Auguftinus.

Not. Quærendum eft hic 1. utrum fcientia media adverfetur Auguftini principiis: 2. an dogma fuerit a Semi-Pelagianis propugnatum: 3. utrum Auguftinus eam in Semi-Pelagianis impugnaverit.

CONCLUSIO 1. Scientia media adverfatur Auguftini principiis.

Probatur. Scientia media, prout ab illius defenforibus traditur, eft ea, per quam Deus independenter à decreto de conferenda gratia per fe efficaci, videt creatam voluntatem fefe cum auxilio verfatili & indifferente determinaturam effe aut ad converfionem, aut ad perfeverantiam, aut ad aliquem pietatis actum, fi in his, aut in illis circumftantiis poneretur, v. g. fi audiret Concionatorem, fi ipfi prædicaretur Evangelium: Atqui ejufmodi fcientia adverfatur Auguftini principiis: ergo, &c.

Minor, in qua eft difficultas, fic oftenditur. Palmarium Auguftini in gratiæ quæftionibus principium eft, quòd Deus non videat futuram voluntatis determinationem ad aliquem pietatis actum independenter a decreto de conferenda gratia per fe efficaci: nempe (ut dicetur in tractatu de gratia) Auguftinus conftanter contra Pelagianos, ac eorum reliquias afferuit, creatam voluntatem, propter infirmitatem, quam per peccatum originale contraxit, indigere gratia per fe efficaci, a qua, tanquam per caufam, quæ in inftanti naturæ præcedat, realiter ac phyficè determinetur ad quemcumque pietatis actum, imò & ad tenue illius defiderium.

CONCLUSIO 2. Scientia media refpectu actuum ordinis fupernaturalis, in ftatu naturæ lapfæ electorum, dogma eft, quod Pelagiani & Semi-Pelagiani propugnarunt.

Probatur. Pelagiani docuerunt *primò*, prædeftinationem non aliud effe, quam præfcientiam: *Aftrum eft* (inquit Auguftin. epift. 105. quæ eft ad Sixtum) *eum his coarctantur anguftiis, in quanta fe abruptu præcipitent, metuentes retia veritatis. Ideò (inquiunt) nondum natorum alium oderat, fcilicet Efau, & Jacob diligebat, quia futura eorum opera prævidebat, & ex ipforum operibus Deum habere, aut odium, aut mifericordiam:* Atqui mera illa præfcientia non aliud eft, quam fcientia media, feu cognitio operum, ad quæ voluntas creata fefe determinatura effet, fi in his aut illis circumftantiis poneretur.

Iidem hæretici docuerunt *fecundò*, per fcientiam mediam folvi debere argumentum, quod pro gratu ta prædeftinatione Catholici defumebant ex duobus parvulis, quorum unus mox poft acceptum baptifma moritur, alter verò antequam eo Sacramento renafci potuerit: Nempè refpondebant, Deum ante baptifmum rapere infantem, de quo eft quæftio, quòd prævideat illum, fi ad adultam ufque ætatem viveret, male ufurum libero arbitrio: *Deus* (inquiunt apud Auguftin. Epift. 105.) *quem hinc aufert, prævidit, quemadmodum victurus effet, fi viveret: & ideò quem nequiter novit effe victurum, finc baptifmo facit & mori, fic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, fed quæ facturus fuit.*

Semi-Pelagiani non minùs apertè, quàm Pelagiani foliti erant ad fcientiam mediam confugere, ut Catholicorum argumenta eluderent, quoties iidem Catholici ab eis quærebant, quomodo fuum dogma de collatione gratiæ iis tantùm, quibus ineffet aliquod bonæ voluntatis initium, conciliare poffent cum exemplo petito ex parvulis, quorum aliqui baptifma paulò ante mortem recipiunt, licèt æque fint rei, ac ii qui, eo non recepto, moriuntur. Nimirum refpondebant (tefte Profpero ad Auguftin. fcribente) *Tales perdi, talefque falvari, quales futuros illos in annis majoribus, fi ad adultam fervarentur ætatem, fcientia divina prævideret.* Idem proferebant refponfum ad aliud Catholicorum argumentum petitum ex duobus adultis, quorum, licèt æqualiter rei fint, nec habeant aliquod bonæ voluntatis initium, unus audit Evangelium, quod alteri, Deo fic difponente, non annuntiatur. Scilicet dicebant, id accidere, quod is, cui annuntiatum non fuit Evangelium, prævifus fuiffet non crediturus, fi fuiffet annuntiatum: è contra alter prævifus effet crediturus: *Cum autem dicitur eis,* (inquit Hilarius in fua ad Auguftinum Epift.) *quare aliis vel alicubi prædicetur, vel non prædicetur Evangelium: dicunt, id effe præfcientia divinæ, ut eo tempore & ibi & illis veritas annunciaretur, quando & ubi pranofcebatur effe credenda.*

Ex iis autem, quæ hucufque dicta funt, fic conficitur argumentum. Scientia media eft ea, per quam Deus independenter a decreto abfoluto videt futura libera conditionatè futura: atqui tum Pelagiani, tum Semi-Pelagiani admiferunt eam fcientiam: ea nimirum ufi funt, ut explicarent, cur Deus efficiat, ut è duobus parvulis uni detur baptifma ante mortem, non detur verò alteri: cur ex duobus adultis gentilibus uni, non autem alteri, Evangelii auditus procuretur: ergo tum Pelagiani, tum Semi-Pelagiani admiferunt fcientiam mediam.

CONCLUSIO 3. S. Auguftinus in Pelagianis, & Semi-Pelagianis impugnavit fcientiam mediam refpectu actuum fupernaturalium naturæ per peccatum lapfæ.

Probatur. In fcientia media, quam Pelagiani, & Semi-Pelagiani admiferunt, duo diftingui poffunt, ufus, & fubftantia; atqui Auguftinus in fcientia media, quam Pelagiani & Semi-Pelagiani admiferunt, impugnavit ufum & fubftantiam: ergo, &c.

Prior minoris propofitionis pars fic oftenditur. Pelagiani, & Semi-Pelagiani utebantur fcientia media, ut unius hominis, tum parvuli, tum adulti difcretionem ab alio refunderent, non in Dei, fed in hominis voluntatem, itaut opera conditionatè prævifa, quæ tamen actu

 facere-

facienda non erant, Deum moverent ad concedendam baptismi collationem, aut Evangelii prædicationem: sed eam unius ab alio discretionem impugnavit Augustinus: sic enim loquitur libro de prædestinatione SS. cap. 13. *Judicari autem quemquam non secundum merita, quæ habuit, quamdiu fuit in corpore, sed secundum merita, quæ fuerat habiturus, si diutius fuisset in corpore; unde opinari potuerunt homines, quorum ingenia non esse contemptibilia vestra indicant litera, & mirans & stupens reperire possum, nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem.*

Altera ejusdem minoris propositionis pars sic etiam ostenditur. Scientia media, secundùm substantiam sumpta, est ea, per quam Deus independenter ab absoluto decreto prævidet pietatis opera futura sub conditione, quæ se teneat ex parte objecti: v. g. conversionem Petri, si in his, aut illis circumstantiis detur illi auxilium versatile, & ex natura sua indifferens; Atqui Augustinus eam scientiam impugnavit in Pelagianis & Semi-Pelagianis: ergo impugnavit scientiam mediam, etiam secundùm substantiam acceptam. Probatur minor. Augustinus contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos asseruit, Deum nullum in hominibus præscire futurum pietatis opus, quod ab æterno absolutè non decreverit se operaturum esse in nobis: ergo in Pelagianis & Semi-Pelagianis impugnavit scientiam, qua pietatis opera conditionatè prævidentur independenter ab absoluto illius decreto. Minor, in quam vertitur difficultatis cardo, variis Augustini textibus ostenditur.

Primò. S. Doctor sic loquitur cap. 10. lib. de prædestinatione Sanctorum, quo respondet ad Prosperi, & Hilarii Epistolas: *Prædestinatione quippè ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.*

Secundò. Ejusdem libri de prædestinatione Sanctorum cap. 9. solvit hoc argumentum, quod, ut scribit Hilarius, Semi-Pelagiani desumpserant ex illius libro de sex quæstionibus Paganorum; ubi asseruerat, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, quando sciebat, qui in eum fuerant credituri.* Dicit igitur 1. se id, quod objiciebatur, dixisse *sine præjudicio latentis consilii Dei, aliarumque causarum.* Dicit 2. latens illud Dei consilium, cujus ad Paganos respondens non meminerat, esse æternam fidei prædestinationem: *Utrum (inquit) tantummodo eos præscivit, an etiam prædestinaverit Deus credituros, quærere ac differere tunc non putavi.* Dicit 3. Deum eam fidem non in omnibus, sed in aliquibus tantùm ideo prædestinasse, quòd non omnes, sed aliqui tantum essent ex Electorum numero: *Proinde quod dixi, tunc voluisse apparere Christum, & apud eos prædicare doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat, qui in eum fuerant credituri, posset etiam dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem:* Atqui Augustinus immeritò sic solvisset argumentum, quod Semi-Pelagiani desumpserant ex Augustini libro de sex quæstionibus Paganorum, si ipsi persuasum non fuisset, Deum non præscire fidem, etiam sub conditione, quæ se teneat ex parte objecti, futuram, nisi ab æterno eam prædestinarit: nam quid præter prædestinationem, hoc est, prædefinitionem absolutam, esset latens illud consilium, sine cujus præjudicio quæstionem sibi a Paganis propositam solverat? cur asseruit, se tunc non definisse, quid esset latens illud consilium, si per illud non aliud, quam præscientiam intellexerit? cur definiit, aliquos credere eo, quod ab æterno fides sit eis prædestinata, si independenter ab ea fidei prædestinatione credituri a Deo præsciti fuerint?

Tertiò. Idem S. Pater quæsitus a Prospero: *An ea* (loquitur de bonis operibus) *quæ sunt à Deo præscita, sint etiam prædestinata*, respondet ea esse prædestinata: *An fortè* (inquit libro de dono perseverantiæ cap. 17.) *nec ipsa dicuntur prædestinata?* Responsum suum confirmat ex eo quod alioquin non essent Dei donum: aut si essent Dei donum, Deus nesciret, se ea daturum: *Ergo* (inquit) *nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quod si dantur, & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit.* Ergo, ex Augustino, in iis, quæ ad salutem pertinent, Deus nihil præscit, nisi fuerit ab ipso prædestinatum: ex quo ulteriùs sequitur, decretum prædestinans, seu prædefiniens, esse prius in instanti naturæ Dei præscientia.

Quartò. Idem Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 18. docet, quod cum in Scriptura, aut in Patribus legitur *præscientiæ* nomen, & agitur de vocatione electorum, debeat intelligi prædestinatio. *Deum (inquit) prædestinasse, & hoc præscisse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?* Unde sic contra scientiam mediam arguitur: Ex Augustino, nullum pietatis opus est præscitum, sive conditionate, sive absolute, nisi sit prædestinatum, hoc est, absoluto decreto prædefinitum; cum, ut patet ex loco mox relato, in rebus, quæ spectant ad salutem hominis per peccatum lapsi, præscire & prædestinare sint unum & idem. Atqui id falsum esset, si daretur scientia media: Siquidem (ex Adversariis) objectum scientiæ mediæ, seu actus liber præsciretur conditionatè futurus, licet non prædestinaretur, ut futurus esset: quippe (ex iisdem Adversariis) objectum scientiæ mediæ est actus liber conditionate futurus independenter a Dei decreto prædestinante.

ARTICULUS III.

Solvuntur argumenta, quæ pro scientia media proferuntur.

OBjicies 1. Scientia media est necessaria ad dirigendum Deum in suis decretis circa actus supernaturales hominis per peccatum lapsi: ergo debet admitti.

Probatur ant. Illud est necessarium ad dirigendum Deum in suis decretis, sine quo Deus nihil certum & infallibile statuere potest circa pietatis opera, quæ ad hominis lapsi salutem spectant: atqui Deus absque scientia media nihil certum & infallibile statuere potest circa pietatis opera hominis per peccatum lapsi: ergo scientia media est necessaria ad dirigendum Deum in suis decretis. Probatur minor. Ut Deus certum aliquid, & infallibile statuat circa pietatis opera, *primò*, debet explorare, ad quid humana voluntas sese ex innata sibi libertate determinatura esset, si cum auxilio indifferenti, & versatili in his, aut illis circumstantiis poneretur. *Secundò*, debet statuere, se positurum humanam voluntatem in illis circumstantiis, in quibus prius in instanti rationis præviderat eam sese cum auxilio indifferente determinaturam esse ad pietatis opus, si in illis circumstantiis poneretur. *Tertiò*, certò videt absolutè futurum pietatis opus, quod antea præviderat futurum tantùm sub conditione: conversionem v. g. Petri, quam viderat futuram, si Petrus in his, aut illis circumstantiis poneretur, post decretum de Petro in illis circumstantiis constituendo, videt absolutè futuram. *Quartò*, post illam conversionis, ac perseverantiæ absolutam prævisionem, Petro decernit æternam gloriam, tanquam ejusdem conversionis, ac perseverantiæ mercedem. Ergo scientia media, prout a Molinæ discipulis exponitur, necessaria est ad dirigendum Deum in suis decretis circa pietatis opera, quæ in hac vita ab hominibus lapsis eliciuntur.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. neg. ant. Ratio est, quia ita infirma est hominis per peccatum

lapsi

lapsi voluntas, ut nisi sanetur per medicinale ac efficax Christi auxilium, nusquam, licèt adjuta auxilio versatili, sese ad aliquod pietatis opus determinatura sit; idque omni argumentorum genere in tractatu de gratia probabitur. Dicendum est igitur, Deum in formandis suis decretis sufficienter dirigi per scientiam simplicis intelligentiæ: quippè per eam scientiæ speciem comprehendit suam omnipotentiam, proindeque in ea videt infinita auxilia, quibus fortiter & suaviter *rebelles* (ut ecclesia in suis orationibus profitetur) potest *ad se propitius compellere voluntates*. Qui id auderet negare, facilè hacce Augustini sententia devinceretur: *Quis tam impiè desipiat* (ait S. Doctor Ench. c. 98.) *ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?*

Objicies 2. In eorum etiam sententia, quibus placet, voluntatem hominis per peccatum lapsi indigere auxilio per se efficaci, ut ad aliquod pietatis opus determinetur, videtur, quod admitti debeat scientia media: Siquidem hujus futuri conditionati veritatem, *Si Deus det Petro gratiam per se efficacem, Petrus convertetur*, Deus certò cognoscit: atqui non cognoscit 1. per scientiâ simplicis intelligentiæ, quia scientia simplicis intelligentiæ non versatur circa res contingentes ac liberas, ut est Petri conversio, sed tantùm circa res naturales ac necessarias: 2. non cognoscit quoque per scientiam visionis, eò quòd scientia visionis feratur circa res, non conditionate, sed tantùm absolute futuras: ergo Deus per scientiam mediam cognoscit veritatem, de qua agitur.

Resp. ad 1. veritatem, de qua est quæstio, cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ. Ad 2. dist. ant. Petri controversio est contingens & libera in se, conc. ant. in vi illationis, neg. ant. id est, hæc illatio: *Petrus convertetur, si recipiat gratiam per se efficacem*, est omninò necessaria, quia sequitur ex isto certissimo principio: *Quidquid Deus vult efficaciter, eveniet infallibiliter*: verùm licèt illatio sit omninò necessaria, consequens tamen, seu Petri conversio, est omninò contingens ac libera, eò quòd quamvis Deus velit ut re ipsa eveniat, vult tamen, ut eveniat contingenter ac liberè: *Si Deus prævidit* (inquit S. Thomas lib. 3. contra gentes c. 94.) *quòd illud erit futurum contingenter, sequitur infallibiliter, quod erit contingenter & non necessariò.*

Confirmatur solutio ex eo, quòd ipsimet scientiæ mediæ defensores, nostram solutionem afferre cogantur, cùm ipsis objicitur hæc propositio: *Si Deus præscit Petrum convertendum, Petrus convertetur*; nam in ea propositione conversio Petri (ut fatentur Adversarii) est in se contingens & libera, quamvis necessariò sequatur ex hoc antecedente conditionali: *Si Deus præscit Petrum convertendum.*

Objicies 3. Scientia media est necessaria ad conciliandam hominis libertatem cum divina prædestinatione: vix enim concipi potest, hominem esse liberum, nisi per scientiam mediam prævideatur consensus, quem præbiturus esset gratiæ, si in his, aut illis circumstantiis interiùs excitaretur aut ad conversionem, aut ad perseverantiam, aut ad aliquod aliud pietatis opus: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia licèt SS. Patres in Pelagianorum, ac Semi-Pelagianorum scriptis eum, de quo est quæstio, legerint conciliandæ libertatis cum divina prædestinatione modum; eum tamen nusquam adhibuere, ut variis momentis demonstrari potest.

Primò, id conceptis terminis asserit Ludovicus Molina; sic enim de scientia media, cujus inventione gloriatur, loquitur in Concordia Ulyssipone edita anno 1588. *Si ea data & explanata fuisset ab Augustino, fortè nusquam Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter libertatem arbitrii nostri fuissent ausi negare, obtendentes, cum divina gratia & prædestinatione cohærere non posse: neque ex Augustini opinione, concertationibusque ejus cum Pelagianis, tot fideles fuissent turbati, nec ad Pelagianos defecissent; facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epistolis Prosperi & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ.* Ex eo Ludovici Molinæ textu patet, persuasum illi fuisse, Augustinum nusquam usum fuisse scientia media, ut hominis libertatem cum divina gratia ac prædestinatione conciliaret.

Secundò. Modus, quo ex SS Patribus, creata libertas conciliatur cum medicinali Christi gratia, & cum divina ad quodlibet pietatis opus prædestinatione, perdifficilis est: non est igitur idem cum eo, qui ex scientia media petitur: quippè illo nihil facilius excogitari potest: *Ista quæstio* (ait Augustinus lib. 4. contra Julianum c. 8) *ubi de arbitrio libertatis & Dei gratia* (& prædestinatione) *disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* E contrà verò perfacilis est modus conciliandi libertatem cum divina gratia, si petatur ex usu scientiæ mediæ: quid enim facilius est, quam concipere, non tolli libertatem a decreto, quod non habet effectum, nisi ex prævia in instanti naturæ voluntatis determinatione?

Tertiò. Modus conciliandi libertatem cum Dei tum gratia tum prædestinatione, secundùm Augustini principia, desumitur ex omnipotentissima Dei potestate & supremo dominio, quod habet in humanas voluntates. *Sine dubio* (inquit Augustinus lib. de correp. & grat. cap. 14.) *habens humanorum cordium, quò placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Paulò post sic iterùm loquitur: *Si ergo cùm voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas: quis alius facit ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correptio, ut cælesti constituatur in regno?* Atqui modus libertatem cum Dei prædestinatione conciliandi ex usu scientiæ mediæ, non petitur ex omnipotentissima Dei potestate, sed ex humana voluntate: ergo modus ille non est Augustinianus.

Quartò. Augustinus asserit, conciliationem libertatis cum divina gratia esse mysterium; ac illud Apostoli, *O altitudo*, usurpandum esse quoties tentatur ea conciliatio: *Cur ille credat* (ait epist. 105. quæ est ad Sixtum) *ille non credat, cùm ambo idem audiant, et si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem videant: altitudo est divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, cujus inscrutabilia sunt judicia, & apud quem non est iniquitas, dum cujus vult, miseretur, & quem vult, obdurat.* Eodem modo loquitur lib. de spiritu & littera cap. 34. *Si ad illam* (inquit) *profunditatem scrutandam nos quisquam coarctat, cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non ita, duo sola occurrerent interim, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum scientiæ & sapientiæ Dei. Et, Nunquid est iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptiores.* Atqui in libertate cum divinis decretis, cum Dei gratia, cum prædestinatione concilianda ex usu scientiæ mediæ, nullum prorsùs est mysterium, quippè vel maximè plumbeis hominibus constat, non lædi libertatem per decretum, cujus executio pendet tanquam a causa, ex prævisa voluntatis determinatione.

Quintò. Modus conciliandi libertatem cum efficacibus decretis, desumi debet ex actione Dei, quæ cum sit a causa universali, causis particularibus motum imprimit, modo, qui eorum naturæ conveniat; libero quidem, si causæ particulares sint liberæ, necessario verò, si causæ sint necessariæ. Desumitur quoque ex ejusdem divinæ actionis infinitate, nam ex eo quòd sit infinita,

selo

sese extendit non tantùm ad substantiam actus creatæ voluntatis, sed etiam ad illius modum: ac proinde efficit non tantùm, ut actus existat, sed etiam ut existat liberè: *Ex hoc quòd nihil divinæ voluntati resistit* (inquit S. Thomas 1. p.q. 19. art.8. ad 2.) *sequitur, quòd non solùm fiant ea, quæ Deus vult fieri; sed quòd fiant contingenter, vel necessariò, quia sic vult fieri Deus.*

Objicies 4. Conversio Tyriorum & Sidoniorum futura sub conditione prædicationis & miraculorum Christi, infallibiliter à Deo cognita fuit, ut patet ex Evangelio Mat. cap. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Atqui conversio Tyriorum & Sidoniorum non fuit cognita per scientiam simplicis intelligentiæ, cum non fuerit merè possibilis: nec per scientiam visionis, cùm absolutè non fuerit futura: ergo per scientiam mediam, proindèque in statu naturæ lapsæ scientia media admittenda est respectu actuum ordinis supernaturalis.

Resp. jam superiùs ad illud argumentum fuisse dictum, eam, de qua agitur, conversionem fuisse a Deo cognitam per scientiam simplicis intelligentiæ, eò quòd cùm conditio sit merè possibilis, merè pariter tanquam possibilis visa sit Tyriorum conversio.

Confirmatur. Ut aliquid videatur per scientiam mediam, necesse est, ex Adversariis, ut cognoscatur independenter à decreto absoluto de conferenda gratia efficaci, si conditio, ex cujus suppositione videtur futurum, ponatur ex parte objecti. Sed Tyriorum conversio non fuit cognita indepeodenter ab illo decreto, ut superiùs probatum est: ergo, &c.

Instabis. Si valeat mox data solutio, æqua non fuisset Christi objurgatio adversùs Judæos; respondere nimirùm potuissent, se pariter convertendos, si miraculis & prædicationi Deus conjunxisset gratiam efficacem, quam Tyriis & Sidoniis largiturus erat sub conditione prædicationis & miraculorum Christi.

Resp. 1. Judæos non potuisse id, quod objiciunt Adversarii, Christo respondere. Siquidem gratia, quæ ex se & ab intrinseco futura fuisset efficax in Tyriis & Sidoniis, non fuisset futura efficax in Judæis, quia (ut jam dictum est superiùs) major erat excœcatio & induratio Judæorum, quam Tyriorum & Sidoniorum: sicque auxilium, quod Tyriorum excœcationem superasset, vicissetque obdurationem, reipsa non superaturum fuisset ac victurum excœcationem, ac obdurationem Judæorum. Augustini est ea solutio, hæc enim scribit lib. de dono persever. cap. 14. *Non ergo erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti, signa vidissent.* Eidem solutioni lux affulgebit maxima ex tractatu de gratia, ubi ostendemus, efficaciam gratiæ esse relativam, ita ut idem auxilium pro majore vel minore hominum, quibus confertur, cupiditate, in aliquibus sit efficax, hoc est, superet subjecti resisteotiam, illudque aptum actum determinet; in aliis verò sit inefficax, id est, licet excitet ad actum pium, ita tamen non superat hominis resistentiam, quæ ex majori illius cupiditate nascitur, ut illum ad eundem pietatis actum determinet.

Resp. 2. Adversariorum argumentum sic in eos retorqueri posse: Judæi Tyriis pares non erant in auxilio, sicut pares fuissent in prædicatione Evangelii: nempè Tyriis, si apud eos Christus prædicasset, data fuisset (ut docent Adversarii) gratia congrua, seu in iis circumstantiis, in quibus prævisi fuissent, quòd ipsi daturi essent consensum: ea tamen gratia congrua Judæis data non fuit: nam si Judæi eam habuissent, cùm Christus ipsis annuntiavit Evangelium, reipsa pœnitentiam egissent; quippè ex Adversariis gratia congrua nusquam suo frustratur effectu: hincque patet, Judæos potuisse respondere Christo objurganti, se non minùs, quam Tyrii & Sidonii, acturos fuisse pœnitentiam, si gratiam congruam eis largitus fuisses, quam fuisset Tyriis ac Sydoniis largiturus, si apud eos prædicasset Evangelium.

Objicies 5. Doctis quibusdam theologis videtur, quòd scientia media possit admitti respectu actuum, etiam supernaturalium, hominis innocentis: ergo pariter debet admitti respectu actuum supernaturalium hominis per peccatum lapsi: non enim videtur esse potior ratio de uno, quam de altero.

Resp. ex suppositione, quòd (ut docent Augustini discipuli, quibus subscribemus in tractatu de gratia) creatura innocens ad actus liberos, etiam ordinis supernaturalis, non indiguerit gratia per se efficaci, & ab intrinseco determinativa, parvi referre, an respectu status innocentiæ, admitti debeat, aut rejici scientia media.

Ratio est, quia in ea suppositione certum erit, quòd Deus viderit futura sub conditione pietatis opera, Angelorum v. g. perseverantiam independenter a decreto absoluto de conferenda gratia *per se* efficaci, & ab intrinseco determinativa. An autem scientia, per quam Deus in statu innocentiæ pietatis opera prævidit, reducenda sit ad scientiam, quam Scholastici vocant scieotiam simplicis intelligentiæ, an ad eam, quam dicunt scientiam visionis, aut utrum ad tertiam, quæ inter eos mediet, quæque ob id a Molina primùm dicta est *scientia media*, quæstio est metaphysica potiùs, quam theologica, quæ fidei explicandæ oec obest, nec prodest, seu (ut loquuntur) quæ eidem fidei explicandæ est omninò impertinens.

E contra, ex suppositione, quòd (ut fusè suo loco ex Scriptura, ex Patribus, & prætertim Augustino, cujus doctrinam Romana sequitur Ecclesia, demonstrabitur) homo lapsus gratia per se efficaci & ab intrinseco determinativa indigeat ad quemlibet pietatis actum, vel inchoatum, ac maximè imperfectum, multi refert, an in Deo respectu actuum supernaturalium hominis lapsi admittenda sit, aut rejicienda scientia media.

Et sanè si admittatur, non stabit suppositio; seu verum non erit, quòd homo lapsus indigeat auxilio per se efficaci ad quodcumque pietatis opus: quippè, cum scientia media, prout ab illius authoribus & defensoribus traditur, sit operis sub conditione futuri cognitio independens à decreto de conferenda gratia victrice, pium opus prævisum erit ab æterno futurum independenter ab eadem gratia victrice: ac proinde gratia victrix non erit homini lapso ad quodcumque pietatis opus necessaria: quippe independenter ab ejus collatione futurum erit aliquod pietatis opus.

Iis, quæ hucusque dicta sunt, præmissis, ad objectionem Adversariorum, respondemus in forma, dato antecedente, negando conseq. Ratio disparitatis est, quia pietatis opera in statu naturæ innocentis, tum absolutè tum conditionatè futura erant independenter a decreto de determinanda in tempore per gratiam ex se efficacem voluntate creata; cùm enim, ut suo loco dicetur, voluntas creata tunc sana esset ac robusta, ad operandum non indigebat medicinali, & efficaci auxilio, sed semetipsam pro libito poterat cum auxilio versatili determinare ad quodcumque voluisset pietatis opus. E contra verò in statu naturæ lapsæ nullum omninò pietatis opus est futurum, sive absolutè, sive conditionatè, independenter a decreto de determinanda in tempore voluntate creata: quippè cum ægra sit ac debilis, satis non habet virium, ut cum auxilio versatili, quamcumque illi in circumstantia detur, sese ad aliquod, licèt maximè imperfectum pietatis opus determinet.

Ex his patet, theologos, qui non tantùm pro statu naturæ innocentis, sed etiam pro statu naturæ lapsæ, scientiam mediam admittunt, supponere, hominem lapsum eadem frui sanitate, iisdem pollere viribus homo-

mo

mo innocens fruebatur. Non ob aliud Auguſtinus totus fuit in impugnanda illa media ſcientia in Semi-Pelagianis, qui non minus pro ſtatu naturæ lapſæ, quam pro ſtatu naturæ innocentis illam defendebant tanquam cardinem, in quem eorum de gratia Salvatoris ſyſtema volveretur.

Objicies 6. Doctrina de uſu ſcientiæ mediæ, ad libertatem cum divina gratia conciliandam, a Dominicanis delata fuit ad ſummos Pontifices Clementem VIII. & Paulum V. de eaque diligenter actum fuit in celeberrimis congregationibus, quæ vulgò *De auxiliis* appellantur; & tamen nulla ipſi inuſta fuit cenſura; unde ſic arguitur. Doctrina, quæ diligenter examinata fuit coram Summis Pontificibus, quæque poſt diligens examen nulla cenſura perſtricta fuit, cenſetur approbata ab Eccleſia Romana; atqui, &c. ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Ratio eſt, quia approbatio dicit litis intentatæ definitionem: ubi ergo non intervenit ea definitio, nulla quoque eſt approbatio. Hinc colligitur, Ludovici Molinæ de ſcientia media doctrinam, eodem eſſe in ſtatu, in quo erat, cùm primùm delata eſt ad ſummos Pontifices.

Confirmatur ea reſponſio *primò* authoritate Alexandri Papæ VII. a quo proſcripta fuit hæc propoſitio: *Si liber ſit alicujus junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem*. Si, ut patet ex illius propoſitionis damnatione, Sedis Romanæ ſilentium non conciliat probabilitatem alicui opinioni, à fortiori alicui doctrinæ non conciliat authoritatem, ac approbationem.

Confirmatur *ſecundò* ea reſponſio ex decreto, quod die 25. Jul. an. 1697. auctoritate Epiſcopali latum eſt Remis adversùs hanc cujuſdam Theologi propoſitionem, publicis in theſibus propoſitam: *Doctrina Ludovici Molinæ aliorumque theologorum, qui concordiam libertatis humanæ cum gratia divina ope ſcientiæ mediæ tradere enucleatius tentarunt, ita ab errore Calvini, aliorumque hujus ætatis ſectariorum recedit, ut ad opinionem Pelagianorum nullo modo accedat. Et ideò tam validè impetita, toties à diverſi generis hoſtibus impugnata, & coram ſummis Pontificibus, tam diligenter agitata, tanquam aurum in fornace probata, purior inventa eſt, ut ait Maurolicus; & cum honore ex tot diſputationum fluctibus emerſit*: Sic autem Gallicè habet illud decretum: *Nous avons condamné, & condamnons la premiere poſition de la troiſieme colonne de la Theſe du cinquieme de Decembre dernier, que nous avons cy deſſus rapportée, comme fauſſe, temeraire, ſcandaleuſe, captieuſe & induiſante en erreur*: hoc eſt: *Damnavimus, & damnamus primam poſitionem tertiæ columnæ theſeos, tanquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, & quæ in errorem inducat.* Rationes graviſſimas, quibus ea condemnatio nititur, legere eſt in ipſiuſmet condemnationis exemplari, quod tertiò editum eſt Pariſiis apud Aniſſonium regiæ typographiæ præfectum. Eò autem majoris eſt ponderis illud decretum, quòd ubiqui ſummo omnium ordinum plauſu receptum ſit, ac latum ab illuſtriſſimo Carolo Mauricio le Tellier Remenſium Archiepiſcopo, qui nulli orbis Præſuli, nulli Eccleſiæ Doctori in Scripturæ, & Patrum peritia ſecundus eſt, quique ſemper ſedulò curavit, ut ab Eccleſia, cui tanta cum laude præeſt, tum laxior diſciplina, tum quælibet, ſive in fide, ſive in moribus, novitates exularent.

CAPUT IV.

De cauſalitate ſcientiæ Dei.

Not. STatus quæſtionis eſt 1. utrùm ſcientia Dei ſit cauſa rerum: 2. utrùm ſit earum cauſa efficiens: 3. cuinam divinæ ſcientiæ id competat: 4. utrùm res ideò ſint futuræ, quod ſciantur à Deo; an verò ſciantur, quòd ſint futuræ.

CONCLUSIO 1. Scientia Dei eſt cauſa rerum, tum directiva, tum efficiens.

Probatur 1. Scientia Dei influit in rerum productionem juxta illud Pſal. 103. *Omnia in ſapientia feciſti*. 2. Scientia Dei ſe habet reſpectu rerum producendarum, ſicut prudentia & ars in artifice reſpectu factibilium; nimirum ſuppeditat rerum ideas, inclinatque, ut ad earum exemplar, opus externum fiat.

CONCLUSIO 2. Nec ſcientia viſionis, nec ſcientia media, ſi quæ detur; ſed ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, eſt cauſa rerum.

Probatur prior pars. Quod præſupponit futuritionem rerum, non eſt earum cauſa, cum eſſentiale ſit cauſæ, ut ſit prior ſuo effectu; atqui ſcientia viſionis præſupponit futuritionem rerum: ergo non eſt earum cauſa.

Et quidem. *Primò*, præſupponit futuritionem rerum neceſſariarum, quia præſupponit decretum abſolutum, quo earum futuritio decernitur: eſt enim eo decreto poſterior, cum (ut ſuo loco dictum eſt) illud decretum ſit medium, in quo futura neceſſaria a Deo videntur. *Secundò*, ſcientia viſionis præſupponit quoque, ſaltem reſpectu ſtatus naturæ lapſæ, futuritionem actuum liberorum ordinis ſupernaturalis: quippè quòd actus illi ſint futuri ex decreto abſoluto, quod Deus ab æterno tulit de eorum futuritione: unde (ut ſuperius probatum eſt) illud decretum eſt medium, in quo a Deo ſciuntur; medium verò prius eſt cognitione objecto, cujus eſt medium. *Tertiò*, actus liberi ordinis naturalis, imò & ſupernaturalis in ſtatu naturæ innocentis, præſupponuntur quoque futuri, antequam a Deo cognoſcantur. Cùm enim (ut oſtendetur in tractatu de gratia) Deus eos non operetur per decretum abſolutum & efficax, ſcientia Dei ad eorum productionem non concurrit efficienter.

Probatur altera pars. Ex authoribus, ac defenſoribus ſcientiæ mediæ, futura ſub conditione præcedunt Dei cognitionem: per eam nimirum (inquiunt) Deus videt, ad quid voluntas ſeſe ex innata libertate determinatura ſit, ſi in his, aut in illis circumſtantiis a Deo ponatur.

Probatur tertia concluſionis pars. Sola ſcientia ſimplicis intelligentiæ præcedit futuritionem rerum: ſola in eas influit per modum prudentiæ & artis; prudentiæ quidem, inducens Dei voluntatem, ut hoc vel illud operari velit; artis verò, oſtendens, poſt determinationem voluntatis, modum quo res faciendæ ſunt.

Objicies 1. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt merè ſpeculativa, tota nimirum occupatur in contemplanda rerum poſſibilitate; atqui (ut patet) habitus merè ſpeculativus non eſt cauſa efficiens rerum: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Scientia ſimplicis intelligentiæ non applicata per actum divinæ voluntatis, eſt merè ſpeculativa, conc. maj. applicata per actum voluntatis, neg. maj. Conceſſa minore, diſt. conſeq. Ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ non applicata per actum divinæ voluntatis, non eſt cauſa efficiens rerum, conc. conſeq. applicata per actum divinæ voluntatis, neg. conſeq.

Ut ſolutio intelligatur, tria rationis inſtantia diſtinguenda ſunt; in primo Deus habet ideas rerum omnium poſſibilium; in altero ſeſe determinat ad producendum hominem, v. g. juxta ideam hominis, quam in primo inſtanti gerebat in mente; in tertio denique videt hominem exiſtentem: in priore ex iis inſtantibus ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt merè ſpeculativa, at in altero eſt practica, quia dirigit Deum, ut ſe determinet ad hominis productionem, ad eamque concurrit per modum cauſæ exemplaris.

Objicies 2. Impoſſibile eſt, aliquam ſcientiam eſſe cau-

causam rei, quam non cognoscit: non enim est causa, nisi cognoscendo; atqui scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit futura: siquidem illius, prout specie distinguitur a cæteris divinis scientiis, objectum non est ens, quod existat in aliqua temporis differentia, sed quod ab omni differentia temporis præscindit.

Resp. ad 1. disting. maj. Si nec ipsam rem futuram, nec ideam, ad quam fieri debet, cognoscat, conc. maj. si cognoscat ideam, ad quam fieri debet, neg. maj. Distinguo pariter min. Atqui scientia simplicis intelligentiæ non cognoscit futura, sed cognoscit ideam, ad quam fieri debent, conc. min. & non cognoscit illam ideam, neg. min. Ars in artifice non cognoscit ipsum opus, quod artifex operari voluerit, sed cognoscit ideam, ad quam, ex suppositione quòd fiat, exigi debet; ea tamen ars est causa operis: ergo pariter scientia simplicis intelligentiæ ideò est causa rerum futurarum, quòd cognoscat ideam, ad quam futura, si fiant, exigi debent.

CONCLUSIO 4. Non ideò res futuræ sunt quòd à Deo præsciantur: sed ideò præsciuntur, quòd futuræ sint.

Probatur. Futura vel sunt necessaria, vel libera: atqui neutra ideò futura sunt, quòd a Deo præsciantur; imò ideò præsciuntur, quòd sint futura.

Et quidem *Primò*, entia necessaria non præsciuntur, nisi post decretum absolutum & efficax de eorum futuritione: quippe (ut superiùs dictum fuit) illud decretum est medium, in quo cognoscuntur: proindeque eorum futuritio præcedit, secundùm nostrum concipiendi modum, Dei prævisionem.

Secundò. Futura libera sunt vel peccata, vel bona opera, vel actus ex se indifferentes: atqui neutrum ex iis futurum est, quòd à Deo præsciatur: siquidem ex iis futuris nullum est, cujus futuritio non præcedat in instanti rationis, Dei scientiam.

De peccatis id planè certum est: *Non ideò* (inquit Hieronymus Dialogo 3. adversùs Pelagianos) *peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat; sed præscivit Deus, quod ille erat propria voluntate facturus.*

De pietatis operibus idem quoque constat: Siquidem pia opera in statu naturæ lapsæ sunt futura per decretum de conferenda gratia efficaci, per quam in tempore futura sunt: atqui illud decretum præcedit, secundùm nostrum concipiendi modum, Dei præscientiam; cum, ut suo loco probatum est, sit medium, in quo pietatis opera, ad naturæ lapsæ statum pertinentia, a Deo præsciuntur.

De actibus ex se, hoc est, secundùm speciem, indifferentibus, idem pariter evidens est. Nam vel illi actus à voluntate creata eliciuntur absque præmotione, seu prædeterminatione physica, & cum solo simultaneo Dei concursu, vel non eliciuntur sine physica præmotione, seu prædeterminatione: si primum, non prævidentur futura, nisi ex suppositione, quòd voluntas adjuta concursu simultaneo, sese ad eos determinatura sit: ergo in ea suppositione priùs, in instanti saltem rationis, illi actus futuri sunt, quàm à Deo præsciantur. Si secundum, actus, de quibus agitur, non præsciuntur, nisi in instanti rationis ac naturæ, post decretum de conferenda prædeterminatione physica, cui illi actus suam debent futuritionem.

Objicies 1. Patres docuisse videntur, ideò res esse futuras, quòd Deus eas præscierit, non è contra. Augustinus lib 13. Confess. cap. 38. sic loquitur: *Nos ista, quæ fecisti, videmus, quia sunt; Tu autem quia vides ea, sunt*. Eodem modo loquitur lib. 6. de Trinit. cap. 10. lib. 15. cap. 13. Similia habet Gregorius lib. 20. Mor. c. 24.

Resp. iis textibus Patres non aliud velle, quam quòd Deus non, ut solent creaturæ, cœperit videre res, cum in tempore eductæ sunt ex nihilo, sed e contra eas ab æterno viderit in essentia divina, in qua, etiam secundùm proprium suum esse, repræsentantur.

Objicies 2. Si ideò res a Deo cognoscerentur, quòd in priori naturæ futuræ sint, essent causa divinæ scientiæ: sed hoc est falsum; nam alioquin a rebus creatis penderet: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia ut aliquid sit causa alterius, debet illi dare esse: at res futuræ non dant esse divinæ scientiæ, sed tantùm eam terminant, sicut objectum terminat actum oculi corporei.

QUÆSTIO XL.

De voluntate Dei.

Not. UT quæ ad Dei voluntatem spectant, cum methodo pertractentur, quæstionem hanc, partiemur in plura Capita, in quibus divinæ voluntatis existentiam, divisionem, objectum, causalitatem, efficaciam, & libertatem expendemus.

CAPUT PRIMUM:

Utrum in Deo sit voluntas.

CONCLUSIO Existit voluntas in Deo.

Probatur 1. Scripturæ Deo voluntatem adscribunt. Psal. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit*. Matth. 6. jubente Christo sic Deum oramus *Fiat voluntas tua.* Ad Rom. 6. *Voluntati ejus quis resistit?*

Probatur 2. In Deo existit intellectus, cum, ut præcedenti quæstione demonstratū est, in eo sit scientia; scientia verò sit actus intellectus: ergo in eo est etiam voluntas: siquidem intellectus ex se ordinatur ad voluntatem: nam ideò alicui substantiæ cognitio conceditur, ut cognitum possit vel appetere, si sibi sit conveniens, vel, si disconveniat, fugere.

Quæres 1. an voluntas sit in Deo propriè, an metaphoricè tantùm?

Resp. voluntatem esse in Deo propriè, & non metaphoricè. Ratio est, quia, ex dictis, omnis perfectio simpliciter simplex est in Deo propriè, hoc est, secundum suam propriam formam: Atqui voluntas est ejusmodi, quippè, ut loquuntur, melior est ipsa, quam non ipsa.

Quæres 2. utrum voluntas sit in Deo per modum potentiæ, quæ in substantia divina recipiatur, quemadmodum in homine recipitur in anima?

Resp. voluntatem a parte rei esse omninò idem cum divina substantia: quia, sicut contra Abaelardum suo loco dictum est, quidquid est in Deo, realiter Deus est: sed secundum nostrum concipiendi modum, in Dei substantia recipitur, quòd nimirùm id fiat in rebus creatis, ad quarum normam de divinis judicare solemus.

CAPUT II.

De divisione divinæ voluntatis.

Not. 1. NON est hic quæstio de voluntate, prout est à parte rei: quippè constat ex dictis, quòd sic sumpta, sit una tantùm & non multiplex: sed est quæstio de voluntate Dei, prout à nobis viatoribus concipitur.

Not. 2. Celebris est in schola divisio divinæ voluntatis in voluntatem Signi & in voluntatem Beneplaciti: tum in voluntatem Antecedentem & in voluntatem Consequentem. De duplici illa divisione subsequentibus Articulis est agendum.

ARTICULUS I.

De divisione divinæ voluntatis in voluntatem Signi, & in voluntatem Beneplaciti.

Not. HIC quæri potest 1. utrum reverà admittenda sit divisio divinæ voluntatis in voluntatem signi, & in voluntatem beneplaciti: 2. quot sint species voluntatis signi.

CONCLUSIO 1. Admittenda est divisio divinæ voluntatis in voluntatem signi, & in voluntatem beneplaciti.

Probatur. Admittenda est divinæ voluntatis divisio ex parte modi, quo Deus vult res: atqui exigit ille modus, ut Dei voluntas dividatur in voluntatem signi, & in voluntatem beneplaciti: Nam Deus vult res vel impropriè, ut Isaaci occisionem ab Abrahamo; vel propriè, ut conservationem Universi. Si primum, constituitur voluntas signi: si verò secundum, constituitur voluntas beneplaciti.

Hinc patet 1. voluntatem signi esse tantùm metaphoricè in Deo; voluntatem verò beneplaciti, formaliter. Patet 2. voluntatem signi nihil aliud esse, quam signum temporarium, quo judicamus Deum aliquid velle: voluntatem verò beneplaciti esse veram ac sinceram Dei in objectum aliquod propensionem. De priori voluntatis specie intelliguntur hæc Psal. 15. verba: *Mirificavit omnes voluntates meas in eis*: de posteriori verò hæc Pauli ad Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?*

Objicies. Divisio, de qua in conclusione, admitti non debet: Siquidem non valet divisio totius in partes, quarum una includit aliam, cum ex logicis divisio fieri debeat in opposita membra: atqui pars allatæ divisionis includit aliam: quippè omnis voluntas signi est etiam voluntas beneplaciti: alioquin signum divinæ voluntatis esset falsum, quippè Deus præciperet, aut suaderet, quod revera non vellet: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ad 3. dist. ant. Alioquin signum divinæ voluntatis esset falsum, si esset a Deo positum, ut testaretur Deum revera velle id, quod aut præcipit, aut suade, aut permittit, conc. ant. si significaret, Deum velle aliud, neg. ant. Consilium, præceptum, permissio, aliaque divinæ voluntatis signa non semper a Deo ponuntur, ut significent, Deum reverà velle, quod aut suadet, aut præcipit, aut permittit; sed nonnunquam ponuntur, ut significent, Deum velle aliquid omninò distinctum ac diversum ab eo, quod aut suadet, aut præcipit, aut permittit: v.g. cum aliquid præcipit, sincerè vult, ut homines ad id teneantur, quod injungit; cum aliquid permittit, vult revera, ut id sit in ejus potestate, cui permittitur. Sic, cum Deus Abrahamo præcepit Isaaci cædem, non præcepit, tanquam signum, quo testaretur, se revera velle eam cædem, sed eam præcepit, tanquam signum, quo velebat, ut Abrahamus significaret, se paratum animum habere ad Isaaci cædem. Idem sæpiùs apud homines contingit: nempè multa præcipiunt, quæ revera nolunt fieri: sed tantùm ut eorum, quibus imperant, exploratam habeant voluntatem.

CONCLUSIO 2. Quinque sunt species voluntatis signi, scilicet præceptum, consilium, prohibitio, permissio, operatio.

Probatur. Tot sunt species voluntatis signi, quot sunt species signorum; quibus judicamus Deum aliquid velle: atqui signorum ejusmodi sunt quinque species: nam tot sunt signa, quibus judicamus, Deum aliquid velle: quippè Deum hic non apprehendimus, ut in se est, sed de eo raciocinamur, ut solemus de rebus creatis: atqui sunt quinque signorum species, quibus judicamus creatam voluntatem aliquid velle, aut nolle: velle quidem, cum præcipit, aut suadet, aut permittit, aut operatur: nolle verò, cum prohibet.

ARTICULUS II.

De divisione divinæ voluntatis in Antecedentem, & Consequentem.

Not. UT difficultas, de qua agitur, clarè expendatur, tria quærenda sunt 1. utrum admittenda sit divinæ voluntatis divisio in Antecedentem, & Consequentem: 2. unde ejusmodi divisio petatur. 3. an utraque illa voluntas sit in Deo propriè ac formaliter.

§. I.

Utrum admitti debeat divinæ voluntatis divisio in antecedentem, & consequentem.

Not. Quid antecedentis, & consequentis voluntatis nomine debeat intelligi, supponimus ex hujusce Capitis paragrapho secundo.

CONCL. Admitti debet divinæ voluntatis divisio in antecedentem, & consequentem.

Probatur. Ea divisio est admittenda, cujus Patres meminerunt: atqui Patres meminerunt divisionis voluntatis divinæ in antecedentem, & consequentem: ergo &c. Minor variis Patrum testimoniis ostenditur.

Chrysostomus hom 1. in epist. ad Ephesios distinguit in Deo voluntatem primam, & voluntatem secundam: *Prima* (inquit) *est, ut non pereant, qui non peccarunt. Voluntas secunda est, ut qui facti sunt mali, pereant*: atqui prima & secunda voluntas idem plane sunt cum voluntate antecedente, & consequente, ut ex mox dicendis patebit.

S. Joannes Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. expressè meminit divisionis, de qua agitur: *Prima quidem voluntate* (ait) *Deus vult omnes homines servari, ac regni sui compotes esse: neque enim supplicii ac cruciatus causa, verùm ad hoc ut bonitatis ipsius participes simus, nos effinxit: ut justus autem iis quoque, qui peccant, pœnam infert, hoc est voluntate consequenti, seu secundaria.*

S. Thomas eandem divisionem refert 1. p. q. 19. art. 6. ubi solvens argumentum, ex hac Apostoli sententia petitum. *Dens vult omnes homines salvos fieri*; sic loquitur: *Tertiò secundùm Damascenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente.*

§. II.

Unde petatur divisio divinæ voluntatis in antecedentem, & consequentem.

Not. 1. Licèt omnes theologi admittant divisionem divinæ voluntatis in antecedentem, & consequentem, dissentiunt tamen quammaximè circa id unde petatur.

Not. 2. Qui jurant in verba Ludovici Molinæ, docent eam, de qua agitur, divisionem peti ex vario respectu, quem habet divina voluntas ad creaturæ rationalis voluntatem: Antecedens Dei voluntas (inquiunt) est ea, quæ intelligitur præcedere creaturæ rationalis consensum: Consequens verò, quæ intelligitur eundem consensum supponere.

Not. 3. Eam interpretationem laudati Scriptores commenti sunt, ut declinarent argumentum, quod ex ea divisione petitur adversùs illorum systema de prædestinatione & gratia: Si enim voluntas consequens in instanti naturæ præcedat futurum creatæ voluntatis consensum, ac semper (ut docet S. Thomas) impleatur, voluntas Dei erit per se efficax, seu independenter a prævisione consensus voluntatis; erit pariter in Deo volun-

tas efficax & absoluta salvandi quosdam homines independenter a prævisione meritorum: ac proinde prædestinatio erit gratuita, non tantùm ad gratiam, sed etiam ad gloriam; quod tamen negant Authores, de quibus agitur.

Not. 4. Theologi, qui sunt extra Molinæ scholam, unanimi consensu docent, divisionem, de qua est quæstio, non peti ex aliquo respectu, quem Dei voluntas dicat ad prævisum, aut non prævisum voluntaris creatæ consensum; sed ex diverso statu, in quo creatura rationalis potest considerari. Potest autem considerari, vel in se, hoc est, abstrahendo a circumstantiis, cum quibus existit à parte rei, vel in circumstantiis, in quibus a parte rei existit.

CONCLUSIO 1. Voluntas Dei non dicitur antecedens ex eo, quòd antecedat consensum, quem creata voluntas aut præbitura est, aut negatura gratiæ excitanti: non dicitur quoque consequens ex eo, quòd supponat prævium ejusdem creatæ voluntatis consensum: hoc est Dei voluntas non dicitur aut antecedens aut consequens, quòd aut præcedat aut subsequatur meritorum vel demeritorum prævisionem.

Probatur 1. Si valeret Adversariorum sententia, divisio, de qua agitur, non esset in membra opposita: utraque nimirùm Dei voluntas præcederet in instanti naturæ nostrum divinæ gratiæ consensum aut dissensum: antecedens quidem ex ipsis Adversariis; consequens etiam, quia (ut suo loco dicetur) est in statu naturæ lapsæ causa nostri consensus, ad eumque voluntatem infallibiliter determinat: unde (ut ait S. Thomas) ea consequens Dei voluntas semper impletur.

Probatur 2. Si veritate niteretur expositio, quam Molinæ discipuli affingunt ei loquendi modo, quo S. Ioannes Chrysostomus, S. Joannes Damascenus, & S. Thomas usi sunt, eam expositionem laudati Patres tradidissent, cum explicarunt, quid intelligerent nomine voluntatis antecedentis & consequentis: atqui eam nequaquam tradiderunt, imò ne vel illius apex apud illos Scriptores legitur: ergo, &c.

CONCLUSIO 2. Divinæ voluntatis in antecedentem & consequentem divisio, quam Patres tradiderunt, sumitur ex diverso statu, in quo objectum aliquod potest considerari; ita ut antecedens sit ea, quæ versatur circa objectum, ut est in specie, seù præcisum & abstractum a circumstantiis particularibus, in quibus in individuo & a parte rei reperitur: consequens è contra sit ea, quæ versatur circa objectum, non tantùm in specie consideratum, sed etiam in individuo, seu, cum omnibus circumstantiis, in quibus in individuo & a parte rei existit.

Probatur authoritate S. Thomæ, qui 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. sic loquitur: *Ad cujus* divisionis voluntatis divinæ in antecedentem & consequentem *intellectum, considerandum est, quod unumquodque, secundùm quod bonum est, sic est volitum à Deo: aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundùm quod absolutè consideratur, bonum vel malum, quod tamen prout cum aliquo adjuncto consideratur, quæ est consequens consideratio ejus, è contrario se habet. Sicut hominem vivere est bonum, & hominem occidi, est malum secundùm absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem, quòd sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est, eum occidi, & malum est eum vivere; unde potest dici, quòd Judex justus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult, omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundùm exigentiam suæ justitiæ.* Eadem ratione loquitur S. Doctor quæstione 23. de veritate, nec non lectione 1. in caput secundum prioris ad Timoth. epistolæ.

Objicies. Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. innuere videtur, antecedentem Dei voluntatem esse illam, quæ non præsupponit operationem creaturæ, consequentem vero, quæ eam præsupponit: *Voluntas antecedens* (inquit) *est acceptio Dei ex ipso existens, & consequens est concessio ex causa nostra.* Idem docet S. Thomas: *Voluntas consequens,* inquit in I. Sent. dist. 46. art. 1. *præsupponit præscientiam operum.*

Resp. dist. ant. Voluntas consequens justitiæ, de qua non est hic quæstio, supponit præscientiam operum, conc. ant. voluntas consequens misericordiæ, de qua hic agitur, neg. ant. Ratio discriminis est, quia voluntas consequens justitiæ, necessariò præsupponit demeritum, non quidem præcisè ex eo, quòd sit voluntas consequens, sed quòd sit pœnæ inflictiva; justè verò infligi pœna non possit, nisi demeritum præcesserit: è contra voluntas consequens misericordiæ, cum non sit ex ratione debiti, non præsupponit meritum, quod præcesserit.

§. III.

Utrum voluntas antecedens sit in Deo propriè.

Not. 1. Status quæstionia est, utrum Deus propriè, hoc est, interiùs, velit id, quod dicitur velle per voluntatem antecedentem: an verò tantùm impropriè, id est exteriùs, nempè aut quòd nos id velle faciat, aut quòd præcipiat, ut id velimus.

Not. 2. Circa eam quæstionem duplex est Authorum sententia. Prior, quæ a pluribus Thomistis, & ab omnibus Molinæ discipulis defenditur, docet, voluntatem antecedentem esse in Deo propriè & non tantùm metaphoricè. Altera est Bannesii multorumque veterum Thomistarum, quibus subscribit Estius in 1. Sent. dist. 46. §. 3. ubi sic loquitur: *Cæterum longè probabilius sentiunt, qui negant, in Deo formaliter & propriè esse voluntatem antecedentem.* Iisdem fere terminis subscribit etiam Sylvius in 1. p. S. Thomæ q. 19 art. 6.

Not. 3. Quæstio, de qua agitur, potest considerari vel speculative, vel practicè, seu vel in se ipsa, vel in ordine ad prædestinationem & gratiam: hoc est, quæri potest, utrum sententia sive affirmans, sive negans, voluntatem antecedentem esse in Deo formaliter & propriè, quidquam conferat ad prædestinationis & gratiæ mysterium.

CONCLUSIO 1. Voluntas antecedens est propriè in Deo, & non metaphorice tantùm.

Probatur 1. authoritate S. Thomæ. *Lectione* 1. in cap. 2. prioris ep. ad Timoth. S. Doctor antecedentem Dei voluntatem comparat cum voluntate, quam habet mercator servandi suas merces, quas tamen projicit in mare, ut sæviente tempestate, vitet naufragium: atqui ea voluntas est propriè in mercatore: ergo, &c. Idem S. Thom. q. 23. de veritate art. 3. asserit, beneplaciti voluntatem, quæ propriè est in Deo, *dividi per antecedentem & consequentem.* Idem docet in 4. Sent. dist. 47. art. 2. ubi hæc habet: *Possumus ergo loqui de voluntate beneplaciti vel signi, & de voluntate beneplaciti vel consequente vel antecedente;* voluntas verò beneplaciti est propriè in Deo.

Probatur 2. ratione. Ea voluntas est propriè in Deo, cujus objectum est in se bonum: nam cùm Dei voluntas sit infinita, verè ac propriè amat id omne, quod bonum est: atqui objectum voluntatis antecedentis est in se bonum: v. g. bonum est hominem in se sumptum salvari, hoc est prout est ad imaginem Dei conditus, & abstrahendo a peccati statu, in quo versatur.

Objicies 1. S. Thomas in opusculo de præscientia & prædestinatione expresse asserit, Dei voluntatem antecedentem non reduci ad voluntatem beneplaciti, sed tantùm ad voluntatem signi: atqui voluntas signi non

est

est propriè in Deo: ergo nec voluntas antecedens.

Resp. non convenire omnes, quòd illud opusculum sit germanus fœtus S.Thomæ, unde in prioribus illius operum editionibus non legitur.

Objicies 2. Verum est quidem, S.Thomam in prioribus suis operibus docuisse, antecedentem voluntatem esse propriè in Deo: sed id, sicut & multa alia, retractavit in sua Summa theologica. Nam 1.p. q. 19. art. 6. ad 1. docet, voluntatem antecedentem non esse voluntatem simpliciter, sed tantùm secundùm quid: esse meram velleitatem: *Unde* (inquit) *magis potest dici velleitas, quàm simplex voluntas*. Præterea S. Doctor, qui in Sent. scribens, diviserat voluntatem beneplaciti in voluntatem antecedentem & consequentem, in Summa nusquam eam divisionem proposuit: atqui voluntas secundùm quid, velleitas, non sunt propriè in Deo: ergo, &c.

Resp. dist. maj. S.Thomas docet voluntatem antecedentem respectivè sumptam, hoc est, comparatam cum voluntate consequente, esse voluntatem secundùm quid, esse velleitatem, conc. maj. quia consequens est semper efficax, nusquam verò antecedens. Esse voluntatem secundùm quid, esse velleitatem, absolutè & in se sumptam, neg. maj. quippè, ut dictum est, se habet sicut in mercatore voluntas conservandi suas merces, quas tamen, ut vitet naufragium, in mare projicit.

CONCLUSIO 2. Sententia sive affirmans, sive negans, voluntatem antecedentem esse in Deo propriè, nullam habet connexionem cum prædestinationis aut gratiæ mysterio.

Probatur. Illud nullam habet connexionem cum prædestinationis aut gratiæ mysterio, quod Deum non movet, ut aliquid aut definiat, aut operetur circa creaturam rationalem: atqui voluntas antecedens est ejusmodi: nam (teste S.Thoma) se habet in Deo voluntas antecedens respectu hominis lapsi, sicut se habet in Judice voluntas antecedens salvandi hominem alicujus flagitii reum: atqui antecedens voluntas non movet Judicem, ut aliquid aut definiat, aut operetur circa illum hominem: nempe ex vi illius voluntatis Judex non eligit media, quibus illius vitæ consulat: imò ne eligat ejusmodi media, impedimento est voluntas consequens, vi cujus in eum fert mortis decretum, imperatque tortori, ut illud mandet executioni: ergo, &c.

Objicies. Si voluntas antecedens in Deo sit propriè, Deus habebit veram, sinceram, & propriè dictam voluntatem salvandi omnes in individuo homines: quippè circa omnium in individuo hominum salutem habet voluntatem antecedentem; ergo singulis in individuo hominibus actu conferret gratias ad salutem necessarias: siquidem qui verè, sincere ac voluntate propriè dicta, vult conferre finem, debet eadem voluntate velle conferre media, ad illum finem comparandum absolutè necessaria: ergo, &c.

Resp. ad 1, conc. ant. neg. conseq. Ad 2. dist. ant. Si velit finem voluntate consequente, conc ant. si voluntate tantum antecedente, neg. ant. Ratio est, quia media conferuntur subjecto prout est à parte rei, non autem prout consideratur in statu, in quo revera non est: at (ut ex supra dictis patet) voluntas antecedens non respicit subjectum prout est à parte rei, sed tantùm prout consideratur in statu, in quo reverà non est, præcisum nimirùm a circumstantiis particularibus, in quibus revera reperitur: unde, cum Deus per voluntatem antecedentem velit salutem hominis, ut homo est, abstrahendo, an sit reus, ut est tamen revera post peccatum primi parentis; mirum non est, quòd hujusmodi voluntatis media, ad salutem sufficientia, illi actu & de facto non conferat. Id patet Judicis exemplo, quo ipse S.Thomas utitur; patet etiam exemplo Abrahami, qui licet voluntate antecedente vere ac propriè vellet Isaaci vitam, prout filius erat innocens, non adhibuit tamen media, quibus illi consuleret: imo quòd voluntate consequente propter Dei mandatum vellet ejus mortem, distrinxit gladium, ut illi vitam eriperet. Sed de his satis: de iis enim redibit sermo in nostro tractatu de gratia.

CAPUT III.

De objecto divinæ voluntatis.

Not. 1. Quemadmodum objectum intellectus est verum, ita objectum voluntatis est bonum: unde id omne, quod habet rationem boni, est objectum divinæ voluntatis. Ratio verò boni reperitur in Deo; in creaturis existentibus in aliqua temporis differentia; in iis etiam, saltem aliqua ratione, quæ sunt merè possibiles. Hic igitur quærendum est, utrum Dei voluntas versetur circa Deum ipsum, creaturas existentes in aliqua temporis differentia, & creaturas merè possibiles.

Not. 2. Objectum, ex logicis, duplex est, materiale & formale. Prius à potentia non attingitur propter se, sed tantùm propter aliud: è contra posterius propter se, absque ordine ad aliud attingitur.

CONCLUSIO 1. Objectum materiale divinæ voluntatis sunt Deus ipse; creaturæ, quæ existunt in aliqua temporis differentia, non verò, quæ merè sunt possibiles.

Probatur prior pars. Voluntas infinita debet habere pro objecto bonum infinitum, quippe objectum debet esse proportionatum facultati, per quam attingitur: atqui Deus in se sumptus, est bonum infinitum: ergo Deus ipse est objectum materiale divinæ voluntatis.

Probatur altera pars. Voluntas Dei habet pro objecto materiale id omne, cui inest aliqua ratio boni: alioquin vis illius non esset infinita, quippe daretur aliquod bonum, quod non attingeret: atqui creaturis existentibus in aliqua temporis differentia inest aliqua ratio boni, participata nimirùm: ergo, &c.

Probatur tertia pars: In tantùm Deus amat aliquid, in quantùm illi bonitatem tribuit, quia Dei amor non est affectivus tantùm, sed etiam effectivus, ita ut impertiatur objecto bonum, quod in eo amat: atqui Deus nullam omninò bonitatem tribuit, nec tribuet unquam creaturis merè possibilibus: hoc est, quæ nunquam existent in aliqua temporis differentia: ergo Deus non amat creaturas possibiles.

Objicies 1. Id Deus amat, quod necessariò connexum est cum aliquo ex illius attributis, quippè quod sic connexum est, confert ad ejusmodi attributi bonitatem: atqui creaturæ, etiam mere possibiles, sunt connexæ cum aliquo ex attributis divinis, nempè cum omnipotentia: si enim nullæ creaturæ essent possibiles, in Deo nulla esset omnipotentia: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Deus amat id omne, quod est connexum *à priori* cum aliquo ex illius attributis, conc. maj. quod est connexum tantùm *a posteriori*, neg. maj. Hoc, non autem illo modo, creaturæ merè possibiles connexæ sunt cum Dei omnipotentia: neque enim sunt causa aut conditio quòd in Deo detur omnipotentia: sed potiùs ideò sunt possibiles, quòd in Deo sit omnipotentia: se habent enim illius respectu per modum termini & effectus.

Objicies 2. Creaturæ merè possibiles habent aliquam bonitatem, nimirùm essentialem partium integritatem: nam essentia abstrahit ab existentia: ergo amantur a Deo: cùm nullum sit bonum, quod ab ejus voluntate non attingatur.

Resp. dist. ant. Habent bonitatem objectivam, hoc est, in mente hominis abstrahentis, conc. ant. bonitatem realem, seu a parte rei existentem, neg. ant. Hanc, non autem illam attingit Dei voluntas.

CONCLUSIO 2. Craturæ non sunt objectum formale amoris divini, sed sola illius bonitas increata.

Probatur. Quod à Deo non amatur ratione sui non est objectum formale divini amoris: atqui creaturæ a Deo non amantur ratione sui; siquidem amantur tantùm ratione bonitatis increatæ; seu, prout sunt illius aut participatio, aut manifestatio. Præterea creaturæ non possunt movere Deum ad sui amorem per modum finis, quia alioquin Deus moveretur ab aliquo extra se posito; quod est absurdum: ita ratiocinatur S. Thomas 1. p. q. 19. art. 2. ad 2. 2.

Objicies 1. Si sola bonitas increata esset objectum formale amoris divini, unica esset in Deo virtus, charitas nimirùm, quæ versatur circa Deum, prout in se bonus est. Nam in eo est unica virtus, in quo unica ratio formalis omnium actuum, & habituum, nempè multiplicitas actuum aut habituum, sumitur á multiplicitate rationum formalium, quæ in iis tum actibus, tum habitibus, reperiri possunt; atqui esset unica ratio formalis omnium Dei actuum, increata nimirùm illius bonitas, à qua sola moveri posset: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. maj. Si illa ratio formalis non contineat eminenter rationem formalem omnium aliarum virtutum, conc. maj. si contineat, neg. maj. Increata Dei bonitas, prout est ratio miserendi, parit in Deo virtutem misericordiæ: prout est ratio præmiandi, parit virtutem justitiæ; & ita de cæteris: hinc patet, increatam Dei bonitatem esse rationem volendi actum cujuscumque virtutis particularis.

Objicies 2. Voluntas divina amat creaturas, non tantùm prout earum bonitas in bonitate divina continetur; sed prout sunt bonæ in seipsis: ergo creaturæ sunt objectum formale divinæ voluntatis.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia, licet res amentur, prout sunt in se ipsis, se habent tamen per modum objecti materialis: non enim earum bonitas est ratio formalis, sub qua à Deo amantur.

CAPUT IV.

Utrum Dei voluntas sit causa rerum.

Not. Hic duo quæremus: 1. utrum Deus sit causa rerum per suam voluntatem: 2. utrum sit causa mali.

CONCLUSIO 1. Deus est causa rerum per suam voluntatem.

Probatur 1. ex Scriptura Psal. 134. *Omnia quæcumque voluit, fecit.* Ad Ephes. 1. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Sapientiæ 2. *Quomodo potest aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Hinc Augustin. lib. 13. de Trinit. cap. 4. omnes omninò tum species tum motiones reducit ad Dei voluntatem, tanquam ad summam, & primam rerum omnium causam.

Probatur 2. ratione. Ille est causa rerum per voluntatem, qui est agens per intellectum: nam actio intellectus est propter actionem voluntatis, cum intellectus sit radix, ac fundamentum voluntatis, atqui Deus agit per actionem intellectus, cognoscendo nimirùm res producendas, & suppeditando ideas, ad quas exigi debent, ut efformentur, ergo, &c.

Quæres, utrum Deus magis immediatè operetur per voluntatem, quam per intellectum.

Resp. affirmativè. Ratio est, quia quod determinat aliud ad operandum, magis immediatè operatur: atqui, secundum nostrum concipiendi modum, divina voluntas determinat intellectum ad operandum: quippè intellectus ex se est indifferens ad opus, cum nihil aliud efficiat, quam præbere ideam, ad quam opus exigatur.

CONCLUSIO 2. Dei voluntas est causa mali, tum naturæ, tum pœnæ: sed non est causa mali culpæ.

Probatur prior pars. Malum naturæ est defectus, qui in rebus naturalibus contingit; atqui Dei voluntas est causa defectus hujusmodi: nempè ille defectus habet rationem boni; confert enim aut ad decus aut ad conservationem universi, ut in rerum generationibus, & corruptionibus videre est.

Probatur altera pars ex Scriptura: *Si erit malum in civitate* (inquit Amos cap. 3.) *quod Dominus non fecerit?* Apud Isaiam cap. 45. sic Deus ipse loquitur: *Ego Dominus faciens pacem & creans malum.* Eccles. 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* Præterea, mala pœnæ ordinari possunt ad bonum, scilicet ad justitiæ conservationem, ad coercitionem impietatis, ad fructum boni operis: ergo Deus potest amare mala pœnæ sub iis rationibus considerata.

Probatur tertia pars. Deus non est causa ejus, quod non est ens; atqui malum culpæ, seu peccatum, non est ens: siquidem malum culpæ non est aliquid positivum, sed mera bonitatis privatio: *Quid est autem aliud* (inquit Augustinus in Enchiridio ad Laurentinum cap. 11.) *quod malum dicitur, nisi privatio boni?* Lib. 1. contra Julianum cap. 8. idem S. Doctor asserit: *Et hoc* (ait) *non est aliquid, quoniam penitùs nihil est, & ideò non potest authorem habere, quod nihil est.*

CAPUT V.

Utrum Dei voluntas semper impleatur.

Not. 1. Non est hic quæstio de voluntate signi: quippè experientia compertum est, eam non esse efficacem: multa enim aut consuluntur, aut præcipiuntur a Deo, quæ a creatura rationali executioni non mandantur.

Not. 2. Non est quoque quæstio de voluntate antecedente: nam 1. si (ut volunt Estius, Sylvius, aliique theologi, quorum argumenta hujusce quæstionis cap. 2. art. 2. §. 3. retulimus) voluntas antecedens sit idem cum voluntate signi, evidens est, eam non semper impleri. 2. Quamvis (ut aliis authoribus placet) voluntas antecedens sit voluntas beneplaciti, constat quoque eam non impleri, quia, ut ibidem observavimus, posita est in affectione, quæ nullius effectus est productiva: eò quòd nulla assumat media, ut id exequatur, circa quod versatur: igitur tota difficultas est de voluntate beneplaciti, quæ sit etiam consequens voluntas.

CONCLUSIO. Dei voluntas beneplaciti, quæ dicitur voluntas simpliciter, voluntas consequens, semper impletur. Ita S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6.

Probatur 1. ex Scriptura. Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Vox illa: *Omnis*, formaliter universalis est; ac proindè omnem omninò consequentem Dei voluntatem complectitur. Estheris 13. *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Si autem nihil (vincendo saltem) resistat divinæ voluntati, sequitur, quòd semper impleatur. Danielis 4. *Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei: quare fecisti.*

Probatur 2. ex SS. Patribus, inter quos Augustinus Ench. cap. 95. asserit *primò*, certam, efficacem, & immutabilem esse Dei voluntatem. Asserit *secundò*, quod si quæ Dei voluntas non fiat, falsum erit illud Scripturæ: *Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit.* Ejusdem libri cap. 96. id ex eo confirmat, quòd alioquin Deus non foret omnipotens: *Neque* (inquit) *veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest: nec voluntate cujuspiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Hieronymus in illa verba Isaiæ 14. *Hoc*

con-

consilium, quod cogitavi, &c. docet, hoc Deum inter & creaturarum discrimen esse, quod creaturæ, non autem Dei, virtus impediatur: *Sola* (inquit) *perfecta virtus in nullo impeditur, quo minùs quod velit & faciat.*

Probatur 3. ratione. Si Dei voluntas non semper impletur, id contingit vel ea parte Dei, qui mutet sententiam, vel ea parte creaturæ, quæ illi resistat: atqui neutrum dici potest: non primum: cùm enim Deus sit immutabilis, lata à se decreta non rescindit, non secundum, quia cum virtus creaturæ finita sit, superare non potest infinitam Dei virtutem: *Et, quod est indignius* (verba sunt Augustini in Enchiridio cap. 95.) *ideò non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.*

Solvitur argumentum desumptum ex Matth. cap. 23.

Objicies. Christus Matth. 23. sic civitatem Hierosolymitanam alloquitur: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas & noluisti?* unde sic arguitur: Deus voluit Judæorum conversionem: id enim denotat textus ex Matthæo laudatus; non accidit tamen ea conversio; ergo quod id voluntas Dei non fuit impleta.

Respondent 1. nonnulli, illud verbum, *Volui*, intelligi de Christi humana voluntate, non absoluta quidem, ea enim Christi humana voluntas semper impletur, ipsomet Christo teste, qui apud Joannem sic Patrem alloquitur: *Sciebam quia semper me audis:* sed intelligi de voluntate optativa, quam vocant velleitatem, seu inefficacem voluntatem, ei similem, quæ respectu conservationis mercium reperitur in mercatore easdem merces projiciente in mare, ut sæviente tempestate vitet naufragium.

Sed contra est, quia licèt, ut docent Theologi, naturales ejusmodi velleitates fuerint in humana Christi voluntate: de iis tamen intelligi non potest laudatus ex Matthæo locus: nam hoc adverbium: *Quoties*, non sumitur tantùm pro eo tempore quo Christus apud Judæos vixit; sed, Hieronymo interprete, sumitur quoque pro iis sæculis, quæ præcesserunt Verbi incarnationem: iis nimirùm sæculis Deus per prophetas a se missos tentavit sæpiùs Judæorum conversionem.

Respondent 2. alii, revera conversos fuisse Judæos, quos Deus per voluntatem beneplaciti converti voluit, licèt impia Civitas, quam ob id objurgatur Christus, eorum conversioni sæpiùs obstiterit.

Sed videtur, quòd ea responsio stare non possit cum hisce verbis Ezechielis 24. *Mundare te volui, & non es mundata:* quibus quidem verbis Deus non alloquitur eos, qui conversi sunt; sed qui converti renuerunt.

Respondet 3. alii, quibus subscribit Estius, vocem, *Volui*, de qua est quæstio, non intelligi de voluntate beneplaciti, sed tantùm de voluntate signi: quatenùs (inquit) Deus fecit, ut sancti homines quos ad Judæos misit, voluerint eorum conversionem, eique suam operam contulerint: vel quatenùs ipse per Moysem cæterosque prophetas Judæis præcepit, ut suæ conversioni sedulò incumberent.

Respondent tandem 4. alii, qui supponunt, antecedentem Dei voluntatem distingui à voluntate signi, & reduci ad voluntatem beneplaciti: respondent (inquam) verbum, *Volui*, intelligi debere de voluntate antecedente, non autem de voluntate consequente: Quæcumque ex iis responsionibus adhibeatur, immota stat nostra conclusio: quippè intelligitur tantùm de Dei voluntate, quæ est voluntas simpliciter, quæque voluntas consequens à S. Thoma dicitur.

Solvitur argumentum sumptum ex priori epist. ad Timoth. cap. 2.

Objicies. In Deo est voluntas de omnium hominum salute. *Qui vult* (inquit Apostolus 1. ad Timoth. 2.) *omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* Atqui ea voluntas non impletur: neque enim omnes homines salvi fiunt: ergo Dei voluntas non semper impletur.

Respondent 1. nonnulli, Dei voluntatem de omnium hominum salute, esse conditionatam, non autem absolutam: hoc est, Deum velle omnium hominum salutem, si tamen in priori naturæ, ipsi cum auxilio versatili eam velint.

Sed *Primò*, id adversatur Apostolo dicenti: *Deus est qui operatur velle & perficere pro bona voluntate:* nemo igitur potest velle suam salutem, quin Deus in priori naturæ eam voluntatem operetur: ac proinde qui respondent, *Deum velle hominum salutem, si ipsi eam velint*, proferunt responsionem, quæ a parte rei est identica: nempè, Deum velle hominum salutem, si ipse Deus eam reverè velit. *Secundò*, illud responsum in sensu quo profertur ab adversariis, manifestè repugnat Apostoli scopo: nam Apostolus utitur hac ratione: *Qui vult omnes homines salvos fieri*, ut probet, orandum esse pro omnibus hominibus: at inepta prorsùs esset ea ratio, si Deus velit hominum salutem dependenter ab hac conditione: *Si adjuti auxilio versatili eam ipsi velint:* siquidem in ea suppositione oporteret homines hortari, ut velint suam salutem, non autem orare Deum, ut eam velit ac operetur. *Tertiò*, illud responsum manifestæ falsitatis convincitur exemplo parvulorum, qui moriuntur, antequam baptismum recipere potuerint; ex quo quidem exemplo hancce conclusionem infert Augustinus epist. 107. *Unde manifestum est, eos qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omninò, qua locutione sit dictum, quòd Deus omnes homines vult salvos fieri, cùm tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult.*

Respondent 2. alii vocem, *Omnes*, qua Apostolus utitur, non sumi pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, seu Deum velle salutem hominum ex omni gente, populo, natione; non velle verò salutem omnium in individuo hominum, qui sunt apud diversas gentes, populos, nationes: ita docet S. Thomas 1. p. quæst. 19. art. 6.

Sed, licet nihil falsi relata expositio contineat, non videtur tamen satis esse ad scopum, quem sibi proponit Apostolus: neque enim Apostolus vult, ut oremus tantùm pro omni hominum genere, sed etiam pro omnibus in individuo, ita ut quemque, saltem in genere, in nostra oratione complectamur.

Respondent 3. alii, vocem *Omnes* intelligi universaliter universalitate non absoluta quidem, sed accommoda, ita ut sensus sit, *Deum velle salvos fieri omnes, qui salvantur: seu, ut nullus salvetur, quem Deus non velit salvum fieri;* ita Augustin. Enchiridi. cap. 103. ita etiam S. Thomas loco proximè laudato.

Verùm illi responso obstat secundùm aliquos quòd, ut jam observatum est, Apostolus velit, ut oremus non tantùm pro iis, qui revera salvi fient, sed pro omnibus omninò hominibus, saltem in genere.

Respondent 4. alii, Deum velle omnium omninò hominum salutem voluntate antecedente, non autem voluntate consequente: *Tertiò* (inquit) S. Thomas 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. *secundùm Damascenum intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente.*

Sed quamvis certum sit, quòd Deus omnium hominum salutem velit voluntate antecedente: tamen ea voluntas non videtur esse satis, ut fideles (quod tamen

illa

sibi proponit Apostolus) moveat ad orandū pro omnibus hominibus. Nam *primò* non magis ea voluntas, etiamsi supponatur esse in Deo (ut loquuntur) formaliter & propriè, debet movere fideles ad orandum, quam ipsum Deum moveat ad auxilium aliquod hominibus actu conferendum: atqui (ut superiùs ostensum est) voluntas antecedens salvandi omnes homines Deum non movet ad aliquod auxilium hominibus actu conferendum: ergo, &c. *Secundò*, ea antecedens voluntas abstrahit (ut suo loco observatum est) à naturæ lapsæ statu, in quo homines post primi parentis peccatum versantur: est enim ejusmodi, *Vellem omnium hominum salutem, si non essent rei*: ergo movere non potest ad orandum pro hominibus, qui verè rei sunt: quippè non aliud suadet, quàm quod ipsa habet pro objecto. *Tertiè*, voluntas antecedens (ut notatum fuit superiùs) est sæpè contraria voluntati consequenti: siquidem plerumque Deus vult voluntate consequente damnare eos, quos vult salvare voluntate antecedente: non potest igitur movere ad orandum pro omnibus hominibus; quippe fideles praxim suam potius exigere debent ad voluntatem consequentem, si ipsis innotesceret, quàm ad voluntatem antecedentem.

Respondent denique alii theologi, apostolicam vocem, *Vult*, intelligi non tantùm antecedenter, sed etiam causaliter: ita ut sensus sit Deum velle omnium hominum salutem, quòd velit & faciat, ut pii homines eam velint, ac desiderent: *Potest etiam sic intelligi* (inquit Augustin. lib. de Correp. & Gratia, cap. 15.) *quòd omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle, sicut misit Spiritum Filii sui clamantem, Abba Pater, id est, nos clamare facientem. De ipso quippè Spiritu alia loca* (ad Rom. 8.) *dicit: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Nos ergo clamamus, sed ille clamare dictus est, qui efficit, ut clamemus. Si ergo clamantem Spiritum rectè dixit Scriptura, a quo efficitur ut clamemus, rectè etiam & volentem Deum, à quo efficitur ut velimus.*

Confirmant illi Authores suam responsionem ex eo, quòd ea explicatio maximè cohærere videatur cum Apostoli tum contextu, tum scopo. Apostolus (inquiunt) fidelibus injunxerat, ut pro omnibus orarent: *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*: id verò jam probat ex eo, quòd Deus velit, ut omnium salutem desideremus, imò illius desiderium in nobis operetur: *Hoc enim bonum est* (inquit) *& acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Ut solvamus argumentum desumptum ex apostolica sententia, necesse non est, ut hic definiamus quænam ex relatis expositionibus alteri sit præferenda: quippè utra admittatur, stabit nostra conclusio, qua nimirùm cum S. Thoma statuimus, Dei voluntatem semper impleri.

Et quidem 1. si vox *Omnes* sumatur pro generibus singulorum, certum est, plures ex quolibet genere salutem consequi; proindèque adimpleri divinam de earum salute voluntatem. 2. Si sumatur pro distributione accommoda, constat, nullum salvum fieri, quem Deus non velit salvum fieri. 3. Si verbum *Vult* intelligatur de voluntate antecedente, argumentum non est ad rem: nam quæstio est in nostra conclusione de voluntate, quæ sit voluntas simpliciter, & non secundùm quid; quæ sit voluntas absoluta, & non velleitas; quæ sit voluntas consequens, & non antecedens: ea autem voluntate Deum non velle omnium hominum salutem, omnes theologi docent post S. Thomam.

Tandem 5. si verbum *Vult* intelligatur *causaliter*, inferri quidem poterit, id omne, quod Deus præcipit, aut cujus desiderium in nobis per suam gratiam operatur, non fieri; non autem id, quod ipse velit voluntate absoluta, voluntate consequente, de qua est hic quæstio.

Solvitur argumentum desumptum ex Constitutione Innocentii Papæ X. lata anno 1653.

Objicies. Voluntas divina non habet semper suum effectum: ergo non semper impletur.

Probatur ant. Illud non semper habet suum effectum, cui interdùm resistitur: atqui divinæ voluntati interdùm resistitur: ergo, &c. Probatur minor: Resistere interiori gratiæ, est resistere divinæ voluntati: sed interdùm resistitur interiori gratiæ: siquidē Innocentius Papa X. pridiè Kal. Junii ann. 1653. inter propositiones sibi ab Episcopis Gallis oblatas, occasione impressionis libri, cujus titulus est: *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis*, hanc, quæ numero est secundo, solemni constitutione tanquam hæreticam proscripsit: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. dist. maj. Resistere interiori gratiæ, est resistere divinæ voluntati, aut signi, aut antecedenti conc. maj. voluntati aut beneplaciti, aut consequenti, neg. maj. Et deindè concessa minore, cujus contradictoriam cum Innocentio X. damnamus tanquam hæreticam, dist. conseq. Ergo resistitur divinæ voluntati, aut signi, aut antecedenti, conc. conseq. voluntati beneplaciti, quæ sit consequens, neg. conseq.

Explicatur mox data solutio. Deus præcipit homini, quem per gratiam interiorem movet, ut integrum, ad quem excitatur & movetur, pietatis actum operetur; ut faciat pium opus, ad quod gratia, per quam excitatur, ex natura sua ordinatur: v. g. cum Deus hominem movet, & excitat adversùs tentationem, qua urgetur, præcipit ei, ut de facto tentationem superet: proindèque cum eam non superat, resistit interiori gratiæ, qua movetur: nec enim tunc habet illa gratia effectum, ad quem excitat, & ad quem ex natura sua destinatur: ac proindè resistit voluntati signi, qua victoria præcipitur; resistit voluntati antecedenti, qua Deus vult bonum in genere, abstrahendo à circumstantiis particularibus: sed contendo, eum non resistere voluntati, quam S. Thomas hic vocat voluntatem simpliciter, absolutam, consequentem.

Ratio solutionis est, quia quamvis gratia, quam antiqui Patres excitantem, adjuvantem, prævenientem, hodierni verò theologi sufficientem vocant; quæque complet voluntatem, ut *possit* perfectum ac integrum pietatis opus, ad quod excitatur, peragere; quamvis tanquam, præ nimia voluntatis obstinatione in malo, non semper habeat effectum, ad quem excitat, ad quem ex natura sua per Dei voluntatem antecedentem ordinatur; habet tamen semper effectum (imperfectum nempè & inchoatum virtutis desiderium) ad quem effectum per beneplaciti absolutam & consequentem voluntatem confertur.

Thomistarum eo de articulo doctrinam Reverendissimus Gilbertus de Choisevil, primùm Convenarum, ac postea Tornacensium Episcopus, clarè explicat in Epistola, quam nomine multorum Archiepiscoporum ac Episcoporum regni Galliæ ad Alexandrum Papam VII. conscripsit; sic autem habet ea epistola numero 2. *Gratia interior duplex est: alia efficax, quæ semper producit illum effectum, ad quem impellit voluntatem; alia inefficax, quæ voluntatem excitat ad effectum, quem non producit. Prima gratia est ea, &c. Secunda autem ea est, quam tum excitantem, tum inefficacem, tum sufficientem, idem significantibus verbis vocant. Huic verò resistit ac obnititur voluntas, eamque eo effectu privat, ad quem excitat, & ad quem potestatem largitur superiùs explicato Thomistarum sensu sufficientem.*

Sic

Sic, eaplicato utriufque gratiæ diferimine, profequitur idem doctiffimus Epifcopus: *Sed quamvis illa gratia per fe fpectata effectu illo careat, ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, & ad quem per antecedentem Dei voluntatem deftinatur, adeoque falfum fit hoc fenfu, omnem Chrifti gratiam femper habere eum effectum, quem Deus vult: fi tamen fpectetur, ut cum abfoluta Dei voluntate conjuncta, meritò hoc fenfu efficax dici poteft, quia femper id in corde hominis operatur, quod Deus abfoluta voluntate intendit.*

Quæ mox dicta funt, confirmat idem Præful, trita apud Thomiftas doctrina: *Certum eft enim*, inquit, *apud Thomiftas, auxilium fufficiens, refpectu unius actus, femper effe efficax refpectu alterius, ad quem efficiendum decreto abfoluto divinæ voluntatis deftinatur: adeoque apud illos omnis gratia eft efficax alicujus effectus, ejus nimirum, ad quem proximè ordinatur, & Deus abfoluta voluntate intendit, juxta illud Ifaiæ: Verbum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum; fed faciet quæcumque volui.*

Joannes Baptifta Gonetus fui Clypei Thomiftici tomo 1. editionis Parifienfis pag. 378. fcribit relatum mox articulum, cum quatuor aliis ad gratiam per fe efficacem fpectantibus, probatum fuiſse ab Alexandro Papa VII. quippe qui (inquit) Brevi dato Romæ die 29. Julii anno 1661. ad Gallicanos Epifcopos refcripfe. rit, fe eis gratulari, quòd eorum eaemplo, confilio & opera plures (ii haud dubie, qui a quibufdam ad eum fummum Pontificem delati fuerant, quafi gratiam per fe efficacem Calviniftico fenfu tuerentur) ad faniorem doctrinam inducti fuiſsent. Illud Breve de verbo ad verbum defcriptum legere eft apud eundem Authorem, p. 378.

CAPUT VI.

Utrum Dei voluntas fit abfoluta.

Not. 1. STatus quæftionis eft, utrum Deus quafcumque caufarum fecundarum operationes velit non præcifa, nec præfuppofita in inftanti naturæ earumdem caufarum determinatione; an verò eas velit tantùm poft prævifam, ac præfuppofitam ejufmodi determinationem.

Not. 2. Circa eam quæftionem triplex eft Authorum fententia. Nonnulli recentiores, quibus præivit Ludovicus Molina, docent, Deum non velle abfolutè, fed tantùm conditionatè, actus liberos creaturæ rationalis, five fint naturales, five fint fupernaturales.

E contra plures Thomiftæ, poft Bannem, & Alvarem, contendunt, Deum abfolutè velle quafcumque creaturæ operationes, five fint ordinis naturalis, five fupernaturalis; five ad ftatum naturæ innocentis pertineant, five ad ftatum naturæ per peccatum corruptæ. Alii Theologi media incedunt via, fcilicet fatentur, Deum abfolutè voluiſse ab æterno creaturarum actus neceſsarios, imò & liberos, qui in ftatu naturæ lapfæ ordinis funt fupernaturalis; fed negant, idem ferri debere judicium de actibus liberis ordinis naturalis, aut fupernaturalis, fi ad naturæ innocentis ftatum pertineant: hincque concludunt, Deum ab æterno non prædefiniiſſe abfolutè, fed tantum conditionatè, fanctorum Angelorum perfeverantiam, Adami cafum etiam phyficè fumptum, hodiernam Petri deambulationem, & ita de cæteris: concludunt è contra, nullum in ftatu naturæ lapfæ fieri opus fupernaturale, quod Deus ab æterno abfolutè non voluerit, ac prædefinierit. Quid nos de ea controverfia fentiamus, fubfequentibus Articulis aperietur.

ARTICULUS I.

An Deus abfolutè prædefinierit caufarum neceſſariarum effectus.

CONCL. DEus abfolutè prædefiniit ab æterno quofcumque caufarum neceſſariarũ effectus. Probatur. Id Deus abfolutè ab æterno voluit, ac prædefiniit, ad quod in tempore phyficè prædeterminat; atqui in tempore phyficè prædeterminat ad operationes caufarũ, quæ neceſſariæ funt: fiquidem caufæ neceſſariæ fe ipfas determinare non poſſunt; nam ea Phyficis, non operantur, nifi per motum localem: fe ipfas verò determinare non poſſunt ad motum localem; quippè quantumcumque fubtiles fupponantur, remanent intra materialitatis gradum; proindeque fi femel fint fine motu, fic permanebunt femper, donec ab aliqua caufa extrinfeca moveantur.

ARTICULUS II.

Utrum Deus abfolutè prædefinierit actus liberes creatæ voluntatis.

CONCL. 1. DEus ab æterno abfolutè prædefiniit operationes fupernaturales voluntatis per peccatum lapfæ.

Probatur. Ea mox dictis, id Deus ab æterno abfolutè voluit, ac prædefiniit, ad quod in tempore phyficè prædeterminat: atqui Deus in tempore phyfice prædeterminat voluntatem lapfam ad quofcumque actus fupernaturales: quippè (ut dicemus in Tractatu de gratia) voluntas per peccatum lapfa nullum prorsùs pietatis actum elicit, nifi ad eum per gratiam ea natura fua efficacem realiter, ac phyfice prædeterminetur.

CONCLUSIO 2. Deus ab æterno abfolutè nec voluit, nec prædefiniit actus liberos ordinis naturalis; imò nec fupernaturalis, qui ad innocentis naturæ ftatum pertinent.

Probatur. Deus in tempore non prædeterminat voluntatem lapfam ad actus ordinis naturalis, nec innocentem prædeterminavit olim ad eos, qui erant ordinis fupernaturalis: ergo Deus ab æterno abfolutè nec voluit, nec prædefiniit illos actus. Confequentia patet ex eo, quòd fi Deus quidquam prædefiniat, ad cujus tamen executionem expectet in tempore præviam voluntatis creatæ determinationem, non erit omninò certus de futuritione rei, quam abfolutè prædefinierit: quippè voluntas fibi relicta, ab aliud in illo priori Deo incognitum fortè fe determinatura eft.

Antecedens quoad fecundam partem fusè probabitur in tractatu de gratia: Quoad priorem autem oftenditur ea inutilitate phyficæ præmotionis, aut prædeterminationis, refpectu actuum liberorum ordinis naturalis: quippe ideò tantùm admitteretur, aut ad falvandam caufarum fecundarum fubordinationem ad primam, aut ad fundandam divinæ fcientiæ certitudinem de illorum actuum futuritione; atqui nulla eft duplex illa ratio; nam 1. creatura fat intelligitur Deo fubordinata tum per fummam, quæ illi effentialis eft, dependentiam, in eo pofitam, quod habeat effe a Deo & per creationem & per jugem confervationem, quæ (ut ajunt philofophi) continua eft rei productio: tum etiam per concurfum fimultaneum, quo, fecundùm tritam in fcholis fententiam, indiget ad omnes & fingulos actus, etiam ad ipfam fui determinationem. 2. Deus (ut fuperiùs oftenfum eft) ab æterno prævidit futuros actus liberos ordinis naturalis in fe ipfis prout in effentia divina repræfentantur: ergo, &c.

Obji-

Objicies 1. Creatura rationalis non potest semetipsam determinare ad actus liberos ordinis naturalis: ergo necesse est, ut ad eos a Deo prædeterminetur. Probatur ant. Causa indifferens ad agendum, & non agendum, non potest semetipsam determinare; atqui creatura rationalis est indifferens ad agendum, & non agendum: ergo, &c. Major sic ostenditur. Quod est indifferens ad esse, & ad non esse, non potest sibimet dare esse: eo enim principio nituntur argumenta, quibus tum theologi, tum philosophi probant existentiam entis cujusdam necessariò existentis, à quo contingentia existentiam acceperint: ergo a pari, quod est indifferens ad agendum, & non agendum, semetipsum determinare non potest.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ad 3. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia quod non existit, non habet esse, nec illius principium, cum nihilum nihil omninò possit: è contra potentia indifferens ad agendum & non agendum habet in suo esse principium suæ determinationis, cùm, si sit rationalis & libera, ut supponitur, possit essentialiter agere, aut non agere.

Objicies 2. Si Deus absolutè non prædefiniat actus liberos etiam ordinis naturalis, determinatio voluntatis creatæ concipietur futura in instanti rationis ante Dei prædefinitionem: atqui id absurdum est; siquidem illa determinatio esset à Deo independens: eam enim Deus non causaret, cum non sit rerum causa, nisi per prædefinitionem absolutam.

Resp. ad 1. conc. maj. n. min. Ad 2. & 3. neg. ant. Ratio est, quia licet creaturæ determinatio non causetur à prædefinitione absoluta, causatur tamen saltem mediatè a Deo, à quo illius causa, creata nempe voluntas, essentialiter pendet; imò & immediatè, per conservationem nimirùm & per concursum simultaneum.

Objicies 3. Determinatio creaturæ ad agendum, est novum aliquod ens; non enim est nihil: ergo debet immediatè causari à Deo: quippe Deus est immediata causa omnium entium: Atqui a Deo immediatè causari non potest, nisi per prædefinitionem absolutam, & per physicam præmotionem: neque enim per creatæ voluntatis conservationem, aut per concursum simultaneum, causari potest: siquidem nec conservatio, nec concursus sunt causa determinationis, licet eam comitentur.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. nego non dari medium inter ens & nihil: datur nimirùm modus entis, seu certa ratio existendi: id patet in cera, cujus figura non est ens reale, ab ipsa ceræ substantia distinctum; neque etiam est merum nihil, sed est modus, quo cera existit. Sic determinatio creatæ voluntatis non est ens aliquod reale, ab ipsa creata voluntate physicè distinctum; non est etiam nihil, sed aliquid medium, nempe modus, qui de novo advenit voluntati, seu (ut loquuntur) nova illius modificatio.

Objicies 4. Sententia, quæ asserit, Deum non prædefinire absolutè, nec physicè prædeterminare actus liberos ordinis naturalis, repugnat principiis S. Thomæ: ergo est rejicienda. Probatur ant. 1. S. Thomas asserit, nullam dari causam divinæ voluntatis: *Cum* (inquit 1. p. q. 19. art. 5.) *Deus unico & simplicissimo actu velit omnia in sua bonitate, ejus voluntatis nulla prorsùs causa est*. Atqui daretur illius causa: si enim quæratur, cur Deus voluerit ab æterno, & velit in tempore actus liberos ordinis naturalis, respondendum erit, ipsum eos quondam voluisse & nunc velle, quòd in priori naturæ ad eos se se determinatura sit creata voluntas. 2. Idem S. Doctor reducit actuum libertatem non solùm ad creatam voluntatem, sed etiam ad ipsam voluntatem divinam, tanquam ad primam illius radicem: *Quòd* (inquit 6. Metaph. lect. 3.) *res fit necessariò, vel contingenter, dependet ex causa altiori, quæ est causa entis in quantùm ens, à qua ordo necessitatis & contingentiæ provenit*. Si autem divina voluntas sit prima radix libertatis, quæ reperitur in actibus voluntatis creatæ, necesse est, ut in instanti naturæ agat ante voluntatem creatam: ac consequenter, ut prædefiniat, & prædeterminet illius actum: *Voluntate Dei* (ait S. Thomas 1. ad Annib. dist. 47. quæst. unica, art. 4.) *non solùm res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminavit*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad cujus priorem probationem, dist. ant. Voluntatis divinæ nulla est causa necessaria, conc. ant. nulla est causa libera, neg. ant. Determinatio creaturæ non est causa necessaria divinæ voluntatis, seu cur Deus velit hunc vel illum creaturæ rationalis actum: sed est causa libera, quam scilicet elegit ipse; voluit enim sese adstringere ad concurrendum ad actum, ad quem se se determinatura esset creata voluntas. Ad alteram probationem, dist. ant. Deus, ex S. Thoma, prædeterminavit in ipsis causis modum, quo res producuntur, conc. ant. in causarum operationibus, neg. ant. hoc est, Deus sic causas disposuit, ut ex aliquibus causis effectus orirentur contingenter, ex aliis verò necessariò: *Vult autem Deus* (inquit S. Doctor 1. p. q. 19. art. 8.) *quædam fieri necessariò, quædam contingenter; & ideò quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contingenter eveniunt*.

ARTICULUS III.

Utrum Deus absolutè prædefinierit materiale peccati.

CONCL. Deus absolutè non prædefiniit ab æterno materiale peccati.

Probatur 1. Ex dictis articulo superiore, Deus ab æterno nullum actum liberum ordinis naturalis absolutè prædefiniit: atqui materiale peccati est actus liber ordinis naturalis: ergo Deus illum ab æterno absolutè non prædefinit.

Probatur 2. Videtur, quòd Deus foret causa peccati, sumpti etiam secundùm formale: quippè ille censetur esse causa peccati, sumpti etiam secundùm formale, qui absolutè prædefinit id, quod cum eo est necessariò conjunctum: non enim ob aliam rationem homo, qui in fornicationem incidit, est causa fornicationis, sumptæ etiam secundum malitiam, quam quòd velit id, quod cum ea malitia est necessariò conjunctum.

Probatur. 3. Deus in tempore non prædeterminat physicè ad materiale peccati: ergo ab æterno absolutè illud non prædefiniit. Probatur ant. Si Deus physicè prædeterminaret ad materiale peccati, magis quàm diabolus provocaret hominem ad peccatum, sumptum etiam secundùm formale: atqui impium est consequens: ergo & antecedens. Probatur maj. Ille magis provocat ad formale peccati, cujus actio magis est apta ad inclinandum ad formale peccati: sed actio Dei magis esset apta ad inclinandum ad formale peccati, quam actio diaboli: nam actio physica & ex se efficax, magis est apta ad inclinandum ad formale peccati, quàm actio mortalis, quæ per se non est efficax: atqui actio Dei esset actio physica & ex se efficax, cùm è contra actio diaboli sit tantùm moralis, & minimè efficax, posita nimirùm in externa suasione, quæ ab eo fit, dum imaginationi proponit objecta, quibus ad eorum desiderium voluntas titilletur.

Confirmatur ex eo, quod nemo, qui præoccupatione liber fuerit, negabit, prædeterminationem physicam ad actum venereum, scilicet motum externum membrorum ad eum actum, magis aptum esse ad inclinandum hominem ad malitiam luxuriæ, quàm externa tantùm ejusmodi actus repræsentatio in imaginatione; non inficiabitur, actum physicum, quo quis indeclinabiliter

liter

liter & insuperabiliter sæpiùs ori vinum infunderet, magis aptum esse ad inclinandum hominem ad ebrietatem, quàm actus, quo quis repetitum vini haustum tanquam gratum in imaginatione repræsentaret, non dubitabit asserere, quin is, qui manum impellit ad impingendum inimico colaphum, magis provocet ad vindictam, quàm is, qui id externè tantùm suadet: idem quoque dici debet de homicidio, ac cæteris tum facinoribus, tum flagitiis.

Probatur 3. In systemate, de quo est quæstio, Adamus prædeterminatus ad physicum vetiti fructus esum, hac ratione de Deo conqueri potuisset: Cur me inopinatum, inconsultum, nulla habita ratione internæ meæ dispositionis, determinasti ad capiendum vetitum fructum, ad decerpendum eum ex arbore, ad immittendum in os, ad atterendum dentibus? Liberè quidem consensi tuæ prædeterminationi, sed penes me non fuit efficere, ut actus ille physicus, quem te præmovente exercui, non fuerit vetitus; nempe tua præmotio contigit post factam a te illius actus prohibitionem. Præterea tantum abest, ut Deus esum fructus vetiti castigare debuerit in Adamo, quin potiùs eum ipsi debuit laudi vertere: siquidem propter id Deus Adamum castigare non debuit, sed potiùs compensare, in quo Adamus divinæ voluntati se se conformem exhibuit: atqui Adamus in esu fructus vetiti se se conformem exhibuit divinæ voluntati: nam revera Deus voluit actum, ad quem præmovit ac prædeterminavit. Adeò divina voluntas, etiam beneplaciti, si nobis certò innotescat, ut innotesceret per præmotionem physicam, est morum regula, ut doceat Augustinus, Ecclesiam non oraturam pro aliquo homine in hac vita degente, si illius reprobatio ei certò constaret: *Si de aliquibus* (inquit lib. 21. de Civit. Dei cap. 24.) *ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi, etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in ignem æternum ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm pro ipso.*

Probatur 4. variis Augustini principiis. S. Doctor lib. de prædestinatione SS. non semel asserit 1. hoc esse discrimen inter prædestinationē & præscientiam, quòd præscientia latiùs pateat, quam prædestinatio, hoc est, quòd quæcumque Deus prædestinavit, præscierit quoque; sed quæcumque præscivit, non prædestinarit. Asserit 2. Deum ea tantùm ab æterno prædestinasse, quæ ipsemet facturus erat in tempore. Atqui si Deus ad materiale, seu ad actum physicum peccati physicè prædeterminaret, fictitium esset illud discrimen: nihil enim esset præscitum quod ante non fuisset prædestinatum. 3. Idem Sanctus Augustinus in Enchiridio cap. 95. docet bipartitam esse divinam providentiam, quatenùs vult, facitque alia, & hæc sunt bona: alia verò nec velit, nec faciat, sed solùm fieri permittat, & ista sunt mala: atqui, in Adversariorum systemate, falsa foret Augustiniana illa providentiæ divisio: siquidem nihil esset, quod à Deo non fieret, quodvè permitteretur tantùm ab ipso fieri. 4. Idem S. Doctor libro 8. de Genesi ad litteram sic distinguit inter naturas & voluntates, ut Deus omnes naturas creet; è voluntatibus verò bonas adjuvet ac amet, cùm è contra malas nec adjuvet nec amet: atqui id falsum esset, quippe & bonas & malas adjuvaret; utrasque nimirùm physicè prædeterminaret ad quemcumque sive bonum sive malum actum.

Nec valet solutio Adversariorum contendentium, id quod ex Augustino præscitur, & non prædestinatur, esse non actum physicum, sed malitiam peccati; malas voluntates, quoad illam malitiam, non adjuvari a Deo: permitti eam, non autem effici.

Non valet, inquam: nam 1. Augustinus in exemplum eorum, quæ à Deo fiunt ac prædestinantur, adducit supernaturalia pietatis opera: censuit ergo, quæ naturalis sunt ordinis, ut est materiale peccati, ad prædestinationem non pertinere: 2. Cum asserit, permitti à Deo peccata, nusquam distinguit inter actum physicum, & malitiam, quæ ex eo resultat: 3. Id Deus non censetur tantùm permittere, quod impedire non potest: atqui ex suppositione, quòd prædestinet ac prædetermines ad actum physicum peccati, non potest impedire, quin malitia ex eo resultet: v. g. posita prædeterminatione hominis soluti ad actum venereum, non potest impedire, quin ex illo actu venereo malitia resultet.

Objicies 1. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 4. asserit, Deum esse causam primam omnium omninò motionum, sive corporeæ sint, sive spirituales: ergo est causa physicæ motionis, seu actus physici, qui in peccato reperitur.

Resp. dist. ant. Est omnium causa, quòd nihil fiat præter ejus voluntatem, conc. ant. quòd ad omnia prædeterminet ac prædestinet, neg. ant. hoc est, voluit Augustinus, nihil fieri nisi a Deo aut jubente, aut permittente.

Objicies 2. Augustinus non rarò docet, Deum ordinare non tantùm bona, sed etiam mala opera: illius voluntatem semper esse invictam ac efficacem: atqui ea non sunt vera, nisi ex suppositione, quòd Deus ad omnia, ad ipsum etiam peccatum sumptum secundum materiale, prædestinet ac prædeterminet: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Nam 1. ordinat mala, quòd impii non sinantur, quodcumque voluerint, flagitium committere, sed in hoc tantùm aut in illud ruant pro Dei voluntatis beneplacito: ita lib. de prædestin. SS. c. 16. ipsemet Augustin. respondet. 2. Eodem Augustino teste, Enchiridii cap. 100. eo tantùm sensu invicta semper est Dei voluntas, quòd aut non fiant mala, quæ voluntate beneplaciti non vult fieri; aut si, eo permittente, fiant, impunita non remaneant.

QUÆSTIO XII.

De Dei libertate.

Not. Methodi causa hìc quæremus 1. utrum libertas Deo conveniat: 2. per quid Deus constituatur liber: 3. quodnam sit divinæ libertatis objectum.

CAPUT PRIMUM.

Utrum libertas Deo conveniat.

CONCL. Libertas convenit Deo.

Probatur 1. ex Scriptura, qua docemur, vim electivam, quæ est idem cum libertate, Deo convenire: *Quæcumque* (verba sunt Psal. 134.) *Dominus voluit, fecit.* Ad Rom. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult, indurat.* Epistolæ Jacobi c. 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.*

Probatur 2. ex Patribus, qui passim asserunt Deum potuisse non induere humanam carnem, quam induit: & ita de cæteris Dei operibus ad extra: ergo docuerunt, Deum esse liberum, etiam ex suppositione, quòd libertas in suo conceptu indifferentiam activam, seu agendi aut non agendi potestatem, importet.

Probatur 3. rationibus theologicis. 1. Deus (ut suo loco dictum fuit) omnes omninò perfectiones complectitur: atqui libertas est perfectio: ergo, &c. 2. Ubi est indifferentia judicii, est libertas: atqui respectu plurium operum est in Deo indifferentia judicii, seu in plerisque suis operibus non videt omnem rationem boni: ergo: &c.

Objicies. Libertas dicit electionem: atqui, ex Damasceno, de fide orthodox. cap. 22. in Deo non est electio: ergo, &c.

Resp. conc. maj. dist. min. Non est electio prout in nobis viatoribus reperitur, conc. min. simpliciter & absolutè, neg. min. In nobis viatoribus electio dicit consultationem, seu rei ignotæ inquisitionem; in Deo verò eam non includit: quippè Deus omnes appositæ partis rationes uno velut intuitu percipit.

CAPUT II.

Per quid Deus constituatur liber.

Not. 1. CUm Dei voluntas (ut præcedenti capite dictum est) denominetur libera, necesse est, ut ea denominatio ab aliqua forma petatur: quænam verò sit ea forma, hic cum Scholasticis inquirimus.

Not. 2. Difficultas, de qua agitur, evanescit in eorum Philosophorum sententia, qui contendunt, omnem actum voluntatis elicitum ex deliberata ratione, esse liberum libertate essentiali: nam; ea opinione supposita, constat, formam, per quam Dei voluntas est essentialiter libera, esse ipsum Dei velle, seu actum, qui licèt necessariò, deliberatè tamen à voluntate procedit.

Not. 3. Nodus, qui planè evanescit in systemate, quod modo retulimus, multùm torquet Authores, quibus placet, indifferentiam activam, seu potestatem agendi aut non agendi, quam exercitii seu contradictionis appellant, esse de essentia libertatis: oportet nimirùm, ut in Deo reperiant actum necessarium (cùm quidquid est in Deo, ipsi necessariò competat,) qui tamen efficiat, ut Dei voluntas sit indifferens, seu potens sit ad agendum aut non agendum.

Not. 4. Aureolus, cui nonnulli subscripsere, ut se ea difficultate liberet, contendit, Deum constitui formaliter liberum per denominationem extrinsecam, ortam ex actione Dei in creaturis recepta. Thomistarum schola passim docet, id fieri per ipsummet actum necessarium, seu volitionem, non quidem in se & absolutè sumptam, sed prout respicit creaturas, ac eas connotat per modum termini: Unde, ex illis Theologis, libertas Dei duo dicit, unum in recto, nempè actum necessarium; & alterum in obliquo, scilicet creaturas.

CONCLUSIO 1. Deus non constituitur formaliter liber per actionem Dei transeuntem, in creaturis receptam.

Probatur. Antequam Deus aliquid ageret ad extra, erat verè liber: quippe libertas ei convenit ab æterno, actio verò ad extra ei tantùm convenit in tempore: ergo, &c.

CONCLUSIO 2. Forma, per quam Deus constituitur liber, est actus immanens, seu velle; non quidem prout terminatur ad bonitatem divinam, sed prout terminatur ad creaturas.

Probatur prior pars. Dei libertas constituitur per aliquid Deo intrinsecum, cùm sit perfectio intrinseca: atqui solus actus immanens est Deo intrinsecus: ergo, &c.

Probatur altera pars. Actus immanens, prout ad divinam bonitatem terminatur, est necessarius; neque enim Deus potest non amare suam bonitatem; atqui actus, prout necessarius, non constituit libertatem, cùm liberum opponatur necessario. E contra Dei velle, prout ad creaturas terminatur, verè est liberum; ita enim creaturas habet pro termino, ut eas potuerit non habere: quippè non est in Deo aliquis actus, qui à creaturis non sit omninò independens: ergo, &c.

Objicies 1. Actus Dei immanens non potest deficere: 2. prout terminatur ad creaturas, est Deo extrinsecus; ergo non potest esse forma, quæ illum intrinsecè constituat liberum: 3. libertas in creatis distinguitur ab actu necessario; ergo & in Deo.

Resp. ad 1. actum Dei immanentem posse deficere secundùm id, quod dicit in obliquo, seu secundùm terminum, licet deficere non possit secundùm id, quod dicit in recto: priori tantùm ratione, non autem posteriore consideratus, Dei libertatem constituit.

Resp. ad 2. conc. ant. neg. conseq. idque patet in mysterio Incarnationis, in quo Verbum denominatur intrinsecè unitum humanitati per actionem, quæ non ipso Verbo, sed in sola humanitate recipitur.

Resp. ad 3. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia Deus est actus purissimus; proindeque nihil potest in eo esse, quod se habeat per modum potentiæ, & actus, seu recepti, & recipientis.

CAPUT III.

Quodnam sit objectum divinæ libertatis.

Not. 1. PLures sunt Theologi, qui docent, essentiam libertatis nullam includere indifferentiam, sive specificationis, sive exercitii, seu, ut alii loquuntur, contrarietatis, aut contradictionis: sed contendunt, positam esse in sola volitione deliberata, quamvis omninò necessaria, id est, quamvis non possit non esse.

Qui sic sentiunt Theologi, concludunt, Deum esse liberum non tantùm circa operationes ad extra; sed etiam circa operationes ad intra; Verbi nimirùm generationem, productionem Spiritus sancti, amorem justitiæ, ac aliorum divinorum attributorum.

Nec id mirum est (inquiunt) nam Deus verum habet dominium in illas operationes, quippè fiunt, quando vult; & si per impossibile, nollet, non fierent; eliciuntur cum reflexione, cum advertentia, cum electione: ita ut si (ut jàm dictum est) per impossibile Patri daretur optio non generandi Verbum, ipsum tamen generare eligeret.

Not. 2. Aliis Theologis passim videtur, quod libertas non tantùm secundùm statum, in quo, viatorum respectu, reperitur, sed etiam secundùm essentiam, stare non possit sine indifferentia, seu potestate agendi, vel non agendi, aut eligendi objectum, vel ejus contrarium servato ordine finis, hoc est, in iis, quæ ex se ultimo fini non opponuntur.

Inde verò concludunt 1. Deum non esse liberum circa operationes ad intra, ut sunt generatio Verbi, amor divinæ essentiæ, licet eæ operationes sint voluntariæ, & cum reflexione fiant. Concludunt 2. Deum esse tantùm liberum in operationibus ad extra, circa media, quæ conferunt ad illius gloriam, quamvis circa ipsum finem, id est, circa suæ gloriæ amorem liber minimè sit.

Not. 3. Authoribus hujusce postremæ opinionis adhæremus. Rationes, quibus nitimur, lector fusè pertractatas reperiet inferiùs in nostro Tractatu de actibus humanis in genere.

QUÆSTIO XIII.

De Providentia.

Not. QUæ spectant ad Dei in res creatas Providentiam, ad hæc capita reducuntur; 1. quid sit Providentia; 2. utrum detur; 3. quodnam sit illius objectum; 4. utrum semper suum finem assequatur.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit, & utrum detur Providentia.

CONCL. 1. PRovidentia rectè definitur Ratio præexistens in mente divina ordinis rerum in finem.

Explicatur definitio. Vox ista, *Ratio*, idem signi-

ficat

ficat ac idea, ſeu cognitio. Hæ aliæ, *Præexiſtens in mente divina*, ſignificant, providentiam eſſe priorem rebus, quæ in finem diriguntur. Iſta, *Ordinis*, oſtendit, rationem illam, quæ in mente divina præexiſtit, eſſe cognitionem practicam, qua nimirum res ad aliud diriguntur. Tandem iſte terminus, *In finem*, intelligitur de ultimo: hunc Deus, cùm ſit proviſor generalis, ſibi proponere debet.

Jam verò ea definitio ſic probatur. Per eam providentia differt 1. a ſcientia practica, quod hæc æquè ſit de fine ac de mediis, iſta verò de ſolis mediis: 2. differt ab ideis, quod ideæ ſint rei exemplar, providentia ſit relatio, ſeu directio in finem: 3. differt a lege æterna, quod lex æterna ſecundùm noſtrum concipiendi modum, in Deo præcedat providentiam, ſicut cauſa præcedit effectum; quippe Deus per providentiam res ordinat in finem ex æternæ legis impulſu & motione: ſuadet nimirùm lex æterna, ut creata omnia in debitum finem ordinentur.

CONCLUSIO 2. Tum fide, tum rationis lumine conſtat dari in Deo providentiam.

Probatur 1. iis omnibus argumentis, quibus hujuſce Inſtitutionum noſtrarum tomi initio Dei exiſtentiam adſtruximus: adſtrui nimirùm non poteſt Dei exiſtentia, quin aſſeratur illius in res creatas providentia.

Probatur 2. iis Scripturæ locis, quibus docemur omnia Dei oculis parere, omnia ab eo gubernari, ipſum de omnibus judicare; nam omnia videre, regere, de omnibus judicare, idem eſt, ac rebus providere.

Probatur 3. Inditum a natura teſtimonium non poteſt eſſe falſum, quippè naturæ Author nec falli, nec fallere poteſt; atqui a natura inditum eſt nobis providentiæ teſtimonium; nam anima præjudiciis libera Deum timet, vult eum ſibi eſſe propitium: is autem timor, illud deſiderium, præſupponunt innatam nobis providentiæ præſenſionem; unde, ut advertit Tertullianus, anima in hos erumpit motus: *Deus videt omnia: Deo commendo: Deus reddet: Deus inter nos judicabit.*

CAPUT II.

De objecto divinæ Providentiæ.

Not. Hic objecti nomine intelliguntur ea, ad quæ ſe extendit Dei Providentia: quærendum eſt igitur 1. utrum ſe extendat ad res neceſſarias; 2. utrum ad liberas; 3. an ad ipſa etiam peccata.

CONCLUSIO 1. Omnes creaturæ neceſſariæ ſubjacent Dei providentiæ.

Probatur. Creaturæ neceſſariæ duobus modis poſſunt conſiderari, in genere nimirùm, & ſecundùm ſpeciem; atqui quovis modo conſiderentur, divinæ providentiæ ſubjacent.

Primò. Mirabilis ac conſtans ordo, qui elucet in univerſi partibus, neceſſe, nec cogitari poteſt abſque ſapientia, quæ illis præſit, eaſque gubernet.

Secundò. Evangelium ſic Dei providentiam commendat, ut vel minima & maximè vilia illi ſubjiciat: *Reſpicite* (inquit Chriſtus Matth. 6.) *volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa ..... Conſiderate lilia agri ..... Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, &c.* Eandem Dei curam ad paſſeres & hominis capillos extendit: *Nonne* (ait cap. 10.) *duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram, ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.* Idem argumentum proſequuntur Patres, ut videre eſt apud Irenæum lib. 2. cap. 45. Auguſtinum libris 10. 11. de Civit. Dei.

Tertiò. Deus eſt omnium, ac ſingularum rerum non tantùm cauſa efficiens, ſed etiam ultimus finis: ergo quemadmodum nulla res eſt, cui non det eſſe, ita quoque nulla eſt, quam in finem non dirigat: non enim minus eſt infinitus in ratione cauſæ finalis, quam in ratione cauſæ efficientis.

CONCLUSIO 2. Quælibet creatura libera tum ſecundum ſubſtantiam, tum ſecundùm ſuos actus liberos, divinæ ſubjacet providentiæ.

Probatur prior pars. Si (ut ſuperiori concluſione demonſtratum eſt) Dei providentia ad minima quæque, ac maximè vilia ſe extendat, a fortiori extendit ſeſe ad ſubſtantiam, ſeu ad corpus & animam hominis. Chriſti ipſius eſt illud argumentum: *Nonne* (inquit) *vos magis pluris eſtis illis? ..... Quanto magis vos modicæ fidei?*

Probatur altera pars. Scripturæ teſtantur, actus liberos eſſe ſub Dei poteſtate: *Cor Regis* (verba ſunt Proverbiorum 21.) *in manu Domini; quocunque voluerit, inclinabit illud.* Dei voluntati adſcribunt omnes humanos eventus: *Non eſt hominis via ejus* (Jeremiæ 10.) *nec viri, ut dirigat greſſus ſuos.* Aſſerunt, Deum aut remuneraturum, aut caſtigaturum libera hominis opera: *Reddet unicuique ſecundum opera ejus*: atqui ea, quæ ſunt ſub poteſtate, quæ a Deo diriguntur, quorum Deus eſt judex, ſubjacent divinæ providentiæ: ergo, &c.

CONCLUSIO 3. Peccata tum ſecundùm materiale, tum ſecundum formale ſumpta, ſubjacent Dei providentiæ.

Probatur. *Primò*. Peccata, ſecundùm eſſe materiale ſumpta, ſunt actus humani, ac liberi, atqui (ut ſuperiùs dictum eſt) actus liberi ſubjacent divinæ providentiæ: ergo, &c. *Secundò*. Peccata, ſumpta ſecundùm formale, nihil aliud ſunt, quam privatio debitæ rectitudinis, ſed ea privatio ſubjacet Dei providentiæ, nam quamvis Deus nec eam jubeat, nec in eam influat, tamen permittit, ac ordinat in bonum: *Neque enim Deus omnipotens* (inquit Auguſtinus Ench. cap. 11.) *nullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens, & bonus, ut benefaceret etiam de malo.*

Objicies 1. Si generalis in res omnes providentia admitteretur, nihil fieret caſu & fortuitò; atqui multa fiunt caſu & fortuitò: ergo, &c.

Reſp. diſt. min. Multa caſu, & fortuitò fiunt ſecundum opinionem noſtram; plerumque enim ignoramus finem, ad quem ex intentione Dei diriguntur, conc. min. ſecundùm rei veritatem, neg. min. quippe nihil omninò fit, quod (ut ait Auguſtinus) non de aula ſummi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur: hincque concludit fortunæ nomen uſurpari non debere a Chriſtianis, quibus perſuaſum eſt, omnia Dei nutu gubernari: hinc lib. 1. retract. cap. 1. eum pœnitet, quòd adversùs Academicos ſcribens, nonnunquam fortunæ nomen uſurpaſſet.

Objicies 2. Multa fruſtra fiunt in rerum natura: ergo omnia, & ſingula non ſubjacent divinæ providentiæ.

Reſp. diſt. ant. Multa fiunt fruſtra per reſpectum ad cauſas particulares, conc. ant. per reſpectum ad proviſorem generalem, neg. ant. Cauſæ particularis defectus eſt effectus ipſiuſmet providentiæ, quæ ſic res ordinavit, ut dum aliquæ ſtarent, aliæ deficerent: is autem defectus idem præſtat in Univerſo, quod umbræ in tabellis conferunt: *Diviſit Deus inter lucem, & tenebras* (inquit Auguſtinus lib. de Geneſi ad litteram c. 5.) *ne vel ipſæ privationes non haberent ordinem, Deo cuncta regente, atque adminiſtrante ..... Umbra in picturis eminentiora, quæque diſtinguunt, ac non ſpecie, ſed ordine placent.*

Objicies 3. Impii ut plurimùm agunt proſperè, divitiis affluunt, nec ullam penè in partem veniunt moleſtiarum, quibus obſidetur vita: pii è contra adverſis premuntur, in ſumma verſantur rerum inopia, morbis, aliiſque vitæ calamitatibus premuntur; atqui, ſi Deus humanis rebus provideret, id minimè contingeret; alio-

quin injustus foret, quippe solis nocentibus debitam pœnam, infligeret piis & innoxiis: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia hujusmodi agendi rationis gravissimæ sunt causæ. Nempe sic se Deus gerit, vel ut piorum virtus variis probata casibus illustrior fiat, ut Job, Tobia, aliisque similibus contigit; vel ut pii tis miseriis cautiores, seu humiliores fiant, ut in Apostolo videre est, qui ne revelationibus, ac miraculis insolesceret, permissus est (ut ipsemet ait) a Satana colaphizari: vel tandem sic se gerit Deus, ut viri frugi doceantur, sæculum hoc tot aspersum miseriis, diligi non debere, sed alterum solicitè debere desiderari, ad Pauli exemplum: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Objicies 4. Providentia ad minima quæque extenditur; id enim negare videtur Apostolus 1. ad Corinth. 9. ubi ait: *Numquid de bobus cura est Deo?* Id etiam negat Hieronymus in primum caput Habacuc: *Cæterum* (inquit) *absurdum est, ad hoc Dei deducere majestatem, ut sciat, per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad cujus priorem probationem, dist. ant. de bobus Deo cura non est præcipuè, conc. ant. minus præcipuè, neg. ant. hoc est, Paulus docet in textu, quem laudat ex veteri Testamento: *Non alligabis os bovi trituranti*, Deum præcipuè non attendisse ad bovem, sed ad Ecclesiæ ministros, quibus jus est accipiendi, quæ ad victum necessaria sunt, ab iis, quibus spiritualia largiuntur. Ratio solutionis petitur ex ipsomet Apostolo, qui laudatis in argumento verbis hæc alia subjicit: *An propter nos utique hoc dicit? nam propter nos scripta sunt. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus.*

Ad alteram probationem, dist. ant. Hieronymus negat *comparativè* Dei providentiam in res maximè viles, conc. ant. negat *absolutè*, neg. ant. hoc est, Hieronymus non negat, quod absolute non sit providentia respectu rerum maxime vilium; sed tantum asserit, quod ita differt ab ea, quæ circa homines versatur, ut illius comparatione, generalis tantùm, ac ferme nulla esse videatur. Hinc S. Doctor eos stultitiæ damnat, qui singulis rebus proprios in custodiam Angelos assignant: hinc etiam textum, de quo est quæstio, hacce claudit sententia: *Non simus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam esse dicentes.*

CAPUT III.

An providentia semper suum finem assequatur.

Not. FInis alicujus rei duplex est, simplex nimirùm, seu absolutus, & comparativus, sive relativus. Prior convenit rei in se sumptæ: alter verò comparatæ ad aliam.

CONCLUSIO. Dei providentia semper assequitur propositum sibi finem.

Probatur. Causæ, quibus Deus providet, sunt vel necessariæ, vel contingentes, vel liberæ: atqui Dei providentia in tribus illis causarum speciebus semper assequitur propositum sibi finem: ergo, &c.

Primò. Si causæ necessariæ impeditæ non fuerint ab extrinseco, semper operantur secundùm innatam sibi virtutem; ac proinde convenientem sibi finem assequuntur. Si verò impediantur ab extrinseco, non consequuntur quidem finem sibi ipsis absolutè consideratis convenientem, sed consequuntur eum, qui ipsis convenit, quatenus sunt pars Universi; quippe bonum Universi exigit, ut causarum particularium virtus nonnunquam impediatur; unde Deus, cum sit provisor universalis, impedimenta providet, quibus causarum particularium virtus coercetur.

Secundò. Causæ contingentes ideò modò deficiunt, modò non deficiunt, quòd ex Dei ordinatione sint defectibiles: ergo illarum defectus a Deo provisi sunt.

Tertiò. Causæ liberæ, aut sunt ex creaturarum electarum numero, aut non sunt. Si primum, beatitudinem, ad quam specialiter præordinatæ sunt, consequuntur; & quidem per media, quæ ex speciali providentia effectu non careant. Si secundum, non consequuntur quidem finem, qui sibi conveniat, sed eum tantùm, quem sibi providentia proposuit; nimirùm divinæ justitiæ in altera vita manifestationem; in illa verò electorum per eas exercitium, aut in laboribus subsidium.

CAPUT IV.

Utrum providentia rebus provisis necessitatem imponat.

Not. PLatonici, pluresque ex veteribus Philosophi admisere quidem specialem Dei providentiam respectu rerum necessariarum: sed negarunt, eandem providentiam se se ad humanæ voluntatis actus extendere, quòd (inquiebant) actuum libertas cum ex providentia stare minime possit.

CONCLUSIO. Dei providentia aliquibus quidem causis, sed non omnibus, necessitatem imponit.

Probatur. Deus providet causis secundùm earum naturam & conditionem: atqui aliquarum causarum natura exigit, ut providentia eis necessitatem imponat: exigit vero aliarum natura, ut eis non imponat necessitatem: ergo, &c. Probatur minor. Nonnullæ causæ sunt necessariæ, seu quæ, quòd ad unum per innatam sibi naturam determinatæ sint, operantur necessariò: aliæ è contra sunt liberæ, seu ideò non operantur necessariò, quod per naturam ad unum determinatæ non sint: ergo aliquarum, sed non omnium causarum natura exigit, ut providentia eis necessitatem imponat.

Objicies. Actus provisi non possunt non fieri: ergo fiunt necessariò, proindeque non sunt liberi. Probatur ant. Si actus provisi possent non fieri, providentia divina posset frustrari effectu, quem sibi proposuit; sed non potest: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia ipsamet providentia divina fert, ut effectus ponatur quidem, sed ita ut possit non poni: *Effectus divinæ providentiæ* (inquit S. Thomas 1. p. q. 22. art. 4. ad 1.) *non solùm est aliquid evenire quoquo modo, sed aliquid evenire vel contingenter* (qua voce etiam complectitur evenire liberè, cum libertas sit quædam contingentiæ species) *vel necessariò: & ideò evenit infallibiliter & necessariò, quod divina providentia disponit evenire infallibiliter & necessariò; & evenit contingenter, quod divinæ providentiæ ratio habet, ut contingenter eveniat.*

QUÆSTIO XIV.

De prædestinatione.

QUÆ ad prædestinationis materiam spectant, ad hæc capita reducuntur. *Primò.* Agendum est de prædestinationis nomine: 2. de discrimine, quod inter prædestinationem, electionem, & dilectionem reperitur: 3. de variis prædestinatorum nominibus: 4. de prædestinationis essentia: 5. expendemus, an omnes salvandi, fuerint prædestinati: 6. dicemus de prædestinationis causis: 7. de illius effectibus: 8. tandem de illius proprietatibus.

CA-

CAPUT I.

De nomine prædestinationis.

Not. 1. Evidens est, hanc vocem, *Prædestinatio*, esse vocem compositam ex præpositione *Præ*, & verbo *Destino*. Ut igitur adæquatè explicetur, necesse est, quid per præpositionem *Præ*, quid per verbum *Destino*, intelligatur, exponere.

Not. 2. Ambrosius Catharinus docuit, per præpositionem *Præ*, in verbo *Prædestino*, non significari prioritatem temporis, sed dignitatis: hoc est, voluit, prædestinatorum nomine Scripturam non intelligere eos omnes, qui ante mundi constitutionem electi sunt ad gloriam, sed eos tantùm, qui præ salvandis electi sunt ad altiorem tum sanctitatis, tum gloriæ gradum.

Not. 3. Verbum *Destino*, nonnulli interpretantur de mera præcognitione, ita ut velint, Deum prædestinare, nihil aliud esse, quam Deum cognoscere, quinam salvari debeant, antequam actu salventur.

Not. 4. Tria fingi possunt pro termino verbi *Prædestino*, scilicèt gratia, quæ in hoc sæculo confertur; gloria, qua donabimur in altero; mala tum istius, tum alterius vitæ.

Not. 5. Ex iis, quæ hucusque observata sunt, patet hoc in capite expendendum esse 1. utrum in verbo *Prædestino*, præpositio *Præ*, significet temporis, an dignitatis prioritatem: 2. utrum verbum *Destino*, intelligatur de mera rei futuræ præcognitione: 3. utrum idem verbum *Prædestino*, habeat pro termino hujus vitæ gratiam, gloriam alterius, mala tum præsentis vitæ tum futuræ.

CONCLUSIO. In prædestinationis nomine præpositio *Præ*, non significat prioritatem dignitatis, sed temporis.

Probatur 1. Immeritò (ut dicetur capite 4.) Catharinus supponit, omnes salvandos non esse prædestinatos: id tamen verum esset, si præpositio *Præ*, in prædestinationis nomine non significaret prioritatem temporis, sed dignitatis tantùm.

Probatur 2. Non minùs, cum de salvandis agitur, præpositio *Præ*, significat prioritatem temporis, quam cum agitur de aliis rebus: atqui cum agitur de aliis rebus, præpositio *Præ*, conjuncta cum verbo *Destino*, significat prioritatem temporis: *Loquimur* (inquit Apostolus 1. ad Cor. 2.) *Dei sapientiam, quam prædestinavit Deus ante sæcula*. Eodem sensu sumitur ad Ephesios 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum*.

Probatur 3. Alii Scripturæ termini, quibus prædestinatio exprimitur, significant prioritatem non dignitatis, sed temporis: ergo significatur quoque ipso prædestinationis nomine. Probatur ant. Matthæi. 25. prædestinatio exprimitur per regni cœlestis præparationem: *Possidete* (ait Christus prædestinatos alloquens) *paratum vobis regnum à constitutione mundi*. Ad Ephesios 1. significatur per electionem: *Elegit nos in ipso* (ait Apostolus) *ante constitutionem mundi*. Ad Rom. 8. prædestinatio conjungitur cum præscientia, ut verbum *Prædestino*, per verbum *Præscivit*, intelligatur: *Quos præscivit & prædestinavit*. Atqui (ut patet ex laudatis textibus) illi termini intelliguntur de prioritate temporis: ergo de ea quoque intelligitur præpositio *Præ*, quæ in verbo *Prædestino*, reperitur.

CONCLUSIO 2. Verbum *Destino*, præter actum intellectus, dicit voluntatis actum, decretum, propositum.

Probatur 1. ex 2. Machabæorum cap. 2. *Destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*. 2. ex secunda ad Corinth. cap. 9. *Unusquisque prout destinavit in corde suo*; atqui iis locis per verbum *Destinavit*, non intelligitur solus actus intellectus, sed firmum voluntatis propositum: ergo, &c.

Confirmatur ex aliis locis, ubi illud voluntatis propositum exprimitur per verba simplicia *Destino, Definio*: *Et quidem filius hominis, secundùm quod definitum est, vadit*. Actuum 4. *Convenerunt facere, quæ manus tua, & consilium decreverunt fieri*: quem quidem locum sic legit Augustinus lib. de prædestinatione SS. cap. 6. *Convenerunt facere, quanta manus tua & consilium tuum prædestinavit fieri*. Nec id mirum est, quia quodlibet Dei decretum est æternum, ac proindè præcedit temporalem eventum, qui decretus est: *Illud prædestinandum erat* (inquit Augustinus tract. 105. in Joannem) *quod nandum erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat, ut fieret*.

CONCLUSIO 3. Prædestinatio est tum de donis hujus vitæ, tum de gloria alterius, tum de malis pœnæ, sive ad hanc præsentem, sive ad futuram vitam spectantibus: strictè tamen a theologis sumitur pro sola ad gloriam prædestinatione.

Probatur prior pars. Prædestinatio est de iis omnibus, quæ in tempore sunt Dei effectus: atqui tum gratia hujus vitæ; tum alterius gloria; tum mala pœnæ, sive ad præsens sæculum, sive ad futurum spectent, sunt Dei effectus: ergo a Deo prædestinantur. Major constat ex Augustino, qui lib. de prædestinatione SS. sic loquitur: *Prædestinatio sine præscientia non potest esse; potest autem esse sine prædestinatione præscientia; prædestinatione quippè Deus ea præscivit, quæ fuit ipse facturus*. Hæc etiam habet lib. de dono persev. cap. 17. *In sua, qua falli, mutarique non potest, præscientia opera sua disponere, id omninò nec aliud quidquam est prædestinare*. Probatur min. Gratia hujus vitæ, gloria alterius, donantur à Deo; malum pœnæ tum hujus, tum futuri sæculi, ab eo infligitur: ergo sunt Dei effectus.

Antecedentis prior pars ostenditur ex Augustino, qui ex constanti Ecclesiæ fide, libro de prædestinatione SS. & libro de dono persev. contra Massilienses, demonstrat, initium fidei, conversionem, pietatis opera, perseverantiam usque in finem, esse specialia Dei dona, esse æternæ prædestinationis effectum: *Inter gratiam & prædestinationem hoc tantùm interest* (inquit lib. de prædest. SS. cap. 10.) *quòd prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò ipsa donatio ...... Gratia est prædestinationis effectus*. Libro de dono persever. cap. 17. concludit, divinæ gratiæ dona, per quæ in operibus bonis ab exordio usque ad finem vitæ ambulamus, non prædestinari, si non sint Dei dona; & è contra necessariò prædestinati, si sint dona Dei: *An fortè* (inquit) *nec ipsa dicuntur prædestinata? Ergo nec dantur à Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quòd si & dantur, & ea se daturum esse præscivit, profectò prædestinavit*.

Altera ejusmodi antecedentis pars, hoc est, æternam gloriam esse Dei donum, non minùs est certa; nam Deum oramus, ut nobis cœleste regnum largiatur; quippe ad ipsum quotidiè clamamus: *Adveniat regnum tuum*: ergo regnum cœleste est Dei donum, Dei effectus; siquidem oratio certissimum est argumentum, rem quam postulamus, esse divinæ gratiæ & prædestinationis effectum: *Hæc igitur* (ait Augustinus lib. de dono persever. cap. 23.) *quæ poscit à Domino, & semper ex quo esse cœpit, poposcit Ecclesia, ista Deus vocatis suis daturum se esse præscivit, & in ipsa prædestinatione jam dedit*.

Tertia ejusdem antecedentis pars ostenditur 1. ex eo, quòd (ut supra dictum est) Deus sit vera causa efficiens cujuslibet mali pœnæ, sive ad hanc vitam, sive ad alteram pertineat: ergo illud malum fuit ab æterno prædestinatum, cum Deus nihil exequatur in tempore, quod non prædefinierit, seu non prædestinarit ab æterno. Ostenditur 2. ex Augustino, qui in Enchiridio ad Laurentium cap. 100. sic loquitur: *Benè utens & malis,*

tan-

tanquam summè bonus, ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam. Ostenditur 3. ex S. Fulgentio, qui libro ad Monimum non solùm id asserit, quod hic proferimus, sed præterea reddit illius rationem; hæc enim habet: *Quod nunquam est in opere ejus, nunquam fuit in prædestinatione ejus. Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc, quod malè operantur à concupiscentia sua abstracti & illecti, sed ad hoc quod justè patiuntur inviti*. Ostenditur 4. ex Concilio Valentino, quod sub Lothario celebratum est: nempe illud Concilium tanquam fidei articulum definiit duplicem esse hominum prædestinationem; unam ad vitam, alteram ad mortem: *Fidenter fatemur* (ait can. 3.) *prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem*.

Probatur denique ultima conclusionis pars, seu prædestinationis nomen, passim & ordinarie à Theologis sumi pro prædestinatione ad gloriam. *Primò*, ita fert tritus apud hodiernos Theologos loquendi modus. *Secundò*, media, quæ ad vitam æternam infallibiliter perducunt, ideò tantùm prædestinantur, quòd ipsa vita æterna, ad quam tanquam ad finem illa media ordinantur, prædestinata fuerit. *Tertiè*, qui apud Augustinum absolutè ac sine addito dicuntur prædestinati, ii sunt tantùm, qui ad vitam æternam electi sunt; qui a peccatis, cæterisque, quas hic patimur, miseriis, debent aliquando esse omninò liberi; hos enim præcipue complectitur definitio prædestinationis in bono, quam Augustinus, tanquam sui de gratia systematis principium, tradidit: *Præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*.

CAPUT II.

Quomodo differant Prædestinatio, Dilectio, Electio, Propositum, Discretio, Præparatio.

CONCL. I. Nomina, de quibus est quæstio, in Scripturis & Patribus pro uno ac eodem sæpius usurpantur.

Probatur 1. Ubi Paulus ad Ephesios 1. Electionis nomine usus est: *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus*, statim adhibet prædestinationis nomen: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum*. In Epistolâ ad Rom. cap. 8. eos, *qui secundum propositum vocati sunt sancti*, vocat prædestinatos: *Nam quos præscivit & prædestinavit*: vocat etiam electos: *Quis accusabit adversus electos Dei?*

Probatur 2. In Epistola Prosperi ad Augustinum illa nomina promiscue pro eodem usurpantur: *Hoc autem propositum* (inquit) *quo ante mundi constitutionem eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ fierent, causam resurgendi adimere, cum, si aliud habeat prædestinantis electio, cassa sit annitentis intentio. Removeri itaque industriam, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates*.

Probatur 3. ex Augustino, apud quem eadem, de quibus agitur, nomina idem planè significant: *Quomodo* (inquit libro de prædestinatione SS. cap. 18.) *eligeret eos, qui nondum nati erant, nisi prædestinando? Elegit ergo prædestinans nos. Fecit autem hoc secundum placitum voluntatis suæ, ut nemo de sua, sed illius erga se voluntate glorietur ...... In quo sortem consecuti sumus prædestinati secundum propositum, non nostrum, sed ejus, qui universa operatur .... Ex hoc proposito ejus est illa electorum propria vocatio, quibus omnia cooperantur in bonum, quia secundum propositum vocati sunt sancti*.

CONCL. 2. Quamvis ea nomina sæpiùs apud Patres pro eodem usurpentur, videntur tamen habere, secundùm nostrum concipiendi modum, ordinem prioris & posterioris.

Probatur. Prædestinatio (ex S. Thoma 1. p. q. 23. art. 4.) est ordinatio rationis in finem: ergo præsupponit ejusdem finis voluntatem; velle autem alicui creaturæ finem ultimum, est ipsam diligere; ipsi præ cæteris velle idem bonum, est eligere. Ordinis, qui inter illos actus reperitur, rationem habuit Apostolus ad Rom. 8. *Quos præscivit* (præscientia approbationis, seu dilectionis) *& prædestinavit*.

CAPUT III.

De variis prædestinatorum nominibus.

CONCL. 1. In Scriptura, & Patribus prædestinati variis nominibus appellantur.

Probatur enumeratione. *Primò*, ad Rom. 8. & ad Eph. 1. vocantur, *prædestinati*. Estius observat vocem Græcam, quæ Latinæ, *prædestinati*, respondet, verti posse per has alias, *præfiniti*, *prædeterminati*.

Secundò, vocantur, *dilecti*, *electi*, quæ quidem nomina, licet (ut superiore capite demonstratum est) reipsa convertantur; tamen secundùm nostrum concipiendi modum, inter se differunt: *Omnia* (inquit Apostolus 2. ad Timotheum 2.) *sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur*.

Tertiò, in altera ad Timoth. epist. cap. 2. *Cogniti*, *præcogniti* dicuntur: *Cognovit Dominus, qui sunt ejus*. De iis quoque ad Rom. 8. loquitur Paulus: *Quos præscivit*. Eorum quoque in persona Christi, cujus sunt membra, fit mentio 1. Petri 1. *Præcogniti ante mundi constitutionem*. Porrò iis in locis verba *cognoscere*, *præcognoscere*, significant *dilectionem*, *prædilectionem*: nam (ut supra dictum est) cognitio, præcognitio sunt prædestinationis causa. *Non repulit Deus* (inquit Paulus ad Rom. 11.) *plebem suam quam præscivit*: hoc est, quam ab æterno dilexit. De ea etiam, quæ amoris est, cognitione, intelligi debent hæc Christi verba Joannis 10. *Cognosco oves meas*.

Quartò, dicuntur *probati*: quæ quidem vox non minùs, quàm voces *cogniti præcogniti*, dilectionem significant: è contra reprobati ii sunt, qui odio habentur: *Oportet & hæreses esse* (ait Apostolus 1. ad Corinth. 11.) *ut & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*.

Quintò vocantur, *præordinati in vitam æternam*; Actor. 13. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*.

Sextò, dicuntur, *præparati in gloriam*, scilicet æterno Dei decreto, ut ostenderet, ait Apostolus ad Rom. 9. *divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*.

Septimò dicuntur, *vocati*, non quidem simpliciter, quippè constat ex Evangelio, multos esse vocatos, paucos verò electos; sed cum hoc additur, *Secundùm propositum*. Ad Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti*. Ad Ephes. 1. termino *vocati*, additur *sorte*. Ad Hebræos 9. simpliciter quidem dicuntur, *vocati*, sed quæ ibidem dicit Apostolus, apertè innuunt, vocatos, de quibus agit, esse prædestinatos: *Ut* (inquit) *repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis*.

Octavò, ad Rom. 9. dicuntur, *Vasa misericordiæ*. 2. ad Timoth. 2. *Vasa in honorem*.

Nonò, præter ea nomina, multa alia habent in Scripturis. Matth. 25. dicuntur *Benedicti*. Joannis 10. *Oves*, quas nemo rapturus est è Christi manibus. Tandem Joannis 11. per antonomasiam, *Filii Dei* appellantur: *ut* (ait Evangelium) *filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum*.

CAPUT IV.

Utrum sint aliqui salvandi, qui prædestinati non fuerint.

Num. 1. Plures Pelagiani docuerunt, olim Apostolos & nonnullos alios, sublimioris dignitatis viros, specialiter ad gloriam cœlestem fuisse prædestinatos, ob idque dum viverent, in justitia confirmatos fuisse per gratiam ab intrinseco & ex natura sua efficacem: sed illud prædestinationis privilegium ad cæteros, licèt salutem consecuturi sint, non extenderunt. Illam Pelagianorum doctrinam legere est apud Augustinum in calce libri 6. Hypognostici, cujus author (qui haud dubiè non est Augustinus) sic loquitur: *Prædestinationem igitur negare, quam apud Deum esse, breviter probavimus, immanis blasphemia est, quam non tantum, sicut soletis dicere, in Apostolis debemus accipere, sed in Patriarchis, & Prophetis, & Martyribus, & Confessoribus, in omnibus Sanctis, & dignè servientibus Deo.*

Num. 2. Ambrosius Catharinus, ut jam supra fuit observatum, elapso proxime sæculo in eandem abiit sententiam. Duplicem nimirum statuit salvandorum classem: in priore collocat Virginem Deiparam, Apostolos, Prophetas & nonnullos alios eximiæ sanctitatis viros, quos contendit, sine ulla meritorum prævisione a Deo, per singulare privilegium, ad gloriam electos fuisse; ob idque ita in gratia fuisse confirmatos, ut ab ea excidere minimè potuerint: In altera salvandorum classe collocat minoris perfectionis sanctos, qui salutem, aut jam consecuti sunt, aut consequentur aliquando: hos communi providentiæ relictos docet salutem consequi per gratiæ auxilia, sed quæ nullam specialem prædilectionem arguant. Inde autem concludit 1. prædestinatos omnes certò consequi salutem, nec eorum perire quemquam: concludit 2. multos, qui revera prædestinati non fuerunt, ad eam quoque pervenire.

CONCLUSIO. Nullus est salvandus, qui prædestinatus non fuerit, seu soli prædestinati sunt salvandi.

Probatur ex Scriptura. Omnes salvandi sunt electi: atqui omnes electi sunt prædestinati: ergo omnes salvandi sunt prædestinati; ac proinde soli prædestinati salutem consequentur. Minor propositio patet ex proximè superiori Capite, ubi ostensum est, electorum & prædestinatorum nomine idem tum in Scripturis, tum in Patribus significari: unde probatur maj. *Primò* apud Matth. cap. 22. vocati, qui non sunt ex electorum numero, mittuntur in tenebras exteriores: ergo qui in eas non mittuntur, seu qui consequuntur salutem, sunt electi. *Secundò*, apud eundem Evangelistam cap. 24. Electi opponuntur reprobis, de quibus dicitur: *Tunc plangent omnes tribus terræ*: ergo inter electos & reprobos nulli alii sunt medii: qui autem salvantur, non sunt ex reproborum numero: ergo sunt ex numero electorum: ac proinde omnes salvandi sunt electi, seu prædestinati. *Tertiò*, Matth. 25. omnes salvandi erunt in extremo judicio à dextris Christi: Sed qui erunt a dextris Christi, sunt prædestinati: quippè iis ab origine mundi paratum est cœleste regnum: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*: ergo, abstrahendo, an prædestinatio sit independens a prævisis meritis per gratiam comparandis, de eo enim capite hîc nondum agitur: omnes salvandi sunt è prædestinatorum numero.

Probatur 2. ex Patribus. Augustinus omnem in salvandos providentiam refundit in æternam prædestinationem; seu docet, ideò salvandos salvari, quòd ab æterno fuerint prædestinati.

Ubi quæstio, cur è duobus parvulis alter antè mortem baptismum recipiat, alter verò non recipiat, respondet, id fieri, quòd unus sit ex numero prædestinatorum, alter verò ex numero reproborum: *Ex his*, inquit lib. 4. contra Julianum cap. 4. *nemo perit, quacumque ætate moriatur, absit enim ut prædestinatio ad vitam sine sacramento mediatoris finire permittatur hanc vitam*. Multa loca similia referuntur inferiùs, ubi agemus de causis prædestinationis.

Idem S. Doctor reddens rationem, cur plures de adultis, qui in peccato vixere, non moriantur antequam egerint pœnitentiam, asserit, id contingere, quòd sint ex prædestinatorum numero. Juliano objicienti locum Apostoli: *Verum esse constat, sed quem prædestinavit, adducit.*

Libro de corrept. & gratia scribit, causam, cur nonnullis correptio sit utilis, aliis verò non prosit, repeti debere ex æterna illorum, non autem istorum prædestinatione. *Correptio* (inquit cap. 14.) *medicinaliter adhibetur, etiamsi salus ægrotantis incerta sit, ut si is, qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum; si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum.*

Ejusdem libri cap. 1. rationem, cur aliqui justi ad finem usque perseverent, alii verò minimè perseverent, refundit in mysterium prædestinationis: *Nec hos moveat, quòd filiis suis quibusdam Deus non det istam perseverantiam: absit enim ut ita esset, si de illis prædestinatis essent & secundùm propositum vocatis, qui verè sunt filii promissionis:* Ergo Augustinus docuit, nullum e salvandis esse, qui non sit etiam de prædestinatorum numero: ac proinde censuit, salvandos, & prædestinatos non duas classes, ut Catharino visum est, sed unam duntaxat constituere.

Augustino subscribit Fulgentius: nam lib. de fide ad Petrum cap. 35 negat, aliquem ex iis, quos Deus non prædestinavit ad vitam, salutem esse consecuturum. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 12. pro eodem quoque salvandos ac prædestinatos sumit: *Nemo quoque* (ait) *quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certò statuat, se omninò esse in numero prædestinatorum.*

Solvuntur argumenta Catharini.

Objicies 1. In Scripturis regnum cœleste nonnullis paratum dicitur ante constitutionem mundi, aliis vero (ut videre est Matth. 25. a constitutione mundi: atqui is diversus loquendi modus supponit, nonnullos salvari, qui prædestinati non sint; ii nempè, quibus a constitutione mundi tantùm, & non ab æterno regnum cœleste paratum est.

Resp. neg. min. Ratio est, quia hæc verba: *A constitutione mundi*: *Ante mundi constitutionem*, idem omninò significant, cùm Deus nihil in tempore, aut temporis initio decernat, quod ab æterno non decreverit.

Confirmatur solutio ex eo, quòd idem, quod Matth. 25. dicitur, *à constitutione mundi*, ad Ephes. 1. dicatur, *ante mundi constitutionem*, & prioris ad Timoth. cap. 1. *ante tempora sæcularia*.

Objicies 2. Matth. 20. de vocatis, licèt minimè electis, dicitur, quòd futuri sint in regno cœlorum, sed novissimi, hoc est, ultimum occupantes locum: è contra de electis dicitur, quòd sint futuri primi: *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi*; ergo duplex est salvandorum ordo, eorum scilicet, qui vocati sunt, non tamen electi: & eorum qui simul & vocati & electi sunt.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia hæc vox: *Novissimi*, reddi debet per hanc aliam: *Non erunt*: unde sensus est, quòd

quòd Judæi, qui erant primi, hoc est qui videbantur sanctiores gentibus, sunt novissimi, id est, nulli futuri sint in regno cœlorum. Confirmatur ex Luca, apud quem cap. 13. qui *Novissimi* dicuntur, ejiciendi sunt foras, futurique ex eorum numero, quibus in extremo judicio dicetur: *Nescio vos*. Confirmatur iterùm ex Matth. cap. 5. ubi *minimus* in regno cœlorum is dicitur, qui revera in ipso nusquam erit.

Objicies 3. Vocatis in vineam, de quibus dicitur: *Et primi novissimi*, non sunt electi: & tamen merces eis à patrefamilias rependitur: ergo supponuntur in justitia perseverasse usque ad finem: ac proinde non soli electi, sed etiam plures alii sunt è salvandorum numero.

Resp. dist. ant. Rependitur merces in lege per Moysem promissa, conc. ant. in Evangelio per Christum promissa, neg. ant. Laborantes in vinea, de quibus parabola loquitur, sunt Judæi, ac Gentiles: illis, quòd carnales essent, Moyses promiserat temporalem mercedem, quam reverà consecuti sunt, quæque significatur per denarium, qui vocatis, licet non electis, datus est a patrefamilias: istis verò, non vocatis tantùm, sed etiam electis, Christus pollicitus est mercedem spiritualem, qua revera donati sunt, quæque adumbratur per denarium, cujus parabola meminit. Alium ejusdem parabolæ sensum iis locis videre est, ubi agemus de inæqualitate intuitivæ Dei visionis.

CAPUT V.

De essentia prædestinationis.

Not. Circa essentiam prædestinationis, duplex est Authorum sententia. Nonnulli post Augustinum contendunt, eam hac definitione contineri: *Præscientia*, seu *Præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*. Aliis placet hæc definitio: *Ordinatio*, seu *transmissio creaturæ rationalis in finem ultimum supernaturalem*. Horum autem ratio est 1. quòd prior definitio videatur tantùm complecti prædestinationem ad gratiam, de qua tamen non est hic præcipua quæstio: 2. quòd sanctis Angelis convenire minime possit; nec enim (ajunt Authores illi) aliquando liberati fuerunt, cum nusquam fuerint miseri.

CONCLUSIO. Essentia prædestinationis hac illius definitione continetur: Prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.

Explicatur Conclusio. *Primò*, per hæc definitionis verba: *Quibus certissimè liberantur*, Angeli sancti excluduntur à prædestinatione: cùm enim nusquam miseri fuerint, dici non potest, quòd aliquando fuerint liberati; unde inferiùs fusè a nobis ostendetur, quòd prædestinatio gratuita, hoc est, independens a prævisione meritorum, quam Augustinus vocat *gratiæ* prædestinationem, quamque alteri opponit, quam vocat *meritorum* prædestinationem, nullum prorsùs in Angelis locum habuerit.

Secundè, per hæc eadem verba: *Quibus certissimè liberantur*, ostenditur, *gratiæ* prædestinationem, de qua est hic quæstio, supponere peccati originalis prævisionem; neque enim creatura rationalis, si nullius sit peccati rea, potest concipi jacere in miseria: quippè sub Deo justo nemo miser est, nisi mereatur; unde Augustinus non raró prædestinationem vocat discretionem à massa perditionis: *Et ideò dicit* (verba sunt S. Doctoris in hanc Pauli sententiam: *Quis enim te discernit*, ad Valentinum scribentis,) *quia de massa illius perditionis, quæ facta est ex Adam, non discernit hominem, ut eum faciat vas in honorem non in contumeliam, nisi Deus*: E contra verò reprobationem idem Augustinus nuncupat derelictionem in massa perditionis: *Non enim* (inquit lib. de Corrept. & gratia cap. 7. de iis agens, qui vel sine baptismo moriuntur, vel non perseverant in gratia sanctificante, per regenerationis sacramentum accepta) *sunt à massa illa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione discreti, & ideò non secundùm propositum vocati.*

Tertiò, per hanc vocem; *Præparatio*, prædestinatio differt a gratia, quam Deus in tempore largitur: *Inter gratiam porrò*, ait Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. 10. *& prædestinationem, hoc tantùm interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò jam ipsa donatio.* Per eandem vocem prædestinatio differt quoque a præscientia, quippè præscientia, si in instanti rationis ante decretum perpendatur, non dicit alicujus gratiæ præparationem, sed meram rei provisionem: *Prædestinatio*, inquit ibidem laudatus Doctor, *est, quæ sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia*: Ejus autem discriminis hanc idem Augustinus rationem reddit: *Prædestinatione quippè Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus; unde dictum est: Fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam quæ ipse non facit, sicut quæcumque peccata.*

Tandem *Quartò*, per hæc ultima verba: *Quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*, intelligitur 1. quæ in hac vita incipit liberatio per fidem, spem, charitatem, perseverantiam: intelligitur 2. consummata, ac perfecta liberatio, quæ fiet per gloriæ cœlestis adeptionem. Nempè qui ante mundi constitutionem electi sunt in Christo, prædestinati fuerunt ad utramque illam, inchoatam, & perfectam, liberationem; nam, ut jam sæpiùs observatum est, electis nullum in tempore beneficium confertur, quod non sit æternæ prædestinationis effectus: *Prædestinatio Dei, quæ in bono est* (ait Augustinus lib. de prædestinatione SS. cap. 10.) *gratiæ est, ut dixi, præparatio, gratia verè est ipsius prædestinationis effectus.*

Utramque illam liberationem hisce verbis complectitur lib. 6. contra Julianum cap. 14. *Qua gratia liberatus sum à reatu omnium peccatorum, vel quæ nascendo traxeram, vel quæ malè vivendo contraxeram, qua gratia liberor, ut scio, ne intrem in tentationem à concupiscentia mea abstractus, & illectus, atque ut exordiar dicens cum consortibus meis: Dimitte nobis debita nostra: qua gratia liberabor, ut spero, in æternum, ubi jam nulla lex in membris meis repugnet legi mentis meæ.*

Eandem utramque illam liberationem Patrem, qui in cœlis est, rogamus hac duplici orationis Dominicæ petitione: *Dimitte nobis debita nostra; Ne nos inducas in tentationem*. Ita nimirùm docet Augustinus lib. de peccatorum meritis, cap. 4. *Si ergo*, inquit, *totum hoc in tribus beneficiis positum breviter peti potest: Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti à concupiscentia. Adjuva, ne abstrahamur à concupiscentia. Aufer à nobis* per gloriæ concessionem *concupiscentiam*.

Sic autem explicata conclusio probatur 1. authoritate S. Augustini, a quo expressis verbis, lib. de dono perseverantiæ, c. 14. a nobis exposita definitio traditur.

Probatur 2. Definitio, de qua agitur, maximè congruit cum scopo, quem Augustinus contra Semi-Pelagianos in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ sibi proposuerat. Contendebant illi, initium fidei, & perseverantiam usque in finem, & ipsum etiam ultimum finem ex meritis fuisse ab æterno præparatum, ac in tempore de facto conferri; Atqui definitio, de qua est quæstio, aptissima est ad evertendum illum errorem; nam si ad ea omnia homo gratis prædestinetur, sequitur necessariò, quòd non sint ex meritis Creaturæ, sed ex misericordia Creatoris: *An quisquam dicere audebit*, ait Augustinus immediatè ante illatam definitionem, *Deum non præscisse, quibus esset daturus, ut crederent? aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? quæ utique sic præscivit, profectò benefi-*

cia,

tis, quos Deus dignatur liberare, præscivit.

Quæres 1. quam Dei scientiam Augustinus intelligat per præscientiam, cujus meminit in definitione prædestinationis?

Respondent 1. nonnulli, Augustinum intellexisse scientiam simplicis intelligentiæ. Ratio est, inquiunt, quia S. Doctor loquitur de scientia, quæ Dei voluntatem, ipsi proponendo objecta, dirigat, ut ferre possit suũ de hominis prædestinatione decretum; neque enim, addunt, cœco modo Deus fert sua libera decreta. Confirmant ex eo, quod Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 17. hac loquendi ratione sæpius utatur: *Dona sua in præscientia preparavit. Prædestinare nihil aliud est, quam in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia opera sua futura disponere.*

Respondent 2. alii, præscientiæ nomine Augustinum intellexisse scientiam mediam, per quam scilicet Deus cognoscit, quænam auxilia, quis auxiliorum ordo justificationem, perseverantiam usque in finem, ipsius etiam finis possessionem collatura sint alicui, si ei conferantur; aut quid aliquis acturus sit, si cum hac, aut illa gratia versatus, in his, aut illis circumstantiis ponatur.

Respondent 3. alii, quibus subscribimus, præscientiæ nomine S. Augustinum intellexisse scientiam visionis. Ratio est 1. quia Augustinus non intellexit eorum scientiam, quæ mere possibilia sunt, nec quæ essent si poneretur aliqua conditio; sed quæ revera futura sunt, quæque ipsemet in electorum cordibus operaturus est: *Prædestinatione quippè Deus præscivit*, inquit ipse lib. de prædest. SS. cap. 10. *quæ fuerat ipse facturus*. Ibidem exponens promissionem de dandis Abrahæ filiis, hæc habet, quæ nec de scientia simplicis intelligentiæ, nec de scientia media intelligi possunt: *Non de nostra voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promisit: promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines.*

Nec obstat 1. quòd Augustinus asserat, Deum dona sua præparare atque disponere in sua præscientia: nam S. Doctor non minùs asserit, quòd Deus eadem dona præsciat in sua prædestinatione. *Propterea*, inquit epist. 170. *Deus ut omnia opera in prædestinatione præscivit, sic illa disposuit.* Lib. de prædest. SS. cap. 17. hæc etiam habet: *Electi sunt ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua facta præscivit.* Similes textus legi possunt iis locis, ubi superius actum est de divinæ scientiæ medio.

Non obstat 2. quòd scientia visionis, cum sit prædestinatione posterior, ad illam nihil omninò conferat. Si quidem Augustinus meminit scientiæ visionis, eò quòd ad illius contra Semi-Pelagianos scopum maximè conferat. Contendebant illi, fidem & perseverantiam præsciri quidem à Deo, sed negabant prædestinari: Contra verò docet Augustinus, utramque & prædestinari, & præsciri à Deo; prædestinari quidem, quod utramque in hominibus lapsis per sua dona operari debeat in tempore; præscivit verò in ipsa prædestinatione: *Ipsi enim putant* (ut lib. de prædestinatione SS. cap. 17.) *acceptis præceptis, jam per nos fieri liberæ voluntatis arbitrio sanctos & immaculatos in conspectu ejus in charitate; quod futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideò nos ante mundi constitutionem elegit & prædestinavit in Christo: Cum dicat Apostolus: Non quia futuros tales nos esse præscivit, sed ut essemus tales, per ipsam electionem gratiæ sup.... Cum erga nos prædestinavit, opus suum præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit.*

Quæres 2. cujusnam mentis potentiæ, secundùm nostrum concipiendi modum, actus sit prædestinatio, an intellectus, an voluntatis?

Respondent nonnulli, prædestinationem esse actum intellectus, eò quòd (inquiunt) Augustinus sæpius illam vocet præscientiam.

Respondent alii, eam esse actum voluntatis, & quidem meritò. Nam 1. Augustinus non rarò prædestinationem vocat electionem: *Electi sunt* (inquit lib. de prædestinatione SS. cap. 10.) *ante mundi constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit.* Ejusdem libri cap. 18. ut prædestinationem explicet, utitur verbis: *Statuendi, Constituendi, Decernendi.* Libro de dono persever. cap. 22. eam appellat definitam divinæ voluntatis sententiam: *Ita se habet* (ait de prædestinatione) *definita sententia voluntatis Dei.* Atqui electio, statum, constitutio, decretum, definita sententia sunt actus voluntatis, non autem intellectus: ergo, &c.

Confirmatur data mox responsio ex Massiliensibus Augustini Adversariis. Illi enim (ut constat ex Epistolis Prosperi & Hilarii ad Augustinum) prædestinationem, quam defendebat S. Doctor, sæpius vocant *Propositum Dei, quo fit hominum discretio, definitionem; prædestinantis electionem; constitutionem Dei; propositum, & consilium voluntatis Dei.* Eadem loquendi ratione utitur S. Fulgentius: *Utrumque* (ait lib. 1. ad Maximum) *prædestinando Deus præparavit in illa incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renovandi disposuit, ut ejus voluntas in opere novo nova esse non possit.*

CAPUT VI.

De causis prædestinationis.

Not. NOn est hic quæstio de causa efficiente: quippè certum est prædestinationem, cum sit beneficiorum præparatio, à Deo esse tanquam à causa efficiente. Non agitur quoque de causa finali; nam apud omnes constat, ultimum, *cujus gratia*, prædestinationis finem, esse Dei gloriam: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Itaque difficultas est solùm de causa meritoria: hoc est, quæritur 1. utrum in hominibus lapsis Deus aliqua merita prævideris, quæ eum ad illos prædestinandos moverint: 2. utrum in Angelis eadem fuerit prædestinationis ratio, quæ in hominibus lapsis; seu quæritur, an tum in hominibus lapsis, tum in Sanctis Angelis prædestinatio fuerit gratuita.

Not. 2. Prædestinatio vel est ad gratiam, sive actualem, sive habitualem; vel est ad gloriam. De prædestinatione secundùm duplicem illum terminum considerata & in hominibus lapsis, & in Sanctis Angelis, hic à nobis est differendum.

ARTICULUS I.

Utrum prædestinatio ad gratiam sit gratuita.

Not 1. CIrca eam quæstionem errarunt Pelagiani: Contendebant nimirùm 1. hominem ad gratiam, tum actualem, tum habitualem prædestinari ex prævisis liberi arbitrii meritis: 2. Contendebant, ea prævisa merita esse ex solis naturæ viribus. Contendebant denique 3. illis meritis per naturæ vires comparatis deberi gratiam, & vitam æternam, non tantùm de congruo, sed etiam de condigno, id est, summo jure: ita ut si Deus ejusmodi merita habenti, gratiam aut gloriam non conferret, esset injustus.

Not. 2. Semi-Pelagiani docebant, hominem prædestinari ad primam gratiam ex prævisa fide, cujus initium contendebant pendere ex creatæ voluntatis arbitrio: volebant quoque, prædestinationem ad perseverantiam esse ex ejusdem voluntatis meritis.

Not. 3. Ludovici Molinæ discipuli asserunt prædestinationem ad primam gratiam esse nonnunquam ex prævisione operum, quæ passim appellantur opera moraliter

raliter bona: ita ut ex viribus naturæ facienti, quod in se est, Deus primam gratiam non deneget: illa verò merita per naturæ vires comparata, sunt (inquiunt) merita de congruo, non autem de condigno, ut olim Pelagianis visum est.

CONCLUSIO 1. Homo lapsus non prædestinatur ad gratiam ex prævisis meritis, per solas naturæ vires comparatis.

Probatur iis omnibus argumentis, quibus in tractatu de gratia Theologi Catholici contra Pelagianos probant, gratiam secundùm merita non dari; opera solis naturæ viribus elicita, nulla ratione mereri ea, quæ ad salutem spectant. Ejusmodi autem argumenta fusè pertractat Augustinus epistolis 59. 105. 106. in Enchiridio à capite centesimo usque ad centesimum septimum, lib. de corrept. & gratia, ac passim aliis contra Pelagianos operibus.

CONCLUSIO 2. Homo lapsus non prædestinatur ad gratiam ex prævisa fide, cujus initium sit ex nobis, aut ad perseverantiam ex meritis, quæ sint ex naturæ viribus.

Probatur 1. authoritate Augustini, qui ex professo duplex illud Semi-Pelagianismi caput, tanquam catholicæ fidei contrarium, confutavit libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ. Ibi espressè S. Doctor asserit eam, quam adversùs Semi-Pelagianos adstruit, prædestinationem, ad fidem catholicam pertinere: *Hoc scio*, inquit lib. de dono persev. cap. 19. *neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse*. Contendit, Ecclesiam quovis sæculo eam fidem professam fuisse: *Ille itaque* (ait ibidem cap. 12.) *dicat, Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus & gratiæ, quæ nunc contra novos hæreticos curo diligentiore defenditur; ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet, aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles*.

Probatur 2. authoritate Concilii Arausicani II. Tridentini sess. 6. Summorum Pontificum Innocentii I. Zozimi, Bonifacii, Hormisdæ, Adriani I. in epist. 97. quæ est ad Egillam, extatque tomo 3. historiæ Franciæ Francisci Duchesne: *Opus misericordiæ præparavit Deus in æternitate incommutabilitatis suæ, & sicut futurorum operum suorum nunquam fuit ignarus, sic in eorundem operum præparatione nunquam improvidus. Præparavit ergo justificatis hominibus merita, præparavit eisdem glorificandis præmia ...... Hæc est æterna prædestinatio futurorum operum Dei, quam sicut nobis apostolica doctrina semper insinuari cognoscimus, sic etiam fideliter prædicamus. .... Teneatur ergo à fidelibus cunctis, quia quisquis divinum non credit in hac prædestinatione consilium, non perveniet ad gloriosum ejusdem prædestinationis effectum.*

CONCLUSIO 3. Homo lapsus non prædestinatur ad primam gratiam ex prævisione operum, quæ moraliter bona sunt, quæque de congruo Deum moveant ad conferendam fidei gratiam.

Probatur, quia nihil ea sententia capitaliùs opponitur doctrinæ, quam totius Ecclesiæ nomine Augustinus asseruit libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ: totus nimirùm in iis libris est S. Pater, ut probet, gratiam non esse gratuitam, si in nobis aliquid sit, quod Deum moveat, ut nobis eam largiatur: unde in nostro tractatu de gratia fusè ostendemus, eam sententiam non videri nobis multùm discrepare à Semi-Pelagianorum errore, solvemusque argumenta, quæ in ejus defensionem proferri solent.

Ex hactenùs dictis colligitur, quàm meritò illustrissimus ac doctissimus Carolus Mauricius *Le Tellier* Archiepiscopus Remensis hæc capita ad prædestinationem spectantia, tanquam totidem fidei articulos Academiæ Remensi commendaverit. *Primò*: Deus quibusdam hominibus, quos Scriptura electos appellat, præparavit specialia beneficia, per quæ tum a peccato, tum ab æterna damnatione certò liberantur. *Secundò*: si certò liberentur, id fit per media, quæ effectu suo non frustrantur. *Tertiò*: si ea specialia & infallibilia media Deus omnibus præparasset, omnes, nullo excepto, liberarentur. *Quartò*: Nullo, quod fit ex parte hominis, merito Deus movetur, ut illa auxilia præparet. *Quintò*: Non solùm prima gratia gratuitò præparatur ac prædestinatur, sed etiam connexio specialium beneficiorum, quibus certa fit electorum æterna liberatio.

Ea capita, nec non principia quibus nituntur, solidè ac fuse pertractata legere est in decreto, quo laudatus Archiepiscopus, die 15. Julii anno 1697. animadvertit in thesim, qua quidam theologiæ professor, cujus nomini ac instituto parcimus, Augustini de gratuita prædestinatione doctrinā propugnans, visus fuerat eam defendisse tantùm tanquam probabilem, non autem tanquam omninò certum ac constans Ecclesiæ catholicæ dogma, à quo nemo possit nisi errando discedere: *De arbitrio tamen libero & gratia Dei* (inquit Hormisda Papa epist. 70.) *quod Romana, hoc est, Catholica, sequatur & asseveret Ecclesia, licet in variis libris B. Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum possit cognosci, &c.*

ARTICULUS II.

Utrum Prædestinatio ad gloriam sit gratuita.

Not. 1. Pelagiani & Semi-Pelagiani negarunt prædestinationem ad gloriam esse gratuitam; nec mirum; nam cum assererent, prædestinationem ad media, hoc est, auxilia supernaturalia, quibus æterna gloria comparatur, non esse (ut præcedente articulo dictum est) gratuitam, consequens erat, ut idem de prædestinatione ad gloriam docerent.

Not. 2. Semi-Pelagianos inter & Pelagianos hoc fuit discrimen, quòd illi, non autem isti, contenderent, Deum ad gloriam prædestinare non tantùm ex prævisione meritorum, quæ quis revera comparaturus erat, sed nonnunquam etiam ex prævisione eorum, quæ quis comparasset, nisi præmatura morte ex hoc sæculo raptus fuisset. Id Semi-Pelagiani commenti sunt, ut liberarent se argumento, quod pro gratuita prædestinatione Catholici petebant exemplo duorum parvulorum, quorum alter moritur statim post baptismum, alter verò antequam illud recipere potuerit: nempè ejusmodi argumento respondebant, ex iis infantibus alterum ad baptismum & ad gloriam fuisse prædestinatum ex meritis, quæ Deus præviderat eum comparaturum esse, si ad adultam usque ætatem vixisset: alterum verò non recepisse baptisma, & exclusum fuisse à gloria propter demerita, quæ Deus præviderat ab eo contrahenda, si vitam ad adultam ætatem protraxisset.

Not. 3. Qui defendunt Ludov. Molinæ sententiam, in eo cum Pelagianis & Semi-Pelagianis conveniunt, quòd velint, prædestinationem ad æternam gloriam non esse gratuitam; sed in eo differunt, quòd cum Pelagiani docerent, prædestinationem ad gloriam esse ex meritis per naturæ vires comparandis, illi è contra doceant esse ex meritis comparandis per cooperationem, quam homines gratiæ versatili præbituri prævidentur. Ut autem suam sententiam explicent, hunc inter divina decreta ordinem, secundùm nostrum concipiendi modum, statuunt. *Primò*, inquiunt, Deus creaturam eduxit ex nihilo: *Secundò*, prævidit illius peccatum: *Tertiò*, statuit illi conferre gratiam versatilem, seu non determinantem, ultrà quam alia non indigeat, sive ut à peccato resurgat, sive ut in justitia ad finem usque perseveret: *Quartò*, prævidit ab æterno consensum, quem crea-

[illegible] voluntas illi gratiæ verfatili præbitura erat in tempore; *Quintò*, propter prævifum illum confenfum, Deus tum hominem lapfum, tum Angelum elegit, ac prædeftinat ad æternam gloriam.

Not. 4. S. Auguftinus, & S. Thomas, quibus fubfcripfere Theologi omnes, qui a debellatis Pelagianis, & Semi-Pelagianis ad Molinæ tempora fcripferunt, docent, hominis lapfi prædeftinationem ad gloriam effe omninò gratuitam, hoc eft, independentem à quorumlibet meritorum five per gratiam, five fine gratia comparandorum prævifione. Nec id mirum eft, quippe cum velint, gratuitam effe prædeftinationem ad fpecialia Dei beneficia, quæ folis electis dantur, quæque infallibilem connexionem habent cum gloria, hoc eft ad quam certò femper perducunt: confequens eft, ut doceant, prædeftinationem ad gloriam effe omninò gratuitam, id eft à prævifione quorumlibet meritorum prorsus independentem.

Not. 5. Ex S. Auguftini & S. Thomæ difcipulis nonnulli funt, qui inter divina decreta de hominis lapfi prædeftinatione, etiam fecundum noftrum concipiendi modum, nullum prioris & pofterioris ordinem ftatuunt; nempe volunt, uno & eodem actu, fimul & femel Deum ad merita & ad gloriam gratuitò prædeftinaffe: ita ut unum non fuerit alterius caufa. Alii è contra contendunt, ftatui debere aliquem ordinem inter divina de prædeftinatione decreta: hunc verò ftatuunt. *Primò* (inquiunt) Deus creaturam, quam videt in peccati fordibus jacere, abfoluto decreto eligit, feu prædeftinat ad æternam gloriam: *Secundò*, ex vi ejufmodi electionis, creaturæ electæ præparat auxilia effiacia, quæ eam determinent ad pietatis opera, quibus juftificationem affequatur, & quibus in accepta juftificatione in finem ufque perfeveret: *Tertiò*, prævidet futuram ex auxilio illo efficaci creaturæ, tum juftificationem, tum in finem ufque perfeverantiam: *Quartò*, in illius perfeverantiæ ab æterno prævifæ mercedem, ftatuit fe in tempore donaturum cœlefti beatitudine creaturam lapfam, quam gratuitò, hoc eft independenter à prævifa illa perfeverantia, ab æterno ad cœleftem beatitudinem elegerat, feu prædeftinarat.

Not. 6. Nihil hic dicemus de Pelagianorum, aut Semi-Pelagianorum doctrina circa adultorum prædeftinationem ad gloriam, quippè hujufce capitis articulo primo fat convellimus fundamentum, quo nititur eorum error: ergo erimus, ut confutemus 1. Semi-Pelagianorum fyftema circa parvulorum prædeftinationem ad gloriam: 2. Veterum Authorum de gratuita ad gloriam prædeftinatione fententiam defendemus: 3. Quæremus, an inter Dei decreta de conferendis gratia, & gloria fit aliquis ordo prioris & pofterioris.

§. I.

Confutatur Semi-Pelagianorum error de parvulorum prædeftinatione ad gloriam.

CONCLUSIO. Deus ad gloriam non prædeftinat, nec ab ea excludit parvulos ante ufum rationis morientes, ex prævifione operum, quæ egiffent, fi ufque ad adultam ætatem vixiffent.

Probatur. *Primò*. Auguftinus defumit argumentum ex c. 5. prioris ad Corinthios, ubi Apoftolus fcribit, manifeftari nos oportere ante Chrifti tribunal, ut unufquifque referat, prout geffit in corpore fuo, five bonum, five malum: In eam autem fententiam Auguftinus lib. de prædeftinatione SS. cap. 12. advertit, Paulum ideò dixiffe *Geffit*, non autem *Gefturus fuiffet*, ut innuat, ea, quæ verè gefta funt, non autem quæ agenda effent, præbere Dei aut mifericordiæ, aut juftitiæ locum.

Secundò. Deus per lavacrum regenerationis parcit peccatum, quo infantes verè rei funt: ergo à fortiori per idem Sacramentum deberet parcere peccata, quorum fi viverent, futuri fuiffent rei, ac proinde neminem debet reprobare propter prævifa fub conditione vitæ longioris peccata.

Tertiò. Si Deus prædeftinaret propter prævifa fub conditione vitæ longioris opera, nemo damnaretur propter peccatum originale, fed tantùm propter actuale: *Attendant, fi ita eft* (inquit Auguftinus lib. de prædeftinatione SS. c. 13.) *non jam parvulis fine baptifmate morientibus peccata originalia vindicari, fed fua cujufque futura, fi viveret*.

Quartò. In Semi-Pelagianorum fyftemate probari non poffet exiftentia peccati originalis; nam Catholici hoc præfertim medio: *Infantes, qui fine baptifmo moriuntur, æterna pœna* (quæcumque tandem fit) *damnantur*, probant exiftentiam peccati originalis; atqui inane effet illud medium; nam qui negant exiftentiam peccati originalis, refpondere poffent, infantes non damnari propter peccatum originale, fed propter actualia, in quæ prævifi funt ruituri, fi ad adultam ufque ætatem vixiffent. Inane pariter effet pro peccato originali argumentum defumptum ex eo, quod Ecclefia parvulos baptizet in remiffionem peccatorum; nimirùm Pelagiani, quorum errores Semi-Pelagiani deteftabantur, refpondere potuiffent, parvulos baptizari quidem in remiffionem peccatorum, fed actualium tantùm, quæ Deus prævideratab iis committenda effe, fi vixiffent: ita lib. de prædeftinatione Sanctorum cap. 13. Auguftinus ratiocinatur.

Quintò. Cyprianus lib. de mortalitate, ut probet mortem à Chriftiano tanquam aliquod malum haberi non debere, hanc affert rationem, quòd hominem à peccandi periculis fubtrahat, eumque conftituat in fecuritate non peccandi; atqui, fi vera fit Semi-Pelagianorum doctrina, corruet illa ratio; quippè Deus caftigat non tantùm præterita peccata, fed etiam quæ fub conditione longioris vitæ futura effent; *Sed quid prodeft* (ait Auguftinus c. 14.) *fi etiam futura, quæ commiffa non funt, peccata puniantur?*

Confirmatur argumentum ex eo, quòd (ut habetur Sapientiæ cap. 4.) Deus juftos aliquos ex hac vita rapiat, ne malitia mutet intellectum eorum: Sed id fruftra fieret: *Si enim* (ait Auguftinus de dono perfev. cap. 14.) *judicarentur homines pro meritis fuæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi, fed habituri effent, fi viverent, nihil prodeffet ei, qui raptus eft, ne malitia mutaret intellectum ejus: nihil prodeffet eis, qui lapfi moriuntur, fi ante morerentur: quod nullus dicere Chriftianus audebit.*

Sextò. Si opera, non quæ revera fient, fed quæ fierent ex fuppofita aliqua conditione, quæ numquam ponetur, Deum moverent, ut aliquem aut prædeftinet, aut reprobet, fruftra infidelibus prædicaretur Evangelium: nempe Deus decretum aut abfolutionis, aut condemnationis fertet, fed fecundùm contumaciam, vel obedientiam, quam prævidet eos habituros, fi reipfa Evangelium audirent. Auguftini quoque eft illud argumentum libro de dono perfeverantiæ cap. 9. Id verò quam falfum fit, confirmat exemplo Tyriorum, & Sidoniorum, quos conftat pœnis æternis addictos effe, quamvis Deus præfcivit, eos acturos fuiffe pœnitentiam, fi Chriftus apud illos patraffet miracula, quæ apud Judeos patrarat.

Septimò, Auguftinus argumentatur ex refponfione cujufdam (ut ipfe vocat) Difputatoris Catholici, qui exponens Chrifti de Tyro & Sidone verba, afferebat, ideò Chriftum noluiffe apud Tyrios & Sidonios patrare miracula, quòd fciret, eos poft actam femel pœnitentiam, ad priftinam infidelitatem redituros fuiffe; indéque concludebat, Chriftum ex fumma in eos mifericordia nec ipfis annuntiaffe Evangelium, nec patraffe miracula. Si prævifa (argumentum eft S. Doctoris lib. de

dono persever. cap. 10.) opera sub conditione, quæ nunquam ponetur, futura Deum moverent ad prædestinandum, aut reprobandum, Deus deberet castigare severiùs Tyrios & Sidonios, quam castiget: nimirùm opera futura sub conditione, quæ nunquam ponetur, non minus reddunt eos nocentes, quam fuerint Judæi, apud quos Christus prædicavit Evangelium, & patravit miracula: atqui id falsum est: ergo, &c.

§. II.

Defenditur doctrina de gratuita prædestinatione ad gloriam.

CONCL. Homo lapsus non prædestinatur ad gloriam ex prævisis meritis per auxilium gratiæ comparandis, seu (ut loquuntur Theologi) prædestinatio ad gloriam est omninò gratuita.

Probari potest 1. authoritate Evangelii: 2. authoritate Apostoli: 3. confutando, quæ tum ad Evangelii, tum ad Apostoli textus adversarii respondent: 4. authoritate S. Augustini: 5. authoritate Patrum, qui post Augustinum scripsere: 6. denique solvendo, quæ tum ex Scriptura, tum ex Patribus, tum ex philosophicis rationibus objiciuntur argumenta.

Proponitur argumentum desumptum ex Evangelio pro gratuita prędestinatione ad gloriam.

Primò. Christus Lucæ 12. sic loquitur: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Verba illa, *Pusillus grex*, ostendunt, Christum alloqui solos prædestinatos, nempe prædestinati, reproborum respectu, sunt valde pusillus grex. Hæc alia, *Dare vobis regnum*, demonstrant, non agi de prædestinatione ad gratiam, sed de prædestinatione ad gloriam. Tandem ista, *Complacuit Patri vestro*, non obscurè innuunt, prædestinationem illam oriri ex mero Patris beneplacito, non autem ex aliquorum, cujuscumque sint generis, meritorum prævisione.

Confirmatur ex scopo, quem Christus en loci sibi proposuit. Nempè Salvator, ut Apostolos amoveret a rerum temporalium cura, argumentatur à majori ad minus. Si (sensus est argumenti) Deo Patri complacuit dare vobis regnum, ergo a fortiori providebit vobis de vitæ temporali necessariis; unde sic in forma conficitur argumentum: Pusillus grex gratis, seu non ex prævisis meritis, sed solo Dei beneplacito, prædestinatur ad regnum cœleste: atqui pusillus grex sunt omnes prædestinati: ergo, &c.

Secundò, Joannis 15. sic Christus Apostolos, & in eorum persona electos omnes alloquitur: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat*. Ille locus non intelligitur tantùm de incompleta prædestinatione ad gratiam, sed etiam de prædestinatione completa, id est de ea, quæ simul est ad gratiam & gloriam: id enim significant verba ista: *Et fructus vester maneat*, in æterna nimirùm gloria. Atqui Christus non elegisset Apostolos, ac proinde nec prædestinatos, si eos ex aliquorum meritorum per gratiam versatilem comparandorum prævisione elegisset: imò Apostoli, cooperando illi gratiæ versatili & perseverando in ea usque in finem, Christum elegissent.

Tertiò, hæc habentur Joannis 6. *Hęc est voluntas Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam, sed resuscitem in novissimo die*. Hæc quoque leguntur cap. 10. *Nemo rapiet eas* (oves) *de manu mea*. Et iterum: *Nemo potest rapere de manu Patris mei: Ego, & Pater unum sumus*. Evidens est agi iis in locis de prædestinatione ad gloriã: quippè reprobi in baptismate justificati, si de Christi & Patris manu rapiuntur, gloriosa resurrectione non resurgent in die novissimo: Atqui ratio, propter quam dicuntur prædestinati, non est quòd prævideantur facturi pietatis opera, sed quòd Christo traditi sint à Patre: ratio, propter quam dicuntur non rapiendi de Christi manibus, non est, quòd prævisi sint perseveraturi, sed quòd Christus eos elegerit simul cum Patre, cum quo unus est Deus: *Ego, & Pater unum sumus*: ergo, &c.

Proponitur argumentum desumptum ex Apostolo, pro gratuita prædestinatione ad gloriam.

Apostolus in suis epistolis totus est in asserenda gratuita prædestinatione ad gloriam.

Primò. Ad Ephes. cap. 1. prædestinationem non refundit in opera prævisa, sed e contra opera refundit in prædestinationem, tanquam ad radicem & causam: *Elegit nos*, inquit, *in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus ...... Prædestinavit nos in adoptionem filiorum*. Cur autem Deus nos elegerit, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus, cur prædestinarit nos in adoptionem filiorum, rationem reddit Apostolus: *Secundùm*, ait, *propositum voluntatis suæ*, hoc est, ut firmum maneret de conferenda gloria æternum Dei Patris decretum, quod quidem non est aliud, quam æterna prædestinatio. Ejusmodi explicationi robur addi potest ex his verbis, quæ eodem in capite habet idem Apostolus: *In quo*, Christo, *etiam & nos vocati sumus, prædestinati secundùm propositum ejus*.

Secundò. Idem Apostolus prædestinationem ad gloriam, independenter a prævisione meritorum per gratiam versatilem comparandorum, clarissimè docet in epistola ad Romanos. Ejusmodi gratuitæ prædestinationis exemplum proponit in Jacob & Esau: *Cum enim*, inquit cap. 9. *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali; ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei*, Rebeccæ: *Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Ex eo autem textu sic conficitur argumentum: Se habet prædestinatio ad gloriam, sicut se habet Dei dilectio in Jacob: illius enim dilectio est figura prædestinationis: atqui Dei in Jacob dilectio non est ex operibus prævisis, sed ex gratuito Dei proposito: ergo nec hominis lapsi prædestinatio ad gloriam est ex prævisis meritis.

Confirmatur argumentum *primò*, ex objectione, quam ibidem sibi proponit, & solvit Apostolus; sic autem habet ea objectio: Si Deus elegit Jacob & odio habuit Esau, antequam aliquid boni aut mali egissent, in Deo locum habebit acceptio personarum: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum?* Si persuasum fuisset Apostolo Deum dilexisse Jacob, & odio habuisse Esau, quòd illius futura bona opera, istius verò mala prævidisset, debuisset ad ejusmodi opera confugere, ut sibi propositam objectionem solveret, cum ea responsio veluti spontè se offerat ei, cui ratum est electionem illam esse ex prævisis meritis, sive naturæ viribus, sive auxilio gratiæ versatilis, comparandis: ad eam tamen Apostolus non confugit, sed ad merum Dei beneplacitum: *Absit*, inquit, *Moysi enim dicit: Miserebor, cujus misereor, & misericordiam prętabo, cujus miserebor*. Imò responsionem ex operum prævisione petitam expresse rejicit. *Igitur*, ait, *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*.

Confirmatur 2. idem argumentum ex alia objectione, quam idem Apostolus sibi proponit ac resolvit: est autem ejusmodi: Si Dei in Jacob dilectio, non in prævisa illius opera, sed in solam Dei voluntatem refundatur, Deus injustè conqueritur de hominibus, qui in

mala

maſſa perditionis cum Eſau derelinquuntur. Ut illi argumento reſpondeat, non recurrit ad opera prævisa, ſeu non dicit, diſcretionem, electionem unius præ alio, non debere ſumi ex mero Dei beneplacito (ut ſupponit argumentum, quod objicitur) ſed ex operibus prævisis: quod ſanè reſponderent diſcipuli Molinæ, ſi ipsis illud, quod Apoſtolo propoſitum eſt, argumentum opponeretur. Atqui Apoſtolus ad eam ſolutionem non recurrit; ſatis eſſe putat, ſi ſuam de mero hac in cauſa Dei beneplacito theſim confirmet ſimilitudine petita ex figulo, dicatque, quòd ſicut nihil eſt in luto, quòd figulum movere poſſit ad faciendum vas in honorem potiùs, quàm in contumeliam; ita nec quidquam in maſſa per peccatum corrupta fingi poteſt, quòd Deum movere poſſit, ut ex ea per electionem unum eruat præ alio: *O homo*, inquit, *tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

Confirmatur 3. idem argumentum ex eo, quòd Apoſtolus aſſerat, Deum in ſua erga Jacob dilectione voluiſſe oſtendere divinam ſuam miſericordiam, & e contra manifeſtare ſuam juſtitiam in ſuo adversùs Eſau odio: *Quòd ſi* (inquit) *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ preparavit in gloriam*, &c. Atqui ſi (ut placet Adverſariis) electio Jacob, ac aliorum prædeſtinatorum, cujus eſt imago, ex prævisis meritis facta fuerit, corruet Apoſtoli ratio; neque enim in illa electione Deus hominibus ſuam probaſſet miſericordiam, ſed juſtitiam tantùm; ex juſtitia nimirùm, non autem ex miſericordia eliguntur ii, qui prædeſtinantur dependenter a prævisis meritis.

Confirmatur 4. argumentum ex iis, quæ ſcribit idem Apoſtolus cap. xi. Epiſtolæ ad Roman. de qua eſt hic quæſtio. *Primò*, aſſerit Deum ex æterna hæreditate non ideò non repuliſſe omnes Iſraelitas, quòd nonnullorum præviderit futura cum auxilio verſaturi bona opera; ſed tantùm quòd aliquos per ſuam prædeſtinationem dilexerit: *Non repulit plebem ſuam, quam* (præſcientia dilectionis) *præſcivit*. *Secundò*, ubi id probavit exemplo ſeptem millium virorum, quos Eliæ temporibus Deus ab idololatria innocuos ſibi ſervaverat, iterùm confugit non ad opera prævisa, ſed ad ſolam electionem gratuitam: *Si ergo*, inquit, *& in tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ*, non meritorum, *ſalvæ factæ ſunt*. *Tertiò*, redit ad argumentum, quòd capite 9. ſibi ſolvendum propoſuerat, ſeu quærit cauſam, cur Deus tum ex gentibus, tum ex Judæis nonnullos elegerit, alios verò reliquerit in incredulitate. Non utitur autem hac facili, & cuique pervia reſponſione, eo nimirùm modo Deum ſe geſſiſſe, quòd aliquos tum ex Judæis, tum ex gentibus præviderit gratiæ conſenſuros eſſe, alios verò minimè conſenſuros: ſed recurrit ad impenetrabilia Dei conſilia; totum enim, quòd capitibus 9. 10. & 11. verſarat argumentum, hac exclamatione concludit: *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Addit, ita abſtruſa eſſe Dei prædeſtinantis, aut reprobantis conſilia, ut nulli mortalium pateant: *Quis enim* (inquit) *cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?*

Ex iis omnibus, quibus confirmatum eſt argumentum petitum ex æterna Dei in Jacob dilectione, ſic in forma argui poteſt. *Primò*. Apoſtolus contra Dei prædilectionem in Jacob objicit, ex ea ſequi, quòd in Deo ſit vitium, quòd appellatur acceptio perſonarum: At ea objectio impertinens eſt, ſi Apoſtolus, ut Adverſarii docent, crediderit Deum ab æterno Jacob præ Eſau dilexiſſe, quod ab æterno iſtius mala, illius verò bona opera præviderit. 2. Ut idem Apoſtolus eam objectionem ſolveret, imperitè ... recurriſſet ad merum Dei beneplacitum; alia quippe, & quidem contraria, fuiſſet ratio, nimirùm bona opera prævisa. 3. Ineptè Apoſtolus ſu... Adverſarios induceret objicientes, Deum fore injuſtum, quòd omnes homines cum Jacob non elegerit: ineptè pariter ipſe recurreret ad Dei beneplacitum, ut eam objectionem ſolveret: immeritò Deum compararet cum figulo, qui pro libitu vas ex luto, aut in honorem, aut in contumeliam fingit: malè quoque reſpondiſſet, Deum ſua in Jacob prædilectione voluiſſe hominibus probare infinitam ſuam miſericordiam, ſicut ſuo in Eſau odio ſuam juſtitiam probavit: immeritò denique ex iis omnibus, quæ capitibus 9. 10. & 11. dixerat, concluſiſſet, inſcrutabilia eſſe Dei de prædeſtinatione, aut reprobatione judicia; nam nihil menti magis obvium eſt, ſeu nihil faciliùs poteſt concipi, quàm iſtud, Deum nempè unum præ illo elegiſſe ab æterno, quòd eum, non autem alium, gratiæ ſuæ in tempore conſenſurum præviderit.

Oſtenditur inanes eſſe ad laudata Scripturæ loca reſponſiones eorum, qui negant gratuitam eſſe prædeſtinationem ad gloriam.

Ad loca, quæ tum ex Evangelio, tum ex Apoſtolo protulimus pro gratuita ad gloriam prædeſtinatione, ſeu independenter a prævisis meritis, tres ſunt Adverſariorum ſolutiones.

Reſpondent nimirùm 1. iis in locis agi de prædeſtinatione, de electione incompleta, non autem de prædeſtinatione, electione completa, hoc eſt, agi de prædeſtinatione ad fidem, ad gratiam, non autem de prædeſtinatione ad gloriam; unde inquiunt, ex iis locis rectè colligitur, quòd prædeſtinatio, quòd electio ad fidem ad gratiam, ſit omninò gratuita, non colligitur vero, quòd gratuita ſit prædeſtinatio ad gloriam.

Reſpondent 2. alii, agi quidem iis locis de prædeſtinatione ad gloriam, ſed operum nomine, quæ in ea non habent locum, intelligi debere opera facta ex naturæ viribus, non autem ea, quæ facta fuerint ex auxilio gratiæ. Hinc inferunt, eo ſenſu gratuitam eſſe prædeſtinationem, quòd non fiat dependenter a prævisis meritis per vires naturæ comparandis, non autem quòd ſit independens a prævisis meritis per gratiam acquirendis.

Reſpondent 3. nonnulli, hæc Apoſtoli verba: *Major ſerviet minori*, non intelligi de perſonis illis ſingularibus Jacob & Eſau, ſed de duobus populis, Iſraelitico & Idumæo: Illa vero: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, non intelligi de probatione, aut prædeſtinatione in ordine ad bona ſpiritualia alterius vitæ, ſed tantùm in ordine ad bona temporalia vitæ præſentis. Ratio, inquiunt, eſt, quia cùm Rebecca, Geneſis 25. Deum conſuleret, cur parvuli, quos geſtabat in utero, pugnarent inter ſe, hoc audiit reſponſum: *Duæ gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori*. Malachiæ 1. cùm Deus dixiſſet: *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, ſtatim hiſce verbis explicat, quo ſenſu illum dilexerit & oderit iſtum: *Poſui montes ejus* (Eſau) *in ſolitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deſerti*. Inde verò Adverſarii colligunt, malè ex illo Apoſtoli loco inferri, gratuitam eſſe prædeſtinationem ad gloriam.

Verùm facilè oſtenditur, ſolutiones illas non eſſe reſponſiones, ſed meras evaſiones, quæ haud difficili negotio præcluduntur.

Primò, quòd ad priorem ſpectat, ſtare non poteſt cum Evangelio, quippe locus in noſtro argumento laudatus ex Lucæ 22. capite, expreſsè loquitur de prædeſtinatione ad cœleſte regnum. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum*, Textus, qui prolatus eſt ex Joannis 6. capite,

capite, de iis loquitur, quos nemo rapiet de Christi manibus: at ii sunt soli prædestinati ad gloriam, quippe prædestinati ad solam gratiam non raro ex eis rapiuntur. Præterea in Evangelio, electi opponuntur vocatis: *Multi sunt vocati, pauci verò electi:* ergo, cum vocati sint ii, qui prædestinantur ad temporalem gratiam, fidem nimirùm, spem, & charitatem; è contra electi debent esse ii, qui prædestinantur ad gloriam.

Non potest quoque eadem prior responsio stare cum Apostolo: nam voces *Electi*, *Prædestinati*, sine addito apud Apostolum leguntur: atqui quoties sic absolutè leguntur, significant electionem & prædestinationem ad gloriam. Quem enim unquam hominem similem Judæ proditori, qui ad gratiam prædestinatus fuerat, Scriptura simpliciter & absolutè electum aut prædestinatum appellavit?

Ii, de quibus loquitur Apostolus, dicuntur vocati, non simpliciter, sed cum hoc addito, *secundùm propositum*; dicuntur prædestinati, non simpliciter, quod tamen satis esset ad confirmandam sententiam, quam defendimus, sed prædestinati *secundùm propositum*. Atqui vocati *secundùm propositum*, prædestinati *secundùm propositum*, ii sunt, qui electi & prædestinati fuerunt ad gloriam: neque enim qui damnandi sunt, in Scripturis, aut in Patribus unquam dicti sunt, *vocati secundùm propositum, prædestinati secundum propositum*: unde Apostolus scribit, eos omnes, quos Deus sic elegit, sic prædestinavit, ab eo fuisse glorificatos: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Ex eodem principio hæc ait Augustinus libro de corrept. & gratia cap. 17. *Illi ergo electi, ut sæpè dictum est, qui secundum propositum vocati, qui etiam prædestinati atque præsciti: horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.*

Præterea, Apostolo teste, vocatis secundum propositum omnia cooperantur in bonum: *Scimus autem*, inquit ad Rom. 8. *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti:* quibus verbis hæc alia adduntur ab Augustino, *ipsa etiam peccata:* At iis, qui non sunt vocati secundùm propositum, omnia non cooperantur in bonum, ut patet in morte, qua jacentes in peccato, præveniuntur: patet etiam in tentationibus, in quibus victi, nusquam resurgunt.

Tandem sententia, quæ vocationem, electionem, prædestinationem secundùm propositum, exponit de vocatione, electione, prædestinatione ad gratiam, non autem ad gloriam, non cohæret cum scopo, quem Paulus sibi proposuit in verbis, quæ ad Rom. cap. 8. subdit iis, quibus versu 19. prædestinationem explicuit: *Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis accusabit adversus electos Dei? Quis ergo nos separabit à Charitate Christi?* Ibi nimirùm hortatur tum Judæos electos & prædestinatos, ne ad legis insufficientiam, cujus mentionem fecerat, tum gentiles, ne ad propriam infirmitatem, de qua etiam locutus fuerat, deficerent animo. Ad eum autem scopum apta non fuisset Apostoli sententia: *Quid ergo dicemus, &c.* si verbis præcedentibus de vocatione, seu prædestinatione ad gratiam disseruisset; potuissent nimirùm respondere vocati prædestinati ad gratiam, se propter infirmitatem, quam experiebantur, desperare, num in ea gratia perseveraturi essent usque in finem: è contra si (ut contendimus) de prædestinatione ad gloriam cap. 8. & cap. 9. disseruit Apostolus, aptè omninò ex ea prædestinatione sumit argumentum, ut illos in futuræ perseverantiæ ac beatitudinis spe corroboret. Ejusmodi nimirùm est Dei cura erga sic electos & prædestinatos, ut eos vocatos, justificatos, ad perseverantiam & ad gloriam usque deducat. Ex ea prædestinatione simile argumentum ad augendam fidelium spem sumit Augustinus Serm. de S. Laurentio in appendice: *Spera*, inquit, *in Domino, qui te prædestinavit, qui te elegit, qui te justificavit. Ad illum pertines, & times? Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Dices, hæc nomina, *Electi, Prædestinati, Vocati secundùm propositum*, ab Apostolo integris Ecclesiis tribuuntur, in quibus tamen plures erant qui non erant electi & prædestinati eo sensu, quòd electi, & prædestinati salventur: ergo ex iis vocibus, quibus idem Apostolus utitur, in epistolis tum ad Ephesios, tum ad Romanos, malè colligitur, quòd iis in epistolis agatur de vocatione, de electione, de prædestinatione ad gloriam.

Sed contra est, quia iis in epistolis voces, de quibus agitur, eos solos significant, qui ex ordinatione divina salutem æternam consequentur: nec obstat, quòd ex Ecclesiis, ad quas diriguntur, essent aliqui reprobi: nam ea est Scripturarum consuetudo, ut in commendando, omnes supponant bonos, sicut & in vituperando, omnes malos supponunt: *Scripturæ non est*, inquit Augustin. epist. 99. *ita loqui de parte tanquam de toto: sic Corinthios in primis sua epistola partibus ita laudat tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis ipsius epistolæ locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent propter quosdam, qui tales erant. Illam divinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus litterarum ejus creberrimè sparsam quisquis diligenter adverteris, multa dissolvit, quæ inter se videntur contraria.*

Confirmatur ex eo, quòd postulet æquitas, ut in bonam partem de proximo feramus judicium; ac proindè omnes, qui piè vivunt, tanquam si prædestinati essent, alloqui debemus: *Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos, & Dei filios*, inquit Augustinus de correpț. & gratia c. 9. *quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus. Sed tunc verè sunt, quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur.*

Secundò, quoad alteram Adversariorum responsionem spectat, facilè evertitur iis omnibus locis, in quibus Apostolum argumentantem, & objectiones eorum, quos impugnat, solventem induximus. Et sanè si hoc unum fuerit intentum Apostoli; sola nimirùm opera, quæ fiunt ex viribus naturæ, excludendi a motivo prædestinationis, non autem opera, quæ fiunt ex gratia versatili, 1. frustra sibi objicit, Deum fore iniquum, seu personarum acceptorem: 2. impertinenter, ut illi objectioni respondeat, recurrit ad merum Dei beneplacitum, quo unius præ altero, qui æqualiter reus est, miseretur: 3. immeritò ex iis, quæ capitibus 8. 9. 10. & 11. dixerat, conclusisset, inscrutabile esse omninò prædestinationis mysterium. Quasi verò vir, licèt maximè plebejus, non capiat, ea omnia locum non habere, si prædestinatio ad gloriam fiat ex prævisis meritis, etiam per gratiam comparandis: *Quis*, inquit August. epist. 105. quæ est ad Sixtum, *illum acutissimum sensum* (Pelagianorum contendentium, Deum ideò Jacob dilexisse, & odisse Esau, licèt nondum natos, quia eorum futura opera prævidebat) *defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippè ille non vidit, quando sibi velut adversantis objectæ quæstioni, non id potiùs tam breve, tam apertum, sicut illi putant, verum, absolutumque respondit. Cum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali, rectè dici potuerit, quòd unum Deus dilexerit, alium odio habuerit, ipse sibi objecta quæstione motum exprimens auditoris: Quid ergo dicemus? (inquit) Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Hic ergo erat locus, ut diceret quod isti sentiunt. Futura enim Deus opera prævidebat, quando minori majorem serviturum esse dicebat.*

Tertiò. Non minùs vana est, quæ traditur ab Adversariis, tertia responsio. Nam prætermissa quæstione

ac de Genesi, aut Malachiæ loco, utpotè ad rem, de qua agitur, nullatenus spectante, certissimum est, Apostolum illos tum Geneseos, tum Malachiæ textus explicare in sensu mystico. Nempe per Esau intelligit reprobos, per Jacob electos; per terram promissionis, æternam cum Deo vitam; per solitudines draconum, æternam mortem cum diabolo: hinceque concludit, quòd quemadmodum nulla meritorum prævisio præcessit, etiam secundùm nostrum concipiendi modum, Dei in Jacob dilectionem: sic nullorum etiam, cujuscumque sint generis, prævisio præcedit, secundùm nostrum concipiendi modum, æternam Dei in electos dilectionem, seu prædestinationem. Legendus est Augustinus in epistola ad Sixtum, ubi fusè illud argumentum pertractat.

Nec alicujus est momenti, quod reponunt, eo quidem sensu, quo dictum est, Apostolum interpretatum fuisse Geneseos & Malachiæ textus, sed eam interpretationem esse non literalem, sed mysticam: ex mystica verò interpretatione, ajunt, erui non potest argumentum, quo fides invictè probetur.

Non est (inquam) alicujus momenti. Nam licèt ex sensu mystico, quod aliquis doctor privatus finxerit, erui non possit pro fide abstruenda efficax argumentum; ineluctabile tamen eruitur ex sensu mystico, quem Spiritus Sanctus per os alicujus Apostoli tradiderit, ut contigit in casu, de quo agitur. Ex quo sequitur, illum sensum mysticum non esse tantùm mysticum, sed etiam literalem, utpotè principaliter intentum in locis, quæ tum ex Genesi, tum ex Malachia laudavit Apostolus: hincque etiam factum est, ut ab Apostoli temporibus ad hanc usque ætatem unanimis Patrum traditio eos veteris testamenti textus de prædestinatione & reprobatione intellexerit.

Gratuita prædestinatio ad gloriam ostenditur ex traditione Patrum.

Not. 1. Qui ante Augustinum scripsere Patres, parcè admodum de gratuita prædestinatione locuti sunt: nec mirum; quippe nulli adhuc aut in Ecclesia, aut extra Ecclesiam Authores in eam insurrexerant: unde licèt Augustinus a Massiliensibus de Patrum circa hocce caput sententia postulatus, Cyprianum, Ambrosium & Gregorium Nazianzenum laudaverit; asseruit tamen, ab iis Patribus appellandis potuisse temperare sine ullo causæ catholicæ dispendio: *Quid opus est* (inquit lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 14.) *ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis & transeuntes attingerent, immorarentur in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesia disputabant, & in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna & vera felicitate servitur.*

Not. 2. Licèt nec apertè, nec fuse de prædestinatione disputarit Augustinus in suis contra Pelagianos operibus, implicitè tamen & breviter in iisdem operibus illam asseruit: quippè ea, quæ contra hæreticos ejusmodi de veritate & necessitate medicinalis gratiæ Christi docuerat, ex prædestinatione tanquam ex causa & origine pendent. Connexionem illam primi omnium perspexerunt in Africa monachi Adrumetani: cùm autem Augustini eo de capite doctrina abuterentur, ut factum inducerent, correptionesque tollerent de medio, judicavit Augustinus, necessarium esse de prædestinatione divina scribere ac apertè docere, quod impliciè tantùm antea docuerat. Eam ob rem librum conscripsit de correptione & gratia, ubi plena luce prædestinationis mysterium explicuit. Eo libro redacti sunt quidem in ordinem Adrumetani monachi, sed pluribus Gallis, Massiliensibus præsertim presbyteris, fuit offendiculo. Horum querelis, acceptis a Prospero & Hilario literis, respondit Augustinus duobus libris, quorum priorem inscripsit de prædestinatione Sanctorum, alterum verò de dono perseverantiæ, in quibus nihil ex iis omittit, quæ ad mysterium, de quo agitur, explicandum ac stabiliendum pertinent. Non compescuere tamen omnium animos illa Augustini scripta. Nonnullorum, quæ adhuc post illius mortem perdurabant, querimoniæ delatæ sunt ad Celestinum Papam, qui ubi mirificè extulit Augustini doctrinam, hisce verbis rescripsit ad Galliarum Episcopos: *Unde resistendum talibus, quos malè crescere videmus*. Pelagianorum reliquiæ, quæ Hormisdæ Papæ temporibus adhuc in Galliis grassabantur, contendebant, probatos quidem fuisse a summis Pontificibus libros, quos Augustinus adversus Pelagianos exaraverat, non verò quos de prædestinatione SS. & de dono perseverantiæ scripserat contra Massilienses: sed iis itum est obviam ab Hormisda Papa, a quo expresse ii libri probati sunt. *De arbitrio tamen libero & gratia Dei* (inquit ad Possessorem Episcopum rescribens) *quid Romana, hoc est, Catholica sequatur & servet Ecclesia, licèt in variis libris B. Augustini & maximè ad Prosperum & Hilarium abundè possit cognosci, tamen & in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.*

Not. 3. Nonnullos hoc sæculo reperire est, qui subscribunt quidem lato ab Hormisda decreto, hoc est, qui fatentur, in Augustini libris de prædestinatione Sanctorum ac de dono perseverantiæ contineri, quæ de gratia & libero arbitrio Romana sequitur & servat Ecclesia: sed contendunt, id intelligi debere tantùm de necessitate gratiæ tum ad initium fidei, tum ad perseverantiam usque in finem: de qua necessitate solùm (inquiunt) inter Ecclesiam Catholicam & Massilienses erat controversia: ergo (addunt) si quæ alia intercurrant, dum hæc ab Augustino confirmantur, nec habeant necessariam connexionem cum iis, quæ potissimùm intenduntur, non est mentis Pontificis, ut eis firmiter adhæreamus.

Illi authores suam sententiam confirmant 1. ex eo, quòd Hormisda loquatur tantùm *de gratia & libero arbitrio*: proindeque latum ab eo judicium extendi non debet, aut ad gratuitam prædestinationem ad gloriam, aut ad modum, quo gratia operatur, aut ad eum, quo libertas debet cum eadem gratia, aut prædestinatione conciliari.

Confirmant 2. ex Celestini Papæ ad Galliarum Episcopos Epistola, quæ hisce (ajunt) verbis clauditur: *Profundiores verò, difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus adstruere*. Quibus quidem verbis (inquiunt) Celestinus significat, se nolle aut adstruere, aut contemnere Augustini sententias ab iis distinctas capitulis, quæ in sua ad Gallos Epistola recensentur, quæque iis verbis clauduntur: *Profundiores verò, &c.*

Sed falsum est illud recentiorum de Augustini scriptis judicium. Nam id, de quo agitur in Hormisdæ ad Possessorem Epistola, non complectitur solum caput de necessitate gratiæ ad initium fidei & perseverantiam usque in finem, sed etiam alia omnia, quæ in Fausti Episcopi Regiensis operibus contraria erant iis, quæ Augustinus in libris de prædestinatione Sanctorum & de dono perseverantiæ scripserat. Nempè damnat Pontifex Fausti libros inscriptos de gratia & libero arbitrio; approbat verò de eodem argumento ab Augustino ad Prosperum & Hilarium scriptos, proindèque defendi vult *omnes* propositiones, quæ in iis libris adversantur Fausti propositionibus: atqui ex Augustini propositiones

des non sunt tantùm de necessitate gratiæ ad initium fidei, aut ad perseverantiam usque in finem; sed complectuntur etiam plurima alia capita, & præsertim gratuitam prædestinationem, quam Faustus in suis operibus sibi inprimis impugnandam proposuerat; ut hisce verbis testatur Petrus Diaconus ad calcem libri de Incarnatione & gratia: *Libros Fausti Galliarum Episcopi, qui de monasterio Lirinensi provectus est, quos contra prædestinationis sententiam scriptos esse non est dubium.*

Præterea Hormisdas non approbat solos Augustini de prædestinatione & de dono perseverantiæ libros, sed alios omnes, quos contra gratiæ inimicos idem S.Pater scripserat: *Licèt* (inquit Papa) *in variis libris B. Augustini, & maximè ad Prosperum & Hilarium, abundè cognosci possit, &c.* Atqui in aliis ejusmodi libris non agitur solùm de gratiæ, aut ad fidei initium, aut ad perseverantiam usque in finem, necessitate, sed de multis aliis, & præsertim (ut videre est in libro de correptione & gratia) de gratuita prædestinatione, quæ (ut ex eodem libro patet) Adrumetanis Monachis fuerat offendiculo.

Ad priorem confirmationem dicendum est, falsò à recentioribus supponi, inter Augustinum & Massilienses controversiam solùm fuisse de necessitate gratiæ ad initium fidei & ad perseverantiam usque in finem; sed præterea quæstio fuit de multis aliis articulis, ac præsertim (ut hoc in paragrapho probabitur) de gratuita prædestinatione ad gloriam: ac proindè hæc Hormisdæ verba, *De gratia & libero arbitrio*, restringi non debent ad solum caput de necessitate gratiæ ad initium fidei, & ad perseverantiam usque in finem.

Ad alteram confirmationem dicendum est cum Baronio ad annum 431. verba, quæ recentiores laudant ex Celestino, non esse ipsiusmet Celestini, ac proindè non esse partem Epistolæ, quam ad Gallicanos Præsules scripsit pro Augustini doctrina. Et sanè *primò*, si Celestini essent, cur S. Prosper, qui contra Collatorem cap. x. probaturus, *bonarum voluntatum initia Dei inspiratione generari*, laudat Innocentii, Zozimi, & Concilii Carthaginensis testimonia, non laudasset Celestino adscripta capitula, in quibus quæstio illa aperte dirimitur, quæque clauduntur verbis, quæ ab Adversariis objiciuntur? *Secundò*, qua ratione Vincentius Lirinensis, Faustus Regiensis, nonnullique alii Galliarum tum Episcopi, tum Presbyteri, alioquin communione Catholici, ausi fuissent asserere, *fidem ex nobis nasci*, cum id apertè in Pseudo-Celestinis illis capitulis damnetur? *Tertiò*, Celestini ad Gallos Epistola hisce verbis in fine capitis secundi concluditur: *Deus vos incolumes custodiat, fratres charissimi*: at non erat, cur Celestinus ea salute epistolam clauderet, si immediatè post capitula, de quibus agitur, affuere valuisset. *Quartò*, Prosperi esse ea capitula gravissimis argumentis probant doctissimi Cardinales, Baronius ad annum 431. & De Noris in vindiciis Augustinianis pag. 134.

Ad eandem confirmationem dicendum est iterùm, quòd licèt Adversariis detur, ea, de quibus agitur, capitula, eorumque clausulam: *Profundiores vero, &c.* Celestini esse, non sequi, probatam a Celestino & Hormisda Augustini doctrinam restringi debere ad caput de necessitate gratiæ ad initium fidei, & ad perseverantiam usque in finem: siquidem hæc verba, quæ Celestino tribuuntur: *Profundiores verò, &c.* non intelliguntur de prædestinatione, de modo operandi gratiæ, de modo libertatem cum iisdem, tum prædestinatione, tum gratia, conciliandi: sed explicari debet de peccato originali, de modo, quo propagatur, de concupiscentia, aliisve, quæ ex eo sequuntur, miseriis. Ea verò Celestinus dixit: *Non necesse habemus adstruere*, hoc est, nolle se de iis canones edere, quia nihil ad præsentem contra Massilienses controversiam conferebant: quippè Massilienses, quorum querimonias Prosper ad Celestinum detulerat, iis omnibus capitibus contra Pelagianos jam expresse ab Apostolica Sede definitis assentiebantur.

Not. 4. Ex iis, quæ mox laudata sunt, monumentis hancce conclusionem infert Bellarminus lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 11. *Itaque* (inquit) *Sedes Apostolica non tantum semel, sed etiam secundò, & tertiò adversus Pelagianorum reliquias pro defensoribus gratiæ, & prædestinationis sententiam tulit, ut jam hæc sententia non quorumvis Doctorum opinio, sed fides Ecclesiæ Catholicæ dici debeat.*

Not. 5. Iis quoque nixus monumentis Illustrissimus LUDOVICUS ANTONIUS DE NOAILLES, Archiepiscopus Parisiensis, prohibuit, ne quis in diœcesi, cui tanta cum luce, tanta cum pietate, tanto cum zelo præest, aliam aut de gratia, aut de prædestinatione doctrinam fideles doceat, quam eam, quæ legitur in Augustini operibus, iis præsertim, quæ de SS. prædestinatione & de dono perseverantiæ inscribuntur: *Qu'on se garde bien de penser* (verba sunt gallica Instructionis Pastoralis a doctissimo illo & maximè pio Archiepiscopo, die 20. Aug. ann. 1696. solemniter adversùs inquietos quosdam promulgatæ) *que les saints Peres, qui nous ont donné ces verites saintes, & en particulier S. Augustin ayent excedé, puisqu' au contraire les Papes declarent, que ce Pere dans sa doctrine toujours approuvée par leurs saints predecesseurs, n'a jamais eté atteint du moindre soupçon desavantageux: & bien loing qu' il y ait rein d' excessif dans les derniers livres, dont les ennemis de la grace ont, paru le plus emeus, ce sont ceux où un sçavant Pape a voulu principalement que l'on apprit sur la grace & sur le libre arbitre les sentimens de l' Eglise Romaine ..... Nous exhortons les Predicateurs & les Confesseurs, & leur ordonnons par l'autorité du S. Esprit, qui nous a etabli Pasteur pour gouverner l' Eglise de Dieu, de s' attacher fidelement à la sainte doctrine, que nous leur proposons.*

Not. 6. Ex iisdem monumentis hanc etiam nos conclusionem inferimus; nempè, invictissime demonstratam esse sententiam de gratuita prædestinatione ad gloriam, ubi ostensum fuerit, eam ab Augustino in suis contra Semi-Pelagianos operibus propugnatam fuisse.

Primum Augustini argumentum pro gratuita prædestinatione ad gloriam.

Augustinus eam de prædestinatione sententiam docuit, quam in eo Semi-Pelagiani arguerunt: atqui Semi-Pelagiani arguerunt in Augustino sententiam de gratuita prædestinatione ad gloriam: ergo Augustinus docuit gratuitam prædestinationem ad gloriam.

Major argumenti propositio constat 1. ex eo quòd nunquam S. Doctor conquestus sit, quòd in prædestinationis causa sibi à Semi-Pelagianis imponeretur. 2. Doctrinam de prædestinatione a Prospero & Hilario propositam Semi-Pelagianorum nomine, suam agnoscit, eamque in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ, tum Scripturarum, tum Patrum argumentis confirmat. 3. Respondet ad objectiones, quæ eorundem Semi-Pelagianorum nomine Prosper & Hilarius ad eum detulerant. Tota igitur prioris hujus argumenti difficultas est in minori propositione, quæ sic ostenditur: Gratuita prædestinatio ad gloriam nihil aliud est, quàm Dei propositum, quo certus numerus salvandorum, reliquis pereuntibus, a massa perditionis discernitur; nihil est aliud, quàm electorum vocatio secundùm Dei propositum; quam constitutio, quæ humanas voluntates præveniat: neque enim discretio a massa perditionis; Dei propositum, quo nonnulli salvantur; electorum vocatio secundùm propositum, intelligi possunt de prædestinatione ad gratiam: quippè omnes, qui discreti sunt a massa perditionis; omnes, qui per æternam

nam Dei constitutionem præventi sunt; omnes, qui vocati sunt secundùm propositum, salutem æternam consequuntur: quod quidem dici non potest de omnibus, qui sunt prædestinati ad fidem, etiam quæ per dilectionem operatur. Atqui Semi-Pelagiani arguerunt in Augustino illam a perditionis massa discretionem; illud propositum; eam vocationem; eam constitutionem: ergo in eo arguerunt gratuitam prædestinationem ad gloriam.

Probatur minor 1. ex Epistola Prosperi Massiliensium querimonias ad Augustinum referentis: *Multi (inquit) servorum Christi, qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hæreticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui quidquid in eis de vocatione electorum secundùm Dei propositum disputasti.* Illud verò propositum solos ad gloriam electos respicere, demonstrant hæc verba, quæ mox laudatis subjiciuntur: *Hoc autem propositum vocationis Dei, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundùm quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem teporis afferre..... Removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates.*

Probatur 2. eadem minor propositio ex Hilario, ad eundem Augustinum Massiliensium sensa scribente: *Novum (inquit) & inutile prædicationi, quod quidam secundùm propositum eligendi dicuntur ..... Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se patiuntur ..... Inde est, quòd & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, rejiciendorumque esse definitum numerum velint, atque illius sententiæ expositionem, non eam, quæ à te est deprompta, suscipiunt, id est, ut nonnisi omnes homines salvos fieri velit, & non eos tantùm, qui ad Sanctorum numerum pertinebunt, sed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus.*

Respondent Adversarii, Semi-Pelagianos arguisse in Augustino prædestinationem ad gloriam, quæ sit ex prævisione meritorum, non autem eam, quæ sit ab illis independens.

Sed falsa est ea solutio. *Primò*, Semi-Pelagiani (ut mox ostensum est) eam prædestinationis speciem arguerunt in Augustino, ex qua putabant sequi humanæ libertatis excidium; induci fatum ineluctabile; tolli omnem prorsus industriam; atqui Semi-Pelagiani non putarunt, absurda ejusmodi sequi aut ex prædestinatione ad gratiam, aut ex prædestinatione ad gloriam, quæ sit dependens a meritorum prævisione. Quis enim in animum inducat suum, Semi-Pelagianos viros alioquin acutissimos, existimasse, prædestinationem ad gloriam, quæ explicite præsupponit libertatis exercitium, ipsam libertatem destruere, tollere virtutes, omnem omninò industriam removere? Præterea detur, quòd Massilienses putarint, ea absurda sequi etiam ex prædestinatione, quæ sit à meritorum prævisione dependens: cur Augustinus nusquam eos monuit, quod vir vel maxime plumbeus monuisset? impertinentes nimirùm esse eorum querelas de excidio libertatis in systemate de prædestinatione, aut ad gratiam versatilem, aut ad gloriam dependentem ex prævisione meritorum.

Secundò. Semi-Pelagiani id non impugnarunt in Augustino, quod ipsi ultrò admittebant; atqui admittebant prædestinationem ad gloriam dependentem a meritorum prævisione: *Qui autem credituri sunt* (inquiunt in Epistola Prosperi ad Augustinum) *quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt; præscisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse prævideris*: ergo Semi-Pelagiani non impugnarunt in Augustino prædestinationem ad gloriam, quæ a meritorum prævisione pendeat.

Secundùm Augustini argumentum pro gratuita prædestinatione ad gloriam.

Gratuita ad gloriam prædestinatio est, efficax intentio conferendi aliquibus gloriam ante meritorum prævisionem; atqui Augustinus admisit eam intentionem: ergo docuit gratuitam prædestinationem ad gloriam.

Probatur minor. Ille admisit in Deo intentionem efficacem conferendi aliquibus gloriam ante prævisionem meritorum, qui docuit, eam intentionem esse causam omnium meritorum, quæ in tempore reperiuntur in electis; sed Augustinus id docuit, ergo, &c.

Primò. Libro de corrept. & gratia cap. 14. illi efficaci intentioni adscribit causam, cur nonnulli omnia superent salutis impedimenta: *Deo* (inquit) *volenti salvum facere*, seu, ut ait in libro de prædestinatione Sanctorum, in regno cœlesti salvum constituere, *nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle, & nolle in volentis, & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Id S. Doctor confirmat ex eo, quòd Deus eodem modo se gerat erga eos, quos vult in regno suo collocare, quo se gerit erga eos, quos vult reges in terris constituere: *An fortè* (ait lib. de prædestinatione Sanctorum, confutans Semi-Pelagianos, qui negabant, ex similitudine petita a regno terrestri desumi posse argumentum pro cœlesti) *quia ostendimus, hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse quorum ei placuit, voluntates, ut rex constitueretur Saul sive David; ideò hæc exempla causæ huic convenire non putant, quoniam non hoc est, temporaliter regnare in hoc sæculo, quod est, in æternum regnare cum Deo.*

Secundò. Libro de corrept. & gratia cap. 7. asserit, fidem, justitiam, in utraque perseverantiam, esse in electis effectum intentionis efficacis, de qua est hic quæstio. *Quicumque ergo*, inquit, *ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ largitate, discreti sunt, non est dubium quòd & procuretur eis audiendum Evangelium; & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, usque ad finem perseverant: Et si aliquando exorbitant, correpti emendantur; & quidam eorum, etsi ab hominibus non corripiantur, in viam, quam reliquerant, redeunt; & nonnulli accepta gratia, in qualibet ætate periculis hujus vitæ mortis celeritate subtrahuntur.* Quinam verò sint ii, qui ab illa originali damnatione discreti sunt, aperit hisce verbis, quæ de sola gratuita prædestinatione ad gloriam explicari possunt: *Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ*; hoc est, gratuitam; *non enim sic sunt vocati, ut non sint electi, sed quoniam secundùm propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem* (*ut dictum est*) *gratiæ, non præcedentium meritorum suorum, quia gratia est illis omne meritum.*

Tertiò. Idem S. Pater in intentionem efficacem nonnullis conferendi gloriam æternam, refundit specialem Dei in parvulos providentiam; nempè contendit, eam intentionem esse unicam causam, cur nonnullis infantibus baptismi paulò ante mortem conferatur, dum alii, non baptizati, exire sinuntur: *Quam quæso* (ait in Epist. 105. quæ est ad Sixtum) *allaturi sunt causam, quòd alius sic gubernatur, ut baptizatus hinc exeat, alius infidelium manibus traditus, vel etiam fidelium, priusquam ab eis baptizandus offeratur, expiret?* (Idem argumentum paulo post sic urget) *Et cur providentia Dei, ut renascantur ad hæreditatem cœlestem, non contulit omnibus parvulis filiorum suorum, & nonnullis contulit etiam parvulis impiorum?* Asserit postea, non aliam ejus diversæ providentiæ afferri posse causam, quam inscrutabilia Dei judicia: *Nimiæ vanitatis, & cæcitatis sunt, si etiam his consideratis*

derati, nondum dignantur excelamare nobiscum : O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Ea autem inscrutabilia Dei judicia, ex S. Doctore, aliud non sunt, quam divina prædestinatio, per quam aliquibus parvulis, non verò omnibus, efficaciter ab æterno Deus voluit cœlestem gloriam: *Novit Dominus, qui sunt ejus* (ait lib. 4. contra Julianum cap. 8. ubi tractat quæstionem, de qua agitur) *& in eorum salute, atque in suum regnum introductione certa est voluntas ejus.*

S. Doctor uni eidem causæ, efficaci nimirùm intentioni conferendi gloriam, adscribit omnia adultorum merita; tantùm abest (quod tamen volunt Adversarii) ut prævisa merita sint ejusmodi intentionis causa. Fides est initium cujuscumque meriti, cum ex Apostolo, sine fide impossibile sit placere Deo: sed ideò nonnullis datur, ex Augustino, fidei donum, quòd sint ex prædestinatorum numero; negatur verò cæteris, quòd non sint ex eodem numero: sic enim epist. 107. in Pauli verba: *Non enim omnium est fides*, loquitur: *Tanquam diceret: Non enim apud omnes, etiam nobis orantibus, glorificabitur verbum Dei, quia ipsi utique fuerant credituri, qui ordinati erant in vitam æternam, prædestinati in adoptionem filiorum per Jesum Christum, & electi in ipso antè mundi constitutionem.* Ea verò ordinatio in æternam vitam, ex Augustino eorum est tantùm, qui in statu gratiæ sanctificantis morituri sunt: *Quis*, inquit lib. de corrept. & gratia cap. 6. *in vitam æternam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono?* Ubi quis lapsus est in peccatum, opus est ei pœnitentia, ut redeat in gratiam: cur autem aliquibus lapsis, non omnibus, pœnitentiæ donum Deus largiatur, asserit Augustinus, id esse quòd aliquibus velit efficaciter gloriam æternam conferre, non autem omnibus: *Correptio medicinaliter adhibetur*, ait lib. de corrept. & gratia c. 14. *etiamsi salus ægrotantis incerta sit: ut si is, qui corripitur, ad prædestinatorum numerum pertinet, sit ei correptio salubre medicamentum: si autem non pertinet, sit ei correptio pœnale tormentum.* At unde fit, ut correpto, si prædestinatus sit, correptio prosit? oritur ex eo, quòd Deus prædestinato velit efficaciter æternam gloriam conferre: *Deo volenti salvum facere*, ait ibidem Augustinus, *nullum resistit hominis arbitrium.* Ut quis æterna vita fruatur in cœlis, satis non est, ut credat, ut justificetur; sed præterea requiritur, ut in fide & in justitia usque ad finem perseveret. Certissimum est, dari aliquibus & negari aliis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum: cur autem uni detur, non autem alteri, contendit Augustinus, id ex eo oriri, quòd unus per prædestinationem ordinatus sit, seu efficaciter electus ad vitam æternam, alter verò ad eam minimè sit per eam ordinatus: *Nec nos moveat* (inquit lib. de corrept. & gratia cap. 9.) *quòd filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam; absit enim, ut ita esset, si de illis prædestinatis essent, & secundum propositum vocatis, qui verè sunt filii promissionis ..... haberent enim* (perseverantiam) *si Christo dati essent, quemadmodum ipse dixit ad Patrem. Ut omne quod dedisti mihi non pereat, sed habeat vitam æternam.* Datos autem Christo ibidem ait eos esse, qui ad vitam æternam ordinati sunt: *Nullus ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus; & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Ex iis omnibus, quæ hucusque fusè dicta sunt ex Augustino, sic conficitur argumentum scholasticum. Illud est independens a prævisione meritorum, quod est prima causa & prima radix meritorum: neque enim causa pendet a suo effectu, sed è contra effectus omnis pendet a sua causa: Atqui, ex Augustino, prædestinatio ad gloriam est prima causa, prima radix meritorum. Nam 1. in parvulis merita nihil aliud sunt, quam gratia sanctificans: Sed prædestinatio est causa remota gratiæ sanctificantis; est enim causa, cur detur illis baptisma, per quod eam gratiam recipiunt. 2. Adultorum merita sunt fides, justitia, perseverantia usque in finem. Atqui prædestinatio est causa tum fidei, tum justitiæ, tum perseverantiæ usque in finem: quippè prædestinatio æterna Deum movet, ut adultis quibusdam præ cæteris largiatur in tempore donum fidei, justitiæ & perseverantiæ usque in finem: ergo est causa omnium meritorum, quæ in adultis reperiuntur.

Principia, quibus illud argumentum scholasticum nititur, in variis Augustini operibus continentur: sed in unum collecta reperiuntur libro de dono perseverantiæ cap. 6. ubi sic S. Doctor loquitur: *Ex duobus itaque parvulis originali peccato obstrictis, cur ille assumatur, ille relinquatur; & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur; inscrutabilia sunt judicia Dei. Ex duobus autem piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Nam si fuissent ex nobis* (loquentes inducit homines prædestinatos) *mansissent utique nobiscum.* Ubi autem objecit sibi, utrumque vocatum fuisse ac justificatum, sic eosdem homines prædestinatos respondentes inducit: *Vera sunt hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant: verumtamen secundum aliam quandam discretionem non erant ex nobis.* Quænam autem sit ea discretio, hisce verbis explicat: *Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati, non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consecuti, non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur.*

Tertium Augustini argumentum pro gratuita prædestinatione ad gloriam.

Ex Augustino se habet hominis lapsi prædestinatio, sicut se habet prædestinatio humanitatis Christi ad unionem cum Verbo; ad sanctitatem; ad visionem intuitivam. Atqui ex eodem Augustino, prædestinatio humanitatis Christi ad unionem cum Verbo; ad sanctitatem; ad visionem intuitivam, fuit omninò gratuita: quippè humanitas Christi nè brevissimo quidem extitit instanti sine sua cum Verbo unione; sine sanctitate; sine visione beatifica. *Est etiam* (inquit Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum c. 15.) *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est, comparavit?* Rationem reddit S. Doctor, cur prædestinatio humanitatis Christi sit exemplar nostræ prædestinationis, nempè scribit, id esse, quòd sit caput nostrum, & nos ejus membra. *Sicut ergo prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, ut membra ejus essemus*, in hac vita quidem per fidem, quæ per dilectionem operatur; in altera verò per Dei visionem intuitivam.

Quid de gratuita hominis lapsi ad gloriam prædestinatione docuerint Patres, qui post Augustinum floruere; quid etiam præcipui Scholastici.

CONCLUSIO 1. Quotquot ab exorta Semi-Pelagianorum hæresi ad Scolasticos usque extiterunt Patres sanctitatis nomine clari, propugnarunt gratuitam hominis lapsi ad gloriam prædestinationem.

Probatur enumeratione. 1. S. Prosper expressè doctrinam de gratuita hominis lapsi prædestinatione defendit libro ultimo contra Collatorem, & in responsione ad Gallorum capitula: 2. eam quoque tuetur S. Fulgen-

gentius libro de Incarnatione & gratia Christi c. 3. ei pariter subscribit Gregorius lib. 1. Dialogorum c. 8. 4. etiam adhærent Anselmus, Beda, Primasius, Sedulius, & alii in caput 9. Epistolæ ad Romanos: 5. apertè etiam ipsi patrocinatur Bernardus libro de gratia & libero arbitrio, necnon Sermonibus 23. & 28. in Cantica.

CONCLUSIO 2. Antiquiores Scholastici docuerunt gratuitam hominis lapsi prædestinationem ad gloriam.

Probatur. S. Thomas non in merita prævisa, sed in solam Dei voluntatem refundit rationem, cur Deus aliquem ad gloriam eligat. *Sed quare* (inquit 1. p. q. 23. art. 5. ad 3.) *hos elegit in gloriam, & illos reprobavit non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* Ibidem in corpore articuli refert contrariam sententiam, eamque ex eo confutat, quòd usus gratiæ, per quam merita comparantur, sit ipsius prædestinationis effectus. *Manifestum est autem, quòd id, quod est gratiæ, est prædestinationis effectus, & hoc non potest poni ut ratio prædestinationis, cum hoc sub prædestinatione concludatur.* In caput 9. Epist. ad Rom. lect. 3. hæc scribit, quæ nullum subterfugii locum relinquunt: *Non potest esse, quòd merita consequentia gratiæ sint ratio miserandi, aut prædestinandi; sed sola Dei voluntas, secundum quam aliquos misericorditer liberat.*

Scotus in lib. 1. sent. dist. 41. confutat Henricum à Gandavo, qui contendebat, hominem lapsum prædestinari propter prævisam gratiæ acceptationem. Utitur autem Scotus hoc principio, quòd Deus non prævideat hominem acceptaturum gratiam, nisi quia vult & præordinat ipsum ad acceptationem; hincque concludit, *quod ratio prædestinationis non in alio sit quærenda, quàm in divina voluntate.*

Bellarminus lib. 2. de libero arbitrio cap. 11. contendit, sententiam, quam defendimus, non esse quorumvis Doctorum opinionem, sed fidem Ecclesiæ Catholicæ: id verò probat hisce verbis Augustini lib. de dono perseverantiæ cap. 19. *Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Probat iterum ex S. Prospero, qui hæc habet in prima responsione ad objecta Gallorum: *Prædestinationem Dei nullus Catholicus negat:* & in Epistola ad Rufinum de libero arbitrio: *Prædestinationem tam impium est negare, quam ipsi gratiæ contraire.* Confutat laudatus Cardinalis responsionem, quâ assereretur Prosperum loqui de prædestinatione merè gratuita: *Quippe* (ait) *loquitur de prædestinatione, quam S. Augustinus defendebat, & quam Cassianus, & alii quidam in Gallia oppugnabant.* Probat quoque ex Petro Diacono, qui libro ult. de Incarnatione, & gratia Christi dicit anathema libris, quos scripsit Faustus *contra prædestinationis sententiam.* Probat etiam ex his Fulgentii verbis cap. ultimo libro de Incarnatione, & gratia Christi: *Cujus prædestinationis veritatem si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem gratis elegit, & prædestinavit ad regnum.* Probat denique ex approbatione operum Augustini, & eorum in primis, quæ de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ contra Pelagianorum reliquias exaravit. Ea nimirùm Cœlestinus Papa in sua ad Gallos Epistola, Hormisdas, Leo Magnus, Concilium Arausicanum secundum, Gelasius Papa in Concilio 70. Episcoporum, quod Romæ ab ipso coactum est, approbarunt. Id, quod alibi in hisce institutionibus monuimus.

Quid de gratuita hominis lapsi ad gloriam prædestinatione statui possit rationibus Theologicis.

CONCLUSIO. Gratuita hominis lapsi prædestinatio ad gloriam rationibus Theologicis suaderi potest.

Probatur. Deus secundùm nostrum concipiendi modum, vult priùs dare gloriam electis, quam dare eis merita: ergo prædestinatio ad gloriam est independens a prævisione meritorum. Probatur ant. Qui vult ordinatè, vult priùs finem, quam media; sic ægrotus priùs vult sanitatem, quam remedia, quæ ad eam recuperandam ordinantur; Atqui gloria est finis, & merita sunt media, quibus comparatur: ergo Deus, secundùm nostrum concipiendi modum, priùs vult dare gloriam electis, quam media, per quæ comparetur.

Dices, majorem propositionem esse veram, cùm quis vult absolutè media, quæ infallibiliter connexa sunt cum fine, non autem cùm tantùm conditionatè vult illa media: sic autem, hoc est conditionatè, Deus vult fidem, justitiam, & perseverantiam; nempe si creatura rationalis velit oblatæ sibi gratiæ cooperari.

Sed contra est. 1. Responsum illud non potest habere locum in parvulis, qui, Deo sic volente & disponente, paulò ante mortem baptizantur: ipsi enim pro ætate velle aut nolle non possunt, ac proinde Deus in eis vult absolutè tum fidem, tum justitiam, tum perseverantiam usque in finem: quæ quidem media in parvulis sunt infallibiliter connexa cum æterna beatitudine. Necesse igitur est, ut Deus, qui ordinatè agit, priùs voluerit dare parvulis æternam beatitudinem, quam media, quæ per se ad eam ordinantur. Desumpta est ea ratio ex Augustino, qui in Enchiridio ad Laurentinum cap. 97. sic loquitur: *Quando quæritur causa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt. Quod quidem de parvulis dici non potest, quorum nondum est velle, seu nolle.* 2. Fides, justitia, perseverantia non sunt in adultis (ut dicetur in tractatu de gratia) nisi per auxilium, quod det non tantùm posse, sed etiam ipsum agere, seu quod voluntatem determinet ad fidem & ad perseverantiam; ergo Deus non conditionatè, sed absolute in iis, qui salvi fiunt, vult fidem, justitiam, & perseverantiam; nam si ea vellet tantùm conditionatè, ex suppositione nimirum, quòd creatura oblatæ sibi gratiæ vellet cooperari, frustra per orationem a Deo peterentur: *Cur autem* (ait Augustinus de dono persever. cap. 2.) *poscitur à Deo, si non datur à Deo? An & ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante, esse in hominis potestate?*

Probatur 2. Mysterium prædestinationis ad gloriam est omninò inscrutabile: Atqui id falsum foret, si prædestinatio non esset gratuita: ergo, &c. Major propositio est Pauli ad Rom. 11. quippe (ut superiùs probatum est) ubi præmisit, Deum permisisse, ut omnes increduli fierent, priùs quidem gentiles, deinde verò Judæi: ubi asseruit, multos Judæos olim salvatos fuisse, paucos autem gentiles: e contra jam temporis plures gentiles salutem consequi, paucos verò Judæos, hisce verbis exclamat: *Quam inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Est etiam Augustini: *Cur autem* (inquit lib. de prædestin. SS. cap. 8.) *istum potius, quàm illum liberet, inscrutabilia sunt judicia ejus.* Unde probatur min. Ibi nullum est mysterium, ubi facile redditur ratio; Atqui si prædestinatio non sit gratuita, facilè illius redditur ratio: nempè si quæratur, cur Deus Paulum prædestinarit, reprobarit verò Judam, menti se statim objiciet hæc responsio, quòd nempè Deus prævideritmerita Petri futura per liberam oblatæ gratiæ cooperationem, & è contra Judæ futura per negationem consensus demerita prævideritit.

§. III.

Solvuntur argumenta, quæ contra gratuitam prædestinationem ad gloriam objiciuntur.

Not. Argumenta, quæ contra gratuitam prædestinationem ad gloriam objici solent, desumuntur 1. ex Scriptura: 2. ex Patribus: 3. ex hæresi Prædestinatianorum: 4. ex hæresi Calviniana: 5. ex ratione naturali: 6. ex variis absurdis.

Solvuntur quæ objiciuntur ex Scripturis.

Objicies 1. Prædestinatio ad gloriam est facta ab æterno gloriæ præparatio: atqui Scripturæ docent, factam ab æterno gloriæ præparationem non esse gratuitam: quippe ex Matthæi 25. capite colligitur, illius præparationem factam fuisse propter opera: *Venite* (inquiet Christus in extremo judicio, prædestinatos alloquens) *benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare.*

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ratio est, quia ista propositio causalis: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, non fertur ad illud verbum, *Paratum*, sed ad hæc alia: *Venite & possidete:* idque probatur ex opposita sententia, quia reprobis dicetur: *Discedite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus: Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare*; in ea quippe sententia propositio causalis *Esurivi enim*, non refertur, ad istam, *Qui paratus est diabolo, & Angelis ejus*: neque enim ideo diabolo & Angelis ejus paratus est ignis, quod homines facturi non essent opera misericordiæ. Quemadmodum igitur verba *Esurivi enim*, in sententia, quæ dicetur reprobis, referuntur ad ista *Discedite à me:* sic in ea, quæ dicetur electis, eadem verba *Esurivi enim*, referuntur ad illa *Venite, possidete*. Unde ex illo Evangelii loco colligitur quidem, gloriam in tempore conferri propter opera; sed non colligitur, quòd propter ea ab æterno præparata sit in intentione divina.

Objicies 2. Scriptura variis in locis asserit, vitam æternam esse mercedem bonorum operum: Matthæi 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis*: esse coronam justitiæ; 2. ad Timoth. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ*: esse bravium: 1. ad Corinth. 9. *Unus accipit bravium*: reddi debere propter opera: *Reddet unicuique secundùm opera ejus*. Inde verò sic conficitur argumentum. Gratuita non est prædestinatio ad mercedem; ad coronam justitiæ; ad bravium: quippè merces, corona justitiæ, bravium in suo conceptu essentiali præsupponunt merita, quibus rependantur: Atqui ex Scripturis vita æterna est merces, corona justitiæ, bravium: ergo, &c.

Resp. concessa maj. dist. min. Vita æterna in ordine executionis est merces, corona justitiæ, bravium, conc. min. In ordine intentionis, neg. min. De vita æterna in illo ordine, non autem in isto considerata, explicari debent loca, quæ ex Scripturis laudata sunt. Patebit clarius ea solutio, si dicatur 1. Deum decrevisse efficaciter quibusdam gratuitò conferre vitam æternam: 2. ipsum ex eo decreto efficaci conferre pariter gratuitò media, quæ ad illam comparandam necessaria sunt: 3. eum velle, ut eam in tempore assequantur, eò quòd eam per virtutis exercitium meruerint.

Objicies 3. Ad id homo gratuitò non prædestinatur, quod est in ejus potestate: atqui vita æterna est in hominis potestate; nam 1. suis orationibus postulat, ut inter electos numeretur: 2. Apostolus 2. ad Timoth. 2. sic loquitur: *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem*: 3. Idem Apostolus ad Rom. 11. supponit, Judæos posse inseri bonæ olivæ, seu prædestinatorum numero: *Sed & illi; si non permanserint in incredulitate, inserentur.*

Resp. dist. min. Vita æterna est in hominis potestate secundum ordinem executionis, quia cum auxilio gratiæ potest habere justitiam & perseverantiam usque in finem, conc. min. secundum ordinem intentionis, seu, prout est æterna illius præparatio, neg. min. Hinc autem concludendum est 1. Ecclesiam cùm pro filiis rogat, ut inter electos numerentur, non aliud petere, quam justitiam & perseverantiam usque in finem; quæ quidem dona Deus iis semper largitur, quos gratuitò prædestinavit ad gloriam. Concludendum est 2. eum, qui (ut loquitur Apostolus) perseveranter sese emundaverit ab hæreticorum doctrinis, cæterisque vitiis, esse in tempore, & quidem ex meritis, vas in honorem, ut erat jam ab æterno per gratuitam prædestinationem. Concludendum est 3. Judæos, si (ut ait Paulus) non permanserint in incredulitate, nec in aliis peccatis, inseri in bonam olivam, seu gloriam consequi, ad quam gratuitò per Dei electionem prædestinati fuerant.

Objicies 4. Apostolus docuit, prædestinationem præsupponere prævisionem meritorum: nam ille docuit, prædestinationem præsupponere prævisionem meritorum, qui scripsit, præscientiam præcedere prædestinationem: Atqui id Apostolus revera scripsit: quippe sic loquitur ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui.*

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. maj. Ille, &c. si præscientiæ nomine intellexerit intellectus actum, qui cognitio dicitur, transeat maj. Si intellexerit voluntatis actum, qui dicitur prædilectio, neg. maj. Istum verò, non autem illum, intellexit Apostolus: nec id mirum est, cùm cognitio, præscientia, sæpiùs in Scripturis pro dilectione sumantur, ut videre est ad Rom. 11. *Non repulit plebem suam, quam præscivit*. Secundæ ad Timoth. 2. *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Matth. 25. *Non novi vos.* Psal. 1. *Novit Dominus viam justorum*. Joannis 10. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas*. Hic est igitur sensus verborum Apostoli: *Quos Deus præscivit*, id est ab æterno *prædilexit*, eos prædestinavit, hoc est, firmo ac constanti decreto statuit eos reddere conformes, *in glorificatione tum corporis, tum animæ*, imagini filii sui. Unde tantum abest, ut Apostolus hominis meritis etiam per gratiam comparandis tribuat causam æternæ illius prædestinationis ad gloriam, quin potiùs uni illam adscribat gratuitæ Dei in hominem prædilectioni; nec id infrequens est in Scripturis, quippe hæc leguntur Joannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.*

Confirmatur solutio 1. ex eo, quòd si Apostolus præscientiæ nomine meram operum præcognitionem intellexisset, debuisset dicere, quos præscivit benè victuros, aut bonæ voluntatis futuros, non autem simpliciter & absolutè, sine addito, *Quos præscivit*.

Confirmatur 2. ex Augustino, qui libro de dono perseverantiæ cap. 18. asserit, præscire, & prædestinare esse nonnunquam verba synonyma; idque probat Apostolica sententia, quæ jam relata est: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit*: hincque capite 19. concludit, ea verba, cum agitur de electorum vocatione, promiscuè pro uno & eodem usurpari: *Unde* (inquit) *aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus: Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit ... Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?*

Responderi potest 2. verbum *Præscivit*, sumi pro actu intellectus, seu mera cognitione, quam Deus habet non quidem de operibus pietatis, sed de personis electorum, ita ut neminem prædestinet ad gloriam, quem ante,

te, secundum nostrum concipiendi modum, distinctè non cognoscat. In ea autem suppositione hæc Apostoli verba: *Conformes fieri imagini filii sui:* non sunt referenda ad verbum *Præscivit*, ita ut sensus sit, Deum eos elegisse, quos præscivit conformes fieri imagini filii sui; sed referri debent ad verbum *Prædestinavit*, ita ut hic sit sensus Apostolicæ sententiæ: *Quos præscivit*, hoc est, quos distinctè cognovit, *prædestinavit*, ut conformes essent in glorificatione, tum corporis, tum animæ, *imaginis filii sui*. Sonuit explicationem illam S. Thomas in eum Apostoli locum; hæc enim scribit in suo Commentario: *Non quia omnes præscitos prædestinet, sed quia eos prædestinare non poterat, nisi præsciret.*

Solvuntur quæ contra gratuitam prædestinationem ad gloriam petuntur ex Authoribus, qui ante Augustinum vixere.

Objicies. Irenæus lib. 4. contra hæreses c. 38. scribit, ex futurorum præscientia dictum fuisse: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Origenes lib. 1. in Epist. ad Rom. ait, propositum, de quo Apostolus cap. 8. loquitur, esse *non Dei, sed hominis propositum.*

Ambrosio adscriptus à nonnullis Commentarius Epist. ad Rom. ad illud capitis 8. *Iis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti*: hæc habet: *Hi secundùm propositum vocantur, quos credentes præscivit Deus futuros sibi idoneos, ut antequam crederent, scirentur.* In ejusdem Epistolæ caput 9. hæc verba: *Miserebor cujus miserebor*, sic explicat: *Et misericordiam dabo, quem præscivi post errorem toto recto corde reversurum ad me.*

Chrysostomus Hom. 15. in cap. 8. Epist. ad Rom. *Propositum*, de quo loquitur Apostolus, interpretatur propositum non Dei vocantis, sed hominis vocati. Hom. 16. in illud capitis 9. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, hæc scribit. *Qua igitur de causa hic quidem amori, ille autem odio habiturus erat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat.* Hom. 1. in caput 1. Epist. ad Ephes. hæc ait. *Quod si homines, quando eligunt, optima sibi deligunt, multò magis Deus. Elegi enim, & divina bonitatis indicium est, & virtutis eorum, qui eliguntur.*

Hieronymus in 1. caput Malachiæ exponens illud: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, dicit dilectionem & odium Dei vel ex præscientia futurorum nasci, vel ex operibus jam factis. Idem docet in expositione primi & quinti capitis Epist. ad Galatas.

Ex iis verò Patrum authoritatibus sic conficitur argumentum. Id de prædestinatione ad gloriam hisce temporibus docet Ecclesia, quod quatuor prioribus sæculis, tum in Oriente, tum in Occidente docuit. Atqui (ut patet ex laudatis Patrum textibus) Ecclesia quatuor prioribus sæculis tum in Oriente, tum in Occidente docuit prædestinationem ad gloriam esse ex meritorum prævisione: ergo reverà est ejusmodi.

Resp. ad 1. concessa maj. neg. min. Ad 2. dico, quòd quamvis daretur (quod tamen, ut constabit ex dicendis, falsum est) Patres, qui laudati sunt in argumento, fassisse prædestinationi ad gloriam ex prævisione meritorum, non sequeretur, Ecclesiam ubique quatuor prioribus sæculis idem dogma docuisse. Ratio est, quia plures alii, & quidem illis temporibus, oppositum propugnarunt, ut videre est in Augustino, qui lib. de dono perseverantiæ cap. 19. pro gratuita prædestinatione laudat Cyprianum, Ambrosium, Gregorium Nazianzenum. *Puto tamen* (inquit) *eis, qui de hac re sententias tractatorum requirunt, sanctos & in fide atque doctrina Christiana laudabiliter usquequaque diffamatos viros, Cyprianum & Ambrosium, quorum tam clara testimonia posuimus, debere sufficere...... Sed his duobus, qui sufficere debuerunt, sanctum Gregorium addamus & tertium.*

Quinam autem ex iis Patribus, quos de hoc argumento contraria sensisse supponimus, erraverint, non difficile est judicare, si Augustinum consulamus. *Hoc scio* (inquit de dono persever. cap. 19.) *neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando, disputare potuisse.*

Resp. 2. ex iis authoribus, qui in argumento laudati sunt, nonnullos esse, quibus hac in causa nulla debetur fides. Origenes alienus non fuit ab errore Pelagii. *Doctrina Pelagii* (inquit Hieronymus in Epistola ad Ctesiphontem) *Origenis ramusculus est*. Theophylactus & Oecumenius, qui Origenis sensa inseruerunt editis à se commentariis, audiri non debent. Ambrosiaster, seu Commentarius in epistola Pauli, non est Ambrosii fœtus, sed incerti authoris, & doctrinæ non in omnibus probatæ.

Resp. 3. Patres, quibus inter laudatos in argumento fides debetur, posse explicari sine præjudicio prædestinationis gratuitæ: ii enim, qui post Irenæum dixere, Jacob electum fuisse ex futurorum præscientia, præscientiæ nomen usurparunt eo sensu, quo Scriptura, dum ait: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Augustini est illa solutio, qui ubi libro de dono perseverantiæ cap. 19. ea verba retulit, sic loquitur. *Quid ergo* (inquit) *nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere?*

Qui cùm Chrysostomo scripserunt, Deum propter merita eligere, amare, aut odio habere, electionem sumserunt non secundum ordinem intentionis, sed secundùm ordinem executionis; in quo, cum cœlestis gloria habeat rationem mercedis, mirum non est, quòd dicatur ex meritis conferri: neque enim *coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*: Ratio est, quia Patres priorum sæculorum plerumque de prædestinatione locuti sunt iis locis, in quibus (ut patet ex Chrysostomo) commissas sibi plebes ad pietatis praxim hortabantur. Confirmatur ex responsione Augustini, qui (ut videre est in Epistola Hilarii ad eum data) postulatus à Semi-Pelagianis, ut suam de prædestinatione sententiam probaret authoritate Patrum, qui ejus ætatem præcesserant, lib. de prædestin. SS. cap. 14. respondet, id non esse necessarium, tum quòd nondum nata Pelagianorum hæresi, quæstionem, de qua agitur, transeunter, non autem ex professo, tractassent; tum quòd aliis hæresibus, quæ tunc grassabantur, debellandis intenti essent; tum denique, quòd *immorarentur* (inquit) *in exhortationibus ad quasque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera felicitate, servitur.*

Quæ ad Irenæi & Chrysostomi textus adhibita est solutio, adhiberi quoque debet ad prolata ex Hieronymo loca; aut enim præscientiæ nomine S. Doctor prædestinationē intelligit, aut electionem considerat secundum ordinem executionis, in qua (ut jam observatum est) gloria cœlestis pendet ab operibus, quamvis in ordine intentionis, seu secundùm æternam præparationem, ab illis sit prorsùs independens.

Resp. 4. quòd ad ferendum judicium de doctrina, quam circa prædestinationem Ecclesia quatuor prioribus sæculis professa est, non tam consulendi sint nonnulli eorum temporum Patres, quam Oratio Dominica, quæ omnium tum Patrum, tum fidelium erat in ore. Ratio est, quia licet nonnulli Patres apertè gratuitam prædestinationem defenderint, ut de Cypriano, Ambrosio, & Gregorio Nazianzeno asserit Augustinus; licèt ex aliis nihil (ut mox ostensum est) contra ipsam concludi possit: fatendum est tamen, plerosque aut quæstionem non attigisse, aut explicuisse transeunter tantùm, quòd nempè nulla ad id eos impulerit occasio. *Quid igitur opus est* (inquit Augustinus lib. de prædestin. SS. cap. 14) *ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam*

ista

ista heresis oriretur, non habuerant necessitatem in hac difficili ad solvendum questione versari? quod procul dubia facerent, si respondere talibus cogerentur. Unde factum est, ut de gratia Dei quid sentirent, breviter quibusdam scriptorum suorum locis, & transeunter attigerint. E contra Oratio Dominica demonstrative gratuitam prædestinationem asserit. *Si ergo* (ait S. Doctor lib. de dono perseverantiæ cap. 7.) *alia documenta non essent,* in Scripturis nimirùm & in aliquot Patrum scriptis, *hæc Dominica Oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.* Quomodo autem Oratio Dominica satis sit ad adstruendam gratuitam prædestinationem, tum ad gratiam, tum ad gloriam, probat S. Augustinus ex eo, quòd Ecclesia in Oratione Dominica petat fidem, quæ per dilectionem operatur, & in ea fide perseverantiam usque in finem; hincque concludit, Deum in nobis fidem illam & perseverantiam operari. Cum autem ea dona non omnibus largiatur, sed eis tantùm, quos prædestinavit ab æterno, sequitur, eum nonnullos ad gloriam gratis eligere. *Prorsus* (ait ibidem S. Doctor) *non operosas disputationes expectet Ecclesia, sed attendat quotidianas orationes suas. Orat, ut increduli credant; Deus ergo convertit eos ad fidem: orat, ut credentes perseverent; Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. Hæc Deus facturum se esse prescivit. Ipsa est prædestinatio Sanctorum, quos elegit in Christo ante mundi constitutionem, secundum placitum voluntatis suæ.* Ad eam argumentationem Augustinum coegit, quæ tunc prodierat, hæresis Pelagiana. *Hæc est* (inquit de dono persev. cap. 20.) *prædestinatio manifesta, & certa Sanctorum, quam postea diligentius & operosius, cum jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit.* Nec id insolitum esse contendit: *Didicimus enim* (ait ibidem) *singulas quasque hereses intulisse Ecclesie proprias questiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quàm si nulla talis necessitas cogeret.*

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, colligitur censuram deberi iis Scholasticis, qui ultrò fatentes, Augustinum reverà docuisse gratuitam prædestinationem ad gloriam, ab eo tamen discedunt sub novitatis obtentu, causanturque, eum hoc in capite non assecutum fuisse germanum Scripturæ sensum, nec propositiæ doctrinam, quam quatuor priorum sæculorum traditio docuerat. Eodem crimine S. Doctorem Massilienses olim insimularant: *Multi servorum Christi* (ait S. Prosper in sua ad Augustinum Epistola) *qui in Massiliensi urbe consistunt, in Sanctitatis tuæ scriptis, quæ adversus Pelagianos hereticos condidisti, contrarium putant Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione Sanctorum secundùm Dei propositum disputasti.... Obstinationem suam vetustate defendunt, & ea, quæ de Epistola Apostoli Romanis scribentis, ad manifestationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, à nullo unquam Ecclesiasticorum ita esse intellecta, ut nunc sentiuntur, affirmant.* Noluit Sedes Apostolica, ut inulta remaneret ea Massiliensium querela; nempè (ut observatum est superius) per os beati Papæ Celestini hæc scripsit ad Gallorum Episcopos: *Unde resistatur talibus, quos mali crescere videmus: nefas est, hæc pati religiosas animas, quarum afflictione, quia membra nostra sunt, nos quoque convenit macerari.*

Solvuntur quæ ex aliquot Augustini, Prosperi, & Fulgentii locis objiciuntur contra gratuitam prædestinationem ad gloriam.

Hodierni gratuitæ prædestinationis hostes Augustinum opponunt Augustino: contendunt S. Doctorem in variis locis doctrinam tradidisse ei omnino oppositam, quam libris de correptione & gratia, de prædestinatione Sanctorum, de dono perseverantiæ, postea docuit. Eò in capite Massiliensium vestigiis inhærent: nempe Massilienses conati sunt ostendere, non stare cum antiquis Augustini operibus, quæ in postremis de gratuita prædestinatione scripserat: *Et hoc* (inquit Hilarius de iis agens in sua ad Augustinum Epist.) *non solum aliorum Catholicorum testimoniis, sed etiam Sanctitatis tuæ disputatione antiquiore se probare testantur.*

Objicies 1. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. conceptis terminis asserit, electionem peti debere non à Dei beneplacito, sed ex subjecto, quod eligitur, bonis operibus: ita ut nulla sit electio, quæ bona opera non præsupponat ex parte subjecti: *Non ergo* (inquit) *secundùm electionem, propositum Dei manet, sed ex proposito electio, idest, non quia Deus invenit opera bona in hominibus, quæ elegit, ideò manet propositum justificationis ipsius; sed quia illud manet ut justificet credentes, ideò invenit opera, quæ jam eligat ad regnum cælorum.*

Resp. dist. maj. Augustinus asserit, electionem sumptam secundùm nomen peti non debere à Dei beneplacito, conc. maj. sumptam secundùm rem, neg. maj. Antequam S. Doctor catholicè omninò de gratia sentiret, docuit, electionem præsupponere opera subjecti, quod eligitur, fidem nimirùm aut in re, aut saltem in Dei præscientia naturalibus viribus habitam: *Non elegit* (inquit in expositione quarumdam propositionum ex Epist. ad Rom.) *opera* (quorum per gratiam futurus est author) *sed fidem.* In quam expositionem hæc habet lib. 1. retract. cap. 23. *Nondum diligentiùs quæsiveram, qualis sit electio gratiæ, de qua idem dicit Apostolus: Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt: Quæ utique non est gratia, si eam merita ulla, vel ipsius etiam fidei, præcedunt.* Ubi idem Doctor catholicè omninò sensit (ut sentiebat verè, cum scripsit ad Simplicianum) sed ubi agnovit, fidem non minùs esse Dei donum, quam opera, quæ eam subsequuntur, asseruit adhuc, aliquandiu electionem præsupponere opera, seu neminem eligi etiam ad gratiam, nisi ex operibus. Sed electionem tunc rejecit tantùm nomine tenùs; quod nempe putaret, electionem non importare tantum gratuitam assumptionem, sed etiam ex vi nominis differentiam aliquam electi à non electo: *Si enim* (inquit lib. 1. ad Simplic. quæst. 2.) *nullo merito electus est Jacob nondum natus, & nihil operatus: nec omninò eligi potuit, nulla existente differentia, qua eligeretur.* Eum loquendi modum immutavit postea Augustinus; nimirum factus peritior, docuit, electionem non tantùm secundùm rem, sed etiam secundùm nomen, in iis etiam habere locum, qui a se nulla ratione differunt; quippe tunc intellexit, electionem divinam constituere illam differentiam, quam antea putaret electioni præsupponi debere. Epist. 105. quæ est ad Sixtum, exponens Apostoli locum: *Ut secundùm electionem propositum Dei maneret,* in cujus explicatione multùm laborarat ad Simplicianum scribens, hæc ait: *Electionem scilicet gratiæ, non debiti: electionem quæ eligendos facit ipse, non invenit; non ex operibus, sed ex vocante.... Quid enim diligebat in Jacob, antequam fuisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordiæ suæ donum?*

Objicies 2. Se habet Deus respectu gloriæ, sicut se habet respectu justificationis: Atqui ex Augustino Deus gratuitò non prædestinat ad justificationem, sed tantum ex operum prævisione: *Cujus vult, miseretur* (inquit lib. 83. quæstionum, quæst. 68.) *& quem vult, indurat. Sed hæc voluntas Dei injusta esse non potest; venit enim de occultissimis meritis: quia & ipsi peccatores sunt, cum propter generale peccatum unam massam fecerint: non tamen nulla est inter illos diversitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamvis nondum justificati sint, digni efficiantur justificatione; & iterum præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione.*

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem dist. ant. Ex Apostolo aliquid secundùm ordinem execu-

tionis

tionis præcedit in peccatoribus, quo digni efficiantur justificatione, conc. ant. secundùm ordinem intentionis, neg. ant. Peccator justificationem non consequitur, nisi per actus fidei, spei, & charitatis saltem inchoatæ; qui quidem actus, licèt, ut ajunt, de condigno justificationem non mereantur, illam tamen merentur de congruo: *Gratia* (inquit Augustinus Epist. 106.) *meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici*. Tamen cum finis sit priùs in intentione, quam media, & justificatio sit finis actuum, seu dispositionum, quæ ad eam ordinantur, peccator priùs prædestinatur ad justificationem, quam ad media.

Objicies 3. Augustinum inter, Pelagianos, & Semi-Pelagianos, nusquam fuit controversia de prædestinatione ad gloriam independenter à meritis per Christi gratiam comparatis: Ergo Augustini loca, quæ gratuitæ prædestinationi ad gloriam favere videntur, intelligi debent de prædestinatione ad gratiam; eam enim prædestinationem Pelagiani & Semi-Pelagiani negabant: nimirùm illi censebant, omnem gratiam dari ex liberi arbitrii meritis; isti verò, fidem tantùm & perseverantiam usque in finem: unde ut S. Doctor probet, se in prædestinationis causa nihil propugnare, quòd a Patribus alienum sit, probat, fidem, perseverantiam, ac reliqua pietatis opera esse Dei dona, contenditque, doctrinam illam esse fide certam: *Scio* (inquit) *neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, nisi errando, disputare potuisse*.

Resp. neg. ant. Licèt enim Augustinus initio suæ disputationis contra Pelagianos, & Semi-Pelagianos egerit de sola prædestinatione ad gratiam; postea tamen egit quoque de prædestinatione ad gloriam. Nec mirum, illa scilicet ab ista pendet; nam ex suppositione, quod (ut contra suos Adversarios ostendit August.) gratia per se efficax necessaria sit ad quemlibet pietatis actum, ex suppositione, quòd ea gratia aliquibus detur, aliquibus verò non detur, necessariò sequitur, admitti debere aliquorum gratuitam prædestinationem ad gloriam, illorum, nempe qui prædestinantur, & ad fidem, quæ per dilectionem operatur, & ad perseverantiam usque in finem; neque enim reddi potest ratio, cur Petro potiùs, quam Judæ, datum fuerit auxilium illud speciale, quam quòd Deus Petrum, non autem Judam, gratuitò ad æternam gloriam elegerit. Hinc est, quòd Augustinus non potuerit Semi-Pelagianorum contra gratuitam prædestinationem ad fidem & perseverantiam argumenta solvere, quin de gratuita prædestinatione ad gloriam dissereret. Hinc etiam est, quòd iidem Semi-Pelagiani Augustini doctrinam de auxilii per se efficacis ad singulos pietatis actus necessitate impugnare non potuerint, quin impugnarint quoque gratuitam prædestinationem ad gloriam. Hinc quoque patet ratio, cur S. Doctori satis fuerit ostendere, suam sententiam de gratuita prædestinatione ad gratiam cohærere cum antiquis Patribus, ut inde colligeret, Massilienses immeritò novitatis arguere illius systema de gratuita prædestinatione ad gloriam.

Objicies 4. S. Fulgentius lib. 1. ad Maximum cap. 24. sic loquitur: *Prædestinavit illos ad supplicium, quos à se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros: & prædestinavit ad regnum, quos ad se præscivit misericordiæ prævenientis auxilio redituros*. Unde sic conficitur argumentum: Se habet, ex Fulgentio, prædestinatio ad gloriam, sicut prædestinatio ad pœnam, Atqui prædestinatio ad pœnam posterior est prævisione demeritorum: ergo prædestinatio ad gloriam est etiam posterior prævisione meritorum.

Resp. 1. dist. maj. Se habet, &c. in ordine executionis, conc. maj. in ordine intentionis, neg. maj. & concessa min. dist. conseq. Ergo prædestinatio ad gloriam est posterior prævisione meritorum in ordine executionis, conc. conseq. in ordine intentionis, neg. conseq.

Responderi potest 2. Fulgentium dicere quidem, Deum eos prædestinasse, qui ad eum per auxilium gratiæ redituri sunt; non dicere verò Deum ideò eos prædestinasse, quòd præsciverit eos per auxilium gratiæ ad se redituros.

Objicies 5. S. Prosper ad 12. object. Vincentii hæc habet: *Quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati: essent autem prædestinati, si essent reversuri*: ergo, ex Prospero, prævisio meritorum est prior prædestinatione ad gloriam.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia Prosper non loquitur de prædestinatione sumpta secundùm se, sed tantum secundùm signa, quibus innotescit: præ illis autem signis præcipua sunt castus ad Deum reditus, & in eo casto reditu perseverantia usque in finem.

Solvuntur, quæ ex Prædestinatianorum hæresi contra gratuitam prædestinationem ad gloriam objiciuntur.

Objicies. Sententia de gratuita prædestinatione ad gloriam idem est omninò cum antiquorum Prædestinatianorum doctrina; atqui antiquorum Prædestinatianorum doctrina non debet admitti: ergo neque sententia de gratuita prædestinatione ad gloriam. Major propositio variis argumentis ostenditur.

Primò. Gennadius, qui primus inter Ecclesiasticos Scriptores meminit Prædestinatianorum, in Cathalogo de hæresibus asserit Prædestinatianos docuisse 1. *quod Deus non omnes homines ad hoc crearit, ut omnes salventur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus: 2. quòd etsi generali prædicatione dicat: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes sequantur vocantem: 3. quod non omnes, qui ipso inspirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exequendæ in bono operę perseverantiam: sed post multos labores, & justitię fructus, si non sunt de salvandorum numero, subtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono: 4. quod ii, qui prædestinati sunt ad vitam æternam, etiamsi in perfidia, vel in omni genere peccati longo tempore volutentur, accepturi sint occasionem, qua & credant in Deum, & secundùm Dei præceptum vivant, ut possideant societatem justorum: 5. quod tali definitione docere studeant, Deum esse personarum acceptorem: 6. quod Deus aliquos etiam invitos post multa mala opera attrahat ad salutem, alios post bona rejiciat: 7. quod Deus aliquos compellat in malum, quo pereant in æternum*. Atqui ea omnia docent ii, qui contendunt, prædestinationem ad gloriam esse gratuitam, aut saltem, nolint, velintve, sequuntur ex eorum systemate: ergo &c.

Secundò. Hincmarus Remensis in Epistola ad Nicolaum Papam 1. refert, monachum Gothescalcum prædestinatianæ hæreseos convictum, a se, nonnullisque aliis Episcopis damnatum fuisse: illi autem prædestinatianæ hæresis hosce adscribit errores: 1. *Quoniam sicut Deus quosdam ad vitam æternam: ita quosdam prædestinavit ad mortem: 2. Quoniam non vult Deus, omnes homines salvos fieri, sed tantum eos, qui salvantur: 3. Quod non pro totius mundi redemptione, id est pro omnium hominum salute & redemptione, Dominus & salvator noster Jesus Christus sit crucifixus, & mortuus: sed tantùm pro iis, qui salvantur*. Atqui eos errores propugnare coguntur, qui docent gratuitam esse prædestinationem ad gloriam; neque enim dici potest, quòd Deus velit eorum salutem, quos non eligit ad vitam æternam. Dici non potest, quod Christus passus sit pro iis, quos Deus ab æterno statuit derelinquere in massa perditionis.

Tertiò. Sigebertus in Chronicò ad annum 415. hæc de Prædestinatianis habet: *Hi dicebant, quod nec piè viventibus prosit bonorum operum labor, si à Deo ad mortem prædestinati fuerint; nec impiis obsit, quod improbè vivant,*

vant, si à Deo prædestinati fuerint ad vitam. Qua assertio, bonos à bonis avocabat, & malos ad mala provocabat.

Quartò. Anonymus Scriptor, quem Sirmondus è societate Jesu erutum ex bibliotheca S. Mariæ Remensis sub *Prædestinati* nomine, publici juris fecit anno 1643. eosdem, qui supra, errores adscribit Prædestinatianis, quos ob id inter hæreticos recenset.

Quintò. Faustus Episcopus Regiensis asserit, duo Concilia, Arelatense nimirùm & Lugdunense, damnasse Prædestinatianorum errores. In Epistola ad Leontium Arelatensem Episcopum, quam libris à se de gratia, & libero arbitrio editis præfixit, profert fidei confessionem adversus Prædestinatianos editam ex decreto Arelatensis Synodi. Idem Author dedit Epistolam ad Lucidum Presbyterum, variis (ut ipse ait) circa gratiam, liberum arbitrium, & prædestinationem, erroribus irretitum, cui quidem Epistolæ (eodem Fausto teste) Lucidus subscripsit post varias [illegible] tationes, post probatam ab Arelatensi Concilio fidei confessionem, ab eodem Fausto contra Prædestinatianos conscriptam. Idem Auctor describit Lucidi ad Concilium Epistolam, in qua meminit ejuratæ à se Prædestinatianorum hæreseos: *Damno*, inquit, *illum, qui dicit alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædestinatos.*

Refertur primum responsum ad argumentum desumptum ex Prædestinatianorum hæresi.

Respondent Cabassutius noster, pluresque alii de historia Ecclesiastica optime meriti scriptores: 1. nusquam exstitisse illam Prædestinatianorum hæresim: 2. fictitiam esse Synodum Arelatensem, in qua damnata supponitur: 3. supposititiam esse tum Lucidi conversionem ad saniorem doctrinam, tum ejusdem Lucidi ad Arelatense Concilium [illegible]: 4. Faustum ea omnia commentum esse, ut suis de gratia & libero arbitrio libris auctoritatem conciliaret: 5. tandem ea omnia facta à Semi-Pelagianis excogitata fuisse, ut Augustinianæ de prædestinatione & gratia doctrinæ invidiam conflarent: 6. nullius hac in causa ponderis esse tum Hincmari, tum Sigeberti, tum Anonymi testimonium.

Priorem responsionis partem probant ii Authores ex eo, quòd hæreseos Prædestinatianæ nec Augustinus, nec Prosper, nec Hilarius meminerint, licèt Augustini, Prosperi, & Hilarii temporibus, anno nimirùm 415. Sigebertus natam esse scripserit; à quo non multùm discrepat Hincmarus, cum asserat, revinctam eam esse à Celestino Papa, quem certum est obiisse anno 432.

Probant iterum ex eo, quòd ii, qui omnium primi Prædestinatianorum hæresim recensuere, aperte aut Pelagiani, ut Faustus Regiensis, aut Semi-Pelagiani, ut Gennadius Massiliensis, extiterint: unde consequens est, eos in prædestinationis & gratiæ causa nullam prorsùs mereri fidem. Iste in Catalogo de viris illustribus hæc habet de Augustino. *Vnde & multa loquendo accidit, quod dixit per Salomonem Spiritus Sanctus. Ex multiloquio non effugies peccatum.* E contra de Fausto, cujus libros tum Gelasius Papa, tum Felix proscripsere, sic loquitur. *Edidit opus egregium de gratia Dei, qua salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio, in quo salvamur.*

Alteram fuse responsionis partem, seu ficititia esse ea omnia, quæ Faustus scribit de Conciliis Arelatensi & Lugdunensi, iidem Authores hisce momentis probant. *Primo* (inquiunt) nullus author aut Fausti sæculo, aut ab Hincmarum usque sequentibus, Conciliorum illorum meminit; nec ipse etiam Gennadius, qui multis [illegible] bus Fausti libros extulit. 2. Nullibi extant illorum Conciliorum acta, præter quàm in epistolis Fausti ad Leontium, ad Lucidum, & ipsius Lucidi ad Concilium Arelatense. 3. Si (ut ipse Faustus ait) Concilia Arelatense & Lugdunense probassent Fausti de gratia & libero arbitrio libros, qua ratione ne[illegible] set, ut Avitus Viennensis, & Cæsarius Arelatensis in eos insurrexerint?

Tertiam responsionis partem, seu supposititiam esse Lucidi ad saniorem doctrinam conversionem, iidem Scriptores probant 1. ex eo, quòd in epistola, in qua ea conversio refertur, asseratur, Concilia Arelatense & Lugdunense probasse Fausti de gratia & libero arbitrio libros; quos tamen hucusque Pelagianorum errores continere, una fuit omnium Catholicorum Scriptorum vox. 2. His in epistolis asseritur, Faustum ab Arelatensi Concilio jussum fuisse Canonum ac definitionum loco suos de gratia & libero arbitrio libros conscribere; at ea jussio est [illegible] li synodo ita singularis, ut nullo alterius Concilii exemplo firmari possit. 3. Aperta est contradictio in epistola Fausti ad Lucidum, nempe in illius epistolæ capite asseritur Patres Concilii Arelatensis meditari anathema in Lucidum, quod solus Prædestinatianorum errores tueretur; coactam fuisse eandem Synodum ad Lucidi condemnationem: in calce tamen ejusdem epistolæ Faustus Lucidum minatur, ni subscribat, se eum ad Concilium delaturum esse.

Quartam responsionis partem, hoc est, ea omnia facta, à Fausto conficta fuisse, ut suis de gratia & libero arbitrio libris auctoritatem conciliaret, iidem Scriptores probant 1. ex eo, quòd ars confingendi [illegible] instrumenta, peranti[illegible] fuerit Pelagianis. 2. Faustus apud antiquos, ut videre est apud Isidorum Hispalensem de viris illustribus cap. 27. audiit tanquam profundæ calliditatis & versipellis vulpeculæ vir. 3. Summæ curæ fuit Fausto, ne ejus libri de gratia & libero arbitrio in Galliis evulgarentur, scilicet ab ipso conscripti fuerant, ut Pelagianam hæresim in Anglia, ex qua oriundus erat, foveret: Siquidem, teste Sidonio Apollinare libro 9. epist. 9. eos per Rich[illegible] rum monachum Britannis suis dixerit ea lege, ut in Gallia illos nemini exhiberet, ne ipsi quidem Sidonio Apollinari, qui in transeundo jussus fuerat invisere: 4. Hinc factum est, ut Faustus, quò libri majoris essent apud Britannos ponderis, ipsis tum epistolam ad Leontium, tum fictam Lucidi presbyteri conversionem præfixerit.

Quintam responsionis partem, seu à Pelagianorum reliquis confictam fuisse fabulam de Prædestinatiana hæresi, ut Augustiniano de gratia, & prædestinatione systemati invidia conflaretur, iidem scriptores probant ex eo, quòd dogmata quæ Prædestinatianis tribuuntur, sint ipsa Augustini principia, sed verbis æquivoce & dolosis, calumniosè primùm tum à Gennadio, tum à cæteris Massiliensibus, tum à Fausto, deinceps verò bona fide ex eorundem Massiliensium relatione, & ab Hincmaro, & à Sigeberto proposita: id nimirùm aperte videre est in epistolis Prosperi & Hilarii ad Augustinum, nec non in libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ, quibus idem S. Doctor respondet ad Prosperi & Hilarii epistolas.

Sextam responsionis partem, quæ ad Hincmari testimonium spectat, probant ex eo, quòd propter geminam prædestinationem, ad vitam nimirùm & mortem sempiternam, Gotescalcum ipsque damnaverit. Id autem confirmant ex Concilio Valentino, quod anno 855. rejecit quatuor capitula, quæ, agente Hincmaro, in Synodo Carisiaca contra Gotescalcum definita fuerant. Expresse etiam probavit damnatam in eo lemmate Gotescalco geminam prædestinationem. *Fitente fatemur* (ajunt Concilii Patres can. 3.) *prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem*: nec immeritò, quippe prædestinat [illegible] ad culpam quidem, sed ad pœnam, doctrina est [illegible] catholica: Gotescalcum autem per prædestinationem ad mortem [illegible] prædestinationem ad inferno [illegible]

nam,

mas, factam poſt peccati prævifionem, patet ex illius profeſſione fidei, quam refert Hincmarus de prædeſtinatione cap. 5.

Confirmant iterùm ex eo, quòd Lugdunenſis Ecclefia, Remigii ſui archiepiſcopi ore, quatuor illa Cariſiaci edita ab Hincmaro capitula, libro de tenenda Scripturarum veritate, confutavit.

Quod verò ad Sigebertum attinet, reſpondent iidem Authores, eum hauſiſſe ex Gennadio, quæ de prædeſtinatione ſcripſit: proindeque non major illi, quam Gennadio, hoc in capite debetur fides.

Tandem, ad Sirmondi Prædeſtinatum reſpondent nullam ipſi deberi fidem. Nam *Primò*, opus eſt anonymum. *Secundè*, ſcatet Pelagianiſmo: nempè pag. 213. contendit, concupiſcentiam ante peccatum fuiſſe in primis parentibus: pag. 212. docet, concupiſcentiam à ſolis Prædeſtinatianis dici natam ex primorum parentum prævaricatione. *Tertiè*, quæcumque Prædeſtinatianis adſcribit, ipſa ſunt argumenta, quæ Pelagiani primùm, ac deinceps Semi-Pelagiani Auguſtino ejuſque diſcipulis objecerunt.

Refertur aliud reſponſum ad argumentum deſumptum ex Prædeſtinatianorum hæreſi.

Præter reſponſum, de quo mox fusè dictum eſt, aliud paſſim tradunt Scholaſtici. Dato (inquiunt) quòd revera extiterit Prædeſtinatianorum hæreſis, negandum eſt, inde ſequi, quòd admitti non debeat gratuita ad gloriam prædeſtinatio.

Ratio eſt, quia ex gratuita prædeſtinatione ad gloriam non ſequuntur errores, quos Prædeſtinatiani, ſi qui fuerint, defendebant. Nempè Prædeſtinatiani, de quibus in Gennadio, Hincmaro, Sigeberto, Prædeſtinato Sirmondi, fit mentio, docebant 1. Deum non minùs ad malum culpæ, quam ad malum pœnæ prædeſtinare: docebant 2. prædeſtinatione induci fatum, ſeu adſtrui neceſſitatem, quæ cum libero creatæ voluntatis arbitrio non ſtaret.

Ambo illa Prædeſtinatianorum capita damnavit Arauſicana II. Synodus, ne ſcilicet ſibi gratuitam prædeſtinationem defendenti imponerentur a Semi-pelagianis, quemadmodum autem ab iiſdem Semi-Pelagianis Auguſtino impoſita fuerant: *Hoc etiam* (ait capitulo 25.) *ſecundùm fidem catholicam credimus, quòd accepta per baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto auxiliante, & cooperante, quæ ad ſalutem animæ pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam* SI SUNT, *qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.*

Solvuntur argumenta, quæ contra gratuitam prædeſtinationem ad gloriam ex Calviniſtarum doctrina petuntur.

Objicies. Doctrina de gratuita prædeſtinatione ad gloriam, idem eſt omninò cum Calvini de prædeſtinatione doctrina: atqui admitti non debet Calvini de prædeſtinatione doctrina: ergo neque gratuita ad gloriam prædeſtinatio. Major videtur certa: hoc enim unum, quod & admittunt gratuitæ prædeſtinationis defenſores, Calvinus docet, adæquatam prædeſtinationis cauſam debere repeti ex ſola Dei voluntate.

Reſp. ad 1 neg. maj. Ad 2. neg. ant. nam præthereà Calvinus docuit, prædeſtinationem imponere prædeſtinato neceſſitatem inevitabilem; quippè, ex Calvino, importat collationem gratiæ, quæ prædeſtinatum neceſſitet ad operandum bonum, per quod in tempore paratam ſibi gratuitò gloriam adipiſcatur.

Reſp. iterùm, Calvinum non erraſſe præcisè circa prædeſtinationem ad gloriam, ſed tantùm circa prædeſtinationem ad pœnam: nempè voluit, Deum ſola ſua voluntate, ſine ulla peccati prævifione, certos homines poſitivo decreto ad damnationem prædeſtinaſſe ab æterno, & ad peccatum incitare in tempore, imò neceſſitando compellere: *Conſilio, nutuque ſuo* (ait lib. 3. Inſtit. cap. 22. §. 6.) *ita ordinavit, ut inter homines naſcantur ab utero certæ morti devoti, qui ſuo exitio ipſius nomen glorificent.* Hæc ſatis ſint: uberiùs enim illud argumentum pertractabitur, cùm de reprobatione dicemus.

Solvuntur argumenta, quæ contra gratuitam prædeſtinationem ex ratione petuntur.

Objicies 1. Si prædeſtinatio ſit omninò gratuita, nulla ejus ratio reddi poterit, quam Dei voluntas: atqui id falſum eſt: nam Auguſtinus poſt Apoſtolum docet, inſcrutabile eſſe Dei judicium quare hunc, non autem illum eligat: Non eſſet tamen inſcrutabile, ſi adæquata prædeſtinationis cauſa eſſet ſola Dei voluntas: eam enim cauſam quiſque vel maxime plumbeus reddere poſſet.

Reſp. diſt. maj. Nulla alia ratio reddi poterit ab homine viatore, quam Dei voluntas, conc. maj. Abſolutè, & ſimpliciter, neg. maj. Hic in terris quæſiti, cur Deus hunc, non autem illum elegerit, non aliud poſſumus reſpondere, quam iſtud, nimirùm ſic Deum voluiſſe; cauſam autem cur ſic voluerit, eſſe nobis in altero tantùm ſæculo detegendam: *Tunc* (inquit Auguſtinus Enchiridii cap. 95.) *quod nunc latet, cur ille potiùs, quàm iſte fuerit aſſumptus, cum cauſa una eſſet ambobus; cur apud quoſdam non facta ſint virtutes, quæ ſi facta fuiſſent, egiſſent illi homines pœnitentiam, & facta ſunt apud eos, qui non fuerint credituri...... tunc in clariſſima luce ſapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet.*

Objicies 2. Si prædeſtinatio ad gloriam ſit omninò gratuita, dicendum erit, Deum duobus parvulis paraviſſe inæqualia; uni quidem gloriam; alteri verò pœnam: atqui id dici non poteſt: alioquin Deus eſſet acceptor perſonarum: quod tamen falſum eſt, cum ſic loquatur Apoſtolus ad Rom 2. *Gloria & honor & pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco: non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum.*

Reſp. Auguſtinum illud argumentum ſibi à Semipelagianis propoſitum ſolviſſe lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. ubi ſic loquitur: *Acceptio perſonarum ibi rectè dicitur, ubi ille qui judicat, relinquens cauſæ meritum, de qua judicat, alteri contra alterum ſuffragatur, quia invenit aliquid in perſona, quod honore, vel miſeratione dignum ſit.* Ubi verò nullum eſt meritum, ubi è contra eſt commune delictum, acceptio perſonarum locum non habet: *Si autem quiſpiam* (ait idem Auguſtinus) *duos habens debitores, & alteri velit remittere debitum, alterum exigere, cui vult, donat, ſed neminem fraudat; nec acceptio perſonarum dicenda eſt, quando iniquitas nulla eſt.* Suam reſponſionem idem S. Doctor ex Evangelio confirmat. *Alioquin eis, qui parum intelligunt, poteſt acceptio perſonarum videri, ubi vinea Domini operariis, qui una hora illic opus fecerunt, tantum dedit quantum illis, qui pertulerunt pondus diei & æſtus, æquales faciens in mercede, quorum tam magna diſtantia fuerat in labore.* Quod Auguſtinus ſtabilit principium, ſic reducit ad hypotheſim: *Sicut ergo hic nulla eſt acceptio perſonarum, quia ſic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur: ſic etiam cum ſecundùm propoſitum Dei vocatur alius, alius non vocatur, vocato datur gratuitum bonum, cujus boni eſt vocatio ipſa principium: non vocato redditur malum, quia omnes rei ſunt, ex eo quòd per unum hominem peccatum intravit in mundum.*

Objicies 3. Quod juvatur precibus Sanctorum, non eſt gratuitum, quippè confertur orationum intuitu: atqui

atqui prædestinatio ad gloriam juvatur precibus Sanctorum. Nam 1. eò spectant hæc verba, quæ in canone Missæ leguntur: *In electorum tuorum grege nos jubeas numerari*. 2. id expresse asserit Gregorius Magnus lib. 1. dialog. cap. 8. *Ipsa* (inquit) *perennis regni prædestinatio, ita est ab omnipotente Deo disposita, ut ad hoc electi pro labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus antè sæcula disposuit donare.*

Resp. conc. maj. dist. min. Atqui prædestinatio in executione juvatur precibus Sanctorum, conc. min. in intentione, neg. min. Ac proinde gratuita non est in executione, sed tantùm in intentione. Confirmatur responsio ex laudato Gregorii textu, qui (ut patet) prædestinationem ad gloriam distinguit ab illius consecutione, atque illam esse causam istius; ita ut verum sit, Deum pios homines movere, ut orent pro aliis, quòd isti fuerint ad gloriam ab æterno prædestinati: divinæ verò providentiæ maximè convenit, causis secundis uti, ut ad finem gratuitò præparatum creaturam rationalem perducat.

Solvuntur argumenta, quæ contra gratuitam prædestinationem ex absurdis petantur.

Objicies 1. Creata libertas stare non potest cum sententia de gratuita ad gloriam prædestinatione: ergo non debet admitti. Probatur ant. Creata libertas stare non potest cum sententia, quæ adstruit decretum, ex quo sequitur necessitas antecedens: Atqui sententia de gratuita ad gloriam prædestinatione adstruit decretum, ex quo sequitur necessitas antecedens: ex eo enim decreto sequitur necessitas antecedens, quod antecedit omnem creatæ voluntatis actum; cui creata voluntas non potest obsistere: Sed decretum, quod sententia de gratuita prædestinatione adstruit, antecedit omnem creatæ voluntatis actum, eique voluntas non potest obsistere, cum is, qui prædestinatus est, damnari non possit: ergo, &c.

Resp. 1. Massilienses idem argumentum quondam objecisse Augustino, nam teste Prospero ad S. Doctorem Massiliensium querimonias referente, prædestinationem ideò rejiciebant, quòd sub *prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem* crederent.

Resp. 2. ad 1. neg. ant. Ad 2. concessa maj. neg. min. Ad 3. neg. min. Ad 4. dist. ant. Prædestinatus non potest damnari in sensu composito conc. ant. in sensu diviso, neg. ant. Sensus compositus est conjunctio damnationis actualis cum prædestinatione; sensus verò divisus est damnationis possibilis, sed tamen nusquam futuræ, conjunctio cum prædestinatione. Certum est autem, quòd prædestinatus conjungere non possit actualem damnationem cum prædestinatione, quia prædestinatio ad gloriam importat per modum causæ maximè efficacis decretum de conferenda homini prædestinato justitia, & in ea justitia perseverantia usque in finem; quæ quidem perseverantia, ut patet, componi non potest cum damnatione actuali: Potest è contra prædestinatus damnari in sensu diviso: licèt enim de facto in justitia in finem usque perseveraturus sit, potest tamen non perseverare, ac proindè in prædestinato possibilitas damnationis componitur cum prædestinatione.

Objicies 2. Doctrina de gratuita prædestinatione ad gloriam, avocat à propriæ salutis studio; extinguit in Pastoribus cæterisque Fidelibus zelum animarum. Nam in illius doctrinæ suppositione nemo est, qui hoc dilemmate uti non possit: Vel sum de prædestinatorum numero: vel non sum. Si primum, quamvis hic & nunc non sim de mea salute solicitus, eam tamen suo tempore consequar: Si secundum, inutiles erunt mei conatus. Idem dilemma Pastor adhibere poterit respectu animæ, quæ illius curæ credita est: vel hæc anima est de prædestinatorum numero, vel non. Si primum, licet de ejus salute non sim solicitus, salvabitur tamen: Si alterum, irritus erit. ac vanus meus labor.

Resp. 1. Massilienses argumentum illud movisse adversus Augustinum: *Hoc autem propositum vocationis Dei* (inquiunt in Epistola Prosperi ad Augustinum) *quo vel ante mundi initium, vel in ipsa conditione generis humani, eligendorum & rejiciendorum dicitur facta discretio, ut secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliæ sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere, & Sanctis occasionem torporis adferre, eò quòd utraque parte superflua labor sit, si neque rejectus ulla industria possit intrare, neque electus ulla negligentia possit excidere: quoquo enim modo se egerint, non posse aliud ergà eos, quàm quod Deus definit, accidere.*

Resp. 2. argumentum ab Adversariis propositum, nimis probare: si enim valeat, probabit, Dei præscientiam quemlibet hominem avocare a propriæ salutis studio, & in Pastoribus extinguere zelum animarum: Quisquis enim uti poterit hoc dilemmate: Vel Deus præscivit me consecuturum salutem, vel non præscivit: Si primum, licet hic & nunc de ea non curem, eam tamen certissimè suo sum tempore consecuturus: Si secundum licèt eam curem sedulò, nusquam tamen eam consequar. Idem dilemma quisque Pastor poterit adhibere, ut sese ab animarum zelo & cura liberet. Augustini est quoque secunda illa responsio: *Illa enim dicunt* (inquit libro de dono perseverantiæ capite 15.) *ita, nos à confitenda Dei gratia, id est, qua non secundum merita nostra datur, & à confitenda secundum eam prædestinatione Sanctorum, deterrere non debeat, sicut non deterremur à confitenda præscientia Dei, si quis de illo populo sic loquatur, ut dicat: Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis, quales vos Deus futuros esse præscivit; vel boni si bonos, vel mali si malos.*

Resp. 3. neg. ant. Ratio est, quia prædestinatio (ut jam observatum est) non est ad solum finem, sed etiam ad media, quibus ille finis debet comparari: at inter ea media solicitudo, ad quam Deus in tempore per suam gratiam movet prædestinatum, non ultimum locum tenet: igitur a prædestinato debet adhiberi, ut vitam æternam, ad quam per divinam prædestinationem est electus, consequatur: *Sicut ille* (inquit Augustinus de dono perseverant. cap. 17.) *quem Deus castum futurum esse præscivit, quamvis id incertum habeat, agit ut castus sit: ita ille, quem castum futurum prædestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideò non agit ut castus sit, quoniam Dei dono se audit futurum esse, quod quærit; imò etiam gaudet ejus charitas, nec inflatur, tanquam id non acceperit. Non solum ergo prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verùm ad hoc adjuvatur, ut cum gloriatur, in Domino glorietur.*

Hinc concluditur, reos esse Pastores, qui populis sibi creditis curam suam non impendunt, quippè Pastorum sollicitudo medium est, quo Deus prædestinatas oves perducit ad justitiam, & ad perseverantiam usque in finem: *Absit* (inquit S. Doctor, hocce quorumdam dictum: *Pereat infirmus, quid ad nos? firmum fundamentum Dei stat, & nemo perit, nisi filius perditionis*, refellens, de Corrept. & Grat. cap. 15.) *ut ista garrientes, securos nos in hac negligentia esse debere credamus. Verum est enim quia nemo perit, nisi filius perditionis: sed ait per Ezechielem prophetam: ille quidem in peccato suo morietur, sanguinem verò ejus de manu speculatoris requiram.* Præterea cum Pastoribus, nec ulli fideli notum sit, quis ad prædestinatorum numerum pertineat, debent omnium, & velle & curare salutem: *Nescientes* (ait ibidem Augustinus) *quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.*

Objicies 3. Inter opiniones ea debet admitti, quæ

majori

majori est populis solatio ; quæ faciliùs creatam libertatem conciliat cum gratia, & prædestinatione ; atqui opinio, quæ docet, prædestinationem ad gloriam esse ex prævisis meritis per gratiam comparandis, majori est populis solatio, faciliusque creatam libertatem conciliat cum gratia & prædestinatione : ergo debet admitti.

Resp. 1. esse Semi-Pelagianorum illud argumentum: *Sub incerta spe* (inquiunt in Epist. Prosperi ad Augustinum) *cursum non posse esse constantem*. Sic etiam loquuntur in Epist. Hilarii ad eundem Augustinum : *Nec ad incertum voluntatis Dei deduci se patiuntur*.

Resp. 2. vanum fore solatium, quod populi sumerent ex prædestinatione post prævisa merita: quasi verè tutius non sit, sortem nostram invictæ Dei manui, quam nostræ fragili committere, dicente Propheta : *In manibus tuis sortes meæ*.

Resp. 3. Theologum, non quæ faciliora sunt, sed quæ veriora, debere complecti : nempè ea est mysteriorum natura, ut certissima sint quidem, sed plerumque humanæ menti inscrutabilia. Id præcipuè habet locum in eo, de quo hic agitur, cum illud non alia ratione explicuerit Apostolus, quam exclamando : *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus* ! Difficillimum esse explicatu, scribit Augustin. de prædestin. SS. cap. 14. *In hac difficili ad solvendum quæstione*. Concilium Tridentinum illud vocat incognitum mortalibus mysterium : *Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeo præsumere debet*. Itaque in forma ad argumentum, concessa prima parte majoris propositionis, neganda est minor : quoad alteram verò partem, neganda est major propositio propter loca, quæ tum ex Apostolo, tum ex Augustino, tum ex Concilio Tridentino mox prolata sunt. Imò tantùm abest, ut Adversariorum opinio de prædestinatione post prævisa merita ideò admittenda sit, quod summam præ se ferat facilitatem, ut præcisè è contra ob id rejicienda sit, quippè ex ea facilitate concluditur, eam non esse Augustini, apud quem semper multùm difficile fuit prædestinationis mysterium.

Objicies 4. Ea sententia non debet admitti, quæ populo non debet prædicari: atqui sententia de gratuita ad gloriam prædestinatione populo non debet prædicari: quia periculum est, ne sit ei scandalo, ne eum adducat in desperationem.

Resp. 1. illud argumentum Augustino à Semi-Pelagianis objectum fuisse. *Sed ajunt* (verba sunt ipsius Augustini cap. 14. lib. de dono perseverantiæ) *prædestinationis definitionem utilitati prædicationis adversam*.

Resp. 2. dist. maj. non debet *temerè* prædicari populo, conc. maj. *prudenter*, neg. min. Temere prædicatur, cùm sic prædicatur, ut ad ejus assecutionem tollatur bonorum operum necessitas. *Non ita prædicanda est* (inquit Augustinus cap. 22. lib. de dono perseverantiæ) *ut apud imperitam, vel tardioris intelligentiæ multitudinem, redargui quodammodo ipsa sua prædicatione videatur, sicut redargui videtur & præscientia Dei quam certè negare non possunt, si dicatur hominibus: sive curratis, sive dormiatis, quod vos præscivit, qui falli non potest, hoc eris*. E contra prudenter prædicatur, cùm asseritur, quòd non removeat pietatis opera, imò sit eorum prima radix & prima causa. Prudenter prædicatur, cum æqua ad id impellit causa, v. g. ut verum doceantur, qui capere possunt. *Dicatur ergo verum* (ait ibidem Augustinus cap. 6.) *maximè ubi aliqua quæstio, ut dicatur, impellit, & capiant qui possunt, ne fortè cum tacetur propter eos, qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate capiantur, qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt*. Si autem in iis etiam circumstantiis, quas prudentia & necessitas suggerunt, prædicatio gratuitæ prædestinationis sit nonnullis auditoribus scandalo, illud scandalum erit (ut loquuntur Theologi) acceptum, sed non datum : seu (ut aliorum verbis utamur) per accidens, tantùm, non autem per se, nonnullis hominibus erit offendiculo : *An timendum est* (ait Augustinus lib. de dono persever. cap. 22.) *ne tunc homo de se desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipse superbissimus & infœlicissimus poneret* ? Hinc patet, nullum esse desperationis, ac proinde nec scandali periculum, ubi cum suppeditatis ab Augustino cautionibus, gratuita ad gloriam prædestinatio prædicatur.

§. III.

Utrum inter prædestinationem ad gloriam, & inter prædestinationem ad fidem, justitiam, perseverantiam, sit aliquis ordo prioris & posterioris.

Not. 1. Certum est, nullum esse ordinem prioris & posterioris inter prædestinationem ad gloriam, & inter prædestinationem ad fidem, justitiam, perseverantiam, si habeatur ratio temporis ; hoc est, certum est, Deum priùs prioritate temporis non prædestinasse ad gloriam, quam ad fidem, justitiam & perseverantiam : nempè ab æterno, ac proindè in eodem instanti reali, ad ea omnia simul & semel suos electos prædestinavit.

Not. 2. Status igitur quæstionis est, an in instanti naturæ, Deus suos electos priùs prædestinarit ad gloriam, quam ad fidem, justitiam & perseverantiam : id est, utrum in intentione divina unum præcesserit aliud.

Not. 3. Inter Authores, quibus placet, prædestinationem ad gloriam esse omninò gratuitam, duplex est circa propositam quæstionem sententia. Nonnulli post S. Thomam docent, Deum priùs prioritate naturæ voluisse electorum gloriam quam eorum fidem, justitiam, & perseverantiam: alii verò contendunt, Deum simul & semel, etiam in instanti naturæ, suis electis voluisse tum gloriam, tum fidem, tum reliqua hujus vitæ dona.

CONCLUSIO. Inter prædestinationem ad gloriam, & inter prædestinationem ad fidem, justitiam, & perseverantiam, est ordo prioris & posterioris.

Probatur 1. Inter ea est ordo prioris & posterioris, quæ se habent per modum mediorum & finis : quippe concipimus, finem esse priorem in intentione operantis, quam media : atqui gloria, fides, justitia, perseverantia se habent inter se per modum mediorum & finis. Quippè fides, justitia, & perseverantia ordinantur ad gloriam ; iis enim electi gloriam æternam consequuntur : ergo in intentione divina se habent per modum prioris & posterioris.

Probatur 2. Inter ea reperitur ordo prioris & posterioris, quorum unum est causa alterius : siquidem volitio causæ prior est volitione effectus: atqui in prædestinatione ad gloriam, & in prædestinatione ad gratiam, unum est causa alterius: nam ideò electi prædestinantur ad gratiam, fidem justitiam & perseverantiam, quòd ad gloriam prædestinati fuerint : siquidem Scriptura, & Patres, ac præsertim Augustinus, in prædestinationem ad gloriam refundunt prædestinationem ad fidem, justitiam & perseverantiam, ut videre est iis in textibus, quos protulimus ad adstruendam gratuitam prædestinationem ad gloriam : scilicet ibi observatum est, ideò nonnullis parvulis paulò ante mortem dari baptisma, quòd ab æterno electi fuerint ad gloriam: ideò nonnullis Gentilibus annuntiari Evangeliū quòd prædestinati fuerint, ut cum Christo regnent in æternum : ideò ex duobus justis uni dari donum perseverantiæ, negari verò alteri, quòd ille, non autem iste, fuerit ad gloriam electus.

ARTICULUS III.

Utrum prædestinatio ad gloriam in sanctis Angelis gratuita fuerit.

Not. 1. QUod hic quæritur de Angelis, quæritur etiam de homine, si perseverasset in innocentia, in qua conditus fuerat: eadem enim est, ex Augustino, utriusque ratio.

Not. 2. Circa propositam quæstionem duplex est Theologorum sententia. Plerique Thomistæ, quibus Estius & Sylvius adhærent, docent, sanctos Angelos non minùs ad gloriam gratuitò prædestinatos fuisse, quam fuerint homines lapsi. Præcipua eorum auctorum ratio est, quòd Angeli, homo innocens, non minùs, quam homo lapsus, indiguerint gratia per se efficaci, tum ad fidem, quæ per dilectionem operatur, tum ad perseverantiam in ejusmodi fide: ex ea vero suppositione sequitur, quòd necessariò admittenda sit in Angelis gratuita prædestinatio ad gloriam: si enim quæratur, cur gratia per se efficax, quam contendunt Angelis fuisse necessariam ad perseverandum in justitia, cur (inquam) data sit Angelis, qui jam in cœlis fruuntur beatitudine, negata econtrà fuerit iis, qui in inferis torquentur; non aliud ad eam quæstionem responderi potest, quam quod Augustinus respondit de hominibus lapsis, quorum uni datur perseverantiæ donum, alteri verò negatur; nempe ideò uni datum esse, quòd ad gloriam gratuitò electus sit, non autem alteri, utpotè ad eandem gloriam non electo.

Not. 3. Qui Molinæ opinionem tuentur, contendunt, idem de Angelis ac de hominibus lapsis ferendum esse judicium: ac proindè cum isti (inquiunt) gratuitò ad æternam gloriam prædestinati non fuerint, nec illi pariter debuerunt ad eam gratuitò, seu independenter à prævisis per gratiam meritis, prædestinari. Ratio eorum est, quòd temerè omninò Deus eos gratuitò prædestinasset ad gloriam, quibus (ajunt) ad operandum bonum & ad perseverandum usque in finem, satis erat gratia pedissequa voluntatis, seu quæ actu in bonum non influeret, nisi ex prævia in instanti naturæ determinatione voluntatis creatæ.

Not. 4. Augustini discipulis non displicet eo in capite laudati Scriptoris sententia: seu docent, gratuitam prædestinationem ad gloriam non habuisse locum in sanctis Angelis, nec habituram fuisse in hominibus, si in accepta per creationem gratia perstitissent. Nituntur eodem, quo Molina principio, hoc est, docent, Angelis ad actu perseverandum in justitia, quam per creationem acceperant, satis fuisse gratiam voluntatis pedissequam; contenduntque, nullatenùs eos ad id indiguisse, sicut nec indiguissent homines, si in justitia originali permansissent, auxilio per se & ex natura sua efficaci.

Not. 5. Non est eo in capite, quòd quis miretur Augustini discipulorum cum Molina concordiam: quippè censent, Scriptorem illum in eo tantùm peccasse, quòd quæ traditio de gratia hominis sani docuit, ad hominem lapsum extenderit, seu voluerit, eum non efficaciori auxilio ad operandum bonum & ad perseverandum usque ad finem indigere, quam si per peccatum debilitatus non fuisset.

CONCLUSIO. Gratuita prædestinatio ad gloriam locum non habuit in Angelis, seù, quod idem est, Angeli non fuerunt ad gloriam prædestinati ante prævisa eorum merita.

Probatur 1. In iis locum non habuit gratuita prædestinatio ad gloriam, in quibus locum non habuit gratuita prædestinatio ad perseverantiam: atqui in Angelis locum non habuit gratuita prædestinatio ad perseverantiam: ergo neque ad gloriam. Major videtur certa, siquidem eodem modo quo quis vult finem, debet velle medium absolutè necessarium, ut finis ille comparetur: ac proinde, si Deus gratuitò prædestinavit ad gloriam, gratuitò quoque debuit prædestinare ad perseverantiam, cum perseverantia necessariò requiratur ad executionem prædestinationis ad gloriam. Minor verò sic ostenditur: In iis locum non habuit gratuita prædestinatio ad perseverantiam, qui ad eam sunt prædestinati tantùm post prævisum consensum, quem præbituri erant gratiæ: atqui Angeli prædestinati fuerunt ad perseverantiam tantùm post prævisum consensum, quem præbituri erant gratiæ: ergo gratuitò prædestinati non fuerunt ad perseverantiam.

Probatur minor. Illi prædestinati fuerunt ad perseverantiam tantùm post prævisum consensum, quem præbituri erant gratiæ, quos gratia non determinavit ad perseverandum: atqui gratia non determinavit Angelos ad perseverandum: idque patet 1. ex eo, quòd eadem gratia donati fuerint Angeli, qui non perseveraverunt, qua donati sunt ii, qui de facto perseverarunt: *Angeli quorum princeps est, qui dicitur diabolus* (verba sunt Augustini lib. de corrept. & gratia cap. 10.) *per liberum arbitrium*, seu, non consentientes gratiæ, *a Domino Deo refuga facti sunt; cæteri autem per ipsum liberum arbitrium*, hoc est, utentes data sibi actuali gratia, *in veritate steterunt*. 2. Gratia, quæ data est Angelis, non fuit auxilium *quo* perseverarent, sed tantùm auxilium *sine quo* perseverare non poterant: Auxilium autem *sine quo* non determinat voluntatem ad perseverandum, sed potiùs a voluntate determinatur; se habet enim respectu voluntatis sicut lux respectu oculi videntis, sicut navis respectu hominis, qui trajicit flumen, sicut alimentum respectu hominis, qui vivit: *Primo itaque homini*, ait Augustinus de corrept. & grat. cap. 12. *datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset*.

Probatur 2. In iis locum non habuit gratuita prædestinatio ad gloriam, in quibus non habuit locum prædestinatio gratiæ, sed meritorum tantùm: atqui prædestinatio gratiæ locum non habuit in Angelis: ergo neque gratuita prædestinatio ad gloriam. Major constat ex Augustino, qui in eo *gratiæ* prædestinationem distinguit à prædestinatione *meritorum*, quòd illa sit prorsùs ex mera Dei liberalitate, ista verò sit ex justitia propriè sumpta.

Probatur minor. In iis locum non habuit prædestinatio gratiæ, in quibus gloria nusquam præparata fuit tanquam gratia, sed tantùm tanquam merces: Sed gloria nusquam præparata fuit Angelis tanquam gratia, sed tantùm tanquam merces: *Quid erit autem liberius libero arbitrio* (inquit Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 11.) *quando non poterit servire peccato, quæ futura erat & homini, sicut facta est, & Angelis sanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

Nec valet solutio eorum, qui respondent, gloriam in Angelis fuisse mercedem in executione, seu in temporali illius collatione, non autem in intentione divina, seu in æterna illius præparatione. Nam S. Doctor opponit gloriam Angelorum gloriæ hominum lapsorum: ac in suppositione Adversariorum non staret ejusmodi oppositio, quippè docet fides, quòd respectu hominis lapsi, gloria in executione sumpta, hoc est in temporali illius collatione, fit merces vere, & propriè dicta.

Probatur 3. In iis locum non habuit gratuita prædestinatio ad gloriam, qui nusquam dicuntur prædestinati, sed præsciti tantùm: atqui Angeli sancti nusquam dicuntur, ab Augustino saltem, prædestinati, sed præsciti tantùm: ergo in eis locum non habuit gratuita prædestinatio ad gloriam.

Major

Major propositio patet ex Augustino, qui hocce discrimen statuit inter prædestinatum & præscitum, quòd illud gratuitò donetur, non autem istud; quòd illud a Deo sit, istud verò nequaquam: *Prædestinatio* (inquit Augustinus lib. de prædestin. Sanctorum cap. 10.) *sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia; prædestinatione quippè Deus ea præscivit, quæ fuit ipse facturus.* Hæc etiam habet ejusdem libri cap. 19. *Cum ergo nos prædestinavit opus suum præscivit, quo nos sanctos & immaculatos facit.* Libro de dono persever. cap. 17. ut contra Massilienses probet, gratuitam esse fidem, & perseverantiam usque in finem, scribit, & fidem, & perseverantiam, & omnia ad unum, sine ulla exceptione, pietatis opera esse a Deo prædestinata: *An fortè* (inquit) *nec ipsa dicuntur prædestinata? ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit. Quòd & si dantur, & ea se daturum esse præscivit, profectè prædestinavit.*

Minor ejusdem argumenti propositio ostenditur ex eo, quòd Augustinus loquens aut de Angelorum perseverantia, aut de data eis gloria, nusquam utatur prædestinationis nomine, è contra adhibeat præscientiæ nomen. *Quamquam non peccavit* (inquit agens de Angelo lib. 3. de libero arbitrio cap. 22.) *sicut eum non peccaturum præscivit Deus.* Capite 21. sic etiam loquitur: *Non ideo in bona voluntate permanet, quia hoc accepit officium; sed ideò accepit, quoniam ab illo qui dedit, permansura prævisa est.* In Enchiridio ad Laurentium cap. 104. ubi quæsivit, cur Deus primum hominem non firmarit in ea voluntate, in qua conditus fuerat, & cur ad beatitudinem non transtulerit, respondet, Deum utrumque facturum fuisse, *si ad permanendum sine peccato, sicut factus erat, perpetuam voluntatem habiturum esse præscisset.*

Probatur 4. Si Deus Angelos gratuitò prædestinasset ad gloriam, certa & constans non fuisset ea prædestinatio: sed absurdum est consequens: ergo & antecedens.

Probatur major: Prædestinatio non est constans & certa, cum medium, quo prædestinatus ad eam perduci potest, non est infallibile. Atqui unicum medium, quo prædestinatus Angelus perduci potuisset ad gloriam, non erat infallibile: erat enim auxilium, non *quo* perseveraret, sed *sine quo* perseverare non poterat. Sed illud auxilium non erat medium infallibile, quippè Angelus cum illo auxilio poterat non perseverare, & reverà damnati Angeli, sicut primus parens, cum illo adjutorio non perseverarunt: ergo, &c.

Objicies 1. Merita, quibus homo lapsus gloriam in tempore consequitur, non impediunt, quin eadem gloria ipsi gratuito præparata fuerit: ergo nec merita Angelorum potuerunt impedire, quin ad gloriam gratuitò prædestinarentur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia homo in statu naturæ lapsæ gratuitò prædestinatur ad merita, mirum igitur non est, quòd gratuitò ad gloriam prædestinatus sit: è contra Angeli non fuerunt gratuitò prædestinati ad merita, quibus æternam gloriam comparaturi: nam licet ab auxilio gratiæ habuerint posse perseverare & mereri, ab eo tamen non habuerunt ipsum perseverare, & ipsum mereri, sed a propria voluntate, per quam gratia, ex se indifferens, determinata fuit ad perseverantiam & ad meritum.

Objicies 2. Qui ordinatè agit, priùs vult finem, quam media; ergo Deus prius in instanti naturæ voluit Angelis gloriam, quam merita: cum gloria sit finis, & merita se habeant per modum medii.

Resp. dist. maj. Si velit absolutè finem, conc. maj. si conditionatè tantùm, neg. maj. Deus Angelis non voluit absolute gloriam, sed tantùm conditionatè, si nempe oblata sibi gratia uterentur ad perseverandum.

Objicies 3. Deus hominem lapsum gratuitò prædestinavit ad gloriam: ergo sic quoque debuit angelum prædestinare: nulla enim assignari potest ratio, cur ille potiùs, quam iste, gratuitò ad gloriam prædestinatus fuerit.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia Deo sic placuit: placuit verò, quòd congrueret, ut manifestaret, quid cum gratia voluntatis pedissequa posset creatura innocens & expers cujuslibet concupiscentiæ; è contra verò quid posset gratiæ beneficium in creatura, quæ per liberum arbitrium perierat: *Quapropter* (inquit Augustinus libro de corrept. & gratia cap. 17.) *saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum Dominumque rerum omnium sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium.*

CAPUT VII.

De effectibus prædestinationis.

Not. 1. Effectuum prædestinationis nomine intelligitur id, quod aliqua ratione oritur a prædestinatione, tanquam a causa.

Not. 2. Quæstio de effectibus prædestinationis potest intelligi de bonis tum supernaturalibus, tum naturalibus; de malis tum pœnæ, tum culpæ, seu quæri potest 1. utrum in electis quælibet bona supernaturalis ordinis sint effectus prædestinationis: 2. utrum idem dici debeat de bonis ordinis naturalis: 3. utrum mala pœnæ & culpæ sint quoque illius effectus: 4. an idem dici debeat de permissione peccati.

ARTICULUS I.

Utrum in electis qualibet bona supernaturalia sint effectus prædestinationis.

Not. Effectus prædestinationis, vel adæquatè sumitur, vel inadæquatè. Sumptus priore modo id totum complectitur, quod a prædestinatione tanquam a causa nascitur. Posteriore autem modo sumptus, dicit aliquid ex iis, quæ ex eadem prædestinatione oriuntur: de utroque illo effectu hîc a nobis est agendum.

CONCLUSIO 1. Gratia & gloria sunt adæquatus effectus prædestinationis.

Probatur. Ex observatis, affectus adæquatus prædestinationis complectitur id omne, quod ea tanquam ex causa oritur: atqui gratia & gloria complectuntur id omne, quod oritur ex prædestinatione tanquam ex causa: ergo gratia & gloria sunt adæquatus effectus prædestinationis.

Probatur min. Id omne quod oritur ex prædestinatione tanquam ex causa, reducitur ad perfectam & integram hominis prædestinati liberationem, quippè prædestinatio definitur: *Præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Sed integra & perfecta hominis prædestinati liberatio fit adæquatè per gratiam & gloriam: per gratiam quidem liberatur a servitute peccati, juxta illud Christi in Evangelio: *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.....Si ergo vos filius liberaverit, verè liberi eritis:* per gloriam verò liberatur ab omni peccati pœna, præsertim a concupiscentia, a qua tanto cum gemitu eximi cupiebat Apostolus ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore hujus?* Per gloriam liberatur quoque ab aliis omnibus tum animæ, tum corporis miseriis, quæ quidem intelliguntur nomine mali, a quo eximi petimus, dum sic, jubente Christo, precamur: *Sed libera*

nos

nes à mele: hoc enim dicendo, *Nos ipsec*, ut August. docet epist. 121. ad Probam cap. 11. *admonemus, nondum nos esse in eo bono, ubi nullum patiemur malum. Et hoc quidem ultimum, quod in oratione Dominica positum est, tam late, tamque evidenter, & manifeste patet, ut homo Christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, hinc exordiatur, in hoc immoretur, ad hoc terminet orationem suam.*

Confirmatur argumentum ex Apostolo, qui integritatem, & perfectionem liberationis, quam electi ex prædestinatione consequuntur, reducit ad vocationem, justificationem, & glorificationem; *Quos autem prædestinavit* (inquit ad Rom. 8.) *hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.*

CONCLUSIO 2. Vocatio, justificatio, glorificatio seorsim sumptæ, sunt inadæquatus effectus prædestinationis.

Probatur. Tria illa simul sumpta (ut superiori Conclusione dictum est) constituunt adæquatum effectum prædestinationis; ergo seorsim sumpta sunt illius effectus inadæquatus.

Objicies 1. Ea non sunt effectus prædestinationis, quæ communia sunt electis & reprobis; atqui vocatio, & justificatio communes sunt electis & reprobis, nempè impium est Calvini dogma contendentis, reprobos nunquam esse verè justos.

Resp. dist. maj. Ea non sunt ex se effectus prædestinationis, quæ communia sunt electis, & reprobis, conc. maj. *ex intentione divina*, neg. maj. Ideò vocatio, & justificatio sunt in electis effectus prædestinationis, quòd sint vocatio, & justificatio *secundum Dei propositum*, seu quod ex parte Dei dentur ex absoluta & efficaci intentione perducendi ad gloriam æternam: in reprobis è contra sunt communes providentiæ effectus.

Objicies 2. Nonnunquam contingit, electos deserere vocationem, seu per infidelitatem apostatas fieri, justificatos, ex justitia excidere; atqui in eo saltem casu, vocatio & justificatio non sunt, etiam in electis, effectus prædestinationis; neque enim quidquam conferunt ad consequendam gloriam, quæ ultimus est prædestinationis terminus.

Resp. eo etiam in casu, vocationem, & justificationem esse effectum prædestinationis. Ratio est, quia præterita vocationis, & justificationis merita per pœnitentiam reviviscunt: ac proindè conferunt ad gradum gloriæ saltem accidentalis, quo prædestinati post hanc vitam donantur.

ARTICULUS II.

Utrum bona ordinis naturalis sint effectus prædestinationis.

CONCL. 1. Bona naturalis ordinis etiam in electis *per se* non sunt effectus prædestinationis, sed *per accidens* tantùm.

Probatur prior pars. Bona, de quibus agitur, communia sunt electis & reprobis: 2. nullam prorsus habent proportionem cum æterna gloria, & consequenter ad eam *per se* non perducunt.

Probatur altera pars. Ea *per accidens* sunt effectus prædestinationis, quibus Deus utitur ad perducendum prædestinatos ad æternam gloriam; atqui Deus nonnonquam utitur bonis naturalis ordinis ad perducendum prædestinatos in ultimum finem.

Id apertè docet Augustinus de opportunitate audiendi Dei verbum, de potestate remota credendi, si per gratiam excitetur: *Ex quo apparet* (inquit agens de Tyriis, libro de dono persever. cap. 14.) *habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant*: ea autem verba non audiunt, ea autem signa eis non conceduntur, si non sint ex numero prædestinatorum: *Et tamen*, ait idem S. Doctor, *si Dei altiore judicio à perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina, vel facta, per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent.*

Id quoque docet idem Augustinus de aliis omnibus circumstantiis, loci, temporis, personarum: seu contendit, è Deo specialiter fuisse provisas in electis: *Adulter non fuisti in illa vita præterita*, ait lib. 80. homiliarum, homilia 23. *hoc tibi dicit Deus tuus: Regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres. Suasor non fuit; ut suasor deesset, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut consentires; ego terrui. Agnosce ergo gratiam ejus, cui debes & quod non admisisti.*

Idem quoque ferri debet judicium de occasione nascendi, de cura, quam parentes ad baptismum suæ proli procurandum adhibent. Hinc conjicitur, effectum esse prædestinationis, quòd infans jamjam moriturus propè fontem nascatur, quòd parentes puerum nondum baptizatum auferant è domo, qua alioquin brevi erat obruendus; & ita de cæteris.

ARTICULUS III.

Utrum mala sint effectus prædestinationis.

CONCL. 1. Mala tum naturæ tum pœnæ, ex intentione divina sunt in electis effectus prædestinationis.

Probatur prior pars eorum exemplo, quos Deus præmatura morte rapit; ne (ut ait Scriptura Sapientiæ 4.) malitia mutaret eorum intellectum. Altera verò pars constat ex Apostolo, qui ad Roman. 8. expresse asserit, quòd *omnia* (nota, quòd nihil excipiat) *cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Unde sic conficitur argumentum. Ea ex intentione divina sunt effectus prædestinationis, quibus tanquam mediis Deus utitur, ut electos suos ad prædestinatum finem perducat; atqui tum naturæ, tum pœnæ malis utitur tanquam mediis, quibus electos suos ad prædestinatum finem perducat; unde Apostolus ad Philipp. 2. asserit, temporales hujus vitæ pœnas esse in electis Dei dona, non in se quidem, sed in intentione divina: *Vobis*, inquit, *donatum est à Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro ipso patiamini.*

CONCLUSIO 2. Malum culpæ, seu peccatum, non est effectus prædestinationis.

Probatur 1. Effectus prædestinationis causatur à Deo: cùm enim Deus sit causa prædestinationis, necesse est, ut sit etiam causa ejus, quod oritur ex prædestinatione, juxta illud Philosophorum axioma; Quod est causa causæ, est causa causati; atqui Deus non est causa peccati: ergo peccatum non est effectus prædestinationis.

Probatur 2. Illud non est effectus prædestinationis, per quòd homo non liberatur; nempè prædestinatio est præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur; atqui prædestinati non liberantur per malum culpæ, imò, ut patet, per illud fiunt magis miseri.

Objicies. Id, quo Deus utitur, ut suos electos ad cœlestem gloriam perducat, est effectus prædestinationis; Atqui electorum peccatis Deus utitur, ut eos ad cœlestem gloriam perducat: quippe eo Deus utitur, ut electos ad cœlestem gloriam perducat, quòd in electis est occasio humilitatis; sed peccata sunt in electis occasio humilitatis; unde Augustinus asserit, quòd ipsa etiam peccata electis cooperantur in bonum: *Audeo dicere*

cere, (ait S. Doctor lib. 14. de civit. Dei cap. 13) *fuperbis effe utile cadere in aliquod apertum manifeftumque peccatum, unde fibi difpliceant, qui jam fibi placendo ceciderant*. Id verò confirmat tum exemplo Petri, tum Scripturarum teftimonio: *Salubriùs enim Petrus fibi difplicuit quando flevit, quàm fibi placuit quando præfumpfit. Hoc dicit & facer Pfalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine: id eft, ut tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui fibi placuerant quærendo fuum*.

Refp. ad 1. dift. maj. Si utatur tanquam medio conc. maj. fi tanquam occafione tantùm, neg. maj. Diftinguo pariter min. Atqui Deus utitur electorum peccato tanquam occafione, ut eos ad cœleftem gloriam perducat, conc. min. tanquam medio, neg. min. Ratio eft, quia medium influit ad confecutionem finis, è contra peccatum removet a confecutione regni cœleftis: occafio eft quidem materia, circa quam prædeftinatio verfatur, fed per fe non confert ad illius confecutionem: nam quòd electus humilior fiat ex peccato, in quod incidit, oritur ex Dei gratia, quæ peccati fœditatem, & naturæ infirmitatem, ipfius fubjicit oculis. *Ecce*, inquit Gregorius Magnus Moralium lib. 33. cap. 11. *qui de virtute fe extollit, per vitium ad humilitatem redit: qui verè acceptis virtutibus extollitur, non gladio, fed ut ita dixerim, medicamento vulneratur. Quid eft enim virtus, nifi medicamentum, & quid eft vitium, nifi vulnus? quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit Deus de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur: nos namque virtutum dona retorquemus in ufum vitiorum; ille vitiorum illecebras affumit in artem virtutum*.

ARTICULUS IV.

Utrum permiffio peccati fit effectus prædeftinationis.

CONCL. PErmiffio peccati eft effectus prædeftinationis.

Probatur. Id, quod Deus pofitivè vult ad bonum prædeftinati, eft effectus prædeftinationis: nimirùm ex Dei intentione confert ad illius confecutionem: atqui Deus pofitivè vult peccati permiffionem ab bonum prædeftinati: nonnunquam fcilicet fubtrahit auxilium gratiæ efficacis, ut electum doceat, non effe humanis viribus confidendum, fed in folo Deo, qui (ut ait Apoftolus) operatur velle & perficere pro bona voluntate: non impedit, ne juftus cadat, idque ut deinceps eum reddat cautiorem, ac vigilantiorem: *Fit*, ait Gregorius Magnus lib. 2. Moral. cap. 26. *ut aliquando fe hac gratia utiliter fubtrahat, & præfumenti, quantùm infirmatur, oftendat: tunc enim verè cognofcimus, bona noftra unde fint, quando hæc quafi amittendo, fentimus, quia à nobis fervari non poffunt*.

Objicies 1. Effectus prædeftinationis eft Dei beneficium: quippè prædeftinatio definitur: *Præparatio beneficiorum Dei, quibus certiffimè liberantur quicumque liberantur*: atqui permiffio peccati non eft aliquod beneficium, imò eft beneficii, gratiæ nimirùm efficacis, fubtractio: ergo, &c.

Refp. conc. maj. dift. min. Permiffio peccati in fe confiderata non eft aliquod beneficium, conc. min. confiderata ut fubeft intentioni divinæ, gratiam efficacem fubtrahenti, neg. min. Hoc enim ultimo modo confiderata, eft beneficium, cum per eam electus fiat magis humilis, ac in pofterum magis cautus.

Objicies 2. Effectus prædeftinationis confertur ex Chrifti meritis: atqui permiffio peccati non accidit ex Chrifti meritis: neque enim Chriftus Patrem oravit, ut ab electis gratiam fubtraheret: neque nobis licet Deum eam gratiæ fubtractionem rogare.

Refp. conc. maj. difting. min. Permiffio prout in fe confideratur, non accidit ex meritis Chrifti conc. min. fic enim eft effectus providentiæ communis: prout confideratur in intentione Dei, qui ea utitur ad bonum electi, neg. min. Permiffionem peccati priori modo fumptam Chriftus non poftulavit a Patre, fed tantùm pofteriori.

Objicies 3. Deus non poteft permittere peccatum ex intentione conferendi humilitatem prædeftinato: Ergo permiffio peccati non eft in electis effectus prædeftinationis.

Probatur ant. Non eft fapientis ac periti medici permittere morbum ad conferendam poftea fanitatem: ergo nec decet Dei bonitatem ac fapientiam permittere peccatum (quod quidem morbus eft animæ) ad conferendam humilitatem, aut aliam virtutem, per quam anima fanetur.

Refp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dift. ant. Ad conferendam fanitatem fimpliciter, conc. ant. Ad conferendam robuftiorem fanitatem, aut ad reddendum deinceps hominem cautiorem in fervanda fanitate, neg. ant. Deus non permittit peccatum in electis, tantùm ut eos poftea fimpliciter juftificet, fed ut eos majori donet fanctificatione, aut ut reddantur humiliores, quam effent anteà, efficianturque cautiores ad præcavendum deinceps peccatum, & promptiores ad implorandum in tentationibus Dei auxilium: *Nonne*, ait Bernardus ferm. 2. in enarratione Pfal. 90. *cooperatur nobis ille cafus in bonum, unde & humiliores efficimur & cautiores?*

CAPUT VIII.

De proprietatibus Prædeftinationis.

Not. AD prædeftinationis proprietates reduci poffunt certitudo, immutabilitas, prædeftinatorum numerus: de iis ergo eft hic a nobis agendum.

ARTICULUS I.

De certitudine prædeftinationis.

Not. PRædeftinatio confiderari poteft vel in intentione divina, vel in executione: quæri igitur poteft, utrum in illo duplici ftatu fit certa.

CONCLUSIO. Prædeftinatio tum in intentione divina, tum in executione, eft omninò certa. Probatur prima pars. Prædeftinationem in intentione divina certam effe, nihil aliud eft, quam Deum certò cognofcere numerum electorum in communi: & in particulari perfonas electas: Atqui Deus certò cognofcit numerum electorum in communi, & in particulari perfonas electas: nempè ex Apoftolo 2. ad Tim. 2. *Novit Dominus qui funt ejus*. Joan. cap. 13. *Scit Chriftus quos elegerit*.

Probatur altera conclufionis pars. Prædeftinationem effe certam quoad executionem, nihil aliud eft, quam electos infallibiliter confequi gloriam, ad quam prædeftinati funt: Atqui eam omnes electi, nemine excepto, confecuturi funt: *Oves meæ* (inquit Chriftus Joannis 10.) *vocem meam audiunt: & ego cognofco eas, & fequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quifquam de manu mea*. Nec id mirum eft, cùm Dei voluntas fit efficaciffima ac omnipotentiffima circa falutem eorum, quos elegit.

AR-

ARTICULUS II.

Utrum prædestinatio sit immutabilis.

Nr. PRædestinatio perpendi potest vel ex parte Dei prædestinantis, vel ex parte creaturæ prædestinatæ: unde quærendum est, utrum tum ex parte Dei, tum ex parte creaturæ, sit omninò immutabilis.

CONCLUSIO. Prædestinatio sive consideretur ex parte Dei, sive ex parte prædestinatorum, est omninò immutabilis.

Probatur prior pars. Prædestinationem esse immutabilem ex parte Dei, est, Deum non mutaturum decretum, quo statuit gloriam electis conferre: atqui Deus nusquam mutabit, seu nusquam rescindet illud decretum; cùm enim sit sapientissimus, consilium non mutat, ut solent homines.

Altera pars non minùs est evidens: nam prædestinationem esse immutabilem ex parte prædestinatorum, est, prædestinatos non posse non consequi gloriam, ad quam electi sunt: atqui eam reverà non possunt non consequi in sensu composito: neque enim conjungere possunt actualem damnationem cum prædestinationis decreto; siquidem prædestinationis decretum includit ex parte Dei voluntatem electis conferendi donum perseverantiæ usque in finem: in sensu tamen diviso possunt prædestinati non consequi gloriam, ad quam electi sunt, quia posse non consequi gloriam in sensu diviso, nihil aliud est, quàm conjungere potentiam non consequendi gloriam cum æterno prædestinationis decreto: atqui electi eam revera conjungunt, quippè nullus est, qui peccare non possit, qui semel lapsus, non possit non perseverare, licet de facto, si peccet, resurrecturus sit, ac in justitia in finem usque perseveraturus.

Objicies 1. Prædestinatio & liber vitæ idem sunt (Augustino teste in Psalmum 68.) atqui liber vitæ non est immutabilis, nempè qui in eo scripti sunt, possunt ex eo deleri; id enim evidenter supponunt hæc Moysis verba Exodi 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*. Id etiam supponit Dei ad Moysem responsio: *Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.*

Resp. 1. nonnullos verba Moysis interpretari de libro vitæ hujus temporalis; ita ut sanctus Legislator optarit mori potiùs, quàm videre divinam ultionem in populum, quem eduxerat ex Ægypto. Idem quoque petiit, cùm Numerorum 11. sic Deum precatus est: *Obsecro, ut interficias me*. Id pariter Eliseus Deum oravit 3. Regum cap. 19. *Tolle animam meam.*

Resp. 2. nonnullos alios librum illum interpretari de libro justitiæ, non quidem prædestinationis ad regnum cœleste, sed de libro justitiæ præsentis, in quo plures reprobi conscripti sunt. Ille verò liber justitiæ præsentis dicitur liber vitæ, quòd eos contineat, qui ad vitam æternam ordinantur, vel ex æterno prædestinationis decreto, vel tantùm ex præsente gratia, per quam jus habent ad cœleste regnum: *Est liber vitæ* (inquit S. Thomas 1. p. q. 24. art. 3.) *conscriptio ordinandorum in vitam æternam: ad quam ordinatur aliquis ex duobus; scilicet ex prædestinatione divina, & hæc ordinatio nunquam deficit; & ex gratia: quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipso dignus est vita æterna*. Addunt illi Authores, Moysen non postulasse *absolutè*, ut deleretur de illo præsentis justitiæ libro: nec mirum, cùm id sine peccato operari non possit, sed tantùm *conditionatè*, dicendo: *Aut dimitte eis, aut dele me*: quasi dixisset, non potes absque gravi aliquo crimine delere me ex libro justorum: igitur aliud velim concedas, populi nimirùm veniam.

Resp. 3. verba Moysis exponi ab aliis Interpretibus de libro prædestinationis, sed addunt, S. Legislatorem petiisse rem, quam sciebat esse impossibilem, ut suum de salute fratrum vehemens desiderium exprimeret: ita ut sensus sit: Si posses me ex prædestinationis libro delere, idque tuta conscientia optare possem, id rogare de facto, ut meorum fratrum saluti consulerem: sed de his alias.

Objicies 2. Prædestinationis decretum non est immutabile, si aliquis ex prædestinatorum numero transire possit in numerum reproborum: atqui id revera fieri potest: id enim de se ipso Paulus timuit: *Castigo* (inquit 1. ad Corinth. 9.) *corpus meum, & in servitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Resp. ad 1. neg. min. Quippè patet ex epistola Prosperi ad Augustinum, id præcipuè Massilienses in Augustini scriptis arguisse, quòd S. Doctor vellet, ita definitum esse prædestinatorum numerum, ut ad eos nemo reprobus accedere possit. Ad 2. dico Apostolum reprobationis nomine non intelligere ipsum de non liberando à perditionis massa decretum, sed effectum illius decreti, desertionem nimirùm, seu privationem gratiæ ad actu perseverandum necessariæ: nec mirum, cùm (ut definiit Concilium Tridentinum) nemo scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, an magnum illud usque in finem perseverantiæ donum habiturus sit.

Objicies 3. Ex immutabilitate prædestinationis sequi videtur, quòd quidquid agat electus, consecuturus sit æternam gloriam: itaque non immeritò uti poterit hoc dilemmate: Vel sum prædestinatus, vel non sum prædestinatus: si primum, quidquid acturus sim, salutem consequar; alioquin mutari posset æternum prædestinationis decretum: Si secundum, servem licèt divina mandata, salutem non assequar, cùm is, qui prædestinatus non est, ad æternam gloriam pervenire non possit.

Resp. 1. Massilienses (ut jam superiùs ex Prosperi & Hilarii Epistolis ad Augustinum observatum est) ad nauseam usque ejusmodi argutias objecisse Augustino: quam autem immeritò objicerentur, videre est apud eundem Augustinum libro de dono perseverantiæ cap. 14. & aliis sequentibus.

Resp. 2. absurdum, quod objicitur, nequaquam sequi ex prædestinationis immutabilitate. Ratio est, quia beatitudo per prædestinationis decretum gratis quidem præparatur, sed in sequenti rationis instanti prædefiniuntur fides, justitia, & usque in finem perseverantia, tanquam media necessaria, quibus in tempore comparetur. Hinc colligitur, prædestinatum non esse salvandum, quidquid egerit: imò, ex eo, quòd prædestinatus sit, colligitur, eum justitiam consecuturum esse, ac in finem usque perseveraturum: e contra verò ex eo, quòd quis per prædestinationis decretum non sit a massa perditionis discretus, colligitur quòd in justitia perseveraturus non sit, ac proinde falsum esse, quod objicitur, reprobum, quidquid egerit, damnatum iri.

Quæres, unde certitudo & immutabilitas divinæ prædestinationis oriantur.

Respondent quidam recentiores, certitudinem & immutabilitatem prædestinationis oriri ex Dei præscientia, seu certum esse ac immutabilem numerum prædestinatorum, quòd Deus viderit ab æterno, quinam gratiæ versatili, seu indifferenti, quam collaturus erat in tempore, consensuri essent, ac in finem usque perseveraturi.

Verùm pluribus argumentis impugnari potest ea recentiorum solnio.

Primò. Evertit discrimen, quod Augustinus constantissimè statuit inter prædestinationem Angelorum, & prædestinationem hominis lapsi: hanc enim, non autem illam, esse gratuitam seu independentem ex meritorum prævisione, omni argumentorum genere superiùs a nobis ostensum est.

Se-

Secundò. Idem responsum evertit quoque discrimen, quod idem S. Doctor statuit inter auxilium homini innocenti necessarium, & auxilium necessarium homini lapso. Nempe docuit, istud, non autem illud, esse efficax ab intrinseco, & voluntatis creatæ determinativum: voluit, illud efficax auxilium ideò nonnullis hominibus, non autem omnibus, dari, quòd nonnulli sint, non autem omnes, ad gloriam cœlestem gratuitò prædestinati.

Tertiò. Non ad illam, ut recentioribus placet, Dei præscientiam, sed ad absolutum decretum, ad omnipotentissimam Dei voluntatem, ad vocationem Dei secundùm propositum recurrit post Apostolum Augustinus, ut asserat certitudinem & immutabilitatem divinæ prædestinationis: *Horum* (inquit lib. de corrept. & gratia cap. 2.) *si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Capite 14. confugit quoque ad insuperabilem Dei voluntatem: *Deo* (inquit) *volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium: sic enim velle & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.*

Quartò. Illud responsum non differt a Massiliensium hac de quæstione sententia. Fatebantur nimirùm Massilienses, divinam prædestinationem esse certam & immutabilem ex Dei præscientia, idque unum arguebant in Augustino, quòd S. Doctor eam certitudinem ac immutabilitatem repeteret ex Dei decreto, ex vocatione secundùm propositum, ex absoluta & efficacissima Dei voluntate: *Nec acquiescunt* (inquit Prosper in Epist. ad Augustin.) *prædestinatorum electorum numerum nec augeri posse, nec minui: ne locum apud infideles ac negligentes cohortantium incitamenta non habeant, ac superflua sit industria & laboris intentio, cujus studium, cessante electione, frustrandum sit.* Idem de eis ad Augustinum scribens refert Hilarius: *Si sic prædestinati sunt* (inquiunt in Hilarii Epistola) *ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quo pertinet tanta extrinsecùs correptionis instantia?*

Quintò. Pugnat evidenter illud idem responsum cum hisce Angelici Doctoris verbis, quæst. 6. de verit. art. 3. *Non potest dici, quòd prædestinatio supra certitudinem providentiæ nihil aliud addat, nisi certitudinem præscientiæ: ut si dicatur, quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium; sed cum hoc de prædestinato scit, quod non deficiet a salute: sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte eventus: & sic præscientia esset causa prædestinationis, nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Unde præter certitudinem præscientiæ, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* In illum S. Thomæ textum observare est 1. S. Doctorem asserere, quòd prædestinationis certitudo non nitatur certitudine præscientiæ: 2. quòd si ea niteretur, sequeretur, quòd prædestinatus ex parte Dei è reprobo non differret: 3. quòd sequeretur quoque, prædestinationem non esse per electionem prædestinantis: 4. contendit, eam sententiam sacræ Scripturæ, & Patrum traditioni prorsùs esse contrariam.

Dicendum est igitur ad propositam quæstionem, prædestinationis certitudinem & immutabilitatem oriri ex decreto absoluto & efficaci de conferenda nonnullis hominibus gloria cœlesti, seu (ut loquuntur Scholastici) dicendum est, prædestinationem esse certam & immutabilem non solum certitudine eventus, & præscientiæ, sed etiam certitudine causalitatis. Nec id mirum est, cùm (ut ex superiùs dictis patet) nihil omninò fiat in rebus, quæ ad hominis lapsi salutem spectant, nisi dependenter ab absoluto Dei decreto, & auxilio per se efficaci, ac voluntatis determinativo.

ARTICULUS III.

De numero prædestinatorum.

Nrr. NUmerus prædestinatorum complectitur vel omnes electas creaturas rationales, sive angelicas, sive humanas, vel humanas tantùm. De prædestinatorum numero secundùm duplicem illum respectum considerato quæri potest, qua ratione in æterno Dei consilio determinatus fuerit, seu an in genere tantùm, an verò in specie, hoc est, secundùm has, vel illas personas in individuo.

CONCLUSIO 1. Numerus electorum, prout tum Angelos, tum homines complectitur, Deo formaliter quidem, sed non materialiter, certus fuit certitudine prædestinationis.

Probatur. Numerum Sanctorum esse certum formaliter certitudine prædestinationis, est, eum ita definitum fuisse a Deo, ut nec augeri, nec minui possit: atqui sic definitus est: nam cum Deus cœlestem quandam Civitatem ex creaturis rationalibus condere decrevisset, par fuit, ut definiret, saltem in genere, seu (ut vocant) formaliter, non determinando personas particulares, certum civium numerum, ex quibus illa cœlestis Civitas constaret: *Novit quippe* (ait Augustinus epist. 106.) *quod agat, & quantus numerus esse debeat, primitùs omnium hominum, deinde Sanctorum, sicut siderum, sicut Angelorum; atque ut de terrenis loquamur, sicut pecorum, piscium, volatilium, sicut arborum & herbarum, sicut denique foliorum, & capillorum nostrorum.*

Probatur altera pars conclusionis. Numerum electorum esse Deo materialiter certum certitudine prædestinationis, seu causalitatis, est, Deum *gratuitò* elegisse in individuo omnes cives, ex quibus constaret Civitas cœlestis, quam condere decreverat: atqui sic eos non elegit, cum (ut superiùs ostensum est) Angelos independenter a prævisis meritis non prædestinarit ad regnum cœleste; nec ipsos etiam homines sic prædestinasset, si primus parens perseverasset in justitia originali, in qua conditus fuerat.

CONCLUSIO 2. Numerus electorum, prout solos homines lapsos complectitur, certus est Deo materialiter certitudine prædestinationis, seu causalitatis.

Probatur. Numerum electorum esse Deo materialiter certum certitudine prædestinationis, seu causalitatis, est, Deum cognoscere in individuo personas electas, eò quòd ad regnum cœleste gratis prædestinatæ sint: atqui Deus certò cognoscit in individuo personas electas, eò quòd ad regnum cœleste gratuitò prædestinatæ fuerint: quippè (ut suo loco dictum est) gratuita illa prædestinatio est causa, cur aliqui ex hominibus lapsis donandi sint beatitudine, cur secundùm propositum vocentur, cur justitiam consequantur, cur in finem usque perseverent.

Quæres, quantus sit electorum hominum numerus.

Resp. 1. certum esse, quòd tantus sit, quantus est lapsorum Angelorum numerus. Nempe constat ex Patribus, quòd Angelorum ruinæ per homines, Christi gratia sanctificatos, reparandæ sint: *De mortali progenie* (inquit Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 1.) *meritò justeque damnata tantum populum per gratiam suam colligit, ut inde suppleat, & instauret partem, quæ lapsa est Angelorum, ac sic illa dilecta & superna Civitas non fraudetur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberiore lætetur.*

Resp 2. incertum esse, an numerus electorum hominum æquet præcisè, an verò superet numerum Angelorum, qui ceciderunt.

Responsio patet ex mox laudato Augustini textu: patet etiam ex his aliis ejusdem S. Doctoris verbis: *Itaque*

superna illa Hierusalem, mater nostra, Civitas Dei, nullo civium suorum (de Angelis loquitur) *numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit.*

Hinc colligitur 1. incertum fuisse Augustino, an Deus ante mundi constitutionem, & ante prævisionem peccati tum in Angelis, tum in hominibus, statuerit Civitatem cœlestem condere non tantùm ex Angelis, sed etiam ex aliquibus hominibus: *Neque enim* (inquit Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 1.) *numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum succedentes filii sanctæ matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est ejus artificis, qui in mensura, numero, & pondere cuncta disponit.*

Colligitur 2. incertum esse, an si omnes Angeli perseverassent, Deus humanum genus conditurus fuisset, & hocce universum visibile creaturus, quod quidem propter solos homines prædestinatos eductum fuit ex nihilo, quodque desinet, ubi impletus fuerit definitus à Deo prædestinatorum numerus: *Judex noster* (ait Augustinus in Psal. 34.) *non tædio, sed amore differt salutem nostram; ratione, non inopia; non quia non potest & modò subvenire, sed ut numerus omnium nostrum usque in finem possit impleri.* Hinc idem S. Doctor quærentibus, *quomodo subsistet genus humanum, si omnes fuerint continentes?* libro de bono viduitatis, sic respondet: *Quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille Sanctorum, quo citius impleto, profectò nec terminus sæculi differetur.*

QUÆSTIO XVII.

De Reprobatione.

HAnc de reprobatione quæstionem in quatuor capita partimur. In primo exponemus varia reprobationis, & reproborum nomina: in altero dicemus de illius causis: in tertio de illius effectibus, & in quarto de numero reproborum.

CAPUT I.

De variis reprobationis, & reproborum nominibus.

CONCL. 1. VAria sunt reprobationis nomina. Probatur. *Primò*, reprobatio secundùm nominis etymologiam, idem significat, ac rejectio. Eo sensu utitur Apostolus ad Hebræos 7. ut probet Testamenti veteris imperfectionem: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.* Hinc fit, quòd cum nihil rejiciatur, quod aut imperfectum, aut malum est, aut saltem tale creditur, nihil quoque reprobetur, quod non sit, vel saltem non credatur, aut imperfectum, aut malum: *Quidquid vile fuit, & reprobum* (inquit Scriptura 1. Reg. 15.) *hoc demoliti sunt.*

Secundò, idem reprobationis nomen, sumptum secundùm tritum tum apud Patres, tum apud Scholasticos nomen, prædestinationi opponitur: cum ergo, ex dictis superiùs, prædestinatio præcipuè significet electionem ad cœlestem gloriam, reprobatio significat exclusionem à cœlesti gloria: ea autem exclusio dicta est a nonnullis Patribus prædestinatio ad mortem: *Fidenter fatemur* (inquiunt Patres Concilii Valentini can. 3.) *prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.*

CONCLUSIO 2. Reprobi variis nominibus appellantur in Scriptura.

Probatur, *Primò*, dicuntur reprobi 2. ad Cor. 3. *Nisi fortè* (inquit Apostolus) *reprobi estis*: cui quidem loquendi modo affinis est ejusdem Apostoli sententia 1. Corinth. 9. *Nisi fortè, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Secundò, quemadmodùm (ut ex dictis patet) prædestinati dicuntur cogniti a Deo, è contra reprobi dicuntur non cogniti: Matth. 5. *Nescio vos*; sicut electi appellantur dilecti, reprobi appellantur odio habiti: *Jacob dilexi* (inquit Paulus ad Rom. 9.) *Esau autem odio habui.*

Tertiò, reprobi vocantur repulsi: *Ipsi* (verba sunt Psal. 87.) *de manu tua repulsi sunt*, & in hoc opponuntur prædestinatis: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Dicuntur quoque despecti: *Nemo* (inquit Scriptura Ecclesiastici 7.) *potest corrigere, quem Deus despexerit.* Apud Matthæum cap. 25. appellantur maledicti: *Discedite maledicti, &c.* Ibidem vocantur hœdi, cum è contra electi vocentur oves: *Statuens oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.*

Quartò, ad Rom. 9. dicuntur vasa iræ, apta in interitum, vasa in contumeliam: *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Tandem in Epistola Judæ vocantur præscripti in judicium Dei: *Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium, impii, &c.*

CAPUT II.

De causis Reprobationis.

Not. 1. NOn est hìc quæstio de causa efficiente: certum enim est, non aliam esse, quam Deum ipsum, qui reprobos excludit a regno cœlorum, eosque pœnis æternis addicit. Deus (ex Apostolo ad Rom. 9.) se habet in prædestinationis, & reprobationis negotio, sicut se habet figulus respectu luti; quemadmodum ergo figulus est causa efficiens, cur vas aliquod fit in contumeliam; ita & Deus est causa efficiens reprobationis eorum, qui a regno cœlorum excluduntur. Non est quoque quæstio de causa finali; quippè constat ex Scripturis, Deum nonnullos reprobare, ut in eis eluceat divina illius justitia, quemadmodum illius misericordia in prædestinatis elucet. Non est quoque quæstio de causa materiali; nam nemini ignotum est, creaturas rationales, sive sint Angeli, sive homines, esse causam materialem, hoc est subjectum, circa quod reprobatio versatur: difficultas igitur est de sola causa formali, seu de causa, quæ Deum movet, ut aliquas reprobet creaturas.

Not. 2. Reprobatio duplex est, negativa scilicet, & positiva. Prior est, saltem secundùm aliquos Scholasticos, mera non electio ad regnum cœleste: secundùm alios verò est actus positivus, per quem Deus quosdam non tantùm non eligit, sed etiam excludit a regno cœlorum. Posterior actus, quo aliquibus præparatur pœna tum damni, tum sensus. Hinc patet, reprobationem negativam, secundùm aliquos, nullum prorsùs actum ex parte Dei importare, secundùm alios verò aliquem importare. Patet iterùm, eandem reprobationem negativam differre, a positiva, quòd ista duplicem terminum includat; *à quo* nimirum, seu regnum cœlorum, a quo reprobus excluditur; & *ad quem*, nempè pœnam tum damni, tum sensus, quæ reprobis præparatur: illa è contra dicit solùm terminum *à quo*; seu (ut jam observatum est) regnum cœleste, a quo reprobi excluduntur. Utramque illam reprobationem S. Thom. in 1. ad Annibaldum, dist. 47. quæst. unica, art. 3. recenset, dum ait, duplicem Dei voluntatem includi in reprobatione; *Voluntatem de contradictorio, secundùm quam vult aliquem non salvare; voluntatem de contrario, secundùm quàm vult aliquem damnare.*

Not. 3. Circa causam formalem reprobationis, est

1. error

1. error Calvini: 2. variæ Theologorum Catholicorum sententiæ: unde secundum hujusce quæstionis caput in duos Articolos dividamus oportet; in priore expendemus Calvini doctrinam: in altero adducemus in examen varias Catholicorum sententias.

ARTICULUS I.

De Calvini circa Reprobationem doctrina.

Not. 1. E Lapso proximè sæculo Calvinus circa reprobationem docuit 1. unicam ac adæquatam tum negativæ, tum positivæ rebrobationis causam esse solam Dei voluntatem: hoc est, censuit, Deum independenter a prævisione cujuslibet peccati, sive originalis, sive actualis, quosdam Angelos, & quosdam homines ab æterno exclusisse a regno cœlesti, illisque præparasse pœnam tum damni, tum sensus. Docuit 2. nec Angelos, nec homines reprobos a Deo fuisse creatos ad cœlestem beatitudinem, sed ad æternam damnationem. Docuit 3. Deum, ut latum a se decretum exequatur, reprobis imponere necessitatem, ut peccent, imò eos positive, ut peccent, impellere.

Not. 2. Quod Calvino mox adscriptum est systema, nititur ipsiusmet Calvini verbis in caput 1. Epistolæ ad Romanos, ubi hæc habet: *Non sinendo tantum & connivendo Deum permittere homines prolabi, seu judicio id ordinare, ut tum à propria concupiscentia, tum à diabolo in hujusmodi & alia agantur: ideò voce utitur Paulus, quam nimis violenter torquent, qui sola Dei permissione in peccatum agi nos putant.* Eadem ratione loquitur lib. 3. Institut. cap. 22. §. 6. ibi enim asserit, *Deum consilio nutuque suo ita ordinasse, ut inter homines nascantur ab utero certæ morti devoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent.* Ejusdem capitis paragrapho 7. scribit, *decretum fuisse à Deo, ut sua defectione periret Adam*: addit, eandem esse rationem cæterorum hominum, ac ipsiusmet Adami: *Decretum quidem* (ait) *horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præsciverit Deus, quem exitum habiturus esset homo antequàm ipsum conderet; & ideo præsciverit, quia decreto suo sic ordinarat.*

CONCLUSIO. Impium est Calvini de reprobatione dogma.

Probatur. Ex observatis, Calvini de reprobatione dogma in eo positum est, quòd Deus quibusdam Angelis, & quibusdam hominibus æternam tum damni, tum sensus pœnam præparavit, absque ulla cujuscumque peccati prævisione: atqui illud dogma est impium: ergo, &c.

Minor propositio subsequentibus momentis ostenditur.

Primò. Impium est, id Deo tribuere, quod æternæ & incommutabili legi repugnat; æterna nimirùm & incommutabilis lex non est aliquid a Deo distinctum; atqui æternæ & incommutabili legi repugnat, quod pœna præcedat culpam, ac proinde, quòd pœnæ præparatio præcedat culpæ prævisionem, seu quòd creatura rationalis, nullius peccati rea, ad æternum supplicium destinetur: siquidem lex æterna, *contra quam* (ut ait Augustinus lib. 26. contra Faustum cap. 3.) *tam Deus nullo modo facit, quàm contra se ipsum non facit*, jubet, ut omnia sint ordinatissima, hoc est, ut sint in ordine sibi debito: creatura autem rationalis non est in ordine sibi debito, si absque præcedente reatu crucietur: *Si peccatis earum* (animarum) *aerumnis* (ait Augustinus lib. 3. de libero arbitrio c. 9.) *miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque administratio universitatis.* Lib. 19. de Civitate Dei cap. 13. idem S. Doctor asserit, ideò per iniquorum cruciatus & miserias non perturbari rectum ordinem, nec æternam legem violari, quòd rectus ordo, lex æterna, exigant, ut iniqui crucientur; cum è contra vetent, ne innocentes quippiam inviti patiantur: *Pax omnium rerum* (inquit) *est tranquillitas ordinis: ordo est parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio. Proinde miseri, in quantùm miseri sunt, utique in pace non sunt, tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla est. Veruntamen quia meritò justeque miseri sunt, in ea quoque sua ipsa miseria præter ordinem esse non possunt. Non quidem conjuncti beatis, sed ab eis tamen ordinis lege sejuncti.* Multa alia similia loca laudari possent ex Augustino, sed illa hic satis sunt.

Secundò. Id impium est, quo læduntur Dei & providentia & justitia: atqui per Calvini dogma læduntur Dei & providentia & justitia. Providentia nimirùm exigit, ut non sit miseria, nisi culpa præcesserit: *Cum providentia summi Dei, non fortuita temeritate regitur mundus* (inquit Augustinus lib. 19. de civit. Dei cap. 13.) *nunquam esset istorum* (de Angelis loquitur) *æterna miseria, nisi esset magna malitia.* Justitiam pariter lædi probatur ex eo, quòd certò violetur, si pœna absque præcedente culpa infligatur: *Cum dicitis*, ait idem Augustinus lib. 2. operis imperfecti contra Julianum, *nullum peccatum parvulis imputandum, injustum facitis Deum, qui eis grave jugum à die exitus de ventre matris imposuit. Quod etsi Scriptura non diceret, quis tam cæcus est mente, qui non videat, miseriam generis humani à fletibus incipere parvulorum?* Idem asserit S. Doctor lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Omnis autem pœna*, inquit, *si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.*

Respondent 1. Adversarii, Deum independenter quidem a demeritorum prævisione præparasse reprobis æternam tum damni tum sensus pœnam: sed latum a se decretum non exequi, nisi post culpam ab ipsis reprobis admissam.

Sed inanis est ea evasio. Nam 1. decreti alicujus injustitia non sumitur tantùm ab extrinseco, seu ab illius executione, sed etiam ab intrinseco, seu a se ipso: nempe in se ipso iniquum est, si quem nullius culpæ reum gravi damnet pœna: sic injustum esset decretum, quo Judex irrevocabiliter damnat innocentem, quamvis illud non exequatur, nisi post scelus ab illo postea commissum. 2. Decretum, quod Deus contra innocentem tulit, vel in se justum est, vel in se est injustum. Si primum, potest illud exequi quamvis innocens supponatur in sua innocentia permanere: Si secundum, à Deo justo ferri minimè potuit.

Respondent 2. Adversarii, non tantùm apud Calvinistas, sed etiam apud Catholicos reperiri Scriptores, qui docent, Deum pro summo, quo pollet in creaturas dominio, posse quamlibet creaturam ex mero suæ voluntatis beneplacito, seu absque culpa, quæ se teneat ex parte creaturæ, æternis infernorum pœnis adjicere, imò citra injustitiam posse Angelos & homines, qui cœlesti beatitudine fruuntur, cruciandos ad tartara detrudere.

Verùm debile est omninò præsidium, quod Adversarii eo in capite ex quibusdam Scriptoribus, alioquin Catholicis, accersunt sibi. Nam 1. neminem inter antiquos reperire est, qui illam quorumdam, fateor, Catholicorum sententiam in medium protulerit. Quæ verò nuper a quibusdam, Catholicam alioquin religionem profitentibus, excogitata sunt absque Scripturæ aut traditionis testimonio, Ecclesiæ Catholicæ tribui non debent: 2. Illud inter illos Scriptores & Calvinum intercedit, quòd illi loquantur de potentia Dei extraordinaria, Calvinus verò de potentia ordinaria: 3. Addendum est, quòd illorum recentiorum de Dei potentia etiam extraordinaria placitum, non tantùm, ut jam observatum est, non probatum fuerit ex Patribus, sed è contra Patres ab eo fuisse alienos, antequam ab illis

superna illa Hierusalem, mater nostra, Civitas Dei, nullo civium suorum (de Angelis loquitur) *numerositate fraudabitur, sed uberiore etiam copia fortasse regnabit.*

Hinc colligitur 1. incertum fuisse Augustino, an Deus ante mundi constitutionem, & ante prævisionem peccati tum in Angelis, tum in hominibus, statuerit Civitatem cœlestem condere non tantùm ex Angelis, sed etiam ex aliquibus hominibus: *Neque enim* (inquit Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 1.) *numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum dæmonum novimus, in quorum locum succedentes filii sanctæ matris Ecclesiæ, quæ sterilis apparebat in terris, in ea pace, de qua illi ceciderunt, sine ullo temporis termino permanebunt. Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est ejus artificis, qui in mensura, numero, & pondere cuncta disponit.*

Colligitur 2. incertum esse, an si omnes Angeli perseverassent, Deus humanum genus conditurus fuisset, & hocce universum visibile creaturus, quod quidem propter solos homines prædestinatos eductum fuit ex nihilo, quodque desinet, ubi impletus fuerit definitus à Deo prædestinatorum numerus: *Judex noster* (ait Augustinus in Psal. 34.) *non tædio, sed amore differt salutem nostram; ratione, non inopia; non quia non potest & modò subvenire, sed ut numerus omninm nostrum usque in finem possit impleri.* Hinc idem S. Doctor quærentibus, *quomodo subsistet genus humanum, si omnes fuerint continentes?* libro de bono viduitatis, sic respondet: *Quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille Sanctorum, quo citius impleto, profectò nec terminus sæculi differetur.*

QUÆSTIO XVII.

De Reprobatione;

HAnc de reprobatione quæstionem in quatuor capita partiemur. In primo exponemus varia reprobationis, & reproborum nomina: in altero dicemus de illius causis: in tertio de illius effectibus, & in quarto de numero reproborum.

CAPUT I.

De variis reprobationis, & reproborum nominibus.

CONCL. 1. VAria sunt reprobationis nomina. Probatur. *Primò*, reprobatio secundùm nominis etymologiam, idem significat, ac rejectio. Eo sensu utitur Apostolus ad Hebræos 7. ut probet Testamenti veteris imperfectionem: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.* Hinc fit, quòd cum nihil rejiciatur, quod aut imperfectum, aut malum est, aut saltem tale creditur, nihil quoque reprobetur, quod non sit, vel saltem non credatur, aut imperfectum, aut malum: *Quidquid vile fuit, & reprobum* (inquit Scriptura 1. Reg. 15.) *hoc demoliti sunt.*

Secundò, idem reprobationis nomen, sumptum secundùm usum tum apud Patres, tum apud Scholasticos nomen, prædestinationi opponitur: cum ergo, ex dictis superiùs, prædestinatio præcipuè significet electionem ad cœlestem gloriam, reprobatio significat exclusionem à cœlesti gloria: ea autem exclusio dicta est a nonnullis Patribus prædestinatio ad mortem: *Fidenter fatemur* (inquiunt Patres Concilii Valentini can. 3.) *prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.*

CONCLUSIO 2. Reprobi variis nominibus appellantur in Scriptura.

Probatur, *Primò*, dicuntur reprobi 2. ad Cor. 3. *Nisi fortè* (inquit Apostolus) *reprobi estis*: cui quidem loquendi modo affinis est ejusdem Apostoli sententia 1. Corinth. 9. *Nisi fortè, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.*

Secundò, quemadmodùm (ut ex dictis patet) prædestinati dicuntur cogniti a Deo, è contra reprobi dicuntur non cogniti: Matth. 5. *Nescio vos*; sicut electi appellantur dilecti, reprobi appellantur odio habiti: *Jacob dilexi* (inquit Paulus ad Rom. 9.) *Esau autem odio habui.*

Tertiò, reprobi vocantur repulsi: *Ipsi* (verba sunt Psal. 87.) *de manu tua repulsi sunt*, & in hoc opponuntur prædestinatis: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Dicuntur quoque despecti: *Nemo* (inquit Scriptura Ecclesiastici 7.) *potest corrigere, quem Deus despexerit.* Apud Matthæum cap. 25. appellantur maledicti: *Discedite maledicti, &c.* Ibidem vocantur hœdi, cum è contra electi vocentur oves: *Statuent oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.*

Quartò, ad Rom. 9. dicuntur vasa iræ, apta in interitum, vasa in contumeliam: *An non habet potestatem figulus ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Tandem in Epistola Judæ vocantur præscripti in judicium Dei: *Subintroierunt quidam homines, qui olim præscripti sunt in hoc judicium, impii, &c.*

CAPUT II.

De causis Reprobationis.

Not. 1. NOn est hic quæstio de causa efficiente: certum enim est, non aliam esse, quam Deum ipsum, qui reprobos excludit a regno cœlorum, eosque pœnis æternis addicit. Deus (ex Apostolo ad Rom. 9.) se habet in prædestinationis, & reprobationis negotio, sicut se habet figulus respectu luti; quemadmodum ergo figulus est causa efficiens, cur vas aliquod sit in contumeliam; ita & Deus est causa efficiens reprobationis eorum, qui a regno cœlorum excluduntur. Non est quoque quæstio de causa finali, quippè constat ex Scripturis, Deum nonnullos reprobare, ut in eis eluceat divina illius justitia, quemadmodum illius misericordia in prædestinatis elucet. Non est quoque quæstio de causa materiali; nam nemini ignotum est, creaturas rationales, sive sint Angeli, sive homines, esse causam materialem, hoc est subjectum, circa quod reprobatio versatur: difficultas igitur est de sola causa formali, seu de causa, quæ Deum movet, ut aliquas reprobet creaturas.

Not. 2. Reprobatio duplex est, negativa scilicet, & positiva. Prior est, saltem secundùm aliquos Scholasticos, mera non electio ad regnum cœleste: secundùm alios verò est actus positivus, per quem Deus quosdam non tantùm non eligit, sed etiam excludit a regno cœlorum. Posterior actus, quo aliquibus præparatur pœna tum damni, tum sensus. Hinc patet, reprobationem negativam, secundùm aliquos, nullum prorsùs actum ex parte Dei importare, secundùm alios verò aliquem importare. Patet iterùm, eandem reprobationem negativam differre, a positiva, quòd ista duplicem terminum includat; *à quo* nimirum, seu regnum cœlorum, a quo reprobus excluditur; & *ad quem*, nempe pœnam tum damni, tum sensus, quæ reprobis præparatur: illa è contra dicit solùm terminum *à quo*; seu (ut jam observatum est) regnum cœleste, a quo reprobi excluduntur. Utramque illam reprobationem S. Thom. in 1. ad Annibaldum, dist. 47. quæst. unica, art. 3. recenset, dum ait, duplicem Dei voluntatem includi in reprobatione; *Voluntatem de contradictorio, secundùm quam vult aliquem non salvare, voluntatem de contrario, secundùm quam vult aliquem damnare.*

Not. 3. Circa causam formalem reprobationis, est

1. error

1. error Calvini: 2. variæ Theologorum Catholicorum fententiæ: unde fecundum hujufce quæftionis caput in duos Articulos dividamus oportet; in priore expendemus Calvini doctrinam: in altero adducemus in examen varias Catholicorum fententias.

ARTICULUS I.

De Calvini circa Reprobationem doctrina.

Not. 1. E Lapfo proximè fæculo Calvinus circa reprobationem docuit 1. unicam ac adæquatam tum negativæ, tum pofitivæ rebrobationis caufam effe folam Dei voluntatem: hoc eft, cenfuit, Deum independenter a prævifione cujuslibet peccati, five originalis, five actualis, quofdam Angelos, & quofdam homines ab æterno exclufiffe a regno cœlefti, illifque præparaffe pœnam tum damni, tum fenfus. Docuit 2. nec Angelos, nec homines reprobos a Deo fuiffe creatos ad cœleftem beatitudinem, fed ad æternam damnationem. Docuit 3. Deum, ut latum a fe decretum exequatur, reprobis imponere neceffitatem, ut peccent, imò eos pofitive, ut peccent, impellere.

Not. 2. Quod Calvino mox adfcriptum eft fyftema, nititur ipfiufmet Calvini verbis in caput 1. Epiftolæ ad Romanos, ubi hæc habet: *Non finendo tantum & connivendo Deum permittere homines prolabi, fed judicio ordinare, ut tum à propria confcientia, tum à diabolo in hujufmodi & alia agantur: ideò voce utitur Paulus, quam nimis violenter torquent, qui fola Dei permiffione ea peccatum agi nos putant.* Eadem ratione loquitur lib. 3. Inftitut. cap. 21. §. 6. ibi enim afferit, *Deum confilio nutuque fuo ita ordinaffe, ut inter homines nafcantur ab utero certæ morti devoti, qui fuo exitio ipfius nomen glorificent.* Ejufdem capitis paragrapho 7. fcribit, *decretum fuiffe à Deo, ut fua defectione periret Adam*: addit, eandem effe rationem cæterorum hominum, ac ipfiufmet Adami: *Decretum quidem* (ait) *horribile, fateor: inficiari tamen nemo poterit, quin præfciverit Deus, quem exitum habiturus effet homo antequàm ipfum conderet; & ideo præfciverit, quia decreto fuo fic ordinarat.*

CONCLUSIO. Impium eft Calvini de reprobatione dogma.

Probatur. Ex obfervatis, Calvini de reprobatione dogma in eo pofitum eft, quòd Deus quibufdam Angelis, & quibufdam hominibus æternam tum damni, tum fenfus pœnam præparavit, abfque ulla cujufcumque peccati prævifione: atqui illud dogma eft impium: ergo, &c.

Minor propofitio fubfequentibus momentis oftenditur.

Primò. Impium eft, id Deo tribuere, quod æternæ & incommutabili legi repugnat; æterna nimirum & incommutabilis lex non eft aliquid a Deo diftinctum; atqui æternæ & incommutabili legi repugnat, quod pœna præcedat culpam, ac proinde, quòd pœnæ præparatio præcedat culpæ prævifionem, feu quod creatura rationalis, nullius peccati rea, ad æternum fupplicium deftinetur: fiquidem lex æterna, *contra quam* (ut ait Auguftinus lib. 26. contra Fauftum cap. 3.) *tam Deus nullo modo facit, quàm contra fe ipfum non facit*, jubet, ut omnia fint ordinatiffima, hoc eft, ut fint in ordine fibi debito: creatura autem rationalis non eft in ordine fibi debito, fi abfque præcedente reatu crucietur: *Si peccatis earum* (animarum) *aeterna his* (ait Auguftinus lib. 3. de libero arbitrio c. 9.) *miferia perfeverat, ante etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo atque adminiftratio univerfitatis.* Lib. 19. de Civitate Dei cap. 13. idem S. Doctor afferit, ideò per iniquorum cruciatus & miferias non perturbari rectum ordinem, nec æternam legem violari, quòd rectus ordo, lex æterna, exigant, ut iniqui crucientur; cum è contra vetent, ne innocentes quippiam inviti patiantur: *Pax omnium rerum* (inquit) *eft tranquillitas ordinis: ordo eft parium difpariumque fua cuique loca tribuens difpofitio. Proinde miferi, in quantùm miferi funt, utique in pace non funt, tranquillitate quidem ordinis carent, ubi perturbatio nulla eft. Veruntamen quia meritò jufteque miferi funt, in ea quoque fua ipfa miferia præter ordinem effe non poffunt. Non quidem conjuncti beatis, fed ab eis tamen ordinis lege fejuncti.* Multa alia fimilia loca laudari poffent ex Auguftino, fed illa hic fatis funt.

Secundo. Id impium eft, quo læduntur Dei & providentia & juftitia: atqui per Calvini dogma læduntur Dei & providentia & juftitia. Providentia nimirùm exigit, ut non fit miferia, nifi culpa præcefferit: *Quia providentia fummi Dei, non fortuita temeritate regitur mundus* (inquit Auguftinus lib. 19. de civit. Dei cap. 13.) *nunquam effet iftorum* (de Angelis loquitur) *æterna miferia, nifi effet magna malitia.* Juftitiam pariter lædi probatur ex eo, quod certò violetur, fi pœna abfque præcedente culpa infligatur: *Cum dicitis*, ait idem Auguftinus lib. 2. operis imperf. cti contra Julianum, *nullum peccatum parvulis imputandum, injuftum facitis Deum, qui eis grave jugum à die exitus de ventre matris impofuit. Quod etfi Scriptura non diceret, quis tam cæcus eft mente, qui non videat, miferiam generis humani à fletibus incipere parvulorum?* Idem afferit S. Doctor lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. *Omnis autem pœna*, inquit, *fi jufta eft, peccati pœna eft, & fupplicium nominatur.*

Refpondent 1. Adverfarii, Deum independenter quidem a demeritorum prævifione præparaffe reprobis æternam tum damni tum fenfus pœnam: fed latum a fe decretum non exequi, nifi poft culpam ab ipfis reprobis admiffam.

Sed inanis eft ea evafio. Nam 1. decreti alicujus Injuftitia non fumitur tantùm ab extrinfeco, feu ab illius executione, fed etiam ab intrinfeco, feu a fe ipfo, nempe in fe ipfo iniquum eft, fi quem nullius culpæ reum gravi damnet pœna: fic injuftum effet decretum, quo Judex irrevocabiliter damnat innocentem, quamvis illud non exequatur, nifi poft fcelus ab illo pofteà commiffum. 2. Decretum, quod Deus contra innocentem tulit, vel in fe juftum eft, vel in fe eft injuftum. Si primum, poteft illud exequi quamvis innocens fupponatur in fua innocentia permanere: Si fecundum, à Deo jufto ferri minimè potuit.

Refpondent 2. Adverfarii, non tantùm apud Calviniftas, fed etiam apud Catholicos reperiri Scriptores, qui docent, Deum pro fummo, quo pollet in creaturas dominio, poffe quamlibet creaturam ex mero fuæ voluntatis beneplacito, feu abfque culpa, quæ fe teneat ex parte creaturæ, æternis inferorum pœnis adjicere, imò citra injuftitiam poffe Angelos & homines, qui cœlefti beatitudine fruuntur, cruciandos ad tartara detrudere.

Verùm debile eft omninò præfidium, quod Adverfarii eo in capite ex quibufdam Scriptoribus, alioquin Catholicis, accerfunt fibi. Nam 1. neminem inter antiquos reperire eft, qui illam quorumdam, fateor, Catholicorum fententiam in medium protulerit. Quæ verò nuper a quibufdam, Catholicam alioquin religionem profitentibus, excogitata funt abfque Scripturæ aut traditionis teftimonio, Ecclefiæ Catholicæ tribui non debent: 2. Illud inter illos Scriptores & Calvinum intercedit, quòd illi loquantur de potentia Dei extraordinaria, Calvinus verò de potentia ordinaria: 3. Addendum eft, quòd illorum recentiorum de Dei potentia etiam extraordinaria placitum, non tantùm, ut jam obfervatum eft, non probatum fuerit ex Patribus, fed è contra Patres ab eo fuiffe alienos, antequam ab illis

recentioribus promulgaretur: *Nunquid*, inquit August. lib. 11. de Gen. cap. 17. *ille prius ultor, quàm iste peccator?*

Confirmatur 1. Augustinus Manichæos, qui docebant, dæmones, quamvis, ut asserebant, nihil propria voluntate peccassent, æternis cruciatibus torqueri, ex eo confutat, quod iniquum omninò sit pœnam aliquam, & a fortiori æternam, innocenti creaturæ infligere: *Cuilibet* (inquit lib. 2. de Genesi c. 21.) *occurrit, & verum est atque manifestum, justitiæ ipsi esse contrarium, ut nullo præcedente demerito, hoc ipsum in quoquam Deus damnet, quod ipse creavit.*

Confirmatur iterum. Idem S. Doctor peccati originalis propagationem & existentiam probavit ex miseriis, quas parvuli in hac vita patiuntur, nec non ex pœnis, quibus castigabuntur in altero, si absque baptismate moriantur: *Condemnari autem*, (inquit lib. 1. operis imperfecti contra Julianum) *si non sub peccato, ac per hoc & sub peccati principe, nascantur.* Tanti roboris apud ipsos etiam Pelagianos fuit illud Augustini argumentum, ut non auderent asserere, parvulos, quos innocentes supponebant, perpetua morte damnari, si absque baptismate morerentur: *Sine baptismo parvuli morientes* (solemne erat Pelagii effatum) *quò non eant, scio, quò eant, nescio.*

Probatur 2. Conclusio, seu ostenditur, impium esse Calvini de reprobatione systema. Calvini de reprobatione systema non in eo tantùm positum est, quòd Deus quibusdàm creaturis ante prævisa demerita æternos cruciatus præparaverit, sed etiam, ut superiùs observatum est, in eo quòd Deus, ut latum a se decretum exequatur, ipsis peccandi necessitatem imponat: atqui eo in capite impium est Calvini systema. Nam *primò*, manifeste pugnat cum hoc Augustini effato lib. de vera religione c. 14. *Usque adeò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, & hoc quidem tam manifestum est, ut nulla indoctorum turba dissentiat: quare aut negandum est, peccatum committi, aut fatendum est, voluntate committi.* Pugnat *secundò* cum Concilio Valentino, quod cap. 2. definit, *malos non ideò perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt.* Tandem *tertiò*, si (ut vult Calvinus) reprobationis decretum necessitatem absolutam importet, Deus erit author peccati: qui enim positivè efficit, ne creatura possit vitare peccatum, haud dubiè causa est, cur creatura peccet: id autem quam impium sit, patebit ex tertia Conclusionis probatione.

Probatur 3. Conclusio. Ex Calvini de reprobatione systemate sequitur, Deum esse authorem peccati: quippè ex Calvino, Deus non permissivè tantùm, sed etiam positivo & absoluto decreto, quod necessitatem imponat, ordinat, ut reprobi labantur in peccatum: atqui id impium est. Nam 1. Ecclesia id execrata est in Marcionitis, Manichæis, Priscillianistis, qui id ipsum ausi fuerant asserere. 2. Augustinus illud crimen sibi a Pelagianis, & postea a Semi-Pelagianis non semel impactum depulit. Pelagiani argumentabantur ex peccati originalis per actum conjugalem (ut docebat Augustinus) propagatione: indeque concludebant, quòd cum Deus sit author nuptiarum, esset quoque author peccati originalis: Semi-Pelagiani vero argumentati sunt ex adstructa ab Augustino hominum distinctione in massam perditionis, in qua sunt reprobi, & in massam salutis, ad quam electi pertinent: hincque concludebant, quòd cum utriusque (ut supponebant) Deus sit author, non minùs sit causa mali, quam author boni. Rationes, quibus Augustinus utitur, ut calumniam illam à se depellat, legere est tum in libris de nuptiis, quos contra Julianum exaravit, tum in libris de prædestinatione Sanctorum, de dono perseverantiæ, quibus adversùs Semi-Pelagianos respondit ad Prosperi & Hilarii epistolas. 3. Arausicana II. Synodus dogma, de quo agitur, confixit: *Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* 4. Idem definit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 17. *Si quis dixerit, reliquos omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum, anathema sit.* Verùm fusius eo de capite dicemus in nostro tractatu de peccatis.

Solvuntur quæ pro Calvini de reprobatione systemate objiciuntur.

Objicies 1. Reprobi necessariò damnabuntur: si enim possent salvari, latum de eorum reprobatione decretum frustrari posset suo effectu, quod est absurdum.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Decretum Dei posset frustrari suo effectu, potentia, quæ nunquam reducetur ad actum, conc. ant. potentia, quæ aliquando reducetur ad actum, neg. ant. Nec inde sequitur, quòd possibile esset, Dei providentiam, cujus pars est decretum de reprobatione, non assequi propositum sibi finem: ita nimirùm providentia finem illum, seu aliquorum hominum reprobationem, intendit, ut flexibilitatem ad bonum non tollat a reproborum voluntate: unde rectè sequitur, quòd licet reproborum damnatio sit necessaria necessitate consequentiæ: hoc est, licèt verum sit hoc enthymema: *Petrus ab æterno reprobatus est: ergo damnabitur*: ejus tamen damnatio non sit necessaria necessitate consequentis, seu verum non est hoc enthymema: *Petrus ab æterno reprobatus est: ergo necessariò damnabitur*; scilicet peccabit liberè, poterit converti & stare in justitia, quamvis reverà nec sit convertendus, nec, si convertatur, ad finem usque sit perseveraturus.

Objicies 2. Illi necessariò damnantur, pro quorum salute non liceret orare, si latum a Deo reprobationis decretum fieret certum per divinam revelationem: atqui revera non liceret orare pro salute reproborum, si latum a Deo reprobationis decretum fieret certum per divinam revelationem; ergo rebrobi necessariò damnantur. Major constat: nam ideò in illo casu non liceret pro reprobis orare, quòd certò sciremus, eos non posse salvari. Minor est Augustini, qui lib. 21. de Civit. Dei cap. 24. sic loquitur: *Si de aliquibus Ecclesia certa esset in hac vita constitutis, quòd prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso: sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus.*

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. quòd ideò in casu, de quo agitur, non liceret pro illo reprobo orare, quòd non posset salutem consequi; sed quòd ideò per eam revelationem tolleretur spes pro illo reprobo obtinendi aut conversionem, si esset in statu peccati, aut perseverantiam usque in finem, si esset in statu gratiæ. Alia potest proferri ratio, cur eo in casu licita non esset oratio pro illo reprobo: nempè qui tunc pro illo oraret, vellet Deum facere mendacem: nam (ut advertit Estius) Deus diceret: *Petrus ille damnabitur*: orans vero Deo diceret: *Fac, ne Petrus ille damnetur, hoc est, falsum sit, quod a te revelatum est.*

Objicies 3. Petrus Actorum 2. asserit, Judæos definito Dei consilio Christum morti tradidisse: *Hunc* (inquit) *definito consilio & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affligentes, interemistis*: ergo Deus Judæos reprobos impulit ad Deicidium, cujus facti sunt rei per Christi occisionem.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia vox illa, *Traditum*, non refertur ad Judæos, ita ut sensus sit, Judæos definito Dei consilio Christum interemisse, sed refertur ad Deum Patrem, qui definito consilio filium suum pro generis humani redemptione tradidit, & usus est iniquitate Judæorum, ut latum ab æterno de filii morte decretum

tum exequeretur. Quæ mox tradita est expositio, ex textu Græco evidenter colligitur.

Objicies 4. Qui reprobos excœcat & indurat, est causa peccatorum, in quæ prolabuntur, nempe reproborum peccata ex eorum excœcatione, & induratione sequuntur; atqui Deus excœcat, & indurat reprobos: *Propterea* (inquit Scriptura Joan. 7.) *non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur & sanem eos.* Idem habetur Exodi capite 7. *Indurabo* (ait Deus) *cor Pharaonis.*

Resp. dist. maj. Qui reprobos excœcat & indurat infundendo malitiam, est causa peccatorum, in quæ prolabuntur, conc. maj. subtrahendo gratiam, neg. maj. Isto tantùm modo, non autem illo, Deus reprobos excœcat & indurat; unde Augustinus docet, excœcationem, & indurationem, de qua agitur, in eo positam esse, 1. quòd Deus non velit reproborum misereri: *Ut* (inquit lib. ad Simplicianum quæst. 2.) *hoc dicatur obdurare peccatores quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit, ut peccent*: 2. quòd eos deserat: *Sic excæcat, & obdurat Deus, deserendo & non adjuvando* (ait idem S. Doctor tractatu 53. in Joannem) *quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest ...... Hinc excæcantur, quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur.*

Objicies 5. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 20. docet, malorum hominum voluntates a Deo ad peccatum inclinari: idque S. Doctor confirmat exemplo Pharaonis, Absalonis, & aliorum: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Augustinus docet, voluntates hominum *occasionaliter* a Deo inclinari ad peccatum, conc. ant. inclinari *efficienter*, neg. ant. hoc est, non per se, sed tantùm per accidens reprobi ad malum a Deo inclinantur; nempè Deus reprobos in certis quibusdam circumstantiis ponit, in quibus reprobi aut patienter non tolerant immissas sibi calamitates, aut abutuntur bonis, quibus affluunt, aut corrumpuntur eorum societate, quibuscum versantur. Legi potest ea de re Augustinus lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. Legi quoque potest S. Thomas, qui in hæc Epistolæ ad Rom. verba: *In hoc ipsum excitavi te*, hæc habet lectione 3. *Instinctu quodam interiori moventur homines à Deo ad bonum & ad malum: aliter tamen ad bona, aliter ad mala; nam ad bona inclinat hominum voluntates directè & per se tanquam author bonorum; ad malum autem dicitur inclinare vel suscitare homines occasionaliter, in quantum scilicet Deus homini aliquod proponit, vel exterius, vel interius, quod, quantum est de se, est inductivum ad bonum, sed homo propter suam malitiam perversè utitur ad malum.*

ARTICULUS II.

De variis circa reprobationem Catholicorum sententiis.

Not. 1. Estius, & Sylvius, quibus prævivere, ac postea subscripserunt multi Thomistæ, damnant quidem Calvini de positiva reprobatione sententiam, seu fatentur, reprobationis positivæ decretum non esse, aut Angelorum, aut hominum respectu, latum a Deo independenter a prævisis tum Angelorum, tum hominum demeritis, sed contendunt, idem non debere ferri judicium de reprobatione negativa, nempè; docent, & in Angelis & in hominibus fuisse prorsùs independentem à quorumlibet demeritorum prævisione.

Ut Estius, ejusdemque cum eo sententiæ Authores suã de reprobatione mentẽ aperiant, hunc inter divina decreta ordinem statuunt. Deus (inquiunt) *Primò*, decrevit hominum & Angelorum creationem: *Secundò*, ex iisdem tum Angelis, tum hominibus nonnullos elegit ad regnum cœleste, alios verò non elegit: in illis manifestam fecit suam charitatem, in istis verò manifestum fecit suum in res omnes creatas dominium, infinitam suam potentiam: *Tertiò*, utrosque, scilicet homines, & Angelos, statuit creare in statu gratiæ sanctificantis: *Quartò*, Angelis & hominibus, quos ante in instanti rationis non elegerat ad regnum cœleste, decrevit non dare gratiam per se efficacem, aliunde tamen ipsis ad actu perseverandum necessariam: *Quintò*, prævidit eorum lapsum: *Sextò*, in ejusmodi lapsus vindictam decrevit in eos animadvertere exclusione a regno cœlesti, non solùm tanquam bono illis indebito, sed etiam tanquam pœna, qua torquerentur in perpetuum; præparavit præterea pœnam sensus, de qua fit mentio Matthæi capite 25. *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.*

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, patet Estii, & aliorum idem cum ipso sentientium, systema niti hoc principio; Quòd cùm Deus nulli creaturæ gloriam æternam debeat, absque injustitia potuerit ad eam quosdam Angelos, & quosdam homines non eligere independenter a cujuslibet peccati prævisione. Hinc iterum patet, cur ea quarumdam creaturarum non electio dicatur reprobatio negativa; nempè evidens est, id oriri ex eo, quod privatio sit carentia formæ rei alioquin debitæ, negatio e contra sit carentia rei prorsùs indebitæ. Hinc tandem patet ratio, cur independenter a quovis peccato prævisio Deus gratiam efficacem ad actu perseverandum necessariam negaverit Angelis, & homini innocenti, & nunc etiam in statu naturæ lapsæ pluribus justis deneget: sic nimirùm se gessit olim, geritque modò, quod nec Angelo, nec homini gratiam illam debeat.

Not. 2. Discipuli Ludovici Molinæ docent, reprobationem, etiam negativam, supponere prævisionem peccati, tum in Angelis, tum in hominibus: hoc est, contendunt, Deum prævidisse lapsum & hominum, & Angelorum, antequam, secundùm nostrum concipiendi modum, eos negative reprobaverit, seu non elegerit ad cœlestem gloriam, aut eos ab ea excluserit, etiam tanquam re eis omninò indebita.

Mirum non est, quòd ii Theologi in eam sententiam abierint, nam, cum doceant, nec Angelum, nec hominem prædestinari ad regnum cœleste, nisi post prævisionem futuri usus datæ sibi gratiæ versatilis, consequenter docere debuerunt, eos ab illo regno non excludi, nisi post prævisionem negati consensus oblatæ sibi gratiæ.

Ut autem suum systema reddant apertius, inter actus divini intellectus, & divinæ voluntatis huncce ordinem statuunt. *Primò* (inquiunt) Deus Angelos, & homines decrevit in statu gratiæ sanctificantis condere cum ordinatione ad regnum cœleste, hoc est, intuitivam divinæ essentiæ visionem: *Secundò*, statuit utrisque conferre gratiam actualem, cujus usus penderet e libera eorum acceptatione: *Tertiò*, prævidit, Angelos apostatas ea gratia usuros non esse, ac proindè casuros esse ex originali justitia: *Quartò*, in pœnam ejusmodi lapsus statuit, eos excludere a regno cœlesti, ac detrudere ad tartara cruciandos.

Hoc unum illi Authores inter Angelos, & homines discrimen statuunt, quòd Deus lapsis hominibus, non autem Angelis, dederit Christum Redemptorem; unde docent, Deum post prævisum in Adamo, & ejus posteris peccatum originale, statuisse & Adamo & ejus posteris dare ex Christi meritis auxilium versatile, sufficiens tamen ad recuperandum amissum justitiæ statum, & ad perseverandum in finem usque. Addunt, Deum post prævisionem non acceptati ab aliquibus illius auxilii, illos eadem ratione, qua apostatas Angelos, exclusisse a regno cœlesti, illisque in pœnam peccatorum, in quibus morituri prævisi sunt, præparasse perpetuam, tum damni, tum sensus pœnam.

Not. 3. Non paucis aliis Theologis placet hoc de

repro-

reprobatione systema. Docent 1. apostatarum Angelorum reprobationem, sive negativam, sive positivam, fuisse factam tantùm post prævisionem peccati, in quod liberè lapsi sunt. Docent 2. idem ferri debere judicium de hominum reprobatione, si Adamus in originali justitia perseverasset. Docent 3. hominum lapsorum reprobationem, etiam negativam, supponere prævisionem peccati, non actualis quidem, sed originalis.

Theologorum sic opinantium hæ sunt rationes: Contendunt *primò*, nec Angelos, nec hominem innocentem ad actu perseverandum indiguisse gratia per se efficaci. Contendunt *secundò* è contra homini lapso gratiam per se efficacem, propter infirmitatem ex originali peccato contractam, esse ad actu perseverandum necessariam.

Ex priore principio concludunt, reprobationem negativam, seu meram non electionem in Angelis, præsupponere prævisionem actualis peccati: neque enim, inquiunt, Deus independenter a prævisione negati consensus gratiæ versatili potuit a regno cœlesti eos excludere, qui ea tantùm gratia indigebant, ut in justitia perseverarent, & per quam beati Angeli actu perseverarunt.

Ex altero principio iidem Theologi concludunt, hominis lapsi reprobationem, etiam negativam, præsupponere prævisionem peccati, saltem originalis. Et sanè, ajunt, si homo lapsus non indiguerit auxilio per se efficaci, nisi propter infirmitatem ex peccato contractam, præcisa peccati prævisione Deus in eo reprobando eadem ratione sese gerere debuit, qua in Angelos: ergo quemadmodum non reprobavit Angelos, nisi post peccati prævisionem; ita nec debuit hominem lapsum reprobare, nisi post peccati prævisionem. Confirmatur ex eo, quòd Deus præcisa infirmitate per peccatum contracta, judicare debuerit, plures ex hominibus lapsis perseveraturos esse in gratia baptismali cum auxilio versatili quo solo indigebant, sicut plures Angeli reipsa cum eodem auxilio versatili in originali justitia perseverarunt. Tandem cum per peccatum originale homo constituatur Dei inimicus, sufficiens Deo præbuit fundamentum, ut post illius prævisionem, in aliquos homines ab æterno ferret æternum reprobationis decretum. Quænam ex iis Catholicorum sententiis verior sit, subsequentibus paragraphis est expendendum.

§. I.

Utrum Angelorum reprobatio negativa facta fuerit tantum post prævisa eorum demerita.

CONCLUSIO. Angelorum reprobatio negativa facta fuit tantùm post prævisa eorum demerita. Est contra Estium, & plures Thomistas.

Probatur 1. Prædestinatio sanctorum Angelorum facta fuit tantùm, ut superius ostensum est, post prævisa eorum merita: ergo apostatarum Angelorum reprobatio negativa facta fuit tantùm post prævisa eorum demerita. Probatur conseq. Reprobatio negativa nihil est aliud, quam privatio prædestinationis: est enim mera non electio ad gloriam, ac proinde privatio electionis ad eandem gloriam: ergo, si merita prævisa fuerint ante prædestinationem, demerita prævideri debuerunt ante privationem prædestinationis.

Probatur 2. Si Angeli apostatæ reprobati fuissent etiam negativè, ante prævisa eorum demerita, privati fuissent, ante eadem demerita, medio ad actu perseverandum absolute necessario: ejusmodi nimirùm medii privatio est effectus, qui sequitur ex reprobatione negativa: Atqui Angeli apostatæ non fuerunt privati medio ad actu perseverandum necessario: non enim ad actu perseverandum indiguerunt auxilio per se efficaci ac determinativo, sed satis eis fuit gratia voluntatis pedissequa, unde nulla alia donati sunt Angeli, qui in justitia perseverarunt. *Tale erat*, (inquit Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 11.) *adjutorium, quod quilibet eorum desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, & in quo fieret ut vellet.*

Probatur 3. iis omnibus argumentis, quibus subsequentibus paragraphis ostendemus, hominem lapsum reprobari non potuisse, etiam negativè, ante prævisa illius demerita.

Objectiones, quæ contra nostram conclusionem ab Adversariis moventur, petuntur ex duplici capite, quod Estio, pluribusque Thomistis certissimum videtur; nempè sanctos Angelos gratuitò prædestinatos fuisse ad gloriam; eos ad actu perseverandum, non minùs quam homo lapsus indiguisse auxilio per se efficaci, quod quidem ideò tantùm nonnullis negari debuit, quòd non essent ex prædestinatorum numero, seu non essent gratuitò ad gloriam electi.

Verùm duplex illud principium veritate non nititur, idque partim sequitur ex iis, quæ superius dicta sunt de prædestinatione Angelorum, partim etiam ex dicendis in tractatu de gratia, ubi fusè disseremus de natura auxilii, quo tum Angeli, tum homo innocens indiguerunt, ut actu perseverarent in gratia sanctificante, in qua conditi fuerant.

§. II.

Quid Scriptura doceat de hominis lapsi reprobatione negativa.

CONCLUSIO. Scriptura docet, hominis lapsi reprobationem negativam factam fuisse tantùm post demeritorum prævisionem.

Probatur 1. Illud supponit demeritorum prævisionem, quod supponit Dei in suam creaturam odium: neque enim Deus aliud odisse potest, quam demeritum; *Diligis omnia quæ sunt* (inquit Scriptura Sapientiæ 11.) *& nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Atqui hominis lapsi reprobatio supponit Dei odium in hominem lapsum: siquidem Apostolus utitur odii nomine, ut in Esau omnium reproborum reprobationem exprimat: *Jacob dilexi* (inquit Deus, ad Rom. 9.) *Esau autem odio habui.*

Respondent Adversarii, illud quidem decretum supponere prævisionem demeritorum, quod supponit odium *positive* sumptum, seu prout est actus Dei respuentis & abjicientis, juxta illud Sapientiæ 13. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus*: secùs verò si odium *negative* tantùm sumatur: sic autem ad Rom. 9. sumi contendunt: unde docent hæc verba: *Esau autem odio habui*, nihil aliud significare, quam meram non dilectionem in ordine ad vitam æternam.

Sed variis argumentis impugnari potest ea responsio. *Primò*, apertè repugnat Augustino, qui conceptis terminis asserit, Deum reprobantem Esau, in eo odisse peccatum originale: nempe lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. explicans laudatum Apostoli textum, scribit, *Deum odio habere non Esau hominem, sed Esau peccatorem.* Hæc etiam habet epist. 105. *Qui oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* Plura similia loca laudabuntur inferiùs. *Secundò*, voces illæ, *Odio habui*, Dei sunt respuentis & abjicientis; nimirùm, Augustino teste, sunt derelictio in massa per peccatum corrupta, ut inferiùs ostendetur. *Tertiò*, mera non dilectio in ordine ad vitam æternam, ex suppositione elevationis creaturæ ad beatitudinem cœlestem, habet (ut suo loco dicetur) rationem pœnæ; ac proinde supponit odium *positive* sumptum: neque enim Deus

cùm sit summè justus, potest pœnam aliquam creaturæ innocenti infligere.

Probatur 2. Id, per quod Deus iram suam manifestat, præsupponit peccati prævisionem; *Numquid iniquus est Deus* (inquit Apostolus ad Roman. 3.) *qui infert iram?* quasi diceret: injustus esset Deus, si absque præcedenti creaturæ culpa, in eam irasceretur; Atqui per reprobationem Deus manifestat suam in creaturas iram: *Quod si* (ait idem Apostolus ad Rom. 9.) *Deus volens ostendere iram, & notum facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum; ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, &c.*

Respondent, qui nobis adversantur, Deum ostendere iram suam in reprobatione positiva, quæ dicit inflictionem pœnæ aut damni, aut sensus; non autem in reprobatione negativa, quæ quidem (ut ajunt) est mera non electio ad vitam æternam.

Sed inanis est ea solutio: nam 1. Apostolus de reprobatione loquitur eodem sensu, quo locutus fuerat verbis ea, de quibus agitur, immediatè præcedentibus: atqui verbis ea, de quibus agitur, immediate præcedentibus Apostolus locutus fuerat de reprobatione negativa: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* iis nimirum verbis ipsi etiam Adversarii utuntur, ut negativam reprobationem in merum Dei in creaturas dominium refundant. 2. Apostolus de ea reprobatione loquitur, per quam Dei in prædestinatos misericordia commendatur: *Ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: atqui per reprobationem negativam maxime commendatur Dei misericordia in prædestinatos: quippe (ut ajunt Philosophi) contraria per contrariorum oppositionem illucescunt. 3. Apostolus agit de ea reprobatione, per quam nonnulli fiunt vasa in contumeliam: *Aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam*: atqui per reprobationem etiam negativam reprobi fiunt vas in contumeliam; nec enim inter vas in honorem, & inter vas in contumeliam Apostolus aliquod tertium statuit.

Ex iis, quæ tum in hac secunda, tum in priore nostræ conclusionis probatione dicta sunt, patet, his verbis: *Esau autem odio habui*, Paulum non minùs agere de reprobatione negativa, quam de positiva: ac proinde meritò concluditur, illam non minùs, quam istam, præsupponere in Apostoli systemate, demeritorum prævisionem.

Objicies 1. Apostolus docuit, reprobationem negativam non præsupponere demeritorum prævisionem: ergo, &c.

Probatur ant. Apostolus non minùs demerita excludit a reprobatione, quam merita a prædestinatione: *Cùm* (inquit) *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali..... non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Confirmatur ex eo, quòd si Apostolus voluisset excludere merita a prædestinatione, & non excludere demerita a reprobatione, satis ei fuisset dicere: *Cum nondum aliquid boni egissent*, nec debuisset addere: *aut mali*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Apostolus non minùs demerita, quæ sumuntur ex peccatis actualibus, excludit a prædestinatione, conc. ant. demerita, quæ sumuntur ex peccato originali, neg. ant. Ratio est, quia Apostolus loquitur de demeritis, quæ per proprios operantis actus comparantur; unde, ut ea exprimat, utitur verbo *Egissent*: sic enim habet: *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali.* Augustini est ea solutio: *Nulla* (inquit epist. 106.) *in Jacob & Esau opera propria bona, vel mala, sed uterque illi uni obnoxius erat, in quo omnes peccaverunt, ut omnes in illo morerentur. Nam in quo erat natura communis, ab ejus vitio nullus est immunis: sed ambo, qui nondum propria vel bona vel mala operabantur, rei tamen ex origine nascebantur.*

Objicies 2. Paulus reprobationem negativam manifeste refundit in solam Dei voluntatem: ergo est omninò independens a demeritorum prævisione. Probatur ant. Ubi contra factam a Deo quorundam reprobationem objecit sibi, ex ea colligi posse, Deum esse injustum: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum?* non respondet (quod tamen respondere debuisset) ideò Deum reprobantem non esse injustum, quòd attendat ad reproborum demerita; sed objectionem solvit confugiendo ad Dei voluntatem, seu ad supremum Dei in creaturas dominium: *Absit*: (inquit) *Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo cujus miserebor.*

Ex illo autem veteris Testamenti loco concludit, reprobationem & prædestinationem nullo modo pendere ex hominum meritis aut demeritis, sed ex absoluta Dei voluntate: *Igitur* (ait) *non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Eam illationem confirmat Pharaonis exemplo quod legitur Exodi 9. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in universa terra.* Quasi dixisset: Pharao typus est reproborum: quemadmodum igitur calamitates, quibus per Moysem Pharao oppressus est, non aliam, ex Scriptura, habent causam, quam Dei voluntatem, nec ob aliud inflictæ sunt illi Principi, quam ut in illo Deus suam potentiam omnibus manifestam faceret: ita reprobationis negativæ non debet alia quæri causa, quam Dei voluntas, quæ quid in nonnullos non elegit ad gloriam, ut manifestum faceret suum in creaturas dominium. Apostolus ipse eam suimetipsius explicationem apertè tradit hisce verbis, quæ immediate subjicit petito ex Pharaone exemplo: *Ergo cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.*

Suam responsionem idem Apostolus confirmat instantia, quam movet adversus solutionem hujusce quæstionis: *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum?* Sic autem habet ea instantia: Si reprobatio peti debeat ex sola Dei voluntate, non est, cur Deus conqueratur de reprobis, qui non dant operam comparandæ saluti: *Dicitis itaque mihi, quid adhuc queritur*, cum homo non possit impedire divinæ voluntatis effectum; *Voluntati enim ejus quis resistit?* Sic verò respondet ad illam instantiam: Fateor, nemo divinæ voluntati resistit; unde is, quem Deus reprobavit, non consequetur salutem; sed tamen non injuste conqueritur de reprobis; nec investiges rationem, cur juste de eis conqueratur, satis est, ut scias, Deum aliquid velle, ut certus sis id juste fieri; *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?*

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Apostolus reprobationem refundit in solam Dei voluntatem tanquam in causam proximam, conc. ant. tanquam in causam remotam, neg. ant. Dei voluntas est quidem sola causa proxima reprobationis; sed non est causa remota; nam ideò, dum quosdam homines per summam misericordiam eligit ad regnum cœleste, alios per summam justitiam ab eo excludit, quòd in massa per peccatum originale corrupta reperiantur. Augustini est illud responsum; *Ubi* (inquit lib. ad Bonifacium cap. 7.) *dicitur: Cujus vult miseretur, & quem vult indurat; qui facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam; bonum quidem immeritè & gratis datur, quia ex eadem massa est, cui datur; malum verò meritè & debitum redditur, quia in massa perditionis malum male non malè redditur.*

Cum eo responso facilè conciliantur, quæ ab Adversariis urgentur. Nam supposita perditionis massa, quæ tum prædestinatos, tum reprobos complectitur, eductio ex illa massa per prædestinationem, derelictio in eadem massa per reprobationem, non sunt volentis, neque currentis hominis, sed Dei solius, aut miserentis,

aut

aut punientis: *Cur autem* (verba sunt Augustini lib. de prædestinatione SS. cap. 9.) *non omnibus detur fides, fidelem movere non debet, qui credit, ex uno omnes isse in condemnationem sine dubitatione justissimam, ita ut in nullo Dei esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur; unde constat, magnam esse gratiam, quod plurimi liberentur, & quid sibi deberetur, in eis, qui non liberantur, agnoscant.*

In eadem suppositione, massæ nimirùm per peccatum corruptæ, Apostolus meritò confert reprobos cum Pharaone; nam quemadmodum in Pharaone impio, & indurato Deus suam potentiam fecit manifestam per calamitates, quibus justè in eum sævit; ita in reprobis eandem potentiam manifestat, relinquendo eos in massa corruptionis, puniendo æterna tum damni, tum sensus pœna, & peccatum originale & actuale, in quæ prolabuntur. Igitur, cum Deus reprobet, nec separet a perditionis massa, ex qua tamen posset eos cum electis separare, meritò ait Apostolus: *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.*

In eadem pariter suppositione idem Apostolus meritò asserit, reprobum non posse de Deo reprobante conqueri, nec illum injustitiæ arguere: si enim reprobus attendat ad perditionis massam, in qua involvitur, statim occurret illi ratio, cur injustum non sit latum in se reprobationis decretum: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* hoc est, attende ad peccatum, cujus cum cæteris hominibus reus es, & statim evidens erit tibi, Deum non immeritò te a cœlesti gloria exclusisse.

Objicies 3. Apostolus probat, reprobationem pendere non ex reproborum demeritis, sed ex merito Dei beneplacito, probat (inquam) exemplo petito ex figulo, qui ex eadem luti massa pro libito facit vas aut in honorem, aut in contumeliam. Se habet Deus (argumentum est Apostoli) respectu suæ creaturæ, quam prædestinat, aut reprobat, sicut figulus respectu luti, ex quo vasa conficit; & vicissim creaturæ reprobatæ, aut prædestinatæ se habent respectu Dei sicut vasa respectu figuli: ergo quemadmodum sola voluntas figuli est causa, cur vas aliquod fit in contumeliam; ita sola Dei voluntas est causa, cur nonnulli reprobentur; ergo etiam sicut vas de figulo conqueri non potest, quod factum fuerit in contumeliam; ita nec reprobus de Deo conqueri potest, quod ab eo fuerit reprobatus: *Numquid* (ait Paulus) *dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?*

Resp. dist. ant. Se habet Deus in prædestinatione, & reprobatione, sicut figulus respectu luti corrupti, conc. ant. respectu luti minimè corrupti, neg. ant. Quemadmodum ex luto corrupto figulus pro libito facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam: ita ex hominum massa per Adami peccatum corrupta Deus pro libito alium prædestinat, alium verò reprobat: *Ex Adami origine damnata* (inquit Augustinus lib. 15. de civit. Dei cap. 21.) *veluti massa una meritę damnationi tradita, Deus fecit alia in contumeliam vasa irę, alia in honorem vasa misericordiæ.*

Quæ huc usque datæ sunt solutiones ad argumentum ex Paulo deductum, sic compendiosè referuntur. 1. Apostolus (inquiunt qui nobis adversantur) non minùs excludit demerita a reprobatione, quam merita a prædestinatione. Resp. distinguendo: Demerita per peccatum actuale contracta, conc. contracta per peccatum originale, nego. 2. Idem Apostolus reprobationem refundit in solam Dei voluntatem. Resp. dist. Tanquam in causam proximam, conc. tanquam in causam remotam, neg. 3. Postquam Apostolus objecit sibi, ex reprobatione sequi, quòd Deus sit injustus, non respondet, ideò in eo non esse injustitiam, quod reprobatio demerita præsupponat. Resp. dist. Non respondet explicitè, conc. implicitè, neg. quippè adducit exemplum Pharaonis, in quem Deus non sævit, nisi post illius inobedientiam, & voluntariam obdurationem in malo. 4. Apostolus asserit, reprobum non debere investigare rationem, cur in Deo reprobante non sit injustitia. Resp. dist. Rationem, quæ sit extra se ipsum, seu aliam a peccato originali, conc. quæ sit intra se ipsum, neg. 5. S. Paulus comparat Deum cum figulo. Resp. dist. Cum figulo, qui operatur ex luto contaminato, conc. ex luto incontaminato, nego.

Addendum est, Apostolum toto capite nono Epistolæ ad Roman. agere de reprobatione comparativa; seu quærit, cur Esau potius, quam Jacob, qui æqualiter reus erat, reprobatus fuerit; cur Judæi potius, quam Gentes, reprobati fuerint. Ea autem comparativa reprobatio non aliam habet causam, quam Dei voluntatem: absoluta verò, seu ea, qua Petrus v. g. nulla facta comparatione cum Joanne æqualiter reo, est e reproborum numero, causam habet ex parte Petri, peccatum nempè, quod Deus ab æterno in eo prævidit. De ea distinctione reprobationis comparativæ, & absolutæ legenda sunt, quæ dicentur inferiùs ad argumenta, quæ Adversarii ex Augustino desumunt.

§. III.

Quid Augustinus senserit de reprobatione negativa.

CONCLUSIO. Augustinus docuit, reprobationem, etiam negativam, præsupponere demeritorum prævisionem.

Probatur 1. Ille docuit, reprobationem, etiam negativam, præsupponere demeritorum prævisionem, qui asseruit, prædestinationem eam supponere: Atqui Augustinus asseruit, prædestinationem præsupponere demeritorum prævisionem: ergo, &c.

Major propositio constat: siquidem si reprobatio non supponeret meritorum prævisionem, quam tamen prædestinatio supponit, ii, qui reprobantur, non potuissent prædestinari; nempè facta fuisset eorum reprobatio, antequam eorum prædestinatio fieri potuisset. Præterea, ex Apostolo, idem omninò est lutum, ex quo figulus facit aliud vas in honorem, aliud vas in contumeliam; ac proinde reprobatio non minùs supponit luti corruptionem, quam prædestinatio; itaque probatur minor. Decretum liberandi præsupponit miseriam, quæ in creatura rationali non aliud est, quam peccatum, aut id quod sequitur ex peccato: atqui prædestinatio est decretum liberandi; quippe (ut suo loco dictum est) ab Augustino definitur, *Præscientia ac præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur*: ergo, &c.

Confirmatur variis nominibus, quæ ab eodem Augustino prædestinationi tribuuntur, nempe passim eam vocat discretionem, electionem, propositum discretionis, & electionis ex communis damnationis massa: *Quicumque* (inquit lib. de corrept. & gratia cap. 7.) *ab illa originali damnatione, illa divinæ gratię largitate discreti sunt, non est dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium, &c.*

Confirmatur iterùm argumento, quòd ex adventu Christi desumitur. Quod præsupponit adventum Christi, præsupponit peccati prævisionem; atqui hominum lapsorum prædestinatio præsupponit (in intentione divina) Christi adventum: ergo præsupponit quoque peccati prævisionem. Major expressè docetur ab Augustino: *Si* (inquit Serm. 8. de verbis Domini cap. 2.) *homo non perisset, filius hominis non venisset.* Idem repetit Serm. 9. cap. 1. *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino,*

nisi

ni ſi peccatores ſalvos facere; nec mirum, nam Chriſtus eſt medicus animarum: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ.* Minor verò ſic oſtenditur. Illud, in intentione divina, præſupponit adventum Chriſti, quod fit per Chriſti merita; nam effectus ſupponit cauſam: Sed hominum lapſorum prædeſtinatio fit per Chriſti merita: *Elegit nos* (ait Apoſtolus) *in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate.*

Probatur 2. Ille docuit, reprobationem negativam præſupponere prævisionem peccati, qui omnes ac ſingulos illius effectus explicuit per non liberationem à maſſa perditionis: atqui Auguſtinus omnes & ſingulos reprobationis effectus explicuit per non liberationem a maſſa perditionis: ergo, &c. Probatur minor. Tres ſunt præcipui effectus reprobationis: in nonnullis infidelitas: in aliquibus non perſeverantia uſque ad finem; in omnibus reprobis ſive parvulis ſive adultis excluſio a regno cœlorum: atqui Auguſtinus tres illos effectus explicuit per non liberationem à maſſa perditionis: imò illos effectus, quatenùs dicunt denegationem gratiæ efficacis ad fidem, ad juſtitiam, ad perſeverantiam actualem abſolutè neceſſariæ, ad eam non liberationem tanquam ad cauſam & radicem reduxit: *Ac per hoc* (inquit lib. de corrept. & gratia cap. 7.) *& qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati, perſeverantiam non acceperunt; & qui credere noluerunt; & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, ſed ob originali noxa ſolo poſſent lavacro regenerationis abſolvi, quo tamen non accepto, mortui perierunt, non ſunt ab illa conſperſione aſcreti, quam conſtat eſſe damnatam, euntibus omnibus ex una in condemnationem.*

Probatur 3. Se habet reproborum hominum reprobatio, ſicut ſe habuit reprobatio Eſau: nam (ut ſuperiùs oſtenſum eſt) Apoſtolus Eſau reprobationem propoſuit tanquam typum eorum omnium, qui reprobantur: atqui ex Auguſtino, reprobatio Eſau facta eſt poſt demeritorum prævisionem: Siquidem *primò*, Auguſtinus aſſerit quòd ſicut Jacob per ſummam miſericordiam prædeſtinatus eſt, Eſau per ſummam juſtitiam reprobatus fuerit; *Ut cum ex eodem patre* (inquit epiſt. 105.) *eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid egiſſent boni, aut mali, alterum Deus diligit, odit alterum, intelligat Jacob, ex illa maſſa originalis iniquitatis, ubi fratrem ſuum, cum quo habet communem cauſam, videlicet per juſtitiam meruiſſe damnari, non niſi per gratiam potuiſſe diſcerni*: atqui condemnatio, excluſio a gloria, non diſcretio, quæ fit per ſummam juſtitiam, neceſſariò præſupponit peccatum in ſubjecto, quod condemnatur, excluditur a gloria, non diſcernitur a maſſa. *Secundò*, S. Doctor in eadem epiſtola 105. conceptis terminis docet, reprobationem Eſau ortam fuiſse ex odio Dei in Eſau: addit, illud odium natum fuiſse ex peccato originali, cujus idem Eſau reus erat: *Quid enim diligebat in Jacob* (ait) *antequam natus feciſſet aliquid boni, niſi gratuitum miſericordiæ ſuæ donum? Et quid oderat in Eſau, antequam feciſſet aliquid mali, niſi originale peccatum?* Tandem *tertiò*, Auguſtinus a Pelagianis & eorum reliquiis accuſatus, quòd ex ejus de prædeſtinatione, & reprobatione ſententia ſequeretur, Deum eſſe reum criminis, quod vocant crimen acceptionis perſonarum, eam à ſe calumniam depellit dicendo, & Jacob & Eſau, attenta ſubjecti diſpoſitione, potuiſſe ſecundùm juſtitiæ leges reprobari, quia in utroque æqualis erat noxa peccati originalis: *Parum attendunt* (ait epiſtola ad Sixtum) *quod debita redditur pœna damnato, indebita gratia liberato, ut nec ille ſe indignum queratur, nec dignum ſe iſte glorietur; atque ita potiùs acceptionem nullam fieri perſonarum, ubi una eademque maſſa damnationis & offenſionis involvit, ut liberatus de non liberato diſcat, quòd etiam ſibi ſupplicium conveniret, niſi gratia ſubveniret.*

Objicies. Auguſtinus non minùs aliquorum reprobationem, quam aliorum prædeſtinationem refert ad inſcrutabilia Dei judicia; atqui ſi cenſuiſſet, eam fuiſſe factam poſt demeritorum prævisionem, eam non retuliſſet ad inſcrutabilia Dei judicia; ergo Auguſtinus non cenſuit, reprobationem, ſaltem negativam, factam fuiſſe poſt demeritorum prævisionem. Minor propoſitio eſt evidens, nam in ſuppoſitione, de qua agitur, manifeſta eſſet ratio, cur Deus nonnullos reprobet dum alios prædeſtinat; nempè patet eſſe demerita, quæ in inſtanti rationis prævidentur, antequam a Deo feratur reprobationis decretum. Tota igitur difficultas eſt in majori propoſitione, quæ quidem evidenter oſtenditur variis S. Doctoris textibus, quos legere eſt, tum libro de prædeſtinatione Sanctorum, tum libro de dono perſeverantiæ. Inſtar omnium ſint hæc verba, quæ lib. de dono perſev. cap. 8. reperiuntur: *Cur in eadem cauſa me potiùs quàm illum puniet, aut illum potiùs, quàm me liberabit? hoc non dico: ſi quæris, quare? quia in hac re ſicut juſta eſt ira ejus, ſicut magna eſt miſericordia ejus; ita inſcrutabilia judicia ejus.*

Reſp. diſt. maj. Auguſtinus ad inſcrutabilia Dei judicia refert reprobationem comparativam, conc. maj. reprobationem abſolutam, neg. maj. Diſt. pariter min. Atqui ſi, &c. eam reprobationem abſolutam non retuliſſet ad inſcrutabilia Dei judicia, conc. maj. reprobationem comparativam, neg. maj. hoc eſt, cur Petrus, cur Joannes ſint reprobi, aperta eſt in Auguſtini ſyſtemate cauſa, nempe eſt peccatum originale utrique commune; ſed cur Petrus & Joannes reprobati fuerint, dum Paulus & Jacobus fuerunt prædeſtinati, licèt non minùs, quam Petrus & Joannes rei eſſent, non alia eſt cauſa, quam Dei voluntas: proinde Auguſtinus meritò recurrit ad inſcrutabilia Dei judicia, cum de iſta, id eſt comparativa, non autem cum de illa, hoc eſt, abſoluta reprobatione diſſerit.

Auguſtinus eam doctrinam hauſit ex Apoſtolo, qui cum agit de reprobatione abſoluta, docet (ut præcedente paragrapho dictum eſt) illius cauſam eſſe peccatum ſaltem originale; è contra cum agit de reprobatione comparativa, recurrit ad inſcrutabilia Dei judicia: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei* (inquit in epiſt. ad Rom. poſtquam multis capitibus verſavit prædeſtinationis & reprobationis myſterium) *quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus & inveſtigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius ejus fuit?*

§. IV.

Quid S. Thomas ſenſerit de reprobatione negativa.

Not. Plures Thomiſtæ cenſent, S. Thomam docuiſſe, reprobationem negativam factam fuiſſe independenter à quorumlibet demeritorum prævisione: Alii ex ejuſdem S. Doctoris ſchola contendunt, eum expreſſè aſſeruiſſe contrarium; quibus nos adhæreamus, ſubſequens aperiet concluſio.

CONCLUSIO. S. Thomas docuit, reprobationem negativam fuiſſe factam poſt demeritorum prævisionem.

Probatur 1. ex S. Doctoris Summa theologica, quæ poſtremum eſt illius opus.

Prima parte quæſt. 23. art. 1. contra concluſionem, quæ ſtatuit, convenire homines prædeſtinari, objicit ſibi hoc argumentum: Angelis non convenit prædeſtinari, ergo neque hominibus; ad quod quidem argumentum reſpondet S. Thomas, Angelis non minùs convenire prædeſtinari quam hominibus, cum hoc tamen diſcrimine quòd licèt reſpectu utrorumque idem

sit terminus *ad quem*, nempè beatitudo cœlestis, idem tamen non sit terminus *à quo*; nam in homine terminus *à quo* prædestinationis est status vitæ absque ulla miseria: *Nihil refert* (inquit in responsione ad tertium) *utrum aliquis prædestinetur in vitam æternam à statu miseriæ, vel non*. Cum autem nulla sit miseria sine præcedente peccato, sequitur necessariò, S. Thomam sensisse, hominis prædestinationem præsupponere prævisionem peccati. Verùm si prædestinatio eam prævisionem supponat, eam quoque (ut superiùs dictum est) debet præsupponere reprobatio negativa, sive sit mera non electio, sive sit positiva exclusio a regno cœlesti. Eadem quæst. art. 5. contra hanc conclusionem: *Totus prædestinationis effectus nullam causam habet præter divinam voluntatem*, sic arguit: Si totus effectus prædestinationis nullam habet causam præter divinam voluntatem, iniquitas est apud Deum: æqualibus nimirùm & secundùm naturam & secundùm peccatum originale, inæqualia dabuntur; aliqui enim reprobabuntur, dum alii prædestinantur. In illius argumenti solutione supponit, quod objectum est, nempe & reprobum & prædestinatum, esse æquales, *& secundùm naturam, & secundùm peccatum originale*; sed contendit non inde sequi, quòd sit iniquitas in Deo, sed eluceat summa illius in prædestinatos, quibus parcit, misericordia, & summa in reprobos, quos punit, *justitia*. Addit, duplicis illius divini attributi manifestationem esse causam, cur Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat. *Voluit igitur Deus*, inquit in responsione ad tertium. *quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem, per modum misericordiæ parcendo: & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiæ puniendo: & hæc est ratio, quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat*. Deus autem non parcit, nisi reis, non punit nisi reos: ergo persuasum fuit S. Thomæ, prædestinationem, & reprobationem præsupponere peccati prævisionem.

Respondent nonnulli, S. Thomam loco mox laudato loqui de reprobatione sumpta in executione, non autem in intentione divina.

Sed falsa est ea responsio: nam S. Thomas loquitur de reprobatione eodem sensu sumpta, quo de ea loquitur Apostolus ad Rom. 9. nempè S. Doctor in eorum, quæ mox dicta sunt, confirmationem, laudat eum Apostoli locum: atqui Apostolus eo loci sumit reprobationem, non in executione, sed in intentione divina: *Et hæc est ratio* (inquit Angelicus Doctor) *quare Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat: Et hanc causam assignat Apostolus ad Rom. 9. dicens, Volens Deus ostendere iram, id est, vindictam justitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit, id est, permisit, in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit ad gloriam.* Idem S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. asserit ad mentem S. Augustini, quibusdam in pœnam peccati, saltem originalis, denegari auxilium gratiæ necessariæ tum ad credendum, tum ad diligendum Deum & proximum: *Hoc* (inquit) *auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis, saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in libro de correptione & gratia.* Ex iis S. Thomæ verbis sic conficitur argumentum. Illud est causa reprobationis in intentione divina, quod est causa prima effectus illius: atqui ex Angelico Doctore, peccatum originale est causa primi effectus reprobationis, denegationis nimirùm gratiæ ad fidem & ad charitatem, ac proinde ad salutem simpliciter necessariæ.

Secundò, quæ S. Thomas senex in sua Summa docuit, jam in prioribus suis operibus docuerat. Quæst. 6. de verit. art. 2. ad 1. sic loquitur: *Electio Dei, qua unum eligit & alium reprobat, rationalis est, nec tamen oportet, quòd ratio electionis sit meritum; sed in ipsa electione ratio est divina bonitas; ratio autem reprobationis peccatum originale, ut Augustinus dicit.*

Nec locum habere potest responsio Adversariorum contendentium, S. Thomam laudato textu agere de reprobatione sumpta secundùm executionem: Nam opponit reprobationem electioni. Electionis autem nomine haud dubie intelligit electionem in intentione divina sumptam, nempe asserit, ejusmodi electionis causam non esse aliquod ex parte electi meritum, sed solam divinam bonitatem, seu misericordiam, quod quidem de electione secundùm executionem sumpta dici non potest.

In commentario capitis 9. epist. ad Rom. sectione 3. hæc scribit: *Cum omnes homines propter peccatum primi parentis damnationi nascantur obnoxii, quos Deus per suam gratiam liberat, sola misericordia liberat; & sic quibusdam est misericors, quos liberat, quibusdam autem justus, quos non liberat, neutris autem iniquus.* Agere S. Doctorem de liberatione a miseria æterna, & de non liberatione ab eadem miseria, seu de prædestinatione ad gloriam, & de exclusione a gloria, patet tum ex eo, quòd Apostolus, quem explicat, de iis loquatur: tum etiam ex his antecedentibus verbis: *Sic igitur non potest esse, quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas, secundum quam misericorditer aliquos liberat.*

In commentario ejusdem cap. 9. lect. 4. cùm agit de massa, ex qua, ex Apostolo, figulus facit vas, aliud in honorem, aliud in contumeliam, asserit, eam massam non esse eam, quæ Dei manibus in mundi exordio confecta est, sed quæ corrupta est per peccatum primi parentis: ergo Deus, ex Angelici Doctoris mente, non facit aliquod vas in honorem per prædestinationem ad gloriam, aut vas in contumeliam per reprobationem, seu exclusionem a gloria, nisi ex luto per peccatum Adami corrupto: ac proinde non minus reprobatio negativa, quam prædestinatio, supponit demeritorum, saltem per peccatum originale, prævisionem. *Humana natura* (inquit) *vilitatem habet ex sua materia, quia, ut dicitur Genes. 2. fecit Deus hominem de limo: sed majorem vilitatem habet ex corruptione peccati, quod per unum hominem in hunc mundum intravit; & ideò homo meritò luto comparatur. Similiter & Deus liberam habet potestatem, ex eadem massa corrupta generis humani, sicut ex quodam luto, nulli faciendo injuriam, quosdam homines facere præparatos in gloriam, quosdam in miseria relictos.*

Objicies 1. S. Thomas docuit, reprobationem esse actum divinæ providentiæ: *Cum* (inquit 1. p. q. 23. art. 3.) *ad divinam providentiam pertineat aliquos permittere à vita æterna deficere, ad eam pertinet etiam aliquos consequenter reprobare.* Atqui si reprobatio esset ex præcedentibus, sive per peccatum originale, sive per actuale demeritum, non esset actus providentiæ, sed justitiæ vindicativæ; ea nimirùm reprobatione Deus puniret præcedens aliquod peccatum.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia actus ille est simul actus providentiæ & actus justitiæ: providentiæ quidem, quatenùs per eum Deus quosdam in miseria derelinquit, ac proinde sinit, ut ab ultimo fine deficiant: *Unde* (ait S. Doctor) *cum per divinam providentiam, homines in vitam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab ipso fine deficere*: justitiæ vero, prout Deus in vindictam peccati reprobos non liberat a miseriæ æternæ debito, in quod per peccatum inciderunt. Ea quorumdam hominum non liberatio medium est, quo providentia utitur, ut conservet universi decus & ornamentum, quod quidem in eo positum est, ut diversi sint rerum, ac proinde hominum, gradus & ordines: *inde est* (ait S. Thom. hujusce quæst. artic. 5. ad 3.) *quod ad completionem universi re-*

qui-

quirantur diversi gradus rerum, quarum quædam altum & quædam infimum locum teneant in universo: & ut multiformitas graduum conservetur in rebus, Deus permittit aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur. Sic igitur consideremus totum genus humanum, sicut totam rerum universitatem, &c.

Objicies 2. S. Thomas asserit, voluntatem permittendi, ut quis cadat in culpam, esse effectum reprobationis: ergo culpa non est causa reprobationis, neque enim aliquid est rei alicujus causa & effectus simul. Antecedens hisce verbis 1.p.q.23.art.3. tradit S. Doctor: *Sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.*

Resp. 1. dist. ant. In culpam actualem, conc. ant. in culpam originalem, neg. ant. Textus, quibus ea responsio nititur, superiùs relati sunt.

Resp. 2. dist. iterùm ant. Permittendi cadere in culpam, permissione, quæ dicat solam voluntatem derelinquendi in peccato præcedente, conc. ant. voluntatem permittendi primum peccatum, neg. ant. Ratio solutionis petitur ex eo, quòd ipse S. Thomas voluntatem permittendi peccatum, in responsione ad 2. vocet derelictionem a Deo: *Reprobatio non est causa ejus, quod est in præsenti, scilicet culpa, sed est causa derelictionis à Deo: est tamen causa ejus, quod redditur in futuro, scilicet pœna æterna.*

Objicies 3. S. Thom. ad meram Dei voluntatem, & ad inscrutabilia illius judicia refert hominum lapsorum reprobationem: ergo censuit, eam non fuisse factam ex prævisione demeritorum: alioquin enim ea demerita pro causa reprobationis, non autem solam Dei voluntatem protulisset. Antecedens probatur ex his S. Doctoris verbis 1.p.q.23.art.5.ad 3. *Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* Particula illa exceptiva *Nisi*, quamcumque aliam causam excludit, ac proinde ipsam peccati prævisionem.

Id verò S. Thomas probat authoritate S. Augustini tractatu 26. in Joannem, ubi sic loquitur: *Quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare.* Probat iterùm ex comparatione partium materiæ, in quibus quòd hæc pars hanc habeat formam, & illa aliam, pendet ex sola Dei voluntate: *Quare hæc pars materiæ est sub ista forma, & ista sub alia, dependet ex simplici divina voluntate, sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia.*

Idem Angelicus Doctor in 1. ad Annibal. dist. 41. quæst. unica art. 3. docet, voluntatem non dandi gloriam non habere ex parte hominis reprobi aliquam causam: *Nec* (inquit) *requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo:* haberet tamen causam, si demeritorum prævisionem supponeret.

Resp. dist. ant. S. Thomas ad solam Dei voluntatem refert reprobationem comparativam, conc. ant. reprobationem absolutam, neg. ant. Ista (ut jam diximus de Augustini sententia) causam habet, nempè peccatum, saltem originale; illa verò nullam habet ex parte reprobi. Quòd autem S. Doctor in locis, quæ nobis objecta sunt, loquatur de reprobatione comparativa, evidens est ex verbis, quibus utitur: *Quare hos elegit in gloriam, illos reprobavit.* Evidens est quoque ex Augustini textu, quem laudat: *Quare hunc trahat,* &c. Evidens est tandem ex similitudine, quam desumit ex rebus corporeis: *Sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quòd ille lapis est in ista parte parietis, & ille in alia.*

Eadem ratione explicari debet textus, qui secundo loco objectus est ex 1. ad Annibal. Supposito nimirùm, quòd tum prædestinatus, tum reprobus æqualiter rei sint, certum est id, quod affirmat S. Thomas, scilicet, ex parte reprobi non esse causam, cur reprobus sit, dum alius est prædestinatus, nec potest à Deo quærere rationem, cur prædestinationis gratiam illi non concesserit, quam annuit alteri. Deus enim respondere posset, *non requiri* (ut verbis S. Doctoris utar) *rationem, quare non dem alicui, cui dare non debeo.*

Instabis 1. Non est in S. Thoma fundamentum distinguendi reprobationem negativam in absolutam, & comparativam. 2. Præterea admissa etiam illa distinctione, non est ratio, cur asseratur S. Thomam censuisse istam non habere causam præter Dei voluntatem, illam verò pro causa prævisionem demeritorum.

Resp. ad 1. Angelicum Doctorem variis in locis tradere distinctionem, de qua agitur. Et sanè duplex est apud eum reprobatio: *in generali*, quæ quidem est omninò idem cum absoluta, & altera *in speciali*, quæ non differt a comparativa: *Circa electionem bonorum, & reprobationem malorum* (inquit in comment. Epist. ad Rom. cap. 9. lect. 45.) *duplex quæstio moveri potest: una quidem in generali, quare Deus velit quosdam indurare, & quorumdam misereri: alia verò in speciali, quare velit hujus misereri, & hunc vel illum indurare.*

Resp. ad 2. posita distinctione reprobationis absolutæ a reprobatione comparativa, S. Thomas docet, illius, non autem istius reddi posse rationem: *Et potest quidem* (inquit) *ratio hujus quæstionis assignari; secunda autem quæstionis non potest assignari, nisi simplex Dei voluntas, cujus exemplum patet in rebus humanis.* Idem utriusque reprobationis discrimen expresse tradit in caput 6. Joannis, ubi sic loquitur: *Quare autem non omnes aversos trahit, sed aliquos, licet sint omnes æqualiter aversi; ratio quidem IN GENERALI potest assignari, ut scilicet in illis, qui non trahuntur, appareat & refulgeat ordo divinæ justitiæ: in illis autem, qui trahuntur, immensitas divinæ misericordiæ: Quare autem IN SPECIALI trahat hunc, & illum non trahat, non est ratio aliqua, nisi beneplacitum voluntatis divinæ.* Si quis pro distinctione, de qua est quæstio, clarius aliquid desideret, lucem in ipso sole desiderabit.

§. V.

Quid rationibus Theologicis statui possit de reprobatione negativa.

CONCLUSIO. Rationibus Theologicis suadetur, reprobationem negativam non fuisse factam independenter a demeritorum prævisione.

Probatur 1. Deus (ut hujusce articuli paragrapho 1. observatum est) vere odit eum, quem reprobat: *Esau autem odio habui*; atqui Deus neminem odit, nisi propter peccatum: ergo reprobat etiam negativè, propter peccatum.

Probatur 2. Reprobatio negativa quorumdam hominum non fuit facta ante electorum prædestinationem, ut superiùs dictum est: atqui electorum prædestinatio facta est post peccatorum prævisionem; neque enim facta fuit ante Christi prædestinationem: prædestinatio autem Christi supponit prævisionem peccati, cum ex Augustino, & S. Thoma, si homo non peccasset, Verbum Incarnatum non fuisset.

Probatur 3. Creaturæ rationali innocenti, saltem in statu, in quo res sunt, elevationis scilicet ad finem supernaturalem, beatitudo cœlestis negari non potest independenter a demeritorum prævisione: ergo nec sine ea potest reprobari reprobatione etiam negativa.

Probatur ant. Creatura rationalis innocens, cui negaretur cœlestis beatitudo, esset summe misera: atqui creatura rationalis innocens non potest esse summe misera: ergo, saltem in statu, in quo res sunt, beatitudo cœlestis negari non potest creaturæ rationali innocenti. Minor propositio exprese traditur ab Augu-

 stino

stino lib. 1. operis imperfecti: *Sub Deo justo* (inquit) *miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest*; id nimirum vetat lex æterna, quæ (eodem Augustino teste) *jubet, ut omnia sint ordinatissima*. Major verò sic ostenditur: Summa est creaturæ miseria non consequi finem, ad quem condita est, & cujus vehemens experitur desiderium: *Qui appetit* (ait Augustinus lib. de moribus Ecclesiæ c. 3.) *quod adipisci non potest, cruciatur*. Creatura, cui negaretur beatitudo cœlestis, vel amaret patriam, seu cœlestem illam beatitudinem, vel non amaret: Si primum, non potest, quin sit summè misera: *Si amatur patria* (inquit Augustin. Serm. 14. de verbis Apostoli c. 6.) *magna pœna*. Si secundum, cœcitas & obduratio sunt pœnæ, ac proinde miseriæ, ipsa beatitudinis privatione graviores: *Si autem* (ait ibidem S. Doctor) *non amatur patria, pejor est cæcitas pœna*.

§. VI.

Cujusnam peccati prævisionem supponat reprobatio negativa.

Not. 1. Certum est, reprobationem in parvulis supponere prævisionem solius peccati originalis: alterius enim rei esse non possunt, qui sine baptismo, Deo sic disponente, moriuntur.

Not. 2. Apud eos omnes, quibus placet, prædestinationem non esse gratuitam, hoc est, ante prævisa merita, reprobatio, etiam negativa, pendet ex demeritorum, tum originalis, si nusquam remitti debeat, tum actualium, in quibus reprobus moriturus est.

Not. 3. Inter eos, qui docent, prædestinationem esse gratuitam, duplex est sententia circa difficultatem, de qua agitur. Nonnulli docent peccata actualia præsupponi reprobationi, etiam negativæ, præsupponi reprobationis decreto, eorum hominum respectu, quibus peccatum originale per baptismum remitti debet. Alii e contra sentient, solum peccatum originale præsupponi reprobationi negativæ, sive illud peccatum quoad culpam aliquando per baptismum remitti debeat, sive nusquam debeat remitti.

CONCLUSIO. Reprobatio negativa non præsupponit prævisionem alicujus actualis peccati, sed solius originalis, sive aliquando remitti debeat, sive non debeat remitti.

Probatur 1. ex Scriptura. Reprobatio negativa non præsupponit prævisionem peccati, quod Scriptura expresse excludit a reprobatione negativa Esau; in eo quippe (ut suo loco dictum est) Apostolus omnium hominum reproborum typum expressit: atqui Scriptura ab Esau reprobatione negativa expresse excludit quodlibet actuale peccatum: *Cum* (inquit) *nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali .... Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Probatur 2. authoritate Augustini. S. Doctor versans hæc Pauli verba ad Rom. 9. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali*, asserit, solum peccatum originale fuisse causam odii Dei in Esau: *Quid* (inquit epist. 105.) *oderat in Esau, antequam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum?* atqui odium Dei & reprobatio, etiam negativa (ut hujusce articuli paragraph. 1. ostensum est) idem sunt: ergo solum peccatum originale est, ex Augustino, causa reprobationis negativæ.

Confirmatur. Ex Augustino, reprobatio negativa est derelictio in massa corrupta, sicut prædestinatio est discretio ab eadem massa: atqui ex eodem Augustino, massæ corruptæ nomine intelligitur ea, quæ per peccatum originale sic effecta est: *Merito autem*, (ait S. Doctor epist. 157. ad Optatum) *videretur injustum, quod fiunt vasa ira ad perditionem, si non esset ipsa universa ex Adam massa damnata*: ergo, &c.

Probatur 3. ex S. Thoma. 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. docet, Deum in pœnam peccati originalis quibusdam denegare auxilium necessarium ad fidem & ad charitatem. Quæst. 6. de veritate art. 2. ad 9. scribit, rationem reprobationis esse in hominibus peccatum originale. In commentariis c. 9. epist. ad Rom. pluries docet, tum prædestinatos, tum reprobos in instanti rationis ante actum divinæ voluntatis involvi in massa, quam primi parentis peccatum corrupit. S. Doctoris textus hujusce articuli §. 1 1 c. descriptos legere est.

Probatur 3. ratione Theologica. Illud solum est causa reprobationis negativæ, quod est unica causa primi effectus reprobationis negativæ: atqui solum peccatum originale est causa primi effectus reprobationis negativæ; Siquidem primus effectus reprobationis negativæ est denegatio auxilii ad credendum, ad diligendum Deum, ad perseverandum necessarii, sive illud auxilium sit auxilium, quod nonnulli recentiores vocant versatile, congruum; sive sit auxilium, quod in Thomistarum schola dicitur auxilium, per se, & ab intrinseco efficax: Atqui solum peccatum originale est causa, cur quibusdam denegetur illud auxilium: nam 1. id expresse (ut ex dictis patet) asserit S. Thomas. 2. Idem ante S. Thomam docuerat Augustinus lib. 2. de corrept. & gratia cap. 7. ubi asserit, non solùm eos, qui non audierunt Evangelium, aut qui, eo audito, non crediderunt, sed etiam justos, qui in finem usque non perseverant, *non esse ab illa conspersione discretos, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.*

Objicies 1. Deus non potuit propter solum peccatum originale hominem lapsum non eligere ad regnum cœleste: ergo reprobatio negativa non supponit prævisionem solius peccati originalis. Probatur ant. Ea non electio habet rationem pœnæ in homine ad finem supernaturalem condito: atqui Deus non potuit decernere pœnam propter solum peccatum originale; nam Deus propter id non potuit ab æterno decernere pœnam, quod per baptismum remissurus erat in tempore: atqui Deus per baptismum peccatum originale remissurus erat in tempore; quippe multi reprobi in infantia baptizantur, ac proinde peccati originalis remissionem consequuntur: *Si quis* (ait Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5.) *per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, anathema sit*: eam verò fidei definitionem sacra Synodus confirmat ex Apostolo, qui ad Rom. 8. scribit, *nihil esse damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem*. Addit laudata Synodus, in baptizatis nihil prorsus esse, quod *eos ab ingressu Cœli remoretur*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. dist. maj. Quod remissurus erat tum quoad culpam, tum quoad omnem pœnalitatem, conc. maj. Quod remissurus erat quoad culpam, & non quoad omnem pœnalitatem, neg. maj. Distinguo pariter min. Atqui Deus peccatum originale in aliquibus reprobis per baptismum remissurus erat in tempore quoad culpam, & non quoad omnem pœnalitatem, conc. min. quoad culpam & omnem pœnalitatem, neg. min.

Ratio solutionis est, quia licet Deus verè peccatum originale nonnullis per baptismum remittat quoad culpam, non remittit tamen quoad omnem pœnalitatem; nempe duæ sunt præcipuæ pœnalitates, quæ ex peccato originali proficiscuntur, concupiscentia nimirum, & privatio perseverantiæ, quæ ex Concilio Tridentino, sess. 6. can. 12. est ex speciali Dei auxilio. Prior remanet in omnibus baptizatis, sive sint prædestinati, sive reprobi: *Manere autem* (inquit Concilium Tridentinum sess. 5.) *in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur & sentit, quæ cum ad agonem relicta sit,*

nocere

vocare non consentientibus non valet. Altera in iis omnibus habet locum, qui non sunt ex prædestinatorum numero, etiamsi baptizati fuerint. Id apertè docet Augustinus lib. de dono perseverantiæ cap. 8. ubi quærenti, *cur quibusdam, qui Deum coluerunt bona fide, perseverare usque ad finem non dedit*, respondet, perseverantiam non esse debitam naturæ, sed esse gratiam, quæ potest negari; cur autem negetur, tradit capitis initio: *Ex uno quippè* (inquit) *omnes in condemnationem, non in justitiam judicati sunt ire, sed justam. Qui ergo liberatur, gratiam diligat; qui non liberatur, debitum agnoscat.*

Instabis. Vel reprobus, qui in infantia baptismum recepit, damnatur propter peccatum originale, vel non damnatur propter peccatum originale. Si primum, falsa erit Apostoli sententia: *Nihil est damnationis, &c.* Si secundum, peccatum originale non erit causa reprobationis; quod est contra suppositionem.

Resp. reprobum, de quo agitur, non damnari *proximè & immediatè* propter peccatum originale, sed *remotè tantum & radicaliter*; non damnatur *proximè*, quia nulla peccati originalis culpa remanet in reprobo, qui in infantia baptizatus est, nec unquam reditura est culpa, quæ baptismum præcesserat; sed damnatur *remotè & radicaliter* propter idem peccatum originale, quatenùs, eo licet quoad culpam perfectè dimisso, remanet tanquam pœnalitas privatio specialis auxilii, quod in statu naturæ lapsæ ad actu perseverandum requiritur.

Confirmatur solutio ex eo, quòd argumentum a baptismo reprobis in infantia dato petitum, Semi-pelagiani Augustino proposuerint; Scilicet, teste Prospero, hæc erat secunda Gallorum adversùs S. Doctorem objectio: *Quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum*; non alia vero ratione solvit S. August. solvit S. Prosper, quam ea, quæ modò a nobis relata est. Non alia etiam ratione solverunt Patres Africani, in Sardinia exules: sic enim in epist. synodica cap. 7. loquuntur: *In Esau verò judicium justa severitatis ostendit; qui sacramento quidem circumcisionis octavo die secundùm tenorem divinæ constitutionis accepto, reatu peccati originalis caruit, sed per nequitiam cordis in hominis terreni vetustate permansit, illius ibi judicio derelictus, qui gratis salvat, justeque damnat.*

Objicies 2. Eodem modo ratiocinandum est de homine innocente, ac de homine lapso; atqui homo innocens privatus non fuit speciali perseverantiæ dono in pœnam præcedentis alicujus peccati; ergo nec homo lapsus eo privatur in pœnam originalis peccati.

Resp. 1. illud argumentum olim a Semi-pelagianis objectum fuisse Augustino: *Neque enim* (ajunt in epist. Hilarii ad Augustinum) *dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus a massa perditionis gratiæ largitate; nondum quippè erat illa in genere humano perditionis massa, antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.* Inde verò colligitur, Semi-Pelagianis persuasum fuisse, quòd Augustinus in pœnalitates peccati originalis, etiam quoad culpam dimissi, retulerit privationem specialis doni, ad actu perseverandum requisiti.

Resp. 2. neg. maj. Ratio disparitatis est, quia homo innocens non indigebat (ut tamen propter infirmitatem ex originali peccato contractam indiget homo lapsus) dono aliquo speciali ad perseverandum; satis ei fuit, propter integritatem, qua pollebat, auxilium versatile ex se indifferens, & a libero Adami arbitrio determinandum; quemadmodum revera determinatum fuit ab Angelis, qui in justitia perseverarunt. Hinc patet, falsò supponi, quòd Adamus innocens privatus fuerit aliquo dono sibi ad actu perseverandum necessario: *Si autem* (inquit Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 11.) *hoc adjutorium vel Angelis, vel homini, cum primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent; adjutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est* (originalis haud dubie, ut patet in iis, qui primùm ethaliter peccat) *quibus autem datur, secundum gratiam datur.*

Objicies 3. Defendi non debet opinio, quæ perraro in scholis auditur; atqui ejusmodi est ea, quæ docet, peccatum originale in baptismo aliquando dimittendum, esse causam reprobationis negativæ; imo reperire est Theologos, qui eam gravis censuræ nota perstringunt: ergo, &c.

Resp. quidquid sit de majori propositione, de qua plura diximus harum Institutionum, agentes de locis Theologicis, neg. min. Nam 1. trita est ea opinio in schola S. Thomæ; fuse de ea disserit, multisque eam probat Joannes Baptista Gonetus tomo 4. Clypei Thomistici disp. 5. art. 3. ubi plures sui Ordinis Scholasticos pro ea laudat: 2. Extra S. Thomæ scholam propugnatur a Suarez in 1. p. lib. 5. de reprobat. cap. 5. a Didaco Ruitz disp. 14. de prædestin. sectione 4. & sequentibus: Omnibus aliis Societatis Jesu Theologis defendenda proponitur a Reverendissimo Patre Claudio Aquaviva totius Societatis Præposito Generali; hæc enim habet pag. 24. libri de ratione studiorum Societatis editi Romæ an. 1586. *Reprobationis, qua cæteri homines excidere ab æterno sine permissi sunt, causa fuit peccatum originale.* Hinc patet, quantum temeraria sit quorundam recentiorum in sententiam, de qua agitur, censura: ferit nimirùm illa censura non tantùm Scholasticos, quos modò recensuimus, sed ipsum etiam Augustinum, qui eam doctrinam asseruit epist. ad Sixtum, 106. ad Paulinum, 157. ad Optatum, in Enchiridio c. 98. lib. 2. ad Bonifacium cap. 7. Ferit quoque Fulgentium, a quo etiam defenditur lib. 1. de verit. prædest. & gratia; Prosperum ad septimam objectionem Gallorum, Africanos Patres in Sardinia exules epist. Synodica cap. 6. S. Thomam iis omnibus in locis, quæ a nobis parag. 3. superiùs laudata sunt.

CAPUT III.

De effectibus reprobationis.

Not. 1. INter effectus reprobationis recenseri possunt, permissio peccati, excæcatio, induratio, damnatio æterna, & tandem plura peccata actualia: hic igitur quærendum est, num ea omnia vere & de facto sint reprobationis effectus.

Not. 2. Reprobatio considerari potest, vel in Angelis, vel in hominibus lapsis, ac proindè expendendum est, utrum in utrisque peccati permissio, peccatum ipsum, & æterna damnatio, fuerint effectus reprobationis.

Not. 3. Tria requiruntur, ut aliquid sit causa reprobationis: Necesse est 1. ut sit a Deo, quippe Deus, qui objicit & condemnat reprobum, est causa efficiens reprobationis: 2. ut ad reprobationis finem conducat: 3. ut ad eum finem conducat ex Dei intentione.

CONCLUSIO 1. Permissio peccati originalis non est effectus reprobationis.

Probatur. Quod est causa motiva reprobationis, non est illius effectus, quia causa motiva rei alicujus est prior ipsa re, cum è contra effectus sit ea posterior; atqui peccatum originale, (ut capite superiore ostensum est) fuit causa motiva reprobationis: ergo non est illius effectus.

CONCLUSIO 2. Permissio peccati actualis non fuit in Angelis effectus reprobationis.

Probatur. Illud non fuit effectus reprobationis in Angelis, quòd præcessit reprobationem Angelorum; nam effectus non potest esse prior sua causa; atqui permissio peccati præcessit reprobationem Angelorum;

quippe

quippè (ut superiùs ostensum est) Angeli a Deo reprobati non fuerunt, nisi post prævisa eorum demerita.

CONCLUSIO 3. Permissio peccati actualis, quòd nusquam debet remitti, est effectus reprobationis. Est contra plures recentiores, quibus placet, ejusmodi peccati permissionem reduci ad providentiam generalem ordinis supernaturalis.

Probatur. Permissio peccati actualis, de quo agitur, habet omnes conditiones requisitas, ut sit effectus reprobationis. Nam 1. ea permissio est a Deo: 2. confert ad reprobationis finem: 3. ad eum finem confert ex intentione divina.

Confirmatur ex S. Thoma, qui hic art. 3. in corpore sic loquitur: *Sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam*: quibus quidem verbis S. Thomas asserit, peccati permissionem in reprobationis negotio se habere, sicut respectu prædestinationis se habent gratia & gloria; Atqui gratia & gloria sunt effectus prædestinationis: ergo, ex S. Thoma, in reprobis permissio peccati actualis nusquam remittendi est effectus probationis.

CONCLUSIO 4. Derelictio per denegationem specialis doni perseverantiæ, est effectus reprobationis.

Probatur. Reprobatio est causa, cur Deus non det justo, qui reprobus est, speciale donum perseverantiæ. Interroganti adversario, *Cur quibusdam, qui Deum coluerunt bona fide, perseverare usque in finem non dedit*, sic cap. 8. libri de dono perseverantiæ, Augustinus respondet: *Cur putas, nisi quia non mentitur qui dicit: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis? nam, si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum...... Quia non erant secundum propositum vocati, non erant electi in Christo ante constitutionem mundi, non erant prædestinati secundum propositum ejus*. Plura loca similia legere est iis locis, ubi de causa prædestinationis, & de causa reprobationis dictum est.

CONCLUSIO 5. Excæcatio & induratio, in impiis, qui sunt e reproborum numero, sunt effectus reprobationis.

Probatur. Excæcatio & induratio idem sunt ac integra hominis impii derelictio; atqui integra derelictio est (ut mox dictum fuit) effectus reprobationis: ergo, &c. Major constat ex Augustino, qui Epist. 105. docet, Deum ipsum excæcare & indurare impios, *non quidem impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.*

CONCLUSIO 6. Peccata ipsa non sunt in reprobis effectus reprobationis.

Probatur. Ex observatis, ut aliquid sit effectus reprobationis, requiritur, ut sit a Deo; atqui peccata nec sunt, nec esse possunt a Deo: ergo non sunt effectus reprobationis.

CONCLUSIO 7. Æterna tum damni, tum sensus pœna sunt effectus reprobationis.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ Matthæi 25. expressè asserit, ignem æternum esse paratum, ac proindè prædestinatum diabolo, & Angelis ejus: 2. ex Augustino, qui lib. 15. de civit. Dei docet duas esse hominum societates, quarum una est prædestinata regnare cum Deo, altera verò æternum supplicium subire cum diabolo: 3. ex Concilio Valentino, quod sub Lothario habitum est: *Fidenter fatemur* (inquiunt laudati Concilii Patres can. 3.) *prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem.*

CAPUT IV.

De numero Reproborum.

Not. CIrca numerum reproborum quæri potest: 1. an sit Deo certus: 2. an multò major sit electorum numero: 3. quos fructus electi percipiant ex eo reproborum numero.

CONCLUSIO 1. Dei respectu, non autem nostri, certus est reproborum numerus.

Probatur prior conclusionis pars iis omnibus argumentis, quibus agentes de prædestinatione, demonstravimus, numerum electorum esse Deo cognitum, non in genere tantùm, sed etiam in specie, & in individuo.

Probatur altera pars conclusionis: 1. ex eo, quòd pro omnibus omninò hominibus (ut monet Apostolus 1. ad Timoth. 2.) orare debeamus; non possemus autem, Augustino teste, pro iis orare, quos certò sciremus esse de reproborum numero; neque enim id a Deo petere licet, cujus contrarium certissimè scimus eum velle: 2. Nemo certò sit, quinam sint è prædestinatorum numero: ergo neq; quinam sint e numero reproborum. Antecedens de quo in Tractatu de gratia fusè contra Calvinistas disseremus, probant hæc verba Concil. Trident. sess. 6. c. 12. *Nemo quamdiù in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò præsumere debet, ut certè statuat, se omninò esse in numero prædestinatorum.*

Confirmatur ex eo, quod nemo certò scire possit, utrum sit in statu gratiæ; quòd nemo (ex suppositione, quod sit in statu gratiæ) noverit utrum usque in finem sit perseveraturus: *Similiter* (ait idem Concilium Trident.) *de perseverantiæ munere nemo certi sibi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent.*

CONCLUSIO 2. Reproborum numerus multò major est electorum numero.

Probatur 1. ex Scripturis. Matth. 7. hæc habentur: *Lata & spatiosa est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: angusta est porta, & arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Hæc quoque leguntur Lucæ 13. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Unde Isaiæ 17. & 24. electi comparantur spicis, quæ remanent in agro post collectam messem; vel uvis, quæ facta vindemia supersunt in vinea; vel olivis, quæ excussa olea in illius summitate, vel in rami alicujus cacumine remanent.

Probatur 2. ex Patribus. Chrysostomus hæc habet homilia 14. ad populum Antiochenum: *Quot putatis esse in Civitate nostra*, Antiochena, sexcentis hominum millibus constanti, *qui salvi fient? non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salventur; quin & de his dubito.* Ratione confirmat: *Quanta enim in juvenibus malitia, in senibus torpor?* Augustinus in Psal. 48. hæc etiam habet: *Quod sunt illi, qui videntur observare præcepta Dei? vix invenitur unus, vel duo, aut paucissimi: ipsos solos liberaturus est Deus, & cæteros damnaturus.*

Rationes profert S. Doctor, cur Deus voluerit tantum esse reproborum numerum: *Ut ex pluribus* (inquit in Enchiridio ad Laurentium c. 99.) *non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur, quid meruisset universa conspersio, & quod etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi ejus indebita misericordia subveniret.* Aliam rationem tradit Epist. 157. ad Optatum: *tam multos autem creando nasci voluit, quos ad suam gratiam non pertinere præscivit, ut in multitudine incomparabili plures sint illis, quos Deus in sui regni gloriam filios promissionis prædestinare dignatus est, ut etiam ipsa rejectorum multitudine ostenderetur, quam nullius momenti sit apud Deum justum quantalibet numerositas justissimè damnatorum.* Tam parvi Deus facit ingentem illam reproborum multitudinem, ut sæpiùs permittat, regna integra bellis commoveri, ut uni & alteri electo consulat.

Probatur 3. ratione. Homo lapsus in triplici statu considerari potest; naturæ, legis, & gratiæ; atqui in illo triplici statu numerus reproborum fuit semper major electorum numero. De hominibus nimirùm, qui ad Noemum usque in priori statu vixere, hæc habentur Genesis

6. Vi-

6. Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra.

De Judæis omnes ferè libri veteris Teſtamenti conqueruntur, ſed ſatis ſint hæc verba Pſal. 13. *Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.*

Confirmatur ex eo, quòd ii, qui ex Judæis ſervabant legis corticem (qui tamen erant pauciſſimi) major pars non ex amore juſtitiæ, ſed tantùm aut ex timore pœnæ, aut propter hujus vitæ commoda Moſaicis præceptis obtemperarent: *Illi etiam*, inquit Auguſtinus lib. 3. ad Bonifacium cap. 4. *quicunque ibi erant, ſola quæ ibi Deus pollicetur, terrena promiſſa ſectantes, & quid pro novo teſtamento ea ipſa ſignificent ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta ſervabant; imò non ſervabant, ſed ſibi ſervare videbantur; neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis.*

In iis, qui poſt adventum Chriſti vixerunt hactenùs, & nunc etiam vivunt, majorem eſſe reproborum numerum, quam electorum, varia momenta demonſtrant. *Primò*, ex Orbis partibus, quæ incoluntur ab hominibus, vix quarta pars Chriſtianam fidem profitetur. 2. Ex Chriſtianis plurimi ſunt aut hæretici, aut ſchiſmatici. 3. Ex Catholicis pauci ſunt, qui ad Evangelii normam mores exigant ſuos.

Quæres, cur Deus permittere voluerit, ut reproborum, quam electorum major ſit numerus?

Ad eam quæſtionem hiſce verbis reſpondet Auguſtin. lib. 2. contra Julianum: *Quare ſint illi plures, quàm illi, conſilium Dei velle eſſe multorum eſt; noſſe autem vel pauciſſimorum hominum, vel omninò nullorum.* Epiſt. 59. ſcribit, *Deum tam multos creare reprobos in uſus profundarum cogitationum ſuarum*. Lib. 5. contra Julianum cap. 4. Deum uti tanto illo reproborum numero ad bonum, & utilitatem electorum: *Cæteri autem mortales*, inquit, *qui ex iſto numero non ſunt, & ex eadem quidem maſſa, ex qua & iſti, ſed vaſa iræ facti ſunt, ad utilitatem naſcuntur iſtorum*: In quo autem ea utilitas poſita ſit, ſubſequenti concluſione declaratur.

CONCLUSIO 3. Ex ingenti reproborum numero, exiguus electorum numerus plures fructus percipit.

Probatur enumeratione. *Primò*, reprobi electis operam ſuam conferunt ad ea, quæ mortali huic vitæ ſuſtentandæ neceſſaria ſunt; id autem providit Deus, ne electi in terrenis bonis quærendis occupentur; *ſed* (ut ait Auguſtinus in Pſal. 104.) *ut ad hoc vacent, unde bonum æternum poſſit acquiri, hoc eſt, ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus requirant.*

Secundò, reproborum abjectione & maledictione electi docentur, quid poſſit hominis lapſi liberum arbitrium, ſuis relictum viribus: *Cæteri autem homines* (ait Auguſtinus epiſt. 106.) *ad iſtam ſocietatem prædeſtinatorum non pertinentes, propter hoc a Deo præſciente creati ſunt, ut in his oſtenderet, liberum deſertoris arbitrium ſine ſua gratia quid valeret.*

Tertiò, docentur, quid ſibi fuiſſet debitum, niſi Deus eorum miſertus fuiſſet. Enchiridii cap. 95. idem S. Doctor ſcribit, eum, qui aſſumitur, agnoſcere, *quid ſibi per judicium deberetur, niſi miſericordia ſubveniret.* Agnoſcunt pariter beneficii ſibi collati præſtantiam, hincque diſcunt, non eſſe in quibuſdam meritis, quæ cum reprobis habent communia, ſed in ſola Dei gratia gloriandum: *Ne glorientur* (ait Auguſtinus lib. 6. contra Julianum, cap. 10.) *tanquam de meritis vita ſua, cùm cognoſcant, hoc ſibi juſtiſſimè reddi potuiſſe, quod vident reddi paribus conſortibus mortis ſuæ*: Diſcunt, deberi a ſe ſummam gratitudinem propter exhibitam ſibi ſummam miſericordiam: *Sed humiliter gratias agit* (ait idem Auguſtinus lib. 4. contra Julianum cap. 8.) *quando in illo, à quo debitum exigitur, quid in eadem cauſa ſibi debeatur, agnoſcit.*

Quartò, ad reprobatorum damnationem, prædeſtinati perutili timore concutiuntur, præcaventque, ne eorum tum ſuperbiæ, tum incredulitatis exemplum imitentur: *Quòd vaſa eos facit perditionis* (ejuſdem ſunt S. Doctoris verba lib. 1. qu. 2. ad Simplicianum) *ad uſum aliorum correctionis facit.*

Quintò, reproborum malitia & iniquitate, prædeſtinati ad virtutem, & profectum exercentur: *Ne putetis* (inquit Auguſtinus in Pſal. 54.) *gratis eſſe malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur.*

Tandem electi ex reproborum impugnatione manifeſti fiunt: *Deus* (inquit S. Doctor epiſt. 141.) *etiam malis eorum* (reproborum) *benè utitur, non ſolùm ad juſtitiam ſuam, qua eis digna in fine retribuet, ſed etiam ad exercitationem & profectum Sanctorum ſuorum, ut ex ipſa etiam malorum perverſitate boni proficiant, & probentur, & manifeſtentur, ſicut Apoſtolus ait: Oportet hæreſes eſſe, ut probati, manifeſti fiant inter vos.*

Prioris Partis Inſtitutionum Theologicarum Finis.

INSTI-

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PARS SECUNDA.

De Deo Trino.

Alteram hanc nostrarum Institutionum Theologicarum partem dividemus in quinque dissertationes. In priore dicemus de existentia SS. Trinitatis; in secunda, de processione divinarum personarum; in tertia de divinis relationibus; in quarta de personis in communi; in quinta denique de divinis personis in particulari. Is nostrarum dissertationum ordo videtur ad rectam exactus methodum. Scilicet personæ relationibus constituuntur, relationes verò fundantur in processionibus; proindeque par est, ut tractemus de processionibus, ac relationibus, antequam de personis sermonem instituamus.

DISSERTATIO PRIMA.

De existentia SS. Trinitatis.

Not. 1. Sanctissimæ Trinitatis mysterium in eo positum est, quòd una divina essentia in tribus personis realiter a se invicem distinctis subsistat: *Catholica fides* (inquit Leo Magnus Epist. 93.) *Patrem & Filium & Spiritum Sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credit æquales, quia unitatem in Trinitate, non eadem persona, sed eadem implet essentia.*

Ante Leonem Magnum Augustinus, idem Trinitatis mysterium lib. 1. de Trinitate, cap. 4. hisce verbis explicuit: *Omnes, quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quæ Deus est, divinorum librorum veterum & novorum Catholici tractatores hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater & Filius & Spiritus Sanctus unius ejusdemque substantiæ inseparabili æqualitate divinam insinuent unitatem; ideòque non sint tres Dii, sed unus Deus. Quamvis Pater Filium genuerit, & ideo Filius non sit qui Pater est; Filiusque à Patre sit genitus, & ideò non sit Pater qui Filius est; Spiritus Sanctus nec sit Pater nec Filius, sed tantùm Patris & Filii spiritus, Patri & Filio etiam ipse coæqualis, & ad Trinitatis pertinens unitatem.*

Not. 2. Ut igitur SS. Trinitatis existentia asseratur, probari debet; 1. Trinitas personarum in divinis; 2. Unitas naturæ; 3. oportet expendere, utrum illud mysterium cognosci possit.

QUÆSTIO I.

De Trinitate personarum in divinis.

Not. 1. Trinitatem personarum in divinis negant *primò* Judæi, contendunt enim ea Deorum pluralitatem invehi. *Secundò*, eam quoque negarunt quidam Montanistæ, nempe id aperte testatur Tertullianus in libro de Præscriptionibus, cap. ultimo: ipse tamen Montanus eo in capite cum Catholicis censuit, ut videre est apud Epiphanium hæresi 48. & apud Theodoretum lib. 3. hæreticarum fabul. cap. 2. *Tertiò*, in eundem errorem incidit Praxeas, quem Tertullianus singulari libro confutavit. *Quartò*, Noetus Ephesius, qui circa annum Christi 245. prodiit, eandem hæresim docuit, ut scribit Epiphanius hæresi 57. *Quintò*, Sabellius natus in Libya sub annum 257. in eundem scopulum incidit, ut videre est apud Eusebium hist. lib. 7. cap. 6. Ab isto ii, qui deinceps impium illud dogma propugnarunt, dicti sunt Sabelliani, quòd Sabellius iis, qui præcesserant, diligentiùs ac vehementiùs errorem, de quo agitur, defenderit. *Sextò*, circa annum 265. Paulus Episcopus Samosatenus, idem, quod antea Sabellius, virus propinavit: unde & quòd negaret personarum distinctionem, & Christi divinitatem, anno 270. in altero Concilio Antiocheno Episcopali sede dejectus est.

Not. 2. Novatores, qui mox relati sunt, passim à veteribus dicti sunt Patripassiani, quòd nimirùm ex eorum doctrina consequens esset, Patrem & crucifixum & passum fuisse pro nobis. *Sabelliani* (inquit Augustinus tract. 26. in Joannem) *dicti sunt quidam heretici, qui vocantur Patripassiani; qui dicunt, ipsum patrem passum fuisse.*

Not. 3. Michael Servetus Hispanus extinctam jamdiu Sabellii hæresim iterùm elapso proxime sæculo in orbem invexit, editis quibusdam libris, quos de *Erroribus Trinitatis* inscripsit. Apud Polonos ac Transilvanos obtinuit Serveti error agentibus Georgio Blandrata, Paulo Alciato, Francisco David, Fausto Socino Senensi, qui peragratis variis orbis regionibus, tandem sedem fixit suam in Polonia, ubi diem extremum clausit.

Not. 4. Hic cum Judæis & cum Hæreticis est agendum: expendendum est itaque 1. utrum pluralitas personarum in divinis adversùs Judæos probari possit ex Antiquo Testamento; 2. utrum adversùs Hæreticos asseri quoque possit ex Novo.

CAPUT PRIMUM.

Utrum pluralitas personarum possit probari ex Antiquo Testamento.

CONCL. Pluralitas personarum in divinis potest ex Antiquo Testamento probari.

Probatur. Plura sunt loca in Antiquo Testamento, quæ (etiam seclusa Patrum traditione) si personarum in divinis pluralitatem non demonstrent, innuunt tamen, saltem obscurè.

Primò. Genesis cap. 1. Deus hominem conditurus sic loquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; atqui iis verbis innuitur pluralitas personarum in divinis; includunt enim plurium de homine faciendo consultationem: ii verò non sunt plures natura, scilicet, apud ipsos etiam Judæos, constat, unum natura Deum esse hominis conditorem, ergo sunt plures personæ; ac proindè in divinis est pluralitas personarum.

Dices 1. verba de quibus agitur, esse unius tantùm personæ in plurali numero ob sui dignitatem (ut Principes solent) loquentis.

Sed inanis est illa responsio: nam etiamsi personæ quædam nobiles nonnunquam ob sui dignitatem in plurali numero loquantur, nullibi tamen Deus ipse eam loquendi rationem adhibuit, nisi eùm (ut observat Theodoretus quæst. 19. in Genesim) innuit numerum personarum Trinitatis.

Dices 2. verba, quæ ex Genesi laudata sunt, inducere Deum cum Angelis, non autem cum aliis divinis personis loquentem.

Sed falsa est illa responsio, Nam 1. homo creatus non fuit ab Angelis, imò nec quidquam ad illius creationem, etiam per modum instrumenti, contulerunt. 2. Homo factus est ad imaginem earum personarum, quas laudato loco Deus alloquitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*: Atqui homo non est factus ad Angelorum, sed Dei, imaginem. Vide Tertullianum lib. de Resurrectione carnis, c. 6. Clementem Alexandrinum, 5. Stromatum cap. 6. Irenæum lib. 4. cap. 37.

Quæres, cujus personæ sint verba, de quibus agitur: an Patris, an Filii, an Spiritus Sancti, an trium personarum simul?

Resp. varias esse de proposita quæstione Patrum sententias. Augustinus lib. 1. de Trinitate, cap. 7. docet, vocem, *Faciamus*, esse Dei Patris alloquentis Filium, qui & magni consilii Angelus & Patris consiliarius in Scripturis appellatur. Basilius lib. 4. contra Eunomium vult, vocem esse non ad Filium modò, sed etiam ad Spiritum Sanctum. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Thesauri adversùs Julianum, Fulgentius lib. 1. de fide ad Petrum, cap. 1. contendunt, verba, de quibus agitur: *Faciamus*, &c. toti Trinitati convenire, hoc est, non unius tantùm esse personæ, sed omnium simul. Utra ex iis Patrum sententiis eligatur, stabit semper argumentum, quod pro personarum pluralitate ex laudato loco desumitur.

Secundò, Veritas, de qua agitur, iis locis probari potest, quæ Deum plurali numero loquentem inducunt, ut sunt ista Geneseos 111. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*: Genesis 11. *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*; neque enim verba illa sunt Dei Angelos alloquentis, cum nulla aut præcedat, aut subsequatur Angelorum mentio.

Tertiò, Hæc Psalmi 160. verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, non de Davide, aut de alio a Christo intelligi possunt: nimirùm Judæi æquales Christi, de solo Messia eam Psalmi sententiam intelligebant, cum Christus ipse Matthæi 22. ea usus sit, ut se ipsum adversus Judæos tueretur. Præterea de eo Filio intelligi debent, cui in eodem Psalmo hæc promissa sunt: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: ea autem Davidi promissa non fuerunt, sed soli Messiæ. Atqui in iis verbis persona Filii apertè distinguitur a persona Patris; ergo in Deo sunt plures personæ.

Quartò, Hæc Psalmi 109. verba: *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis*, sunt Dei ipsius, Filium a se genitum alloquentis. *Ex utero ante Luciferum genui te*; ergo personarum distinctionem important; neque enim eadem persona potest sub eodem respectu esse simul & generans & genita.

Sexto, In his verbis Genesis 19. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem à Domino de cœlo*, Dominus a Domino, hoc est, Filius a Patre distinguitur quoad personam. *Dominus a Domino*, licet quoad operationem, illi conjungatur, *pluit super Sodomam & Gomorram*. Loco illo adversùs Judæos usi sunt Justinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. adversùs hæreses, cap. 7. Tanti roboris adversùs Sabellianos visus est Concilio, quod contra Photinum Sirmii celebratum est, ut anathema dixerit iis, qui eum detorquerent in alium sensum: *Si quis* (inquit) *Pluit Dominus à Domino, non de Filio & Patre intelligat, sed ipsum a se dicat pluisse, anathema sit. Pluit enim Dominus Filius à Domino Patre.*

Septimò, Nonnulli veritatem, de qua agitur, probant verbis, quibus trium puerorum Canticum clauditur: *Benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, laudemus & superexaltemus eum in secula*. Verùm non sunt Cantici illa verba, sed ei addita sunt ab Ecclesia, quemadmodum cuique Psalmo additus est glorificationis hymnus: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.*

Quæres, cur Spiritus Sanctus Trinitatem in antiquo testamento aperte non expresserit?

Resp. id sapienti œconomia factum fuisse; nempè periculum erat, ne Judæorum promiscuum vulgus ad exemplum Ægyptiorum, a quibus plures Dii colebantur, in tribus hypostasibus trinam Dei essentiam inesse judicaret.

CAPUT II.

Utrum personarum in divinis distinctio possit ex Novo Testamento demonstrari.

Not. Ad revincendos tum Gentiles, tum Judæos, tum Hæreticos, a quibus negatur personarum in divinis distinctio, satis est auctoritas Novi Testamenti. Scilicet ex motivis credibilitatis, quæ harum Institutionum tom. 1. a nobis exposita sunt, constat, stultum esse eum, qui iis auditis motivis, negat Novum Testamentum esse Dei ipsius verbum, cui proindè falsum subesse non possit. Unde licet Spiritus Sanctus personarum divinarum Trinitatem in antiqui Testamenti libris non multùm evidenter expresserit, satis tamen consuluit hominum tum Gentilium, tum Judæorum, tum Christianorum saluti, ad quam mysterii hujus explicita cognitio necessaria est necessitate medii. In Novo nimirùm Testamento, quod cuique sapienti constat esse Dei verbum, aperte (ut mox probabitur) tradit veritatem, de qua est hic quæstio.

CONCLUSIO. Personarum in divinis distinctio potest ex Novo Testamento demonstrari.

Probatur. *Primò*, demonstratur ex Evangelii Joannis capite 1. ubi hæc habentur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum:*

Hoc

Hoc erat in principio apud Deum. In eo textu Verbum apertè distinguitur a Deo; quod enim dicitur fuisse apud Deum, a Deo distinguitur, cum nullum ens propriè dici possit esse apud seipsum; atqui non distinguitur natura; quippe (ut ibidem dicitur) Verbum erat Deus: ergo distinguitur persona. Ita ratiocinantur Tertullianus adversùs Praxeam, cap. 26. Athanasius oratione contra Sabellii Gregales.

Secundò, Christus Joannis 14. sic Apostolos alloquitur: *Si cognovissetis me, & Patrem meum cognovissetis ..... Philippe, qui videt me, videt & Patrem ..... Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? ..... Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*. In eo Joannis loco non tantùm adstruitur unitas naturæ: *Qui videt me videt & Patrem*; sed etiam distinctio trium personarum: neque enim eadem persona potest realiter esse Pater & Filius & Paracletus.

Tertiò, in Christi baptismate, cujus Matthæus meminit, cap. 3. reperitur expressa trium personarum distinctio: 1. Pater de cœlis loquitur: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*: 2. Filius in Jordane baptizatur: *Hic est Filius meus*: 3. Spiritus sanctus visus est in columbæ specie: *Vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se*.

Nec audiendi sunt Sociniani, cum reponunt Filium, de quo textus ille loquitur, non esse Filium naturalem, seu consubstantialem Patri; sed esse Christi personam, quæ (inquiunt) licèt sit mera creatura, ratione tamen unionis, quam habet cum Deo per charitatem, dicitur Deus. Non sunt (inquam) audiendi, tum quod (ut suo loco contra Nestorium dicetur) Christus sit verè ac propriè Deus ratione substantialis unionis naturæ humanæ cum persona Verbi: tum etiam, quòd Christus eò loci non dicatur Filius simpliciter, sed per emphasim quandam, qua distinguitur ab iis, qui per adoptionem tantùm sunt Filii Dei: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*.

Non majoris est ponderis, quod iidem hæretici respondent, nomine Spiritus sancti non intelligi aliquam personam distinctam à Deo Patre, sed solam divinitatis virtutem, qua Christus abunde in baptismo cumulatus fit. Nam 1. Evangelium apud Matthæum, & Lucam, non virtutem, sed personam indicat: *Et descendit Spiritus Sanctus* (inquit Lucas, c. 3.) *corporali specie sicut columba in ipsum*; scilicet descensus, est actio personalis: 2. Dei virtus, Dei proprietas, nusquam in Scripturis descendere dicuntur.

Quartò, idem trium personarum in divinis numerus clarissimè continetur in forma, qua ex mandato Christi, baptisma confertur: *Euntes ergo* (ait Christus Matthæi 28.) *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Scilicet 1. Patris & Filii & Spiritus sancti unam esse (ut inferius dicetur) potestatem, unam operationem, ac proinde & unam naturam, probant hæc verba: *In nomine*; siquidem illa verba significant, authoritate & operatione Patris, & Filii & Spiritus sancti dari tum baptismum, tum baptismi effectum. 2. Distincta appellatio Patris, Filii, & Spiritus sancti, apertè exprimit eorum a se invicem distinctionem. Id nonnulli de Filio, cum censeant eum esse creaturam, concedunt quidem, sed negant habere locum in Spiritu sancto; nempe contendunt non esse personam, sed Dei virtutem; ita ut sensus sit, *baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & virtutis Dei*. Verùm quam vana sit ea responsio, patet 1. ex eo quòd non sit potior ratio, cur appellatio Patris, & Filii denotet duas personas, quam appellatio Spiritus sancti denotet aliam: patet 2. ex eo quòd absurdus sit sensus, quem Adversarii laudatæ sententiæ tribuunt; neque enim rectè dicitur quis operari in nomine, seu authoritate Dei, & virtutis ejus.

Quintò, Veritas de qua agitur, conceptis terminis reperitur primæ Joannis cap. 5. ubi hæc habentur: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*: Nempè voces istæ Pater, Verbum, Spiritus sanctus, non sunt voces synonymæ, siquidem 1. id assereretur sine fundamento, hoc est absque ullo Scripturæ, aut traditionis testimonio. 2. Pater generat Verbum; unde & aliis in locis Verbum dicitur Filius Patris: Pater & Filius mittunt Spiritum sanctum, Spiritus sanctus à Patre & Filio procedit: ac generans & genitus, mittens & missus, procedens & is, à quo procedit, distinguuntur realiter: ergo, &c. 3. Si Pater, Verbum & Spiritus sanctus nomine tantùm, non re distinguerentur, non efficerent tres testes, sed unum tantùm, quod sacro textui repugnat.

Sociniani, duo respondent ad illud argumentum. *Primò*, contendunt, versiculum septimum quinti capitis primæ Joannis Epistolæ non esse ipsiusmet Joannis, sed pluribus sæculis post illius mortem insertum fuisse textui. Probant ex eo quod ille versiculus septimus in Græcis codicibus non legatur, imò nec in pluribus veteribus Latinis. Confirmant ex eo quod nec Augustinus, nec Ambrosius, nec Leo Magnus, qui sæpius & ex professo contra Sabellianos, Arianos & Macedonianos manus conseruerunt, usquam eo versiculo (qui tamen rem conficiebat) usi sint. *Secundò*, (inquiunt iidem Sociniani) quamvis daretur, versiculum septimum, de quo agitur, esse ipsiusmet Joannis, inde tamen non colligeretur, esse tres personas distinctas in Deo: nec enim (addunt) ex eo versiculo magis colligi potest, tres esse personas distinctas in Trinitate, quam ex his ejusdem versiculi verbis: *Et hi tres unum sunt*, colligi potest unam esse in Patre & Filio naturam; atqui id revera colligi non potest, sicut nec ex istis: *Et hi tres unum sunt*, quæ versiculo 8. leguntur, colligi potest, spiritum, aquam, & sanguinem esse unum substantia, & natura.

Sed contra priorem Socinianorum responsionem, cum Authore, qui Estii Commentarium in caput quintum prioris Epistolæ Joannis prosecutus est, dicendum est 1. non in omnibus quidem exemplaribus Græcis, sed in pluribus tantum legi versiculum septimum, de quo est hic quæstio, nempè Robertus ex sexdecim vetustis exemplaribus Græcis ab Italia, Gallia, Hispania, petitis, solummodò notat septem, in quibus versiculus ille non reperitur.

Dicendum est 2. cum doctissimis monachis Benedictinis, fol. 1673. Tom. 1. operum S. Hieronymi, textum, de quo agitur, desiderari quoque in multis vetustissimis exemplaribus Latinis mss. at in pluribus ejusdem ætatis suppleri ad margines librorum: in recentioribus verò semper adesse, non tamen eodem ordine, quia in iis sæpissimè versiculus octavus vulgatæ Latinæ, præcedit versiculum septimum.

Dicendum est 3. quòd cum ille versiculus legatur in pluribus exemplaribus, cum Græcis, cum Latinis, ac præterea ab antiquioribus Patribus, (ut mox dicetur) laudatus sit, revera sit ipsiusmet Joannis textus, initio tamen oscitantia & incuria amanuensium omissus. Nec id mirum est; nihil enim facilius est, quam omittere verba, quæ secundò eadem ac consequenter leguntur, ut videre est duobus exemplis, quæ laudati Monachi ex antiquo Testamento ibidem protulerunt. Proclivis autem admodum (addunt ii Scriptores) fuit lapsus ille in casu, de quo agitur, propter eadem verba, quæ secundo loco dicuntur: nempè, *Tres sunt qui testimonium dant*; & iterum, *Et hi tres unum sunt*. Qui enim a principio scribebant Græca novi Testamenti exemplaria, postquam posuerant in membranis: *Quia tres sunt, qui testimonium dant*, ad exemplar, quòd præ ocolis habebant, recurrentes, facilè priora cum posterioribus sociare potuerunt, relictis omnibus intermediis; & ita errore librariorum in pluribus libris duo versiculi in unicum coaluerunt.

Quumque sequi debuissent, *In cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt*, consequenter scripserunt, *In terra, Spiritus, aqua & sanguis: & hi tres unum sunt.* Hujusmodi exemplaribus imperfectis usi sunt apud Latinos (verba sunt eorumdem Auctorum) qui Græcam epistolam Joannis convertentes, integrum versiculum omittunt, ubi *Pater, Verbum & Spiritus Sanctus* unum esse dicuntur.

Dicendum est 4. eum versiculum laudatum fuisse à vetustissimis Patribus: *De Patre & Filio & Spiritu Sancto scriptum est*, (inquit Cyprianus libro de Unitate Ecclesiæ,) *Et hi tres unum sunt*: laudat eum Fulgentius libro contra decem objectiones Arianorum: laudat Idacius Clarus libro contra Varimadum Arianæ sectæ diaconum. Laudat quoque Vitensis Episcopus; sic enim loquitur lib. 3. de VVandalica persecutione, qui extat tomo 8. Bibliothecæ Patrum: *Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamur, Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur; ait enim: Tres sunt qui testimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Laudat denique fidei confessio, quam Eugenius Episcopus Carthaginensis, suo & Catholicorum Africæ Episcoporum nomine, obtulit Huunerico VVandalorum regi. Eam fidei confessionem loco proximè laudato refert ac probat idem Victor Episcopus Vitensis. Igitur in forma respondendum est negando, illum versiculum non esse germanum S. Joannis textum. Ad illius verò priorem probationem distinguendum est ant. Non reperitur in multis exemplaribus sive Græcis sive Latinis, & tamen reperitur in aliis, conc. ant. & non reperitur in aliis, neg. ant. Ad alteram probationem, distingui pariter debet ant. Aliqui ex Patribus, qui contra Arianos pugnarunt, non usi sunt adversùs eos illo versiculo, & alii Patres eo usi sunt, conc. ant. & alii Patres eo usi non sunt, neg. ant. Patres, qui versiculum illum non objecerunt Arianis, usi sunt imperfectis codicibus; qui verò illum laudarunt, usi sunt codicibus integris: qua ratione autem imperfectio illa in codices irrepserit, fusè superiùs explicatum est.

Quod spectat ad alteram Socinianorum ad nostrum argumentum responsionem, vide quæ dicuntur inferiùs, ubi agitur de Verbi divinitate.

CAPUT III.

Utrum personarum in Divinis distinctio possit ex traditione demonstrari.

Not. Aliquod dogma duobus modis potest ex traditione demonstrari, præscriptione nimirùm, & discussione; hìc igitur quærendum est, utrum personarum in divinis distinctio eo duplici argumento demonstrari possit.

CONCLUSIO 1. Trium personarum in Divinis distinctio potest argumento præscriptionis demonstrari.

Probatur. Argumentum præscriptionis est illud, in quo ex fide, quam Ecclesia certo sæculo profitetur, colligitur, Ecclesiam anterioribus sæculis ad Christum usque, eandem fidem absque ulla intermissione semper professam fuisse: Atqui ejusmodi argumento demonstratur trium personarum in divinis distinctio; ergo demonstratur argumento præscriptionis.

Minor propositio, in qua positus est difficultatis cardo, sic ostenditur. Tertio sæculo Ecclesia, sive in Oriente, sive in Occidente fidem de distinctione trium personarum in divinis profitebatur. Nam ubi tunc Sabellius contrarium docere instituit, adversùs eum insurrexerunt omnes orbis Ecclesiæ. Dionysius Alexandrinus Episcopus prolixas de eo argumento epistolas conscripsit, de quibus (apud Eusebium Hist. lib. 7. cap. 6.) Xystum Romanum Pontificem hisce verbis certiorem facit: *Nam de dogmate illo, quod nuper apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos commotum est, pleno impietatis ac blasphemiæ adversùs omnipotentem Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi: pleno etiam incredulitatis erga unigenitum ejus Filium, primogenitum omnis creaturæ, Verbum, quod inter homines versatum est: pleno denique stuporis adversus Spiritum Sanctum: cum ab utraque parte & litera ad me allata essent, & fratres mecum disserturi venissent, epistolas quasdam, quantùm Deo juvante potui, tractatoris more fusiùs scripsi, quarum exemplaria ad te misi.* 2. Xystum Romanum Pontificem ejusdem cum Dionysio fidei in capite, de quo agitur, extitisse, demonstratur ex eo quòd receptis illius literis adversùs Sabellium, ipsum violatæ fidei non accusaverit. 3. Consensisse pariter eidem dogmati Dionysium, qui Xysto successerat, colligitur ex eo quòd Dionysius Alexandrinus apud eum postea accusatus a Pentapolitanis, quòd astruendo contra Sabellium personarum distinctionem, naturæ unitatem visus esset destruxisse, istud quidem crimen a se depulerit datis ad Dionysium Romanum literis, dogma tamen de personarum distinctione nullo modo emollierit, aut excusarit, ut patet ex Athanasio libro de sententia Dionysii adversùs Arianos conscripto.

Jam verò si tertio Ecclesiæ sæculo ea erat totius Ecclesiæ fides, fuerat etiam secundo & primo: nam alioquin tertio sæculo fides in eo capite immutata fuisset, quod est impossibile: nam 1. determinari non potest tempus, quo primùm contigit illa mutatio: 2. Laudari non possunt ejusmodi mutationis authores: 3. Dici non potest, qua via novum alioquin illud dogma omnes orbis Ecclesias pervaserit. Nec responderi potest, Dionysii Alexandrini opera ipsum in Ecclesias invectum fuisse: Nempe si Dionysius quidquam innovasset, aliarum Ecclesiarum Episcopi adversus eum insurrexissent, & præsertim Romanus Pontifex Xystus, ad quem (ut ex Eusebio fuit observatum) a sese datarum contra Sabellium epistolarum exemplaria transmiserat.

CONCLUSIO 2. Trium personarum in divinis distinctio potest argumento discussionis demonstrari.

Probatur. Argumentum discussionis est illud, quo veritas aliqua prolatis in specie Scripturæ, aut Patrum textibus asseritur: atqui dogma, de quo est hic quæstio, prolatis in specie Scripturæ, aut Patrum textibus potest demonstrari. De Scripturæ locis, sat superque sunt, quæ duobus hujusce quæstionis capitibus dicta sunt: de Patribus verò hæc monumenta proferuntur.

1. S. Justinus Martyr, qui altero Ecclesiæ sæculo floruit, in Dialogo cum Triphone Judæo, multis argumentis è Scriptura petitis probat, *esse alterum, qui nominatur Deus, præter universorum opificem.* Ostendit postea, vim illam Patris, quam contendit Scripturas asserere, non esse meram virtutem, seu efficientiam, sed personam a Patre distinctam, quæ non minùs Deus sit, quam ipse Pater: *Virtutem illam* (inquit) *esse Dei, ac Deum à Propheta nuncupari, non ita ut solis lux solo vocabulo numeratur, sed numero alterum quiddam esse: non tamen recisione, tanquam Patris substantia secetur.*

2. S. Irenæus lib. 3. adversùs hæreses apertè Filium a Patre distinguit: Illum enim, non autem istum, cum Moyse locutum fuisse contendit: de utroque tanquam a se invicem distincto explicat hæc Genesis verba: *Et pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham, ignem & sulphur à Domino.*

3. Tertullianus libro adversùs Praxeam totus est in asserenda veritate, de qua agitur. Cap. 2. Filii a Patre distinctionem probat ex processione: *Si Filium nominas; Filius autem non alius erit, quàm qui ex ipso prodiit: Sermo autem prodiit ex ipso, hic est Filius, non ipse*

de

de quo prodiit : non enim ipse prodiit ex semetipso. Capite 14. contendit, Filium esse personam distinctam a Patre, quòd Pater in Scripturis asseratur esse invisibilis, cum è contra Filius, etiam ante incarnationem, hominibus, Moysi nimirum, & Prophetis, visus sit. Capite 27. docet, Filium esse alium a Patre, quòd a Patre, non autem a semetipso, unctus sit. Capite 31. asserit, hoc esse discrimen inter Judæos, & Christianos, quòd illi Trinitatem in divinis (explicite saltem) non agnoscerent, & isti e contra eam apertè profiteantur: *Caterùm* (ait) *Judaica fidei ista res, sic unum Deum credere, ut Filium Dei adnumerare nolis, & post Filium Spiritum. Quid enim erit inter nos & illos, nisi differentia ista?*

4. Dionysius Alexandrinus ita Sabellii, personas in Deo confundentis, dogma confutavit, ut nonnullis visus sit in contrarium errorem abreptus, seu, distinxisse non tantùm personas, sed etiam naturas: unde ea de re a Pentapolitanis quibusdam postulatus fuit apud Dionysium Romanum, ac sub finem vitæ coactus est apologiam ad eundem Romanum Pontificem transmittere.

5. Dionysius Romanus Pontifex expressè contra Sabellianos scripsit: opus quidem non habetur integrum, sed S. Athanasius libro de Nicænæ Synodi decretis refert fragmenta, quibus trium personarum distinctio clarissimè doceatur: *Audio* (inquit apud Athanasium) *quosdam apud vos esse Catechistas, & Doctores divini verbi, qui illius sunt opinionis auctores; qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum asserens esse Patrem, & è converso Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos prædicant, dum sanctam monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, à se invicem planè separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum Sanctum.*

6. Qui quarto sæculo, ac posteà scripserunt Patres, personarum distinctionem, de qua hic agitur, omnes ad unum ad Servetum usque, & Socinum, elapsi proximè sæculi hæreticos, ita aperte professi sunt, ut laudare eorum textus, sit meridiano soli lucem addere. Legantur Athanasii Oratio contra Sabellii Gregales, Basilii epistola 64. ad Ecclesiæ Neocæsariensis doctores, Epiphanius hæresi 55. & 62.

CAPUT IV.

Solvuntur argumenta Sabellianorum contra personarum distinctionem.

Not. QUæ pro Sabellianis proferri possunt argumenta, reducuntur ad quædam Scripturæ loca; ad nonnullos Patrum textus, ad aliquot rationes ex philosophia depromptas. Suo quæque ordine hìc & proponi & solvi debent cjusmodi argumenta.

Objicies 1. Scripturæ asserunt, Deum esse solum; ergo non sunt plures personæ in Deo: ubi enim est pluralitas, sive naturarum, sive personarum, ibi non est solitudo. Probatur ant. 1. Joannis capite 17. hæc leguntur: *Hac est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*. Primæ ad Corinth. 8. hæc habentur: *Nobis unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*. Ad Ephesios 3. sic Apostolus loquitur: *Unus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.*

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ad 2. dist. ant. Ubi est pluralitas personarum, licèt non sit pluralitas naturarum, ibi non est *omnimoda* solitudo, conc. ant. non est *aliqua* solitudo, neg. ant. Scripturæ textus, qui Deo solitudinem adscribunt, de solitudine naturæ, non autem de solitudine personæ intelligendi sunt. Ratio est, quia iis textibus Scriptura fideles docere voluit, unum esse Deum natura, contra quod Gentiles credebant; nempe Deos, tum natura, tum personis plures, venerabantur: è contra verò Christiani unum in tribus personis Deum, aut (quod idem est) tres personas in uno Deo colunt.

Nec contrarium probant, quæ objecta sunt loca; nam ad priorem dici potest 1. sic disponi debere sententiam ex Joanne laudatam: *Hæc est vita æterna, ut te, & quem misisti Jesum Christum, cognoscant solum Deum verum*: ita nimirùm censet Augustinus tractatu 105. in Joannem, nec non lib. 3. contra Maxim. c. 15. Dici potest 2. Patrem appellari solum Deum per exclusionem Deorum, qui a Gentilibus colebantur, quique a parte rei sunt unus & verus Deus; *Quapropter* (inquit Athanasius Orat. 4. contra Arianos pag. 1257.) *cum Pater solus Deus, & verus appellatur, non ad exauctorationem ejus appellatur, qui dicit: Ego sum veritas; sed demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt, qualis est Pater, & Patris Verbum, neque veri Dii sunt.*

Ad alterum locum, eadem adhiberi debet responsio, seu, Patrem dici unum Deum cum exclusione inanium Deorum, quos Gentiles colebant, non autem cum exclusione aliarum personarum. Ratio est, quia eodem modo (ex ipso Joannis textu) Pater est unus Deus, quo Christus est unus Dominus: Ergo sicut Christus non est Dominus cum exclusione Patris, ita nec Pater est unus Deus cum exclusione Christi, aut Spiritus Sancti.

Objicies 2. Nullus est alius Deus, quam qui in Vetere Testamento dicitur Deus Abraham, Isaac & Jacob; atqui sola Patris persona est Deus Abraham, Isaac & Jacob; Siquidem Deus Abraham, Isaac, & Jacob in Scripturis aperte opponitur cæteris personis, Filio inprimis: *Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus patrum nostrorum* (inquit Petrus Actorum 3.) *glorificavit filium suum Jesum*. In epist. ad Hebræos cap. 1. Deus Pater, qui prophetis locutus fuerat, dicitur *novissimè locutus in Filio*.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Deus Abraham in Scripturis apertè opponitur Filio, ut homo est, conc. ant. ut est Verbum, neg. ant. Deus Abraham glorificavit Filium suum ut homo est, seu, prout est humana indutum carne, non autem prout Verbum est, hoc est, prout est altera SS. Trinitatis persona: nec id mirum est; nam Deus Abraham glorificavit Filium, per quem novissime nobis locutus est; sed non locutus est per Filium simpliciter ut est Verbum, sed prout est unitum humanæ naturæ.

Objicies 3. Si in Deo essent tres personæ, essent tres Dii; nam personæ se habent respectu divinitatis, sicut Petrus & Paulus ratione humanitatis; ita nimirùm docet Gregorius Nyssenus in epist. ad Ablavium; atqui Petrus & Paulus constituunt duas in individuo humanitates: ergo a pari tres personæ in divinis debent constituere tres Deitates; ac proindè non unus tantùm, sed plures erunt Dii, quod dictu impium est.

Resp. ad 1. & 2. neg. maj. Ad cujus probationem dist. ant. Ita docet Gregorius Nyssenus, & allatum ab eo exemplum est mancum & imperfectum, conc. ant. Et non est mancum & imperfectum, neg. ant. In hoc valet allata a Gregorio comparatio, quòd sicut Petrus & Paulus constituunt personas diversas, ita etiam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus tres constituunt distinctas personas; sed non valet in eò, quòd *eædem* tres personæ in divinis constituant tres naturas, quemadmodum Petrus & Paulus constituunt duas naturas distinctas. Nec mirum est, quòd ea comparatio sit imperfecta: siquidem adeò sublime est mysterium, de quo agitur, ut nullum ex rebus creatis exemplum peti possit, quo perfectè exhibeatur: unde ipse Gregorius profitetur, se maximas acturum esse gratias *ei*, qui aliud accuratius protulerit: *Sin autem* (inquit) *nostra oratio proposita quæstione infirmior arguatur, traditionem quidem, quam a Patribus per*

suc-

ſucceſſionem accepimus, ſervabimus in perpetuum firmatam, & immotam: orationem verò, quæ fidei patrocinetur, à Domino requiremus; quæ ſi ab aliquo eorum, qui gratia præditi ſunt, inventa fuerit, gratias agemus ei qui gratiã dederit.

Inſtabis 1. Non eſt potior ratio, cur Petrus & Paulus duos homines conſtituant, quam tres perſonæ in divinis tres Deos conſtituant: ergo ſicut Petrus & Paulus ſunt duo homines, ita tres perſonæ in divinis ſunt tres Dii.

Reſp. neg. maj. Ratio eſt, quia natura humana in Petro & Paulo multiplicatur, nempè licèt in eis una ſit ſecundùm ſpeciem, non eſt tamen una ſecundùm numerum & ſecundùm individuum: è contra verò natura in tribus perſonis divinis eſt omninò una ſecundùm individuum & ſecundùm numerum.

Objicies 4. Myſterium Trinitatis repugnat trito iſti apud philoſophos axiomati: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*. Nempè Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſunt idem cum eſſentia divina: & tamen (in ſuppoſitione myſterii) non ſunt idem inter ſe; imò à ſe invicem realiter diſtinguuntur: ergo, &c.

Reſp. 1. dato ant. neg. conſeq. Ratio eſt, quia myſteria divina, cum humanæ rationis captum ſuperent, non ſunt philoſophicis principiis explicanda, ſed Scriptura tantùm, & traditione: *Si inter nos, & Deum nihil eſt diſcriminis* (inquit Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Joannem pag. 990) *divina noſtris metiamur. Sin autem incomprehenſibile eſt intervallum, cur natura noſtræ defectus canonem, & regulam, ac normam Deo præſumunt?* Confirmatur ſolutio ex eo, quod licet iſtud principium: *Ex nihilo nihil fit*, apud philoſophos omnes receptum ſit, exceptionem tamen patitur reſpectu cauſæ ordinis ſupernaturalis: ſcilicet conſtans eſt, apud ipſos etiam Sabellianos, & Socinianos, Deum hocce univerſum eduxiſſe ex nihilo, tum ſui, tum ſubjecti, hoc eſt, condidiſſe independenter ex præjacente materia.

Reſp. 2. neg ant. Ratio eſt, quia principium philoſophicum: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, non intelligitur de iis, quæ ſunt eadem uni tertio univerſali, & communicabili. Sic quamvis Petrus, & Paulus ſint idem cum homine (uterque nimirùm eſt homo) tamen Petrus & Paulus non ſunt idem inter ſe. Sed intelligitur tantùm de iis, quæ ſunt eadem uni tertio ſingulari, & incommunicabili: Verùm eſſentia divina non eſt ejuſmodi, nempe æqualiter in ſingulis perſonis reperitur.

Objicies 5. Ex myſterio Trinitatis multa ſequuntur, cum quibus divinitas ſtare non poteſt. Nam 1. cum quælibet perſona ſit infinita, includit omnes perfectiones, ac proindè alias perſonas, nempè in divinis perſona eſt perfectio. 2. Pluralitas perſonarum ſupponit, unam ab alia procedere, ſeu unam ab alia recipere ſuum eſſe: quod quidem divinitati repugnat, cum Deus ſit ens à ſe, & per hoc differat a creaturis, quæ ſunt ens ab alio. 3. Admittenda erit hæc propoſitio contradictoria: *Deus eſt genitus*: *Deus non eſt genitus*: nam Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, ille verò non eſt genitus, cum è contra iſte genitus ſit: 4. Unam in individuo naturam reperiri in tribus perſonis realiter diſtinctis, res eſt, quæ non tantùm ſuperat humanæ mentis captum, ſed quæ ipſi omninò repugnat.

Reſp. ad 1. diſt. ant. Una perſona includit alias in eſſentia divina, cum qua tum ipſa tum aliæ perſonæ identificantur, conc. ant. in ſe ipſa, & prout eſt perfectio relativa, neg. ant. nam ſub ratione relativæ perfectionis opponitur alteri perfectioni relativæ, ac proindè tantùm abeſt, ut ſub eo reſpectu eam includat, quin excludat potiùs. Ea identitate perſonarum cum eſſentia divina nititur illud Trinitatis privilegium, quod circumincesſionem vocant, ratione cujus una perſona eſt in alia: *Eſt Filius in Patre* (inquit S. Athanaſius orat. contra Arianos) *quatenus intelligere licet, et ipſe, quod totum id quod eſt Filius, ſubſtantiæ Patris proprium eſt.....Cum vero quod proprium eſt, nempè divinitas Patris, ſit eſſe Filii, conſequens eſt, ut & Filius in Patre ſit, & Pater in Filio*.

Reſp. ad 2. diſt. ant. Deus eſt ens a ſe, hoc eſt, non eſt ab alio tanquam à cauſa, conc. ant. Eſt ens a ſe, hoc eſt, non eſt ab alio tanquam a principio, neg. ant. Ratio diſparitatis eſt, quia ens, quod per modum cauſæ tribuit eſſe alteri, non dat illi proprium ſuum eſſe, ſed tantùm ſimile, ut patet in igne, qui alium ignem generat: è contra verò ens, quod alteri dat eſſe per modum principii, illi proprium ſuum eſſe communicat; ac proinde ſi eſſe principii ſit independens, eſſe ejus quod oritur à principio, erit pariter independens. Hincque patet, eſſe Filii in Trinitate non minus eſſe perfectum, quàm eſſe principii, ex quo oritur: eſt enim in utroque unum ac idem eſſe.

Reſp. ad 3. negando admitti debere propoſitiones contradictorias, de quibus agitur in argumento. Ratio eſt, quia in hac propoſitione, *Deus eſt genitus*: terminus iſte, *Deus*, ſupponit pro Filio, ac proindè eſt vera, verè enim Filius eſt genitus. In iſta verò propoſitione, *Deus non eſt genitus*, vox, *Deus*, ſupponitur pro omnibus perſonis indiſtinctè, & ſic ſenſus illius eſt, quòd nulla perſona in divinis ſit genita, hincque patet, eam eſſe omninò falſam; unde apertè ſequitur, ex ſuppoſitione myſterii SS. Trinitatis admitti non debere has propoſitiones in ſpecie contradictorias, *Deus eſt genitus*, *Deus non eſt genitus*. E contra iſtæ propoſitiones admittendæ ſunt: *Deus eſt ingenitus*, *Deus non eſt ingenitus*; non enim ſunt contradictoriæ, quia diverſa habent ſubjecta: nempe in prima ſubjectum eſt Pater, & in ſecunda Filius, quia genitus & ingenitus ſunt termini relativi: *Sicut* (inquit Auguſtinus lib. 5. de Trinitate cap. 7.) *genitus non ad ſe ipſum dicitur, ſed quòd ex genitore ſit: ita cum dicitur ingenitus, non ad ſe ipſum dicitur, ſed quod ex genitore non ſit oſtenditur*.

Reſp. ad 4. neg. ant. ſeu nego repugnare rationi, quòd una numero natura in tribus perſonis diſtinctis reperiatur. Nec ad id probandum ſatis eſt oſtendere, myſterium illud humanæ mentis captum ſuperare. Nimirùm ipſa humana ratione docemur, divinum eſſe, cum infinitum ſit, exiſtere poſſe variis modis, qui finiti intellectus creati captum ſuperent. Quum de myſteriis agitur. Chriſtianus, cui perſuaſum eſt, Scripturam & traditionem eſſe verbum Dei, qui nec falli nec fallere poteſt, eos fontes, non autem humanam rationem conſulere debet: *De illa ſumma Trinitate, quæ Deus eſt* (inquit Auguſtinus lib. 15. de Trinitate cap. 27.) *credant potiùs, quòd in S. litteris invenitur, quàm poſcant liquidiſſimam ſibi reddi rationem, quæ ab humana mente, tarda ſcilicet infirmaque, non capitur. Et certè cum inconcuſſè crediderint Scripturis ſanctis, tanquam veraciſſimis teſtibus, agant orando & quærendo & benè vivendo ut intelligant, id eſt, ut quantùm videri poteſt, teneatur mente, quod tenetur fide*.

Objicies 6. Priores Chriſtiani non crediderunt myſterium Trinitatis; nam ſi illud crediſſent 1. Gentiles ex eo deſumpſiſsent argumentum pro pluralitate Deorum, quam Chriſtiani paſſim illis exprobrabant: 2. Illis ſaltem objeciſsent innumeras difficultates, quæ ex illo myſterio naſcuntur, quæque ſponte cuique, cujus in mentem venerit, ſeſe objiciunt; atqui Gentiles neutrum egerunt; nec enim ejuſmodi argumentationis vel minimam ſpeciem in gentilium libris, aut in Chriſtianorum apologiis reperire eſt.

Reſp. 1. non extare libros omnes, quos Gentiles adversùs Chriſtianam religionem quondam ſcripſerunt, nec apologias, quibus Chriſtiani eam ab eorundem gentilium conviciis vindicarunt: ac proinde quamvis nunc nullum ſit monumentum, quo probari poſſit,

gen-

gentiles ex mysterio SS. Trinitatis desumpsisse argumenta, quibus impugnaverint Christianam religionem, non sequitur eos reverà ex eo mysterio nusquam contra fidem nostram argumentatos fuisse. Vide similem solutionem fusè pertractatam tomo 1. Commentarii historici, & dogmatici de Sacramentis, pag. 286.

Resp. 2. quòd quamvis Pastores prioribus sæculis sedulò SS. Trinitatis mysterium fideles explicitè docerent, cum (ut agentes de fide dicetur) illius explicita cognitio sit cuique adulto ad salutem necessaria necessitate medii, nec baptizarent catechumenos, antequam symbolum, in quo continetur, memoriter reddidissent; tamen passim illud Gentilibus non evulgabant, ne propter difficultates, quas continet, eorum animos exulcerarent, neve illud, quòd nonnulla complectatur, quæ rationis captum superant, irrisioni exponerent; unde iidem Patres de illo mysterio aut scribentes aut coram Gentilibus loquentes, œconomiæ ac prudentiæ causa reticentiis subobscurisque phrasibus usi sunt. Vide varia illius subobscuri loquendi modi exempla in unum collecta tom. 1. Commentarii Historici & Dogmatici de Sacramentis pag. 286.

Resp. 3. negando absolutè ant. seu Philosophos gentiles nusquam adversus religionem Christianam ex mysterio SS. Trinitatis argumentatos fuisse. Nam 1. Justinus in priore apologia, quam pro Christianis conscripsit, refert, Christianos pro insipientibus apud Gentiles audiisse, quòd Christum tanquam Dei Filium colerent: at Christi divina filiatio stare non potest absque doctrina de personarum in divinis pluralitate. 2. Praxeas, qui labente altero sæculo vexavit Ecclesiam totus est, ut ex fide Trinitatis, Deorum pluralitatem adversùs orthodoxos adstruat. Vide Tertullianum libro contra Praxeam edito. 3. Apud Origenem libro contra Celsum, Celsus gentilis philosophus data opera probat ex fide Trinitatis sequi Deorum pluralitatem: quod quidem negat Origenes, quòd (ut inferius ostendetur) Pater & Filius sint unum essentia, quamvis sint plures persona.

QUÆSTIO II.

De Unitate naturæ in Trinitate.

IN divinis (ut præcedente quæstione, ex Scriptura & traditione ostensum est) tres sunt personæ realiter a se invicem distinctæ: ut igitur unitatem naturæ seu essentiæ in Trinitate probemus, necesse est, ut earumdem personarum divinitatem adstruamus. De Patris divinitate non est dubium, cum tum Scriptura, tum traditione, tum ratione constet, eum esse ens a se, & à quo creata omnia pendeant; sed difficultas est de Filii & Spiritus Sancti divinitate. Igitur hìc agendum est 1. de divinitate Filii: 2. de divinitate Spiritus Sancti; seu expendendum est, utrum Filius & Spiritus Sanctus sint verè Deus, sicut est Pater.

CAPUT I.

De Divinitate Verbi.

Not. 1. ARiani, quarto Ecclesiæ sæculo, docuerunt, Verbum non esse verè & substantialiter Deum; blasphemarunt è contra, ipsum meram esse creaturam, quam Deus ante alia entia creata eduxisset ex nihilo, & per quam, tanquam per instrumentum, quæcumque facta sunt, condidisset. Propter varias temporum circumstantias mutarunt nonnunquam loquendi modum, sed tamen a parte rei in eodem semper errore steterunt, ut suo loco dicetur.

Not. 2. Aliud est quærere, an Verbum sit Deus, & aliud, an Christus sit Deus. Nempè ex suppositione, quòd Verbum sit Deus, non sequitur, Christum esse Deum, quia ut Christus sit Deus, necesse est, ut illius humanitas hypostaticè cum Verbo conjuncta sit: at ea hypostatica unio non sequitur ex Verbi divinitate. Unde Nestorius, cui alioquin certa erat Verbi divinitas, negavit unionem hypostaticam, seu contendit, Christum non esse vere ac substantialiter Deum.

Not. 3. Licet (ut ex mox observatis patet) ex eo, quòd Verbum sit Deus, necessariò non sequatur, Christum esse substantialiter Deum: sequitur tamen, Verbum esse substantialiter Deum ex suppositione, quòd Christus sit substantialiter Deus: nec enim potest esse substantialiter Deus, nisi illius humanitas substantialiter unita sit cum persona, quæ vere & substantialiter sit Deus. Postremam hanc quæstionem: *Utrum Christus sit verè ac substantialiter Deus*, fuse pertractabimus agentes de Deo Incarnato: ibi lector argumenta reperiet, quæ demonstrative quidem, sed tamen indirectè, probant, Verbum esse Deum. Priorem igitur quæstionem, *Utrum Verbum sit verè Deus*, hic separatim a priore pertractabimus, quæremusque 1. utrum Verbi divinitas possit directè ex Scripturis probari: 2. utrum eam crediderint Patres, qui ante Concilium Nicænum I. hoc est, tribus prioribus sæculis vixerunt: 3. quid de Verbi divinitate Concilium Nicænum I. definierit: 4. quid post Concilium Nicænum I. de eodem argumento Patres asseruerint.

ARTICULUS I.

Utrum Verbi divinitas possit ex Scripturis demonstrari.

CONCL. VErbi divinitas potest ex Scripturis demonstrari.

Probatur. Id probatur ex Scripturis, quod probatur ex Joannis Evangelii capite 1. Ex prioris ejusdem Joannis epistolæ capite 5. Ex capite 28 Matthæi: atqui Verbi divinitas iis monumentis potest demonstrari: ergo revera ex Scripturis demonstratur.

Profertur argumentum ex Evangelio Joannis desumptum.

In Evangelio Joannis, capite 1. hæc habentur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Atqui eo Joannis loco vera & substantialis divinitas asseritur Verbo.

Primò, per has voces: *In principio erat Verbum*, æternitas tribuitur Verbo: nempe terminus, *Erat*, denotat, ipsum semper fuisse, unde Joannes quater eum repetit: *Erat apud Deum. Erat, erat, erat. Ecce quater erat* (inquit Ambrosius libro 1. de Fide ad Gratianum cap. 5.) *ubi impius invenit, quòd non erat?* Vox hæc alia, *In principio*, eandem æternitatem confirmat; sumitur nimirùm prò, *Ante omnia*, ita ut sensus sit: *Ante omnia erat Verbum*. Hinc patet, Concilium Nicænum I. ex eo Joannis loco, *In principio erat Verbum*, meritò damnasse Arianos dicentes, *fuisse aliquando tempus, quando Filius Dei non erat.*

Dices 1. Nonnulli Patres hanc vocem, *In principio*, interpretati sunt de Patre æterno, in quo erat Verbum, cum creata educta sunt ex nihilo; sic nimirùm explicatur ab Augustino lib. 6 de Trinitate, cap. 5. Alii verò eandem vocem, *In principio*, exposuerunt de initio rerum omnium, ita ut (inquiunt) Joannes significare voluerit originem mundi, seu Verbum extitisse, cum mundus fieri cœpit: Atqui ex suppositione illarum explicationum, hæ voces, *In principio*, non probant æternitatem Verbi: Siquidem potuit esse in Patre tan-
quam

quam in principio, à quo originem suam ducit; potuit jam existere antequam mundus fieri inciperet, & tamen non esse æternum: unde Ariani licet faterentur, Verbum ante mundum extitisse, negabant tamen, illud æternum esse.

Verùm inanis est illa objectio: nam quamvis in suppositionibus, de quibus agitur, Verbi æternitas non tam apertè adstruatur, quàm in priore, quam retulimus, solidè tamen stabilitur; siquidem si Verbum jam erat in Patre, si jam existebat, cum omnia facta sunt, sequitur ipsum factum non fuisse, ac proinde ipsum esse æternum.

Dices 2. non magis ex his verbis, *In principio erat Verbum*, colligi potest æternitas Filii, quam ex istis, quæ Genesis 1. leguntur, *In principio creavit Deus cælum & terram*, potest colligi æternitas cœli, aut terræ.

Sed contra est, quia Moyses non dicit absolutè, cœlum & terram fuisse in principio, addit è contra, in principio creata fuisse; quod autem creatum est; æternum esse nequit: Joannes è contra non dixit, Verbum in principio factum fuisse, sed simpliciter fuisse, ac omnia per ipsum fuisse facta.

Dices 3. nomine *Verbi*, quo Joannes laudato sui Evangelii loco utitur, non significari personam a Patre distinctam, sed divinam Patris sapientiam ab eo non distinctam, per quam educta sunt ex nihilo, quæcumque facta sunt: Ita apud Athanasium Oratione contra Arianos, quidam Ariani ratiocinantur.

Sed stare non potest ea responsio; nam de eo, de quo Joannes dixerat: *In principio erat Verbum: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, dicit, *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; quæ quidem voces haud dubiè non de interna sapientia Patris, sed de æterno ejus Filio necessariò intelligi debent; nempè eum, per quem omnia facta sunt, quique factus est caro, Joannes statim declarat fuisse Dei Filium: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*. Id verò confirmatur ex Apostolo, qui ad Hebræos 1. scribit, per Filium, quem Joannes vocavit Verbi nomine, sæcula & universa, quæ cœli ambitu continentur, condita fuisse.

Secundò. Idem Joannes eum, quem dixerat Verbum, quem asseruerat fuisse in principio, conceptis terminis asserit fuisse Deum: *Et Deus* (inquit) *erat Verbum*. Nonnulli dubitant, quinam terminus in ea Joannis propositione sit subjectum, qui verò terminus sit prædicatum; seu dubitant, an Verbum de Deo prædicetur, an Deus de Verbo, ita ut sic termini disponi debeant, *Deus erat Verbum*, aut, *Verbum erat Deus*. Hilarius lib. 1. de Trinitate cap. 7. multique post illum Patres docent, Deum de Verbo prædicari. Hilarii expositio cum Evangelii contextu cohæret quam maximè: nam Joannes non de Deo, sed de Verbo ante locutus fuerat: *In principio erat Verbum, Verbum erat apud Deum*; par igitur est, ut quod illis sententiis immediatè subjicitur: *Et Deus erat Verbum*, de Verbo, non autem de Deo (de quo non erat quæstio) prædicetur. Sed sive in illa Joannis propositione Deus sit subjectum, & Verbum prædicatum, sive è contra Verbum sit subjectum, & Deus prædicatum, valet argumentum prò Verbi divinitate ex ea desumptum: Siquidem si Verbum sit subjectum, evidenter patet, ipsum esse Deum: nimirùm ille Deus est, de quo Scriptura divinitatem prædicat; sicut illa substantia est homo, de qua prædicatur humanitas, cum ex logicis, in propositione subjectum & prædicatum identificentur. Si autem Deus sit subjectum, & Verbum sit prædicatum, non alius quoque erit sensus: quia si Deus sit Verbum, Verbum debet esse Deus, quia subjectum & prædicatum propositionis convertuntur propter rationem, quam ex Logicis mox tradidimus: idque hoc exemplo patet: *Homo est animal mente præditum; Animal mente præditum est homo*. Ergo ex laudata Joannis sententia *Deus erat Verbum*, invictissimè colligitur, Verbum esse Deum.

Dices 1. Equidem Verbum eò loci Deum vocari, sed id non intelligitur de Deo summo, sed de quodam minore Deo, seu de eo, qui propter excellentiam, qua inter alia creata pollet, Deus appellatur. Id autem patet ex eo, quòd Deus, qui de Verbo prædicatur, in Græco textu sine articulo legatur, cùm è contra Deus cum articulo præposito ὁ Θεὸς semper legatur, unde non simpliciter, sed per emphasim Deus appellatur, quasi dicatur Magnus ac Summus ille Deus. Ita apud Chrysostomum Homilia 3. in Joannem, Ariani quondam ratiocinabantur.

Sed futilis est ea responsio. Nam 1. (ut ibidem advertit Chrysostomus) Pater in Scripturis nonnunquam sine præposito articulo Deus appellatur, ut in hujusce capitis versiculo 6. legere est: *Fuit homo missus à Deo*, 7. contra vero Filius, τὸ Θεὸς Deus, cum articulo vocatur sæpiùs, ut patet ex versu 5. noni capitis epistolæ ad Romanos. Cur autem Joannes hoc loco articulum non addiderit, hanc Grammatici rationem reddunt. Non solet (inquiunt) Græca lingua prædicato propositionis articulum præponere, sed subjecto tantùm: unde Λόγος Verbum, quod est, ut observatum fuit, subjectum propositionis, articulum habet, non autem vox Θεὸς, quæ est illius prædicatum.

Dices 2. Verbum in laudata Joannis sententia vocari Deum eo modo, quo Moyses Exodi 7. vocatus est Deus Pharaonis.

Sed illud Arianorum effugium præcludit Hilarius lib. de Trinitate cap. 7. ubi scribit, Moysem non absolutè dici Deum, sed cum additione, *Deum Pharaonis*; ac proinde (addit) *Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur; dum punit, dum medetur*, hoc est, Moyses ratione effectuum, quos in Pharaonem operabatur, seu, quòd in eum Dei potentia uteretur, vocatus est Deus; cum è contra Verbum in Evangelio simpliciter ac absolutè Deus appelletur. Præterea Scriptura nō dicit, Moysem fuisse Deum Pharaonis, sed a Deo ipso constitutum fuisse Deum Pharaonis: *Ecce* (verba sunt ipsius Dei, Exodi 7.) *constitui te Deum Pharaonis. Aliud est* (inquit ibidem Hilarius) *Deum dari, aliud Deum esse. Eo ipso quòd dicitur constituens Deus, non naturalis, sed fictitius significatur Deus*. Addunt Interpretes aliqui Moysem non fuisse vocatum Deum, sed *Deum Pharaonis*, hoc est, (ajunt) in opinione Pharaonis. Addendum est, in eo loco non legi nomen *Adonai*, quod apud Hebræos est nomen Deo proprium, sed *Elohim*, quod Chaldæus R. Abraham *Nuntium, ac legatum ad Pharaonem* interpretatur.

Tertiò, hæc sententia, quam Joannes aliis hactenùs explicatis subjicit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, non minùs quam præcedentes Verbi divinitatem confirmat. Nam 1. Dei solius est creare, nempè (ut Philosophi definiunt) ad creandum superanda est distantia infinita, nihili nimirùm ad ens, qua major excogitari non potest; ac proinde ad id requiritur virtus infinita; quæ quidem (ut patet) soli Deo convenire potest. Atqui Joannes asserit, Verbum omnia cum Patre creasse: *Omnia per ipsum facta sunt*; ergo pariter asseruit, Verbum esse substantialiter Deum. 2. Si Verbum non sit Deus, factum, seu creatum fuit a Deo, cum inter Deum, & ens factum ac creatum non sit aliquod medium; atqui Joannes docet, Verbum factum, seu creatum non fuisse: Scilicet illud ens factum, seu, creatum non est, per quod quæcumque sunt facta, seu creata, fuerunt facta ac creata: Sed, ex Evangelio, quæcumque sine ulla exceptione facta sunt, seu creata, per Verbum facta, seu creata sunt: ergo Verbum non est ens factum, seu creatum: *Exeat* (inquit Augustinus tractatu 1. in Joannem) *nunc nescio quis infidelis Arianus*,

& dicat,

& dicat, quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri, ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si & Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum, factum est? Si hoc dicis, quia hoc est verbum Verbi, per quod factum est, illud ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia: non enim per se ipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia.

Dices 1. ab illa generali sententia: *Omnia per ipsum facta sunt*, Verbum excipi debere; & in hoc Joannem imitatum esse tritum loquendi morem; nempè ita loqui solemus, ut cum aliquid universè de aliquibus dicimus, nos ipsos & eos quibuscum loquimur, comprehendi nolimus. Sic cum Christus Marci 3. dicit, *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista*, se ipsum minimè comprehendi voluit, sicut nec Apostolos, cum Matthæi 18. Centurionis fidem hisce verbis laudavit, *Non inveni tantam fidem in Israel.*

Verùm non cohæret illa responsio cum Evangelii textu. Nam 1. Joannes ante sententiam, de qua agitur, *Omnia per ipsum facta sunt*, jam dixerat, Verbum esse æternum, ac proinde negaverat esse factum, *In principio erat Verbum*. 2. Postquam asseruit, *Omnia per ipsum esse facta*, conceptis terminis negat, aliquid sine ipso factum fuisse, *Et sine ipso factum est nihil*. Igitur assertio Arianorum contendentium aliquid, Verbum scilicet, sine Verbo factum fuisse, aperte contradictoria est assertioni Joannis, *Sine ipso factum est nihil*. 3. Joannes, quasi excludere voluisset Arianorum exceptionem, addidit, *Quod factum est*, seu nihil ex iis, quæ facta sunt, sine Verbo factum fuisse. Quæ tertio loco hic proposita est ratio, locum habet in eorum opinione, qui cum aliquibus Patribus censent, Joannis sententiam, *Sine ipso factum est nihil*, claudi non debere puncto, nisi post hæc verba; *Quod factum est*, ita ut sic ex integro legi debeat: *Sine ipso factum est nihil quod factum est*. Vide Maldonatum Comment. in Joannem cap. 1.

Dices 2. Evangelium eo sensu asserere, omnia per Verbum facta esse, quod fuerit veluti instrumentum, quo Pater usus est in Universi creatione: id verò confirmatur ex eo, quòd Evangelium non adhibuerit præpositionem *à*, sed præpositionem, *per*, quæ non causam principalem, sed instrumentalem tantùm significat: at ex eo quòd Verbum fuerit veluti instrumentum, quo Pater usus est in Universi creatione, non rectè colligitur, Verbum esse Deum. Ita veteres Ariani cavillantur apud Athanasium libro de communi essentia Patris & Filii & Spiritus Sancti, & apud Basilium libro de Spiritu Sancto cap. 2.

Sed nullius est ponderis ea responsio: Nimirùm 1. discrimen illud inter præpositiones *à* & *per*, quo nitebantur Ariani, non est perpetuum in Scripturis; variis enim exemplis ostendi potest præpositionem *per* non minùs quam præpositionem *à* conjungi cum causa principe: id videre est in locis, quæ hic subjicimus. Geneseos 4. *Possedi hominem per Deum*. Proverbiorum 8. *Per me reges regnant*. Primæ ad Corinth. 1. *Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei*. 2. Hoc in loco præpositionem *per* significare causam principem, non autem instrumentalem, docet Paulus in epist. ad Hebræos cap. 1. ubi illud Psalmi 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli*, quod haud dubiè Psalmus Deo tribuit, de Christo dictum affirmat. 3. Ariani nullo Scripturæ, aut Patrum testimonio probare possunt, Evangelium in loco, de quo agitur, sumere, *Omnia per ipsum facta sunt*, pro causa instrumentali: Non tantùm igitur falsa est eorum interpretatio, sed etiam temeraria.

Profertur argumentum desumptum ex prima Epistolæ Joannis cap. 5.

Prioris Epistolæ Joannis capite quinto hæc leguntur: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.* Atqui eo Joannis textu demonstratur Verbi divinitas. Nam eo textu Verbi divinitas demonstratur, quo ipsa Patris natura Verbo tribuitur: Sed textu, de quo agitur, ipsa natura Patris Verbo tribuitur: nimirùm de Verbo prædicatur unitas cum Patre: *Hi tres unum sunt.*

Ea autem unitas non est unitas personæ, cum Pater, Verbum, & Spiritus, ibi tanquam tres testes laudentur, idque (sicut docet Scriptura) ut in ore duorum vel trium stet omne verbum.

Non est quoque sola unitas, consensus: siquidem eadem est unitas, de qua Christus hæc habet, *Ego & Pater unum sumus*; unitatem verò, de qua Christus laudatis verbis loquitur, non est (ut ostendemus in tractatu de Incarnatione, agentes de Christi divinitate) sola unitas consensus, cum sit unitas, qua Christus probat, neminem posse oves illi traditas à Patre, de manibus illius rapere. 2. Testimonium, quod dant in cœlo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, Evangelista mox, seu, versu nono, vocat Dei ipsius testimonium, illudque opponit testimonio creaturarum: *Si* (inquit) *testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo*: ergo unitas cum Patre, quæ de Verbo hic prædicatur, est unitas naturæ.

Dices 1. Versum, ex quo desumptum est argumentum, non esse indubitatæ fidei: nec enim in Græcis exemplaribus, imò nec in pluribus Latinis reperitur.

Verùm corruit illa responsio ex iis, quæ superiùs de divinarum personarum reali distinctione agentes diximus.

Dices 2. Si voces istæ versus septimi: *Hi tres unum sunt*, significent unitatem essentiæ & naturæ, eandem quoque versu octavo significabunt, *Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt*: atqui voces illæ versu octavo non significant unitatem essentiæ & naturæ, neque enim dici potest spiritum, aquam & sanguinem habere unam essentiam, eandem naturam.

Sed contra est 1. Nonnulli contendunt, voces versus octavi: *Hi tres unum sunt*, additas fuisse ab Arianis, ut vim argumenti pro Verbi divinitate ex versu septimo desumptam elevarent. Confirmant ex eo, quòd Lovanienses correctores testentur, se quindecim codices Latinos legisse, in quibus non reperiebantur. 2. Alii affirmant quidem, adjecta non esse verba, de quibus agitur, cum in omnibus Græcis codicibus (excepta tamen Complutensi editione) constanter legantur, sed contendunt, corruptè in Latinos codices irrepsisse: nam (ajunt) in Græcis omnibus leguntur cum appositione præpositionis, *In*, hoc modo, *Et hi tres in unum sunt*; idque factum est aut Scribarum oscitantia, aut Arianorum fraude. Unde ut Latini codices cum Græcis exemplaribus cohæreant, eadem ratione vulgatæ Latinæ editionis textus ita explicari debet, ac si præpositio *In*, eo contineretur: quamobrem dicendum est, hunc esse laudatæ sententiæ sensum, *Et hi tres unum sunt*, hoc est, ad unum de Christo testimonium referuntur, seu, (ut exponit Oecumenius) *Ad unam, eandemque rem*, humanitatis nimirùm à Verbo assumptæ veritatem, *testandam consentiunt.*

Quæres, qua de re & quando, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus testimonium in cœlo dederint?

Resp. ad 1. eos dedisse testimonium, seu testificatos fuisse, Christum id esse, quod de se ipso prædicaverat,

Messiam nimirùm in lege promissum, Deum verum ad hominum salutem incarnatum. Ratio est, quia verba versus septimi, ab istis versus sexti, immediatè praeceduntur: *Et spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.*

Resp. ad 2. Patrem æternum variis modis, ac temporibus testatum fuisse, Christum esse suum Filium, ac mundi redemptorem. Nempè in illius tum baptismo, tum transfiguratione vox Patris insonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: Ipsum audite.* Joannis 12. cum Jesus sic orasset: *Pater clarifica nomen tuum,* statim audita est vox de coelo: *Et clarificavi & iterum clarificabo.* Addendum est, Patrem toties Christo testimonium perhibuisse, quoties Christus edidit miracula, quibus divinam suam missionem confirmavit: *Amen, amen dico vobis* (ait ipse Christus Joannis 5. versu 19.) *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec & Filius similiter facit.* Verbum, altera SS. Trinitatis persona, toties Christo testimonium reddidit, quoties Christus dixit se esse Dei Filium, idque miraculis confirmavit: *Nos* (ajunt Judæi apud Joannem cap. 19.) *legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori, quia Filium Dei se fecit.* Spiritus sanctus sæpiùs quoque pro Christo testimonium reddidit: *Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*: idque præsertim contigit, cum in specie columbæ super Jesum baptizatum descendit: Scilicet Joannes Baptista eo signo novit eum esse ad populi redemptionem divinitùs missum: *Qui me misit baptizare in aqua* (inquit ipse Joannes Baptista, in Joannis Evangelio cap. 1.) *ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum sanctum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto. Et ego vidi & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.*

Quæres 2. quid nomine spiritus, aquæ & sanguinis intelligi debeat, & qua de re testimonium perhibuerit?

Resp. ad 1. nomine spiritus intelligi humanam animam Christi: per sanguinem verò, & aquam intelligi debere sanguinem & aquam, quæ ex Christi mortui latere fluxerunt. Ad 2. dicendum est, spiritum, sanguinem & aquam perhibuisse testimonium *in terra*, hoc est, testimonium, quod minus quidem est divino, cujus versus septimus meminerat, sed tamen omnino certum, de veritate humanitatis in Christo: quemadmodum enim Ebion negabat divinitatem Christi, cui tota Trinitas versu septimo testimonium perhibuit, ita Basilides negabat humanitatis veritatem, cui versu octavo spiritus, sanguis, & aqua testimonium perhibent. Utrumque illum hæreticum priore sua Epistola Joannes aggreditur; unde tum pro Christi divinitate, tum pro illius humanitate plures in ea textus reperiuntur.

Profertur argumentum desumptum ex Matthæi, capite 28.

Hujusce dissertationis quæstione 1. personarum in divinis distinctionem probavimus his Christi verbis, quæ Matthæi cap. 28. leguntur: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii & Spiritus sancti.* Verùm ea verba non minùs apertè probant & Filii & Spiritus sancti divinitatem. Siquidem 1. Apostoli jubentur baptizare non minùs in Filii & Spiritus sancti nomine, quam in nomine Patris: æquales igitur potentia, auctoritas & efficacia baptismatis respectu, Patri, Filio, & Spiritui sancto tribuuntur. 2. Si Filius & Spiritus sanctus essent creaturæ, Christiani baptizarentur in nomine alicujus creaturæ, quod tamen negat Paulus primæ ad Corinth. 1. Ex his patet, Athanasium oratione contra Sabellii Gregales, Hilarium agendo de Trinitate, Fulgentium libro contra objectiones Arianorum, cæterosque veteres Patres meritò usos fuisse laudato Matthæi loco, ut Arianos debellarent.

Solvuntur Scripturæ loca, quæ contra Verbis divinitatem pugnare videntur.

Objicies 1. Scriptura docet, Christum non esse Deum, sed meram creaturam: ergo docet quoque, Verbum non esse Deum, sed creaturam.

Resp. 1. neg. ant. Quæ enim adversùs Christi divinitatem argumenta proferuntur, nullius omninò sunt ponderis, ut in tractatu de Incarnatione contra Nestorianos ostendemus.

Resp. 2. hic non esse quæstionem de Christi divinitate, sed de divinitate Verbi, ut jam superius observatum est; unde hæc, seu Verbi divinitas, revera staret, quamvis (quod tamen dictu impium est, quodque suo loco fuse probaturi sumus, Scripturæ & traditioni repugnare) Christus verè non esset Deus; unde in forma negari debet argumenti conseq.

Objicies 2. Ille non est Deus, qui à Deo creatus est: atqui Verbum, creatum est a Deo: nempè Verbum, idem est cum Sapientia, sed Sapientia fuit à Deo creata: *Ab initio* (ait ipsamet Ecclesiastici cap. 24.) *& ante sæcula creata sum*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. min. Sapientia creata fuit creatione impropriè dicta, conc. min. Creatione propriè dicta, neg. min. Creatio impropriè dicta, idem est cum simplici productione, ac generatione; creatio verò propriè dicta, est eductio ex nihilo. Illa, non autem ista, Dei Sapientiæ convenit: Scilicet Sapientiæ ea creationis species convenit, quæ cum æternitate conjuncta sit: *Ab æterno* (inquit ipsa) *ordinata sum*: at creatio propriè dicta cum æternitate conjuncta non est. Præterea dici potest, laudatum ex Ecclesiastico locum intelligi de Sapientia incarnata, seu de Christo, prout est homo: *Caro Dominum agnoscit* (inquit Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 7.) *divinitas Patrem*. Dominus ergo *creavit me*, id est, fecit & condidit me. ratione humanitatis; *initium viarum suarum*, quia ipse Christus nobis via est factus, ut eo duce nobis ad virtutem perfectam & immortalitatem aditus pateret. Eamdem responsionem tradit Fulgentius libro adversùs objectiones Arianorum: Eam pariter tradit Augustinus lib. x. de Trinitate cap. 12.

Objicies 3. Ille, quo, tanquam instrumento, Deus usus est ad rerum omnium productionem, non est Deus: nempe instrumentum est quid inferius eo, qui instrumento utitur; atqui Verbum fuit instrumentum, quo Deus usus est ad rerum omnium productionem: id enim probare videntur hæc verba Joannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, nec non hæc alia, quæ leguntur ad Hebr. 1. *Per quem fecit & sæcula*: ergo, &c.

Resp. 1. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. nego præpositionem, *Per*, eo loci significare causam instrumentalem. Ratio est 1. quia antequam Joannes diceret, *Omnia per ipsum facta sunt*, jam dixerat, Verbum esse æternum, ipsum esse Deum, sine ipso nihil omninò factum fuisse: vide quæ superiùs in eum locum dicta sunt. 2. Apostolus capite 1. Epistolæ ad Hebræos, Verbo tribuit dotes, quæ soli Deo conveniunt; nempe tribuit ei jugem orbis conservationem, *Portansque omnia verbo virtutis suæ*; ita ut, quemadmodum si Pater manum suam subtraheret, statim mundus in nihilum lapsurus esset; ita etiam idem accideret, Verbo manum suam, cum ei totus orbis innisatur, subtrahente. Sed de hoc loco vide, quæ in tractatu de Incarnatione dicemus agentes de Christi divinitate.

Resp. 2. distinguendo Joannis & Apostoli textus: *Omnia per ipsum facta sunt: Per quem fecit & sæcula*, tanquam per causam exemplarem, conc. ant. tanquam per causam instrumentalem, neg. ant. Verbum fuit causa

exem-

exemplaris, ad quam Deus Pater exegit Univerfi creationem; fcilicet Pater per Verbum operatur tanquam per ideam, in qua omnium agendorum rationes continentur. Ita locus ille exponitur ab Auguftino, pluribufq; que Patribus. Vide quæ tom. 1. de Dei ideis dicta funt.

ARTICULUS II.

Quid de Verbi divinitate fenferint Patres trium priorum fæculorum.

Not. 1. NOnnulli è Socinianis fatentur quidem, trium priorum fæculorum Patres agnoviffe Verbi divinitatem, fed contendunt, eos illo in capite novatores fuiffe, feu ipfos ftatim poft Apoftolorum mortem immutaffe fidem, quam iidem Apoftoli docuerant. Alii è contra contendunt, Patres fæculorum, de quibus agitur, conftanter ad Nicænum ufque Concilium docuiffe, Verbum non effe Deum.

Not. 2. Methodi caufa hic expendemus 1. quid de controverfia, de qua eft quæftio, fenferint Patres Orientales, qui ante Concilium Nicænum I. vixerunt: 2. Quænam pariter fuerit mens Occidentalium, qui idem Concilium præcefferunt.

§. I.

Proponitur Patrum Orientalium doctrina.

CONCLUSIO. Patres Græci, qui floruerunt ante Concilium Nicænum I. docuerunt Verbum verè effe Deum.

Probatur. Præcipui Patres Græci, qui ante Concilium Nicænum I. floruerunt, funt Ignatius martyr, Polycarpus, Juftinus martyr, Athenagoras, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Dionyfius Alexandrinus, Gregorius Thaumaturgus, Epifcopi Concilii Antiocheni, qui Paulum Samofatenfem damnarunt, Pamphilus martyr, Lucianus, & Methodius martyres: Atqui ii Patres docuerunt, Verbum verè effe Deum; ergo &c. Minor propofitio patebit ex eorum Patrum textibus, quos modò fubjiciemus.

Ignatius martyr.

Ignatius martyr plurimo tempore vixit priore Ecclefiæ fæculo, nempè diem extremam claufit anno 108. Is in Epiftola ad Ephefios fic de Chrifto loquitur: *Unus eft medicus carnalis & fpiritualis, factus & non factus, in carne Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo.* Unde fic arguitur: Ille docuit, Verbum effe Deum, qui ipfum conceptis terminis vocat Deum; qui afferit, ipfum non effe factum; atqui Ignatius Verbum conceptis terminis vocat Deum, afferit, ipfum non effe factum: nam id prædicat de Chrifto; Chrifto autem non convenit, nifi ratione Verbi: ergo, &c. Alios ejufdem Ignatii textus vide in tractatu de Incarnatione iis locis, ubi exprefse Chrifti divinitatem adftruemus.

Polycarpus.

Polycarpus, Joannis Apoftoli difcipulus, Eufebio tefte hift. lib. 4. cap. 5. Jamjam martyrium fubiturus, fic precatus eft: *Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per fempiternum Pontificem Jefum Chriftum, dilectum Filium tuum, per quem tibi, unà cum ipfo, in Spiritu Sancto, gloria nunc & in fæcula fæculorum. Amen.* Polycarpus iis verbis 1. vocat Chriftum fempiternum Pontificem: at nullum ens, præter Deum, eft fempiternum. 2. Filium una cum Patre glorificat, feu æqualem ipfi gloriam tribuit: at ei tantùm æqualis cum Patre gloria tribui poteft, qui fimul cum Patre Deus eft. In Epiftola ad Philippenfes idem S. Martyr non minùs Dei Filio, quam Patri adfcribit falutis, & gratiæ collationem: *Deus autem & Pater Domini noftri Jefu Chrifti, & ipfe fempiternus Pontifex Dei Filius, Jefus Chriftus, fanctificet vos in fide & veritate .... & det vobis fortem & partem inter Sanctos fuos.*

Dices. Polycarpus in fua precatione 1. folum Patrem dicit Deum: 2. ipfum Filium vocat facerdotem: Sed hæc Filii divinitati repugnant.

Verùm hæc nullius funt ponderis. Nam 1. ideò folus Pater à veteribus, aliquo refpectu, Deus dicitur, quòd (ut docet Athanafius) fons fit Deitatis. Concilium Nicænum I. eadem loquendi ratione utitur: *Credimus* (inquit in fymbolo) *in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium tam vifibilium, quàm invifibilium creatorem:* At nemo, qui fapiat, inde concludet, Concilium Nicænum I. crediditffe, Verbum non effe verè Deum: 2. Polycarpus non unam folùm naturam, fed duplicem agnovit in Chrifto; igitur dici potuit Sacerdos ratione humanæ naturæ, & fempiternus ratione divinæ.

Juftinus Martyr.

Juftinus, qui obiit anno 171. in Apologia quæ fecunda dicitur, eos arguit, qui negant, Filium effe Deum. Suum autem adverfus illos argumentum petit ex eo, quòd fit Filius primogenitus, & Dei Verbum: *Filium* (inquit) *effe Patri univerforum, qui quod Verbum Dei primogenitum fit, Deus etiam exiftit.*

Idem Author in Dialogo cum Tryphone apertè docet, Filium effe quidem numero, feu perfona, diftinctum natura & effentia: *Virtutem iftam* (ait) *quam Deum fermo propheticus vocat, non ut folis lumen nomine tantum numerari, verùm numero aliud quiddam effe, ratione exquifita fupra paucis explicavi: virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute & confilio ipfius, non per abfciffionem, tanquam difpertita effet Patris effentia, prout alia omnia divifa & fecta, non eadem funt, quæ ante fuerunt, quàm fcinderentur.* Id Juftinus confirmat fimilitudine ab igne petita. *Quemadmodum in igne videmus alium fieri, non decrefcente illo, unde facta eft alterius accenfio, fed in eodem ftatu permanente, & qui ex ipfo accenditur, etiam ipfe effe apparet, non imminuens illum, unde eft accenfus.* Ea Juftini ratiocinatio fic ad fillogifmum reducitur: Virtus de Patre genita non per abfciffionem, ac difpertitionem effentiæ Patris, eft ejufdem effentiæ cum Patre: nam virtus fic genita integram habet naturam generantis. Virtus de Patre genita tanquam ignis de alio igne, ejufdem eft effentiæ cum Patre: nimirùm, ignis de alio igne genitus, habet ignis naturam. Atqui ex Juftino, Verbum eft virtus de Patre genita non per abfciffionem ac difpertitionem effentiæ; eft virtus de Patre genita tanquam ignis de alio igne: ergo Verbum, ex eodem Juftino, eft ejufdem effentiæ, ejufdem naturæ cum Patre; ac proinde non minùs eft Deus, quam ipfe Pater, ficut ignis genitus de alio igne, non minus eft ignis, quam ille, de quo genitus eft.

Idem Scriptor in Oratione parænetica ad Græcos, quàm Juftini germanum effe fœtum docti omnes hodie confentiunt, licet non reperiatur in additione operum Juftini, quam Stephanus Robertus anno 1551. adornavit, fic loquitur: *Ipfe omnipotens, & omnium conditor, & invifibilis Deus, è cælis Veritatem, & Verbum fanctum, & incomprehenfibile inter homines locavit: non quemadmodum aliquis conjicere poffit, miffo hominibus miniftro aliquo, fed ipfo opifice & creatore omnium ...... tanquam Rex mittens Filium Regem mifit tanquam Deum, tanquam ad homines, mifit, tanquam fervans mifit:* Unde fic in forma conficitur argumentum: Is verè Deus eft, qui non eft Patris minifter, fed opifex ac creator omnium; qui non

minus est Rex, quàm Pater: atqui Verbum, ex Justino, non est Patris minister, sed opifex ac creator omnium; Rex est a Rege missus: ergo Verbum est vere ac proprie Deus.

Tandem idem Author Apologia secunda hæc habet de tribus personis SS. Trinitatis: *Fatemur quidem* (quod Christianis exprobrabant Ethnici) *nos talium, qui habentur, Deorum esse expertes, & atheos: sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet justitiæ, & castitatis, & virtutum aliarum ...... Verum hunc ipsum, & qui ab eo venit, Filium & Spiritum Sanctum colimus, & adoramus cum ratione & veritate venerantes.* Ex iis autem verbis sic licet argumentari: Is, cui eundem exhibemus cultum, quem æterno Patri exhibemus, verè ac propriè Deus est: Atqui, ex Justino, Filio eundem, quem æterno Patri, cultum exhibemus, nimirum cultum latriæ: nec enim Justinus quidquam distinguit inter cultum, quem Christiani exhibent Deo Patri, & inter eum, quem exhibent Filio: ergo Dei Filius, seu Verbum, est vere ac proprie Deus.

Objicies. In Justino Martyre plura sunt, quæ videntur pugnare contra Verbi divinitatem. Scribit enim 1. in Apologia secunda, Christianos Filium Dei *in secundo loco habentes cum ratione venerari*. 2. Ibidem asserit, quòd Filius sit prima *potestas post parentem, & Dominum universorum Deum*. 3. In Dialogo cum Tryphone Filiù nuncupat *Deum, qui administer est Dei universorum creatoris*. 4. In eodem Dialogo docet, Deum ipsum nec Moysi, nec Patriarchis quondam apparuisse, licet Filius eis videndum se præbuerit, eò quòd (inquit) Deus *neque superiora cœlo spatia relinquere possit, nec in exigua terræ parte conspici*. 5. Ibidem scribit, Patrem esse Filio *causam ut sit*. Ex iis autem textibus sic contra Verbi divinitatem conficitur argumentum: Ille non credidit Verbum esse vere ac proprie Deum, qui asseruit ipsum secundo tantum loco, hoc est, post Patrem, coli; ipsum secundam esse post Patrem potestatem; ipsum esse administrumDei creatoris; ipsum visum fuisse Moysi ac Patriarchis; ipsum esse a Patre tanquam a causa: Nempe qui Deus est, æquali cum Patre cultu colitur; prima est, sicut & Pater, potestas; non est Patris administer; non minus, quam ipse Pater, est invisibilis, nec minus, quam ipse Pater, potest superiora cœlo spatia relinquere; non est a Patre tanquam a causa: Atqui Justinus asseruit, Verbum secundo tantum loco coli; ipsum non primam, sed secundam tantum esse potestatem: administrum esse Patris, invisibile non esse; esse a Patre tanquam a causa: Ergo Justinus non credidit, Verbum esse vere ac proprie Deum.

Resp. neg. ant. Ad cujus priorem, & alteram probationem dist. ant. Justinus scribit, fideles Filium venerari secundo loco; ipsum esse post Patrem potestatem primam, ratione originis, conc. ant. ratione dignitatis, neg. ant. Ratio est, quia Justinus laudatis locis sibi probandum sumit id, quod tunc negabant nonnulli hæretici, quibus postea Sabelliani adhæserunt, plures esse personas in divinis, non autem unam tantùm multiplici virtute præditam, multiplici nomine donatam; nempè ipse in Dialogo cum Tryphone pag. 358. asserit, eos hæreticos docuisse, *Virtutem à Patre rerum omnium provenientem, qua Moysi apparuit, aut Jacob, aut Abrahæ, Angelum vocari, cum ad homines, quibus mandata Patris per ipsum denunciantur, progreditur; gloriam verò, cum in visione incomprehensibili aliquando exhibetur; virum autem & hominem nominari, quandoquidem ea specie, quam Pater velit, conspicitur, & propterea Verbum appellari, quòd Patris sermones ad mortales perferat, Virtutem autem, cum à Patre nullo pacto disjungi, & secerni possit, eo videlicet modo, sicuti Solis lux in terris ab eo in Cœlis rescindi & segregari nequit, atque illo occidente illa una aufertur: tali nimirum modo Patrem, cum vult, efficere ut virtus ejus prosiliat, & cum vult, ut eandem ad se ipsum retrahat*. Mirum igitur non est, quod Justinus scribat, Verbum secundo post Patrem loco coli, primam esse ab ipso potestatem: non enim est prima persona, cum ab alia, Patris nimirùm persona, suam ducat originem.

Ad tertiam ejusdem antecedentis probationem, dist. ant. Justinus Filium nuncupat impropriè ministrum Creatoris, conc. ant. propriè, neg. ant. Is tantum propriè nuncupatur minister, qui nec per se, nec proprio nomine agit; e contra verò impropriè is dicitur minister, qui non agit, nisi ratione esse, quod habet ab alio. Filius non est Creatoris minister sumendo ministrum priore modo: siquidem licet acceperit esse a Patre, illud tamen esse est ipsi proprium, ipse revera cum Patre operatus est, respectu creationis Universi: sed est minister sumendo ministrum posteriore modo. Scilicet esse, ratione cujus agit, accepit a Patre tanquam a sui fonte, ac origine, proindeque Pater per Filium agit, ac operatur, per esse, quod illi communicavit, ac communicat semper, mundum visibilem cunctasque creaturas eduxit olim ex nihilo, & jam temporis jugiter conservat, juxta illud Joannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt.*

Ad quartam probationem, dist. ant. Justinus scribit, Deum Patrem nec Moysi, nec Patriarchis apparuisse, conc. ant. Deum Filium, neg. ant. Ratio est, quia Deus Pater nusquam speciem humanam gessit, è contra verò, secundùm Justini ac plurimorum veterum sententiam, Filius etiam antequam Christus nasceretur ex Virgine sub humana specie, cui tamen non esset unitus hypostaticè, hominibus apparuit, ac revera cum Moyse, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, cæterisque Patriarchis collocutus est: idque (dicebant illi veteres) ut homines ad Incarnationis fidem, in tempore peragendam, sensim ac sine sensu disponerentur. Itaque, ex Justino, Filius in se sumptus non minùs est invisibilis, quam Pater; sed sumptus sub humana specie, visibilis fuit, reliquit, quoad illum effectum, superiora cœlo spatia, conspectus est (ut Justini verbis utamur) in exigua terræ parte.

Ad quintam probationem, distinguo pariter antecedens. Justinus scribit, Patrem esse Filio causam ut sit; & nomine causæ intelligit causam latè sumptam, conc. ant. intelligit causam strictè sumptam, neg. ant. Causa latè sumpta est id omne, a quo aliquis accipit suum esse, abstrahendo a modo, quo illud recipit, dependenter nimirùm, aut independenter. Causa strictè sumpta est id, a quo aliquis accipit suum esse non simpliciter, sed cum dependentia, Illo, non autem isto modo, Justinus causam sumpsit, hoc est, nihil aliud adstruere voluit, quam istud, nempe Patrem esse principium Filii, Filium a Patre procedere; ac proinde esse personam a Patre distinctam, quod (ut jam observatum est) negabant ii, quos in Dialogo cum Tryphone Justinus obiter urgebat.

Confirmatur responsio 1. ex eo, quòd Justinus Filium conceptis terminis nuncupet Deum, asseratque, illi cum Patre naturam esse communem. Vide loca, quæ ex illo Scriptore superius laudata sunt. Confirmatur 2. ex eo, quòd plures ex Patribus, qui post Nicænam I. Synodum floruerunt, quibusque persuasum fuit, Filium vere ac proprie esse Deum, ut Filii originem exponerent, aliquoties dixerint, Patrem esse causam Filii: ita Basilius lib. 1. contra Eunomium tom. 1. pag. 72. ita Gregorius Nazianzenus Oratione 29. ita etiam Joannes Damascenus lib. 3. de Fide Orthodoxa cap. 5. Hincque patet, non ex illa sola voce, *Causa*, judicandum esse, quid Patres de Verbo senserint, seu, an crediderint, aut non crediderint, illum non minus esse vere ac proprie Deum, quam ipse Pater.

Athe-

Athenagoras.

Athenagoras, philosophus Atheniensis, ferè fuit æqualis Justini: nempè pro Christianis scripsit apologiam ad M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum Imperatores. Apud Ethnicos Christiani pro Atheis audiebant; eos verò sic ab ea calumnia liberat in sua apologia: Docet nimirùm 1. Christianos unum Deum colere. *Ingenitum* (inquit) *& æternum, nec aspectabilem, patiendi expertem, qui neque comprehendi, neque capi loco possit.* Docet 2. Deum illum habere Filium, qui sit Verbum Patris in idea & operatione. *Ab ipso enim, & per ipsum omnia facta sunt.* Rationem reddit, cur per ipsum omnia facta sunt: *Cum* (inquit) *sit unum Pater & Filius, & sit in Patre Filius & Pater in Filio unitate & virtute Spiritus. Mens & Verbum Dei Filius est.*

Athenagoras iis verbis, 1. aperte distinguit personam Filii a persona Patris; neque enim idem potest esse respectu sui ipsius, Filius & Pater: 2. asserit Filium eandem habere cum Patre naturam: *Cum sit unum Pater, & Filius.* 3. scribit, omnia non tantùm per Filium, sed etiam a Filio, seu tanquam à causa efficiente, facta fuisse: *Ab ipso enim, & per ipsum omnia facta sunt*: 4. Ex eo, quòd Filius sit unum cum Patre, colligit Trinitatis proprietatem, quam Theologi circumincessionem vocant, per quam scilicet una persona est in alia: *Et sit in Patre Filius, & Pater in Filio.*

Idem Scriptor Filium non minus apertè, quàm Patrem, nuncupat Deum: *Quis igitur* (addit) *non miretur, cum audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari?* Eodem in libro idem repetit distincte, exponens, quid Christiani de Trinitate credant: *Deum* (ait) *asserimus & Filium ipsius Verbum, & Spiritum sanctum virtute unitos.* Conceptis terminis ibidem docet, Verbum seu Dei Filium, licet minimè factum, verè tamen a Patre prodiisse: *Quod si qui intellectus subtilitate excellitis, altius repetendum videtur, quidnam sibi velit hic Dei Filius, paucis dicam: primogenitum illum esse Patris primogenitum, non quasi factum quiddam sit.* Ex iis autem omnibus locis sic conficitur argumentum: Ille credidit, Verbum esse vere, ac proprie Deum, qui credidit, ipsum eandem cum Patre naturam habere, ab ipso ac per ipsum omnia ac singula facta fuisse, ipsum esse in Patre, & Patrem in ipso, ipsum rectè vocari Deum, ipsum non esse factum, sed ab æterno fuisse in Deo Patre, ipsum a Christianis eodem cultu coli, quo Pater: Atqui ea omnia (ut modo dictum est) Athenagoras credidit: Ergo credidit, Verbum esse verè ac propriè Dei Filium.

Objicies. Anthenagoras asseruit, Verbum in tempore à Patre prodiisse, cum nempè mundus eductus est ex nihilo; *Sed ita* (inquit in sua apologia) *ut cum materia concreta omnia, informisque natura, atque terra instar vehiculi subjicerentur, iis usque crassioribus leviora admixta essent, ad hoc ut idea & actus illorum esset, prodierit*: ergo Athenagoras credidit, Verbum non esse Deum.

Resp. dist. ant. Athenagoras asseruit, Verbum in tempore prodiisse exteriùs, conc. ant. prodiisse interiùs, neg. ant. Verbum in tempore quidem exterius prodiit, quia ab ipso & per ipsum visibile hoc Universum conditum est; sed non prodiit interiùs in tempore, eò quod (ut ipse Athenagoras notat) factum non sit, quod ab ipso e contra facta sint omnia, quod tandem ab æterno in Patre fuerit: *A principio enim Deus* (ait laudatus Apologista) *qui est æterna mens, habuit in se ipso λόγον, cum æternum sit λογικός.*

Irenæus.

Irenæus Polycarpum Joannis Apostoli discipulum audiit, obiit anno 210. libro 3. adversùs hæreses cap. 6. scribit, *neque Dominum, neque Spiritum sanctum, neque Apostolos eum, qui non esset Deus, definitivè & absolutè Deum nominasse aliquando, nisi esset verus Deus; neque Dominum appellasse aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem, & Filium.* Unde sic arguitur: Ex Irenæo, qui definitivè, & absolutè Deus in Scripturis nominatur, est verè ac propriè Deus; atqui Verbum, seu Filius, ex eodem Irenæo, in Scripturis definitive & absolutè nominatur Deus: ergo, &c.

Idem S. Martyr lib. 4. cap. 11. docet, vivum ac verum Deum, quondam Moysi apparuisse in rubo: *Quoniam* (inquit) *is, qui de rubo locutus est Moysi, & manifestavit se esse Deum Patrem, hic est viventium Deus. Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est super omnia Deus, & super quem alius non est Deus?* Addit S. Doctor, eum qui Moysi locutus est in rubo, fuisse Verbum ipsum, seu Dei Filium: *Qui igitur à Prophetis adorabatur Deus vivus, hic est vivorum Deus, & Verbum ejus, qui & locutus est Moysi* .... Quod de Verbo asseruit, idem de Christo asserit: *Ipse igitur Christus cum Patre, vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.*

Idem S. Doctor infinitatem ac immensitatem eandem Filio, quam Patri, tribuit: *Et benè* (ait lib. 4. cap. 8.) *qui dixit ipsum Patrem in Filio mensuratum. Mensura enim Patris Filius, quoniam & capit eum.* Lib. 2. cap. 42. eidem Verbo apertè tribuit æternitatem, & æqualem cum Patre coexistentiam, quam ibidem cuilibet enti creato denegat, utiturque illo argumento, ut probet, Verbo nihil esse absconditum, cum e contra creaturis plura sint ignota: *Non enim infectus es, ò homo, neque semper coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum.*

Ex iis autem Irenæi textibus sic licet argumentari: Ille docuit, Verbum esse verè ac proprie Deum, qui asseruit, Scripturas ipsum absolute ac definitive vocare Deum, qui scripsit, ipsum per se locutum Moysi fuisse in rubo; qui dixit, Christum esse cum Patre vivorum Deū; qui Verbo tribuit immensitatem, infinitatem, æternitatem Patris; Atqui Irenæus hæc omnia dixit, & docuit: ergo, &c.

Objicies. Apud Irenæum multa sunt, quæ non cohærent cum Verbi divinitate. Nam 1. lib. 3. cap. 8. scribit, Deum Patrem præcepisse Filio, ut mundum conderet: *Cui ergo præcepit?* (inquit in hæc Psalmi verba: Quoniam ipse præcepit & creata sunt) *Verbo scilicet, per quod Cœli firmati sunt*: 2. lib. 4. cap. 17. asserit, Filium esse ministrum Patris, indeque colligit Patri Angelorum ministerio opus non fuisse ad mundi creationem, ut volebant ii, quos ibidem Irenæus impugnat: *Ministrat enim ei ad omnia,* (inquit) *sua progenies, & figuratio sua.* 3. Verbo, ut Verbum est, ignorantiam extremæ mundi diei tribuit lib. 2. cap. 49. ubi hæc habet: *Etenim si quis exquirat causam, propter quam Pater in omnibus communicans Filio, solus scire & horam & diem à Domino manifestatus est.* 4. Docet, Patrem esse majorem Filio etiam, qua Verbum est, additque propter id, seu, quòd Pater sit major Filio, illum, non autem istum, scire extremi judicii diem: *Neque* (inquit) *aptabilem magis rationem, quàm hanc, inveniat in præsenti, quoniam cum solus verax magister sit Dominus, ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim Pater* (ait) *major me est.*

Ex iis autem locis sic arguitur: Ille non credidit Verbum esse vere ac proprie Deum, qui docuit Patrem imperasse Verbo; scilicet imperium supponit in imperante superioritatem, respectu ejus, cui fit imperium, qui docuit Verbum fuisse in creatione mundi Patris ministrum: ministratio enim arguit subjectionem, respectu ejus, cui exhibetur ministerium; qui docuit Verbum nescisse diem extremi judicii, ipsum esse minus Patre. Atqui Irenæus ea omnia docuit: ergo non credidit Verbum esse vere ac proprie Deum.

Resp.

Resp. neg. ant. Ad cujus priorem probationem dist. ant. Præcepit impropriè, conc. ant. propriè neg. ant. Imperium, de quo loquitur Irenæus, non est imperium Domini ad servum; siquidem Irenæus conceptis terminis ibidem eximit Verbum ea eorum numero, quæ constituta, facta, & subjecta sunt, sed est imperium Patris ad Filium, ejusdem cum ipso naturæ: hoc est, Pater voluit mundum fieri per Verbum suum, concurrente ipsius Verbi voluntate. Confirmatur responsio ex eo, quòd plures ex Patribus, qui post Synodum Nicænam vixerunt, eadem loquendi ratione nonnunquam usi sint. Vide Basilium lib. de Spiritu sancto cap. 16. Cyrillum in libro 29. Thesauri, Athanasium orat. contra gentes tom. 1. pag. 51.

Ad alteram ejusdem antecedentis probationem, dist. ant. Irenæus Verbum vocat Patris ministrum, connaturalem, & internum, conc. ant. Irenæus eo loci arguit hæreticos, qui contendebant, Patri ad rerum creationem opus fuisse Angelorum ministerio: eos autem sic confutat: Pater non indigit ministerio alicujus potestatis inferioris & intrinsecæ, satis nimirùm ei fuit ministerium Verbi, quòd ejusdem est cum ipso essentiæ, & naturæ; unde illud ministerium (ut jam superiùs observatum fuit) est ministerium impropriè dictum.

Ad tertiam probationem dicendum est, Irenæum loqui de Filio, non prout est Patris Verbum, sed prout est homo: de eo enim Filio loquitur, qui nos exterius docuit: *Ut* (inquit) *discamus per ipsum*: de illo loquitur, quem opponit Spiritui Salvatoris, de quo hæc ibidem habet: *Etsi enim Spiritus Salvatoris, qui in eo est, scrutatur omnia, & altitudines Dei, &c.* At is, qui Spiritui Salvatoris opponitur, non aliud est, quam humanitas, cui Verbum sese hypostaticè conjunxit.

Clemens Alexandrinus.

Clemens Alexandrinus, discipulus Pantæni, qui magistros audit eos, qui Apostolos viderant, apertè favet Verbi divinitati.

Et sanè non minùs, Verbo, quàm Patri omnia subjicit: *Unus quidem est universorum Pater*, (inquit initio Admonitionis ad gentes) *unum est etiam Verbum universorum, & Spiritus sanctus unus, qui & ipse est ubique*. Eodem in libro cap. 8. omnia Dei Patris attributa absoluta Verbo tribuit: idque oriri asserit ex eo, quòd Deus sit sicut Pater: *Nihil* (inquit) *odio habet Deus; sed neque Verbum, utrumque enim unum est, nempè Deus*.

Idem Scriptor Pædagog. lib. 3. cap. 7. probat Deum Filium nulla re indigere, quòd Verbum habeat Deum omnipotentem: *Est enim* (ait) *minimè indigens, qui Verbum habet Deum omnipotentem, & nullo eorum, quibus opus habet, unquam eget. Verbum enim possessio est, cui nihil deest & est causa omnis copiæ*. Plurima alia loca ex eodem Clemente referemus, cum in tractatu de Incarnatione disseremus de divinitate Christi: scilicet apertè profitetur, multisque argumentis Christi divinitatem probat.

Objicies 1. Clemens Stromatum lib. 7. Scribit, *naturam Filii esse soli omnipotenti conjunctissimam*. Asserit eodem in libro, *Filium omnipotentis Patris voluntati servire*. Stromatum 5. dicit, Filium Dei *primò creatam sapientiam*. Unde sic pro Arianis licet argumentari: Ille non credidit Verbum esse verè & propriè Deum, qui asseruit, Verbi naturam esse Patri conjunctissimam, quæ enim conjuncta sunt, non sunt unum, sed duo, qui scripsit, Verbum servire Patri; nempè non servit nisi inferior superiori; qui dixit, Verbum esse primò creatam sapientiam; siquidem ens creatum non potest esse Deus: Atqui (ut ex dictis patet) Clemens Alexandrinus ea omnia asseruit, scripsit, & docuit: ergo, &c.

Resp. ad 1. Vocem *naturam* ibi a Clemente sumi pro persona; alioquin sibi ipsi contradiceret: idque mirum non est, cum vocem *φύσις*, sive *natura*, eo in sensu nonnunquam ab iis etiam sumpta sit, qui post Concilium Nicænum I. apertissimè Arianismum impugnarunt, ut videre est in Epistola Gregorii Nysseni ad Ablavium. Ad 2. dicendum est, Clementem loqui de Filio ut homo est: nempe de eo loquitur, quatenùs est Salvator hominum, & eorum salutem promovet: sic autem servit voluntati Patris, qui vult hominis salutem. Ad 3. dicendum est, vocem *creatam* sumi pro *genitam*, ita ut sensus sit, Filii personam esse *primò* genitam ac productam: nimirùm persona Filii est prior origine persona Spiritus sancti. Ea solutio evidenter colligitur ex perfectionibus, quas Clemens (ut mox observatum est) Verbo tribuit.

Origenes.

Origenes Clementem Alexandrinum magistrum audiit. Quid de Verbi divinitate senserit, eruemus ex libris, quos contra Celsum philosophum jam senior exaravit: ii nimirùm libri nec corrupti fuerunt ab ejus invidis, nec oscitantia Scribarum interpolati; nec dubium est, quin ab ipso reverà conscripti fuerint: è contra plura ex aliis illius operibus, aut hæreticorum fraude, aut invidorum iniquitate, aut librariorum incuria, aut interpretum imperitia, ita corrupti sunt, ut via ex illis dijudicari possit, quid de pluribus magni momenti capitibus senserit.

Lib. 3. contra Celsum, asserit, Jesum esse Deum, quòd sit ipsummet Dei Verbum: *Sciant isti criminatores* (inquit respondens Celso arguenti Christianos, quòd pro Deo venerarentur eum, qui cum mortali corpore visus fuerat) *hunc Jesum, quem ab initio Deum, Deique Filium esse credimus, ipsum esse Verbum, ipsam veritatem, ipsam Sapientiam*. Libro 4. eidem Celso contendenti, Christianos Deum mutabilem colere, respondet, id calumniose Christianis imponi, quia Verbum, *quod ad homines descendit*, (inquit) *in forma Dei subsistit. Discat* (Celsus) *Verbum manere Verbum sua substantia, nec pati eorum quidquam, quæ corpus & anima patitur*. Ibidem contendit colligi non posse, Deum, quem Christiani colunt, quidquam passum fuisse, ex eo, quòd Christus revera passus sit: nam (inquit) *responderi potest, distinguendo divini Verbi naturam, quæ Deus est, & Jesu animam*.

Idem Author librò 5. contra eundem Celsum, scribit, Christianos non adorare creaturas, sed Deum ejusque Filium, qui simul cum eo Deus est: *Sed* (ait) *quòd agnoscamus Dei & Filii ejus unigeniti inenarrabili præstantia præcellentem divinitatem, quæ cætera omnia longè post se relinquit*. Libro 6. divinam ac increatam Filii Dei naturam apertis hisce verbis profitetur: *Neque enim eum, qui factus non est, & natura omnis factæ est primogenitus, quisquam pro dignitate potest nosse, sicut Pater ipse, qui genuit, neque Patrem quisquam, sicut animatum ejus Verbum, veritas & sapientia*. Eodem in libro docet, non creaturis, sed soli Verbo, quòd Deus sit, Dei naturam esse comprehensibilem: *Distinguo significatum* (inquit respondens Celso asserenti, Deum ratione non esse comprehensibilem) *si intelligatur de ratione, quæ vel inserta est nobis, vel è nobis se exerit, hac non esse Deum comprehensibilem. Sin de illa quæ erat in principio, & erat apud Deum, & ipsa erat Deus, damus hac Deum esse comprehensibilem*. Alia loca hic prætermittimus, quibus Origenes Christi, ac proinde Verbi, divinitatem apertè profitetur, ea nimirùm in tractatu de Incarnatione referemus.

Ex allatis autem Origenis textibus sic licet argumentari: Ille censuit Verbum esse verè ac propriè Deum, qui docuit, Jesum esse Deum, quòd sit ipsummet Dei Verbum; qui docuit, Verbum esse prorsus immutabile;

qui

qui docuit, Verbum quicquam pati non posse, quòd natura Deus sit; qui docuit, Christianos, cum Verbum colunt, non colere creaturam aliquam, sed Dei ac ejus Filii divinitatem; qui docuit, factum non esse Verbi naturam; qui tandem asseruit Verbum, comprehendere Deum Patrem, quòd, juxta Evangelium Joannis, Deus sit: Atqui Origenes in libris contra Celsum ea omnia docuit; ergo censuit Verbum esse verè ac propriè Deum.

Objicies 1. Origenes lib. 7. contra Celsum scribit, Patrem esse primarium mundi opificem, Verbum verò, proximum: Patrem Verbo jussisse ipsam mundi confectionem. Lib. 8. sic loquitur: *Itaque religiosè colimus Patrem veritatis, & veritatem Filium, duos quidem hypostasi, unum verè concordia, consensu, voluntatisque identitate*, Ibidem asserit. Verbum non esse universorum Deum: *Esto autem* (inquit) *non deesse quosdam ut in tam numerosa credentium multitudine, qui discrepantes ab aliis temerè affirment, quòd Servator sit ille universorum Deus*: Ejus autem ea statt rationem reddit, qua Verbi divinitas plane destruitur: *Nos certè* (ait) *hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti: Pater, qui misit me, major me est*. Libro 5. scribit, solum Deum Patrem esse bonum: *Nemo bonus nisi unus, nempè Deus Pater*. Eodem in libro docet, preces, quas offerimus Verbo, vocari preces non propriè, sed abusivè tantum: *Verbum quoque illud deprecaturi sumus, modò intelligamus, quomodo hæc accipiantur vel abusivè, vel propriè*.

Ex iis autem textibus sic argui potest: Ille non credidit Verbum esse verè ac propriè Deum qui docuit 1. Verbum non esse primarium, sed secundum tantum mundi opificem: 2. Patrem, & Verbum duos esse hypostasi, & unum concordia; neque enim Origenis tempore invaluerat usus sumendi hypostasim pro persona; nempe tribus prioribus sæculis passim accipiebatur pro natura; 3. Verbum non esse universorum Deum. 4. ipsum esse minus Patre. 5. Solum Deum Patrem esse bonum, 6. preces, quas offerimus Verbo, non propriè, sed abusivè tantum, vocari preces: Atqui Origenes ea omnia docuit; ergo non credidit, Verbum esse vere ac proprie Deum.

Resp. ad 1. dist. min. Origenes docuit Verbum esse tantum secundum opificem mundi, ratione originis, conc. min. scilicet Pater est origine prior Verbo: ratione naturæ, neg. min.

Ad 2. nego Origenis tempore morem apud plures non obtinuisse sumendi hypostasim pro persona, non autem pro natura: exempla laudabimus infra, ubi de Trinitatis personis in communi dicemus. Nec obstat, quòd Origenes dixerit, Patrem & Filium esse unum concordia: neque enim asserendo unum, scilicet unitatem concordiæ, censetur aliud negasse, unitatem nimirum essentiæ.

Ad 3. dist. ant. Origenes asseruit, Verbum non esse universorum Deum, sumendo Deum pro persona Patris, conc. ant. sumendo pro natura, neg. ant. Ibi enim perstringit Noctianos, qui volebant, Filium esse ipsum Deum Patrem, quem eorum temporum Scriptores his vocibus, *universorum Dominum*, significabant.

Ad 4. dist. ant. Origenes scripsit, Filium, qua Deus est, esse minorem Patre, ratione originis, conc. ant. ratione dignitatis, aut naturæ, neg. ant. Nec mirum est, quòd Origenes eam loquendi rationem adhibuerit. Nempè plures è Scriptoribus, maxime Catholicis, ea nonnunquam usi sunt: *Solum ingenitum* (inquit Alexander Episcopus Alexandrinus, a quo primum damnatus fuit Arius, apud Theodoretum lib. 1. cap. 4.) *Patris proprium esse dicamus, cum & ipse Servator dixerit: Pater major me est*. Athanasius oratione secunda contra Arianos, hæc quoque scribit: *Non dixit Filius, Patrem se meliorem esse, ne quis ipsum externum, alienumque à Patris natura existimaret: sed Pater, inquit, major est, non quidem magnitudine aliqua, aut ætate, sed propter generationem ex ipso Patre*. Sic etiam Basilius loquitur libro 1. contra Eunomium: *Quoniam enim à Patre principium est Filio, ideo major est Pater, ut causa & principium: Quapropter etiam Dominus sic dixit: Pater meus major me est, quatenus videlicet est Pater*.

Ad 5. dist. ant. Origenes scripsit, solum Deum Patrem esse bonum, excludendo humanam Christi naturam, conc. ant. excludendo illius personam, neg. ant. Ratio est, quia Origenes asserit, Christum, prout homo est, hæc verba protulisse, *Quid me dicis bonum?* nemo bonus nisi unus, nempe Deus Pater.

Ad 6. dist. ant. Origenes preces, quas offerimus Verbo, vocavit preces abusive, hoc est, ita hærentes humanitati, cui unitum est Verbum, ut ad Deum referantur, conc. ant. ut ad Deum non referantur, neg. ant. Origenes in eo loco agit de Filio Dei, prout est mediator; ibi enim eum vocat Pontificem, ac propitiatorem pro peccatis: sumptus autem prout est mediator, sumitur ratione humanæ naturæ, ac proindè preces, quas ad mediatorem illum dirigimus, non ita terminantur ad humanam illius naturam, quin ad Deum ultimò non tendant; imò eo fine preces offerimus mediatori, ut mediator sibi, ut Verbum est, ac toti Trinitati eas offerat.

Objicies 2. Hieronymus variis in locis carpit Origenem, quòd de Verbi divinitate pessimè senserit. Idem de eo judicium tulit Epiphanius hæresi 64. c. 4. & in Ancorato c. 63.

Resp. Hieronymum, & Epiphanium ex libris aut interpolatis, aut corruptis, aut dubiis, aut infideliter ex Græco conversis judicasse de Origenis circa Verbi divinitatem sententia: nos verò ex illius libris contra Celsum, qui haud dubiè sunt germani os Origenis fœtus, quos senex summo studio conscripsit adversùs infensissimum religionis Christianæ criminatorem; quique sinceriores sunt ac castigatiores aliis omnibus, qui sub Origenis nomine laudantur.

Dionysius Alexandrinus.

Dionysius Alexandrinus post medium sæculum tertium, ad Ammonium & Euphranorem dedit Epistolas adversùs Sabellianos, qui tunc temporis grassabantur. In iis epistolis dum personas in Deo accuratiùs distingueret, quibusdam visus est in partem contrariam, & quidem extremam, abiisse, hoc est, non tantùm personas contra Sabellium distinxisse, sed etiam naturas, quemadmodum postea factum est ab Arianis. Eam ob rem à quibusdam Pentapolitanis quasi læsæ fidei ad Dionysium episcopum Romanum delatus est. Hic celebrato Romæ Concilio, Synodicam misit ad Dionysium Alexandrinum, imperavitque, ut suam de argumento, circa quod ipsi lis intentata fuerat, sententiam aperiret. Scripsit ille apologiam ad Dionysium Romanum, in qua Verbi ὁμοούσιον, sive consubstantialitatem conceptis terminis protestus est, depulitque calumnias omnes sibi a delatoribus impactas. Ejusmodi autem apologiæ meminit Athanasius tum in Commentario de Synodis Ariminensi & Seleuciensi, tum in libro, quem ex professo scripsit adversùs Arianos, qui Dionysium laudabant, quasi in suis contra Sabellianos epistolis, Arii hæresi fuisset patrocinatus. Eusebius historiæ libro 7. cap. 26. hæc habet de eadem Dionysii apologia: *Quatuor etiam libros de eodem argumento composuit, quos cognomini suo, Dionysio Romanorum Episcopo nuncupavit.*

Quæ modò enarrata sunt, confirmantur tum ex capitibus Dionysio objectis, tum ex ejusdem Dionysii ad ea accusationum capita responsis. Pentapolitani conquesti fuerant 1. quòd Dionysius nominans Patrem, non appellasset Filium; unde concludebant, eum divi-

fisse

fisse Filium a Patre, cui tamen propter naturæ identitatem conjunctissimus est. Ad hoc, apud Athanasium Tom. 1. pag. 561. sic respondet S. Præsul: *Singula illa nomina* (Pater, Filius, Spiritus sanctus,) *de quibus locutus sum, inseparabilia à se invicem sunt, nec dividi queunt.* Multis interjectis asserit: *Invisibilem & indiminutam Trinitatem in unitatem colligi.*

Conquesti fuerant 2. quod dixisset, Patrem ad Filium se habere, sicut agricola se habet ad vitem, & fabricator navis ad scapham; indéque concluserant, eum asseruisse Verbum non esse consubstantiale Patri, sed diversæ omninò naturæ, quemadmodum agricola non est ejusdem naturæ cum vite, nec navis fabricator cum ipsa nave.

Ad primum accusationis caput respondet, se obiter tantum, ut personas contra Sabellianos distingueret, usum fuisse duplici similitudine, de qua in illum Pentapolitani querelam moverant. *Horum quidem* (ait apud Athanasium) *ut minoris momenti exempla tantùm in transcursu recensui.*

Ad aliud autem delationis caput reponit, immeritò suos accusatores ex iis similitudinibus conclusisse, eum scripsisse Verbum non esse consubstantiale Patri: *Quæ magis genuina erant pleniùs enarravi, variis adinventis argumentis, (quæ & tibi in alia epistola descripsi) quibus ostendi crimen, quod deferunt contra me, falsum esse, quasi qui non dixerim, Christum esse Deo CONSUBSTANTIALEM. Nam tametsi dico, me id nomen non reperisse, nec legisse alicubi in sacris Literis, argumenta tamen mea, quæ postmodum subjunxi, & ab illis tacita sunt, ab hac sententia non dissonant.*

Quàm meritò Dionysius id asseruit, ipsemet probat ex aliis comparationibus, quibus scribit se usum fuisse in suo contra Sabellianos opere. Nempe scribit, se Dei Filium cum humano partu comparasse, cum fluvio, qui egreditur è fonte, cum planta, quæ oritur a semine. Indeque concludit, se Verbi consubstantialitatem cum Patre, licet nomen non adhibuisset, tuitum fuisse in suo opere contra Sabellianos: scilicet homo & ejus partus, fluvius & fons, planta & semen, ejusdem sunt speciei, ac substantiæ: *Nam* (inquit) *& humanum partum pro exemplo adduxi, haud dubiè congenerem, itaque in verbis meis addens, omninò parentes eo solùm alios esse à liberis, quòd ipsi, liberi sui non sint ..... Nam & plantam dixi è semine aut radice provenientem, aliud esse ab eo unde germinascit, & tamen cum eo prorsùs esse similis naturæ; & fluvium à fonte promanantem, aliam formam nomenque accipere: neque enim fontem fluvium, neque fluvium fontem appellari; & tamen ambos existere, & Fontem instar patris esse, fluvium verò esse ex fonte aquam.*

Antequam Dionysianæ historiæ finem imponamus, operæ pretium est, ut lector observet, ubique eo tempore, quo laudatus Episcopus florebat, fidelibus persuasum fuisse, Verbum esse Patri consubstantiale.

Et quidem 1. id credebant Pentapolitani; siquidem Dionysium Alexandrinum tanquam temerariæ fidei reum detulerunt ad Dionysium Romanum, quòd censerent, ejusmodi consubstantialitati labem ab eo illatam fuisse in Epistolis, quas scripserat adversùs Sabellianos. 2. Id quoque credebant Ægyptii, scilicet præcipuus Ægypti Episcopus, Dionysium Alexandrinum dico, tanquam calumniam repulit, quæ sibi de negata consubstantialitate Verbi objecta fuerant a Pentapolitanis. 3. Id quoque credebat Ecclesia Romana; nam Dionysius Romanus Episcopus acceptis Pentapolitanorum adversùs Dionysium Alexandrinum literis, Romæ plurium Episcoporum Concilium habuit, missaque ad eum Synodica, jussit, ut Pentapolitanorum accusationibus responderet. Et autem mandato Dionysium Alexandrinum obtemperasse, superiùs ostensum est Eusebii & Athanasii testimonio.

Gregorius Thaumaturgus.

Gregorius Thaumaturgus, Neocæsariensis in Ponto Episcopus, auditor fuit Origenis, dum adhuc in adolescentia versaretur: obiit paulò post Dionysii Alexandrini mortem; nempe interfuit Concilio, quòd adversus Paulum Samosatensem Antiochiæ secundò celebratum est, ante quod tamen Dionysius jam diem extremam clauserat.

Parte 1. operum ejusdem Gregorii legitur fidei confessio hisce verbis concepta: *Unus Deus, Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, & potentiæ & characteris sempiterni: perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo ..... Unusque Spiritus sanctus ex Deo existentiam habens, &c.*

Eam fidei confessionem, spuriam censent novi Ariani, eo quòd nec Eusebius, nec Hieronymus illius meminerint. Verum facile revincuntur. Nam 1. refertur a Gregorio Nysseno in vita Gregorii Thaumaturgi. 2. Ejusdem Nysseni ætate ferebat traditio Ecclesiæ Neocæsariensis, illam re vera esse laudati Gregorii: *Per quam* (ait Nyssenus) *usque in præsentem diem instituitur plebs*, Neocæsariensis, *quæ ab omni hæretica malitia intacta permansit.* Unde summa cura ab eadem Ecclesia in archivis conservabatur: *Quòd si quis sibi fidem* (verba sunt Nysseni) *de hac referri cupit, audiat Ecclesiam, in qua sermonem prædicabat, apud quam illa ipsa verba à beata illa manu exarata, adhuc etiam nunc conservantur.* 2. Basilius, operum tom. 2. pag. 360. Edit. Parisiensis 1638. expresse affirmat, Neocæsarienses sua ætate non ad aliam formulam, quam ad relictam à Gregorio, fidelibus tradidisse fidei rudimenta: *Itaque non praxim aliquam, non dictum, non formam ullam mysticam, ultra quam illis reliquit, Ecclesia sua adjecerunt*; tunc autem (ut Nissenus testatur) Neocæsariensis Ecclesia habebat apud se fidei confessionem, de qua agitur. 3. Quinta Synodus generalis eandem confessionem agnovit, tanquam genuinum Thaumaturgi opus.

Objicies 1. Confessionis, de qua agitur, nec Eusebius, nec Hieronymus meminerunt; eam tamen non prætermisissent, si Gregorii sit opus: rem enim adversùs Arianos confecisset. 2. In ea confessione Thaumaturgus asserit, Patrem, & Filium esse unum hypostasi, & sola ratione distingui, id verò ipsissimus est Sabellianorum error. 3. Idem S. Pater de Christo agens, aliquando *creaturæ, facturæ*, nominibus utitur.

Resp. ad 1. nec Eusebium, nec Hieronymum omnia retulisse, quæ scripserunt Patres, qui ante eorum tempora vixerunt. Opus, de quo agitur, referunt Gregorius Nyssenus, & alii, quos jamjam laudavimus. Ad 2. respondet Basilius, id dictum fuisse a Gregorio ex suppositione Adversariorum, contra quos agebat: *Hoc scilicet* (ait) *non dogmaticè, neque affirmando, sed concertationis more in disputatione adversus Ælianum ab eo dictum esse, intelligere nequiverunt, qui propter intelligendi subtilitatem beatos sese reputant.* Ad 3. idem Basilius respondet, hæc nomina, *creatura, factura*, referri ad humanam, non autem ad divinam Christi naturam: *Multa etiam, quæ de Incarnatione dicta sunt, ad divinitatis rationem referunt, qui imperitè, quæ scripta sunt, audiunt.*

Patres Concilii Antiocheni.

Antequam frequens esset Episcoporum Antiochiæ consessus, sex Episcopi, qui ad Concilium brevi contra Paulum Samosatensem celebrandum sese contulerant, Epistolam ad eumdem Paulum dederunt, in qua definiunt: *Christum*, cujus divinitatem negarat Samosatensis, *Sapientiam esse, & Verbum, virtutemque Dei ante sæcula existentem, non sola præscientia, sed substantia & subsistentia Deum.*

Pam.

Pamphilus Martyr.

Pamphilus propter caufam fidei fub Maximino occubuit. Is in libro Apologetico, quem in Origenis defenfionem confcripfit, & cujus meminit Eufebius hift. lib. 6. cap. 33. probat, Origenem Catholicè fcripfiffe: probat (inquam) quod docuerit, *eandem effe inconvertibilitatem Spiritus fancti, quæ & Patris & Filii, æqualem effe Trinitatem; ficut Pater novit initia omnium, quæ funt, & fines, fic & Filium, fic & Spiritum fanctum fcire, ipnonw effe cum Patre Filium, id eft, unius fubftantiæ.*

Lucianus.

Lucianus, *Ecclefiæ Antiochenæ presbyter,* (ait Eufebius hift. lib. 6. cap. 13.) *vir in omni vita fanctiffimus,* propria manu fymbolum defcripfit, in quo hæc leguntur: *Credimus in unum Deum Patrem ..... & in unum Dominum Jefum Chriftum, Filium ejus unigenitum Deum, per quem omnia facta funt, & Deum ex Deo, totum ex toto, folum ex folo, perfectum ex perfecto, regem ex rege. Et in Spiritum fanctum, &c.* Iis autem verbis Lucianus apertè profitetur, Verbum effe Deum, *Deum ex Deo,* æquale effe Patri, *Perfectum ex perfecto,* æternum ficut & ipfe Pater: *Genitum ex Patre ante omnia fæcula.*

Objicies 1. Nec Eufebius, nec Hieronymus meminerunt fymboli, de quo eft quæftio. 2. Luciano affictum eft ab Epifcopis Concilii Antiocheni, quod Conftantius ad Encænia (Sozomeno tefte hift. lib. 3. cap. 5.) convocarat.

Refp. ad 1. ex Eufebii, ac Hieronymi filentio nihil poffe concludi de facto, quod Athanafius lib. de Synodis Arimin. & Seleucienfi Tom. 1. pag. 892. Socrates hiftor. lib. 2. cap. 10. aliique non multùm a Luciani temporibus diftantes retulerunt. Ad fecundum dicendum eft, verum quidem effe, Epifcopos, de quibus argumentum loquitur, eam fidei confeffionem primùm promulgaffe: *Ajebant autem* (inquit Socrates) *reperiffe fe hanc fidem totam fcriptam manu ipfius Luciani, ejus, qui Nicomediæ martyrium perpeffus eft:* Sed multa (ajunt nonnulli) probant, illos Epifcopos verum dixiffe. Nam 1. verifimile non eft Epifcopos, quorum pars major plus æquo favebat Arianis, promulgaturos effe Luciani martyris nomine confeffionem, catholicæ fidei tam evidenter faventem, fi eam de facto Luciani manu (ut ajebant) confcriptam Antiochiæ non reperiffent: 2. Impoftura diù latere non potuiffet Antiochenfes, apud quos Luciani fcripta fummo ftudio confervabantur. Vide de hoc argumento Hilarium, libro de Synodis adversùs Arianos.

Methodius.

Methodius Tyri Epifcopus (Hieronymo tefte in Catalogo de Scriptoribus Ecclefiafticis cap. 34.) fub Diocletiano & Maximiniano in Chalcide civitate Græciæ martyrio coronatus eft. Is in libro de Martyribus apud Theodoretum, Dialog. 1. pag. 37. Chriftum, ac proinde Verbum, nominat, *Dominum & Filium Dei, qui non rapinam arbitratus eft, effe æqualem Deo.* Apud Photium cod. 237. dicit, exiftentiam Verbi nec initium, nec finem habuiffe, fed femper eandem fuiffe. Unde fic arguitur: Ille eft verè ac proprie Deus, qui eft æqualis Patri; qui eft ipfi coæternus; atqui, ex Methodio, fic fe habet Verbum: ergo, &c.

Objicies. Methodius, apud Photium cod. 235. fcribit 1. duas effe in Deo potentias effectrices. 2. Patri, Orbis creationem tribuit; Verbo autem illius ornatum tantùm. 3. Afferit, Filium a fe ipfo non operari, fed folum Patrem: *Unam* (inquit) *quæ ex non extantibus à fe ipfa molitur quidquid vult facere, eaque eft Pater: alteram, quæ componit, & varietate quadam exornat ad prioris imitationem, quæ jam facta funt, & eft Filius.* Unde fic arguitur: Ubi funt duæ potentiæ effectrices, ibi duæ funt naturæ; ubi operans producit effectum ad extra, qui ab alio operante non producitur, duplex eft effentia: atqui ex S. Methodio, duæ funt in Deo potentiæ effectrices: effectus, qui ab una producitur, non producitur ab alia: ergo in Deo funt duæ naturæ, & duæ effentiæ.

Refp. ad 1. dift. min. Ex S. Methodio, duæ funt in Deo potentiæ effectrices perfonaliter, conc. min. fubftantialiter, neg. min. fcilicet, funt plures perfonæ operantes, licet una tantùm fit fubftantia operans. Ad 2. dift. pariter min. Effectus, qui ab una producitur, non producitur ab alia, fecundùm quemdam loquendi modum, conc. min. ab alia abfolute non producitur, neg. min. Patres, quos eo in capite fequuntur de fchola Theologi, nonnulla per appropriationem tribuerunt Patri, alia Filio, alia Spiritui fancto: creationem adfcripferunt Patri, eò quòd conveniat, ut is dicatur rerum creatarum principium, qui totius Deitatis fons eft, ac origo. Filio Univerfi ornatum ac ordinem, eò quòd deceat, ut is dicatur res exornare & in ordinem difponere, qui dicitur fapientia, & verbum Patris: nimirùm fapientis eft, cuique rei convenientem fitum, ac ordinem tribuere. Jam verò quòd Methodius non excludat Filium à creatione mundi, cujus ornatum illi tribuit, patet ex eo, quod non excludat Patrem ab ornatu & difpofitione Univerfi, licet ipfi ejufdem Univerfi creationem adfcribat: *Omnipotens* (ait ibidem) *ac fortis manus Patris, in qua poftquam fecit materiam ex non extantibus, exornat.* Ad 3. dift. ant. Methodius afferit, Filium non operari a fe ipfo, hoc eft, per effe, quod ab alio non acceperit, conc. ant. nimirùm totum fuum effe, omnem operationem ad extra, accipit a Patre per generationem; per effe, quod ab alio acceperit, neg. ant. Non apud Methodium tantùm, fed etiam apud Patres, qui poft Concilium Nicænum I. fcripferunt, invaluit ille loquendi modus.

§. II.

Proponitur Patrum Occidentalium doctrina de Verbi divinitate.

CONCLUSIO. 1. Patres, qui ante Concilium Nicænum I. floruerunt in Occidente, docuerunt, Verbum effe verè ac proprie Deum.

Probatur. Patres, qui ante Concilium Nicænum I. in Occidente floruerunt, funt Tertullianus, Dionyfius Romanus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius: Sed Tertullianus & alii docuerunt, Verbum effe verè ac propriè Deum: ergo, &c. Minor propofitio fubfequenti examine demonftratur.

Tertullianus.

Tertullianus (ut ipfe teftatur lib. 1. in Marcionem, nec non in Apologetico cap. 4.) tempore Severi Imperatoris floruit, hoc eft, labente fæculo fecundo, & ineunte tertio.

In Apologetico cap. 21. expreſsè docet 1. Dei Filium vocari Deum: 2. unius effe cum Patre fubftantiæ: 3. id ex eo colligi, quòd ex Patre genitus fit: *Hunc* (inquit) *ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum; & idcirco Filium Dei, & Deum, dictum ex unitate fubftantiæ.*

Libro adversùs Praxeam cap. 8. afferit, Verbum fe habere refpectu Patris, ficut fe habet fructus refpectu radicis, ficut fluvius refpectu fontis; indeque concludit,

unam esse ac indivisam Patris ac Filii substantiam. *Protulit Deus Sermonem sicut radix fructum, & fons fluvium, & sol radium: nam & istæ species probolæ sunt earum substantiarum, ex quibus prodeunt.*

Eodem in libro, c. 17. testatur, omnia Patris nomina & attributa Filio, ut Filius est, convenire. *Nomen Patris* (inquit) *Deus omnipotens, altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, Qui est. Hæc dicimus & in Filium competisse, & in his Filium venisse, & in his semper egisse, & sic ea in se hominibus manifestasse.* Addit, cum non nomina tantùm habere communia cum Patre, sed etiam omnia prorsus, nihil planè præter personam excepto: *Omnia sibi tradita dicit à Patre* (ait lib. 4. contra Marcionem cap. 25.) *Credas, si Creatoris est Christus, cujus omnia, quia non minori se, tradidit omnia Filio Creator, quæ per eum condidit, per sermonem scilicet suum.*

Libro de Resurrectione Carnis c. 6. scribit, Filium in omnibus esse æqualem Patri: *Est Sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo.* Libro adversus Praxeam cap. 22. hæc ait de Christo ut Filius est Patris: *Unum sumus, dicens, Ego & Pater, ostendit duos esse, quos æquat, & jungit.* Lib. de Pudicitia cap. 21. docet, non Filium modò, sed & totam Trinitatem esse consubstantialem, quippè agnoscit: *Trinitatem unius Divinitatis, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.*

Ex allatis verò Tertulliani sententiis sic confici potest argumentum: Ille docuit, Verbum esse verè ac propriè Deum, qui asseruit, ipsum vocari Deum, quòd a Deo Patre genitum sit; qui scripsit, Filium esse unius ac indivisæ substantiæ cum Patre, qui dixit, non nomina tantum, quæ Patri tribuuntur, sed etiam attributa quælibet ipsi cum Patre esse communia; qui voluit ipsum in omnibus esse æqualem Patri; qui tandem expresse professus est trinitatem unius divinitatis: Atqui Tertullianus id asseruit, id scripsit, id dixit, id voluit, id professus est: Ergo Tertullianus docuit, Verbum esse verè ac propriè Deum.

Objicies 1. Tertullianus negavit æternitatem Verbi: ergo non credidit, ipsum esse verè ac propriè Deum. Probatur ant. Lib. contra Hermogenem cap. 3. scribit, Deum non semper fuisse Patrem; addit, fuisse tempus, quo Filius non exstitit: *Quia* (inquit) *& Pater Deus est, & judex Deus est; non tamen ideo Pater, & judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater esse potuit ante Filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quod judicem & Patrem Dominum faceret.*

Nec argumentum solvunt, qui cum Bellarmino respondent, Filium, de quo Tertullianus loco mox laudato loquitur, non esse Verbum, sed Filium per adoptionem. Nam 1. absque ulla limitatione Tertullianus scribit, Deum non semper fuisse Patrem. 2. Libri, de quo agitur, capite 18. præcluditur illud effugium: ibi enim Tertullianus ait, Sophiam, quæ haud dubie est ipsummet Verbum, non sine initio fuisse; imò prolatam ac natam esse, cum Deus sese ad Universi productionem accinxit: *Si enim* (inquit) *intra Dominum, quod ex ipso & in ipso fuit, sine initio non fuit; Sophia scilicet ipsius exinde nata & condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari: multò magis non capit, sine initio quidquam fuisse quod extra Dominum fuerit.*

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Tertullianus docet, Deum non semper fuisse Patrem, hoc est, non semper declaratum ac manifestatum fuisse Patrem, conc. ant. Semper non fuisse absolute & intrinsece Patrem, neg. ant. Ad 3. dist. pariter ant. Tertullianus scribit, fuisse tempus, quo Filius non fuit, secundum aliquem respectum, conc. ant., quo non fuit absolute, neg ant. Tertullianus in loco, de quo agitur, solvit hocce argumentum Hermogenis: *Si materia non esset æterna, Deus non semper fuisset Dominus: Siquidem nihil habuisset, quod ipsi paruisset.* Solvit (inquam) dicendo, non esse absurdum, quòd Deus non semper fuerit Dominus, cum absurdum non sit, quòd in omni sensu non semper fuerit Pater: neque enim fuit Pater extrinsece ac in manifesto, nisi cum per generationem impropriè dictam Verbum misit ad Universi creationem. Si quis autem urgeat, non magni esse ponderis illud Tertulliani responsum ad argumentum Hermogenis, dicendum erit, rem esse perspicuam, Authorem illum undecumque responsa ac rationes, quas sciret non plurimi esse momenti, scripere solitum esse, ut propositam sibi thesim tueatur.

Confirmatur responsio ex eo, quòd eodem contra Hermogenem libro Tertullianus millies testetur, Filium a Patre ab æterno genitum fuisse.

Primò enim cap. 18 (ut jam observatum est) scribit, Sophiam, quam dicit natam, ex quo Pater accinxit se ad rerum externarum productionem, *fuisse ex ipso & in ipso Deo*: Quod autem in Deo & ex Deo fuit, non potest non esse æternum, quippè nihil est in Deo, quod Deus non sit.

Secundò, libro adversus Praxeam cap. 5. dicit Deum, etiam ante mundi creationem, non fuisse solum, quòd etiam tunc secum haberet Rationem, seu Sermonem, seu Sophiam, seu Verbum: *Ante omnia* (inquit) *Deus erat solus, ipse sibi mundus, & locus & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Cæterum nec tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & Ratio in ipso prius, & ita ab ipso omnia.* Ea autem Ratio, quæ in Deo fuit semper, in tempore vocata fuit Sermo, eò quòd Sermo quidpiam exteriùs prolatum sonet, cum è contra Ratio internum aliquid dicat: *Jam in usu est nostrorum* (ait Author) *per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio apud Deum fuisse, cum magis Rationem competat antiquiorem haberi, quia non Sermonalis à principio, sed Rationalis Deus etiam ante principium.* Itaque constat, eo sensu Sermonem natum fuisse in tempore, quòd a Patre receperit metaphoricam quandam generationem, quæ non aliud est, quam missio ad rerum externarum productionem.

Tertiò, idem Author sumens Sermonem pro Ratione, conceptis terminis scribit lib. adversus Praxeam cap. 13. Sermonem esse hypostasim a Patre distinctam: *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo, unus qui erat, & alius, apud quem erat.* Capite 8. addit, qua ratione intelligendum sit illud: *In principio*: hæc enim scribit: *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre, & apud Deum semper, sicut scriptum est, Et Sermo erat apud Deum.*

Objicies 2. Tertullianus lib. adversus Praxeam c. 6. docet, Sermonem, seu, Verbum, seu Sophiam, a Patre procedere per quandam separationem: *Et hinc* (inquit, ubi retulit hæc Geneseos verba: Dominus creavit me initium viarum in opera sua) *adsistentem eam ipsa separatione cognosce*: Atqui quæ separata sunt, non sunt unius ac ejusdem substantiæ: ergo, &c.

Resp. dist. maj. per quandam separationem impropriè dictam, conc. maj. per separationem propriè dictam, neg. maj. Separatio priore modo sumpta, nihil aliud est, quam Filii missio ad opera externa: per ipsum nimirùm omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Hanc Tertullianus concedit Verbo, non autem aliam; nempe capite 8. contra Valentinianos agens sic loquitur: *Filius in Patre semper, & nunquam separatus à Patre*: quibus verbis hæc alia ibidem subjicit: *Hæc erit parabola veritatis, qua prolatum dicimus Filium à Patre, non separatum.* Hinc patet, quo sensu idem Author scripserit, Sermonem *speciem & ornatum suum sumsisse, cum dixit Deus, Fiat lux*: nihil enim aliud voluit, quam

quod

quòd tunc Verbi, quod est Sapientia Patris, virtus mirum in modum eluxarit, in ordine, ad quem reduxit informem prius ac rudem materiam.

Dionysius Romanus.

Dionysius Romanus (Eusebio teste hist. Eccles. lib.7.c.7.) sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus floruit.

Prolixam Dionysius scripsit Epistolam adversùs Sabellianos: hæc periit quidem, sed tamen nonnulla illius apud Athanasium fragmenta reperire est: sic nimirùm apud cum libro de decretis Nicænæ Synodi Tom. 1. pag.275. veteris editionis loquitur: *Audio, quosdam apud vos esse catechistas, & doctores divini verbi, qui illius sunt opinionis authores, qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum afferens esse Patrem, & è converso Patrem esse Filium. At isti tres quodammodo Deos prædicant, dum sanctam Monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, à se invicem planè separatas.* Eum autem errorem Sabellianismo plane contrarium sic refellit: *Etenim necesse est univi omnium Deo Verbum, & in Deo manere, & habitare Spiritum sanctum. Jam verò divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam & summum, omnipotentem Deum universorum dico, colligi & coalescere prorsus est necesse.*

Idem Pontifex maximus expresse negat, Verbum aut factum, aut creatum fuisse: *Cæterùm* (ait) *non minus culpaveris eos, qui Filium Dei opus existimant, & Dominum factum esse sicut cætera opinantur, cum sacra eloquia generationem ei congruentem & decentem, non autem formationem & creationem testimoniis suis attribuant.* Alia ejusdem sancti Pontificis loca vide in tractatu de Incarnatione, ubi agitur de Christi divinitate.

Cyprianus.

Cyprianus medio tertio sæculo floruit. Librò secundo Testimoniorum adversùs Judæos ad Quirinum, probat è Scripturis, Christum esse Deum, eique omnia tribuit, quæ in iisdem Scripturis soli vero ac summo Deo tribuuntur. Vide S. Martyris textus descriptos in tractatu de Incarnatione, ubi de Christi divinitate disseremus. Si verò Cyprianus crediderit, Christum esse Deum, consequens est, ipsum quoque credidisse, Verbum esse verè ac propriè Deum.

Idem S. Martyr in epistola ad Jubajanum de hæreticis baptizandis, alludens ad septimum versiculum capitis quinti primæ Joannis Epistolæ, docet, tres, in quorum nomine baptizamur, esse natura unum: *Cum* (inquit) *tres unum sint.* In eadem Epistola S. Cyprianus Trinitatem vocat, plenam & adunatam: siquidem baptisma in solo Christi nomine datum, irritum esse ex eo probat, *quod ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate.*

Quæ novi Ariani proferunt ex Cypriano, ut probent eum suo errori patrocinatum fuisse, referuntur aut ad Verbum prout incarnatum, aut ad processionem Filii a Patre, secundùm quam veteres quidam (ut superiùs observatum est) dixerunt, Filium esse subordinatum Patri, ac illo esse minorem; de quorum quidem Patrum sensu jam superiùs dictum est, ac inferiùs recurret sermo, ubi de divinis processionibus agetur.

Lactantius.

Lactantius, Rhetor erat, non Theologus; unde magni ponderis non sunt argumenta, quæ ex ipso contra Verbi consubstantialitatem proferri possent. Præterea varios in suis libris errores sparsit, quæ probant, eum non multam in fidei mysteriis peritiam habuisse. Addendum, gravissimos Scriptores censuisse, ea quæ Lactantius de Filii generatione lib.2. cap.9. & lib.4. c.8. scribit, adulterata esse ab hæreticis.

Nonnulla tamen sunt in Lactantio, quæ probant, eum idem cum Tertulliano de Verbi consubstantialitate credidisse. Nam 1. Sermonem sicut Tertullianus, a Ratione distinxit: 2. Contendit, Rationem esse idem cum ista Dei Sapientia, quæ sanè Deus est: sic enim loquitur lib.4. c.9. *Est ille Filius Dei, & Dei Sermo & Dei Ratio, & vox & sapientia Dei: & meliùs dicitur in loco Joannis, Rationem & Sapientiam, quàm Sermonem & vocem, in principio fuisse, & apud Deum fuisse.* 3. Censet, Rationem tunc factam fuisse Sermonem, cum Deus per eam condidit Universum: *Scilicet vox & Sermo non erat Filius antequam ex Patre cum voce processerit, ad constituendum universa: Sed Ratio & Sapientia Dei æternum erat.* Igitur cum Lactantius scribit, Sermonem fuisse tunc genitum, cum Deus Pater sese accinxit ad Universi productionem, intelligi potest de generatione impropriè dicta, quæ non aliud est, quam Filii a Patre missio ad rerum externarum productionem.

Confirmatur responsio ex eo, quòd Lactantius velit, Deum Patrem Filio tanquam consiliatore usum fuisse ad rerum productionem: *Eversus igitur Deus* (inquit lib.2. cap.8.) *fabricam mundi, illum primum & maximum Filium præfecit operi universo, eoque simul & consiliatore usus est, & artifice in excogitandis, ornandis, perficiendisque rebus:* At Dei ipsius consiliator non alius est, quam ejus Verbum, quam illius Sapientia, quam quidem Lactantius asseruit æternam fuisse.

Confirmatur iterùm ex lib.4. cap.29. ubi hanc Gentilium objectionem sibi proponit: *Fortasse quærat aliquis, quomodo, cum Deum nos unum colere dicamus, duos tamen esse asseveramus, Deum Patrem, & Deum Filium:* Sic autem solvit eam objectionem: *Cum dicimus Deum Patrem & Deum Filium, non diversum dicimus, nec utrumque secernimus, quia nec Pater sine Filio esse potest, nec Filius à Patre secerni: siquidem nec Pater sine Filio nuncupari, nec Filius potest sine Patre generari.* Ex illa verò generatione hancce idem Lactantius conclusionem elicit: *Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem, una utrique mens, unus spiritus, una substantia est.* Id adhibitis comparationibus confirmat, quæ mirum in modum & Patris & Filii consubstantialitatem illustrant, ac supponunt: *Sed ille* (ait) *quasi exuberans fons, hic tanquam defluens ex eo rivus: ille tanquam sol, hic quasi radius a sole porrectus, qui quoniam summo Patri & fidelis & charus est, non separatur, sicut nec rivus à fonte, nec radius à sole, quia & aqua fontis in rivo est, & solis lumen in radio.*

Arnobius.

Arnobius primùm gentilis, rhetoricam Siccæ in Africa docuit, imperante Diocletiano. Opus in septem libros distributum edidit adversùs Gentes, postquam Ecclesiæ Christianæ dedisset nomen. Pluribus locis, quos videre est descriptos in nostro tractatu de Incarnatione, ubi agitur de Christi divinitate, conceptis terminis asserit, multisque argumentis probat, Christum esse verè ac propriè Deum: ergo credidit, Verbum esse Deum: neque enim (ut superiùs observatum est) Christus est Deus, nisi quòd in eo natura humana hypostaticè cum Deo conjuncta sit.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, colligitur 1. Dionysium Petavium libro 1. de Trinitate non æquum fuisse censorem Patrum, qui ante Concilium Nicænum sive in Oriente, sive in Occidente floruerunt, cum eos omnes, paucis exceptis, asseruit, Arianismo circa Verbi divinitatem laborasse. Colligitur 2. Socinianos, ut Traditionis vim enervent, immeritò Catholicis objicere, Patres trium priorum sæculorum docuisse, Verbum

non

non esse Patri consubstantiale. Colligitur 3. ab iisdem Socinianis ac aliis heterodoxis immeritò objici Petavii hoc in capite judicium. Nam Petavius in præfatione sui operis in antecessum retractat, quod docet lib. 1. quippè qui contendat, Patres trium priorum sæculorum magis loquendi ratione, quam in rei veritate, differre ab iis Patribus, qui post Nicænum I. Concilium scripserunt. Addendum est, Ecclesiam Catholicam in capite, de quo agitur, non probare Petavii judicium, si revera senserit, Patres trium priorum sæculorum aliud de Verbi divinitate sensisse, quam quod Nicæni Patres definierunt.

ARTICULUS III.

Quid Concilium Nicænum I. circa Verbi divinitatem definierit.

Not. Hic proferemus 1. Concilii definitionem: 2. exponemus vocem *Homousii*, sive Consubstantiale, qua usa est Synodus.

CONCLUSIO 1. Concilium Nicænum I. definiit, Verbum esse vere ac substantialiter Deum.

Probatur. Concilium Nicænum I. in Symbolo, quod ab ipso editum est, hisce apertis verbis definit, Filium esse Deum: *Deum* (inquit) *de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vere.* Addit, ipsum esse ejusdem naturæ cum Patre: *Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* Asserit, æternum illum esse, ac contrarium sentientes cum Ario anathemate damnat: *Eos autem, qui dicunt, erat quando non erat, & priusquam nasceretur, non erat, aut ex non extantibus factus est, vel ex alia hypostasi sive substantia, vel creatum, vel convertibilem, aut alterabilem dicentes Dei Filium, hos anathemate ferit Catholica, & Apostolica Ecclesia.*

CONCLUSIO 2. Nicæni Patres meritò usi sunt voce *Homousii*, hoc est. Consubstantiale.

Probatur, Nicæni Patres illa voce meritò usi sunt, quæ aptissima erat ad damnandam Arianorum hæresim & ad stabiliendam Catholicam fidem; atqui vox *Homousii* erat hujusmodi. Nam 1. Ariani docebant, Verbum ex non extantibus factum esse, fuisse tempus, quo non esset, ipsum esse creaturam, licet in aliquo sensu ab aliis dissimilem: Sed ad eos errores damnandos aptissima erat vox *Homousii*, nempè significat, Verbum esse unius ac ejusdem substantiæ, seu essentiæ, cum Patre: Quod verò est unius ac ejusdem substantiæ, cum Patre, factum non fuit ex non extantibus, non præsupponit tempus, quo non fuerit, nulla ratione dici potest creatura: 2. Catholici docebant, Verbum esse ex substantia Patris, esse verè ac proprie Deum, genitum, non factum: Sed vox *Homousii* ea omnia significat: Qui enim unam habet essentiam cum Patre, verè ac propriè Deus est sicut Pater, proindeque æternus est, factus non est.

Confirmatur argumentum 1. ex Athanasio, qui expressè docet, neminem posse credere Filium esse natura Filium, quin simul profiteatur, eum esse Patri Consubstantialem: *Quod si* (inquit in Epist. ad Afric. Episcopos) *simulent se exhorrere vocabulis Homousii, dicant & sentiant simpliciter & verè Filium natura esse Filium, & anathemate, ut imperavit Synodus, eos feriant, qui dicunt, Filium Dei facturam, aut creaturam, aut ex non extantibus esse, vel fuisse, quando non esset, & mutabilem & alterabilem, & ex aliena substantia illum esse, itaque fugiant hæresim Arianam; & nulli dubitamus, quin postquam hæc ingenuè, & candidè anathematizaverint, statim confessuri sint, Filium esse de substantia Patris, Patrique consubstantialem esse.*

Confirmatur 2. ex Hilario, qui in libro de Synodis adversùs Arianos hæc habet: *Displicet cuiquam, in Synodo Nicæna Homousii esse susceptum? Hoc si cui displicet, necesse est placeat, quod ab Arianis est negatum. Negatum enim idcircò est Homousii, ne ex substantia Dei Patris Deus Filius natus, sed secundùm creaturas ex nihilo conditus prædicaretur.*

Confirmatur 3. ex Basilio, qui Epistola 300. sic loquitur: *Et quia ex non esse ad esse productum Filium etiam tunc nonnulli asseverabant, hanc ut abscinderent impietatem* (Nicæni Patres) *nomen Homousii usurparunt.*

Objicies 1. Vox illa, *Homousi*, hoc est, *Consubstantiale*, in Scripturis non reperitur: ergo Nicæna Synodus eam adhibere non debuit, ut damnaret hæresim Arianorum, & assereret Catholicorum fidem.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Nicæna Synodus ad asserendam Verbi divinitatem, & damnandam Arii hæresim, habebat quidem in votis non adhibere alias voces, quam, quæ in Scripturis continentur: Verùm cum eas omnes in pravum sensum Ariani detorquerent, coacta fuit usurpare *Homousii*, cui Ariani nullum sensum affingere poterant, qui suæ hæresi patrocinaretur. Et sanè rogati, an agnoscerent Filium ex Patre genitum esse? annuebant: scilicet intelligebant, Filium eo sensu esse genitum ex Patre, quòd sicut aliæ res, ab ipso, per creationem, originem suam traxisset: Quæsiti, an Filium faterentur esse Deum? affirmabant contendentes, eum esse Deum, qui per gratiam, qua eminebat, verè factus esset Deus: Reprehensi, quòd Dei Filium creaturam dicerent, reponebant, iniquam esse accusationem: sed vana æquivocatione; subintelligebant enim, eum non esse creaturam ejusdem cum aliis creaturis gradus, sed multum sublimioris. Necesse fuit igitur, ut Nicæni Patres voce uterentur, quam heterodoxi in pravum suum sensum detorquere non possent: ejusmodi verò est vox *Homousii*, unde Ariani nihil intentatum reliquerunt, ut illius usum abolerent.

Objicies 2. Non licet ad explicanda fidei mysteria inusitatis ac novis terminis uti, nempè terminorum immutatio nonnunquam ipsarum rerum immutationem invehit; atqui terminus *Homousii*, seu *Consubstantiale*, tempore Concilii Nicæni I. erat inusitatus: si enim usitatus fuisset, Ariani non ausi fuissent ei tam evidenter contradicere, nec arguere Catholicos, quod eo uterentur: ergo, &c.

Resp 1. neg. maj. nempè hæreticorum vafricies, qua fit, ut sæpius consuetis terminis abutantur, nonnunquam cogit Ecclesiam, ut terminos excogitet, quibus fiat, ne catholica dogmata heterodoxorum fraudibus, ac cavillis pateant.

Resp. 2. data maj. neg. min. seu contendimus longè ante Concilium Nicænum I. vocem *Homousii* fuisse in communi Ecclesiarum usu. Idque evincitur 1. ex S. Irenæo, qui lib. 1. cap. 1. exponens Valentinianorum placita, voce *Homousii* utitur, ut significet, rem ejusdem esse essentiæ cum altera: dicit enim: *Id, quod spirituale erat, haud quaquam ab Acamoth informari potuisse, quoniam ejusdem cum ipsa essentia, Homousii erat.* Evincitur 2. ex Tertulliano, qui initio libri adversùs Praxeam expressis verbis scribit, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse *unius substantiæ*, quæ quidem verba Græcè per *Homousii* vertuntur. Evincitur 3. ex Athanasio, qui in libro de sententia Dionysii Alexandrini circa Verbi divinitatem, scribit, Dionysium Alexandrinum in Epistola ad cognominem Dionysium Romanum dixisse, Christum esse *Homousii*, *Consubstantialem Deo*; eamque confessionem Dionysium Romanum exegisse, ut Alexandrinus apud eum Catholicus audiret. Evincitur 4. ex Pentapolitanis, qui Dionysium Alexandrinum tanquam violatæ fidei reum detulerunt ad Dionysium Romanum, quòd in suis contra Sabellianos Epistolis Verbum non dixisset *Homousii*, seu *Consubstantiale Patri*: Adeò vox illa necessaria erat, ne quis in hæresis suspicionem

tionem veniret. Evincitur 5. ex Eusebio Cæsariensi, qui in Epistola ad suos Cæsarienses, cujus meminit Socrates hist. Eccles. lib. 1. c. 8. sic inquitur: *Novimus quosdam ex veteribus, doctos & illustres Episcopos & scriptores, qui de Patris & Filii divinitate disserentes, nomine Homousii usi sunt.*

Objicies 3. Concilium Nicænum I. ad explicandam Verbi divinitatem uti non potuit voce quam Antiochena Synodus, sexaginta circiter annis antè habita, expresse rejecerat; atqui sic se res habuerat, Athanasio teste in libro de Synodis Arimin. & Seleuc. seu laudata Synodus Antiochena decrevit, Filium non esse *Homousii*, hoc est, *Consubstantialem Patri*: ergo, &c.

Resp. 1. dist. maj. Concilium Nicænum I. uti non potuit voce sumpta eodem sensu, quo damnata fuerat a secunda Antiochena Synodo, conc. maj. in alio sensu, neg. maj. Altera Synodus Antiochena (inquiunt nonnulli) damnavit vocem *Homousii*, hoc est, *Consubstantiale*, in sensu Pauli Samosateni, qui eam sumpserat in sensu Sabellii personas in Trinitate non distinguentis, ita ut vellet cum Sabellio, Filium esse Patri consubstantialem, hoc est, unam cum eo non tantùm naturam, sed etiam personam constituere. Theologis, qui sic sentiunt, præivit Hilarius in libro de Synodis adversùs Arianos propè finem: *Malè* (inquiunt) *Homousii Samosatenus confessus est: sed numquid meliùs Ariani negaverunt?* In hoc autem male Samosatenum confessum fuisse *Homousii*, ibidem docet Hilarius, *quia per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum esse Patrem, & Filium prædicabat.*

Resp. 2. dist. maj. Concilium Nicænum uti non potuit voce, quam secunda Antiochena Synodus damnaverat, in se & absolutè sumptam, conc. maj. quam damnaverat propter abusum tantùm, neg. maj. Paulus Samosatenus (ajunt plures Theologi) nusquam dixit, Filium esse consubstantialem Patri, sed ea doctrina, & eo loquendi modo, quem sciebat apud Catholicos esse passim receptum, abusus est, ut contra ipsos probaret, inde sequi, tres esse substantias in Deo, unam, quæ prior esset, & duas alias, quæ ex ea productæ essent. Ut autem Antiocheni Patres impedirent, ne ejusmodi sophisma simplices Catholicos deciperet, vetuerunt, ne Filius Patri consubstantialis diceretur.

Confirmatur solutio 1. ex Athanasio, qui in libro de Synodis Ariminensi & Seleuciensi sic loquitur: *Qui Samosatenum sustulerunt, hanc vocem, Consubstantiale, corporaliter accipere, cum scilicet Paulus sophisticari vellet, & diceret, Si non ex homine Christus Deus factus est, igitur consubstantialis est Patri; unde necessariò sequitur, tres esse substantias, unam quidem, quæ prior sit, reliquas verò duas ex ea oriundas: ideoque meritò vitantes illud sophisma Pauli, dixere, Christum non esse consubstantialem: non enim ita se habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat. Illi verò,* (hoc est, Nicæni Patres) *qui Arianam hæresim anathemate percusserunt, cum Pauli calliditatem animadvertissent, neque hoc modo in rebus corporeis, præsertim in Deo, consubstantiale accipiendum esse considerassent ..... meritò inducti sunt, ut Filium consubstantialem dicerent.*

Confirmatur 2. ex Basilio, qui epist. 300. ubi asseruit, neminem in Synodo Nicæna I. contradixisse decreto, quo Patres declararunt, Verbum esse Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, genitum non factum, dicit è contra, non eodem unanimi consensu vocem *Homousii*, receptam fuisse: *At* (inquit) *vocem illam Homousii, sinistrè a nonnullis acceptam, sunt qui nondum admiserunt.* Addit eos, qui illam non recepissent, reprehensione ac simul aliqua excusatione dignos fuisse: *Quos jure quis dignos reprehensione dixerit, & eosdem rursum jure excusandos.* Mox reddit rationem, cur meritò debeant accusari: *Patrum enim vestigiis non insistere, & suam ipsorum excogitatam sententiam velut potiorem voce illorum anteferre, tanquam præsumptionis plenum, reprehensione dignum est: eandem verè rursus à nonnullis accusatam, suspectam habere, videtur aliquatenus illos à culpa liberare.* Quinam verò sint, quibus illa vox suspecta fuerat, hisce verbis tradit: *Nam revera qui convenerunt in causa Pauli Samosateni, vocem hanc ut minus congruam accusatam rejecerunt. Dixerunt enim illi, Homousii vocem, notionem & substantiæ, & eorum quæ ex ipsa sunt, repræsentare nobis, ita ut substantia distributa, Homousii appellationem impertiat iis, in quæ distributa fuerit.* Eam autem expositionem, quam Paulus Samosatenus Ecclesiæ Catholicæ imponebat, sic idem Basilius confutat: *Hoc quidem* (ait) *verissimum est de ære, & numismatibus inde cusis: at in Deo Patre & Deo Filio, nec substantia est antiquior, nec utrique videtur superstrata: Hoc enim dicere vel cogitare, impietatis omnem rationem excedit.*

Confirmatur 3. ex Eusebio Cæsariensi. Is in Epistola ad suos Cæsarienses, quam Socrates describit hist. lib. 1. cap 8. asserit *primò*, non sine prævia discussione vocem *Consubstantialis*, insertam fuisse symbolo; *Id quod ab illis dictum erat, Ex substantia Patris, & Consubstantialis, non absque examine prætermisimus. Hinc igitur variæ quæstiones ortæ sunt, & responsiones, & quænam esset eorum verborum sententia, accuratè expendebatur.* Asserit *secundò*, Patres Nicænos vocem illam non intellexisse eo sensu, quo eam ab orthodoxis intelligi finxerat Samosatenus: *Et has quidem voces, Ex substantia, fassi sunt hoc significare, Filium quidem esse ex Patre, sed non tanquam partem ipsius Patris.* Asserit *tertiò*, ipsum Constantinum Imperatorem eadem ratione vocem, de qua est quæstio, exposuisse coram Episcopis, qui quòd pravum sensum aut timerent, aut se timere fingerent, eam admittere detrectabant: *Consubstantiale à se dici, non juxta corporum affectiones, neque per divisionem, aut per sectionem quandam Filium ex Patre subsistere: fieri enim non posse, ut materia expers natura, & intellectualis & incorporea, corpoream ullam affectionem admittat: sed divinis arcanisque rationibus id esse intelligendum.*

Confirmatur 4. ex eo, quòd Sabellius ante Paulum Samosatenum ex voce *Homousii* concluderet, sequi, Filium per excisionem & separationem divinæ substantiæ ex Patre generari; id enim apertè colligitur ex Alexandro Alexandrino, qui in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum, apud Theodoretum Hist. Ecclesiast. lib. 1. cap. 1. expresse asserit: *Filium genitum esse, non ex non existentibus, sed ex ipso existente Patre, non corporum more per incisiones aut defluxus divisionum, quemadmodum Sabellio videtur.*

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, patet 1. ante Paulum Samosatenum vocem *Homousii* apud Catholicos in usu fuisse. Patet 2. alteram Synodum Antiochenam rejecisse eamdem vocem quòd Paulus Samosatenus ea, ex suppositione Catholicorum, qui eam admittebant, abuteretur. Patet 3. Nicænam primam Synodum eam in usum restituisse, eò, quod Arianis damnandis aptissima esset, nec ea Ariani, sicut anteà Paulus Samosatenus, abuti possent, cum illi subiecta esset explicatio, qua impedirentur, ne ex ea inferrent, Filium a Patre generari per excisionem aut partitionem Patris substantiæ: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem* (verba sunt Nicæni Symboli) *omnium visibilium & invisibilium creatorem, & in unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.*

AR-

ARTICULUS IV.

Quid de Verbi divinitate senserint Patres, qui post Nicænam I. Synodum floruerunt.

Not. NON hic agemus de Patribus, quos post Synodum Nicænam certò, ac evidenter constat, Verbi divinitatem propugnasse; sed de iis tantùm, quorum fides eo in capite potest esse dubia. Ii verò præ cæteris sunt, Eusebius Cæsariensis, & authores formularum, quæ in aliquibus Conciliis post Nicænum habitis editæ sunt, Osius Cordubensis, Liberius Papa.

§. I.

De Eusebio Cæsariensi.

CONCLUSIO. Eusebius Cæsariensis apud plures Patres meritò tanquam Arianus audiit.

Probatur prior pars. *Primò* sic de illo loquitur Athanasius in libro de Synodis Arimini, & Seleuciæ: *Non veritus est palam dicere, Christum non esse verum Deum*. 2. Hieronymus in Epistola ad Ctesyphontem hæc scribit: *Eusebium fuisse Arianum, nemo est, qui nesciat*. 3. Patres septimæ Synodi generalis actione sexta sic loquuntur: *Quis enim fidelium Ecclesiæ, & eorum, qui verorum dogmatum scientiam perceperunt, ignorat, quòd Eusebius Pamphili in reprobum sensum traditus, ejusdem opinionis & sensus fuerit cum his, qui Arii impietatem secuti sunt?*

Nec valet responsum Valesii contendentis, id fuisse dictum obiter tantùm, & ex occasione, non autem data opera, & causa priùs cognita; siquidem septimæ Synodi Patres frigide non asserunt, Eusebium fuisse Arianum, sed & variis argumentis ex ejus operibus depromptis probant, ut videre est in septimæ Synodi loco, quem mox laudavimus.

Probatur altera pars. *Primò*, Eusebius Cæsariensis libro 7. Præparationis Evangelicæ cap. 15. Patrem comparat supremo Cœlo, Verbum Soli, & Spiritum Sanctum Lunæ; aitque, quòd quemadmodum Cœlum supremum præstantius est Sole, & Sol Luna, ita Pater præstantior est Verbo, & Verbum Spiritu Sancto: *Nobis igitur* (inquit) *simile utcumque modo de incorporearum illarum, intelligentiumque naturarum ordine sentiendum, ut vis quidem illa immensa Dei præpotentis omnique oratione major, confertim ac simul universa comprehendat; tum Patrem consequatur Verbi divini potentia, quæ reliqua pariter & moliatur & illustret; quam ob causam lux vera, & justitiæ Sol ab Hebræis nominari consuevit. Deinde post secundam illam naturam, Lunæ quasi loco, Spiritus Sancti natura succedat.*

Secundò, Euseb. lib. 4. Demonstrat. Evangelicæ cap. 3. scribit, Patrem existere ante Verbum: *Pater* (ait) *priusquam Filius, & ante generationem ejus subsistit, quatenus solus erat ingenitus.*

Tertiò, idem Author sæpiùs iisdem loquendi formulis utitur, quibus utebantur Ariani. Libro 4. Demonstrationis Evangelicæ c. 2. Filium Dei vocat *Patris opificium*: lib. 5. c. 1. *secundam causam*: cap. 6. dicit, *Patrem esse universorum Deum primum & vere Dominum tam ipsius unigeniti sui Verbi, quàm eorum omnium, quæ post illud genita sunt*: cap. 11. asserit, Filium esse *inferiorem prima causa, eam esse alterum præter Patrem essentiam.*

Quartò, libro 1. Hist. cap. 2. scripsit, Verbum qua Verbum est, fuisse Patris præcepto de condendo Orbe subditum: *Verbum autem Dei ab ipso secundum, paternis præceptis obtemperans*. Libro 1. adversùs Marcellum docuit, Filium Dei, qua Verbum est, mediatorem esse inter Deum & Angelos: *Non est existimandum, hunc esse Deum illum, qui est supra omnia Deus, nedum de numero Angelorum aliquem; sed medium, utrorumque & mediatorem; quippè cum inter Patrem suum & Angelos intercedat medius*. Epistola ad Euphrationem negat, Filium coexistere Patri: *Non enim* (inquit) *coexistere Filium Patri, sed ante fuisse Patrem quàm Filium dicimus. Nam si coexistant, quomodo erat Pater Pater, aut Filius Filius? vel quomodo unus quidem primus, alter secundus est?*

Ex textibus, qui hucusque laudati sunt, sic argumentum confici potest: Ille *meritò* tanquam Arianus audiit apud Patres, qui scripsit, Patrem esse præstantiorem Verbo, ante Verbum existere, Deum esse Verbi; qui scripsit, Filium esse opificium Patris, secundam causam, alteram præter Patrem essentiam, Patris præcepto de condendo Orbe subditum, ipsum non coexistere Patri: atqui ea omnia (ut patet ex textibus mox laudatis) asseruit Eusebius Cæsariensis: ergo *meritò* tanquam Arianus audiit apud antiquos Patres.

Respondent nonnulli, ea omnia loca exponi posse in sensum Catholicum: Hoc est (inquiunt) dici potest, Eusebium iis textibus non aliud intendisse, quàm contra Sabellianos, ac præsertim contra Marcellum, quem Sabellianismi fuligine tinctum arbitratus est, asserere Patris a Verbo distinctionem personalem, & veram illius ab eodem Patre generationem; ac proindè Patrem esse præstantiorem Verbo, *origine*, non autem natura; Patrem ratione *originis* esse priorem Filio; ipsum eo sensu Deum esse Filii, quòd Filius esse ab illo receperit; Filium esse secundam *ratione originis* causam; alteram præter Patrem essentiam *personâ, non naturâ*; subditum fuisse Patris præcepto impropriè sumpto, hoc est, accepto pro missione ad mundi creationem: nempe Pater per suum Verbum omnia & molitus & executus est.

Verùm licet in alio Scriptore loca, de quibus agitur, in sensum Catholicum exponi possent, nimirùm in Justino, Tertulliano, Origene, similia legere est, quæ tamen (ut superius ostensum est) Arianismum non sapiunt; in Eusebio tamen, vehementer hæreseos ejusmodi suspecta sunt: nempè 1. Arium recenter exortum, & ab Alexandro Episcopo Alexandrino synodicè damnatum, studio ac favore complexus est, ut patet ex ejusdem Arii ad Eusebium Nicomediensem Epistola, quam hæresi 68. refert Epiphanius. 2. Cum in Concilio Nicæno proposita fuisset fidei formula, qua Verbum dicebatur Patri Consubstantiale, subscribere initio detrectavit, licèt postridie, haud dubiè veritus Imperatoria minas, eam amplexus sit. 3. Post Concilium Nicænum, Arianorum conciliabulis non interfuit modò, sed etiam præfuit, velut Antiocheno, in quo (ut inferiùs dicetur) Nicænæ fidei formula multùm fuit coarctata, & Tyrio, in quo Athanasius Catholicæ fidei columen vim passus, inique ex sua sede dejectus est.

Objicies 1. Eusebius Cæsariensis, 1. subscripsit symbolo, quod in Synodo Nicæna confectum est: 2. Admisit *Consubstantialis* vocem, quam Nicæni Patres symbolo inseruerant: 3. Anathema cum iisdem Nicænis Patribus dixit iis, qui assererent, Verbum de non extantibus factum fuisse, extitisse tempus, cum non esset: ergo Eusebius, saltem post Concilium Nicænum I. catholicè sensit de Dei Verbo. Probatur antecedens ex ipsiusmet Eusebii de Nicæno Concilio Epistola ad suos Cæsarienses, quam Socrates Hist. lib. 1. cap. 8. describit: in ea enim Epistola sic loquitur: *Ne ipsam quidem vocem, Consubstantialis, rejicimus. Atque hæc dicta sint de fide, quæ Nicææ promulgata est, cui quidem omnes consensimus...... Sed & anathematismum, qui post fidei formulam ab illis est promulgatus, haudquaquam molestè suscepimus.*

Resp.

Resp. dist. ant. Eusebius subdolè subscripsit symbolo, quod in Synodo Nicæna confectum est, conc. ant. subscripsit sincerè, neg. ant. Nempè in Epistola ad suos Cæsarienses, ita exposuit Nicænum symbolum, ut ea, quæ in illo proposita sunt, impietati Arianæ minimè contraria sint.

Et sanè asserit 1. eo tantùm sensu definitum fuisse Verbum *esse genitum ex substantia Patris*, quòd non sit portio substantiæ Patris, ita ut retenta sibi portione substantiæ, aliquam partem ipsi tradiderit: *Et has quidem voces*, Ex substantia *fassi sunt* (ait) *hoc significare, Filium quidem esse ex Patre, sed non tanquam partem ipsius Patris. Hunc sensum ut nos quoque amplecteremur, æquum omninò videbatur, cum pia doctrina prædicet, Filium ex Patre esse, nec tamen partem esse illius substantiæ*; cùm è contra earum vocum, *Ex substantia*, obvius sensus, a Nicænis Patribus intentus, sit, non esse quoddam extrinsecùs productum & adventitium, ac neque de nihilo, neque de priùs existente materia factum.

Asseruit 2. *Consubstantialis* vocem non aliud excludere, quàm quod ipse excludi voluit voce *ex substantia genitum*, scilicet Filium a Patre non processisse per divisionem, aut abscissionem, aut mutationem substantiæ, sicut contingit in corporū, aut animalium generatione: *Sic etiam* (inquit) *illud, Consubstantialem esse Filium Patri, cum allatis rationibus discussum esset, convenit juxta corporum modum, neque instar mortalium animantium accipi debere. Nam neque per divisionem substantiæ, neque per abscissionem, nec per mutationem paternæ substantiæ, atque virtutis, id posse constare: Ingenitam enim Patris naturam ab iis omnibus alienam esse.* Addit, eandem *Consubstantialis* vocem hoc unum significare, quòd nulla sit similitudo inter Filium, & creaturarum generationem: *Verùm* (ait) *hoc Consubstantialem esse Patri, nihil aliud significare, quam Filium Dei nullam cum Creaturis ab ipso factis similitudinem habere: sed solius Patris, à quo genitus sit, per omnia similem esse*: cum è contra voce *Consubstantialis* Nicæni Patres adversùs Arium significare voluerint, unicam, & eandem, nec ulla re diversam Patris, ac Filii esse substantiam; ita ut personarum quidem, sed non essentiæ sit aliqua distinctio.

Asserit 3. Concilium ideò damnasse hæc verba: *Ex non extantibus: Fuit aliquando tempus cum non esset*, quòd in Scripturis non reperirentur: *Sed anathematismum, qui post fidei formulam ab illis est promulgatus, haudquaquam molestè suscepimus, eò quod peregrinis, & à sacra Scriptura alienis vocibus uti prohibeat, ex quibus omnis ferè dissensio ac perturbatio Ecclesiarum exorta est. Cum igitur nulla divinitus inspirata Scriptura istis unquam usa sit vocibus: Ex non extantibus, & Fuit aliquando tempus cum non esset: & aliis, quæ ibidem subjiciuntur, visum est, nullatenus rationi consentaneum esse, ut hæc vel dicerentur, vel docerentur. Proinde huic recto ac salubri decreto etiam consensimus.* Verùm licet sententias illas Eusebius proscripserit quoad verba, quibus constant, non proscripsit tamen quoad sensum, quem continent; unde sensus iis vocibus damnati ne meminit quidem; sed nec meminisse potuisset, cum alibi, scilicet lib. 4. de Evangelica Demonstratione cap. 1. scribat, omnibus omninò Creaturis convenire, quòd non factæ fuerint ex non extantibus: *Nulla* (inquit) *ratione dici potest, de nihilo esse quidquam eorum, quæ sunt: Neque enim esse quidquam potest ex eo, quod ipsum non sit: Quomodo enim id, quod non est, alteri ut sit causa, erit? omne autem quodcumque est, ex uno, qui solus est, & ante omnia est, quique olim etiam illud respondit: Ego, qui sum, ut esset, & accepit & habet.*

Objicies 2. Eusebius in Epistola ad suos Cæsarienses, loquens de symbolo Nicæno, conceptis terminis negat, Verbum esse factum: *Pari enumeratione* (inquit) *has etiam voces approbavimus: Genitum non factum.* 2. ibidem pariter negat, Verbum esse ex substantia alia à Patris substantia: *Nec ex alia* (inquit) *quadam hypostasi, aut substantia, sed ex Patre esse.* 3. In libris contra Marcellum sæpius asserit, Verbum extitisse ante omnia sæcula: *Ecclesia Dei* (ait libro 1. cap. 8.) *Dei Filium unigenitum agnoscit eum, qui ante omnia sæcula de Patre fuit genitus.* Ejusdem libri cap. 9. damnat eos, qui contenderint, ipsum appellari debere creaturam: *Atque adeo reprehendi, nec immeritò debent ii, qui ausi sunt illum Creaturam nominare.* Tandem 4. ipsum sæpius vocat Dei Filium unigenitum, Deum de Deo, lumen de lumine: *Credimus* (verba sunt, quæ leguntur in symbolo, quod ipse Eusebius in Nicæna Synodo obtulit Imperatori Constantino) *in unum Dominum Iesum Christum, Dei Verbum, Deum de Deo, lumen de lumine, vitam ex vita, Filium Unigenitum, primogenitum omnis creaturæ, ante omnia sæcula ex Deo Patre genitum, per quem omnia facta sunt.*

Ex iis autem locis sic conficitur argumentum: Ille catholicè de Verbo sensit, qui negavit, ipsum esse factum, esse ex substantia alia à substantia Patris, esse creaturam; qui è contra asseruit, Verbum esse ante omnia sæcula, esse Deum de Deo, Unigenitum Patris Filium; atqui Eusebius illud negavit, & istud asseruit: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem disting. priorem partem: Eusebius negavit, Verbum esse factum; esse ex alia substantia a Patris substantia; esse creaturam, *secundùm quid*, conc. ant. *absolutè*, neg. ant. Scilicèt eo tantùm sensu Eusebius ea, de quibus agitur, negavit de Verbo, quòd contenderit, ea ipsi non convenire, eadem ratione, qua cæteris entibus conveniunt: Nam cum alia entia *immediatè* à Deo condita non sint, omnia quippè per Verbum facta sunt; è contra ipsum Verbum *immediatè* ab ipso Deo productum est: *Pari ratione* (inquit ad suos Cæsarienses scribens) *has etiam voces approbavimus, Genitum non factum. Nam FACTUM Verbum esse dicebant COMMUNE reliquis omnibus creaturis, quæ per Filium factæ sunt; quibus nihil simile habeat Filius, ac proindè eum non esse facturam, his, quæ per ipsum facta sunt, similem; sed longè præstantioris, quam reliquas creaturas, esse substantiæ.*

Ad alteram partem probationis, de qua agitur, respondendum est, per has voces: *Ante omnia sæcula*, Eusebium id tantum intellexisse, quod intelligebant Ariani, nempè Verbum a Deo productum fuisse ante cæteras omnes creaturas: quippè sæcula recensentur inter res a Deo creatas: *Tempora & sæcula per illum facta sunt* (inquiunt Ariani in Concilio Antiocheno) Eadem etiam ratione asserebant; Verbum esse Primogenitum omnis creaturæ, unicum ejus Filium. Jam verò quod idem Eusebius Verbum dixerit Deum, nihil obstat, cum creaturæ excellentes nonnunquam in Scripturis Dii appellentur. Hinc patet deceptum esse Socratem, cum hist. lib. 1. cap. 23. scripsit, inter Episcopos quæstionem non de re, sed de nomine tantùm extitisse: *His de causis* (inquit) *singuli Episcopi velut contra adversarios scriptis voluminibus decertarunt. Et cum utrique dicerent, Filium Dei propriam personam, atque existentiam habere, Deumque in tribus personis unum esse confiterentur; tamen, nescio quo pacto, nullatenus inter se consentire potuerunt, nec ulla ratione quiescere sustinuerunt.*

Objicies 3. In Martyrologiis Usuardi, Adonis Viennensis, & in veteri Breviario manuscripto Ecclesiæ Lemovicensis, Eusebius inter Sanctos recensetur: ergo, saltem ante mortem, ejuravit hæresim Arianam.

Resp. 1. illorum Martyrologiorum Authores deceptos fuisse sumendo Eusebium Cæsariensem pro Eusebio Samosateno, qui sub Constantio Ariano Imperatore martyr occubuit; nempe in odium fidei, projecta in illius caput tegula, ab Ariana muliere occisus est. Resp. 2. Ecclesiam Lemovicensem, si verum sit, quod ex vetere illius Breviario objectum est, in facto errasse, seu

catho-

Catholicum credidit, quem multa probant juratum fuisse Arianum, etiam post habitam Synodum Nicænam.

§. II.

De formulis fidei post Nicænam Synodum editis.

Not. Mortuo Constantino Imperatore, Ariani nullum non moverunt lapidem, ut *Consubstantialis* vocem, qua fides Catholica continetur, obliterarent; unde variis in Conciliis varias fidei formulas ediderunt, in quibus aut omissa est vox ejusmodi, aut appositi termini, quibus illius sensus corrumperetur: operæ pretium est, ut eas post Nicænum Concilium editas fidei formulas, hoc in paragrapho proponamus.

CONCLUSIO 1. In Concilio Antiocheno, quod habitum est anno 341. tres editæ sunt fidei formulæ.

Probatur 1. Socrates hist. lib. 1. cap. 10. duas refert fidei formulas Antiochiæ editas. 2. S. Athanasius lib. de Synodis tertiam describit. Prior formula nec consubstantialitatis, nec similitudinis, nec dissimilitudinis meminit: sic enim habet: *Didicimus ab initio* [illegible] *in unum Filium Dei unigenitum, ante omnia sæcula subsistentem, manentemque cum Patre, qui ipsum genuit, per quem omnia facta sunt.* Altera similitudinem agnoscit inter Verbum & Patrem: *Credimus in unum Dominum Jesum Christum, Filium ejus unigenitum Deum, per quem omnia facta sunt, genitum ex Patre ante omnia sæcula, Deum ex Deo ...... nec mutationi obnoxium, nec conversioni, paternæ divinitatis, substantiæ, potestatis, consilii & gloriæ expressam undequaque imaginem.* Deinde anathema dicit iis, qui dixerint, *Filium Creaturam tanquam unam ex Creaturis.* Tertia fidei formula, quam protulit Theophronius Tyanorum Episcopus, quamque probavit Antiochenum Concilium, sic habet: *Credimus in Filium Dei unigenitum, Deum, Verbum, potentiam & sapientiam, Dominum nostrum Jesum Christum, per quem omnia, eumque genitum esse ex Patre ante sæcula, Deum perfectum ex Deo perfecto, & apud Patrem existere in sua persona.*

Quæres, an tres illæ fidei formulæ sint Catholicæ?

Resp. 1. tres illas fidei formulas, si habeatur ratio solorum terminorum, ex quibus constant, nihil continere, quòd Catholicæ fidei adversetur. Resp. 2. quòd licèt eæ formulæ cum Catholica fide, absolutè loquendo, conciliari possint; eam tamen non sufficienter exprimant: nempè nihil in eis est, quod (ut ostendimus agentes de Eusebio) puri Ariani non concedant. Resp. 3. eas fidei formulas esse suspectas de hæresi, tum quòd vox *Consubstantialis*, quæ iis temporibus erat fidei Catholicæ tessera, in eis omissa sit, tum etiam quòd editæ sint ab Episcopis, qui Athanasium, Eustachium, Paulum Constantinopolitanum, præcipua tunc fidei Nicænæ apud Orientales columina, ex sedibus inquè dejecissent; unde corrigendus videtur Hilarii locus, quo Antiochenum, de quo agitur, Concilium, *Sanctorum Synodus* appellatur: tum denique quòd trium personarum unitatem reducant ad unitatem consensus & voluntatis, licèt tamen unitatem essentiæ non excludant.

CONCLUSIO 2. Aliquibus post solutum Antiochenum Concilium mensibus, quarta edita est fidei formula.

Probatur ex Socrate, qui hist. lib. 1. cap. 18. eam fidei formulam describit, sic autem habet: *Credimus in unigenitum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui ex Patre genitus est ante omnia sæcula, Deum ex* Deo, *lumen ex lumine; per quem omnia facta sunt in cælo, & in terris.* Addit (quod & omnes fere Ariani addebant, ne audirent, tanquam fidei Nicænæ destructores:) *Illos autem qui dicunt, ex eo quod non erat, extitisse Filium* Dei, *& ex alia substantia, non autem ex* Deo, *& tempus aliquando fuisse, cum non esset, Ecclesia Catholica alienos esse statuit.*

Quæres, à quibus, & qua occasione edita sit quarta illa fidei formula?

Resp. ad 1. quartam illam fidei formulam editam fuisse a Narcisso Cilice, Theodoro Thrace, Mario Chalcedonensi, & Marco Syro. Resp. ad 2. editam fuisse occasione depositionis Athanasii & Pauli ab Arianis tentatæ. Cum enim Constans Occidentalium Imperator de ea certus factus fuisset, datis (inquit Socrates hist. 2. cap. 18.) ad fratrem Constantium literis, postulavit, tres ad se Episcopos mitti, qui de Pauli & Athanasii depositione rationem redderent: ii verò (pergit idem Author) fidem Antiochiæ promulgatam penes se occultantes, quartam hanc fidei formulam a se compositam Constanti Augusto obtulerunt.

CONCLUSIO 3. Anno 345. Episcopi ad Concilium Antiochiæ coacti, quintam ediderunt fidei formulam.

Probatur authoritate Socratis, qui hist. lib. 2. cap. 19. hæc scribit: *Transacto post hæc;* (seu post legationem Episcoporum ad Constantem Occidentis Imperatorem) *rursus Orientales Episcopi collecta Synodo aliam fidei formulam conscripserunt, eamque ad Episcopos Italiæ* (qui tunc Medolani habebant Synodum) *miserunt.*

Ea verò fidei formula, quam ibidem Socrates describit, prolixior quidem est aliis, quæ eò usque post Concilium Nicænum promulgatæ fuerant, sed nihil eis addit novi, nisi quasdam expressiones, quæ cum Arianorum hæresi facilè conciliari possunt: Nempè asserit quidem, Filium per omnia similem esse Patri; sed substantiæ ne meminit quidem: Ait, eum ante tempora extitisse; sed tempora accenset creaturarum numero, hincque fit, ut ex eo loquendi modo colligi non possit æternitatem Verbo convenire. Docet quidem ipsum ex non extantibus factum non fuisse, sed nomen tantum, non verò rem ipsam proscribit: *Neque* (inquit) *circa periculum erroris dici potest Filium ex iis, quæ non erant, extitisse, cum nusquam in divinis libris id de illo prædicatum reperiatur.* Videtur innuere, Divinitatem ei revera competere; verùm immediatè post eum, dicit subjectum esse Patri: *Scimus enim illum, quamvis Patri ac Deo subjectus sit, nihilominus tamen genitum ex Deo, Deum natura esse perfectum ac verum.*

Postquam Episcopi, de quibus agitur, suum errorem variis vocum involucris obtegere conati sunt, damnant Pauli Samosateni de Christo hæresim; in eo (inquiunt) positam, quòd Christus *natura* nudus sit ac simplex homo: damnant quoque Photinum & Marcellum, quos errorum tum Sabellii circa Trinitatem, tum Pauli Samosateni circa Incarnationem, insimulant. Sed Marcellus in Concilio Sardicensi, utroque se purgavit, *docens* (inquit Socrates Hist. lib. 2. c. 21.) *verba libri sui non fuisse intellecta, atque idcirco se in suspicionem venisse erroris Pauli Samosateni.*

CONCLUSIO 4. Concilio Sirmiensi tres fidei formulæ passim adscribuntur.

Probatur. Prior formula legitur apud Athanasium libro de Synodis, apud Hilarium de Synodis, apud Socratem hist. lib. 2. cap. 30. Ea formula prætermittit tum *substantiæ*, tum *similitudinis* voces, constatque 25. anathematismis, quibus damnantur tum Photini de Christo errores, tum nonnullæ expressiones, quæ à primis Arianis adhibitæ fuerant, sed quæ tamen cum Arii dogmate facilè conciliari poterant. Hilarius libro de Synodis illam formulam non improbat; imò censet Catholicam: sed ab Athanasio rejicitur tanquam opus, quo Ariana impietas, implicitè saltem, contineretur.

Altera fidei formula purum Arianismum complectitur, scilicet 1. Patrem ideò Deum appellat, quòd ipsius etiam Christi sit Deus: *Duos autem Deos nec posse,*

nec

nec debere prædicari, quia ipse Dominus dixit: Ibo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum. 2. Prohibet, ne substantiæ, aut similitudinis voces adhibeantur: *Quod verò quosdam haud multos movebat de substantia, quæ græcè οὐσία appellatur, id est, ut expressius intelligatur, Homoousion quod dicitur, aut Homoeusion, nullam omninò fieri oportere mentionem.* 3. Asserit, absolutè Patrem tum majestate, tum dignitate, tum gloria, esse Filio majorem: *Nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, claritate, majestate, & ipso nomine Patris, majorem esse.* 4. Docet, Filium esse Patri subjectum: *Catholicum esse nemo ignorat, duas personas esse Patris, & Filii: majorem Patrem, & Filium subjectum cum omnibus his, quæ ipsi Pater subjecit.* 5. Innuit, solum Patrem eum exclusione Filii esse æternum, invisibilem, & immortalem: *Patrem initium non habere, invisibilem esse, immortalem esse, impassibilem esse.*

Tertia fidei formula, quæ Sirmiensi Concilio tribuitur, quæque ab Ursacio & Valente delata est ad Ariminensem Synodum, a tribus aut quatuor Episcopis (ut testatur Athanasius lib. de Synodis) Sirmii conscripta est: In ea verò formula rejicitur substantiæ nomen, & adstruitur similitudo: *Vocabulum porrò substantia, quia simpliciùs à Patribus positum est, & a populis ignoratur, & scandalum affert, eo quòd in Scripturis non contineatur, placuit, ut de medio tolleretur, & nullam posthac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eo quòd sacra Scripturæ nusquam meminere substantia Patris & Filii. Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacra litera dicunt & docent.*

Quæ mox relata est fidei formula, à juratis Arianis promulgata est; verùm id factum fuit opera Semiarianorum, qui eum in Concilio Ancyrano, præside Basilio Ancyræ Episcopo, secundam formulam Sirmiensem proscripsissent, ab Imperatore Constantio, apud quem plura poterant, obtinuerunt, ut secunda Sirmiensis formula proscriberetur, ejusque Authores subscriberent Ancyranæ, in qua rejecta fuerat *Consubstantialis* vox, asserta sola similitudo; sic enim habet quartus Concilii Ancyrani anathematismus: *Si quis audiens hoc: Quomodo Pater habet vitam in semetipso, similem non dicat etiam Filium Patri juxta essentiam, anathema sit.* Sic etiam, Epiphanio teste hæresi 73. habet anathematismus decimus octavus: *Si quis Patrem potestate simul, & substantia, Filii Patrem asserens, consubstantialem, vel ejusdem cum Patre substantia Filium esse dicat, anathema sit.* Verum Hilarius libro de Synodis, non refert, eum anathematismum ab Ancyranis Episcopis latum fuisse; nec enim extabat in Concilii Synodica, quam Hilarius penes se habebat: *Literarum* (inquit) *fidem sentea non à Laicis sumptam, sed ab Episcopis datam.* Eo argumento S. Doctor utitur, ut Basilii, Eustathii, & Eleusii, qui Ancyræ adversùs secundam Sirmiensem formulam convenerant, fidem, quæ tamen meritò multis aliis Patribus dubia visa est, tueatur.

CONCLUSIO 5. Anno 359. in Concilio Ariminensi Episcopi Occidentales ab Arianis territi & decepti probarunt tertiam formulam, quæ Sirmii promulgata fuerat.

Probatur authoritate Theodoreti, hist. lib. 2. c. 16. Athanasii in Epistola ad Africanos, Hilarii in fragmentis, Hieronymi in Dialogo adversùs Luciferianos; ii Patres factum, de quo agitur, missum a Socrate, literis consignarunt. Hoc tamen inter hanc formulam & tertiam Sirmiensem discrimen est, quòd tertia Sirmiensis Filium dicat, *Per omnia* similem Patri, Ariminensis verò dicat solùm, *Similem Patri, qui eum genuit, secundùm Scripturas.*

Diximus, Ariminenses Episcopos, *territos ab Arianis*, formulam, de qua agitur, probasse, ut nimirum observet lector 1. defuisse illi Concilio libertatem, quæ requiritur in judicibus, ut eorum decreta valeant. Addidimus, eos pariter ab iisdem Arianis *deceptos fuisse*, nempè arbitrati sunt adversantes sibi Episcopos sincerè Arianam hæresim damnare variis anathematismis, quibus subscripserant; decepti præsertim fuerunt a Valente, qui eis author fuit, ut in anathematismo, quo decernebatur Filium Dei non esse creaturam, adderent, *Sicut alia creatura*, ne (quod ipsi non adverterunt) Verbum, numero creaturarum prorsùs eximeretur. Formulam, quam (ut mox diximus) Ariminenses Episcopi, Arianorum minis territi, & fraudibus decepti probarunt, priùs, seu dum libertate fruerentur, unanimi consensu rejecerant, ac insuper Valentem, Ursacium, Demophilium, & alios contradicentes Episcopos ab Episcopatu dejecerant. Vide Socratem hist. lib. 2. c. 37. Sozomenum hist. lib. 4. c. 19.

CONCLUSIO 6. Orientales Episcopi in Concilio Seleucienfi, quod eodem tempore celebrabatur, quo Ariminense, duplicem proposuerunt fidei formulam.

Probatur ex Socrate hist. lib. 2. cap. 39. ex Sozomeno lib. 4. cap. 21. Nempè scribunt Authores illi, Episcopos, ex quibus constat synodus, in duas partes scissos fuisse. Quatuor supra triginta Episcopi, quorum caput erat Acacius Cæsariensis, protulerunt formulam, in qua tum *Homoousion*, tum *Homoeusion*, tum *Anomœon* anathemate damnarunt. *Nos non refugimus authenticam fidem, quæ Antiochia in encæniis promulgata est .... Cæterum quandoquidem hæ voces, Homoousion, & Homoeusion tanquam voces à sacris literis alienas rejicimus: Anomœon autem anathemate damnamus .... Similem autem Patri Filium esse planè confitemur.* Quæsiti autem Acaciani, in quo eam Filii cum Patre similitudinem ponerent; responderunt, Filium *sola voluntate* similem esse Patri. Alii è contra Episcopi numero quatuordecim supra centum, quorum principes erant Basilius Ancyræ, Eleusius Sizici, *in omnibus* (inquit Socrates) *Nicænum Concilium suscipiebant, solam autem dictionem Consubstantialis reprehendebant*; unde rejecta Acacianorum formula, Authoribusque ab Episcopatu dejectis, perlectam alteram formulam, quæ Antiochiæ in encæniis promulgata fuerat, sua subscriptione confirmarunt.

Non multò post solutum Seleuciense Concilium, Acaciani Episcopi numero quinquaginta, favente Imperatore Constantio, aliam fidei formulam, quam Socrates describit hist. lib. 2. c. 41. Constantinopoli promulgarunt: ea autem formula nihil differt ab ea, quæ Ariminii probata fuerat, nisi quòd prohibuerit, *ut neque hypostasis, neque substantia de Deo diceretur.*

Aliquibus post annis (Athanasio teste) anno nimirum 359. formula, quam mox retulimus, Acacianis displicuit, quòd Filium Patri similem prædicaret; unde aliam Antiochiæ protulerunt, in qua apertè profitebantur hæresim Arianam, quæ latebat in Constantinopolitana formula: asseverarunt ergo, Filium omninò dissimilem esse Patri, nec ulla ratione esse similem.

Iis fidei expositionibus addi debent duæ aliæ. Prior edita est in Pseudo-Concilio Sardicensi, quod Philippopoli celebratum est; in ea Verbum *Deus de Deo* dicitur, tum anathemate damnantur *qui dicunt, fuisse aliquando tempus vel seculum, quando non fuit Filius*, aut, *Christum non esse Deum.* Posterior anno 398. edita est in Concilio Ancyrano, cui Basilius præerat; ea est, quam de secunda Sirmiensi disserentes, superiùs retulimus. Itaque tredecim, vel quatuordecim annos ab iis promulgatæ sunt qui Nicænam admittere detrectabant. Octo priores referuntur a Socrate, aliæ verò ab Athanasio, Hilario, & Epiphanio.

Quæres, cur Episcopi, qui Nicænum symbolum non recipiebant, tot tamque diversas fidei formulas ediderint?

Resp. id contigisse 1. quod mendacium diù sibi con-

stare non possit: 2. quod ii, de quibus agitur, Episcopi post Concilii Nicæni tempora in tres factiones abiissent.

Prima factio fuit Anomœorum, qui Filium apertè Creaturam dicebant, contendebantque nulla re Patri esse similem; è contra prædicabant in omnibus dissimilem: Uno verbo: quæcumque Arius de Verbo blasphemaverat, blasphemabant, & Anomæi, qui & dicti sunt Eunomiani ab Eunomio presbytero, qui in omnibus capitibus hæresim Arianam apertè profitebatur.

Altera factio fuit Semi-Arianorum, qui fatebantur quidem, Filium esse Patri *per omnia*, ac proinde *substantia* similem; sed consubstantialem non agnoscebant, aut saltem contendebant, adhiberi non debere *Consubstantialis* vocem.

Tertia factio inter duas, quæ mox relatæ sunt, interjecta, eorum erat, qui neque Consubstantialem Filium, neque substantia similem esse prædicabant, & eundem Creaturam ex cæterarum ordine esse, vel negabant, vel manifestè profiteri non audebant. Anomœorum capita fuerunt Aetus, Eunomius, Euzojus, Valens Mursæ, & Ursacius Singidoni, Germinius, Auxentius, Cajus, Demophilus. Inter Semi-Arianos præcipui erant Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, Sylvanus Tarsensis, Eleusius Cizicenus, & Macedonius Constantinopolitanus, qui posteà in Spiritum sanctum blasphemavit, ut suo loco dicemus. Tertiæ factionis princeps fuit Acacius Cæsariensis, cui suffragati sunt Episcopi, qui post Concilium Seleuciense formulæ Antiochiæ promulgatæ subscripserunt: hi non re, sed nomine tantum (ut patet ex dictis superius) a puris Arianis differebant. Vide Petavium lib. 1. de Trinitate, capite x.

§. III.

De Osio Cordubensi Episcopo.

Not. De Osio Cordubæ in Hispania Episcopo hic tria quæremus: 1. quid adversùs Arianam hæresim egerit: 2. an in fide Catholica propugnanda constans fuerit semper: 3. utrum Catholicus, an verò hæreticus obierit.

CONCLUSIO 1. Osius plura egit adversùs Arianam hæresim.

Probatur brevi enumeratione. 1. à Constantino Magno circa annum 323. Alexandriam missus est, ut ortas in Ægypto de fide & disciplina lites componeret; 2. Silvestri Papæ nomine præfuit Concilio Nicæno primo. 3. Julii Papæ nomine præfuit quoque Concilio Sardicensi, in quo Nicæna fides confirmata fuit: 4. Cordubæ Concilium celebravit, in quo proscripti sunt ii omnes, quos Sardicense Concilium proscripserat, & absoluti, quos absolverat. 5. Ab anno 355. ad plures alios, gravissimas ab Arianis persecutiones passus est. *Pro nihilo sunt nostra opera* (verba sunt Arianorum ad Constantinum, apud Athanasium in Epistola ad Solitarios) *neque quidquam profecimus, quamdiu reliquus est Osius. Quamdiu enim ille in suis agit, omnes in suis Ecclesiis agere videntur. Potest ille & verbis & authoritate fidei suæ omnes contra nos inducere. Hic princeps est Synodorum, & si quid scribit, ubique auditur. Hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit, & Arianos ubique pro hæreticis traduxit.* 6. Arianorum factione tandem pulsus fuit in exilium, in quo plurimas ærumnas perpessus est.

CONCLUSIO 2. Osius Sirmii exul communicavit cum Arianis subscripsitque secundæ formulæ, quam Ariani in Concilio Sirmiensi promulgaverant.

Probatur 1. authoritate Socratis, qui hist. lib. 2. cap. 31. de Osio sic loquitur: *Necessitate compulsus* (Concilio Sirmiensi) *adfuit invitus. Sed cum consentire renueret, verbera & tormenta inflixerunt seni* (& quidem centenario, ut scribit Athanasius in Epist. ad Solitarios) *itaque vi & necessitate adactus, editis tum fidei expositionibus consensit, atque subscripsit.* 2. De eodem lapsu fuse tractat Hilarius lib. de Synodis, vocatque formulam, cui subscripsit Osius, *blasphemiam per Osium, & Potamium conscriptam.* 3. Osii lapsum recenset pariter Athanasius in Epistola ad Solitarios: *Tantam vim Constantinus Imperator intulit Seni, & ita eum arctè tenuit* (verba sunt Athanasii in Epistola ad Solitarios) *ut afflictus attritusque malis, tandem ægreque cum Ursacio & Valente communicaret, sed tamen contra Athanasium non subscriberet.*

CONCLUSIO 3. Osius Cordubensis in hæresi & impietate Arianorum non obiit.

Probatur ex S. Athanasio. 1. S. Doctor in libris post Osii mortem conscriptis, de Osio semper cum honore loquitur. 2. hæc de eodem habet idem Athanasius in Epistola ad Solitarios: *Verùm ne ita quidem eam rem pro levi habuit: moriturus enim protestatus est, & Arianam hæresim condemnavit, vetuitque, eam à quoquam probari, aut recipi.*

Objicies. Faustinus & Marcellus presbyteri Luciferiani, in libello, quem Imperatori Theodosio porrexerunt, asserunt 1. Gregorium Illiberitanum Episcopum noluisse cum Osio, qui ex exilio redierat, communicare: 2. Osium ob id tentasse Gregorii depositionem, sed tentatam cum vellet exequi, è sede sua divinitùs dejectum, & elisum fuisse. Iis authoribus subscribit Isidorus Hispalensis, libro de Viris illustribus cap. 14. ergo, &c.

Resp. nec Faustinum, nec Marcellum testes esse, qui fidem mereantur, nempè 1. libellus, quem obtulerunt Theodosio, variis in Athanasium calumniis scatet: 2. Neminem fugit, Luciferianos (ut erant Faustinus, & Marcellus) odisse Episcopos omnes, qui Clericos sub Constantino lapsos cum suis ordinibus receperant.

§. IV.

De Liberio Papa.

Not. Hic quæremus 1. quid Liberius pro causa fidei egerit adversùs Arianos: 2. cui ex Sirmiensibus formulis subscripserit.

CONCLUSIO 1. Liberius plura egit pro Catholica fide adversùs hæresim Arianam.

Probatur. Liberius, *primò*, in Epistola ad Osium damnavit Arelatense Concilium, in quo annuentibus ejus legatis, Vincentio Capuano & aliis, an. 353. decreta fuerat Athanasii damnatio. *Secundò*, anno 355. fortiter restitit Eunuchis, quos Constantinus Imperator Romam miserat, ut eum ad damnandum Athanasium inducerent. *Tertiò*, proscripsit Concilium Mediolanense, in quo major Episcoporum pars, Constantii minis territa sese ab Athanasii communione sejunxerat. *Quartò*, cum nec minis, nec blanditiis Constantii, Mediolani, ubi cum eo colloquium habuit, flecti potuisset, Beroeam Thraciæ in exilium missus est.

Verùm qui, Theodoreto teste hist. lib. 2. cap. 16. dixerat: *Leges Ecclesiasticas observare pluris faciendum censeo, quàm Romæ domicilium habere*, biennio post, tædio affectus, & recuperandæ sedis studio exæstuans, ab Athanasii communione se sejunxit, subscripsitque fidei formulæ, quæ in Concilio Sirmiensi promulgata fuerat.

CONCLUSIO 2. Liberius Papa, cum adhuc Beroeæ exul esset, non subscripsit secundæ Sirmiensi formulæ, sed tantùm primæ.

Probatur prior pars, seu, Liberium uni ex formulis, quæ Sirmii editæ fuerant, subscripsisse, fidem facit Epistola, quam dedit ad Episcopos Orientales; sic enim in ea loquitur: *Dominus & frater meus communis Demophilus* (Beroeæ Episcopus) *qui dignatus est pro sua bene-*

volen-

dolentia fidem Catholicam exponere, quæ apud Sirmium a pluribus fratribus & Coepiscopis nostris tractata, exposita, & suscepta est..... ab omnibus, qui in præsenti fuerunt, hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi, consensum accommodavi, hanc sequor, hæc à me tenetur: Eam autem Epistolam, cum adhuc Beroeæ exul versaretur, scriptam fuisse, demonstrant hæc verba, quæ mox laudatis subjiciunt: *Sanè petendum credidi sanctitatem vestram, quia jam pervidetis, in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exilio dimittar, & ad Sedem, quæ mihi divinitùs credita est, revertar.*

Probatur altera conclusionis pars, seu fidei formulam, cui Liberius subscripsit, non esse secundam, sed primam Sirmiensem.

Primò, Hilarius in fragmentis recensens Episcopos, a quibus edita fuerat formula, quam Liberius probavit, recenset plures Homoousianos, quorum caput erat Basilius Ancyranus. *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius Catholicam, & à Demofilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserant, Narcissus, Theodorus,, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, Bassus, Gaudentius, Macedonius, Martinus, Actius, Julius, Surinus, Simplicius & Junior.* At ab Homoousianis edita non fuerat posterior Sirmiensis formula; e contra ubi primùm ad Homoousianorum notitiam devenit, eam, coacta Ancyræ Synodo sub Basilio, damnarunt. Nec obstat, quòd formulæ, cui Liberius subscripsit, subscripsissent non solùm Homoousiani, sed etiam (Hilario teste) Anomœi: siquidem ad id a Constantio coacti fuerant, apud quem Homoousianos plura potuisse, scribit Socrates lib. 2. historiæ, c. 24.

Secundò, Liberius, dum adhuc Beroeæ esset, subscripsit formulæ, quæ conveniebat cum ea, quam Sirmii, quò Beroea ab Imperatore vocatus fuerat, probavit postea: neque enim verisimile est, eum intra brevissimum tempus, probaturum fuisse duas formulas sibi invicem oppositas; atqui prior Sirmiensis, non autem posterior, conveniebat cum ea, quam Liberius coram Constantio Sirmii probavit: utraque nimirum similitudinem Filii cum Patre profitebatur; cum è contra posterior dissimilitudinem assereret, damnaretque similitudinem.

Confirmantur, quæ mox dicta sunt, ex Sozomeno, qui lib.4. hist. cap.15. recenset 1. Liberii ex urbe Beroea ad urbem Sirmium evocationem: *Non multò post Imperator* (inquit) *ab urbe Roma Sirmium reversus, cum Occidentales Episcopi legationem ad ipsum misissent, Liberium Beroea ad se accersivit.* Recenset 2. Constantium conatum fuisse suadere Liberio, ut consubstantialitatis terminum damnaret: *Cumque adessent legati Episcoporum Orientis, convocatis Sacerdotibus, qui in comitatu erant, Liberium cœpit compellere, ut Filium Patri non esse consubstantialem profiteretur.* Recenset 3. formulam, cui tunc Liberius consensit: *Instabant autem, & Imperatorem ad hoc impellebant Basilius, Eustathius, & Eleusius* (Homoousianorum principes) *qui præcipua apud ipsum auctoritate pollebant. Qui cum ea, quæ contra Paulum Samosatensem, & contra Photinum Episcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in dedicatione Antiochensis Basilicæ editam, in unum tunc libellum conjecissent; perinde quasi quidam sub obtentu vocabuli Consubstantialis, propriam hæresim stabilire conarentur, effecerunt, ut Liberius, & Athanasius, Alexander, Severianus, & Crescens Africæ Episcopi, ei formulæ consentirent. Consenserunt pariter Ursacius, & Germinius Episcopus Sirmii & Valens Mursæ, & quotquot ex Orientis partibus aderant Episcopi.* Recenset 4. confessionem à Liberio iisdem Episcopis propositam; *Sed & confessionem* (ait) *à Liberio vicissim susceperunt, & quæ eos, qui Filium secundùm substantiam & per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat.*

Ex ea Sozomeni narratione patet 1. in formula, cui Liberius Sirmii subscripsit, damnatam non fuisse Consubstantialitatem, licèt *Consubstantialis* vox omissa fuerit, quòd quidam (Sabelliani nimirum, ac Pauli Samosateni discipuli) sub illius vocis obtentu propriam hæresim stabilire conarentur. Patet 2. a Liberio damnatos fuisse Anomœos, qui in altera Sirmiensi formula Filium Patri dissimilem asseruerant. Patet 3. eundem Liberium propugnasse Filii cum Patre per omnia, etiam secundum substantiam, similitudinem. Ita verò sese tunc Liberius gessit, quòd Anomœi ex occasione formulæ, cui Beroeæ subscripserat, divulgassent, Consubstantialitatem & similitudinem à Liberio fuisse proscriptas. *Nam cum Eudoxius* (verba sunt Sozomeni) *& qui cum illo opinioni Aetii favebant, Antiochiæ Osii Epistolam* (hoc est subscriptam ab eo secundam formulam Sirmiensem) *accepissent, sparsis rumoribus divulgaverant, Liberium quoque consubstantialis vocabulum condemnasse, & Filium Patri dissimilem confiteri.*

Objicies 1. Liberius ei Sirmiensi formulæ subscripsit, cujus beneficio sperabat se revocandum esse ab exilio: atqui ejusmodi non erat prior, sed altera tantùm, quæ Arianismum aperte profitebatur: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est 1. quia vix edita fuerat posterior fidei formula, cum Arianis ipsis & Constantio Imperatori displicuit; unde nullum non moverunt lapidem, ut exemplaria ab iis, qui eam descripserant, reciperent: *Sciendum est,*) inquit Socrates hist. lib. 2. cap. 31. (*Episcopis, qui Sirmii convenerant, latinam illam fidei formulam abs se editam, postea displicuisse.... Quocirca operam dederunt, ut eam ab illis, qui descripserant, reciperent. Sed quoniam multi eam occultabant, Imperator edicto præcepit, ut exemplaria ejus omnia conquirerentur, pœnam interminatus, si quis eam occultasse deprehenderetur.* Ratio est 2. quia secunda Sirmiensis formula plurimùm exulcerarat Semi-Arianorum, seu Homoousianorum animos; unde Basilius eorum caput, statim Concilium habuit Ancyræ, in quo altera illa Sirmiensis formula proscripta fuit: Cum verò (Sozomeno teste hist. lib. 4. cap. 15.) Constantius Imperator Basilio ac cæteris Semi-Arianis impensè faveret, mirum non est, quòd Liberius non speraric, se alterius formulæ Sirmiensis subscriptione ab exilio revocandum esse.

Objicies 2. Liberius ei formulæ subscripsit, quam Hilarius vocat *perfidiam apud Sirmium descriptam*; atqui Hilarius non vocavit priorem formulam Sirmiensem *perfidiam apud Sirmium descriptam*; siquidem lib. de Synodis eam tanquam catholicam exponit: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem dist. ant. Hilarius libro de Synodis priorem formulam Sirmiensem, sumptam in se & independenter a circumstantiis, exposuit tanquam catholicam, conc. ant. sumptam non in se tantùm, sed etiam dependenter a circumstantiis, neg. ant. Et sanè licèt in sensu obvio, seu quem verba præ se ferebant, nihil falsi contineret; erat tamen maximè suspecta ratione Episcoporum, a quibus conscripta fuerat: nam in Ancyrana Synodo non erant solùm Episcopi Semi-Ariani, sed etiam Ariani, Valens, Ursacius, & alii. 2. Illi formulæ Liberius addidit condemnationem Athanasii, eumque tum ab Episcopali sede, tum a communione fidelium expulit. *Ego* (inquit in Epistola, quam adhuc Beroeæ exul scripsit ad Orientales) *Athanasium non defendi; sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius Episcopus decessor meus, verebar, ne fortè in aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando placuit Deo, justè vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris ..... Itaque*

amote Athanasio à communione omnium nostrum, cujus nec Epistola à me suscipienda sunt, dico me parem cum omnibus vobis & universis Episcopis Orientalibus, seu per universas provincias pacem & unanimitatem habeo. 3. Rejecta est, *Consubstantialis*, vox, quæ erat Catholicorum veluti tessera; proindèque licet Hilarius probasset priorem Sirmiensem formulam in se spectatam, potuit postea in fragmentis propter circumstantias peculiares eam vocare *perfidiam apud Sirmium conscriptam, quam dicit Liberius Catholicam.*

CAPUT II.

De Divinitate Spiritus Sancti.

Not. 1. EX Arii principiis sequebatur quidem Spiritum sanctum non esse Deum, sed cum Arius id apertè non protulisset, nec Alexandrina Synodus, nec Nicæna I. in quibus solemniter damnatus est, hæresis ejusmodi meminerunt.

Not. 2. Quod Arius apertè non docuerat, palam deinceps asseruerunt illius discipuli, & quidem *primò* Aetius, & illius auditor Eunomius, Eudoxius Episcopus Antiochenus, aliique omnes, qui blasphemabant, Filium esse Patri dissimilem. *Secundò*, idem dogma propugnarunt plures ex Semi-Arianis, seu ex iis, qui tuebantur *homoeousion*, hoc est, Filium esse similem Patri: sed quòd apertiùs inter eos id propugnarit Macedonius, audiit apud veteres, tanquam author Pneumatomachorum sectæ, seu eorum, qui Spiritui Sancto divinitatem abnegarunt.

Not. 3. Ut Catholicam de Spiritus Sancti divinitate doctrinam asseramus, methodi causa hocce caput in tres articulos dividemus; in priore quæremus, utrum divinitas Spiritus Sancti possit ex Scripturis demonstrari; in altero, utrum demonstrari possit ex Patribus; in tertio tandem solventur Macedonianorum argumenta.

ARTICULUS I.

Utrum Divinitas Spiritus Sancti possit ex Scripturis demonstrari.

Not. 1. SCripturæ textus, de quibus agitur, sunt 1. ii, quibus ipsum Dei nomen Spiritui Sancto tribuitur; sunt 2. ii, quibus characteres, qui Deo proprii sunt, dicuntur Spiritui Sancto convenire; nec non ii, quibus agitur de Spiritus Sancti efficientia & operatione.

§. I.

Profertur argumentum petitum ex Dei nominibus.

CONCLUSIO. Divinitas Spiritus Sancti potest ex iis Scripturæ locis demonstrari, quibus Dei nomen Spiritui Sancto tribuitur.

Probatur. Ille verè ac substantialiter est Deus, cui Scripturæ Dei nomen tribuunt, ipsum Creaturis opponendo: atqui Scripturæ Spiritui Sancto tribuunt Dei nomen, ipsum Creaturis opponendo: ergo Spiritus Sanctus est verè ac substantialiter Deus. Minor propositio, in qua posita est difficultas, subsequentibus momentis ostenditur.

Primò Petrus Actorum 5. sic Ananiam alloquitur: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri?* Eum autem, cui Ananias mentitus fuerat, hoc est Spiritum Sanctum, Petrus mox Deum vocat, ipsumque Creaturis opponit, seu dicit Ananiam non Creaturis, sed ipsimet Deo fuisse mentitum: *Non es (ait) mentitus hominibus, sed Deo*: ergo, &c.

Secundò, Textus Scripturæ, in quibus Deus ipse dicitur locutus fuisse, in aliis ejusdem Scripturæ locis plerumque explicantur de Spiritu Sancto. Hæc verba, *Audite audientes, & nolite intelligere*, quæ Isaiæ 6. Deo exercituum tribuuntur, Paulus ad Hebræos 3. dicit fuisse a Spiritu Sancto prolata: *Quia benè (inquit) Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam prophetam ad Patres nostros dicens, Vade ad populum istum, & dic ad eos, Aure audietis & non intelligetis.* Psalmo 105. hæc habentur: *Tentaverunt Deum in inaquoso*: at Deus ille, quem Judæi tentarunt, à Paulo vocatur Spiritus Sanctus: *Quapropter* (ait ad Hebræos 13.) *sicut dicit Spiritus Sanctus, hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri.* Apostolus primæ ad Corinth. 12. fideles vocat templum Dei: *Nescitis, quia templum Dei estis vos?* Verùm postea eosdem fideles vocat templum Spiritus Sancti: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Idem Apostolus, Dei opera recensens, ea promiscuè Deo, ac Spiritui Sancto tribuit: *Divisiones* (inquit ad Corinthios scribens) *gratiarum sunt, idem autem Spiritus ..... Divisiones gratiarum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Iis autem gratiis singulariter enumeratis, sic concludit: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.*

Tertiò, ipsum *Spiritus* nomen, quod tertiæ Trinitatis personæ tribuitur, eum Deum esse non obscurè innuit. Scilicet (ut advertit Athanasius in libro ad Serapionem) Spiritus Sanctus nusquam ferè in Scripturis *Spiritus* appellatur, quin aut præmittantur aut subsequantur verba, quæ vocem illam *Spiritus* ad Deum referant; vel si ejusmodi verba nec præcedant, nec subsequantur, Spiritus Sanctus non dicitur simpliciter *Spiritus*, sed cum addito: *Spiritus Dei*, *Spiritus Christi.*

Quartò, idem pariter evincit *Paracleti* nomen, quod Spiritui Sancto tribuitur, & præsertim si attendatur, quòd ille Paracletus dicatur æqualis Filio: *Ego* (ait Christus Joannis 14.) *rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*, nempè vox, *Alium*, comparationem includit; ac proinde significat, Paracletum, quem Christus pollicetur a Patre mittendum, sibi omninò æqualem fore.

§. II.

Profertur argumentum petitum ex characteribus Deo propriis.

CONCLUSIO. Divinitas Spiritus Sancti potest iis Scripturæ locis demonstrari, quæ illi tribuunt characteres, qui Deo soli conveniunt.

Probatur. Ille est Deus, cui Scripturæ tribuunt characteres, qui Deo soli conveniunt: non enim alia ratione judicamus Patrem in divinis esse Deum, quàm quòd Scripturæ ei tribuant divinitatis characteres; atqui Scripturæ tribuunt Spiritui Sancto characteres, qui soli Deo conveniunt: ergo Spiritus Sanctus est verè ac substantialiter Deus. Probatur minor propositio: Characteres, qui Deo soli conveniunt, sunt processio à Deo ipso, expressa illius invocatio in Baptismatis formula, cogitationum cordis cognitio, collatio cœlestis gratiæ, quæ sanctificet hominem, peccatorũ remissio, in creaturis mente præditis habitatio, tanquam in templo Apostolorum, Doctorum, Episcoporum constitutio ac missio: Sed Scripturæ ea omnia tribuunt Spiritui Sancto, ut patebit attendenti ad ea, quæ mox subjicienda sunt.

Primò, Processio unius ab alio, in divinis arguit æqualitatem; eo nimirùm argumento Patres quondam

usi

usi sunt, ut Verbi divinitatem adversùs Arianos assererent: ut videre est apud Ambrosium lib. 1. de Spiritu sancto cap. 4. Nec id mirum est: siquidem procedere ab alio est, recipere ipsum esse principio, a quo est processio. Atqui Spiritus sanctus à Deo procedit, juxta illud Christi apud Joannem cap. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

Secundò, Ille verè ac substantialiter est Deus cujus expressa invocatio necessariò requiritur, ut Baptisma valeat: non enim alterius, quam Dei ipsius nomen invocatur in formula sacramenti, in quo fidem nostram promemur, scilicet fides non est in creaturam, sed in Deum tantùm: Atqui expressa invocatio Spiritus sancti necessariò requiritur, ut Baptisma valeat; ita enim docet unanimis Patrum traditio, ut de sacramentis agentes ostendimus. Athanasii est illud argumentum; sic enim libro ad Serapionem loquitur: *Nam qui de Trinitate aliquid eximit, & in sola Patris nomine baptizatur, aut in solo nomine Filii, aut sine Spiritu, in Patre ac Filio, nihil accipit, sed inanis ac sine initiatione manet tam ipse, quàm qui tribuere videtur.* Præterea, is, qui expressè invocatur in Baptismatis formula, in unum, cum Patre & Filio, majestatis ac honoris consortium adjungitur: ergo utrique est æqualis. Addendum est, efficientiam Baptismatis non minùs adscribi Spiritui sancto, quam aliis divinis personis: proindeque Deus est, sicut & aliæ personæ.

Tertiò, Qui scrutatur internas hominis cogitationes, verè ac substantialiter est Deus, juxta illud Scripturæ: *Scrutans corda & renes Deus*: atqui Spiritus sanctus scrutatur internas hominis cogitationes: *Nobis autem* (ait Apostolus 1. ad Corinth. 2.) *revelavit Deus per Spiritum sanctum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

Quartò, Ille verè ac substantialiter est Deus, qui confert gratiam, quæ hominem sanctificet: siquidem (ut Basilius ait in quinto adversus Eunomium) *Creatura non potest sanctificare Creaturam*: Atqui Spiritus sanctus confert gratiam, quæ hominem sanctificet. Nam 1. non ob aliud in Epistola ad Romanos vocatur *Spiritus Sanctificationis*, ad Romanos octavo, *Spiritus adoptionis*, ad Hebræos 11. *Spiritus gratiæ*, Actorum 15. gratia, qua Gentes sanctificatæ sunt, Spiritui sancto tanquam causæ tribuitur, *In nationes gratia Spiritus sancti effusa est*, ad Romanos quinto, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est*, ad Galatas quinto, *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, longanimitas.*

Quintò, Qui peccata remittit, verè Deus est; atqui Spiritus sanctus peccata remittit: Nempè 1. Spiritus sanctus est principium, unde oritur potestas dimittendi peccata, qua Ecclesia fruitur: *Accipite* (inquit Christus Joannis 20.) *Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 2. Ei quoque tanquam causæ tribuitur effectus potestatis ministri, qua per Baptismum peccata dimittuntur; nam non datur Baptismus (ut jam superius observatum est) nisi nomine, auctoritate, & invocatione Spiritus sancti: *Baptizantes eos* (ait Christus) *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

Sextò, Qui in Creaturis mente præditis inhabitat tanquam in templo, verè ac substantialiter est Deus: Nam 1. solus Deus potest in Creaturas illabi, seu, totum illarum esse pervadere; sunt enim Dei respectu, sicut chrystallus perlucida respectu Solis. 2. Soli Deo templum debetur, quippe ipsi Soli exhibendus est latriæ cultus. 3. Inhabitatio unius divinæ personæ in nobis, efficit ut a Patre simul ac Filio inhabitemur; atqui Spiritus sanctus in Creaturis mente præditis inhabitat tanquam in templo: *Nescitis* (ait Apostolus 1. ad Corinth. 3.) *quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Capite 6. idem citatus asserit: *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti?*

Septimò denique, Ille qui sunt Apostolorum, Episcoporum, ac Doctorum constitutio ac missio, vere ac substantialiter est Deus: neque enim creatura potest Dei ministros constituere ac mittere; unde nec ipse Christus, ut homo est, semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, nec Moyses, nec prophetæ ab hominibus missi sunt ac constituti, sed a Deo ipso. Atqui Spiritus sanctus constituit, ac misit Apostolos, Episcopos, Doctores, ministros: *Ministrantibus autem illis Domino & jejunantibus* (ait Lucas Actorum 13.) *dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos ..... Et ipsi quidem missi à Spiritu sancto, abierunt.* Hæc pariter leguntur Actorum cap. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Capite 21. Agabus in Spiritum Sanctum, tanquam in authorem, prophetiam suam refert: *Hæc dicit Spiritus sanctus*, &c. Paulus 1. ad Timoth. 4. eadem ratione loquitur: *Spiritus manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide.* Plurima similia loca laudari possunt ex Scripturis, sed brevitatis causa hic ea prætermittimus.

ARTICULUS II.

Utrum divinitas Spiritus sancti possit ex Traditione demonstrari.

Not. UT cum methodo pertractetur difficultas, de qua agitur, articulum hunc partiemur in tres paragraphos. In priore expendemus, quid Patres trium priorum sæculorum docuerint de divinitate Spiritus sancti: in altero quæremus, quid de eadem quæstione senserint quarti, quinti & aliorum sæculorum Patres.

§. I.

Quid de divinitate Spiritus sancti senserint Patres trium priorum sæculorum.

CONCLUSIO. Patres trium priorum sæculorum docuerunt Spiritum sanctum esse vere ac substantialiter Deum.

Probatur. Inter Patres trium priorum sæculorum non ultimum tenent locum Hermas, Clemens Romanus, Justinus, Athenagoras, Irenæus, Lucianus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, uterque Dionysius, Romanus, & Alexandrinus, tandem Gregorius Thaumaturgus: Atqui ii Patres docuerunt, Spiritum sanctum esse verè ac substantialiter Deum: ergo, &c.

Hermas.

Hermas, seu author libri, qui *Pastor* inscribitur, asserit, humanam Christi naturam serviisse Spiritui sancto: *Cum igitur* (inquit) *corpus illud paruisset omni tempore Spiritui sancto..... fortiter cum Spiritu sancto comprobatum, Deo* (in cœlum) *receptum est.* Atqui humanitas Christi, alii, quam Deo servire nec potuit, nec debuit, cum inter ea, quæ educta sunt ex nihilo, principem locum tenuerit.

Clemens Romanus.

Clemens Romanus (teste Basilio, lib. de Spiritu sancto. cap. 29.) docuit, vitam eadem ratione convenire Spiritui sancto, qua convenit Patri ac Filio: *Sed & Clemens antiquior*: (verba sunt Basilii) *vivit, inquit, Deus & Do-*

& Dominus Jesus Christus, & Spiritus sanctus; atqui is, cui vita convenit eadem ratione, qua convenit Patri ac Filio, est verè ac substantialiter Deus. Confirmatur argumentum ex eo, quod Clemens Patrem, Filium ac Spiritum sanctum opponat Diis gentium, quibus vita non convenit; cum è contra Deus verus in Scripturis *Deus vivens* appelletur.

Dices, verba, quæ Basilius ex Clemente Romano laudat, neque in Epistola 1. Clementis, nec in secunda reperiri, ac proinde firmum non est argumentum, quod ex iis verbis deducitur.

Sed inanis est illa objectio; nam integram non habemus alteram Clementis Epistolam, sed tantum fragmenta quædam; itaque verba, quæ Basilius ex Clemente laudat, reperiebantur in iis ejusdem Epistolæ fragmentis, quæ haud dubiè Basilius perlegerat.

Justinus.

Justinus Apologia, quæ dicitur secunda, docet 1. Christianos non esse Atheos (ut Gentiles calumniabantur) *Fatemur quidem*, (ait) *nos talium, qui habentur, Deorum esse expertes, & Atheos, sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet, &c.* Docet 2. Christianos Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum eodem cultu, latriæ nimirùm, de quo erat quæstio, prosequi: *Verum* (inquit) *hunc ipsum & qui ab eo venit ...... Filium, & Spiritum sanctum colimus, & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.*

Inde verò sic arguitur: Ille verè ac substantialiter est Deus, cui Christiani eundem exhibent cultum, quem exhibent æterno Patri: atqui ex Justino, Christiani eundem Spiritui sancto cultum exhibent, quem æterno Patri: ergo, &c.

Athenagoras.

Athenagoras in sua pro Christianis apologia Atheismi crimen, quod Gentiles Christianis imponebant, sic repellit: *Quis igitur non miretur, cum audiat nos, qui Deum Patrem prædicamus & Deum Filium, & Spiritum sanctum, eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari?*

Idem Author eodem in libro sic hisce verbis Christianorum de divinitate fidem proponit: *Deum asserimus, & Filium ejus Verbum, & Spiritum sanctum, virtute unitos Patrem, Filium & Spiritum sanctum; Filius enim Patris mens, Verbum & sapientia est, & effluentia, ut lumen ab igne, Spiritus.*

Ex iis Athenagoræ textibus sic argumentum conficitur: Ille credidit, Spiritum sanctum esse Deum, qui asseruit, ideò Christianos non esse Atheos, quod profiteantur se Patrem, Filium & Spiritum sanctum colere; qui docuit, eum emanare ab eodem fonte, Patre nimirùm, a quo Filius emanat; qui voluit, Spiritum sanctum à Patre effluere sicut lumen ab igne; atqui Athenagoras id asseruit, id docuit, id voluit: ergo Athenagoras credidit, Spiritum sanctum esse verè, ac substantialiter Deum.

Dices, Athenagoram non asserere, Spiritum sanctum esse ejusdem cum Patre, & Filio substantiæ, sed tantùm eorum virtutem.

Verùm illa objectio nullius est momenti. Nam 1. Athenagoras asseruit, ideò Christianos non esse Atheos, quòd Patrem, Filium, & Spiritum sanctum venerentur: 2. Conceptis terminis asserit, Spiritum sanctum esse Deum: *Deum asserimus*, &c. 3. Eodem modo vult, Spiritum sanctum esse Patris, ac Filii virtutem, quo ibidem vult, Filium esse Patris Sapientiam; atqui Filius, ex Athenagora, est substantialis Sapientia Patris: ergo & Spiritus sanctus est utriusque substantialis virtus. Confirmatur ex eo, quod quidquid est in Deo, sit Deus; ac proinde cum Sapientia illa, cum ea virtus, sint in Deo, Athenagora teste, necessariò sunt Deus.

Irenæus.

Irenæus, libro 1. adversùs hæreses cap. 19. docet, Deum Patrem omnia, sive visibilia, sive invisibilia, non minùs per Spiritum sanctum, quàm per Verbum olim condidisse, ac etiam nunc gubernare: *Nihil enim* (inquit) *indiget omnium Deus: sed per Verbum, & Spiritum suum omnia faciens, & disponens, & gubernans, & omnibus esse præstans.* Eadem ratione loquitur libro 4 cap. 37. *Nec enim indigebat horum* (Angelorum) *Deus ad faciendum quæ ipse apud se præfinierat fieri, quasi ipse suas non haberet manus. Adest enim ei semper Verbum, & sapientia, Filium & Spiritus, per quos, in quibus omnia liberè & spontè fecit.* Mox ibidem addit, ad imaginem Dei Patris, Filii, & Spiritus sancti hominem conditum fuisse: *Ad quos loquitur dicens, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*

Idem S. Martyr, libro 5. cap. 12. docet, Spiritum sanctum in eo differre ab afflatu, quo Adamus animatus est, quod Spiritus sanctus sit increatus, omnium rerum creator; afflatus e contra sit creatus, & temporalis: *Aliud est* (inquit) *afflatus vitæ, qui & animalem efficit hominem, & aliud Spiritus vivificans, qui & spiritualem efficit eum.* Addit, afflatum omni homini datum fuisse, cum e contra Spiritus sanctus justis tantùm conferatur: *Afflatum quidem communiter omni, qui super terram est, populo dicens datum; spiritum autem propriè his, qui conculcant terrenas concupiscentias:* Tum ex Isaia, distinguit originem Spiritus sancti ab origine afflatus: *Propter quod* rursus ipse Isaias distinguens ea, quæ prædicta sunt, ait, *Spiritus enim à me exiet, & flatum omnem ego feci:* Observat, Isaiam iis verbis prædixisse Spiritus sancti, qui in Deo est, effusionem in genus humanum: *Spiritum quidem propriè in Deo deputans, quem in novissimis temporibus effudit per adoptionem filiorum in genus humanum: afflatum autem communiter in conditione, & factura ostendens illum.* Addit tandem, afflatum ideò esse temporalem, quia factus est, e contra Spiritum ideò esse æternum, quod minimè factus sit: *Aliud autem est, quod factum est, ab eo, qui fecit. Afflatus igitur temporalis, Spiritus autem sempiternus.*

Ex textibus, quos ex Irenæo mox laudavimus, sic licet argumentari: Ille credidit, Spiritum sanctum esse verè ac substantialiter Deum, qui docuit, omnia per Spiritum facta fuisse; ea nimirum ratione S. Martyr utitur, ut Verbum eximat ex creaturarum numero, ipsiusque divinitatem asserat; qui scripsit Spiritum sanctum cum Patre, & Verbo operam suam contulisse ad hominis formationem; qui voluit, hominem ad Spiritus sancti imaginem creatum fuisse, scilicet non ad Creaturæ, sed ad Dei ipsius imaginem homo primum factus est, juxta illud Scripturæ, quod ipse Irenæus laudat: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; qui asseruit, Spiritum sanctum in eo ab afflatu, cæterisque rebus creatis differre, quod afflatus factus sit, non autem Spiritus sanctus; quod afflatus aliæque creaturæ temporales sint, è contra verò Spiritus sanctus sit æternus; quòd Spiritus sanctus à Deo exierit: *Spiritus à me exiet*, cum è contra afflatus à Deo factus sit: Atqui ea omnia docuit, asseruit, voluit, scripsit Irenæus: ergo credidit, Spiritum sanctum esse verè ac substantialiter Deum.

Lucianus.

Lucianus floruit Marci Antonini temporibus, hoc est circa Christi annum 170. Illi adscribitur Dialogus, qui Philopatris inscribitur. In eo Dialogo loquens inducitur Christianus, qui Ethnicum mysteria religionis edoceat.

ceat. Roganti Ethnico, atque dicenti: *Quemnam igitur tibi jurabo?* Tryphon, Christiani personam sustinens, sic respondet: *Deum alte regnantem, magnum, immortalem, cœlestem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria.* Illud Tryphonis responsum Ethnicus excipit hac interrogatione: *Non intelligo, quid dicas, Unum tria, Tria unum.*

In eo textu tres personæ SS. Trinitatis clarè designantur. Scilicet ille Deus altè regnans, est Deus Pater, qui ideo primus semper nominatur, quòd sit totius Divinitatis fons & origo; deinde Filius Patris subjungitur tanquam persona, quæ à Patre distincta sit; tandem nominatur Spiritus Sanctus, qui ex Patre tanquam a primo Divinitatis principio procedit. Eas verò personas unam ac eandem essentiam habere, demonstrat hæc altera hominis Ethnici interrogatio: *Non intelligo quid dicas, Unum tria, Tria unum.*

Dices, equidem eo in dialogo rectè explicari Christianæ religionis de Trinitate fidem, verùm nullius esse momenti argumentum ex eo desumptum, eò quòd Dialogus iste non sit Luciani, sed hominis Ethnici, qui ipsum edidit, ut illuderet Christianæ religioni.

Sed futilis est ea objectio: Nam constat, scriptum esse dialogum illum ab authore Luciano coætaneo, proindeque proponit fidem, quam Luciani temporibus, Christiani de Trinitate profitebantur.

Clemens Alexandrinus.

Clemens Alexandrinus integram Trinitatem agnoscit: Pedagog. lib. 1. cap. 6. sic loquitur: *Unus quidem est universorum Pater; unus est etiam Verbum universorum; & Spiritus Sanctus, unus qui & ipse est ubique.* In quæ quidem verba observandum est, cuique personæ vim divinam tribui: Primæ quidem, quòd sit Pater universorum: Secundæ, quòd sit Verbum universorum: Tertiæ verò, quòd sit in universis.

Ejusdem Pedagog. lib. 3. cap. 7. hæc habet: *Gratias agamus soli Patri, & Filio, Filio & Patri, Pædagogo & Magistro Filio, una cum Sancto Spiritu, per omnia uni, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est quod semper est.* Author (ut patet) docet, æqualiter agendas esse gratias Patri, Filio, ac Spiritui Sancto: eos igitur censet esse prorsus æquales. Asserit Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse per omnia & in omnibus unum, non quidem persona, sed natura: arbitratus est igitur, unam esse in tribus personis naturam.

Tertullianus.

Tertullianus libro de Pudicitia c. 21. disertè profitetur: *Trinitatem unius Divinitatis, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.*

Idem Author libro adversùs Praxeam cap. 2. post recitatam fidei regulam sic loquitur: *Dum enim est retractationis locus; vel ne videatur ista perversitas non examinata, sed præjudicata damnari, maximè hæc, quæ se existimat meram veritatem possidere, dum unicum Deum non aliàs putat credendum, quàm si ipsum eundemque & Patrem & Filium & Spiritum Sanctum dicat. Quasi non sic unus sit omnia, dum ex uno omnia, per substantiæ scilicet unitatem; & nihilominus custodiatur œconomiæ sacramentum, quæ unitatem in Trinitate disponit, tres dirigens, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Ex iis verbis patet evidenter 1. Tertullianum agnoscere, Spiritum Sanctum esse unam è divinis personis, 2. eum esse ejusdem substantiæ cum aliis personis.

Ejusdem libri capite 13. expressis verbis asserit, Spiritum Sanctum esse Deum, licet sit persona, quæ a Patre & Filio distincta sit: *Duos quidem definimus* (inquit) *Patrem & Filium, etiam tres cum Spiritu sancto .... Duos tamen Deos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus, & Deus unusquisque.*

Ex iis Tertulliani textibus sic argumentum conficitur: Ille credidit, Spiritum Sanctum esse Deum, qui scripsit, Spiritum Sanctum unius esse cum Patre & Filio divinitatis; qui asseruit, credi debere unicum Deum, qui sit Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, qui docuit, Spiritum Sanctum cum Patre & Filio efficere unitatem in Trinitate; qui tandem voluit, Spiritum Sanctum esse eadem ratione Deum, qua Pater & Filius: Atqui ea omnia Tertullianus scripsit, asseruit, & docuit: ergo credidit, Spiritum Sanctum esse verè ac substantialiter Deum. Vide eundem Authorem iis locis, ubi egimus de Verbi divinitate.

Origenes.

Origenes eadem ratione locutus est de Spiritu Sancto, qua de Verbo; ac proinde, cum Verbi divinitatem asseruerit, præsertim in libris, quos contra Celsum Philosophum Epicureum exaravit, asseruit quoque divinitatem Spiritus Sancti. Vide loca, quæ de divinitate Verbi differentes laudavimus, vide etiam totum ejusdem Authoris opus adversùs Celsum, vide etiam Bellarminum, libro 1. de Christo, cap. 10.

Nobis hic satis sit unicus textus, quem Pamphilus in apologia laudat ex libro 1. Periarchon, ubi Origenes inter dogmata creditu necessaria, hæc ponit: *Primò, quòd unus est Deus, qui omnia creavit ..... Tum deinde quòd Jesus Christus ante omnem Creaturam natus ex Patre est .... Incarnatus est, cum Deus esset, & homo factus mansit, quod Deus erat .... Tum deinde honore ac dignitate Patris & Filii sociatum esse Spiritum sanctum.*

Inde verò sic arguitur: Ille docuit, Spiritum sanctum esse Deum, qui asseruit, eum esse tum dignitate, tum honore, sociatum Patri ac Filio; neque enim aliqua creatura, sive dignitate, sive honore, potest esse Deo Patri, ac Filio sociata; nempè societas illa æqualitatem importat; Atqui Origenes asseruit, Spiritum Sanctum esse tum dignitate, tum honore sociatum Deo Patri ac Filio; ergo docuit, Spiritum Sanctum esse vere ac substantialiter Deum.

Cyprianus.

Cyprianus libro de unitate Ecclesiæ, laudat versiculum septimum capitis quinti primæ Joannis Epistolæ, quo trium SS. Trinitatis personarum consubstantialitas ac distinctio personalis asseritur: *De Patre* (inquit cap. 4.) *Filio & Spiritu sancto scriptum est, Hi tres unum sunt.*

In Epistola ad Jubajanum, probat, baptismum ab Hæreticis datum non valere, quod nec Deus Pater, nec Deus Filius, nec Deus Spiritus sanctus per ejusmodi baptismum remissionem peccatorum operentur: *Si baptizari quis apud hæreticos potuit, utique & remissam peccatorum consequi potuit. Si peccatorum remissionem consecutus est & sanctificatus est, & templum Dei factus est, quæro, Cujus Dei? Si creatoris, non potuit, qui in eum non credidit. Si Christi, nec hujus fieri potest templum, qui negat Deum Christum. Si Spiritus sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus sanctus placatus ei esse potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est?*

Eadem in Epistola idem S. Martyr baptisma, quod quis, solo nomine Christi invocato, contulerit, irritum esse ex eo probat, quòd *ipse Christus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate.*

Jam verò sic ex laudatis Cypriani textibus licet argumentari: Ille censuit, Spiritum Sanctum esse verè ac substantialiter Deum, qui asseruit, eum esse unum natura

natura cùm Patre & Filio; qui dixit, eum esse Deum eadem ratione, qua Pater & Filius; qui docuit, irritum esse baptisma datum absque invocatione Spiritus Sancti: Atqui ea omnia asseruit, ac docuit Cyprianus: ergo censuit, Spiritum Sanctum esse verè ac substantialiter Deum.

Ambo Dionysii, Romanus & Alexandrinus.

Dionysius Romanus prolixam Epistolam scripsit adversùs Sabellianos, qui sua ætate in Libya grassari cœperant. Integra non extat illa Epistola, sed plurima illius fragmenta reperire est apud Athanasium lib. de decretis Synodi Nicænæ.

Ubi S. Pontifex ea in Epistola plurimis confutavit Sabellianos, qui tres SS. Trinitatis personas nomine tantùm, non re, distinctas esse contendebant, aggreditur oppositum dogma, eorum scilicet, qui tres personas ita distinguebant, ut etiam tres substantias admitterent. Docet itaque 1. tres SS. Trinitatis personas, licet a se invicem realiter distinctas, tamen minimè separatas esse, sed esse in se invicem per mutuam inhabitationem, quam Theologi vocant circumincessionem: *Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, & in Deo manere & habitare Spiritum Sanctum*. Docet 2. omnipotentem Deum, seu Patrem, esse totius Trinitatis caput: *Jam verò divinam quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam, & summum (omnipotentem Deum universorum dico) colligi & coalescere, prorsus est necesse.* Docet 3. credendam esse SS. Trinitatis divinam unitatem: *Non igitur dividenda est in tres Deitates admirabilis & divina unitas*. Docet 4. illam SS. Trinitatis divinam unitatem exprimi fide in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: *Sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, & in Christum Jesum Filium ipsius, & in Spiritum Sanctum*. Docet 5. ea unitate ac Trinitate sanam de Deo doctrinam conservari: *Ita enim* (ait) *& divina Trinitas, simulque sancta prædicatio monarchiæ conservari possunt.*

Ex iis Dionysii Romani textibus sic demonstratur divinitas Spiritûs Sancti: Ille verè ac substantialiter est Deus, qui eodem modo unitur Deo Patri, quo Verbum, qui pertinet ad Trinitatem, cujus caput, & origo est Deus Pater: ideò enim Verbum (ut superiùs ostensum fuit) est Deus, quòd originem suam Deo Patri debeat; qui est primarium objectum fidei, quam quis profiteri debet, ut Christianus censeatur. Atqui, ex Dionysio Romano, Spiritus Sanctus eodem modo, quo Verbum, unitur Deo Patri; pertinet ad Trinitatem, cujus caput est Deus Pater; est primarium objectum fidei, quam quis profiteri debet, ut Christianus censeatur: Ergo Spiritus Sanctus, ex Dionysio Romano, est verè ac substantialiter Deus.

Dionysius Alexandrinus, idem de Spiritu sancto sensit, quod Romanus. Scripsit nimirùm 1. eum ab aliis SS. Trinitatis personis separari non posse; scripsit 2. invisibilem & indiminutam Trinitatem in unitatem colligi: Unde sic in forma licet argumentari: Ille est Deus, qui nec à Patre, nec à Filio potest separari; scilicet mutua inhabitatio est efficax pro substantiali unitate argumentum, unde inter Deum & Creaturas non potest habere locum. Ille est Deus, qui cum aliis personis, licèt a se distinctis, in unitatem colligitur; neque enim alia est ea unitas, quàm unitas essentiæ: Atqui, ex Dionysio Alexandrino, Spiritus Sanctus separari non potest ab aliis SS. Trinitatis personis; cum eis, licèt persona distinctis, ad unitatem colligitur: Ergo ea Dionysio Alexandrino, Spiritus Sanctus est verè ac substantialiter Deus, ut superiùs quoque in hac secunda parte probavimus.

Gregorius Thaumaturgus.

Quid de Spiritu Sancto senserit Gregorius Thaumaturgus, qui utrique Dionysio, Romano & Alexandrino, coætaneus fuit, demonstratur ex fidei confessione ab eo edita, quam superiùs quoque retulimus.

In ea autem fidei confessione Gregorius docet Spiritum Sanctum pertinere ad divinam Trinitatem, ipsum non minùs æternum esse, quam sint Pater & Verbum; addit, personas quibus Trinitas constituitur, non esse quid creatum & immutabile: *Non igitur* (inquit) *creatum quid ac servum in Trinitate, neque superinductitium aliquid & adventitium, quasi priùs non existens, posterius verò adveniens. Non ergo defuit unquam Filius Patri; neque Filio Spiritus; sed immutabilis & invariabilis, eadem semper manet Trinitas.*

Eoque textu sic Macedoniani possunt impugnari: Ille est Deus, qui pertinet ad Trinitatem, in qua nec quid creatum ac servum reperitur: qui non minùs est æternus, quam sint Pater, & Filius; qui immutabilis & invariabilis est: Atqui ex Gregorio Thaumaturgo, Spiritus Sanctus est hujusmodi: ergo, &c.

§. II.

Quid de divinitate Spiritus Sancti senserint, quarti, quinti, ac sequentium sæculorum Patres.

CONCLUSIO. Quarti, quinti, & aliorum sequentium sæculorum Patres docuerunt, Spiritum Sanctum esse Deum.

Probatur 1. Athanasius tum in libro ad Serapionem, tum in pluribus suis operibus divinitatem Spiritus Sancti non minùs apertè adstruit contra Pneumatomachos, quam Verbi divinitatem adversùs Arianos. 2. Basilius in libro, quem contra Eunomium inscripsit *De Spiritu Sancto*, idem dogma fusè demonstrat, ac solvit, quæ adversùs illud ab hæreticis objiciebantur. 3. Eandem Catholicam veritatem tuitus est Ambrosius integro volumine, quod, sicut antea Basilius, de Spiritu Sancto inscripsit. 4. Gregorius Nazianzenus oratione 37. ac pluribus aliis, Macedonianorum hæresim impugnavit.

Probatur iterum 1. Ægypti Ecclesia post Imperatoris Constantii obitum, Alexandriæ sub Athanasio ad Concilium coacta, apertè definiit, Spiritum Sanctum esse Deum: *Convenerunt ergo ex diversis Civitatibus Episcopi* (inquit Socrates hist. lib. 3. cap. 7.) *& de plurimis rebus valdè necessariis inter se contulerunt. Ac sancti quidem Spiritus divinitatem illic asseruerunt, eum in consubstantiali Trinitate comprehendentes*. 2. Tota Orientalis Ecclesia ad generalem Synodum Constantinopoli sub Theodosio Magno, anno 381. congregata, in symbolo a se edito apertè professa est: *Credendum esse in Spiritum sanctum, Dominum, vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur*. 3. Ecclesia Romana, quoad illud caput, admisit Synodum Constantinopolitanam in Concilio, quod sub Damaso celebratum est. 4. A quarto sæculo ad hæc usque tempora, tum apud Orientales, tum apud Occidentales, illæsa permansit fides de articulo, de quo agitur. Eam nimirùm fidem profitentur etiamnunc tum Græci, tum Latini, quamvis in aliis capitibus dissentiant. 5. In octava generali Synodo, quæ celebrata fuit adversùs Photium, in Lugdunensi, cui Orientales adfuerunt, in Florentina, cui Josephus Patriarcha Constantinopolitanus, aliique ex Oriente Episcopi aut per se, aut per legatos aderant cum ipso Orientis Imperatore, idem articulus, definitus ac receptus est.

Quæ;

Quæres 1. quid Nicæna I. Synodus sdixerit de divinitate Spiritus Sancti?

Resp. 1. Nicænam Synodum nihil statuisse in causa, de qua est quæstio: Nec id mirum est, quippe quòd nec ipse Arius, nec aliqui ex illius discipulis ante Concilium Nicænum I. blasphemassent (apertè saltem) adversus divinitatem Spiritus sancti. Basilii est ea responsio, Epist. nimirùm 78. scribit, *paulatim progressum habuisse mala impietatis semina, quæ antea ab authore illius hæresis Ario jacta, ab iis deinde, qui ipsius propugnanda dogmata malè susceperant, ad Ecclesiarum perniciem nutrita sunt.*

Quæres 2. quid Eusebius Cæsariensis, quid Basilius Ancyranus, aliique tum Ariani, tum Semi-Ariani senserint de divinitate Spiritus sancti?

Resp. ad 1. Eusebium Cæsariensem pessimè sensisse de divinitate Spiritus sancti: lib. 5. contra Marcellum Episcopum Ancyranum, qui apud Arianos Sabellianus audiebat, scripsit (ait Petavius) *Paracletum nec Deum esse, nec Filium.* Sed Petavii pace dixerim, argumentum ex iis verbis desumptum, non multum habere roboris, quia Dei nomine, Eusebius intelligit personam Patris; unde addit: *Neque Filius,* significans, Spiritum Sanctum personam esse à Patre & Filio distinctam, contra quod sentiebant Sabelliani, quibus Eusebius Marcellum accensebat. Verùm Impietatem apertè tradit libro 5. de Demonstratione cap. 4. eo nimirùm loci scribit, Christum non solùm Davidis esse dominum, sed etiam Spiritus sancti, adeòque multò magis Angelorum & aliarum rerum omnium creatarum. 3. Agentes de Verbi divinitate, probavimus, Eusebium Cæsariensem impensè Arianismo favisse: at ex Arianismo evidenter sequebatur blasphemia, de qua est hic quæstio: siquidem argumenta, quibus Ariani Verbi divinitatem impugnabant, vim habebant adversùs divinitatem Spiritus sancti: nam præcipuum erat, quòd per Verbi consubstantialitatem cum Patre, Sabellianismus in Ecclesiam inveheretur.

Resp. ad 2. Basilium Ancyranum circa divinitatem Verbi Catholicum audisse apud Hilarium ac multos alios veteres, tum quòd Anomœorum hostis infensissimus extiterit, tum etiam quòd fidei formula Concilii Ancyrani, cui præfuit, in Catholicum sensum (ut superiùs ostensum est) explicari possit; tum denique quòd œconomiæ tantùm causa vocem, *Consubstantialis,* omisisse visus sit. Tamen, eò quòd ab aliis veteribus inter Semi-Arianos recensitus fuerit, audit tanquam hostis divinitatis Spiritus sancti. Verùm immeritò id erroris adscriptum est ipsi. Nam 1. non omnes Semi-Ariani, sed ii tantùm, qui Macedonio adhærebant, negarunt divinitatem Spiritus sancti. 2. Nullum monumentum proferri potest, quo probetur, Basilium Ancyranum impiè sensisse de Spiritu sancto. 3. E contra Epiphanius hæresi 73. quæ est Semi-Arianorum, testatur, hæc verba legi in Epistola Synodica Concilii Ancyrani, cui Basilius præfuerat: *Credimus igitur in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, non in Creatorem & Creaturam. Aliud est enim Creator & Creatura, aliud Pater, & Filius;* quibus quidem verbis apertè declaratur, Spiritum sanctum non esse creaturam, nempe ibidem asseritur, non esse credendum in creatorem & creaturam, licet credendum sit in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Petavio visum est, voces istas, *Et Spiritum sanctum,* formulæ postea insertas fuisse: Sed levia sunt momenta, quibus nititur. Non enim obstat, quòd in eo Concilio nulla posthac fiat mentio Spiritus sancti, licet copiosa fiat de Filio: Siquidem tunc non de Spiritu sancto, sed de solo Filio lis erat: scilicet formula Concilii Ancyrani edita est præsertim adversus formulam, quæ secunda Sirmiensis passim appellatur, & in qua purus Arianismus (ut suo loco dictum est) fuerat assertus.

Quæres 3. cur Concilium Constantinopolitanum I. Spiritum sanctum expresse non dixerit Deum, quemadmodum Concilium Nicænum I. expresse Verbum vocarat Deum, *Deum de Deo.*

Resp. Concilium Constantinopolitanum I. non obscurè in symbolo definiisse, Spiritum sanctum esse Deum, siquidem definiit, eum simul cum Patre & Filio adorari. Is autem, cui exhibetur idem omninò cultus, qui Patri & Filio, haud dubiè Deus est. Addendum est, Concilium in Epistola Synodica, quam misit ad Damasum Papam, expressis verbis Spiritui sancto tribuisse eandem quam Patri & Filio divinitatem, ac asseruisse, eum esse cœteris personis consubstantialem & coæternum.

ARTICULUS III.

Solvuntur argumenta, quibus impugnatur divinitas Spiritus sancti.

Not. ARgumenta, quæ pro Macedonianis objici possunt adversus divinitatem Spiritus sancti, reducuntur ad quædam tum Scripturæ, tum Traditionis argumenta, quæ breviter hic expendenda sunt.

Objicies 1. Quæ dissimili modo in Scripturis exprimuntur, dissimilis sunt naturæ: atqui Pater, Verbum, & Spiritus sanctus dissimili modo exprimuntur in Scripturis, nempe Pater exprimitur per præpositionem *Ex*, Filius per præpositionem *Per*, & Spiritus sanctus per præpositionem *In*. Ita apud Basilium lib. de Spiritu sancto c. 2. Aetiani ratiocinantur, nixi hac Apostoli loquendi ratione primæ ad Corinth. 8. *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum, & unus Spiritus sanctus, in quo omnia.*

Resp. dist. min. Pater, Verbum, & Spiritus sanctus *aliquando* dissimili modo exprimuntur, transeat min. eodem modo *semper* exprimuntur, neg. min. Scilicet sæpiùs cum una ac eadem persona tres illæ præpositiones conjunguntur, ut videre est in hac Apostoli sententia ad Roman. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Objicies 2. Ille non est Deus, qui nusquam in Scripturis dicitur Deus; quem Scripturæ nusquam asserunt adorari debere: atqui Spiritus Sanctus nusquam in scripturis dicitur Deus, Scripturæ nusquam asserunt eum adorari debere: ergo non est Deus.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia solum scriptum Dei Verbum non est principium, ex quo eruantur fidei veritates; id enim virtutis habet etiam traditio, quæ est non scriptum Dei verbum; ac proinde non sequeretur, Spiritum sanctum non esse Deum, præcisè ex eo, quòd illius divinitas in Scripturis non contineretur.

Resp. 2. data maj. disting. min. Spiritus sanctus nusquam in Scripturis *explicitè* dicitur Deus, conc. min. nusquam *implicitè* dicitur Deus, neg. min. scilicet Scripturæ testantur, Spiritum sanctum a Patre procedere, ipsum esse primarium fidei objectum, eandem cum reliquis personis efficientiam habere, inhabitare tanquam in templo in creaturis ratione præditis: ea autem omnia (ut superius ostensum est) demonstrant illius divinitatem.

Objicies 3. Ille non est Deus, quem Scripturæ testantur gemere, interpellare, postulare pro nobis: nempè gemitus Deum dedecet; postulatio ac interpellatio inferioritatem arguunt respectu ejus, a quo oratur ac interpellatur: nam propter eam rationem Christus, qui in Cœlis (ut ait Joannes) apparet vultui Dei pro nobis, sub ea ratione, sub qua orat, seu prout est homo, inferior est Patre: Atqui Scripturæ testantur, Spiritum Sanctum gemere, interpellare, postulare pro nobis: *Ipse Spiritus* (verba sunt Apostoli ad Roman. 8.) *postulat*

pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Resp. disting. maj. Ille non est Deus, quem Scripturæ testantur gemere pro nobis, interpellare, postulare, propriè, conc. maj. gemere, interpellare, postulare, metaphoricè, neg. maj. Propter rationes in argumento propositas Spiritus Sanctus propriè nec gemit, nec interpellat, nec postulat pro nobis: at verò gemit, interpellat, postulat metaphoricè, quia nos gementes & postulantes efficit, seu (ut loquitur Augustinus Epist. 105) nobis interpellandi & gemendi inspirat affectum: *Dictum est* (ait) *interpellat pro Sanctis, quia interpellare Sanctos facit, sicut dictum est: Tentat vos Dominus Deus noster, ut sciat, si diligatis eum, hoc est, ut scire vos faciat.*

Instabis. Si Spiritus Sanctus eo sensu gemit, interpellat, ac postulat pro nobis, quòd nos gementes, interpellantes, & postulantes faciat, Pater eodem sensu rectè dici poterit gemere, interpellare, postulare pro nobis: siquidem effectus ad extra, ut est inspiratio affectus ad gemendum & postulandum, communis est toti Trinitati: Sed absurdum est consequens, neque enim unquam apud sacros Scriptores obtinuit ille loquendi modus, quo Pater diceretur gemere, interpellare, ac postulare pro nobis.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia invaluit usus, & quidem Scripturarum consuetudine confirmatus, ut quædam opera, licet toti Trinitati communia, certo quodam modo, quem Theologi appropriationem vocant, uni personæ, non autem alteri, tribuantur: sic, quòd Pater sit fons ac origo totius Trinitatis, omnipotentia ei adscribitur; quòd Filius sit Verbum Patris, dicitur Sapientia; tandem quòd Spiritus Sanctus per mutuum Patris ac Filii amorem producatur, operationes, quæ ad nostram sanctificationem spectant, speciali ratione ei tribuuntur.

Objicies 4. Ille non est Deus, qui nec est genitus, nec ingenitus; atqui Spiritus Sanctus non est ingenitus; id enim soli Patri convenit: non est quoque genitus, alioquin esset Filius; nempè terminus, qui ex generatione resultat, est Filius, quia producitur in similitudinem naturæ.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia inter genitum & ingenitum datur aliquod medium, scilicet procedens alia via, quam per generationem: de ea processionis specie, dissertatione secunda inferius fusè dicetur.

Objicies 5. Qui a semetipso non loquitur, & ea tantùm profert, quæ audit ab alio, non est Deus; fungitur nimirùm Legati officio, quod quidem Deum dedecet, atqui (dicente Christo Joannis 16.) Spiritus sanctus non loquitur a semetipso, sed tantùm quæcumque audit, loquitur: ergo non est Deus.

Resp. disting. maj. Qui non loquitur à se ipso, tanquam legatus alterius, non est Deus, conc. maj. tanquam non legatus alterius, neg. maj. Spiritus sanctus non est legatus aut Patris aut Filii, quia non minùs quam Pater & Filius, proprio nomine loquitur. Non ita tamen proprio nomine loquitur, ut suam sapientiam, & suum esse a Patre & Filio non receperit; imò quæcumque loquitur, ea simul cum essentia sua ab eis accepit. *Non ergo loquetur à semetipso* (ait Augustinus tractatu 99. in Joannem,) *sed quæcumque audiet, loquetur. Ab illo audiet, à quo procedit. Audire, illi scire est: scire verò esse. Quia ergo non est à semetipso, sed ab illo, a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo agitur audientia, quæ nihil est aliud, quàm scientia.*

Objicies 6. Basilius Epist. 42. apud Petavium lib. 1. de Trinitate cap. 14. hæc habet de Dionysio Alexandrino: *Hunc* (de Spiritu sancto loquitur) *ab adoranda Deitatis consortio segregasse, & creata ac servili natura annumerasse fertur.* Idem Basilius non videtur credidisse, semper Spiritum sanctum esse Deum, non enim in omnibus suis operibus ausus est eum appellare Deum: cum autem eam cum fiducia nem Gregorius Nazianzenus orat. 20. commendet, sequitur, articulum de divinitate Spiritus sancti ad fidem non pertinuisse, eo saltem tempore, quo florebant laudati Patres.

Resp. ad 1. Basilium non asserere, se id, quod objicitur, legisse in operibus Dionysii Alexandrini, sed quodam tantùm rumore didicisse: *Servili naturæ* (inquit) *annumerasse fertur.* Nec mirum est, quòd Basilius non laudet Dionysii Alexandrini opera, scilicet in iis (ut superiùs ostensum est) apertè Spiritus sancti cum cæteris personis consubstantialitas adstruitur. Textibus, quos ex illius ad cognominem suum Dionysium Romanum apologia suo loco laudavimus, adjungi possunt hæc verba, quæ habentur in illius responsione ad propositiones Pauli Samosateni: *Non impunè feret is, qui adversùs benignum Spiritum sanctum blasphemus est, Spiritus autem est Deus.* In Epistola ad eundem Paulum Samosatenum, sic etiam idem Dionysius Alexandrinus loquitur: *Nisi enim esset Christus Deus Verbum, non potuisset non esse peccato obnoxius. Nullus enim non obnoxius est peccato, nisi unus Christus, ut & Pater Christi, & Sanctus Spiritus.*

Resp. ad 2. negando, Basilium non semper credidisse divinitatem Spiritus sancti. Equidem fatendum est, S. Doctorem prudenti œconomia aliquoties expressis verbis non dixisse, Spiritum sanctum esse Deum: *Illi* (ait Gregorius Nazianzenus orat. 20.) *nudam & apertam vocem de Spiritu sancto, quòd Deus esset, arripere studebant* (*quod quidem tametsi verum erat, impium tamen illis, atque improbo impietatis antistiti videbatur*) *ut eum quidem cum theologica lingua Civitate pellerent, ipsi autem Ecclesiam occuparent.* Verùm eodem tempore, quo Basilius a voce, *Deus*, abstinebat, ne impii illius æmuli Ecclesiam, cui præerat, invaderent, implicitè asserebat, Spiritum sanctum esse Deum: Nimirum 1. expressè profitebatur, eum non esse creaturam: 2. utebatur glorificationis hymno, quo illius divinitas non obscurè innuitur.

Nec obstat, quòd nonnunquam sic eundem glorificationis hymnum exprimeret: *Gloria Patri per Filium in Spiritu sancto.* Nam præter quam quòd eum pariter sic expresserit, *Gloria Patri cum Filio & cum Spiritu sancto*, necesse fuit, ut sic se gereret propter Adversarios, quorum animos postrema hæc glorificationis formula solebat offendere. Præterea Gregorio Nazianzeno, amicorum intimo, author fuit, ut (quòd minùs quam ipse, invidiæ pateret) Spiritus sancti divinitatem publicè profiteretur, dum ipse temporum iniquitati serviens, nomen taceret, licèt rem adstrueret. Addendum est, Basilium eam œconomiam non adhibuisse semper, quia quovis in casu necessaria non fuit: *Confitendum est* (inquit Epistola 141.) *Deum esse Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: quemadmodum divinæ Scripturæ, & qui sublimiora contemplati sunt, docuerunt.*

QUÆSTIO III.

Utrum mysterium SS. Trinitatis cognosci posse.

Not. 1. Mysterium aliquod duobus modis cognosci potest, implicitè nimirùm & explicitè: Implicitè quidem, cum cognoscitur id, in quo continetur a parte rei, & ex quo deduci potest: sic qui aliquam habet cognitionem essentiæ divinæ, habet implicitam attributorum, quæ in ea continentur & ex ea colliguntur; explicitè verò, cum illud mysterium distinctè cognoscitur.

Not. 2. Cognitio sive implicita sive explicita rei alicujus, duobus modis comparari potest, ratione scilicet & revelatione. Hic igitur quærendum est 1. utrum Trinitatis cognitio, sive implicita sive explicita, acquiri

posse

poſſit ratione, aut revelatione: 2. utrum ex ſuppoſitione quod ſola revelatione comparari poſſit, aliquibus exemplis, quæ ex rebus creatis deſumpta ſint, poſſit illuſtrari.

CONCLUSIO 1. Nulla Trinitatis cognitio, ſive implicita, ſive explicita, poteſt comparari ſola naturali ratione.

Probatur. Cognitio rei, quæ omninò ſupernaturalis eſt, & cujus nullum veſtigium, ſaltem quod prorſus ſimile ſit, extat in rebus creatis, comparari non poteſt ſola ratione naturali: ſiquidem potentia cognoſcens & objectum cognitum, debent eſſe ejuſdem ordinis, cum inter ea debeat eſſe proportio: atqui myſterium Trinitatis eſt omninò ſupernaturale, nullumque illius veſtigium, ſaltem quod omninò ſimile ſit, extat in rebus creatis: ergo, &c.

Confirmatur argumentum authoritate Scripturæ. Illud myſterium cognoſci non poteſt ratione naturali, quod ſola revelatione cognoſcitur: atqui myſterium Trinitatis, ex Scripturis, ſola revelatione cognoſcitur: Hæc enim habet Chriſtus Matthæi 11. *Nemo novit Filium, niſi Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*.

Objicies. Cognoſcere rem implicitè, eſt cognoſcere objectum, in quo a parte rei continetur: atqui ſola ratione naturali cognoſci poteſt, ſaltem inperfectè, objectum in quo a parte rei Trinitas continetur, nimirùm Dei eſſentia: ergo Trinitas poteſt implicitè cognoſci ſola ratione naturali.

Reſp. neg. maj. ſeu ut quid cognoſcatur implicitè, ſatis non eſt, ut cognoſcatur objectum, in quo a parte rei continetur; ſed requiritur præterea, ut ex illo objecto cognito per argumentationem colligi poſſit: at ex eſſentia Dei cognita viribus naturæ, colligi non poteſt Trinitas perſonarum; neque enim ſequitur ex eſſentia, ſic imperfectè viribus naturæ cognita.

CONCLUSIO 2. Ex ſuppoſitione, quòd quis per revelationem didicerit myſterium Trinitatis, poteſt aliqua, ſed multùm imperfecta, illius veſtigia in rebus creatis invenire.

Probatur. Auguſtinus lib. 9. de Trinitate docet, aliquam eſſe Trinitatis imaginem in humana mente. Tria ſunt, cum anima ſemetipſam amat; Notitia ſui, ignoti nimirum nulla cupido; Amor; & ipſa animæ ſubſtantia: ea autem ſunt unum ſubſtantialiter, licet relativè diſtinguantur: *Igitur* (ait cap. 4.) *ipſa mens, & amor, & notitia ejus, tria quædam ſunt, & hæc tria unum ſunt, & cum perfecta ſunt, æqualia ſunt*.

Verùm, cum imperfecta ſit illa imago, quòd Verbi generationem non exprimat, Auguſtinus aliam repetit ex memoria, cogitatione & amore, quæ in anima reperiuntur. Memoria (ait) non aliud eſt, quam continuata notitia: Cogitatio eſt actus, quo quis advertit ad rem quam mente revolvit: Amor eſt motus ad utendum, aut fruendum re, de qua cogitatur. Cum autem mens de re aliqua cogitat, format in ſe verbum ſibi ſimile. *Nemo enim* (ait S. Doctor cap. 7.) *volens, aliquid facit quod non in corde ſuo prius dixerit, quod verbum amore concipitur ſive Creaturæ, ſive Creatoris, id eſt, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis*: ergo a pari, dum Pater ſe ipſum cogitat, ut revera cogitabit ſemper, & cogitavit ab æterno, generat Verbum omninò ſibi ſimile, quia verbum tunc eſt omninò ſimile rei cognitæ, cum res perfectè cognoſcitur. Præterea anima, quæ ſe ipſam amat, quæ ſui ipſius verbum effinxit, movetur, ut illo verbo, aut utatur, aut fruatur: proindeque producit amorem, qui ſic utriuſque vinculum: ergo a pari Pater & Verbum moventur ad ſuimet fruitionem, ac proinde producunt Spiritum ſanctum, qui quidem eſt utriuſque amor: *Sicut* (inquit Auguſtinus lib. 9. de Trinitate cap. 12.) *Dei Verbum Filium eſſe, nullus Chriſtianus dubitat, ita charitatem eſſe Spiritum ſanctum*.

SS. Trinitatis myſterium non conſiſtit ſolum in eo, quòd tres perſonæ realiter diſtinctæ, ſint unus ſubſtantialiter Deus, quod Pater generet Verbum, quod Pater, & Filius producant Spiritum ſanctum, ſed quod ea Spiritus ſancti productio non ſit generatio: atqui ejus circumſtantiæ veſtigium in hominis anima reperitur; nempè mens hominis ſuum amorem non generat, nimirùm amor partum mentis, ſeu productionem verbi, hoc eſt, imaginis rei, quam cogitat, ſubſequitur: *Cur itaque amando ſe* (ait ibidem Auguſtinus) *non genuiſſe dicatur amorem ſuum, ſicut cognoſcendo ſe, genuit notitiam ſuam? In eo quidem manifeſtè oſtenditur hoc amoris eſſe principium, unde procedit: ab ipſa quippè mente procedit, quæ ſibi eſt amabilis, antequam ſe amet: atque ita principium eſt amoris ſui, quo ſe amat. Sed ideò non rectè dicitur genitus ab ea, ſicut notitia ſui qua ſe novit, quia notitia jam inventum eſt, quod partum, vel repertum dicitur, quod ſæpè præcedit inquiſitio eo fine quietura. Nam inquiſitio eſt appetitus inveniendi, quod idem valet ſi dicas, reperiendi. Quæ autem reperiuntur, quaſi pariuntur, unde proli ſimilia ſunt, ubi nis in ipſa notitia: ibi enim quaſi expreſſa formantur; nam etſi jam erant res, quas quærendo invenimus, notitia tamen ipſa non erat, quam ſicut prolem naſcentem deputamus*. Sed de ea difficultate, quæ haud dubiè graviſſima eſt, dicemus agentes de Proceſſionibus; eo nimirùm loci prolatis variis antiquorum Patrum ſententiis, ex Auguſtini principiis, reddemus rationem, cur proceſſio Verbi à Patre dicatur generatio; cum econtra proceſſio ſancti Spiritus eo nomine, nec appelletur, nec appellari poſſit.

DISSERTATIO SECUNDA,

De Proceſſionibus Divinis.

Not. DE proceſſionibus quæremus 1. utrum dentur in divinis: 2. quinam ſit earum numerus: 3. cur prima, quæ eſt Filii a Patre, dicatur generatio: 4. cur ſecunda, quæ eſt Sancti Spiritus a Patre, & Filio, dicatur proceſſio ſimpliciter: 5. quodnam ſit principium proceſſionum divinarum: 6. denique, utrum ſint voluntariæ.

QUÆSTIO I.

Utrum in divinis dentur proceſſiones.

Not. 1. PRoceſſionis nomine aliud non intelligitur, quam emanatio, ſeu origo unius ab alio: ſic fluvius dicitur procedere à fonte, quod ab eo emanet, ac oriatur.

Not. 2. Proceſſio duplex eſt, tranſiens & immanens. Prior eſt ea, per quam potentia extra ſe ipſam operatur; propter eam rationem proceſſio caloris, per quem calefit aqua, appellatur tranſiens, nempè ignis, ex quo calor ille procedit, extra ſe ipſum, in aquam nimirum, operatur. Poſterior eſt ea, in qua potentia, ſeu principium, operatur in ſubjectum extra ſe minimè poſitum; ſic viſio eſt actio immanens; ſcilicet ut oculus videat, non eſt neceſſe, ut extra ſe ipſum exeat, ſeu non eſt neceſſe, ut operetur in ſubjectum, quod extra ipſum oculum poſitum ſit.

Not. 3. Proceſſio immanens ſubdividitur in proceſſionem unius ab alio tanquam à cauſa, & in proceſſionem unius ab alio tanquam à mero principio. Illa dicit in termino receptionem eſſe cum dependentia a principio ex quo oritur, ut patet in proceſſione luminis a Sole; iſta verò dicit receptionem eſſe, ſed abſque dependentia.

Not. 4. Nihil hic dicemus de proceſſione tranſeunte: quæ enim ad eam ſpectant, referimus in harum Inſtitutionum partem tertiam, in qua de Deo Creatore diſſeremus.

CONCLUSIO 1. In divinis non datur processio unius ab alio tanquam a causa.

Probatur. Id in divinis non datur, quod Deo repugnat; atqui processio unius ab alio tanquam à causa, Deo repugnat; nempe tollit divinitatem ipsam: Deus enim est essentialiter independens, cum essentialiter sit ens a se.

Objicies. Multi veteres videntur admisisse in divinis processionem unius ab alio tanquam a causa: Justinus in dialogo cum Tryphone scribit, Deum Patrem esse Filio *causam cur sit*. Constantinus Magnus in oratione ad Sanctorum cœtum, apud Eusebium sic loquitur: *Pater quidem Filii causa est, Filius verò est causatum*: sic etiam Basilius lib. 1. contra Eunomium: *Nos autem secundum causarum habitudinem ad ea, quæ ex illis oriuntur, Patrem collocari ante Filium asserimus*: hæc etiam habet eodem in libro idem S. Doctor: *Vox ipsa Patris quid aliud significat, nisi hoc, quòd causa est & principium ejus, qui ex ipso genitus est?* Hæc quoque leguntur apud Gregorium Nazianzenum orat. 29. *Deus quidem* (de Patre loquitur) *est Deus, siquidem Filius & Spiritus Sanctus ad unam causam referantur*. Ergo, ex SS. Patribus, admitti debet in divinis processio unius ab alio tanquam a causa, Filii nimirum & Spiritus sancti a Patre.

Resp. dist. conseq. Admitti debet in divinis processio tanquam a causa, impropriè sumpta, conc. conseq. propriè sumpta, neg. conseq. Causa priore modo sumpta, est simplex communicatio esse, abstrahendo, an per eam communicationem terminus pendeat a principio, aut ab eo minime pendeat. Jam verò quòd Scriptores in argumento laudati causam in eo priore sensu, non autem in posteriore, sumpserint, demonstratur ex eo; quòd ii Scriptores conceptis terminis docuerint, Verbum esse vere ac substantialiter Deum, ac proinde non esse terminum, qui a suo principio, Patre nimirum, tanquam effectus a causa pendeat. Usi sunt autem ea loquendi ratione, ut adversùs Sabellianos aliosque similes hæreticos personarum in divinis distinctionem adstruerent.

CONCLUSIO 2. Admitti debet in divinis processio immanens unius ab alio tanquam a principio.

Probatur 1. ex Scriptura. Processio tanquam à principio, ex observatis, est origo, seu emanatio unius ab alio; atqui in divinis admitti debent ejusmodi origo, ejusmodi emanatio: Siquidem 1. Scripturæ conceptis terminis ejusmodi originis, emanationis, ac processionis meminere cum de Filio & Spiritu sancto loquuntur: Joannis 8. sic Christus de se ipso loquitur: *Ego* (quatenùs Verbum) *ex Deo processi & veni*. Joannis 16. Christus hæc ait de Spiritu sancto: *Spiritus, qui à Patre procedit*. 2. Eædem Scripturæ sæpiùs Verbum vocant Dei Filium; asserunt ipsum esse genitum; atqui qui Filius est, emanat a Patre; qui genitus est, ab eo oritur, a quo generatus est. 3. Ex iisdem Scripturis constat, alteram Trinitatis personam mitti a prima, tertiam verò a prima & secunda: sed missio (ut dicetur inferiùs) processionem præsupponit; ideò enim nusquam Scripturæ asserunt, Patrem mitti, quòd a nulla alia persona procedat. Jam verò quòd eæ processiones sint emanatio absque dependentia, patet ex iis, quæ ad prioris conclusionis probationem dicta sunt.

Probatur 2. authoritate Patrum, qui floruerunt ante Concilium Nicænum I. Nimirum imitati Scripturarum loquendi morem, sæpiùs Verbum vocant Dei Filium, ut patet ex textibus, quibus superiùs Verbi divinitatem adversùs Arianos asseruimus. Communem illorum mentem, tritum loquendi modum Novatianus, seu Author libri de Trinitate, qui reperitur inter opera Tertulliani, cap. 31. hisce verbis expressit: *Quidquid est Filius, non ex se est, quia nec innatus est, sed ex Patre est, quia genitus est; sive dum Verbum est, sive dum virtus est, sive dum sapientia est, sive dum lux est, sive dum Filius est, & quidquid horum est, non aliunde est, quàm ex Patre, Patri suo originem suam debens.*

Iidem Patres passim, cum de Deo Patre loquuntur, eum *absolutè ac sine addito* Deum appellant; nonnunquam cum eo conjungunt pronomen, *illum Deum*; aliquando vocant *Deum & Patrem omnium*: Econtra cum nominant alias Trinitatis personas, Filium v. g. eum designant titulo vel *Filii Dei*, vel *Servatoris*, vel *Domini*. Eam loquendi formulam legere est apud Tertullianum libro adversùs Praxeam cap. 13. *Apostolum sequar* (inquit) *ut si pariter nominandi fuerint Pater & Filius, Deum, Patrem appellem, & Iesum Christum, Dominum nominem. Solum autem Christum potero Deum dicere, sicut idem Apostolus: Ex quibus Christus, qui est* (inquit) *Deus super omnia benedictus in ævum omne. Nam & radium solis seorsum, Solem vocabo; Solem autem nominans, cujus est radius, non statim & radium, Solem appellabo.*

Eodem referri possunt eæ formulæ, quibus nonnulli ex Patribus trium priorum sæculorum usi sunt adversùs Sabellianos. Scilicet nonnunquam dixerunt, Patrem esse causam Filio, cur sit; esse fontem, ex quo Filius & Spiritus sanctus oriuntur. Eorum Patrum textus retulimus in objectione adversùs priorem hujusce capitis conclusionem. Huc quoque referri possunt loca, quibus eorumdem temporum Scriptores asseruerunt Patrem esse majorem Filio, etiam quatenùs Filius est Deus; neque enim alio sensu Pater potest esse major Filio, etiam qua Deus est, quam quòd sit principium, ex quo Filius oritur.

Ex iis autem omnibus sic conficitur argumentum: Illi docuerunt admitti debere processionem in divinis, seu originem unius ab alio tanquam a principio, qui Verbum vocarunt Filium Dei; qui dixerunt, ipsum non esse innatum ac ingenitum, imò natum & genitum ex Patre; qui de Patre ac de aliis personis simul loquentes, illum, non autem alias personas, appellarunt Deum absolutè, Deum præposito pronomine, *illum*, qui dixerunt illum esse Filio causam cur sit; qui asseruerunt Patrem esse majorem Filio, etiam qua Filius est Deus; atqui Patres trium priorum sæculorum sic se gesserunt: ergo docuerunt, in divinis admitti debere processionem, seu originem unius ab alio tanquam a principio.

Probatur 3. authoritate Patrum, qui post exortam Arianorum hæresim scripserunt. 1. Processionem, de qua agitur, apertè tradidit Concilium Nicænum I. *Credimus* (verba sunt Symboli) *in unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre unigenitum, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum.* 2. Nonnulli Scriptores Patri, *Authoris* nomen respectu Filii tribuerunt, Hilarius in hæc Psalmi 44. verba, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*, sic loquitur lib. 4. de Trinitate: *Tuus, relatum est ad auctorem: Te verò, ad ejus, qui ex auctore est, significationem. Est enim Deus ex Deo.* 3. Gregorius Nazianzenus orat. 35. quæ prima de Filio dicitur, hanc sibi quæstionem proponit: *Quomodo igitur non sunt* (Filius & Spiritus sanctus) *simul cum Patre principii expertes, siquidem æterni sunt?* Eam autem sic solvit: *Quia inde procedunt, etsi non post illum sunt.* Datæ a se solutionis hanc reddit rationem: *Equidem quod principio caret, etiam æternum est: quod autem æternum est, non protinus omni caret principio, quamdiu ad Patrem, velut ad principium, refertur. Ergo illi, quantùm ad causam, non carent principio.* 4. Athanasius oratione contra Sabellii gregales, concedit, Patrem jure meritò dici solum Deum, *Quòd solus ingenitus sit, & solus fons Deitatis.*

Ex iis verò Patrum locis sic arguitur: Illi judicarunt, in divinis admitti debere processiones seu emanationes ac origines unius ex alio tanquam a principio,

qui

qui docuerunt Verbum eſſe Deum de Deo; ipſum verè genitum eſſe, non factum; Deum Patrem eſſe Filii auctorem, Filium & Spiritum ſanctum non eſſe expertes principii, eò quòd à Patre procedant; utrumque referri ad Patrem tanquam ad principium; Patrem rectè dici ſolum Deum, quòd ſolus ſit ingenitus, quòd ſolus ſit fons Deitatis: atqui id docuerunt Patres, qui poſt exortam Arianorum hæreſim ſcripſerunt: ergo, &c.

Objicies 1. Proceſſio ſupponit prius & poſterius, nempè principium eſt prius termino, qui ab eo procedit: atqui in divinis non datur prius & poſterius, non enim dantur inter ea, quæ ſibi invicem coexiſtunt: ſed omnes perſonæ SS. Trinitatis ſibi invicem coexiſtunt, cum omnes ſint æternæ: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Proceſſio ſupponit prius & poſterius aut temporis, aut originis, conc. maj. temporis tantùm, neg. maj. In divinis prioritas temporis locum non habet, eò quòd (ut dictum eſt in argumento) ſingulæ perſonæ ſint eſſentialiter æternæ, ſed admitti debent prioritas & poſterioritas originis. Patet ſolutio argumentis omnibus, quibus concluſio ſecunda confirmata fuit, ac præſertim hoc textu, qui laudatus eſt ex Gregorio Nazianzeno: *Quod autem æternum eſt non protinus omni caret principio*. Confirmatur ex eo, quòd ſi ſupponeretur, ſolem eſſe æternum, ſequeretur, lumen quod profundit, fore pariter æternum: in ea tamen ſuppoſitione eſſet prioritas inter ſolem & lumen, quod ea productum fuiſſet ab æterno.

Objicies 2. Si inter perſonas divinas admitteretur proceſſio, ſolus Pater eſſet Deus à ſe ipſo: ſiquidem ſolus à ſe ipſo divinitatem haberet, aliæ perſonæ eam ab ipſo reciperent: atqui ſolus Pater non eſt Deus à ſe ipſo, nempe ſi ſolus Pater eſſet Deus a ſe ipſo, aliæ perſonæ non eſſent Deus; ſiquidem eſt de eſſentia Dei, ut ſit Deus à ſe ipſo, hoc eſt, independenter a quolibet alio: ergo, &c.

Reſp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ad 3. diſt. ant. Eſt de eſſentia Dei, ut ſit Deus à ſe ipſo, hoc eſt, independenter ab aliqua cauſa extrinſeca, conc. ant. independenter a principio originis, neg. ant. Non eſt quidem de eſſentia Dei, ut habeat principium; nam alioquin Pater, qui eſt innaſcibilis & improducibilis, non eſſet Deus; ſed non eſt quoque de illius eſſentia, ut careat principio originis. Id perſuaſum fuit Patribus Nicænis, qui Chriſtum dixerunt *Deum de Deo, Deum verum de Deo vero, genitum non factum*. Doctrinam illam Nicæni Patres docti fuerant ab iis, qui vixerunt tribus prioribus ſæculis: ſiquidem (ut de Verbi divinitate diſſerentes oſtendimus) aſſeruerunt, Verbum ſe habere reſpectu Patris, (ſublatis tamen imperfectionibus) ſicut ſe habet radius reſpectu ſolis, ſicut fluvius reſpectu fontis, id, quod ſuperius quoque monuimus.

Objicies 3. Eſſe perſonarum divinarum non poteſt eſſe receptum: nam eſſe receptum, eſt eſſe imperfectum, tum quia (dicente Scriptura) beatius eſt magis dare quam recipere, tum etiam quia eſſe receptum præſupponit in ſubjecto indigentiam rei, quæ in eo recipitur; atqui ſi in divinis admitti deberet proceſſio, eſſe divinarum perſonarum foret eſſe receptum; nempe perſonæ procedentes reciperent eſſe a principio, a quo procedent; eſt enim de eſſentia proceſſionis, ut ſit origo, ſeu emanatio, ac proinde receptio eſſe ab aliquo principio: ergo, &c.

Reſp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. ant. Ad 3. diſt. ant. Beatius eſt magis dare quam recipere, in creaturis, con. ant. in divinis, neg. ant. Ratio eſt, quia receptio in creatis fit cum dependentia recipientis ab eo, a quo recipitur; in divinis verò fit abſque dependentia; nec id mirum eſt, nam in creatis is, qui dat, non dat eſſe proprium, ſed ſimile tantùm: ſic homo generans hominem, ei quidem communicat ejuſdem ſpeciei naturam, ſed non communicat eandem numero; unde natura humana multiplicatur in individuis, qui ſunt ſub humana ſpecie: E contra in divinis Pater eandem numero naturam communicat Filio, quam ipſe habet; Pater & Filius eandem quoque communicant Spiritui ſancto: ac natura divina in quacumque perſona conſideretur, eſt omnino independens, & cum à perſona realiter non diſtinguatur, efficit, ut perſona procedens ſit independens ab ea, a qua procedit. Ad 4. diſt. ant. Eſſe receptum præſupponit in ſubjecto indigentiam rei, quæ recipitur, ſi ſubjectum ſit aliquando ſine re, quæ recipitur, conc. ant. ſi nuſquam ſit ſine re, quæ recipitur, neg. ant. *Si ergo aliquid eſt* (ait S. Thomas quæſt. 10. de potentia art. 1. ad 13.) *quod receptioni non præexiſtit, ſed ſemper eſt in recepiſſe, hoc nullo modo eſt indigens. Filius autem non ſic accipit à Patre, quaſi priùs non habens, & poſteà accipiens, ſed quia hoc ipſum, quod eſt, habet à Patre; unde non ſequitur, quòd ſit indigens.*

Objicies 4. Explicari non poteſt, in quo poſita ſit natura proceſſionum divinarum: ergo revera non dantur in divinis. Probatur ant. Tria tantùm fingi poſſunt, in quibus natura divinarum proceſſionum poſita ſit; nimirum vel ſimplex reſultantia ex intellectione & volitione divina, ei ſimilis, quæ reperitur inter ſubſtantiam rei, & proprietates, quæ ab ea dimanant, ut patet in calore reſpectu ignis; vel actio ipſa intelligendi & volendi; vel (ut vult Scotus) actio aliqua, formaliter (ut loquitur) ab intellectione & volitione diſtincta: atqui in nullo ex iis tribus proceſſio activa poſita eſt. Non quidem in ſimplici reſultantia (ut vult Suarez) ſiquidem, cum Filius & Spiritus ſanctus ſint perſonæ verè ſubſiſtentes, per meram reſultantiam produci non poſſunt. Non eſt quoque poſita in ipſa actione intelligendi & volendi, nam alioquin, cum illa actio non minùs ſit in Spiritu ſancto, quam in Patre & Filio, non minùs in eo, quam in illis, eſſet alicujus perſonæ productiva, quod tamen repugnat fidei. Non eſt tandem poſita in actione diſtincta formaliter (ut loquitur Scotus) ab ipſa ſeu intellectione ſeu volitione: ſcilicet, cum Verbum ex vi ſuæ proceſſionis ſit eſſentialis ſapientia genita, & Spiritus ſanctus ex vi ſuæ proceſſionis ſit ſubſtantialis amor, ſeu dilectio Patris & Filii, neceſſariò poſtulant produci per ipſum intelligendi & volendi actum. Ergo explicari non poteſt, in quo poſita ſit natura proceſſionis activæ.

Reſp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Nempè, cum ſchola S. Thomæ dicendum eſt, proceſſionem activam poſitam eſſe eſſentialiter in ipſa intelligendi & volendi actione, hoc eſt, Filium generari per actum, quo Pater ſemetipſum intelligit, & Spiritum ſanctum produci per actum, quo Pater & Filius ſeſe mutuò diligunt. Nec contrarium probat argumentum: ſiquidem ipſimet actus intelligendi & volendi in ſe, hoc eſt, abſolutè ſumpti, non producunt perſonas, ſed tantùm prout per paternitatem aut filiationem modificantur; ſic actus intelligendi non generat Verbum, niſi prout contractus & modificatus per paternitatem; ſic etiam actus volendi non producit Spiritum ſanctum, niſi prout contractus eſt ac modificatus per relationes paternitatis & filiationis. Illi ſolutioni lux affulgebit ex iis, quæ de principio divinarum proceſſionum dicentur inferiùs.

QUÆSTIO II.

De numero divinarum proceſſionum.

Not. Proceſſio duobus modis ſumi poteſt, activè nimirùm & paſſivè. Sumpta priore modo eſt actus, quo datur eſſe divinis perſonis: accepta verò poſteriore modo eſt receptio eſſe, quod datur per proceſſionem activam, ſeu eſt terminus, qui per proceſſionem acti-

activam producitur. Hic igitur quærendum est 1. quot sint processiones passivæ, 2. quot sint activæ.

CONCLUSIO 1. Duæ sunt tantùm in divinis processiones passivæ.

Probatur. Tot sunt processiones passivæ, quot sunt termini producti per processiones activas; atqui duo tantùm sunt termini producti per processiones activas, Verbum nimirùm & Spiritus sanctus: Cum enim Pater (ut superius observatum est ex traditione) sit fons, origo ac principium totius Deitatis, a nulla alia persona generari aut produci potest; ac proindè Filius, & Spiritus sanctus sunt solæ personæ, seu termini, qui per processiones activas in divinis producuntur.

CONCLUSIO 2. Processio activa, sumpta realiter & à parte rei, est una tantùm.

Probatur. Processio activa, ex observatis est actus, per quem datur esse Verbo, & Spiritui sancto: atqui unus tantùm est realiter & à parte rei actus ille: siquidem actus in Deo non distinguuntur a parte rei; omne enim absolutum quod in Deo reperitur, est una ac maximè simplex substantia.

CONCLUSIO 3. Duæ tantùm sunt in divinis processiones activæ, virtualiter distinctæ.

Probatur 1. Ex observatis, processiones activæ sunt actus, per quos aliquæ personæ in divinis producuntur; atqui illi actus sunt tantùm duo, virtualiter distincti: nam tot & non plures sunt actus illi, quot in Deo sunt actus immanentes, à se invicem virtualiter distincti; sed actus immanentes virtualiter a se invicem distincti, in divinis sunt duo tantùm, intelligere scilicet & velle; alii enim omnes actus, qui in Deo cogitari possunt, sunt transeuntes, ut sunt creatio, conservatio, destructio rerum, & alia hujusmodi: ergo, &c.

Probatur 2. Tot sunt processiones activæ virtualiter distinctæ, quot sunt earum termini; neque enim actus Dei immanentes virtualiter distinguuntur, nisi ratione terminorum, qui per eos producuntur; atqui fide constat, duos tantum esse terminos divinarum processionum, Filius & Spiritus sanctus: ergo sunt tantum duæ processiones activæ virtualiter distinctæ.

Objicies 1. Si essent in divinis plures processiones activæ, quælibet earùm non esset infinita in genere processionis: sed absurdum est consequens: ergo & antecedens. Probatur maj. Illud non est infinitum in genere processionis activæ, quod non continet omnes processiones activas; atqui quælibet processio activa in divinis non contineret omnes processiones activas: si enim contineret omnes, non esset multiplex, sed una tantùm processio, quod est contra suppositionem.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. min. ad 3. dist. ant. Si una processio contineret omnes processiones, non esset multiplex processio realiter & actu, conc. ant. non esset multiplex virtualiter, neg. ant. Generatio Verbi, & productio Spiritus sancti non sunt duæ entitates realiter & actu distinctæ, sed una, & quidem maximè simplex, quæ tamen est virtualiter multiplex: nempè idem præstat, ac si reverà essent duæ actiones a parte rei actu distinctæ, hoc est, producit duplicem terminum, seu duas personas, tum a se invicem, tum a Patre realiter distinctas. Vide quæ harum Institutionum Tomo 1. dicta sunt de distinctione attributorum à se in invicem, & quæ dicentur inferiùs de distinctione relationum ab essentia divina.

Objicies 2. Non est potior ratio, cur ex intellectione, & volitione oriantur aliquæ processiones, quam ex potentia & bonitate; atqui ex potentia & bonitate non oriuntur aliquæ processiones, alioquin quatuor processiones in divinis admitti deberent, quod quidem est contra thesim: ergo nec aliquæ oriuntur ex intellectione, & volitione.

Resp. neg. maj. Ratio disparitatis est 1. quia actio potentiæ est ad extra, è contra processio (ut patet ex observatis) est ad intra. 2. Bonitas ex se & secundùm suum conceptum non dicit aliquam actionem, è contra verò processio est activa, cum per eam Verbum, & Spiritus sanctus producantur.

QUÆSTIO III.

De processione Verbi à Patre.

Not. DE processione Verbi à Patre quærendum est 1. utrum dicatur generatio: 2. quænam sit propria generationis idea: 3. utrum reddi possit ratio, cur Verbi processio dicatur generatio.

CAPUT PRIMUM.

An Verbi processio nominetur generatio.

Not. ARiani constanter negarunt, Verbi processionem nominari debere generationem: nec mirum; cum enim nollent Verbum esse verè Deum, ac Patri consubstantiale, consequens erat ut assererent, ipsum vera generatione non produci: nempè quæ generatione producuntur, ejusdem, saltem secundùm speciem, sunt naturæ, ut videre est in homine, qui ab alio generatur. E contra Catholici quovis sæculo Verbi processionem à Patre vocarunt veram, ac propriè dictam generationem, indeque desumpserunt invictum argumentum pro Consubstantialitate Verbi.

CONCLUSIO 1. Processio Verbi à Patre dicitur generatio.

Probatur 1. ex Scriptura. Psalmo 3. sic Pater Verbum alloquitur: *Filius meus es tu, Ego hodie genui te.* Nec obstat, quod Apostolus Actorum 13. iis verbis utatur ad probandam Christi resurrectionem, quæ fuit illius altera veluti generatio: Nam ad Hebræos 1. iis etiam utitur, ut eidem Christo divinitatem asserat: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Nec mirum est, quòd verbis, de quibus agitur, Apostolus duplicem sensum tribuat: tanta scilicet est Scripturæ vis, ut plures sensus etiam litterales contineat.

Psalmo 109. sic quoque Deus Verbum suum alloquitur: *In splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.* Eam autem sententiam de Christo intelligit Apostolus ad Hebræos 5. ut illius sacerdotium supra Aaronicum extollat: *Nam* (inquit) *Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

De eadem processione intelligi debent hæc verba Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* scilicet temporalis enarrari potest, ac intelligi, saltem a Beatis. Joannis 3. Verbum vocatur Filius unigenitus: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* In pluribus locis prima persona SS. Trinitatis vocatur Pater: *Testimonium perhibet de me* (ait Christus Joannis 8.) *qui misit me Pater.*

Ex iis verò Scripturæ textibus sic conficitur argumentum: Illius processio rectè dicitur generatio, qui in Scripturis dicitur Filius genitus à Deo Patre; cujus generatio est sive Beatis, sive viatoribus ineffabilis; qui est Dei Filius unigenitus; qui Deum habet Patrem, ideò enim Pater est, quòd generet Filium: ergo Scripturæ docent Verbi processionem debere nominari generationē.

Probatur 2. ex traditione. Patres qui Concilium Nicænum I. præcesserunt, non raro generationis nomen explicitè aut implicitè usurpant, ut Verbi processionem designent; nonnunquam enim Verbum vocant Dei Filium: at nemo Filius est, nisi per generationem. Sæpiùs dicunt ipsum a Deo genitum: *Sin propriè* (ait Justinus Apo-

Apolog.2.) *etiam præter communem nativitatem genitum ipſum ex Deo Verbum Dei dicimus*. Idem author (ut videre eſt hujuſce partis ſuperiùs) in dialogo cum Tryphone explicat modum divinæ generationis Verbi. Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola adverſus Paulum Samoſatenum ſic loquitur: *Deus enim manifeſtatus eſt in carne, factus ex muliere; qui ex Deo Patre genitus eſt ex utero ante Luciferum, velut è corde Verbum ex Patre editum.* Sic etiam Alexander Epiſcopus Alexandriæ in Epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum Epiſcopum: *Quid illud, Ex utero ante Luciferum genui te, nonne palam oſtendit naturalem parens paterni filietatem?* Concilium Nicænum I. apertè profitetur in ſymbolo, Verbum eſſe *genitum*, non factum. Patres qui poſt illud Concilium floruerunt, unanimi conſenſu hanc Pſalmi ſententiam: *In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te*, explicarunt de æterna Verbi proceſſione a Patre. Vide Baſilium lib.v. contra Eunomium, Epiphanium hæreſi 69. Cyrillum Hieroſolymitanum Catecheſi xi. Auguſtinum lib. 2. contra Maximinum cap. 7. Fulgentium qui libro Reſponſionum ad Objectiones Arianorum Reſponſione nona ſic loquitur de Pſalmi textu, de quo agitur: *Multum fallitur, qui hujus ſcripturæ locum divinæ nativitati non credit convenire.* Concilium Toletanum XI. ex eodem textu colligit, Verbum ex nihilo non prodiiſſe: *Nec enim* (inquit) *de nihilo, neque de aliqua alia ſubſtantia, ſed de Patris utero; id eſt, de ſubſtantia ejus, idem Filius genitus, vel natus eſſe credendus eſt.*

Objicies. Vox hæc *Generatio*, apta non eſt ad exprimendam proceſſionem Verbi a Patre. Primò enim includit ideam principii mutabilis; quia generatio non fit niſi in tempore, nec ſine principii generantis mutatione: 2. importat diviſionem, ſectionem, ac deciſionem ſubſtantiæ principii generantis; ſcilicet in animatis v.g. non fit generatio, niſi per ſemen, quod quidem eſt pars deciſa ex ſubſtantia generantis: ergo, &c.

Reſp.1. Arianos his ratiunculis olim uſos fuiſſe, ut Catholicis invidiam facerent: ſcilicet contendebant, ex Verbi generatione, quam Catholici profitebantur, ſequi abſurda, quorum meminit objectio. Arius ea falſa ſuppoſitione nixus, in Epiſtola ad Euſebium Nicomedienſem conqueſtus eſt, ſe ab Alexandro Epiſcopo Alexandrino damnatum fuiſſe, quòd ei aſſentiri noluiſſet iſta prædicanti: *Semper Deus, ſemper Filius, ſimul eſt Pater, ſimul eſt Filius. Neque cogitatione, neque momento aliquo Filium Deus antecedit, ſemper Deus, ſemper Filius, ex ipſo Deo Filius eſt.* Ibidem aſſerit, ſe credere *Filium non eſſe ingeniti ullo modo partem*.

Reſp.2.diſt.ant. Vox hæc *Generatio*, includit ideam principii mutabilis, diviſionem ſubſtantiæ, in creatis, conc.ant.in divinis, neg. ant. Ratio eſt, quia proprietates rerum creatarum Deo non tribuuntur, niſi ſecluſis imperfectionibus: Hinc ſequitur, generationem, cum de Deo paſſivè dicitur, nihil aliud ſignificare, quam originem viventis a vivente in ſimilitudinem naturæ: cum autem activè, non aliud in Patre dicit, quam ſubſtantialem ac perfectam naturæ divinæ communicationem.

Confirmatur reſponſio ex ipſo Scripturarum uſu; nempe ad ſignificanda varia Dei attributa nonnunquam iis vocibus utuntur, quæ ſecundùm ſenſum, quem ſyllabæ præ ſe ferunt, imperfectionem important, & tamen de Deo nonniſi perfectè, hoc eſt, ſecluſis imperfectionibus, prædicantur: *Scriptura* (ait Gregorius Nyſſenus lib.7. contra Eunomium) *oculum, & ſupercilia, & digitos, & manum, & dexteram, & brachium, ac pedem, calceamenta & ejuſmodi alia de Deo narrat, quorum nihil ſecundum uſitatam intelligentiam in divina natura deprehenditur. Sed id quod facilè à nobis percipi poteſt, ad diſciplinam perducens, tritis hominum conſuetudine vocibus res illas, quæ ſignificationem excedunt omnem, definit; dum proportione quadam per ſingula, quæ de Deo prædicantur, ad altiorem quemdam ſenſum evehimur.*

CAPUT II.

De germana divinæ generationis idea.

Not. UT cum methodo proponatur divinæ generationis idea, quærendum eſt 1. utrum generationis idea conveniat proceſſioni Verbi a Patre: 2. Quid ex ea idea conſequatur.

CONCLUSIO 1. Generationis idea convenit proceſſioni Verbi a Patre.

Probatur. Idea generationis continetur hac illius definitione, quam tradit S. Thomas 1. p. q. 27. art.2. *Origo alicujus viventis à principio vivente conjuncto, ſecundum naturæ ſimilitudinem*; atqui ea generationis definitio convenit proceſſioni Verbi a Patre. Nam 1. ea proceſſio eſt vera origo viventis, nempè Verbum ſumit ſuum eſſe à Patre: 2. Eſt a principio vivente, Patre nimirum æterno: 3 Eſt a principio conjuncto non quidem per partitionem ſui eſſe, ut fit in creatis, per ſemen nimirum deciſum ex ſubſtantia principii; ſed integre ac perfectè, hoc eſt per totius naturæ communicationem: 4. Eſt in ſimilitudinem naturæ; nempè Verbum in Scripturis appellatur imago Patris, & quidem perfecta, cum eum perfectè referat, utpotè eandem a Patre recipiens naturam, qua ipſemet Pater eſt Deus.

CONCLUSIO 2. Varia conſequuntur ex eo quòd veræ generationis idea conveniat proceſſioni Verbi a Patre.

Probatur enumeratione. *Primò*, ſequitur, Verbum non eſſe aliquid effectum exteriùs a Patre: nam quod extrinſecùs efficitur, non dicitur generari, ſed fieri; ſic domus non dicitur generata ab artifice, ſed facta: unde Scriptura cum de rebus creatis agit, non generationis, ſed creationis nomen uſurpat: *In principio* (inquit Geneſis 1.) *creavit Deus cælum & terram*: Econtra verò cum agit de Dei Filio, utitur generationis nomine: *Ex utero ante Luciferum genui te.*

Sequitur 2. Verbum divinum eſſe de Patris ſubſtantia; nempe eſſentiale eſt ei, qui per generationem procedit, ut fiat ex ſui principii ſubſtantia: *Quod efficitur* (inquit Baſilius libro 4. contra Eunomium) *non ex ſubſtantia efficientis exiſtit: Quod autem gignitur, ex ipſamet generantis eſt ſubſtantia. Non eſt igitur idem efficere ac generare.* Nihil magis olim offendit Arianos, quàm conſequens, quod modo retulimus; unde ſemper negarunt, Verbum eſſe ex ſubſtantia Patris: Econtra verò Catholici conſtanter propugnarunt, Patrem Verbum genuiſſe de ſe ipſo, de ſubſtantia ſua, de eo quod eſt: *Non ſic* (inquit Auguſtinus Epiſt.67.) *ex Deo Patre unigenitus Filius, quemadmodum ex illo eſt univerſa creatura quam ex nihilo creavit. Hunc quippè de ſua ſubſtantia genuit, non ex nihilo fecit, nec eum ex tempore genuit, per quem cuncta tempora condidit.* Catholici urgere ſoliti ſunt ſemper hunc Scripturæ loquendi morem, *Ex utero*, ut generationem à creatione, ac qualibet alia effectione diſcernerent, Aſſeruerunt, Verbum non eſſe Filium degenerem: *Non eſt* (ait Auguſtinus lib. 3. contra Max. cap. 14.) *degener ab uno Deo Patre Deus unicus Filius.*

Sequitur 3. Verbum eſſe omninò ſimile Patri: ſcilicet eſt de eſſentia generationis, ut genitum ſit ſimile generanti: nam homo hominem, leo leonem generat. Ea verò ſimilitudo non eſt ſecundùm accidentia, ſed ſecundùm ipſam naturam, hincque fit, ut filius qui parentum vultum nulla ratione refert, parentum tamen imago nuncupetur: Hinc etiam olim contigit, ut Catholici conſtanter propugnaverint, Verbum non eſſe ſimile Patri bonitate tantùm, ſapientia, aliiſque attributis,

quæ

quæ mens ab essentia distinguit; sed & ipsamet essentia, natura, substantia.

Sequitur 4. Verbum esse Filium Dei per communicationem naturæ divinæ: siquidem generatio est origo viventis à principio *conjuncto*: generans verò non conjungitur genito, nisi per propriæ naturæ communicationem; quæ quidem in creatis continetur in semine, quod est pars substantiæ, quæ ex generante decisa est.

Sequitur 5. idem Verbum esse Dei Filium per communicationem totius naturæ divinæ: nempè cum natura divina sit indivisibilis, oportet, ut, si communicetur (ut communicari necesse est per generationem) tota ac integra communicetur: *Impassibilis est enim ille qui, genuit, & imago invisibilis Dei est ille qui natus est* (ait Hilarius lib. 2. de Trinitate cap. 1.) *Est, enim unus ex uno: non est portio, non est defectio, non est diminutio, non derivatio, non protensio, non passio; sed viventis naturæ ex vivente nativitas est.*

Sequitur 6. Verbum esse Omoousion, hoc est Consubstantiale Patri. Quid enim aliud Omoousii, sive Consubstantialis nomine intelligitur, quam res, quæ ejusdem est substantiæ cum eo, a quo procedit? Hinc mirum non est, quòd Catholici tamdiu, tamque constanter pro illa voce contra Arianos decertaverint.

Sequitur 7. Verbum esse verè ac substantialiter Deum: Ille nimirùm verè ac substantialiter est Deus, cui inest vera ac substantialis natura Dei.

Sequitur tandem 8. Verbi generationem esse æternam: nempe cum Verbum per generationem recipiat esse divinum, necesse est, æternam esse illius generationem. Neque enim æterna natura, seu esse divinum, communicari potest per temporalem generationem. Siquidem persona, cui communicatur esse divinum, necessariò est Deus ipse; ac proindè ea persona est necessariò æterna, cum æternitas sit essentialis Deo.

CAPUT III.

Cur Verbi processio dicatur generatio.

Not. 1. MOvetur hæc quæstio occasione argumenti, quo Macedoniani quondam utebantur, ut Spiritus sancti divinitatem impugnarent: *Si creatura non est* (inquiunt apud Athanasium Epist. ad Serapionem) *neque unus ex angelis, sed à Patre procedit, igitur & ipse Filius est, & duo sunt fratres, nimirum ille ipse Spiritus & Verbum. Quod si frater est, quinam unigenitus est Verbum?* Idem argumentum adhibuerunt etiam Ariani: *Cum enim* (ajunt apud Augustinum lib. 1. contra Maximinum) *& Spiritum sanctum de substantia Patris esse dicitis, si Filius ex substantia Dei Patris est, de substantia Patris & Spiritus sanctus, cur unus Filius est, & alius non est Filius? Quid Spiritus vobis deliquit, cum ex eadem sit substantia, cum æqualis sit Filio, ut dicitis?*

Not. 2. Patres, antequam illud argumentum solverent, monuerunt, evidentem rationem reddi non posse, cur Filii a Patre processio dicatur generatio potiùs, quàm Spiritus sancti à Patre & Filio processio; cur ille sit Filius, iste verò, licèt ex substantia Patris productus, Filius nec sit nec appellari debeat. Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 14. Ariano quærenti, *cur unus Filius sit, & alius non sit Filius*, sic respondet: *Ecce respondeo, sive capias, sive non capias: De Patre est Filius, de Patre est Spiritus sanctus; sed ille genitus, iste procedens. Quid autem inter nasci & procedere intersit, de illa excellentissima natura loquens, explicare quis potest? Non omne quod procedit, nascitur, quamvis omne procedat quod nascitur ...... Hoc scio: Distinguere autem inter illam generationem & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

Not. 3. Postquam veteres monuerunt, non esse quærendum evidens discrimen inter generationem Verbi & processionem Spiritus sancti, conati sunt aliquod reddere, quod verisimilitudine niteretur. Non eandem tamen omnes viam tenuerunt. Putarunt nonnulli, ideò processionem Spiritus sancti non dici generationem, quòd alioquin sequeretur, eum à duobus Patribus generari: *Quoniam* (apud Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 26.) *si & ipse Filius diceretur, amborum utique Filius diceretur, quod absurdissimum est: Filius quippe nullus est duorum, nisi patris & matris.*

Alii voluerunt, quæstionis de qua agitur, hanc reddi debere rationem, quod Filius procedat ut natus, è contra Spiritus sanctus ut datus: *Exiit* (apud Augustinum lib. 5. de Trinitate cap. 14.) *non quomodo natus, sed quomodo datus; & ideò non dicitur Filius.*

Contenderunt aliqui, ejus de quo quæritur, hanc esse rationem, quòd Filius, non autem Spiritus sanctus, propriè sit imago Dei Patris. Docuerunt alii, peti debere rationem ex eo, quòd Spiritus sanctus a Patre & Filio non recipiat naturam fœcundam; ac proindè (inquiunt) non potest esse Filius, quia Filius, cum debeat esse omnino similis Patri, fœcundam, sicut Pater, naturam debet habere.

Tandem alii, quibus subscripsit S. Thomas, asserunt, rationem, quæ hic investigatur, peti debere ex eo, quòd secunda persona SS. Trinitatis producatur per intellectum, cujus operatio est productiva imaginis, quæ objecto intellecto planè sit similis; è contra Spiritus sanctus procedat per voluntatem, cujus actus ex se non producit imaginem objecti, quod amatur, similem. Cuinam ex iis sententiis adhærendum sit, subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Ratio, quam assignat prior sententia, satis non est ad explicandum discrimen generationis Verbi a processione Spiritus sancti.

Probatur. Ea ratio satis non est, quæ non explicat, cur is, qui à duobus procedit, non sit duorum Filius quemadmodum Filius unius est, qui ab uno procedit, atqui, &c. ergo, &c. Nec valet quod reponitur, scilicet, ubi duo concurrunt ad generationem, unum vocari Patrem, alterum verò nominari matrem. Non valet (inquam) siquidem licèt id verum sit in rebus creatis, non sequitur, quòd in divinis locum habere debeat: nempè divinæ generationis conditio diversa est omninò a qualibet creata generatione; undè multa ei propria sunt, quæ creatæ nullo modo conveniunt.

CONCLUSIO 2. Sententia, quæ docet, ideò Verbum esse Filium, quòd procedat ut natum, non satis explicat discrimen, quod reperitur inter Verbi processionem a Patre, & processionem Spiritus sancti à Patre & Filio.

Probatur. Sententia, de qua agitur, non explicat, cur Filius, non autem Spiritus sanctus, procedat ut natus, quamvis tamen utrique divina Patris natura ex æquo communicetur.

CONCLUSIO 3. Sententia, quæ docet, ideò Verbum esse Filium, quòd sit imago Patris, satis non est constituendum discrimen, quod reperitur inter processionem Verbi, & processionem Spiritus sancti.

Probatur. Ea sententia satis non est, quæ præsupponit aliam rationem qua nitatur: atqui sententia de qua agitur, præsupponit aliam rationem qua nitatur: Scilicet ab eo, qui assereret, Verbum ideò generari, quòd sit imago Patris, quæri posset cur Verbum sit potius imago Patris, quam Spiritus sanctus, cum uterque ratione naturæ perfectè referat Patrem æternum.

CONCLUSIO 4. Sententia, quæ docet ideò Verbum, non autem Spiritum sanctum, esse Filium, quòd a Patre recipiat naturam fœcundam, quæ quidem è contra sterilis est in Spiritu sancto, satis non est.

Probatur. Primò, ea sententia non reddit ratio-

nem,

nem, cur eadem natura, quæ fœcunda est in Filio, sit sterilis in Spiritu sancto. 2. Ut quis sit alicujus filius, non est necesse, ut ab eo naturam fœcundam recipiat: quamplures enim sunt filii, qui nullo modo generare possunt: ergo, &c.

CONCLUSIO 5. Cæteris omnibus probabilior est sententia, quæ asserit secundam personam SS. Trinitatis ideò generari, quòd à Patre procedat per actum intellectus.

Probatur. *Primò*, secundam SS. Trinitatis personam procedere a Patre per actum intellectus, seu per actum, quo Pater æternus se ipsum cognoscit, Patres docuerunt: *Cur Verbum dicitur?* quæstio est, quam sibi proponit Basilius hom. in initium Evangelii Joannis) *ut ostendatur* (respondet) *ex mente processisse*. Eadem ratione loquitur Gregorius Nazianzenus Orat. 36. *Verbum* (inquit) *appellatur, quoniam sic se habet ad Patrem, ut Verbum ad mentem*. Idem passim asserit Augustinus in libris de Trinitate.

Secundò, actum intellectus esse causam, cur processio, de qua agitur, vocetur generatio, sic ostenditur: Ille actus est causa, cur processio dicatur generatio, vi cujus secunda persona SS. Trinitatis producitur in similitudinem divinæ naturæ; in eo enim posita est generationis essentia: atqui secunda persona SS. Trinitatis producitur in similitudinem naturæ vi actus intellectus: siquidem producitur in similitudinem naturæ vi actus, qui ex se tendit ad efformandam imaginem objecti, quod intelligitur: sed actus intellectus ex se tendit ad efformandam imaginem objecti, quod intelligitur; unde dicitur, ad se attrahere objectum, de quo cogitat, cum è contra volitio excat ad objectum, quod amat, imò & in ipsum aliqua ratione transformetur: idque patet experientia, qua docemur, nos de nulla re cogitare, quin ejus in nobis exprimamus similitudinem, quæ quidem similitudo dicitur verbum mentis, seu interna mentis locutio.

Idem ostenditur authoritate Patrum: Secunda persona SS. Trinitatis generatur vi illius actus, vi cujus est & dicitur Filius; nempè Filius est terminus generationis: atqui dicitur, & est Filius vi actus, quo Pater se ipsum intelligit: est enim Filius, quia Verbum est Patris: at ideò est Verbum Patris, quòd Pater semetipsum intelligat; quippe non alia ratione, quam semetipsum intelligendo, exprimit Verbum. Augustini est illud argumentum; scilicet Epistola 49. diserte scribit, *Christum dici Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, & ideò Filium, quia Verbum, nec Verbum dictum, atque transactum, sed apud incommutabilem Patrem incommutabile ipsum, atque incorruptibiliter manens*. Eodem modo loquitur Athanasius impugnans Arianos, qui cum faterentur secundam personam SS. Trinitatis esse Verbum, nolebant tamen concedere esse Filium: *At Dei quidem omninò esse Verbum inficiari nolunt*, (inquit in lib. de Decretis Synod.) *hoc verò esse Dei Filium nolunt confiteri. Sed illud est ignoratia veritatis & sacrarum Scripturarum inscitia. Nam si omninò Deus est Verbi Pater, cur non & hoc quod gignitur, Filius est? Rursùs verò Dei Filius, quis esse potest, nisi orta ex ipso progenies?* Similis est loquendi modus apud Basilium, & Chrysostomum: *Propterea* (ait Hom. 2. in Joannem.) *Verbum etiam ipsum nominavit. Nam quia illud edocturus erat, Verbum hoc unigenitum esse Filium Dei: ne quis passibilem putaret esse generationem, appellatione illa Verbi occupavit, pravam antea suspicionem aufert, eum ex ipso esse demonstrans, tum sine passione Filium*. Ambrosius hæc etiam habet libro de Incarnatione cap. 3. *Si multa Verba, multi Filii*.

Objicies 1. Secunda persona vi illius actus non generatur, per quem non accipit esse verum & reale; atqui vi actus intellectus non accipit esse verum & reale: nempè esse, quod habetur per actum intellectus, est esse fictum, & intentionale, quod quidem non aliud est, quàm idea seu imago objecti, de quo mens cogitat; unde nemo dixerit lapidem habere esse verum & reale, eo quod homo, aut Angelus de eo cogitent: ergo secunda persona SS. Trinitatis non generatur vi actus, per quem Pater æternus seipsum cognoscit.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Esse, quod habetur per actum intellectus creati, non est verum & reale, conc. ant. Esse, quod habetur per actum intellectus divini, neg. ant. Ratio disparitatis est, quia cum intellectus creatus non sit perfectus in ratione intellectus, non potest exprimere, seu producere perfectum verbum, seu perfectam imaginem objecti, de quo cogitat: è contra verò, cum intellectus divinus sit infinitè perfectus in ratione intellectus, debet necessariò exprimere perfectum verbum, seu perfectam imaginem objecti, de quo cogitat; id autem non est perfecta Dei imago, quod habet tantum esse intentionale & creatum: oportet igitur, ut Pater æternus, qui se ipsum perfectè intelligit, perfectum sui verbum exprimat, ac producat, ac proinde verbum, cujus esse sit divinum ac reale. Confirmatur ex eo, quòd Patris intellectio sit actus purissimus, qui proinde non possit recipere species a se ipso substantialiter distinctas: ergo species sui ipsius, quam efformat, dum se ipsum intelligit, debet esse substantialiter idem cum illius intellectione. Vide S. Thom. 1. p. q. 4. art. 2. in corpore.

Objicies 2. Tota ratio, cur processio Verbi sit generatio, petitur ex eo, quòd procedat vi intellectionis, quæ ex se tendit ad productionem rei plane similis objecto, quod intelligitur: atqui illa ratio nulla est: siquidem cum intellectio & volitio in divinis sint omnino idem substantialiter, Verbum tam dici potest produci vi volitionis, quam vi intellectionis; ac proinde cum volitio non sit generativa, ita nec intellectio debet esse generativa: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Intellectio, & volitio in divinis sunt omninò idem actu, conc. ant. virtualiter, neg. ant. Se habent Dei operationes ad intra, sicut illius attributa: quemadmodum igitur (ut harum institutionum superiùs dictum est) attributa Dei à se invicem distinguuntur virtualiter: ita etiam intellectio & volitio. Cum autem (ut ibidem observatum est) distinctio virtualis efficiat, ut idem attributum propter suam infinitatem ac eminentiam æquivaleat multis attributis, realiter actu distinctis, sic etiam efficit, ut una operatio æquivaleat multis operationibus, realiter actu distinctis; ac proinde eadem operatio potest sub una formalitate, seu sub una ratione, considerata producere terminum, quem non producit considerata sub alia ratione seu formalitate: Hincque sequitur, eandem entitatem reduplicativè, prout est intellectio, producere Verbum, licet reduplicativè, prout est volitio, ipsum minimè producat.

Argumenta, quæ ex Spiritus sancti processione moveri possunt adversus conclusionem nostram, vide pertractata ac soluta subsequente capite quarto.

CAPUT IV.

Cur processio Spiritus sancti non dicatur generatio.

Not. TRia hic expendenda sunt 1. an processio Spiritus sancti dici possit generatio: 2. cur non possit dici generatio: 3. denique cur appelletur processio simpliciter, ac sine addito.

CONCLUSIO 1. Processio Spiritus sancti non potest dici generatio.

Probatur. Si processio Spiritus sancti dici posset generatio, Spiritus sanctus dici posset Filius Patris, ac Filii;

nimirùm ab utroque procederet per generationem, cujus terminus essentialiter est filius; atqui Catholica fides docet, Spiritum sanctum dici non posse Filium Patris & Filii. Scilicet 1. nec Scriptura, nec Patres aliquando Spiritum sanctum vocarunt Filium: 2. è contra eadem Scriptura docemur, unicum esse in Trinitate Filium: his enim similibusque sententiis Scripturæ passim utuntur: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret. Unigenitus, qui est in sinu Patris, enarravit nobis.*

CONCLUSIO 2. Ideò processio Spiritus Sancti non est generatio, quòd Spiritus Sanctus procedat per actum divinæ voluntatis.

Probatur. *Primò*, Spiritum sanctum procedere per actum voluntatis, ostendunt Scripturæ ac Patrum textus, in quibus dicitur charitas, donum, amor Patris ac Filii: ii enim textus significant, eum esse terminum charitatis & amoris, quibus Pater & Filius sese mutuò diligunt.

Secundò, ideò processionem illam non esse generationem, quòd fit per actum voluntatis, sic ostenditur: Per id Spiritus sancti processio non est generatio, per quod ex Patre & Filio non oritur in similitudinem naturæ: siquidem ut actio sit generatio, necesse est, ut illius terminus sit similis principio, à quo oritur, vi ejusdem actionis; atqui Spiritus sanctus non est similis principio, a quo oritur, vi actus voluntatis. Nempe ut esset similis vi actus voluntatis, necesse esset, ut actus voluntatis ex natura sua tenderet ad reddendum suum objectum simile voluntati, a qua exoritur: Sed actus voluntatis ex natura sua non tendit ad reddendum objectum simile voluntati; imò, cum (ut præcedenti capite jam fuit observatum) voluntas amans quasi exeat extra se ipsam, excurratque ad objectum quod prosequitur, ipsa per suum amorem fit similis objecto, & aliqua etiam ratione in illud transformatur: unde tritum est axioma: *Anima magis est ubi amat, quàm ubi animat*. Hinc fit, ut qui hominem aliquem deperit, omnes illius affectiones induat; quamobrem rectè Augustinus ait, talem esse animam, qualis est illius amor, cœlestem quidem si cœlestia desideret, terrestrem verò si fluxæ ac labentis naturæ rebus affectu inhæreat; ergo, &c.

Objicies 1. Ille procedit per generationem, qui est perfectè similis suo principio; atqui Spiritus Sanctus est perfectè similis suo principio: eandem enim habet naturam, quam habent Pater & Filius, a quibus procedit.

Resp. dist. maj. Qui est perfectè similis vi suæ processionis, conc. maj. aliunde quam ex vi suæ processionis, neg. maj. Spiritus Sanctus est quidem perfectè similis Patri & Filio, sed id non habet vi suæ processionis, sed tantùm ex eo, quòd natura divina sit substantialiter idem cum impulsu, seu cum amore, per quem Spiritus sanctus producitur.

Instabis. *Primò*, Spiritus sanctus habet naturam divinam per suam a Patre Filioque processionem: *secundò*, procedit ut Deus: ergo vi suæ processionis est similis suo principio: *tertiò*, procedit ut persona divina, quia procedit ut subsistens in natura divina: ergo, &c.

Resp. ad 1. dist. ant. Habet mediatè, conc. ant. scilicet cum processio Spiritus sancti sit realiter idem cum natura divina, necesse est, ut processio, veluti per accidens, communicet naturam divinam Spiritui sancto. Habet immediatè, neg. ant. Siquidem amor præcise ut est amor, non communicat Spiritui Sancto naturam divinam, neque enim (ut sæpiùs observatum est) amor est communicativus naturæ principii amantis.

Resp. ad 2. negando, quòd Spiritus sanctus procedat ut Deus: procedit enim tantùm ut impulsus, qui licet a parte rei sit Deus, tamen sub ratione, qua est impulsus Patris ac Filii, non est Deus, sicut unum attributum, licet cum alio sit idem realiter, non est tamen idem sub ratione formali talis attributi, sic misericordia reduplicativè prout est misericordia, non est justitia. Vide quæ de attributis hujusce operis tomo 1. dicta sunt.

Resp. ad 3. negando, Spiritum Sanctum procedere ut persona *divina*. Ratio est, quia licèt vi suæ processionis habeat subsistentiam relativam, per quam modificat mutuum Patris & Filii impulsum, non habet tamen subsistentiam *divinam*, quia subsistentia divina est modificatio naturæ divinæ; quam quidem naturam divinam Spiritus Sanctus non habet (ut jam dictum est) immediatè, præcisè, & vi suæ processionis, sed tantùm ex eo, quòd impulsus sit idem entitativè cum natura divina.

Objicies 2. Ea processio dici debet generatio, vi cujus Spiritus Sanctus habet naturam divinam; siquidem si vi suæ processionis habet naturam divinam, vi processionis erit similis suo principio, ac proindè genitus; atqui Spiritus Sanctus vi suæ processionis habet essentiam divinam; nempè vi suæ processionis habet existentiam divinam, quæ (ut docent Theologi in tractatu de attributis) ne per mentem quidem, ab essentia divina distinguitur: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Spiritus Sanctus vi suæ processionis habet existentiam, tanquam conditionem communem omnibus productionibus, conc. ant. tanquam terminum productioni Spiritus sancti specialem, neg. ant. existentia enim per quamcumque productionem communicatur. Ut res aliqua recipiat esse, (ut revera recipit per quamcumque productionem) debet recipere existentiam; sed existentia non recipitur tanquam terminus specialis cuicumque productioni: alioquin omnes productiones essent ejusdem omninò speciei, quòd est falsum; ac proindè quamvis Spiritus Sanctus vi suæ processionis recipiat existentiam, non sequitur, eum vi ejusdem processionis recipere essentiam divinam tanquam terminum specialem & proprium.

Objicies 3. Idem debet esse judicium de processione per voluntatem, ac de processione per intellectum; ergo quemadmodum in divinis processio per intellectum producit terminum perfectè sibi similem, ita etiam processio per voluntatem producit terminum perfectè unum cum principio amante; siquidem sicut intellectus reduplicativè, prout intellectus, tendit ad efficiendam similitudinem objecti, quod intelligitur cum principio intelligente; ita etiam voluntas, reduplicativè, prout voluntas, tendit ad efficiendam unitatem objecti amati cum principio amante.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia licet voluntas ex se tendat ad unionem cum objecto amato, & quidem perfectissimam, si sit (ut est in Deo) voluntas perfectissima; non tendit tamen ad unitatem identicam, hoc est, ad efficiendum unum identicè ex principio amante & objecto amato; scilicet prout remanet in linea voluntatis, ac proinde per se, non ad aliam tendit unionem, non ad aliam unitatem, quam ad unitatem per affectum, quæ quidem (ut patet) nusquam fit unitas per identitatem: econtra intellectus, remanens in linea intellectus, ex se tendit ad similitudinem; ea autem similitudo est imperfecta, seu per speciem ab objecto cognito, si intellectus sit perfectus: ac proinde mirum non est, quòd Spiritus Sanctus vi suæ processionis, quæ est per voluntatem, non recipiat naturam similem principio, a quo producitur.

Objicies 4. Spiritus Sanctus prout procedens, est Deus: ergo vi suæ processionis recipit naturam similem suo principio, ac proinde procedit per generationem: cum differentia specifica generationis in eo posita sit, quòd per se communicet esse simile principio, a quo oritur. Probatur ant. Spiritus Sanctus prout procedens, non est creatura: ergo est Deus,

Resp.

Resp. ad 1. neg. ant. Ratio est, quia Spiritus sanctus (ut fuse probatum est) prout procedens formaliter (ut loquuntur) non recipit esse divinum, licet ipsum à Patre recipiat, eò quòd impulsus, qui terminat processionem per voluntatem, sit idem entitativè cum essentia divina. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. siquidem datur medium inter Deum & creaturam; ens nimirùm, quod abstrahit ab utroque. Ejusmodi autem est Spiritus sanctus, consideratus reduplicativè prout procedens: sic enim spectatus, non aliud est, quàm impulsus, quem actus voluntatis produxit, & producet semper. Sed hæc satis sint de quæstione maxime metaphysica, de qua (ut suo loco dictum est) nihil certi ac evidentis statui potest.

CONCLUSIO 3. Processio Spiritus sancti dicitur processio simpliciter.

Probatur tum ex Scriptura, tum ex traditione, quæ non alio quam processionis termino exprimunt originem Sancti spiritus a Patre: *Spiritus* (inquit Joannis 10.) *qui à Patre procedit*. Eodem modo loquuntur Authores symboli, quod editum est in Concilio Constantinopolitano I. *Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem* (ajunt) *qui ex Patre procedit.*

Quæres, cur emanatio Spiritus sancti dicatur simpliciter processio?

Resp. sic appellari penuria terminorum, hoc est, licèt processionis nomen absolute & sine addito prolatum, generice sumatur; cum tamen de Spiritu sancto dicitur, sumitur specificè, seu pro certa processionis specie, quam defectu terminorum qui proprii sint, nomine generico cogimur exprimere.

CAPUT V.

De principio divinarum processionum.

Not. 1. Duplex distingui potest principium processionum divinarum. Unum quidem, quod vocatur principium, *Quod*, & aliud, quod appellatur principium, *Quo*. Principium, *Quod*, est suppositum, seu hypostasis, seu persona, cui ultimate tribuitur operatio; tritum enim est axioma: *Actiones sunt suppositorum*: sic calefactio ultimatè refunditur in ignem velut in suppositum a quo producitur. Principium, *Quo*, est virtus, per quam principium *Quod*, operatur: ea de causa calor est principium *Quo*, calefactionis: nempe est virtus, per quam ignis operatur.

Not. 2. Principium *Quo*, subdividitur in principium *Quo proximum*, & in principium *Quo remotum*. Prius est illud, per quod suppositum operatur immediatè; alterum verò est illud, per quod mediate tantùm operatur: sic manus est principium *Quo remotum*, & penicillus principium *Quo proximum* respectu tabellæ, scilicet pictor, qui est principium *Quod*, immediatè per penicillum, & remotè per manum operatur. Hinc patet, principium *Quo remotum* non influere in actum, nisi per principium *Quo proximum*.

Not. 3. Certum est, in divinis admitti debere duplex illud principium *Quod*, & *Quo*. Ratio est, quia ex iis, quæ mox observata sunt, principium *Quod*, est persona seu suppositum agens: atqui datur in divinis suppositum agens: nimirùm Pater generat Filium, idemque Pater, idemque Filius producunt Spiritum sanctum. Principium *Quo* est virtus, per quam suppositum operatur: sed in divinis datur ejusmodi virtus: cum enim persona Patris & persona Filii reverà producant, sequitur, eis inesse producendi virtutem.

Not. 4. De principio *Quo*, sive proximo, sive remoto, res non est æque certa ac de principio *Quod*. Ut igitur tollatur ejusmodi dubium, quærendum est 1. utrum intellectus & voluntas sint principium *Quo proximum*, divinarum processionum: 2. utrum essentia divina sit principium *Quo remotum*: 3. utrum relationes paternitatis & filiationis sint quoque principium *Quo remotum*.

ARTICULUS I.

Utrum intellectus, & voluntas sint principium Quo *proximum divinarum processionum.*

CONCL. Intellectus & voluntas sunt principium *Quo proximum* divinarum processionum. Est contra Durandum, qui in 1. lib Sent. dist. 6. quæst. 2. scribit, principium *Quo proximum* esse essentiam divinam, prout est fœcunda.

Probatur. Ut quid sit principium *Quo proximum*, duæ conditiones requiruntur, nimirùm 1. ut sit saltem virtualiter distinctum, tum a principio *Quod*, tum a principio *Quo remotum*: 2. ut immediate influat in actum: atqui ambæ illæ conditiones reperiuntur in intellectu & voluntate divina. Nam *primò*, licèt sint unum realiter actu tum cum personis Patris & Filii, tum cum essentia divina, virtualiter tamen ab eis distinguuntur: scilicet est fundamentum reale, petitum ex eminentia Dei, concipiendi intellectum & voluntatem divinam tum sine essentia, tum sine personis. *Secundo*, intellectus, & voluntas immediatè influunt in productionem Filii & Spiritus sancti. Et sanè Filius tum in Scripturis, tum in Patribus (ut jam superiùs observatum est) vocatur Verbum Patris. *In principio* (ait Joannes Evangelii cap. 1.) *erat Verbum*. Idem 1. Epist. cap. 1. hæc habet: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus, quod manus nostra contrectaverunt de Verbo vita.* Hæc quoque leguntur ejusdem Epist. cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*. Sed non ob aliud Filius appellatur Verbum, quam quod intellectus divinus in illius productionem influat immediate: econtra verò Spiritus sanctus dicitur amor, charitas, quòd a voluntate divina immediatè producatur.

Nec argumentum solvunt qui respondent, Filium & Spiritum sanctum aliis quam Verbi & Amoris nominibus nonnunquam appellari. Non solvunt (inquam) quia alia nomina sunt essentialia: at Verbum & Amor sunt termini notionales, seu tum in Scripturis, tum in Patribus usurpantur ad designandas Filii & Spiritus sancti personas; unde eædem Scripturæ eum Filium vocant Verbum, ipsum opponunt aliis personis, ut in hoc Joannis textu videre est: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*. Scripturarum loquendi morem secuti sunt Patres: siquidem in suis adversùs Arianos operibus eum, cujus divinitatem Ariani negabant, ferè semper Verbum appellant.

Confirmatur argumentum. Personæ SS. Trinitatis immediatè producuntur per actiones immanentes: si enim producerentur per actiones transeuntes, essent creaturæ; siquidem ea, quæ producuntur per operationes transeuntes, sunt extra Deum; atqui actiones Dei immanentes non aliæ sunt, quam intellectio & volitio, quæ quidem (ut patet) non ab aliis potentiis, quam intellectu & voluntate producuntur.

Objicies. Principium *Quo proximum* divinarum processionum, non debet esse commune omnibus personis SS. Trinitatis. Si enim sit commune, singulæ personæ producent alias personas: nimirum productiones in divinis, licet sint voluntariæ, sunt tamen necessariæ; ac proindè si in singulis sit principium *Quo proximum* processionum, singulæ producent alias personas; atqui intellectus & voluntas sunt communes omnibus personis SS. Trinitatis: ergo non sunt principium *Quo proximum* processionum divinarum.

 Resp.

Resp. dist. maj. Principium *Quo proximum*, sumptum relative, non debet esse commune omnibus personis SS. Trinitatis, conc. maj. sumptum absolute, neg. maj. Intellectus & voluntas sumpta absolute, sunt quidem communia omnibus personis SS. Trinitatis; sed non sunt communia, sumpta relative: hoc posteriore, non autem priore modo sumpta, sunt principium *Quo proximum* processionum divinarum: Hoc est, intellectus præcisè prout est intellectus, non est principium *Quo proximum* divinarum processionum; sed prout connotat personam Patris.

Instabis. Intelligere Patris generat Verbum: Amare Patris & Filii, producit Spiritum sanctum: ergo à pari intelligere Filii, intelligere Spiritus sancti, debent quoque generare Verbum; Amor, quo Spiritus sanctus seipsum & alias personas amat, debet alium Spiritum sanctum producere: non enim est potior ratio, cur intelligere prout est intelligere Patris, sit principium *Quo proximum* Verbi, quam intelligere, prout est intelligere Filii, aut Spiritus sancti.

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ad 2. dicendum est, ideò intelligere, prout est intelligere Filii, aut Spiritus sancti, non producere Verbum sicut intelligere, prout est intelligere Patris, illud producit, quòd intelligere Filii, intelligere Spiritus sancti, sint substantialiter, ac realiter unū & idem cum intelligere Patris; at una & eadem actio nonnisi unum adæquatum terminum producit; ac proinde, cum Verbum propter suam infinitatem sit terminus adæquatus intellectionis Patris, non potest esse terminus intellectionis, prout est intellectio Filii, aut Spiritus sancti. Propter eandem rationem, cum Spiritus sanctus sit terminus adæquatus amoris, quo Pater & Filius sese mutuò diligunt, non potest esse terminus amoris, quo Spiritus sanctus se ipsum ac alias SS. Trinitatis personas prosequitur.

ARTICULUS II.

Utrum essentia divina sit principium Quo *remotum divinarum processionum.*

CONCL. Essentia divina est principium *Quo remotum* divinarum processionum.

Probatur. Illud est principium *Quo remotum* divinarum processionum, in quo virtus earum remotè continetur, atqui virtus processionum divinarum remotè continetur in essentia divina: Siquidem id, quod proximè continetur in potentiis alicujus essentiæ, remotè continetur in essentia: ideò enim est in potentiis, quòd essentia exigat illud habere: sic ideò intellectus, & voluntas hominis habent virtutem intelligendi & amandi, quia hominis natura exigat intelligere & amare; atqui ex dictis in prima conclusione, virtus divinarum processionum proximè continetur in potentiis divinis, intellectu & voluntate: ergo remotè continetur in essentia divina.

Confirmatur argumento S. Thomæ 1. p. q. 4. art. .... Illud est principium *Quo remotum*, divinarum processionum, cui assimilantur illarum termini: Siquidem terminus semper est similis principio à quo producitur: quælibet enim natura exigit producere sibi simile; sic homo genitus, est in humana natura similis naturæ producenti, quæ est illius principium; atqui termini divinarum processionum assimilantur naturæ divinæ: nimirùm, quilibet est Deus: ergo essentia seu natura divina, est principium *Quo remotum* divinarum processionum.

Objicies. Quod nec generat nec generatur, non est principium aut terminus divinarum processionum: atqui essentia divina nec generat nec generatur: nam in Concilio Lateranensi IV. quod anno 1215. habitum est sub Innocentio Papa III. damnatus est libellus, quo Abbas Joachim asseruerat, essentiam & generare & generari.

Ut vis argumenti pateat, describenda est tum libelli, tum damnationis historia.

Libello occasionem dederat dictum Petri Lombardi, qui libro 1. Sententiarum, distinct. 5. hæc scripserat: *Catholicis tractatoribus consentientes dicimus, quòd nec Pater divinam essentiam genuit, nec divina essentia genuit Filium, nec divina essentia genuit essentiam. Hic autem nomine essentiæ intelligimus divinam naturam, quæ communis est tribus personis, & ita in singulis.*

Libellus ille prodierat in lucem sedente Alexandro Papa III. *Scripsit etiam* (inquit Matthæus Paris in Historia Anglicana anno 1179.) *Alexandri diebus contra eundem Petrum Lombardum Abbas Joachim Florensis Cœnobii* (ordinis Cisterciensis in Calabria) *libellum, vocans eum hæreticum & insanum, quòd, &c.* Lis, quam dictus Abbas adversus Lombardum moverat, indecisa remansit usque ad Innocentium III. *Stetit autem* (verba sunt ejusdem Matthæi Paris) *hac indeterminata altercatio à diebus Alexandri Papæ usque ad tempora Innocentii Papæ per annos multos, sedentibus inter eos in Cathedra Romana Lucio III. Gregorio VIII. Clemente III. & Celestino III. Pontificibus Romanis.* Verùm Innocentius III. ejusmodi liti finem imposuit in Concilio Lateranensi IV.

Et sanè quartum Concilium Lateranense proscripsit 1. libellum, de quo agitur: *Damnamus ergo* (verba sunt capituli secundi) *& reprobamus libellum, sive tractatum, quem Abbas Joachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum de unitate, seu essentia Trinitatis, appellans ipsum hæreticum, & insanum, pro eo quod in suis dixit Sententiis, Quoniam quædam summa res est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens; Unde asserit, quod ille non tam Trinitatem, quàm quaternitatem adstruebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communem essentiam quasi quartam.*

2. Refert ejusdem Abbatis doctrinam, Lombardi dictis planè contrariam: *Manifestè profitetur, quod nulla res est quæ sit Pater, & Filius & Spiritus sanctus, nec est essentia, nec substantia, nec natura, quamvis concedat, quod Pater & Filius, & Spiritus sanctus sunt una essentia, una substantia, unaque natura.*

3. Asserit, eundem Abbatem Joachimum inter Trinitatis personas non aliam unitatem admisisse, quam unitatem impropriam, ei similem, quæ inter multos homines reperitur: *Verùm unitatem hujusmodi non veram, & propriam, sed quasi collectivam & similitudinariam esse fatetur, quemadmodum dicuntur multi homines unus populus, & multi fideles una Ecclesia, juxta illud: Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.*

4. Asserit, tenendum esse dogma, quod Joachimus Abbas damnaverat in Petro Lombardo: *Nos autem, sacro & universali Concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quòd una quædam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres simul personæ, ac singulatim quælibet earumdem.*

5. Rationem reddit, cur inde non sequatur admitti debere quaternitatem; *Et ideo in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas, quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est universorum principium, præter quod, aliud inveniri non potest.*

6. Docet, unam illam rem nec generare nec generari: *Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.*

7. Exponit, qua ratione Pater generet Filium, licèt essentia nec generet nec generetur: *Pater ab æterno Fi-*

lium

tinus generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi, majus est omnibus; Ac dici non potest, quòd partem suæ substantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi..... Nec dici potest, quòd Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quòd non retinuerit eam sibi.

8. Solvit argumentum Abbatis Joachimi, docetque, verba Scripturæ, quæ ab ipso laudata fuerant pro adstruenda in divinis unitate impropria, locum habere quidem in creatis, non autem in divinis: *Cum ergo Veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat: Volo (inquiens) ut ipsi sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus: hoc nomen unum, pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia; pro personis verò divinis, ut attendatur identitatis in natura unitas.* Solutionem a se datam confirmat alio Scripturæ testimonio: *Quemadmodum Veritas alibi ait: Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est: ac si diceret manifestiùs: Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cœlestis perfectus est perfectione naturæ: utraque videlicet suo modo, quia inter creatorem & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.*

9. Prohibet sub anathematis pœna, ne quis doctrinam Abbatis Joachimi audeat approbare: *Si quis igitur sententiam, sive doctrinam præfati Joachim, in hac parte defendere, vel approbare præsumpserit, tanquam hæreticus ab omnibus confutetur.*

10. Tandem asserit, Abbatem Joachimum nullatenus hæreticum fuisse: *Cum* (inquit) *idem Joachim omnia scripta sua nobis assignari mandaverit, Apostolicæ sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda, dictans epistolam, cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, mater est & magistra.*

Ex iis, quæ hucusque relata sunt ex Concilio Lateranensi IV. patet 1. libellum Abbatis Joachim damnatum fuisse, quòd in eo assereretur reprobari debere doctrinam Petri Lombardi contendentis, in Trinitate esse rem summam, quæ nec gignat, nec gignatur. Patet 2. definitum fuisse tanquam fidei articulum, summam illam rem, quæ est essentia divina, nec generantem, nec genitam, nec procedentem esse: ac proinde essentia divina non est principium *Quo remotum* divinarum processionum.

Respondent nonnulli ad 1. negando min. Ad 2. distinguunt ant. Concilium Lateranense definiit, essentiam non generare tanquam principium *Quod*, concedunt ant. tanquam principium *Quo*, negant ant.

Confirmant Authores illi suam responsionem ex ipsomet Lateranensi Concilio, quod quidem ubi declaravit, essentiam divinam nec generare, nec generari, nec procedere, statim subjicit verba, quæ probant, hanc illius definitionem: *Essentia non est generans, neque genita, neque procedens*, ad solum principium *Quod*, restringi: *Sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, Spiritus sanctus, qui procedit.*

Confirmant iterùm ex scopo Concilii. Sacra Synodus (inquiunt) definiit, essentiam nec esse generantem, nec genitam, neque procedentem in sensu, quo Joachimus Abbas in suo libello contenderat, eam esse generantem, genitam, ac procedentem: contenderat verò, eam esse generantem tanquam principium *Quod*: Siquidem asseruerat, essentiam non esse quid unum commune tribus personis; id autem quod non est commune generanti & genito, non est principium *Quo*, sed principium *Quod*; nempe generans, vi actionis generativæ, debet sibi assimilare genitum in principio *Quo*, hoc est, in natura, per quam generat; imperfectè verò, seu secundùm identitatem individualem & numericam, cum generatio, ut est in divinis, est perfectissima. Hinc autem patet maximum esse discrimen inter generationis principium *Quod*, & principium *Quo*: Illud nimirùm debet esse necessariò distinctum realiter a suo termino, ut sunt Pater & Filius, non verò istud; unde essentia, quæ est in Patre, est idem realiter cum Filio genito, & cum Spiritu sancto procedente.

Respondent 2. alii Theologi ad argumentum, quod objectum est, concessa majore, negando minorem. Ad ejus probationem, distinguunt ant. Concilium Lateranense definiit essentiam, sumptam in abstracto, nec esse generantem, nec genitam, nec procedentem, concedunt ant. sumptam in concreto, subdistinguunt, nec esse generantem, nec genitam, accipiendo generationis nomen strictè, concedunt antecedens; accipiendo latè, negant antecedens.

Joachimus Abbas (inquiunt) censuerat, Petrum Lombardum in hisce verbis, *Summa res est Pater, Filius & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens*, sumere rem illam summam, seu essentiam, in abstracto, hoc est, præcisam a Patre, Filio, & Spiritu sancto; unde concluserat, Lombardum adstruxisse non trinitatem, sed quaternitatem, quæ constaret ex tribus personis & summa illa re, quæ nec esset generans, nec genita. Eam verò rem summam, seu essentiam, sic acceptam, Concilium Lateranense definiit nec generantem esse, nec genitam, nec procedentem, quia de facto sic accepta, non existit realiter: essentia quippe realiter est idem cum tribus personis, nec cum illis (contra quod tamen anxit Joachimus) venit in numerum.

Præterea (addunt iidem Authores) Concilium non definiit solùm, essentiam in illo abstractionis statu non esse generantem; sed præterea definiit, eam etiam in concreto sumptam, nec generare, nec esse genitam, accipiendo strictè generationis nomen, seu pro actione, quæ genito tribuat existentiam, ut fit in creatis, in quibus generans & genitum distincta sunt realiter; verùm non definiit, eam in concreto sumptam, seu in personis modificatam, non esse generantem, aut genitam, aut procedentem, sumendo latè generationis nomen, nimirùm pro actione, per quam communicatur natura, quæ priùs prioritate non quidem reali, sed rationis tantum, existit. Et sanè sacra Synodus unum tantùm sibi proposuit, scilicet damnare voluit sensum, quem Joachimus Abbas huic sententiæ: *Essentia generat & generatur*, adscribebat: contendebat verò, essentiam in concreto sumptam, seu prout est in Patre, generare essentiam in Filio, sumendo strictè generationis nomen, seu, pro actione, quæ tribueret existentiam essentiæ Filii. Ratio est, quia Joachimus Abbas asserebat, essentiam Patris esse numero distinctam ab essentia Filii; ac proinde necesse erat, ut assereret, essentiam Filii, quæ ab essentia Patris propriè generaretur (cum esset ab ea distincta) existentiam ab ea accipere: quod quidem est hæreticum. Vide hanc responsionem fuse pertractatam apud Petavium, de Trinitate libro sexto.

ARTICULUS III.

Utrum Relationes sint principium Quo *divinarum processionum.*

Not. 1. NOmine relationum hic intelliguntur Paternitas, Filiatio, & Spiratio activa: quæritur, utrum ejusmodi relationes sint virtus, per quam Pater generat Verbum, & per quam idem Pater cum Filio spirat Spiritum sanctum.

Not. 2. Circa propositam difficultatem tres sunt Scholasticorum sententiæ. *Prior* docet, relationes paternitatis, & spirationis activæ esse solum principium *Quo* tum proximum, tum remotum divinarum processionum. *Altera* contendit, paternitatem & spirationem acti-

activam esse principium inadæquatum earumdem processionum, ita ut ex æquo ad illas cum essentia, intellectu, ac voluntate divina concurrant. *Tertia* tandem asserit, relationes non esse principium, sed meram conditionem ad processiones requisitam; & hæc ultima sententia est Thomistarum post Doctorem Angelicum 1.p. q.41. art.5.

CONCLUSIO 1. Relationes paternitatis & spirationis activæ, non sunt adæquatum & solum principium *Quo* processionum divinarum.

Probatur. Ex dictis duobus præcedentibus articulis, essentia divina est principium *Quo* remotum; intellectus & voluntas sunt principium *Quo* proximum processionum divinarum: ergo falsò asseritur, relationes paternitatis & spirationis activæ, esse solum earum adæquatum principium *Quo*, sive remotum, sive proximum.

CONCLUSIO 2. Relationes paternitatis & spirationis activæ non sunt, etiam inadæquatum ac partiale, principium *Quo* divinarum processionum.

Probatur. Principium *Quo*, est illud, per quod agens producit sibi simile: nam propter eam rationem natura humana est principium *Quo* generationis humanæ; atqui relationes paternitatis & spirationis activæ non sunt id, per quod agens, seu Pater, seu Filius, producit sibi simile: revera enim nec Filius est similis Patri in ratione paternitatis, cum non sit Pater, nec Spiritus sanctus est similis Patri aut Filio in ratione spirationis activæ, cum ipse alium Spiritum minimè spiret. Confirmatur argumentum. Per id personæ SS. Trinitatis non producunt sibi simile, per quod distinguuntur realiter: atqui sic distinguuntur per relationes: ergo, &c.

Objicies 1. Illud solum est principium processionum, ratione cujus principium productivum & illius termini realiter distinguuntur; atqui principium productivum & illius termini distinguuntur tantùm ratione relationum paternitatis & spirationis activæ: ergo relationes sunt solum principium divinarum processionum. Major videtur vera; siquidem principium productivum & illius termini debent esse realiter distincta; neque enim aliquid potest semetipsum producere. Minor non minùs est certa, scilicet, Pater, qui est principium Filii, non distinguitur à Filio, nisi ratione paternitatis; & similiter Filius non distinguitur a Spiritu Sancto, nisi ratione spirationis activæ.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Principium productivum *Quod*, & illius termini debent esse a se invicem realiter distincta, conc. ant. sic Pater, eò quòd Filii sit principium productivum *Quod*, realiter distinguitur a Filio: Principium productivum *Quo*, neg. ant. Ratio est, quia principium productivum *Quo* remotum, ut jam superiùs observatum est, est forma, in qua terminus productus redditur similis principio *Quod* producenti: sic in homine natura humana est principium *Quo* remotum generationis humanæ, quia individuum genitum redditur simile homini generanti, seu principio *Quod*, in humana natura. Ea verò forma in creatis non reddit terminum perfectè similem principio generanti, sed tantùm ratione speciei: ècontra in divinis reddit terminum perfectè similem in natura divina, ac proinde non efficit tantùm identitatem specificam in natura, sed etiam individualem & numericam.

Objicies 2. Illud solum est principium processionum in divinis, per quod Pater & Filius constituuntur formaliter in esse principii; atqui Pater & Filius constituuntur formaliter in esse principii per relationes paternitatis & spirationis activæ: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. siquidem Pater & Filius constituuntur in esse principii *Quo*, per essentiam, per intellectum ac voluntatem: per relationes verò paternitatis & spirationis activæ, constituuntur in esse supposi ti ac personæ, ut subsequenti conclusione dicetur.

Objicies 3. Si personæ non constituerentur in ratione principii productivi per relationes, in ea constituerentur per aliquid absolutum; non enim in divinis datur medium inter relativum & absolutum; atqui personæ non constituuntur in ratione principii productivi per aliquid absolutum: in ea nimirum suppositione, Spiritus sanctus esset principium productivum, cum nihil absolutum sit in Patre aut in Filio, quod in Spiritu sancto non reperiatur.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ratio est, quia principium productivum, adæquate sumptum, duo dicit, unum, quod præcipue & in recto significatur per potentiam producendi; & alterum, quod per eam minùs præcipuè & in obliquo tantum significatur. Id verò, quod significatur in recto & magis præcipuè, est essentia divina; id è contra quod significatur in obliquo & minùs præcipuè, est relatio, seu connotatio ad certam personam; cum autem in qualibet persona non sit ejusmodi connotatio, mirum non est, quòd quælibet non sit principium productivum, sumendo principium productivum adæquatè, seu tam pro eo, quod dicit in recto, quàm pro eo, quod dicit in obliquo. Solutio illa est S. Thomæ, qui 1.p. q.41. art.5. ad 3. sic loquitur: *Ad tertium dicendum, quòd cum dico potentiam generandi, potentia significatur in recto, & generatio in obliquo, sicut si dicerem essentiam Patris. Unde quantùm ad essentiam, quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis: quantùm autem ad notionem, quæ connotatur, propria est personæ Patris.*

Objicies 4. Illud est principium *Quo* divinarum processionum, per quod Pater constituitur Pater, & Filius constituitur Filius: sicut illud est principium *Quo* creationis, per quod Deus constituitur Creator: Atqui Pater constituitur Pater, & Filius constituitur Filius per aliquid relativum, non autem per aliquid absolutum: ergo principium *Quo* divinarum processionum est aliquid relativum.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia id, per quod Pater constituitur Pater, distinguitur a termino generationis: at principium *Quo* generationis distingui non debet a suo termino secundùm speciem in rebus creatis, nec secundùm numerum in divinis, eò quòd principium *Quo* generationis tendat ad reddendum terminum sibi similem, & quidem perfectè, si generatio, ut in divinis contingit, sit perfectissima.

CONCLUSIO 3. Principium *Quo* divinarum processionum includit relationem tanquam conditionem, per quam modificetur.

Probatur 1. Illud non est principium *Quo* divinarum processionum sine relatione, quod abstractum a relationibus nec generat nec producit: atqui (ut superiùs adversùs Joachimum Abbatem ostensum est) natura, seu essentia, abstracta a relationibus nec generat, nec producit: ergo principium *Quo* divinarum processionum (quod quidem, ut dictum est, non aliud est, quam natura) includit relationem tanquam conditionem, per quam modificetur.

Confirmatur ex eo, quòd principium *Quo* includat aliquid, per quod producens aliquo modo distinguatur a producto: neque enim idem potest esse sui ipsius principium: atqui id, per quod producens distinguitur a producto, non est natura, cum natura ex se tendat ad reddendum terminum productum sibi similem, & revera eadem sit numero in singulis SS. Trinitatis personis; ergo principium *Quo* in divinis includit relationem. Hincque patet, cur in Patre natura generet, non autem in Filio; cur in Patre & Filio spiret, non autem in Spiritu sancto. Vide Concilium Lateranense IV. cap. *Damnamus.*

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Utrum processiones in divinis sint voluntariæ.

Not. 1. QUæstio, an processiones in divinis sint voluntariæ, movetur a Theologis, ut solvant argumentum, quo hæretici, Verbi ac Spiritus sancti divinitatem impugnabant: qua arte illud proponerent, quave ratione Catholicus quidam illud alias solverit, Augustinus libro 15. de Trinitate hisce verbis enarrat: *Acutè sanè quidam respondit hæretico versutissimè interroganti, utrum Deus Filium volens, an nolens genuerit: ut si diceret, nolens, absurdissima Dei miseria sequeretur: si autem, volens, continuo quod intendebat, velut invicta ratione, concluderet, non naturæ esse Filium, sed voluntatis. At ille vigilantissimè vicissim quæsivit ab eo, Utrum Deus Pater, volens an nolens, sit Deus: ut si responderet, nolens, sequeretur illa miseria, quam de Deo credere magna insania est: si autem diceret, volens, responderet ei: ergo & ipse, Deus est sua voluntate, non natura.*

Not. 2. SS. Patres (ut videre est apud Augustinum lib. 3. contra Maximinum cap. 3.) nonnunquam asseruerunt, divinas processiones esse voluntarias, aliquando verò (ut apud eundem Augustinum lib. 15. de Trinitate, cap. 20. videre est) negaverunt, esse voluntarias: utrumque illum dicendi modum niti veritate, patebit ex iis, quæ in subsequenti nota proponentur.

Not. 3. Aliquid dici potest voluntarium duobus modis. Uno modo (inquit Sylvius 1. p. quæst. 41.) voluntate concomitante, sicut aliquis dicitur voluntariè homo, quia vult, eique placet, quòd sit homo. Alio modo, voluntate antecedente, hoc est voluntate, quæ se habeat per modum principii productivi: eo sensu amor est voluntatis, quia est a voluntate tanquam à principio sui productivo.

CONCLUSIO 1. In divinis processiones sunt voluntariæ voluntate concomitante.

Probatur. Ex observatis, illud est voluntarium voluntate concomitante, quod placet, quod non fit ab invito: atqui processiones divinæ placent, nec fiunt ab invito: Nam 1. cuilibet enti placet id, quod confert ad illius perfectionem, ac proindè cum ad Dei perfectionem processiones multùm conferant, necesse est, eas Deo infinitè placere. 2. Divinæ processiones sunt generatio Verbi, & Spiratio Spiritus sancti: sed nec ea generatio, nec ea spiratio ab invitis fiunt; neque enim Pater non vult generare Filium, nec Pater & Filius nolunt spirare Spiritum sanctum. Confirmatur ex Concilio Sardicensi, quod quidem apud Hilarium lib. de Synodis, anathemate damnavit eos, qui dicerent, *quod neque consilio, neque voluntate Pater genuerit Filium.* Confirmatur iterùm ex Concilii Syrmiensis canone 25. cujus (eodem Hilario teste) hæc sunt verba: *Si quis nolente Patre natum dicit Filium, anathema sit.*

CONCLUSIO 2. Generatio Verbi non est voluntaria voluntate antecedente.

Probatur. Ex observatis, illud solum est voluntarium voluntate antecedente, quod oritur a voluntate tanquam a principio: atqui generatio Verbi non oritur a voluntate tanquam a principio: neque enim (ut superiùs ostensum est) Verbum à voluntate, sed ab intellectu tanquam à principio *Quo*, immediate procedit.

Objicies. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 20. scribit, nonnullos non ausos fuisse dicere, Verbum esse de consilio & de voluntate Patris, ne cogerentur ipsum appellare filium consilii & voluntatis Patris: *Quidam ne Filium consilii, vel voluntatis Dei dicerent unigenitum Verbum, ipsum consilium, seu voluntatem Patris idem Verbum esse dixerunt.* Addit, placere sibi magis oppositum loquendi modum: *Sed meliùs, quantùm existimo dicitur consilium de consilio, & voluntas de voluntate, sicut substantia de substantia, sapientia de sapientia:* ergo ex Augustino, generatio Verbi est voluntaria voluntate antecedente, seu oritur a voluntate tanquam a principio.

Resp. dist. ant. Verbum, ex Augustino, dicitur voluntas de voluntate, veluti tanquam causa materiali, conc. ant. tanquam causa productiva, neg. ant. Ratio est, quia Augustinus eum loquendi morem, *voluntas de voluntate*, usurpat adversùs Arianos, qui asserebant, Verbum ex nihilo, ex non extantibus, a Patre productum fuisse, cum econtra Catholici contenderent, ipsum ex ipsa substantia, ex ipsa voluntate ac sapientia Patris, hoc est ipsa paternæ substantiæ, voluntatis & sapientiæ communicatione, produci nunc, ac ab æterno productum fuisse. Illi rationi robur additur ex ipsomet Augustino, qui ibidem expressè scribit hæreticos abuti solitos fuisse hac loquendi ratione, *Verbum est voluntas, Consilium, Sapientia Patris*, quasi Pater habeat a Filio voluntatem, consilium, ac sapientiam: *Ne* (ait ibidem Augustinus) *absurditate illa, quam jam refellimus, Filius dicatur Patrem facere sapientem, vel volentem, si non habet Pater in substantia sua consilium, vel voluntatem.*

CONCLUSIO 3. Productio Spiritus sancti est voluntaria voluntate antecedente.

Probatur. Ex observatis, illud est voluntarium voluntate antecedente, quod oritur a voluntate tanquam a principio: atqui processio Spiritus sancti ab ea sic oritur: nempe sicut Verbum generatur a Patre per infinitam sui cognitionem: ita (ut superiùs ostensum est) Spiritus sanctus producitur per infinitum amorem, quo Pater & Filius sese mutuò prosequuntur.

Objicies. Quod est voluntarium voluntate antecedente, est liberum; atqui processio Sancti Spiritus non est libera: alioquin posset non esse: nempe liberum definitur, Quod est indifferens ad esse, aut ad non esse: ergo, &c.

Respondet nonnulli negando min. ad cujus probationem, negant, liberum rectè definiri; *Quod est indifferens ad esse, aut ad non esse*: scilicet volunt, libertatem, si sumatur secundùm essentiam, non verò secundùm statum, hoc est, prout in homine per peccatum corrupto reperitur, nihil aliud dicere, quàm volitionem elicitam cum plena rationis advertentia, unde concludunt, quòd licet liberum non stet cum necessario naturali (ut sunt in homine corruptò primi motus concupiscentiæ) stet tamen cum necessario, quod plena rationis advertentia comitatur; ac proinde (inquiunt) cum Pater generet Verbum cum plena rationis advertentia; cum Pater, & Filius cum eadem advertentia rationis producant Spiritum sanctum, Verbum liberè, licet necessariò, generatur a Patre, & Spiritus sanctus libere a Patre & Filio spiratur, quamvis necessariò ab iis producatur. Sed utrum illorum Theologorum sententia veritate nitatur, expendemus agentes de actibus humanis. Satis est, ut hic moneamus, voluntarium necessarium, quamvis eliciatur ex plena, ac integra rationis advertentia, non sufficere ad merendum aut demerendum in statu naturæ lapsæ, sed præterea requiri immunitatem a necessitate, non tamen à determinatione causæ superioris, sive sit, in rebus quidem ordinis naturalis, præmotio physica, sive sit, in rebus, quæ spectant ad salutem, auxilium efficax ab intrinseco & ex natura sua; unde Innocentius Papa X. cui subscripserunt omnes Orbis Ecclesiæ, meritò tanquam hæreticam, in sensu obvio (ut loquitur Innocentius Papa XII. in suo Brevi ad Belgarum Episcopos exponens ejusdem Innocentii X. & Alexandri VII. de quinque famosis propositionibus constitutiones) meritò, inquam, tanquam hæreticam damnavit hanc propositionem, *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à*

necessita-

necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Respondendum est igitur ad argumentum, dist. maj. Quod est voluntarium voluntate antecedente, eligente, est liberum, conc. maj. non eligente, neg. maj. Productio sancti Spiritus est a voluntate antecedente per modum principii naturalis, hoc est, per modum principii, quod ipsi necessariò tribuit esse; sed non est à voluntate eligente: ut enim sit electio, requiritur, ut id, quod eligitur, possit non eligi: id autem (ut patet) locum non habet aut in generatione Verbi, aut in productione Spiritus sancti.

DISSERTATIO TERTIA.

De Relationibus Divinis.

Not. 1. EX Logicis, Relatio est habitudo unius ad aliud. Dividitur in relationem rationis, & in relationem realem. Prior est quæ fit per operationem mentis, unum cum alio comparantis: Realis e contra est ea, quæ reperitur in subjecto independenter ab operatione mentis.

Not. 2. De posteriore illa relationis specie, seu de relationibus realibus, quæremus 1. utrum sint in Deo; 2. quantus sit earum numerus; 3. quomodo ab invicem distinguantur; 4. an essentia sit de conceptu relationum, & vicissim an relationes sint de conceptu essentiæ; 5. an relationes sint perfectiones; 6. utrum quælibet relatio propriam habeat existentiam; 7. tandem utrum in divinis sit absoluta subsistentia.

QUÆSTIO I.

Utrum in Deo sint relationes.

CONCL. 1. DAntur in Deo relationes:

Probatur 1. Dantur in Deo Paternitas, Filiatio, & Spiratio, quia (ut suo loco probatum est adversùs Sabellium) dantur in Deo Pater, Filius, & Spiritus sanctus: atqui Paternitas, Filiatio, & Spiratio sunt relationes: siquidem, ex observatis, relatio est habitudo unius ad aliud; sed paternitas, filiatio, & spiratio sunt ejusmodi: nempè paternitas essentialiter refertur ad filiationem, neque enim Pater concipi potest sine Filio, nec Filius sine Patre, nec Spiritus sanctus sine principio, à quo realiter procedit.

CONCLUSIO 2. Relationes, quæ in divinis admittuntur, sunt reales.

Probatur 1. Ex observatis, illæ relationes sunt reales, quæ existunt independenter à creatæ mentis operatione; atqui relationes, quæ in Deo reperiuntur, existunt independenter à creatæ mentis operatione: nemine scilicet cogitante, Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva, sunt in Deo, quia nemine cogitante, in Deo sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus: ergo pariter in eo sunt nemine cogitante, Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva; sunt enim formæ, per quas Pater, Filius & Spiritus sanctus constituuntur.

Probatur 2. Datur realiter in Deo id, per quod personæ Patris, Filii, & Spiritus sancti realiter distinguuntur; atqui id non aliud est, quam relationes: siquidem non potest esse natura, cum omninò eadem sit in singulis personis: ergo sunt relationes.

Confirmatur argumentum ex Concilii Florentini sessione 18. in qua Theologus, qui Latinorum partes agebat, sic discurrit: *Sola relatio apud omnes tam Græcos quam Latinos Doctores, divina processione personas multiplicat.* In Concilio Toletano XI. hæc etiam in fidei professione leguntur: *In relativis personarum nominibus, Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrumque refertur. Quæ cum relativè tres personæ dicantur, una tamen naturalis substantia creditur.* Ex iis tum Florentini, tum Toletani Concilii textibus sic confici potest argumentum: Quod personas in divinis realiter multiplicat, id, per quod personæ referuntur ad invicem, id, per quod constituitur personarum numerus, datur in Deo realiter; atqui ex Concilio Florentino, & ex Concilio Toletano, relationes in divinis realiter multiplicant personas, per relationes personæ ad invicem referuntur, per relationes constituitur, numerus personarum: *In relatione* (inquit Concilium Toletanum XI.) *personarum numerus cernitur*: ergo, &c.

Probatur 3. Ibi dantur relationes reales, ubi reperiuntur reales processiones: siquidem realis processio est origo unius ab alio: ex reali autem origine unius ab alio, relationes necessariò sequuntur; habitudines nempè principii ad principiatum, & vicissim principiati ad principium: atqui (ut dissertatione 2. demonstratum est) in Deo reperiuntur reales processiones, Filii nimirùm à Patre, & Spiritus sancti à Patre & Filio.

Objicies 1. Id in Deo non reperitur realiter, quod redderet personas a se invicem dependentes, quia, cum unaquæque persona sit Deus, a se invicem dependere non possunt; est enim de essentia Dei, ut sit ab omni alio prorsùs independens: atqui relationes redderent personas a se invicem dependentes: scilicet relationis extrema (ut forent personæ) à se invicem dependent: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Extrema relationis a se invicem dependent per modum simplicis termini, conc. ant. ex suppositione nimirùm quòd inter duo sit mutua relatio transcendentalis, unum non potest esse sine alio: Penderent per modum effectus, aut per modum causæ, neg. ant. Relationes quæ reperiuntur in divinis, efficiunt quidem, ut personæ, quæ sunt earum termini, sibi invicem coexistant: siquidem ex suppositione quòd Deus sit pater, necesse est, ut habeat filium; sed non efficiunt, ut personæ a se invicem pendeant, tanquam effectus à causa pendet, quia (ut supra dictum est) producuntur actionibus, per quas unicuique personæ productæ communicatur eadem numero natura, quæ in Patre reperitur, ac proinde natura prorsùs independens.

Objicies 2. Relatio realis præsupponit extrema realiter distincta: atqui relationes in divinis non præsupponunt extrema realiter distincta: nam illud non præsupponit extrema realiter distincta, quod efficit realem extremorum distinctionem: atqui relationes in divinis efficiunt extremorum à se invicem distinctionem: scilicet in divinis extrema, seu personæ, non distinguuntur per essentiam, sed tantùm per relationes: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Relatio in creatis præsupponit extrema realiter distincta, conc. maj. in divinis, neg. maj. Ratio disparitatis est, quia relationes, quæ in Creaturis reperiuntur, sunt accidentia; ac proinde supponunt subjectum, cui inhærent, priùs existens: econtra in divinis, relationes non sunt accidens, sed substantia; & consequenter non supponunt suum subjectum præexistens; unde non per aliud, sed pe seipsas, a se invicem distinguuntur.

Objicies 3. Relatio est ordo unius ad aliud: atqui in Deo non est ordo unius ad aliud; quidquid enim est in Deo, Deus est. Confirmatur ex Concilio Lateranensi IV. quod quidem capitulo 2. sic loquitur: *Licèt igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus; non tamen aliud, sed id, quod est Pater, est Filius & Spiritus sanctus: idem omnino, ut secundùm orthodoxam & catholicam fidem consubstantiales esse credantur.*

Resp. dist. maj. Relatio est ordo unius ad aliud, sumendo vocem, *Aliud*, aut adjectivè aut substantivè, conc. maj. sumendo substantivè tantùm, neg. maj. Vox,

Aliud,

Aliud, accepta *substantivè*, distinctam essentiam significat; adjectivè verò sumpta dicit distinctam personam. Priore sensu vox *Aliud*, admitti non debet in divinis, sed in eis locum habet accepta posteriore sensu, nempe prout significat personas a se invicem distinctas.

Objicies 4. Relationes non possunt dici realiter de subjecto, nisi aut secundùm substantiam, aut secundùm accidens: sed neutro modo sunt in Deo: Non quidem secundùm substantiam; cum enim relationes efficiant distinctionem, efficerent, ut essentia divina non eadem esset in singulis personis: Non etiam secundùm accidens, quia accidentia locum non habent in Deo, alioquin non esset actus purus, non esset ens omninò simplex, ac immutabile.

Resp. 1. illud argumentum ab Arianis olim fuisse propositum adversùs Catholicos: *Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur* (inquiunt apud Augustinum lib. 5. de Trinitate, cap. 3.) *non secundùm accidens, sed secundùm substantiam dicitur: Quapropter ingenitum esse Patri, secundùm substantiam est, & genitum esse Filio, secundùm substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, & genitum esse: diversa est ergo substantia Patris, & Filii.*

Resp. 2. neg. maj. Ratio est, quia inter dici secundùm substantiam, aut dici secundùm accidens, datur medium, nimirùm dici secundùm esse relativum: nam esse relativum præcise ut relativum, abstrahit à substantia, aut accidente. Quippè nihil aliud dicit in suo conceptu, quam referre unum ad aliud.

Quod mox traditum fuit responsum, desumptum est ex Augustino: *Si* (inquit lib. 5. de Trinitate, cap. 3) *quidquid de Deo dicitur, secundùm substantiam dicitur, ergo quod dictum est, Ego & Pater unum sumus, secundùm substantiam* (quod tamen negabant Ariani) *dictum est. Una est igitur substantia Patris, & Filii. Aut si hoc non secundùm substantiam dictum est, dicitur ergo aliquid de Deo non secundùm substantiam, & ideo jam non cogimur secundùm substantiam intelligere ingenitum, & genitum.* Ubi S. Doctor ostendit, non omnia de Deo dici secundùm substantiam, demonstrat nihil prorsùs de eo dici secundùm accidens: *Accidens* (ait cap. 4.) *non solet dici, nisi quod aliqua mutatione ejus rei, cui accidit, amitti potest..... Nihil itaque accidens in Deo, quia nihil mutabile, aut amissibile.* Verùm si nonnulla sint, quæ in Deo dicantur, nec tamen dicuntur, aut secundùm substantiam, aut secundùm accidens, qua ratione dicuntur? Augustinus respondet, dici secundùm esse relativum: *Dicitur enim ad aliquid* (ait cap. 5.) *sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quod non est accidens, quia & ille semper Pater, & ille semper Filius.* Illud autem, *Ad aliquid* S. Doctor sub finem capitis vocat esse relativum: *Quamobrem quamvis diversum sit, Patrem esse, & Filium esse, non est tamen diversa substantia, quia hæc non secundùm substantiam dicuntur, sed secundùm relativum, quod tamen relativum non est accidens, quia non est mutabile.* Ad pleniorem eorum, quæ huc-usque dicta sunt, intelligentiam, vide totum ejusdem Augustini librum quintum de Trinitate.

QUÆSTIO II.

Quot sint relationes in Divinis.

Not. Certum est, nullam esse in Deo relationem realem ortam ex eo, quòd entia fluxæ, ac labentis naturæ creaverit, & nunc etiam conservet: nam licet creaturæ realiter in Deum referantur, ipse tamen ad eas non refertur per relationem, quæ in eo sit, sed tantùm per actionem transeuntem, quæ in eisdem creaturis recipitur. Status igitur quæstionis est de relationibus, quæ inter divinas personas reperiantur.

CONCLUSIO 1. Quatuor sunt in Deo relationes reales.

Probatur 1. Tot sunt in Deo relationes reales, quot sunt ordines, seu respectus: nempè relatio definitur, Ordo, seu respectus unius ad aliud: Sed in Deo quatuor sunt ordines, seu respectus, Paternitas nimirùm, Filiatio, Spiratio activa, & Spiratio passiva: necessariò enim Paternitas refertur ad Filiationem, Filiatio ad Paternitatem, Spiratio activa ad Spirationem passivam, & vicissim Spiratio passiva ad Spirationem activam.

Objicies. Si essent in Deo quatuor relationes reales, esset in eo non trinitas, sed quaternitas; atqui non est in Deo quaternitas. *In Deo* (inquit IV. Concilium Lateranense capitulo 2.) *trinitas est solummodo, non quaternitas*: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia spiratio activa, quæ non aliud est, quam actio productiva Spiritus sancti, non distinguitur realiter a paternitate, aut filiatione; ac proinde quartam rem in Deo non constituit.

CONCLUSIO 2. In Deo non plures sunt, quam quatuor relationes reales.

Probatur. Non plures sunt in Deo relationes quam quæ ex processionibus resultant; siquidem processiones sunt fundamenta relationum: atqui quatuor tantùm relationes resultant ex processionibus: nempè ex processione per intellectum, quæ generatio dicitur, resultant paternitas & filiatio: non enim potest esse generatio, quin illius principium sit Pater, & illius terminus sit Filius. Ex processione per voluntatem resultant spiratio activa & passiva; scilicet si sit principium spirans, est necessariò terminus spiratus; ac proinde est relatio inter principium spirans & terminum spiratum; & vicissim reperitur inter terminum spiratum, & principium, a quo spiratus est.

QUÆSTIO III.

De distinctione relationum à se invicem, & ab essentia divina.

Not. 1. Ex logicis, multiplex est distinctio, realis nimirùm, modalis, formalis, scotistica, virtualis, seu rationis ratiocinatæ, & tandem rationis ratiocinantis. Prior reperitur inter rem & rem; altera inter rem & ejus modum; tertia inter varias formas ad idem subjectum pertinentes; quarta inter ejusdem subjecti formas, sed cum fundamento in re, unde secundùm se est opus mentis, unum ab alio, cum quo tamen est idem realiter, distinguentis; at secundùm fundamentum est realis, seu independens est ab operatione mentis; quinta denique est opus solius rationis, objectum absque ullo fundamento in diversos conceptus dividentis.

Not. 2. Gilbertus Porretanus, Episcopus Pictaviensis, docuit, inter essentiam divinam & relationes admittendam esse distinctionem realem. Durandus contendit, inter eas reperiri distinctionē modalem: Scotus asseruit, in eis locum habere distinctionem actualem formalem: Nominales voluerunt, satis esse distinctionem rationis ratiocinantis: Thomistæ requirunt prætereà distinctionem virtualem, seu distinctionem (ut vocant) rationis ratiocinatæ, hoc est, quæ supponat reale fundamentum ex parte tum essentiæ divinæ, cum divinarum relationum.

CONCLUSIO 1. Relationes in divinis à se invicem realiter distinguuntur. Assertio hæc est de fide certa contra Sabellianos.

Probatur. Formæ, per quas personæ à se invicem realiter distinguuntur, a se invicem distinguuntur realiter; nam propter quod unumquodque tale, & illud ma-

g's: atqui relationes sunt formæ, per quas personæ a se invicem realiter distinguuntur: siquidem ideò prima persona distinguitur a secunda, quòd sit Pater; secunda quòd sit Filius, tertia quòd sit Spiritus sanctus: Sed prima, secunda, tertia persona sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus per relationes, prima nimirum per paternitatem, secunda per filiationem, tertia per spirationem passivam: ergo relationes (quæ quidem sunt paternitas, filiatio, & spiratio passiva) sunt formæ, per quas personæ SS. Trinitatis sunt Pater, Filius & Spiritus sanctus, disjunctivè.

CONCLUSIO 2. Inter essentiam divinam & relationes admitti non debet distinctio realis: est de fide contra Gilbertum Porretanum.

Probatur 1. Si relationes realiter ab essentia divina distinguerentur, in divinis non esset trinitas tantùm, sed etiam quaternitas; nimirum tres personæ, seu tres relationes, & essentia divina: Sed in divinis est trinitas tantùm, non autem quaternitas: *Et ideo* (verba sunt capituli 2. Concilii Lateranensis IV.) *in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas, quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quæ sola est Universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest*: ergo, &c.

Nec valet responsio, qua asseritur, in laudato Concilii Lateranensis IV. capitulo agi tantùm de quaternitate personarum, non autem de quaternitate rerum. Non valet (inquam) scilicet de ea quaternitate agitur, quam Joachimus Abbas contenderat sequi ex hac Petri Lombardi propositione. *Quædam summa res est, Pater, Filius & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, nec procedens*: Sed quaternitas, quam Joachimus Abbas contenderat sequi ex illa propositione, non est (ut patet) quaternitas personarum, sed quaternitas, quæ constaret ex personis & summa illa re, quam Lombardus asseruerat, nec esse generantem, nec genitam, nec procedentem.

Probatur 2. Relationes, quas (ut observatum est) Gilbertus Porretanus realiter distingui voluit ab essentia divina, non sunt ens rationis, sed ens verum ac reale: Illud autem eos ab essentia divina, in Gilberti systemate, realiter distinctum, vel esset increatum, vel creatum: Si primum, esset Deus, ac proinde idem realiter cum Dei essentia; increatum enim & Deus convertuntur: Si secundum, quælibet persona divina esset aliquid realiter compositum ex essentia divina, & aliquo ente creato, relatione nimirum: quod quidem falsum esse constat, tum ex iis, quæ harum Institutionum parte 1. diximus agentes de simplicitate Dei, tum ex articulo tertio Concilii Remensis, quod adversus Porretanum celebratum est: sic enim habet articulus ille: *Credimus, nullas omninò res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, sive unitates dicantur, adesse Deo, quæ sint ab æterno, & non sint Deus.*

Objicies 1. Relativum & absolutum non minùs distinguuntur, quam relativum & relativum, imò videtur, quòd magis debeant distingui, cum non sint ejusdem ordinis: atqui relativum & relativum in divinis distinguuntur realiter actu, siquidem in divinis relativa non aliud sunt, quam formæ, quæ personas constituunt; ac proinde cum personæ realiter a se invicem distinguantur, necesse est pariter, relativa a se invicem realiter distingui.

Resp. ad 1. neg. maj. Ratio est, quia licèt absolutum & relativum sint ordinis diversi, tamen sibi invicem non opponuntur; èconrra relativum & relativum in divinis sibi invicem ita opponuntur, ut unum excludat aliud: nempè qui Patrem dicit, dicit Filium ab eo distinctum, qui dicit principium, dicit terminum a principio distinctum. Confirmatur responsio 1. ex eo quod ea usi sunt Patres, ut adversus Sabellianos realem personarum distinctionem in divinis adstruerent. Confirmatur 2. ex celebri hoc Theologorum effato: *Omnia sunt unum in divinis, ubi non obviat relationis oppositio.*

Objicies 2. Ea, de quibus dicuntur prædicata contradictoria, distinguuntur realiter actu: de una nimirùm ac eadem re dici non possunt prædicata contradictoria: atqui de essentia divina & de relationibus dicuntur prædicata contradictoria: nam de essentia dicitur, quòd communicetur; de relationibus verò dicitur, quòd non communicentur; scilicet Pater generando Filium, et suam essentiam communicat, non tamen communicatâ relatione Paternitatis. Sic etiam dicitur, quòd persona Verbi, non autem natura Verbi, humanam naturam assumpserit in Incarnatione: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. De una ac eadem re dici non possunt prædicata contradictoria, si non sit virtualiter multiplex, conc. ant. si sit virtualiter multiplex, neg. ant. siquidem res, quæ virtualiter est multiplex, æquivalet pluribus realiter actu distinctis, ut patet in Petro, ex suppositione, quòd in pluribus locis per reproductionem constitueretur: in uno enim loco idem Petrus, in ea suppositione, mori posset, licèt viveret in alio. Essentia Dei licèt actu maximè simplicissima, est tamen virtualiter multiplex propter sui eminentiam; proindeque de ea secundùm conceptum absolutum dici potest, quòd communicetur, quamvis de ea secundum conceptum relativum dici etiam possit, quòd minime sit communicabilis. Sic etiam de eadem essentia dici potest, quòd secundùm conceptum absolutum non assumpserit humanam naturam, quamvis rectè dicatur, quòd secundùm conceptum relativum, hoc est, prout est Verbum, eam assumpserit in Incarnatione. Vide solutionem fusiùs pertractatam harum institutionum parte 1. iis locis, ubi agitur de Dei simplicitate.

Objicies 3. Tritum est apud veteres axioma, naturam & personam in divinis idem non esse; dicit enim Theodoretus a Gilberto Porretano laudatus: *Qui naturam & personam idem esse intelligit, in divisionem Arii incidet, aut in confusionem Sabellii*; Hæc etiam apud eundem auctorem habet Hilarius: *Non est idem natura, quod res naturæ*: ergo natura & relationes realiter distinguuntur.

Resp. dist. maj. Idem non esse, virtualiter, conc. ant. realiter actu, neg. ant. hoc unum laudato axiomate Patres volunt, quòd conceptus naturæ, prout est conceptus naturæ, non sit idem cum conceptu personæ, prout est conceptus personæ. Nec id mirum est: siquidem, cum natura divina sit infinita, præbet intellectui fundamentum eam attingendi, modò sub conceptu naturæ, modò etiam sub conceptu personæ: utroque nimirùm officio, naturæ & personæ, sed sub diversis respectibus considerata, fungitur.

CONCLUSIO 3. Relationes in divinis non distinguuntur ab essentia tanquam res & modus. Est contra Durandum.

Probatur 1. Distinctio, quæ reperitur inter essentiam & modum, est quidem modalis, sed secundùm Durandi principia, est quoque realis actualis: atqui inter relationes & essentiam divinam admitti non debet distinctio realis actualis, quamvis solùm sit modalis: Nam 1. in ea suppositione quælibet persona in divinis esset realiter composita, ex essentia nimirum & relatione, quæ ab essentia realiter distingueretur. 2. Contra ejusmodi distinctionem, licèt sit solùm modalis, militant argumenta omnia, quæ tum ex Concilio Remensi contra Gilbertum Porretanum, tum ex Concilio Lateranensi contra Joachimum Abbatem prolata sunt. Scilicet vel illi modi relativi sunt quid creatum, vel increatum; Si primum, personæ divinæ erunt compositæ ex essentia increata, & modo creato; Si secundum, erunt realiter idem cum essentia divina. Addendum est, quaternitatem

ternitatem

ternitatem fore in Trinitate, in divinis enim reperirentur quatuor, nempe tres relationes & essentia ab eis realiter, licèt modaliter tantum, distincta.

CONCLUSIO 3. Relationes in divinis ab essentia divina non distinguuntur distinctione, formali Scotistica.

Probatur 1. Distinctio formalis Scotistica præcedit actu mentis operationem: atqui distinctio quæ reperitur inter relationes & essentiam divinam, non præcedit actu mentis operationem: siquidem distinctio, quæ præcedit actu mentis operationem, est realis actualis: sed inter essentiam divinam & relationes non reperitur distinctio realis actualis: sive sit realis major, id est inter rem & rem, ut voluit Gilbertus Porretanus; sive sit realis minor, hoc est inter rem & modum, ut contendit Durandus; sive sit realis formalis, seu inter rem & varias illius formas, ut Scotistæ contendunt: scilicet ejusmodi distinctiones, quæ realem compositionem arguunt in Deo, non trinitatem, sed quaternitatem invehunt.

Dices, supponere illud argumentum, distinctionem, quam Scotistæ vocant distinctionem *Ex natura rei formalem*, esse distinctionem realem: ea verò suppositio veritate minime nititur, nempe Scotistæ passim docent eam distinctionem non esse realem.

Sed contra. *Primò*, non omnes Scotistæ negant distinctionem, de qua agitur, esse realem. *Secundò*, qui id negant, hoc argumento facilè refelluntur: Distinctio Scotistica non est solùm distinctio rationis, cum præcedat illius operationem: ergo est realis: neque enim datur medium inter distinctionem rationis, & distinctionem realem.

CONCLUSIO 4. Essentia divina & relationes non distinguuntur tantum distinctione rationis ratiocinantis.

Probatur. Distinctio rationis ratiocinantis est ea, cujus totum esse est ab operatione intellectus: atqui essentia divina & relationes non distinguuntur tantùm distinctione, cujus totum esse est ab operatione intellectus: siquidem ejusmodi distinctio, cum nihil supponat ex parte objecti, satis non est ad explicandum, quomodo Pater naturam divinam communicet Filio, non communicata paternitate, quæ tamen realiter est idem cum natura: *Omnia, quę Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit* (verba sunt Concilii Florentini in decreto unionis) *præter esse Patrem.* Satis quoque non est ad explicandum, qua ratione Verbum, quod essentialiter est sapientia, non sit Verbum, qua sapientia: *Non eo Verbum* (inquit Augustinus lib. 7. de Trinitate, cap. 2.) *quo sapientia: verbum enim relativè, sapientia verò essentialiter intelligitur.*

CONCLUSIO 5. Relationes & essentia divina distinguuntur distinctione virtuali, seu rationis ratiocinatæ.

Probatur 1. Relationes & essentia divina distinguuntur aliqua distinctione, cum in eis prædicata contradictoria verificentur: sed ea distinctio non est realis, ut adversùs Gilbertum Porretanum, Durandum, & Scotum ostendimus: non est quoque solius rationis ratiocinantis; ut contra Nominales probavimus: ergo est distinctio virtualis, seu rationis ratiocinatæ.

Probatur 2. Distinctio virtualis duo dicit, unum ex parte objecti, summam nimirùm illius eminentiam, ratione cujus pluribus rebus actu distinctis æquivaleat; & aliud ex parte intellectus, nempe apprehensionem objecti sub una illius virtute, non apprehendendo, saltem explicite, aliam illius virtutem: atqui duo illa admittenda sunt: Et quidem *Primò*, cum essentia Dei sit infinita, cum relationes sint infinitæ, necessariò sequitur sive essentiam, sive relationes, æquivalere pluribus rebus finitis ac distinctis. *Secundò*, apprehensio essentiæ secundùm esse absolutum non est apprehensio ejusdem essentiæ secundùm esse relativum: & vicissim apprehensio ejusdem essentiæ secundùm esse relativum non est apprehensio essentiæ secundùm esse absolutum.

Objicies. In Conc. Florentino sess. 13. Joannes Episcopus, qui Latinorum partes agebat, asserit *divinam substantiam & personam re quidem idem esse, secundùm autem modum intellectionis nostra videri differre*; cui quidem Joannis effato, Ecclesiæ Græcæ nomine, subscripsit Marcus Ephesius. Ejusdem Concilii sess. 19. simpliciter asseritur substantiam ac personam in divinis *sola ratione ac intelligentia* differre: ergo sola distinctio rationis ratiocinantis admitti debet inter essentiam & relationes.

Resp. dist. ant. Relationes & essentia videntur differre secundùm modum intellectionis, sola ratione, sola intelligentia, cum fundamento in re, conc. ant. sine fundamento in re, neg. ant. & consequentiam. Patres sive Latini sive Græci supposuerunt fundamentum distinctionis, quam in divinis admisere, licèt expressè ejusmodi fundamenti non meminerint.

QUÆSTIO IV.

Utrum relationes, & essentia sint de mutuo conceptu.

Not. 1. Circa propositam quæstionem tres sunt Scholasticorum sententiæ: prior, quæ plurium est Thomistarum, docet, essentiam divinam esse de conceptu formali relationum, & vicissim relationes esse de conceptu formali essentiæ: ita ut qui concipit essentiam, distinctè etiam concipiat relationes; & vicissim qui concipit relationes, distinctè pariter essentiam concipiat. Altera, quæ priori planè est opposita, asserit, nec essentiam esse de conceptu relationum, nec relationes de conceptu essentiæ. Tertia, quæ est Sylvii, negat, relationes esse de conceptu essentiæ; sed affirmat, essentiam esse de conceptu relationum.

Not. 2. Essentia divina duobus modis considerari potest, in se nimirùm, seu prout est à parte rei; & respectu nostri intellectus, seu prout subest nostro intelligendi modo.

CONCLUSIO 1. Essentia divina sumpta in se, hoc est, prout est à parte rei, includit essentialiter relationes, & vicissim relationes includunt essentialiter divinam essentiam; unde in eo statu concipi non potest sine relationibus, nec relationes sine essentia.

Probatur 1. Essentia divina, prout existit à parte rei, includit essentialiter id, quod est omnino idem cum ipsa: neque enim prout existit a parte rei, aliquid in ea est per modum accidentis, scilicet quidquid est in ea, Deus est: atqui essentia divina, prout existit a parte rei, est omninò idem cum relationibus, & vicissim relationes omninò idem cum ipsa: *Non aliud est Deo esse* (ait Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 6.) *aliud personam esse, sed omninò idem*: cui quidem axiomati cohærent hæc verba Concilii Lateranensis IV. cap. 2. *In Deo trinitas est solummodo, non quaternitas: quia qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina.*

CONCLUSIO 2. Relationes non sunt de conceptu essentiæ, sumptæ secundùm nostrum concipiendi modum.

Probatur. Illud non est de conceptu essentiæ, sine quo, saltem explicitè cognito, essentia concipi potest: atqui essentia divina potest concipi sine relationibus. Nam quod prius est secundùm nostrum intelligendi modum, potest concipi sine eo, quod posterius est secundùm eundem nostrum concipiendi modum: sed essentia divina secundùm nostrum intelligendi modum, est quid prius relationibus, & relationes secundùm eundem nostrum intelligendi modum, sunt quid posterius essentiæ:

 scili-

scilicet illud est prius relationibus, cui relationes advenire concipiuntur: atqui relationes concipiuntur advenire essentiæ, quia relativum advenire concipitur absoluto; absolutum quippè videtur esse fundamentum relativi: ergo, &c.

Confirmatur 1. Relationes concipiuntur sicut quædam divinæ essentiæ contractiones, ac modificationes; essentia quippè communior est relationibus, reperitur enim in tribus personis, cum è contra omnes relationes in qualibet persona non reperiantur.

Confirmatur 2. ex S. Augustioo & S. Thoma. Ille lib. 5. de Trinitate cap. 7. scribit, relationes non dici de Deo secundùm substantiam, sed ut ad aliquid. *Quamobrem* (inquit) *quamvis diversum sit, Patrem esse & Filium esse, non est tamen diversa substantia, quia hæc non secundùm substantiam dicuntur, sed secundùm relativum.* Lib. 7. cap. 2. eadem prorsùs ratione loquitur. *Non eo verbum* (ait) *quo sapientia; Verbum enim relativè, sapientia verò essentialiter intelligitur*, S. Thomas 3. p. q. 3. art. 3. hæc scribit: *Per hunc modum*, cognoscendi Deum, non ut in se est, *potest intellectus noster intelligere bonitatem & sapientiam divinam, & alia hujusmodi, quæ dicuntur essentialia attributa, non intellecta paternitate vel filiatione, quæ dicuntur personalitates.* Ex iis autem, tum S. Augustini, tum S. Thomæ testibus, sic conficitur argumentum: Illud non est de conceptu formali essentiæ divinæ, quod de Deo non dicitur secundùm substantiam, seu quod in modo significandi non exprimit substantiam divinam: quod non eò est, quò est substantia divina: quod potest intelligi sine substantia divina: atqui ex S. Augustino, & ex S. Thoma, relationes de Deo non dicuntur secundùm substantiam, non eò sunt, quò est substantia divina, substantia divina potest intelligi sine ipsis: ergo relationes non sunt de conceptu formali essentiæ divinæ.

Confirmatur 3. ratione theologica. Illud potest concipi sine relationibus, quod virtualiter a relationibus distinguitur: propter eam enim rationem essentia divina (ut prima parte dictum est) potest cum fundamento concipi sine attributis absolutis, ut sunt bonitas, sapientia, & alia hujusmodi: è contra verò essentia Dei non potest concipi sine existentia, quia inter essentiam divinam, & existentiam nulla reperitur distinctio virtualis: atqui essentia divina distinguitur virtualiter a relationibus; siquidem vi ejusmodi distinctionis virtualis solvuntur contradictoria, quæ de essentia & relationibus prædicantur, seu redditur ratio, cur Pater, Filio essentiam divinam communicet, non communicata paternitate, quæ tamen est idem realiter actu cum ipsa: ergo essentia divina potest concipi sine relationibus.

Objicies 1. Si essentia Dei posset concipi sine relationibus, in Deo conciperetur quaternitas, tres nimirùm personæ, & essentia divina; atqui in Deo concipi non potest quaternitas: *In Deo* (inquit Concilium Lateranense) *trinitas est solummodò, non quaternitas*: ergo, &c.

Resp. dist. maj. In Deo conciperetur quateroitas, quæ existeret tantùm in intellectu creato, conc. maj. quæ existeret in Deo, neg. maj. In Concilio Lateranensi IV. capitulo 2. damoatns est Joachimus Abbas, quod contenderet, ex sententia Petri Lombardi sequi, esse realiter in Deo & a parte rei, non trinitatem, sed quaternitatem, tres nimirum personas, & summam rem, sive essentiam, quæ nec generaret, nec genita esset, nec procedens.

Objicies 2. Si essentia divina concipi posset sine relationibus, in Deo esset compositio rationis; atqui in Deo non est compositio rationis; nempè repugnat summæ illius simplicitati; ergo, &c. Probatur maj. Ibi est compositio rationis, ubi intellectus concipit potentiam, & actum: sed in suppositione, de qua agitur, intellectus in Deo conciperet potentiam & actum: siquidem conciperet substantiam divinam, quæ posset recipere relationes, per quas veluti coarctaretur, & modificaretur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. maj. Ibi est compositio rationis, ubi intellectus concipit potentiam, & actum, quæ sese invicem excludant, conc. maj. quæ sese invicem non excludant, neg. maj. In Deo substantia, seu essentia non concipitur ab intellectu, quasi excludens relationes, licet non concipiatur prout eas includens; ac proinde non se habet per modum potentiæ propriè dictæ respectu relationum, sed se habet per modum abstrahentis ab illis: ea autem abstractio tantùm abest, ut dicat imperfectionem in essentia divina, sicut potentia, & genus dicunt imperfectionem in subjecto, de quibus prædicantur, quia excludunt actum, & differentiam; quin potiùs summam dicat perfectionem, divinæ nimirum substantiæ eminentiam, quæ quidem tanta est, ut uno conceptu attingi non possit ab intellectu creato.

CONCLUSIO 3. Divina essentia non est de conceptu formali relatioonum.

Probatur. Relationes concipi possunt sine essentia divina. Nam 1. ab ea virtualiter distinguuntur: 2. Secundùm nostrum modum concipiendi, relationes sunt essentia posteriores; siquidem priùs concipimus rem esse, quam ad aliam referri, hoc est prius concipimus ens aliquod existere, quam operari, quam generare, quàm producere. 3. Tam relationes concipi possunt sine essentia, quam non communicari, licèt essentia communicetur; quam multiplicari non multiplicata essentia; quam produci non producta essentia; atqui relationes non communicantur, licet essentia communicetur; multiplicantur non multiplicata essentia; producuntur, quamvis essentia minime producatur: siquidem (ut ait Concilium Lateranense IV.) *essentia non est generans, neque genita, nec procedens.*

Objicies 1. Illud est de conceptu relationum, quod de illis essentialiter prædicatur, atqui divina essentia prædicatur essentialiter de relationibus, scilicet hæc propositio est vera: Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva, sunt essentia divina: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Illud est de esseotia relationum, quod de illis essentialiter prædicatur, tum ut sunt a parte rei, tum ut subsunt nostro modo concipiendi, conc. maj. quod de illis prædicatur tantum ut sunt a parte rei, non autem prout subsunt nostro modo concipiendi, neg. maj. Essentia divina prædicatur quidem de relationibus prout sunt à parte rei, sunt enim realiter unum & idem cum ea; sed de eis non prædicatur prout subsunt nostro intelligendi modo, hoc est, idea, quam intellectus effingit de substantia divina, reduplicativè prout est substantia, seu ut est radix & subjectum attributorum, tum absolutorum, tum relativorum, non est idea, quam efformat de relationibus, reduplicativè, prout sunt relationes, id est, prout sunt habitudo unius ad alterum.

Confirmatur solutio ex S. Thoma, qui quæst. 8. de Potentia articulo 2. ad sextum sic loquitur: *Per se prædicatur aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo secundùm propriam rationem: Quod verò non secundùm propriam rationem prædicatur, sed propter rei identitatem, non etiam prædicatur per se. Cum ergo dicitur: Essentia divina est Paternitas, non prædicatur Paternitas de essentia divina propter identitatem rationis, sed propter identitatem rei; & similiter essentia de Paternitate, quia alia est ratio essentiæ, & relationis.*

Objicies 2. Idea, seu conceptus relationum est idea entis increati; non enim esse potest idea entis creati: atqui idea entis increati, est idea essentiæ divinæ; nempè idea essentiæ divinæ non aliud est, quam idea entis increati, hoc est, existentis per se & independenter a quovis alio: ergo idea, seu conceptus relationum, est

idea

idea, seu conceptus essentiæ divinæ.

Resp. 1. Ideam relationum, nec esse ideam entis increati, nec ideam entis creati, sed ideam rei ab utroque abstrahentis; hoc est, licet intellectus, dum concipit relationes, concipiat a parte rei ens increatum; tamen illud non concipit sub ratione entis increati, sed tantùm sub ratione cujusdam habitudinis unius ad alterum.

Resp. 2. concessa majore, disting. min. Idea entis increati est idea essentiæ divinæ, prout est ens increatum & actus purus, conc. maj. prout est essentia, sub ratione substantiæ, neg. maj. Equidem idea Paternitatis v. g. est idea essentiæ divinæ, prout essentia consideratur ut ens increatum & actus purus, sicut modi entis sunt ens consideratum præcisè ut ens: at verò non est idea essentiæ sub ratione substantiæ, & naturæ, quia sub ratione substantiæ & naturæ, est veluti subjectum, in quo relationes recipiuntur, & cui secundùm imperfectum nostrum intelligendi modum, advenire concipiuntur. Vide quæ harum Institutionum parte 1. diximus, agendo de attributorum distinctione ab essentia, & vicissim essentiæ ab attributis.

QUÆSTIO V.

Utrum relationes sint perfectiones.

Not. 1. IN relationibus divinis duo possunt considerari, esse *In*, ut loquuntur, & esse *Ad*. Esse *In*, est relatio considerata, prout afficit subjectum, in quo reperitur. Esse *Ad*, est eadem relatio, prout respicit terminum, ad quem refertur.

Not. 2. Certum est, relationes divinas esse perfectiones, si considerentur secundùm esse *In*: sic enim consideratæ, sumuntur vel ut sunt idem realiter actu cum essentia divina, vel prout ab ea virtualiter distinguuntur: at utroque modo spectatæ, sunt perfectiones. Nemini dubium est, eas esse perfectiones priore modo spectatas: nimirùm essentia divina est infinitè perfecta. Eas quoque altero modo consideratas, perfectiones esse, patet ex eo, quòd secundùm nostrum concipiendi modum sic spectatæ, coarctent, modificent, & determinent naturam divinam ad esse Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti.

Not. 3. Licèt Theologi passim conveniant, relationes secundùm esse *In*, spectatas, esse perfectiones: non conveniunt tamen, eas eodem frui jure, si secundùm esse *Ad*, considerentur. Plures è schola Thomistarum contendunt, eas sic spectatas non esse perfectiones: econtra plures alii ex eadem schola, quibus subscribit Sylvius, asserunt, eas etiam in eo statu, seu, prout dicunt respectum ad alias personas, esse veras perfectiones: quid nos de ea scholastica controversia sentiamus, conclusio sequens aperiet.

CONCLUSIO. Relationes in divinis, etiam consideratæ secundùm esse *Ad*, hoc est, prout dicunt respectum ad alias personas, sunt perfectiones.

Probatur 1. Esse Patris ut Pater est, esse Filii ut Filius est, sunt esse relativum: neque enim concipi potest Pater, quin concipiatur respectus ad Filium: nec vicissim Filius sine respectu ad Patrem: unde meritò sic loquitur Augustinus lib 6. de Trinitate, cap. 13. *Dicitur ergo relativè Pater, idemque relativè dicitur principium, & si quid fortè aliud; sed Pater ad Filium dicitur, principium verò ad omnia, quæ ab ipsomet sunt. Item dicitur relativè Filius, relativè dicitur & Verbum & imago, & in omnibus his vocabulis ad Patrem refertur*: atqui esse Patris ut Pater est, esse Filii ut Filius est, sunt perfectiones: nam illud est perfectio, sine quo divinitas esset imperfecta: sed divinitas sine esse Patris, esse Filii, esse Spiritus sancti, foret imperfecta: *Non potest* (inquit Cyrillus lib. 2. Thesauri, cap. 1.) *esse perfecta divinitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat.* Cyrillo subscribit Angelicus Doctor: *Non posset* (inquit in opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 7.) *esse Pater perfectus, nisi Filium haberet, quia nec Pater sine Filio esset, nec esset Deus perfectus, nisi haberet Verbum.*

Probatur 2. Quod distinguit & constituit perfectiones, est essentialiter aliqua perfectio: propter quod enim unumquodque tale, & illud magis; atqui relationes secundùm esse *Ad*, seu prout dicunt respectum ad alias personas, distinguunt & constituunt veras perfectiones, personas nimirùm & hypostases, ut subsequente dissertatione dicetur: ergo sunt veræ perfectiones.

Confirmatur argumentum 1. ex eo, quòd relationes, etiam secundùm esse *Ad*, sint aliquid reale, scilicet nemine cogitante, est respectus primæ personæ ad secundam & tertiam: Sed quidquid est reale in Deo, est perfectio. 2. Relationes prout sunt respectus ad alias personas, sunt in Deo: at quidquid est in Deo, est perfectio: ergo, &c.

Objicies 1. Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 1. sic loquitur: *Deus ad se dicitur & magnus, & bonus, & justus*: unde sic arguitur: Ex Augustino, omnis perfectio in Deo est absoluta, ad se enim dicitur: ergo relationes, cum non sint quid absolutum, reduplicativè prout sunt relationes, non sunt perfectiones in divinis.

Resp. neg. maj. scilicet Augustinus eo loci loquitur tantùm de perfectionibus absolutis, ut sunt magnitudo, bonitas, justitia, quarum exemplum adducit, ut probet, in divinis perfectiones dici ad se, non autem ad aliud.

Objicies 2. Si relationes essent perfectiones plura sequerentur absurda: nam 1. essentia sola non esset infinite perfecta, ei nimirùm deesset perfectio relativa: 2. Tres personæ simul sumptæ, plus continerent perfectionis, quam una sola persona: 3. Filius esset perfectior Spiritu sancto: nam ei duæ relationes conveniunt, ad Patrem nimirum, cujus est Filius, & ad ipsum Spiritum sanctum, cujus est principium; cum ècontra una tantum relatio, passiva nimirùm, Spiritui sancto conveniat.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad cujus probationem, negandum est sequi absurda, quæ contra thesim objiciuntur. Ratio est, quia infinita perfectio sive trium relationum simul, sive cujusque in particulari spectatæ, continetur in essentia divina, eò quòd relationes sint actu realiter idem cum ipsa: ita ut sicut quælibet trium relationum est ipsamet essentia divina, ita etiam essentia divina sit quælibet trium relationum. Eo principio nixus sanctus Augustinus lib. 6. de Trinitate, cap. 8. docet, *tantum esse solum Patrem, vel solum Filium, vel solum Spiritum sanctum, quantum tres personæ simul sumptæ.*

Objicies 3. Thesis, qua docetur, relationes esse perfectiones, destruit æqualitatem personarum; scilicet eæ personæ non sunt æquales, quarum una habet perfectionem, quam altera nec habet, nec habere potest; atqui una ex divinis personis habebit perfectionem, quam altera nec habet, nec habere potest: prima persona v. g. habet perfectionem paternitatis, nec tamen habet, aut habere potest perfectionem filiationis, quia paternitas excludit filiationem: neque enim eadem persona potest esse simul Pater & Filius, cum nullum ens possit se ipsum producere.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. ant. Prima persona nec habet formaliter nec habere potest filiationem, conc. ant. nec habet, nec habere potest virtualiter, seu eminenter, neg. ant. Ratio est, quia relationes non sunt perfectiones simpliciter simplices, ut loquuntur scholastici; sed perfectiones secundùm quid, tunc quia non sunt meliores ipsæ, quam non ipsæ; nec enim in divinis melius est habere paternitatem, quam filiationem; tum etiam quia ut perfectio sit simpliciter simplex, requiritur, ut non excludat aliam aut majorem aut æqualem; ac proindè cum relationes sese invicem exclu-

excludant, non possunt esse perfectiones simpliciter simplices.

Objicies 4. Si relationes sint perfectiones, tres res erunt in Deo: sed in Deo non sunt tres res, alioquin essent tres substantiæ, quod damnatum est in Ario.

Resp. dist. maj. Tres res relativæ erunt in Deo, conc. maj. nempe cum tres personæ sint realiter distinctæ, revera sunt tres res relativæ: Erunt tres res absolutæ, neg. maj. Damnatus est Sabellius, quòd tres res relativas non admiserit, Arius verò, quòd tres res absolutas asseruerit: *Cum enim* (ait Augustinus lib. 7. de Trinitate, cap. 4.) *conaretur humana inopia loquendo proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet de Domino Deo creatore suo, timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas. Rursus non esse tria quædam, non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in hæresim lapsus est.*

QUÆSTIO VI.

Utrum cuilibet relationi propria conveniat existentia.

Not. 1. Nemo revocat in dubium, quin in Deo antè relationes intellectò, unica sit existentia, & quidem absoluta: siquidem in illo priori Deus concipitur essentiam absolutam habere, ac proindè existentiam absolutam, cum (ut harum Institutionum parte I. dictum est) ne per mentem quidem essentia Dei distincta sit ab illius existentia.

Not. 2. Licèt omnes Theologi fateantur, in illo priori, in quo Deus antè relationes concipitur, unicam existentiam esse; non conveniunt tamen unam esse tantum, si cum relationibus intelligatur: scilicet nonnulli contendunt, tres in Deo, si consideretur in illo statu, existentias, non absolutas quidem, sed relativas admitti debere; è contra docent alii, nullam in Deo sic concepto existentiam esse relativam, sed unam tantùm absolutam, quæ tribus relationibus conveniat.

CONCL. Deo concepto cum relationibus, nulla convenit existentia relativa.

Probatur. Nec Scripturæ, nec Patres, cum agunt de SS. Trinitate, usquam meminerunt existentiæ relativæ.

Primò, quoties Scripturæ Deo tribuunt existentiam, semper intelliguntur de existentia absoluta; scilicet existentiæ nomine semper exprimunt absolutam illius essentiam: sic cum in Exodo Deus ipse dicit: *Ego sum qui sum*, vox hæc, *Sum*, in ultimo membro significat existentiam, seu actum existendi, & in priore significat essentiam, seu quidditatem Dei, hoc est, actus existendi prædicatur de Dei essentia, ita ut hic sensus sit, Dei essentia posita est in actu existendi necessario. Sic etiam apud Joannem cap. 1. cum dicitur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Hoc erat in principio apud Deum*, verbum substantivum *Erat*, æternitatem, ac proinde existentiam absolutam significat.

Secundò. Eodem existentiæ nomine Patres usi sunt, ut Verbi quidditatem exprimerent. Asserebant Ariani, Verbum non habere Dei essentiam: contendebant econtra Catholici, inesse Verbo essentiam Dei: Illi probabant, essentiam Dei non esse in Verbo, ex eo, quòd semper non extitisset; isti verò demonstrabant, essentiam Dei, Verbo convenire, quòd semper extitisset: *Eos autem* (inquit Concilium Nicænum I.) *qui dicunt, Erat quando non erat, & priusquam nasceretur, non erat, anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia*: ergo tum Catholici, tum Hæretici existentiam sumebant pro ipsamet Dei essentia, seu (ut Scholastici loquuntur) pro ipsa Dei quidditate.

Tertiò, Catholici, qui labente quarto sæculo Antiochiæ contendebant, tres hypostases in Deo admitti debere, redierunt in concordiam cum iis, qui unicam admittebant, postquam isti audierunt, illos hypostasis nomine existentiam intelligere, simulque cum illis confessi sunt, unicam in Deo existentiam, seu unicum esse reperiri: *Una est Dei, & sola natura, quæ verè est* (inquit Hieronymus in Epist. ad Damasum, pro unica hypostasi pugnans adversùs Græcos) *id enim, quod subsistit non habet aliunde, sed suum est. Cætera, quæ creata sunt, etiamsi videantur esse, non sunt, quia aliquando non fuerunt; & potest rursum non esse, quod fuit.*

Quartò. Augustinus asserit, existentiam in relationibus divinis dici in ordine ad subjectum, non autem in ordine ad terminum: *Quod enim est* (ait lib. 7. de Trinitate, cap. 4.) *ad se dicitur: Pater autem ad Filium*; unde sic conficitur argumentum: Omnis existentia convenit relationi in ordine ad subjectum, non autem in ordine ad terminum: ergo totuplex tantùm est existentia relationum, quotuplex est earum subjectum; ac proinde cum in divinis unicum sit, divina nimirùm essentia, cui relationes concipiuntur advenire, unica pariter est harum existentia, & quidem absoluta, cum Dei essentia sit absoluta.

Quintò. Si sint in divinis tres existentiæ relativæ, tres erunt pariter essentiæ relativæ; nam existentia proportionatur essentiæ, hoc est, ejusdem cum essentia debet esse generis; erunt quoque tres durationes: nimirùm existentia concipi non potest sine duratione; erunt etiam tres æternitates: siquidem quælibet existentia erit æterna: at si sint tres essentiæ, si tres durationes, si tres æternitates, etiam relativæ, dici poterit, tres esse æternos, tres increatos, non adjectivè tantùm, sed etiam substantivè: quod est contra symbolum, quod Athanasio tribuitur: *Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.*

Objicies 1. S. Augustinus in Psalmum 68. sic loquitur: *Quidquid est Pater, quod Deus est, hoc est Filius, hoc Spiritus sanctus: Cum autem Pater est, non illud est, quod illud est*. Hæc etiam habet lib. 7. de Trinitate, cap. 4. *Aliud est Deo esse, aliud Patrem esse*. Ex iis autem Augustini verbis sic arguitur: Ibi non est unica existentia relativa, ubi plures personæ habent distinctum esse relativum: sed in Deo personæ habent distinctum esse relativum: siquidem (Augustino teste) non est esse Patris, qua Pater est, non est esse Dei, qua Deus est: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia multiplex illud esse relativum dicit tantum plures terminos: at plures termini eadem existentia possunt existere, & revera existunt in divinis. Nec aliud voluit Augustinus: siquidem cum asseruit, quod esse Dei, qua Deus est, non sit esse Patris, qua Pater est, non sumpsit verbum substantivum *Esse*, pro actu existendi, sed pro notione tantùm; hoc est, docuit, Deum non dicere ordinem ad Filium, qua Deus est præcise, sed quatenus Pater, seu quatenus generat. Nec id mirum est, cùm esse Dei ut Deus est præcisè, nec sit Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus, sed esse Dei tunc tantùm est Pater, aut alia persona, cum adjunctum habet terminum notionalem.

Objicies 2. Tot sunt existentiæ, quot sunt entitates reales: siquidem non possunt esse plures entitates reales, quin sint plures entitates in actu: entitates autem non sunt in actu, nisi per existentiam, scilicet existentia est id, per quod res est in actu, seu extra suam causam, extra suum principium: atqui in divinis sunt plures entitates reales, Paternitas nimirùm, Filiatio, & Spiratio passiva: ergo sunt etiam plures existentiæ reales.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia plures entitates reales possunt esse in actu, hoc est, extra suum principium, extra suam causam, aut per existentiam propriam, aut per adjunctam & communem: entitates absolutæ sunt in actu per propriam existentiam, relativæ verò per existentiam subjecti: nec id mirum est; siquidem rela-

relativum non aliud est, quam modus, seu modificatio, seu affectio subjecti: at modi, modificationes, affectiones subjecti, non existunt, nisi per existentiam subjecti, in quo recipiuntur.

Confirmatur responsum ex Cyrillo, qui Dialogo 2. probat, Ingenitum in divinis propriam existentiam non habere, quòd sit proprium Dei Patris: *Ecquem* (inquit) *in Deo locum habere putandum est Ingenitum? Nam si Ingenitum ipsum est per sese, & in extantia propria positum, est autem hoc, ut illi asserunt, proprium Dei & Patris, diversum quippiam erit ab eo, cujus est proprium. Nam quod alicujus est, & propriè constitutum existit, diversum plane est ab eo, cujus est: atque ita duplicatur simplex natura Patris, eaque ex Patre & Ingenito componitur.*

Objicies 3. Id omne, quod realiter producitur, propriam habet existentiam, nempè terminus productionis est existentia, seu positio rei extra suum principium, aut extra suam causam: atqui relationes realiter producuntur, Filius v. g. realiter generatur a Patre, & Spiritus sanctus a Patre, Filioque simul producitur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Terminus productionis est existentia, vel communis, vel propria, conc. aut. propria tantùm, neg. ant. Equidem cum Filius producitur, recipit existentiam, sed ea existentia non aliud est, quam divinæ essentiæ existentia, quæ illi cum essentia, a qua ne virtualiter quidem distinguitur, communicatur. Terminus productionis se habet in divinis respectu existentiæ, sicut se habet respectu essentiæ: ergo quemadmodum multiplicato termino non multiplicatur essentia; ita etiam nec existentia multiplicatur multiplicato termino.

QUÆSTIO VII.

Utrum in divinis sit absoluta subsistentia.

Not. 1. PEr subsistentiæ nomen intelligitur forma, a qua res dicitur subsistens. Res verò duobus modis subsistens concipitur, vel in se, vel in alio: subsistit in se, cum non indiget alio, aut tanquam subjecto, cui inhæreat, aut tanquam principio, a quo recipiat suum esse, aut tanquam forma, per quam habeat certum existendi modum, per quem sit incommunicabilis, & fiat hypostasis sive persona: Econtra subsistit in alio, cum eo indiget, aut tanquam subjecto inhæsionis, aut tanquam principio, per quod suum esse recipiat, aut tanquam forma, per quam habeat certum existendi modum, per quem modum sit incommunicabilis, & fiat hypostasis seu persona.

Not. 2. Certum est apud omnes Theologos 1. essentiam divinam, conceptam sine relationibus, esse subsistentem, si nomine subsistentis intelligatur res, quæ non indiget alio, tanquam subjecto, cui inhæreat: id nimirum proprium est cuilibet substantiæ, ut est essentia divina; etiam ante relationes concepta. Certum est 2. eandem essentiam in statu, de quo agitur, intellectam, esse subsistentem, si nomine subsistentis intelligatur ens, quod non indiget alio, tanquam principio, a quo suum esse recipiat: scilicet essentia divina ex se ipsa & independenter a quolibet principio habet suum esse, suum existere. Certum est 3. essentiam divinam in illo priori, de quo est quæstio, conceptam, non esse subsistentem incommunicabiliter: neque enim sic apprehensa, est incommunicabilis, non est hypostasis, non est persona: si enim sic intellecta foret incommunicabilis, nullæ forent in divinis processiones: quod est hæreticum.

Not. 3. Scholastici apud quos, quæ mox observavimus, certa sunt, non conveniunt, an quarto modo à tribus relatis diverso essentia divina, ante relationes concepta, sit subsistens. Pluribus Thomistis placet sententia quæ asserit, essentiam divinam conceptam ante relationes subsistere subsistentia absoluta, quæ postea concipiatur tribus personis communicari: aliis ècontra negans opinio videtur probabilior.

CONCLUSIO. Essentia divina ante relationes concepta nullam habet subsistentiam absolutam.

Probatur. Id admitti non debet in divinis, quod nec Scriptura nec traditio admiserunt; sunt enim soli fontes, ex quibus erui debent conclusiones theologicæ: atqui nec Scriptura nec traditio subsistentiam absolutam admiserunt in divinis: ergo non debet admitti. Probatur min. Subsistentia est certus quidam modus existendi, qui essentiæ jam simpliciter existenti concipitur advenire: sed nec Scriptura nec Patres admiserunt modum existendi absolutum, qui essentiæ jam simpliciter existenti conciperetur advenire, siquidem admiserunt tres tantùm existendi modos, & quidem relativos, qui essentiæ divinæ jam simpliciter existenti concipiuntur advenire; non enim alios existendi modos in divinis admiserunt, quam quos vocibus, personæ, subsistentiæ, hypostasis, expresserunt: sed per personas, subsistentiam, hypostasim, modos relativos intellexerunt: hinc damnati sunt Sabelliani, quòd in Trinitate personas confunderent: hinc etiam Orientales litem olim intentarunt Occidentalibus, quòd tres hypostases admittere detrectarent: hinc quoque factum est ut tunc tantùm Occidentales dixerint, tres hypostases esse in Trinitate, cum certiores facti sunt, Orientales eo loquendi modo non aliud intelligere, quàm quod Occidentales nomine personarum intelligebant. Vide, quæ subsequentis dissertationis quæstione prima de hypostasis ac personæ nominibus dicentur.

Confirmatur argumentum 1. ex eo quòd Patres ultra hypostases, personas, relationes, nihil in divinis admiserint præter essentiam, naturam, substantiam: iis enim nominibus idem significatum voluerunt. 2. Contenderunt, personis nihil aliud communicari, quam essentiam, substantiam, naturam divinam, nec usquam asseruerunt, illis communicari subsistentiam illam absolutam, quam postremis hisce temporibus excogitarunt Scholastici. 3. Docuerunt, naturam, essentiam, substantiam in eo positam esse, quòd sit communis, nec aliqua proprietate singulari definita sit; subsistentiam verò, personam, hypostasim, dixerunt esse naturam singulari proprietate definitam, hoc est, in certa, definitaque re consistentem: illam adversùs Arianos asseruerunt esse unicam, istam verò adversùs Sabellianos docuerunt esse triplicem tantùm: ergo ne in illorum quidem mentem venit, esse subsistentiam aliquam, quæ communis sit & absoluta. 4. Si natura suam subsistentiam habeat sine personis, sine relationibus, Patres dicere potuissent, unum esse in Trinitate subsistentem, scilicet unum esset aliquod complexum, concretum, compositum ex natura & subsistentia: sed Patres tantùm abest ut aliquando dixerint, unum esse in Trinitate subsistentem, quin expressis terminis id negaverint: Hilarius in libro de Synodis post expositam Sirmiensis Concilii fidem, docet in hoc positum esse dogma Catholicum, quòd *non unus sit subsistens, sed una substantia non differens*. Hieronymus epist. 57. scribit, Deitatem in tribus tantùm personis subsistere: *Illa* (inquit) *sola natura est perfecta, & in tribus personis Deitas una subsistit.*

Objicies 1. Patres videntur in divinis admisisse quartam subsistentiam, quæ communis sit, & absoluta 1. Agatho Papa in Epistola, quæ legitur in sexta Synodo, actione quarta, sic loquitur; *Confitemur trium subsistentiarum, sive personarum, unam substantiam.* 2. Augustinus lib. 7. de Trinitate, cap. 4. hæc etiam habet: *Omnis res ad se ipsam subsistit, quantò magis Deus? Si tamen dignum est, ut Deus dicatur subsistere.* 3. Sanctus Thomas quæstione 9. de potentia art. 5. ad 13. hæc in eundem scribit

bit sensum, *In divinis proprietates personales hoc solum habent, quod supposita natura divina ad invicem distinguant, non autem sunt principium subsistendi divina essentia, ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens*; ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ad cujus priorem probationem dicendum est, Agathonem Papam nomine subsistentiæ intelligere ipsam divinam substantiam, ita ut docere voluerit, in hoc positum esse mysterium Trinitatis, quod in Deo tres sint personæ, & una tantum substantia: nec id mirum est, ut enim dicetur inferiùs, plures ex Patribus usi sunt subsistentiæ nomine, ut divinam essentiam prout a relationibus virtualiter distinctam, exprimerent, quemadmodum usi sunt etiam substantiæ nomine, ut significarent personam. *Quæsivit* (apud Augustinum lib. 7. de Trinitate, cap. 4.) *quid tria diceret: Et dixit, substantias sive personas, quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit: ut non solum divinitas intelligatur ex eo, quod dicitur una essentia, sed & Trinitas ex eo, quod dicuntur tres substantiæ, vel personæ.*

Ad alteram ejusdem antecedentis probationem, distinguenda sunt Augustini verba: Omnis res ad se ipsam subsistit impropriè, conc. ant. propriè, neg. ant. Subsistentia impropriè sumpta, idem est cum substantia: *Sicut enim* (ait ibidem Augustinus) *ab eo quod est esse, appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantia dicitur.* E contra subsistentia propriè sumpta, significat certum substantiæ existendi modum. Priore modo non autem posteriore, Augustinus sumpsit verbum *Subsistit*, hoc est docuit, substantiam, prout est substantia, dici ad se ipsam, seu non dicere ordinem ad aliquem terminum; unde verbis, quæ nobis objecta sunt, hæc alia præmittit: *Absurdum est autem, ut substantia relativè dicatur, omnis enim res ad se ipsam subsistit*; at verò non sumpsit idem verbum *Subsistit* propriè, prout significat certum substantiæ existendi modum; pro quo tamen existendi modo sumitur, cum divinæ essentiæ subsistentia tribuitur.

Ad tertiam ejusdem antecedentis probationem, distinguenda sunt pariter S. Thomæ verba: Ipsa divina essentia est secundùm se subsistens, sumendo subsistentiam impropriè, hoc est, pro existentia simpliciter, & absolutè, conc. ant. sumendo propriè, hoc est, pro certo existendi modo, neg. ant. Igitur non aliud loco nobis objecto vult S. Thomas, quam quòd essentiæ divinæ conveniat existentia independenter à relationibus: nec id mirum est, quippè, quod existere simpliciter præsupponatur certo existendi modo, qui per subsistentiam propriè dictam habetur. Confirmatur responsio ex simili loquendi ratione, qua S. Doctor utitur in 3. dist. 6. quæst. 2. art. 2. ad 2. *In Deo* (inquit) *ipsa essentia, subsistens est; unde ei secundùm se debetur esse, imò ipsa est suum esse subsistens*; eo autem in loco (ut patet) S. Thomas concludit esse, seu existentiam, deberi essentiæ divinæ, ex eo, quod sit essentia divina, imò ipsam esse suam existentiam: quia essentia divina concipi non potest sine actuali existentia: quemadmodum ergo in iis verbis vox *Subsistens*, sumitur pro *Existens*: ita & in iis, quæ in argumento nobis objecta sunt.

Objicies 2. Terminus iste concretus, *Deus*, includit subsistentiam, & tamen non includit personas, cum ab illis præscindat; atqui non includit subsistentiam relativam, neque enim Deo, ut in instanti rationis ante relationes concepto, quidpiam relativum convenit: ergo sic intellecto convenit absoluta subsistentia. Major, in qua posita est difficultas, sic ostenditur. Ille terminus includit subsistentiam, quo significatur ens habens divinitatem; neque enim ens concipi potest habens formam, nisi concipiatur subsistens; sed hocce termino concreto, *Deus*, significatur ens habens divinitatem: ac proinde includit subsistentiam.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. ant. Ad 3. nego ens concipi non posse habens formam, nisi concipiatur subsistens: satis nimirum est, ut sit simpliciter, existens, seu non requiritur, ut existat certo aliquo modo, qui quidem modus (ut dictū est) per subsistentiam habetur: unde cum ens, quod in hac voce, *Deus*, significatur, ut habens formam, existat ante relationes, potest præcisus ab illis, concipi habens formam Deitatis, seu esse, non quidem simpliciter, sed esse a se, & independenter ab alio.

Objicies 3. Quod operatur, conceptum ante relationes, aliquam habet subsistentiam independenter a relationibus; siquidem actiones sunt suppositorum, seu subsistentium; atqui essentia divina, concepta ante relationes, operatur: nimirùm creat, intelligit, vult: Si enim in illo statu non operaretur, creatio, intellectio, volitio non essent communes toti Trinitati: nempè communes sunt tantùm, quòd sint ab essentia, quæ personis communis est: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Actiones sunt suppositorum in causis, in quibus sunt supposita, conc. ant. in causis, in quibus non sunt supposita, neg. ant. scilicet ad operandum, absolutè loquendo, satis est existentia, quæ quidem (ut sæpiùs observatum est) reperitur in essentia divina concepta ante relationes.

Confirmatur responsum ex eo quòd in Christo natura humana per mentem præscisa a sui cum Verbo unione, concipiatur tamen ut operativa; proprium nimirum est intelligenti naturæ, ut cognoscat & amet, & tamen sine supposito in eo statu concipitur; neque enim aliud habet suppositum, aliam hypostasim, aliam personam, quàm personam, hypostasim, & suppositum Verbi.

Nec tamen ex principiis nostris sequitur, essentiam generare, quia intellectio non est generativa, nisi modificata sit per relationem paternitatis. Addendum est, essentiam divinam in illo priori habere suppositum, secundùm entitatem sumptum, licèt non secundùm terminum: siquidem relationes, hypostases, personæ, sunt eadem realiter entitas cum essentia divina, ut fusè superius à nobis probatum est.

DISSERTATIO QUARTA:

De Personis in communi.

Not. Divinarum Personarum in communi exponemus 1. nomina; 2. essentiam; 3. proprietates.

QUÆSTIO I.

De nominibus Personarum in communi.

Not. Dicemus hic 1. de nominibus, quibus Latini Patres usi sunt, ut personas divinas in communi sumptas exprimerent: 2. de nominibus, quæ à Græcis adhibita sunt: 3. quæremus, quo tempore tum Latini, tum Græci Patres convenerint de adhibendo hypostasis nomine.

CAPUT PRIMUM.

De nominibus, quibus Latini Patres usi sunt, ut Personas divinas exprimerent.

CONCL. 1. Latini Patres variis nominibus usi sunt, ut divinas personas in communi sumptas exprimerent.

Probatur enumeratione. *Primò*, nonnunquam *Substantiæ* dicuntur a Patribus: *Cum enim* (inquit Augustinus lib. 7. de Trinitate, cap. 4.) *conaretur humana*

inopia

inopia loquendi proferre ad hominum sensus, quod in secretario mentis pro captu tenet, de Domino Deo creatore suo..... timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur diversitas. Rursus non esse tria quadam non poterat dicere, quod Sabellius quia dixit, in haresim lapsus est ...... Quasivit, quid tria diceret: Et dixit substantias sive personas, quibus nominibus non diversitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit. Verùm observandum est, Patres, cum substantiam usurparunt pro persona, eam opposuisse essentiæ, ut patet ex loco, quem mox ex Augustino laudavimus.

Secundò; Personæ SS. Trinitatis à Latinis Patribus aliquando *Subsistentia* dicuntur. *Sabellius* (verba sunt Ambrosii in Symbol. Apost. cap. 2.) *docuit, unam subsistentiam esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unamque trinominem personam: Sed dum omnes unam esse personam reputat, nihil esse unamquamque designat.* Utitur eodem nomine Romana Synodus, quæ sub Agathone celebrata fuit; profitetur nimirùm *unitatem quidem essentiæ, trinitatem verò personarum, sive subsistentiarum*. Anastasius Bibliothecarius Præfatione in septimam Synodum hæc scribit: *Sed & illud notandum, quoniam ubicumque in hujus Synodi textu subsistentiam posui, personam intelligi volui.*

Tertiò, passim & ordinatè Latini Patres usi sunt *Persona* nomine, ut id exprimerent, quod in Trinitate commune non est, sed singulare. Auctor libri de Trinitate, qui vulgò Novatiano tribuitur, auditque tanquam scriptor tertii sæculi, cap. 21. docet Christum *secundam esse personam post Patrem*. Eandem vocem in ordinario Latinorum usu fuisse, testatur Alexandrina Synodus, quæ anno 362. celebrata est sub Athanasio. Hieronymus epistola 57. quæ est ad Damasum Papam, sic loquitur: *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, aquales, coaternas.* Augustinus lib. 7. de Trinitate, capite 4. eundem Latinorum usum hisce verbis exprimit: *Itaque loquendi causa de ineffabilibus, ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est à nostris Gracis, una essentia, tres substantia; à Latinis autem, una essentia vel substantia, tres persona.* Symbolum, quod Athanasio, sed falsò, tribuitur, eandem adhibet vocem: *Alia est enim* (inquit) *persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.* Concilium Lateranense IV. eum terminum pariter adhibuit: *Nos autem* (ait capitulo 2.) *sacro & universali Concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quòd una quadam summa res est, incomprehensibilis quidem & ineffabilis, qua veraciter est Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres simul persona, ac singulatim qualibet earumdem.*

Quæres 1. quo tempore Latini personæ nomen usurpare cœperint ad id exprimendum, quod non commune, sed singulare est in SS. Trinitate?

Respondet Facundus Hermianensis lib. 1. pag. 19. personæ, ac subsistentiæ nomina tum primùm adhibita fuisse, cum orta est hæresis Sabellii: *Nam* (inquit) *sic Ecclesia Christi, etiam cum necdum ad distinctionem Patris, & Filii, & Spiritus sancti uteretur nomine persona, tres credidit & prædicavit, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Personarum autem nomen, nonnisi cum Sabellius impugnat Ecclesiam, necessario in usum prædicationis assumptum est, ut qui semper tres crediti sunt & vocati, Pater & Filius & Spiritus sanctus, uno quoque simul, & communi personarum nomine vocarentur.*

CAPUT II.

De nominibus, quibus Graci usi sunt, ut divinas personas exprimerent.

CONCL. GRæci Patres *Hypostasis* nomine usi sunt, ut id exprimerent, quod Latini personas.

Probatur. *Primò*, Dionysius Alexandrinus in responsione ad propositionem quartam Pauli Samosateni, de SS. Trinitate loquens, hæc scribit: *Dua hypostases (Patris scilicet & Filii) inseparabiles sunt, & subsistens Patris Spiritus, qui erat in Filio.*

2. Alexander Episcopus Alexandrinus, à quo Arius primum damnatus est, in Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum scribit, *proprio modo constantem hypostasim Filii significasse Joannem his verbis: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Addit postea, *Patris & Filii duas esse hypostasi naturas.*

3. S. Basilius Epistola 125. laudat S. Epiphanium, quòd tres hypostases admittendas esse scripsisset in literis, quas Antiochia ad eum dederat: *Illud insuper & mentem meam benè satis habuit, quod in reliquis egregiè accuratèque (ut theologum decebat) disputatis adjecit tua diligentia, necessum esse omni modo confiteri tres hypostases.*

4. Concilium Oecumenicum II. in Synodica ad Damasum, agnoscit unam divinitatem *in tribus perfectis subsistentiis* (græcè, hypostasibus) *sive in tribus personis*. Concilium Ephesinum Anathematismo 4. eodem utitur nomine: *Si quis duabus personis, sive hypostasibus, eas voces attribuit, quæ in Evangelicis & Apostolicis Scripturis passim occurrunt, & alias quidem homini, tanquam seorsim à Dei Verbo considerato, adscribit, alias vero tanquam Deo convenientes, soli Dei Patris Verbo adaptat, anathema sit.* Eandem loquendi rationem legere est in Concilio Chalcedonensi actione 5. nec non in Epistola Agathonis Papæ ad sextam Synodum, quæque ejusdem sextæ Synodi actione 4. refertur.

Quæres 1. utrum omnes Græci Patres *hypostasis* vocem usurpaverint pro persona, seu pro eo, quod in Trinitate commune non est, sed singulare?

Resp. negativè: nam 1. Nicæni Patres subsistentiam, seu (ut habet exemplar Græcum) hypostasim, cum substantia confudisse videntur in expositione fidei, ubi sic loquuntur: *Eos autem qui dicunt, Erat aliquando tempus, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat: & quia ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia subsistentia vel substantia ...... anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia.* 2. Epistola Synodica Concilii Sardicensis apud Thodoretum historiæ lib. 2. c. 6. (si tamen sit Concilii Sardicensis, nec enim apud Athanasium reperitur) fidem facit, damnatos esse Arianos, quòd *differentes esse hypostases assererent Patris & Filii & Spiritus sancti.* 3. Athanasius in Oratione quinta contra Arianos hæc scribit: *Ut autem unum est principium, & ideo unus Deus: ita plane ac verè una est, qua verè est essentia & hypostasis.* 4. Cyrillus Hierosolymitanus in eundem sensum scribit Catechesi sexta, Deum esse *multinominem & omnipotentem & unius hypostasis.*

Quæres 2. quo tempore Patres Græci hypostasim frequentius usurpare cœperint pro eo, quod in Trinitate singulare est?

Respondet Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 320. Græcos *Hypostasim*, pro eo, quod Latini personam appellant, frequentiùs usurpasse ab anno 319. Tunc scilicet Alexandriæ celebrata fuit Synodus, in qua (eodem Baronio teste) Osius Episcopus Cordubensis author fuit Patribus, ut desinerent hypostasim usur-

usurpare pro substantia, eaque voce uterentur solùm ad exprimendum id, quod in Trinitate non commune, sed singulare est.

CAPUT III.

Quo tempore Latini convenerint de adhibendo hypostasis nomine.

CONCL. LAtini Patres multis annis detrectarunt uti hypostasis nomine ad exprimendas personas SS. Trinitatis.

Probatur. *Primò*, ubi imperante Juliano Meletius Antiochenæ Ecclesiæ restitutus est, & Paulinus a Lucifero Calaritano ejusdem Ecclesiæ ordinatus est Episcopus, quòd omnes Catholici cum Meletio, Catholico quidem, sed ab hæreticis ordinato, qui eum Semiarianismo favere censebant, convenire detrectarent, gravis inter Meletianos & Paulinianos orta est de hypostasi controversia. Contendebant illi, tres hypostases esse in divinis admittendas; asserebant isti, unicam tantùm admitti debere: utrique sibi invicem hæreseos notam inurebant, Paulino quidem adhærentes, Meletianis Arianismum imponebant; Meletiani verò Sabellianismi Paulinianos insimulabant: *Qui* (verba sunt Basilii in Epistola 391.) *usiam & hypostasim idem esse statuunt, coguntur personas* (qua voce Meletiani solas functiones intelligebant) *tantummodò fateri esse diversas, & in eo ipso, quòd hypostases tres dicere verentur, Sabellii impietatem non videntur effugere, qui & ipse passim propriam notionem confundens, personas* (hoc est, ut intelligebat Basilius, functiones ac nomina) *distinguere conatur, unam & eandem hypostasim affirmans, pro eo atque res tulerit, variè transformari.* De eadem lite hæc habet Gregorius Nazianzenus oratione 32. *Diversæ fidei speciem præbuit levis illa & jejuna de vocum sono altercatio. Hic deinde & Sabellianismus ob tres personas excogitatus est, & Arianismus ob tres hypostases. Quorum utrumque pertinax contendendi studium effinxerat.*

Secundò, Athanasius litem de una, aut tribus hypostasibus, evocavit ad Concilium Alexandrinum, quod post obitum Constantii, imperante Juliano, anno 362. celebratum est.

Qui tres hypostases admitti debere contendebant, interrogati fuerunt in Alexandrina Synodo, an per tres hypostases intelligerent tres essentias, tres substantias, tria principia; quemadmodum intellexerant Ariani: *Interrogatique sunt* (verba sunt Epistolæ Alexandrini Concilii) *num pro Arianorum sententia alienas peregrinasque, ac diversa à se invicem substantia personas esse vellent, & unamquamque hypostasin per se ac seorsum divisam esse pro ratione cæterarum creaturarum, eorumque, qui ex hominibus nascuntur, existiment. An sic intelligant diversas res, quale est aurum, argentum, æs. An, ut alii heretici, sub istis vocibus tria principia, & tres maximos Deos constituant.* Cui quidem interrogationi Meletiani responderunt, se nequaquam id intelligere, quod quæsiti fuerant: *Cæterum illi affirmabant, se ita nec dixisse, nec sensisse.* Addiderunt, se ideò tres hypostases admittere, ne nomine tenus tantùm, sicut olim Sabelliani, Patrem Filium & Spiritum sanctum distinguere viderentur. *Percunctantibus autem nobis, qua ratione ista dicerent, aut cur omninò istiusmodi vocabulis uterentur, responsum dederunt, sese in Trinitatem credere, non qua nomine tenus Trinitas, sed quæ verè Trinitas esset, & subsisteret... Se scire, esse sanctam Trinitatem, at tamen una sit deitas & unum principium: & Filium se agnoscere coessentialem suo Patri (ut dixerunt Patres) & Spiritum sanctum non creaturam, neque alienum, sed proprium & indisgregatum ab essentia Patris & Filii.*

Econtra qui tres hypostases rejiciebant, contendebantque, unam tantùm in SS. Trinitate admitti debere, interrogati sunt, *num pro Sabelliano dogmate ea mente loquerentur, ut sublatos vellent in Trinitate Filium & Spiritum sanctum, quasi Filius essentia careat, aut Spiritus sanctus non subsisteret.* Ejusmodi autem quæstioni responderunt, se ideò tantùm tres hypostases rejicere, quòd hypostasis nomine usiam sive essentiam aut naturam intelligi crederent: *Qui & ipsi quoque affirmarunt, neque ita se dicere, neque se ita sensisse unquam, sed hypostasin eos intelligere idem esse cum usia: unam autem ideo sese hypostasim intelligere, partim quia Filius ex essentia Patris sit, partim quia in tribus identitas sit naturæ: unam enim sese deitatem, & unam naturam credere, neque aliam Patris, aliam Filii, aliam Spiritus sancti esse naturam.*

Ubi sive Meletio, sive Paulino adhærentes audierunt sibi invicem datam hypostasis interpretationem, mutuam inter se pacem inierunt, sese habuerunt pro Catholicis: *Illi* (verba sunt Epistolæ Synodicæ) *qui eo crimine postulati erant, quòd tres hypostases inducerent, cum istis in eandem sententiam convenerunt: vicissimque illi, qui unam hypostasim asseverarunt, istorum interpretationem acquieverunt: & ambæ factiones pariter Arium execratæ sunt ut Christi hostem: Sabelliumque & Paulum Samosatensem ut impios; Valentinum item & Basilidem ne alienos a veritate; Manichæum quoque ut malorum machinatorem.*

Tertiò, Paulinus (Epiphanio teste, hæresi 77.) Alexandrinæ Synodi decretum approbavit, sibique adhærentibus permisit, ut tam hypostases tres, quam unam hypostasim affirmarent: Econtra qui stabant a Meletii partibus, ejusdem Synodi decreto non obtemperarunt, exagitarunt nimirum eos, qui tres hypostases admittere detrectarent: *Non igitur, pro dolor!* (inquit Hieronymus Epist. 57. quæ est ad Damasum Papam) *post Nicænam fidem, post Alexandrinum juncto pariter Occidente decretum, trium hypostaseon ab Arianorum præsule, & Campensibus* (intelligit adhærentes Meletio, qui urbicis Ecclesiis ab Eudoxio, Arrianæ partis Antiochiæ Episcopo, exclusi, extra urbem in campis suos conventus celebrabant) *novellum a me homine Romano nomen exigitur. Qui, quæso, ista Apostoli prodidere? Quis novus magister gentium Paulus hæc docuit? Interrogamus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi. Tres personas subsistentes, ajunt. Respondemus, nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet.*

Post expositas adversùs Meletianos suas querimonias, Hieronymus profitetur, se tres hypostases dicturum, si Damasus dici jubeat: *Decernite* (inquit) *si placet, obsecro. Non timebo tres hypostases dicere, si jubetis: condatur nova post Nicænam fides, & similibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi.* Addit, ancipitem se hærere, quòd vox græca *hypostasis*, apud Latinos Scriptores non aliud significet, quam essentiam & substantiam: *Tota sæcularium literarum schola nihil aliud hypostasim, nisi usiam novit. Et quis ore sacrilego tres substantias prædicabit?* Optat, ut Damasus prohibeat dici tres hypostases: *Sufficiat nobis dicere unam substantiam, tres personas subsistentes, perfectas, æquales, coæternas. Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur. Non vanæ suspicionis est, cum in eodem sensu verba dissentiunt. Sufficiat nobis memorata credulitas.* Repetit deinde quæ dixerat initio: *Aut si rectum putatis, tres hypostases cum suis interpretationibus debere nos dicere, non negamus; sed mihi credite, venenum sub melle latet.*

Ex iis, quæ huc usque dicta sunt, patet 1. Græcos pluribus annis non admisisse Latinorum de tribus personis, & una in Trinitate essentia, loquendi modum. Patet 2. Latinos pluribus etiam annis detrectasse Græcorum de tribus hypostasibus, & una essentia loquendi morem. Patet 3. utrosque, sive Græcos, sive Latinos,

non

non de re, sed de nomi[illegible] tantùm litigasse; ac proinde æqualiter fuisse Catho[illegible]os, & eos, qui unam tantum hypostasim, & eos, qui tri[illegible] adm[illegible]tebant. Patet 4. græcam vocem, *Hypostasis*, & Latinam, *Persona*, soloufu Ecclestastico, non autem sæculari & grammatico, adhiberi ad id exprimen[illegible]um, quod in SS. Trinitate singulare est, Patrem nimirùm, aut Filium, aut Spiritum sanctum. Patet denique 5. p[illegible] q[illegible]tum sæculum, sive Latinos, sive græc[illegible] *hypostasim* passim non sumpsisse pro essentia, sed t[illegible]ntum pro per[illegible]na, quam & substantiam (ut superius observatum est) nostri majores nonnunquam appel arunt.

QUÆSTIO II.

De Personarum divinarum essentia.

Not. UT quæ ad divinarum persooarum essentiam pertinent, explicentur, quærendum est 1. quid sit persona in genere: 2. utrum divinæ per onæ per aliquid absolutum, an verò per relativum constituantur.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Persona in genere sumpta.

CONCL. PErsona in genere rectè definitur, *Individua sub[illegible] entia completa naturæ rationalis.*

Explicatur conclusio. Persona dicitur 1. *Substantia*, eò quòd soli substantiæ conveniat, scilicet accidentia non sunt personæ. Dicitur 2. substantia *individua*, seu non tantùm, quæ sit singularis, sed etiam quæ sit incommunicabilis alteri, unde essentia divina, prout est essentia, non est persona, quia sic considerata, communicari potest, & revera Patri, Filio ac Spiritui sancto communicatur. Ob eandem rationem, licèt humanitas Christi sit humanitas singulari, non est tamen persona. Dicitur 3. individua substantia *completa*, neque enim pes, manus, imò nec anima rationalis, sunt personæ: nam licet pes sit completus in ratione pedis, manus in ratione manus, anima in rati ne animæ; absolute tamen loquendo, non sunt aliquid completum, nimirùm pes & manus ordinantur ad corpus, cujus sunt partes, & anima ad corpus, cum quo conjuncta constituit hominem. Dicitur 4. individua substantia completa *naturæ rationalis*, per quæ quidem verba substantiæ, quæ merè sunt materiales, excluduntur a ratione personæ.

Ex tradita ac explicata ea definitione personæ Sylvius colligit, quinque requiri ad rationem personæ: Primum, quod sit in genere substantiæ: Secundum, quòd sit naturæ intellectualis: Tertium, quod sit ens completum: Quartum, quod sit quid incommunicabile: Quintum, quòd subsistat per se separatim ab aliis, hoc est, in nullo alio supposito, a quo sustentetur.

Quæres utrùm suppositum, hypostasis, subsistentia, idem significent, quod persona?

Resp. affirmativè, cum hoc tamen discrimine, quod suppositum, subsistentia, hypostasis, latiùs pateant, quam persona: nempè illa nomina conveniunt omni enti completo incommunicabili, persona verò soli natu æ intellectuali: nonnunquam tamen, cum de divinis agitur, pro eodem sumuntur; unde sicut dicitur, quod in Trinitate sint tres personæ, ita dicitur, qu[illegible] sint tria supposita, tres subsistentiæ, tres hypostases. Vide, quæ de eorum nominum usu hujutce dissertationis quæstione prima dicta sunt.

CAPUT II.

Per quid Persona divina constituantur.

CONCL. IN divinis, Personæ non constituuntur per aliquid absolutum, sed per aliquid rel[illegible]tivum: hoc est, Persona in divinis non sign[illegible]cat a[illegible]quid absolutum, sed tantum aliquid relativum: seu nusquam sumitur pro essentia, natura, substantia d[illegible]ina, sed tantùm in concreto, aut pro Patre, aut pro Filio, aut pro Spiritu sancto; & in abstracto, vel pro Paternitate, vel pro Filiatione, vel pro Spiratione passiva.

Probatur 1. Personæ per id in divinis constituuntur, per quod numerum faciunt; quod enim in divinis numerum non facit, non est persona; atqui id, per quod in divinis personæ numerum faciunt, non est aliquid absolutum, sed relativum tantùm; quod enim est absolutum in divinis, unum est omninò tum in Patre, tum in Filio, tum in Spiritu sancto; igitur in divinis personæ non c[illegible]nstituuntur per aliquid absolutum, sed tantùm per aliquid relativum.

Confirmatur argumentum ex Patribus. Augustinus tractatu 39. in Joannem sic loquitur: *Hoc solo numerum insinuat, quod ad invicem sunt, non quod ad se sunt:* Sermone 58. de Verbis Domini, divisionem pariter, seu distinctionem repetit ab ingenito & genito, quæ haud dubie sunt relativa: *Nec aliqua alia causa est* (inquit) *qua divisionem faciat personarum, nisi quod hic ingenitus est, & ille genitus, id est, hic Pater est, & ille Filius.*

Fulgentius in libro de Trinit[illegible]te, expresse docet, personas in divinis multiplicari, quòd relationem importent: *Pater* (ait) *non sibi est, sed Filio. Filius non sibi est, sed Patri. Spiritus alicujus est adspirantis, ergo ad Patrem, Filiumque refertur. Illa itaque relativa nomina Trinitatem faciunt: essentialia verò nullo modo multiplicantur.*

Toletanum Concilium XI. hæc in eundem habet scopum: *In relatione personarum numerus cernitur, in divinitatis vero substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt.* Non alia Bernardo fuit mens, cum adversùs Petrum Abaelardum hæc scripsit Epist. 190. *Nam quod alter ex altera, vel alter ad alterum veracissimè dicitur, personarum sanè designatio est, non unitatis divisio.* Concilium Lateranense IV. cap. *Damnamus*, unitatem in Trinitate repetit ex absoluto, essentia nimirùm; sed numerum & mu tiplicationem repetit ex relativis: *Una*, (inquit) *summa res est, quæ nec est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater, qui generat, Filius, qui gignitur, & Spiritus sanctus, qui procedit, ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura.* Ex laudatis Patrum textibus evidenter pat[illegible]t, ea tantùm, quæ sunt relativa, facere numerum in divinis, ac proinde ea sola constituere personas, a quibus (ut dictum est) numerus in Trinitate desumitur.

Probatur 2. Per id tantùm personæ divinæ constituuntur, quod in Trinitate singulare est, non commune: scilicet, quod est commune, essentiam, seu naturam, constituit, ac proinde id tantum debet constituere personas, quod est singulare, cum ipsæ personæ non sint communes, sed singulares, ita ut sibi invicem minime communicentur; atqui solum relativum in Trinitate singulare est, cum e contra omne, quod est absolutum, sit commune: sic Paternitas primæ tantùm personæ, Filiatio secundæ tantum, Spiratio passiva Spiritui sancto, duntaxat convenit; & contra quidquid est absolutum, sive sit natura, sive sint attributa, communia sunt, cum ex æquo in singulis personis reperiantur.

Confirmatur argumentum ex Patribus. Basilius Epist. 391. sic loquitur: *Commune, est deitas; proprium, est paternitas.* Epistola 349. relationes paternitatis, fi-

lietatis, & [illegible] ficationis vocat [illegible] tatas personæ cujusque notas & characteres, Gregorius Nazianzenus Orat. 39. hæc scribit: *Adoramus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; ita ut proprietates* (quæ non aliud sunt, quam relationes) *distinguamus, divinitatem autem unam faciamus.*

Theodoretus Dialogo 1. hæc habet: *Alorum, quæ de divina natura dicuntur, communia sunt Patris & Filii & Spiritus sancti, ut sunt, Deus, Dominus, Omnipotens, & id genus alia: Quæ vero [illegible] sunt, non jam ea sanctæ Trinitatis communia sunt, sed illius [illegible] unum quodque est, cujus est proprium.* Cyrillus lib. 11. Commentariorum in Joannem, asserit, *nihil esse, quod Filium à Patre dividat, ac differre faciat, quo minus in omnibus similis, æqualisque sit, præter hoc unum, quòd Pater est.* Similem loquendi modum passim usurpat Augustinus in suis de Trinitate libris.

Probatur 3. Per id divinæ personæ non constituuntur, quod dicitur ad se, non ad alium: atqui quod dicitur ad se, non ad alium, est absolutum: ergo personæ divinæ non constituuntur per [illegible] absolutum. Minor est evidens, unde probatur major. Per id personæ non constituuntur, quod significat Dei substantiam: substantia enim Dei est [illegible] unicabilis, cum e contra personæ sint incommunicabiles, unde Concilium Florentinum in decreto fidei asseruit: *Omnia, quæ Patris sunt, [illegible] Patrem [illegible] genuit Filio suo, gignendo, dedit, præter esse Patrem.* Atqui quod ad se dicitur, significat Dei substantiam: *Quapropter* (inquit Augustinus lib. 5. de Trinitate, capite 8.) *illud præcipuè teneamus, quidquid ad se dicitur præstantissima illa, & divina sublimitas, substantia liter dici: quod autem ad aliquid, non substantialiter, sed relative.* Ex eo autem principio S. Doctor concludit, singula, quæ ad se dicuntur, sive sint natura, sive sint attributa, substantiam non autem personas, significare: *Quidquid ergo* (ait) *ad se ipsum dicitur, Deus, & de singulis personis singulariter dicitur, id est, de Patre, & Filio, & Spiritu sancto, & simul de ipsa Trinitate non pluraliter, sed singulariter dicitur.*

Objicies 1. Personæ divinæ per id constituuntur, quod [illegible] se: sed id quod dicitur ad se, non est relativum, [illegible] absolutum, Augustino teste lib. 5. de Trinitate, [illegible] ergo divinæ personæ constituuntur per aliquid absolutum, non autem per aliquid relativum. Probatur major ex Augustino, qui lib. 7. de Trinitate, cap. 6. sic loquitur: *Non enim est aliud Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem.*

Ad hæc [illegible] illam idem Augustinus probat ex eo, quòd alioquin sequeretur, non alio modo dici tres personas in Trinitate, quam quo in humanis dicuntur tres amici, tres propinqui, tres vicini: *Nam si [illegible] ad se dicitur, persona verò relativè, sic dicamus tres personas, Patrem Filium & Spiritum sanctum, quemadmodum dicuntur aliqui tres amici, aut tres propinqui, aut tres vicini, quod sint ad invicem, non quod unusquisque eorum sit ad seipsum.*

Addit S. Doctor, eodem modo Patrem dici personam, quo dicitur Deus, & magnus & bonus: *Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est; ita [illegible] persona Patris non aliud quàm ipse Pater est; ad se quippe dicitur persona, non ad Filium vel Spiritum sanctum; [illegible] Deus & magnus, & bonus, & justus, & [illegible] quid aliud [illegible]:* Ergo, ex Augustino, personæ divinæ [illegible] constituuntur, quo [illegible] dicitur ad se [illegible] per [illegible], non autem per relativum [illegible].

Resp. 1. neg. maj. Ad 2. [illegible] propterea partem [illegible] est Deus [illegible] aut [illegible] concedant. nimirum esse Deum sive summa [illegible] existere [illegible] non distinctum [illegible] enim est in Deo, Deus est:

Ex parte nostræ intellectus, [illegible] distinguit cum fundamento in re, neg. [illegible]

Ad alteram [illegible] partem, respondendum est [illegible] Sequeretur, Patrem, Filium, & Spiritum [illegible] tres personas, sicut [illegible] tres [illegible], quantum ad aliquid, [illegible] neg. [illegible] Totum esse [illegible] tra in divinis totum [illegible] est ad aliud: [illegible] dem in ea persona & ei [illegible] proprie [illegible] sentia [illegible] duplex [illegible] ceptu formali esse, non est ad aliud; ac proinde nec persona est ad aliud secundum totum, ac adæquatum [illegible] esse.

Ad tertiam partem ejusdem antecedentis respondendum est pariter cum [illegible]: Pater ad se [illegible] persona, sumendo personam directe & in obliquo, conc. ant. sic enim sumpta, est [illegible] esse [illegible]. Sumendo personam directè & in obliquo, neg. ant. In Patre persona directè & in recto dicit [illegible] ad Filium: non enim dicitur ac in recto persona Patris [illegible] est, quam esse Patris: [illegible] esse Patris [illegible] esse rel[illegible] siquidem aliquid non potest habere esse Patris [illegible] ipsum. Itaque ex illo Augustini [illegible] conclusionem objectus est, hoc unum [illegible] colligi potest, scilicet, idem a parte rei esse personam & essentiam in divinis; personam dici ad se, secundum indirectum sui conceptum, hoc est, prout est una ac eadem res cum essentia, [illegible] secundum directum conceptum: sic enim [illegible] distinguitur [illegible] ab essentia, nec aliud habet esse, quam [illegible].

Jam vero qu[illegible] fuerit Augustini mens, ostendi potest ex [illegible], [illegible] S. Doctor ex loci sibi proposito, Quærit, cur in Deo [illegible] tres personæ, quam tres substantiæ: [illegible] lib. 7. de Trinitate c. p. [illegible] *dicuntur tres personæ, quàm tres substantiæ* Ubi vero tacite subjicit [illegible] responsionem, qua [illegible] tres substantiæ [illegible] substantia [illegible] idem [illegible] esse [illegible] certum [illegible] unam [illegible] in Deo [illegible] habere [illegible] esse [illegible] responsionem [illegible] supposuit, [illegible] pugnat afferens personam non minus esse [illegible] rei cum essentia, quam [illegible] *Non enim aliud est* (inquit cap. 6.) *eadem ratio est [illegible] Deo esse, aliud personam esse.* Recta autem [illegible] ratio [illegible] Latinos [illegible] tres personas [illegible] quam quod [illegible] dicendi, Patrem, Filium, & [illegible] dictum esse tres personas, non [illegible] in persona sit idem [illegible] capite 6. *Cur ergo non hæc tria simul unam personam dicimus, sicut unam essentiam, & unum Deum, sed tres dicimus personas, cum tres Deos aut tres essentias non dicamus, nisi quia volumus, vel unum aliquod vocabulum servire huic significationi, qua intelligitur trinitas, ne omnino taceremus interrogati, quid tres, cum tres esse fateremur?* [illegible] quoque liberum [illegible] Græcorum loquendi morem, qui licet unum Deum con[illegible] substantias [illegible] hypostases [illegible] exprimere: *Quanquam & illi si vellent, sicut dicunt tres substantias, tres hypostases, possent dicere tres personas, tria prosopa. Illud autem maluerunt, quod forte secundum linguæ suæ consuetudinem aptius diceretur.*

Objicies 2. Persona prius est in divinis secundum nostrum concipiendi modum, quam relatio: ergo persona non constituitur per relationem, sed per absolutum: neque enim quod prius est, constituitur per id quod est posterius [illegible] relativo, quod est prius [illegible] quod est prius [illegible] relativis; sed persona in divi-

divinis prius est eo quod est principium relativi: scilicet est prior intellectione & volitione, quæ sunt principium *Quo* immediatum relativi, sive in Patre, sive in Filio, sive in Spiritu sancto.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. min. Persona secundùm aliquem respectum est prius eo quod est principium relativi, conc. min. est prius secundum omnem respectum, neg. min. Persona in divinis duo dicit, unum quod est veluti materiale, essentiam nimirùm divinam, cum qua personæ sunt realiter idem; & aliud quod est veluti formale, seu respectus ad aliud. Persona priore modo sumpta prius est secundum nostrum concipiendi modum intellectione & volitione, non autem si posteriore modo sumatur. Vide, quæ ad argumentum simile superius dicta sunt quæst. 7. tertiæ dissertationis.

QUÆSTIO III.

De proprietatibus personarum in divinis.

Not. INter proprietates divinarum personarum in commuui, recenseri possunt appropriatio, æqualitas, circumincessio, notiones, missio, de quibus subsequenti multiplici capite scorsim est a nobis agendum, ad regulas & principia quæ 1. p. traduntur a S. Thoma iis quæstionibus, in quibus de hujusmodi proprietatibus S. Doctor disserit.

CAPUT PRIMUM.

De appropriatione in divinis.

Not. APpropriatio nihil aliud est, quàm modus loquendi, quo quædam attributa, quædam operationes, uni personæ potiùs quam alteri tribuuntur.

CONCLUSIO. Appropriatio locum habet in personis divinis.

Probatur. Appropriatio est loquendi modus quo quædam, sive operationes, sive attributa, alioquin tribus personis communia, specialiter tamen uni personæ præ aliis tribuuntur: Sed in divinis locum habet ejusmodi loquendi modus, ut patet ex iis Scripturæ locis, in quibus omnipotentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto tribuuntur: ergo appropriatio locum habet in personis divinis.

Quæres 1. in quo fundetur appropriatio, quæ locum habet in divinis.

Resp. eam fundari tum in eminentia divinarum personarum, tum etiam in imbecillitate intellectus creati. Et sane cum mens creata personales Dei proprietates difficilè concipere possit, eo quòd in nullo ferè cum proprietatibus personalibus creaturarum conveniant, eas per essentiales proprietates, quòd magis notæ sint, apprehendit, servatis tamen quibusdam congruentiis.

Quæres 2. quænam sint eæ congruentiæ, quæ requiruntur ad appropriationem.

Resp. esse quadruplices, nimirùm congruentiam *esse, unitatis, virtutis, habitudinis*; nam illa quatuor, esse, unitas, virtus, habitudo, considerari possunt in divinis.

Hinc fit 1. ut quæ nonnullam habent similitudinem cum *esse* personarum, illis specialiter tribuantur: Sic Hilarius lib. 2. de Trinitate, paulò post principium, æternitatem Patri, speciem Filio, usum Spiritui sancto specialiter appropriat: *Æternitas (inquit) est in Patre, species in imagine, usus in munere*; siquidem æternitas, species, usus, quandam habent analogiam cum esse Patris, Filii, ac Spiritus sancti: scilicet quemadmodum Pater habet esse, quod est sine principio, ita & æternitas. Cùm esse Filii in eo positum sit, quod sit Verbum, seu imago, meritò [illegible] pulchritudo Filio tribuitur, non enim est imperfecta, sed perfectissima Patris imago. Cùm esse Spiritus sancti sit amor, usus illi tribuitur, eo quòd amor ad usum, sive fruitionem tendat.

Hinc etiam fit 2. ut quæ unitatem designant, Patri tribuantur, quæ verò æqualitatem Filio, quæ concordiam Spiritui sancto, juxta illud Augustini lib. 6. de Trinitate, cap. 10. *In Patre est unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto æqualitatis unitatisque concordia.* Nec mirum; nam quemadmodum unitas non præsupponit aliud: ita nec Pater præsupponit aliam personam, cum sit primum principium. E contra, cum æqualitas aliud supponat, cum quo fit æqualitas, convenit ut appropriatur Filio, qui alium, Patrem nimirùm, præsupponit. Tandem sicut concordia est duorum unio, ita Spiritus sanctus est Patris, ac Filii vinculum, scilicet est amor utriusque.

Hinc quoque fit 3. ut quæ virtutem exprimunt, tribus personis, sed diversimodè conveniant: sic convenit, ut potentia tribuatur Patri, eo quod potentia habeat rationem principii, quæ quidem ratio est intrinseca Patri, sapientia Filio; cum enim sit Verbum, nihil aliud est quam conceptus sapientiæ. bonitas denique Spiritui sancto, eò quod bonitas sit objectum amoris, per amorem autem Spiritus sanctus suum habet esse.

Hinc etiam fit 4. ut nomina, quæ exprimunt habitudinem ad creaturam, modò Patri, modò Filio, modò etiam Spiritui sancto tribuantur. Quæ designant veluti causam materialem, ut hæc præpositio *Ex*, Patrem significant, cum est quæstio de operationibus, ad intra: sic sensus hujus propositionis, qua Patres sæpius usi sunt adversus Arianos: *Pater Filium genuit ex se, ex sua substantia*, est, quod Pater Filium non genuerit ex nihilo, ut contendebant Ariani; sed ex sua substantia veluti causa materiali, in quantùm nempè propriam suam essentiam communicavit. Cum autem eadem præpositio *Ex*, refertur ad operationes ad extra, significat causam efficientem, ac proinde tribuitur Patri, cum ei appropriatur potentia, quæ causæ efficienti propria est. Quæ significant causam mediam, ut præpositio *Per*, tribuuntur Filio, per eum enim Pater creaturas omnes eduxit ex nihilo, juxta illud Joannis capite 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Tandem quæ significant Dei in res creatas propensionem, appropriantur Spiritui sancto: propter eam rationem præpositio *In*, nonnunquam illi tribuitur. Hinc patet, quam meritò hæc scribat Augustinus lib. 6. de Trinitate, cap. 10. *Non confusè accipiendum est quòd ait Apostolus, Ex ipso, & per ipsum, in ipso. Ex ipso dicens, propter Patrem; Per ipsum, propter Filium, &, In ipso, propter Spiritum sanctum.*

Hinc denique fit 5. ut quæ aliqua ratione conveniunt operationibus, per quas Filius, & Spiritus sanctus producuntur, ipsis etiam specialiter approprientur. sic veritas, scientia, sapientia, Filio tribuuntur, quia veritas, scientia, sapientia sunt in intellectu, per quem Filius a Patre generatur; Propriè igitur locutus est Christus, cùm ait Joannis 14. *Ego sum via, veritas, & vita.*

CAPUT II.

De æqualitate divinarum personarum.

Not. ÆQualitas considerari potest, vel ratione esse, vel ratione attributorum, vel ratione relationum.

CONCLUSIO 1. Personæ divinæ sunt æquales tum in esse, tum in attributis.

Probatur. Ea sunt æqualia tum in esse, seu essentia, tum in attributis, in quibus eadem est numero essentia, eadem prorsùs sunt attributa; atqui in unaquaque

SS. Trinitatis persona eadem est numero essentia, eadem prorsus sunt attributa: nimirum cum essentia, & attributa sint quid absolutum, singulis personis communia sunt: ergo personæ divinæ sunt, &c.

Objicies 1. Esse, omnipotentia, tribuuntur specialiter Patri; nam Pater est qui sic loquitur in Exodo, *Ego sum, qui sum*: sapientia Filio, & amor Spiritui sancto: ergo nec eadem essentia, nec eadem attributa conveniunt singulis personis SS. Trinitatis.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo nec eadem essentia, nec eadem attributa reperiuntur in singulis personis, secundùm modum loquendi, quem Theologi vocant appropriationem, conc. conseq. non reperiuntur a parte rei, neg. conseq. Solutio patet ex iis, quæ de appropriatione, superiori capite, dicta sunt.

Objicies 2. Æternitas in divinis non convenit Filio & Spiritui sancto, licet conveniat Patri: ergo personæ SS. Trinitatis non sunt æquales. Probatur ant. Æternitas non convenit iis, quæ principium habent: nimirùm æternitas non minùs caret principio, quam fine; atqui Filius, & Spiritus sanctus habent principium; neq; enim sunt à se ipsis, cum ab alio procedant, ut supra dictum est: ergo nec Filio, nec Spiritui sancto convenit æternitas.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. maj. Illis non convenit æternitas, quæ principium habent durationis, conc. maj. supponunt enim aliquam durationem ante se: Quæ principium habent originis, neg. maj. Hocce principii genus convenit Filio, ac Spiritui sancto, non autem illud. Confirmatur ex eo, quod natura divina in Patre sit æterna, ac perfecta, ac proinde id operatur ab æterno, quod producit necessariò: ergo cum necessariò generet Filium, & spiret Spiritum sanctum, ab æterno illum generat, & istum spirat. Vide rationem illam fusè pertractatam apud S. Thom. 1. p. q. 42. art. 2. in corp.

Objicies 3. Illæ personæ sunt æquales, in quorum aliqua reperitur dignitas, quæ non est in aliis; atqui in una ex divinis personis reperitur dignitas, quæ non est in aliis: scilicet Paternitas est dignitas, sed paternitas quæ reperitur in Patre, non est in aliis personis: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. Paternitas secundùm id, quod dicit absolutum, est dignitas, conc. maj. secundùm id, quod dicit relativum, neg. maj. Ratio est, quia relationes in divinis, ut superius ostensum est, non sunt perfectiones simpliciter simplices, ac proinde non meliores sunt ipsæ, quam non ipsæ: non ex eis igitur, sed tantùm ex absolutis, petitur ratio dignitatis; unde cum Paternitas secundùm id, quod dicit absolutum seu ratione essentiæ, sit in singulis personis, id totum quod dignitatem importat, in singulis reperitur.

CONCLUSIO 2. In divinis, Personæ sunt æquales ratione relationum.

Probatur. Eæ personæ sunt æquales ratione relationum, quarum relationes sunt prorsùs æquales: atqui relationes divinarum personarũ sunt prorsus æquales: siquidem cum (ut jam observatum est) non sint perfectiores simpliciter simplices, una non est dignior alia: ergo &c.

Objicies. Unaquæque relatio in Trinitate non est æquè perfecta, ac omnes simul sumptæ: neque enim para tantam habet perfectionem, quantam totum: ergo personæ, taliter seorsim sumptæ, non sunt æquales personis simul sumptis.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Pars non tantam habet perfectionem, quantam totum, propriè sumptum, conc. maj. sic anima seorsim sumpta non habet totam perfectionem, quæ convenit homini cujus est pars: Quam totum impropriè sumptum, neg. maj. Relationes, etiam simul sumptæ, non efficiunt totum priore modo sumptum, quia totum propriè sumptum constat partibus a se invicem quoad esse & existere distinctis: at relatinnes in divinis non sunt ejusmodi, habent enim eandem tum essentiam tum existentiam; unde mirum non est, quòd una relatio totam perfectionem habeat, quæ in omnibus simul sumptis reperitur.

Confirmatur respnnsum ex eo, quòd (ut jam observatum est) perfectio aut imperfectio petantur ex esse & existere, seu ex absolutis; ac proinde & æqualitas aut inæqualitas: siquidem æqualitas aut inæqualitas nihil aliud sunt, quam major vel minor quantitas perfectionis in aliquo subjecto per comparationem ad aliud. Unde meritò S. Thomas 1. p. q. 42. art. 4. ad 3. sic loquitur: *Ad tertium dicendum, quòd relatio in divinis non est totum universale, quamvis de singulis relationibus prædicetur, quia omnes relationes sunt unum secundùm essentiam & esse ...... Unde neque omnes relationes sunt majus aliquod, quàm una tantùm, quia tota perfectio divinæ naturæ est in qualibet personarum.*

CAPUT III.

De Circumincessione persuarum in divinis.

Not. 1. **N**Omine Circumincessionis intelligitur inhabitatio mutua unius personæ in alia, aut (ut alii loquuntur) mutua personarum immeatio, aut penetratio.

Not. 2. Licèt quæstio de Circumincessione, merè scholastica videatur, non levis tamen est ponderis: ex ea enim, si semel supponatur, invictum argumentum sumitur, tum adversùs Arianos, tum etiam contra Sabellianos. Et quidem 1. si Pater sit in Filio, & vicissim Filius in Patre, necessariò consubstantiales erunt: siquidem uterque immensus erit, uterque increatus: nempè qui non est immensus, esse non potest in omnibus locis, in quibus Deus existit, qui non est increatus, penetrare non potest divinam essentiam, intimè eam pervadere non potest. 2. Si unus non sit ab altero distinctus, dici non poterit esse in altero; alteri quoque non poterit, quòd alterum pervadat, penetret, inhabitet. *Ea ipso* (inquit Cyrillus Alexandrinus in libro Thesauri XII.) *quòd ait Christus, hunc in illa, & illum in hoc videri: identitatem deitas, & unitatem substantiæ monstrari dicit, Cum autem alterum in altero inesse asserit, excludi illud, ne quis unum aliquid esse numero putet.*

CONCLUSIO. In personis divinis admitti debet Circumincessio.

Probatur 1. ex Scriptura. Joannis 14. Christus sic Apostolos alloquitur: *Non creditis, quia ego in Pater, & Pater in me est?* Paulò post hæc etiam habet: *Pater in me manens, ipse facit opera.* Capite 17. sic Patrem alloquitur: *Sicut tu Pater in me, & ego in te.* Ex iis autem textibus sic conficitur argumentum: Circumincessio est proprietas, per quam personæ sunt invicem in se ipsis: atqui proprietas illa debet in divinis admitti, cum Christus expresse asserat, se esse in Patre, & Patrem in illo esse.

Probatur 2. ex Patribus. 1. Pentapolitani tertio, Ecclesiæ sæculo Dionysium Alexandrinum accusarunt quasi in suis adversùs Sabellianos epistolis Patrem a Filio & Spiritu sancto separasset; eam verò calumniam Dionysius Alexandrinus multis confutat in sua ad Dionysium Romanum apologia. Vide textu, quos ex illo opere protulimus agentes de Verbi divinitate. 2. Athanasius adversùs Arianos agens, ut videre est Oratione quinta, sæpiùs asserit, Verbum *impartibile, & inseparabile esse à Patre, quòd Verbum sit in Patre & vicissim Pater in verbo.* 3. Augustinus, ubi libro 6. de Trinitate, cap. ult. docuit, quòd tantam habeat unaquæque persona perfectionem, quantam tres simul sumptæ, hæc addit;

dit: *Ita & singula sunt in singulis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, & unum omnia.*

Probatur 3. ratione theologica. Illa sunt in se invicem, quæ eandem numero ac indivisibilem essentiam habent: siquidem, quæ eandem ac indivisibilem habent essentiam, separari minimè possunt; ubi est unum, necesse est, ut sit aliud: atqui tres personæ SS. Trinitatis eandem ac indivisibilem habent essentiam, ergo sunt in se invicem.

Objicies 1. Si Pater sit in Filio, paternitas erit in Filio: siquidem Pater, qua Pater est, habet necessariò formam, per quam est Pater; ea autem forma non alia est, quàm paternitas; atqui paternitas non est in Filio; scilicet si paternitas sit in Filio, Filius erit Pater: Ille enim est Pater, in quo est paternitas: Sed Filius non est Pater, ut fides docet: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. sequelam majoris. Ad 3. dist. maj. Ille est Pater, in quo est paternitas per modum formæ & proprietatis personalis, conc. maj. non per modum formæ & proprietatis personalis, neg. maj. Ut aliqua persona sit Pater, non sufficit, ut ei quoquo modo paternitas insit, sed prætereà requiritur, ut in eo sit per modum formæ & proprietatis personalis: at sic non est in Filio, sed tantùm per simplicem identitatem cum essentia. Hinc patet, personas SS. Trinitatis non esse tantùm in invicem secundùm essentiam, sed etiam secundùm relationem; sed non per modum relationis, sed tantùm per modum identitatis cum essentia, seu natura: hincque fit, ut Ecclesia meritò canat: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

Objicies 2. Quæ se invicem excludunt, non possunt esse in se mutuò; atqui personæ SS. Trinitatis se invicem excludunt: nam quæ relativè opponuntur, sese invicem excludunt: sic terminus ad quem refertur fundamentum relationis, excludit fundamentum: nec mirum; idem enim ad se ipsum referri non potest: Sed personæ SS. Trinitatis opponuntur relative, nimirum ratione Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passivæ: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. Quæ secundùm omnia opponuntur relativè, sese invicem excludunt, conc. maj. quæ secundum aliqua tantum, neg. maj. Personæ SS. Trinitatis opponuntur quidem relativè secundùm aliqua, hoc est, prout dicunt relationes, quæ se habent per modum formæ determinantis essentiam divinam, ut sub tali ratione existat, seu sub ratione Patris, aut Filii, aut Spiritus sancti: verum non opponuntur relativè secundum omnia, imò conveniunt secundum essentiam: nam paternitas est realiter & entitativè idem cum essentia divina, quæ quidem est quoque realiter ac entitativè idem cum Filiatione & Spiratione passiva. Quæ mox tradita est responsio, desumpta est ex S. Thoma, qui 1. p. q. 42. art. 5. ad 3. sic loquitur: *Dicendum, quòd Pater & Filius opponuntur secundùm relationes, non autem secundùm essentiam, & tamen oppositorum relativè unum esse in altero, ut dictum est* in corpore articuli.

C A P U T IV.

De notionibus Personarum in divinis.

Not. 1. PEr notiones hic intelliguntur nomina, quæ characterem cuique personæ proprium exprimunt: sic Paternitas, Filiatio, Spiratio passiva, dicuntur notiones, quia exprimunt characteres, qui non sunt communes tribus personis, sed cuique personæ proprii.

Not. 2. Ad notionem tria requirunt. Primò necesse est, ut exprimat aliquam dignitatem: 2. ut dicat aliquid speciale ac distinctivum: 3. ut pertineat ad originem: nihil enim in divinis est distinctivum & speciale, nisi id, quod ad originem pertinet.

Not. 3. De notionibus quæri potest 1. utrum personis divinis attribui debeant: 2. quantus sit earum numerus: 3. quænam sint earum proprietates.

CONCLUSIO 1. Notiones attribui debent divinis personis.

Probatur. Ex observatis, notiones sunt nomina, quæ exprimunt characteres cuique personæ speciales; atqui ejusmodi nomina debent attribui personis divinis: iis enim tum a Scriptura, tum a Patribus attribuuntur: nimirum prima persona dicitur Pater, altera Filius, tertia Spiritus sanctus. Prior dicitur generans, altera genita, tertia producta. Iis terminis notionalibus utuntur Symbola omnia; eos quoque legere est in Concilio Lateranensi IV. cap. *Damnamus.*

Quæres, utrum in divinis sit fundamentum reale, quo termini notionales nitantur?

Resp. affirmativè: siquidem in divinis sunt realiter processiones: nimirùm a parte rei Filius producitur à Patre; & Spiritus sanctus ab utroque simul; atqui processiones sunt fundamentum terminorum, quos notionales vocant; siquidem processiones sunt (ut suo dictum est loco) fundamenta relationum: at termini notionales nihil aliud sunt, quam ipsæmet relationes, quæ variis modis exprimuntur: unde (ut rectè refert S. Thomas ex Magistro Sent.) *Generatio & nativitas, aliis nominibus dicuntur paternitas & filiatio.*

CONCLUSIO 2. Nec plùs, nec minùs sunt quàm quinque notiones in divinis: Innascibilitas nimirùm, Paternitas, Filiatio, Spiratio activa & Spiratio passiva.

Probatur. Ex observatis, tot sunt notiones in divinis, quot sunt characteres divinis personis speciales: Sed characteres illi nec plùs nec minus sunt, quam quinque, scilicet, quos in conclusione recensuimus: siquidem characteres nec plus sunt nec minus, quam qui oriuntur ex divinis processionibus; nempè solæ processiones sunt in divinis principium multiplicationis & distinctionis; atqui nec plus nec minus quam quinque characteres oriuntur ex processionibus divinis: nam in processionibus tria tantum considerari possunt, principium, terminus, negatio tum principii tum termini; atqui ex iis tribus nec plus nec minus quam quinque characteres oriuntur. Scilicet negatio tum principii tum termini constituit Innascibilitatem, quæ soli Patri convenit: Pater enim nec habet principium, a quo oritur, nec est terminus alicujus actionis. Ratio principii constituit Paternitatem & Spirationem activam: nimirum Pater est principium, à quo Filius oritur: Pater & Filius sunt principium, à quo Spiritus sanctus producitur. Terminus vel est respectu actionis generativæ, quæ convenit Patri, vel respectu activæ spirationis, quæ Patri Filioque convenit: si primum, constituit Filiationem; si verò secundum, constituit Spirationem passivam: ergo nec plus nec minus quàm quinque characteres oriuntur ex iis, quæ in divinis processionibus considerari possunt.

Objicies 1. Negatio non potest esse notio alicujus divinæ personæ: siquidem notio debet nos deducere in cognitionem personæ, cui attribuitur: ad eam autem cognitionem negatio non deducit; neque enim positivum, ut est persona, innotescit per negativum; sic qui diceret, arbor non est lapis, nequaquam interrogantem, quid sit arbor, in arboris cognitionem deduceret: Atqui Innascibilitas est aliquid negativum: nihil enim aliud dicit, quam non nascibilitatem, non productibilitatem, seu quod idem est, negationem nascibilitatis & productibilitatis: ergo, &c.

Resp. dist. maj. negatio, quæ non fundatur in aliquo positivo, non potest esse notio alicujus personæ, conc. maj. quæ in eo fundatur, neg. maj. Innascibilitas

non

non est negatio prioris generis, sed alterius, nempe fundatur in eo, quòd prima persona sit a se, cum econtra secunda & tertia sint ab alio, tanquam ab originis principio. Inde verò colligitur, Innascibilitatis conceptum non esse conceptum paternitatis reduplicativè, ut est paternitas: nam paternitas, ut paternitas est, dicit habitudinem ad filiationem, hoc est, Pater non concipitur sine Filio: innascibilitas èeontra abstrahit a Filio.

Objicies 2. Notio non debet esse communis pluribus personis: siquidem significat characterem proprium ac specialem, ut videre est in paternitate & filiatione: sed spiratio activa communis est pluribus personis, Patri nimirum & Filio, cum uterque spiret Spiritum sanctum: ergo spiratio activa non est notio.

Resp. dist. maj. Notio non debet esse communis pluribus personis, si per plures intelligantur tres personæ, conc. maj. si intelligantur duæ tantum, neg. maj. nam in ea suppositione notio excludet tertiam personam, ac proinde character erit specialis & proprius duarum.

Objicies 1. Inspirabilitas in Filio, & Ingenerabilitas in Spiritu sancto sunt notiones Filii & Spiritus sancti: ergo præter Innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam & passivam, sunt aliæ notiones. Probatur ant. Notio definitur character proprius significans dignitatem alicui personæ specialem; atqui inspirabilitas est character proprius Filio, & ingenerabilitas character proprius Spiritui sancto, & utraque significat dignitatem specialem: non enim potior est ratio, cur non significent dignitatem, quam innascibilitas, quæ specialis est Patris character.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. nego paritatem. Ratio disparitatis est, quia vox hæc *Innascibilitas*, licet secundum syllabas quibus constat, negationem tantum significet: tamen secundum sensum realem, importat positivam, secundum nostrum concipiendi modum, dignitatem, nimirum esse a se, & non ab alio: èeontra inspirabilitas in Filio, & ingenerabilitas in Spiritu sancto, dicunt negationem meram, seu non fundatam in aliqua dignitate: si enim ejusmodi negatio esset in aliqua dignitate fundata, maxime quia ingenerabilitas fundatur in productione per voluntatem, & inspirabilitas in productione per intellectum; sed illa ratio nulla est. Nempè licèt produci per intellectum sit perfectio & dignitas in Filio, & produci per voluntatem sit quoque perfectio & dignitas in Spiritu sancto, quia certo quodam modo actuant essentiam divinam, ex qua omnis perfectio sumitur: tamen produci per intellectum, & produci per voluntatem, si ad se invicem comparentur, non sunt dignitas aut perfectio; ipsum enim (ut loquuntur Scholastici) non est melius, quam non ipsum. Econtra esse a se, cum non sit aliquid relativum, sed aliquid tantum exclusivum prioris, a quo dicitur origo, ab intellectu nostro concipitur tanquam dignitas & perfectio, quæ quidem licèt secundum modum, quo est in prima persona, non sit in filiatione & spiratione passiva; in eis tamen est realiter, quia filiatio & spiratio passiva sunt unum & idem cum essentia divina, quæ est a se: nec enim (ut loquitur Concilium Lateranense IV. cap. *Damnamus*) essentia divina generat aut generatur, producit aut producitur.

Objicies 4. Generatio, nativitas, verbum, imago, donum, amor, sunt notiones personales: scilicet possunt nos deducere in cognitionem specialem divinarum personarum: siquidem generatio, proprius est Patris character; nasci, uni convenit Filio, sicut & ratio tum Verbi, tum imaginis: donum verò & amor propria sunt Spiritui sancto: igitur in personis divinis aliæ sunt notiones præter Innascibilitatem, Paternitatem, Filiationem, Spirationem tum activam tum passivam.

Resp. ad 1. dist. ant. Generatio & nativitas possunt nos deducere in cognitionem specialem divinarum personarum in fieri, conc. ant. personarum, ut sunt ac existunt, neg. ant. Ratio est, quia prima persona non est Pater, nisi post generationem, sicut nec secunda Filius, nisi post nativitatem; ac proinde nec generatio, nec nativitas sunt characteres speciales personarum ut existentium. Ad 2. dicendum est, hæc nomina, Verbum, Imago, esse synonyma cum filiatione, sicut donum & amor cum spiratione passiva.

CAPUT V.

De missione Personarum in divinis.

Not. MIssionis personarum in divinis exponemus 1. existentiam; 2. essentiam; 3. divisionem.

CONCLUSIO 1. In divinis existit personarum missio.

Probatur. Christus Joannis 8. ex eo probat suum testimonium esse verum, quòd sit ipsummet testimonium Patris, à quo missus est: *Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, & qui misit me Pater*. Joannis 1. sic idem Christus de se ipso loquitur: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum*. Apostolus ad Galatas 4. meminit quoque missionis ad Christum comparatæ: *Quando venit* (inquit) *plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*. Joannis 16. Christus pollicetur, se post ascensionem in cœlum, missurum esse Spiritum sanctum: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*: Ergo in divinis existit missio personarum.

Objicies 1. Ibi non existit missio, ubi omnimoda est æqualitas: eam nimirum æqualitatem tollit missio, cum missus sit minor mittente, ut patet in Legato, qui à Rege mittitur: sed in divinis est omnimoda æqualitas: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Missus est minor mittente per consilium aut imperium, conc. ant. sic enim mittens est aut sapientior aut potentior misso: Mittente tantùm per originem, neg. ant. nempè qui sic mittitur, consubstantialis est mittenti, eò quòd illius essentiam vi suæ originis recipiat.

Objicies 2. Qui mittitur, separatur à mittente; siquidem missio est veluti emissio alicujus extra mittentem: atqui personæ SS. Trinitatis à se invicem non separantur, ergo non convenit eis missio.

Resp. dist. maj. Qui mittitur, separatur à mittente, in creatis, conc. maj. in divinis, neg. maj. Ratio est, quia in creatis, qui mittitur, mittitur ad locum, in quo nec ipse, nec mittens priùs erat: in divinis verò, & is qui mittit, & is qui mittitur, erant priùs in loco, ad quem fit missio; licèt tamen (ut infra dicetur) missus in eo incipiat esse secundùm quid, hoc est, secundùm modum extrinsecum.

CONCLUSIO 2. Essentia missionis personarum in divinis, continetur hac illius definitione: *Missio est processio unius personæ ab alia in ordine ad aliquem effectum ad extra de novo producendum.*

Explicatur definitio. Missio dicitur 1. processio unius personæ ab alia; nempè, missio est veluti emissio missi a mittente, ut patet in flore, qui ab arbore emittitur: at divinæ personæ alio modo quam per processionem emitti non possunt a persona mittente. Dicitur 2. Ad aliquem effectum ad extra de novo producendum: siquidem missio est ad aliquid, quod ante non erat; ac proinde ad aliquid operandum ad extra, cum operationes ad intra sint ab æterno.

Quæ mox tradita est divinæ missionis definitio, probatur authoritate Augustini, qui quidem duplex illius membrum, seu duplicem illius conditionem, processionem

fionem nimirum , & ordinem ad aliquid extrinfecum, lib.2.de Trinitate, c.5.hifce verbis complectitur: *Si ergo* (de Filio loquitur) *miffus dicitur , in quantum apparet foris in creatura corporali , qui intus in natura fpirituali oculis mortalium femper occultus eft: jam in promptu eft intelligere etiam de Spiritu fancto , cur miffus & ipfe dicatur. Facta eft enim quadam creatura fpecies ex tempore , in qua vifibiliter oftenderetur Spiritus fanctus ..... Hæc operatio vifibiliter expreffa , & oculis oblata mortalibus , miffio Spiritus fancti dicta eft.*

Objicies 1. Nonnulli Patres afferunt , Filii miffionem a Patre , non aliud effe,quam illius à Patre proceffionem . Cyrillus lib.2.in Joannem,in hæc verba, *Quem enim mifit Deus , verba Dei loquitur*, duplicem diftinguit in Filio miffionem ; unam, *quæ eft fecundum incarnationis rationem quia in hunc mundum cum carne venit* ; alteram, per quam *Pater Filium ex propria natura corufcare fecit, tanquam ex lumine fplendorem , fecundum ineffabilem & inexplicabilem divinæ generationis modum*. Secundam illam miffionem confirmat ex Evangelio : *Quod quidem & ipfe nobis Unigenitus aperuit, dicens: Ego ex Patre exivi & veni . Exivit enim ex Patre in propriam exiftentiam Filius , etfi in ipfo fecundum naturam ineft . Et quod apud nos illic exiffe fignificat , hoc rurfus illic miffam effe demonftrat*: Ergo, ex Cyrillo, miffio non aliud dicit,quàm æternam alicujus perfonæ proceffionem.

Refp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dift. confeq. Ergo , ex Cyrillo , miffio inadæquatè fumpta , non aliud dicit, quam perfonæ alicujus æternam proceffionem , conc. confeq.Miffio adæquatè fumpta,neg. ant. Solutio patet ex iis,quæ in definienda miffione dicta funt fuperius.

Objicies 2. Patres miffionem agnofcunt , ubi nulla eft proceffio : non femel enim dicunt , mitti Filium tum a fe, tum a Spiritu fancto . *Miffus Filius* (inquit Toletana Synodus XI. in Fidei Profeffione) *non folum à Patre, fed & à Spiritu fancto miffus effe credendus eft , in eo quod per Prophetam dicitur : Et nunc Dominus mifit me , & Spiritus ejus : A fe ipfo quoque miffus accipitur , pro eo quòd infeparabilis non folum voluntas , fed operatio totius Trinitatis agnofcitur* : ergo, &c.

Refp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dift. ant. Patres non femel dicunt, Filium , ut homo eft, tum a fe ipfo ut Deus eft, tum a Spiritu fancto mitti miffione impropriè fumpta , con. ant. miffione propriè fumpta, neg. ant. Toletana Synodus loquitur de Filio , ut eft homo , & nomine miffionis intelligit hypoftaticam Verbi cum humana natura unionem , ad quam , fumptam efficienter , tres perfonæ SS. Trinitatis ex æquo concurrerunt. Confirmatur ex eo , quod laudata Synodus ideò definiat , Filium a Spiritu fancto & a fe miffum effe , quod infeparabilis fit non folum voluntas, fed operatio totius Trinitatis : at operationis nomine intelligit actionem , quæ a Trinitate tanquam caufa efficiente procedit.

Ex iis,quæ hucufque dicta funt, fequitur 1.miffionem adæquatè, & propriè fumptam , æternum quid, & temporale fimul , includere in fuo conceptu . Sequitur 2. foli Filio , ac Spiritui fancto miffionem convenire : illis enim folis in Trinitate proceffio convenit , fine qua miffio ftare non poteft. Sequitur 3. meritò Scripturam nufquam afferuiffe , quod Pater mittatur , ne impropria quidem miffione , quæ pofita eft in operatione effectus alicujus novi & fenfibilis : fcilicet ea impropriè fumpta miffio , fupponit , tanquam fundamentum , proceffionem unius ab alio : *Pater* (inquit Auguftinus lib. 2. de Trinitate, cap.5.) *nufquam legitur miffus* : cujus quidem effati rationem hanc reddit lib. 4. cap. 20. *Pater, cum ex tempore à quoquam cognofcitur , non dicitur miffus : non enim habet, de quo fit , aut ex quo procedat* . Sequitur 4. quod fi Pater Filii loco incarnatus fuiffet , etiam tunc non diceretur miffus : *Quoniam* (ait Auguftinus lib. 6. de Trinitate cap. 4.) *non habet authorem, à quo genitus fit, vel à quo procedat* .

CONCLUSIO 3. Miffio divinarum perfonarum dividitur in vifibilem,& invifibilem.

Probatur . Perfonæ, quæ mittuntur, vel operantur aliquid fenfibile , vel infenfibile. Si primum , tunc mittuntur vifibiliter : Si verò fecundùm , mittuntur invifibiliter . Priore modo Filius per Incarnationem miffus eft , nec non Spiritus fanctus , cum fub linguarum fpecie Apoftolis infedit ; altero autem, cum interiùs noftram fanctificationem efficiunt per donorum, & charitatis infufionem . Duplicis illius miffionis meminit Auguftinus lib.4. de Trinitate, cap.28. *Sed aliter mittitur* (inquit de Sapientia loquens) *ut fit cum homine : aliter miffa eft, ut ipfa fit homo .*

Quæres 1. quandonam miffio in iis,quæ ad noftram fanctificationem fpectant,fit miffio Filii, & quandonam fit miffio Spiritus fancti ?

Refp. miffionem effe Filii , cum ipfa Filii perfona manifeftatur in effectu, qui per appropriationem ei fpecialiter tribuitur : idem pariter dici debet de Spiritus fancti miffione : hinc autem concluditur , quod fit miffio Filii , quoties agitur de meritis , quibus a peccato liberamur, & viciffim fit miffio Sancti fpiritus , quoties agitur de charitate, aliifque donis, quæ ad noftram fanctificationem concurrunt : Siquidem per appropriationem (ut fuo loco dictum eft) dona illa Spiritui fancto fpecialiter tribuuntur .

Quæres 2. cuinam perfonæ ex SS. Trinitate tribui debeant Dei apparitiones, quarum vetus teftamentum meminit ?

Refp. 1. Arianos omnes afferuiffe , folum Verbum Adamo , Moyfi , Patriarchis , ac Prophetis in antiquo teftamento apparuiffe : idque hæretici docebant , ut inde concluderent , Verbum non effe confubftantiale Patri , quem nec unquam exterius vifum fuiffe , nec poffe videri docebant.

Refp. 2. plures ex Patribus antiquis , iis etiam, qui docuerunt, Verbum ejufdem effe naturæ cum Patre,docuiffe, Patrem nufquam fe veteribus afpectabilem præbuiffe, fed folum Verbum,& quidem in humana fpecie , quam tamen fibi ipfi non univiffet hypoftatice ; idque ut homines fenfim fine fenfu ad fidē de Incarnatione præpararet . Ita Juftinus in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib.4.cap.26. Patres, qui ex Antiocheno Concilio Synodicam ad Paulum Samofatenum fcripferunt , Athanafius Orat. 4. Cyrillus Catechefi 14. Bafilius lib.2.adversùs Eunomium , Chryfoftomus hom. 58. in Genefim , Ambrofius lib. 1. de fide, capite quinto . .

Verùm duplex inter recenfitos Patres , & Arianos difcrimen eft. Primò , ifti contendebant Filium, etiam , qua Verbum,effe vifibilem;illi è contra docebant, ipfum qua Verbum eft, non minùs invifibilem effe , quam ipfe Pater : Secundò , illi ex apparitione Verbi facta veteribus concludebant , ipfum non effe Deum , ifti è contra concludebant, ipfum effe Deum: *Ubicumque* (inquit Bafilius lib. 2. contra Eunomium) *& Angelus Deus appellatus eft,unigenitus fignificatur,qui fe ipfum per generationes hominibus manifeftum facit, & voluntatem Patris Sanctis fuis denuntiat. Quamobrem & qui cum Moyfe colloquens, eum fe nominavit, Qui eft, non alius quifpiam intelligendus eft, quam Deus Verbum , qui in principio erat apud Deum.*

Refp. 3. Auguftinum, & poft illius tempora , ceteros Patres, præfertim Latinos , multa de quæftione , de qua hic agitur, docuiffe : fcilicet Auguftinus afferuit 1. non folum Filium apparuiffe veteribus , fed etiam Patrem,ac Spiritum fanctum, interdum etiam totam fimul Trinitatem.

Afferuit 2. non fine aliqua fpecie temeritatis definiri poffe,nifi Scriptura id in antecedentibus,aut cōfequentibus innuat,quænā perfona potiùs apparuerit,quam alia.

Vu Affe-

Asseruit 3. ea omnia, quæ Deo in illis apparitionibus tribuuntur, ipsi quidem ut causæ principi, Angelis verò tanquam causæ ministeriali, meritò tribui posse.

Nec obest, quòd in Scripturis Deus ipse loquens inducitur: *Quia* (inquit lib. 2. de Trinitate, cap. 11.) *cum verba Judicis præco pronuntiat, non scribitur in gestis, ille præco dixit; sed ille Judex: Sic etiam loquente Propheta sancto, etsi dicamus, Propheta dixit, nihil aliud quàm Dominum dixisse intelligi volumus. Et si dicamus, Dominus dixit, Prophetam non subtrahimus, sed quis per eum dixerit, admonemus.*

Asseruit 4. eos meritò argui debere, qui quoties in Exodo aliisque veteris testamenti libris *Scriptura Angelum nominat, ipsum per se ipsum Filium Dei volunt intelligi, quia propter annuntiationem paternæ, ac suæ voluntatis à Propheta dictus est Angelus.* Id verò confirmat ex Epistola ad Hebræos, in qua non Angelus singulari numero, sed Angeli memorantur: *Si enim* (ait Apostolus) *qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus*; quibus cum verbis cohærent hæc, quæ Actorum 7. in oratione Stephani leguntur: *Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, & non custodistis.*

Vide eundem S. Doctorem lib. secundo de Trinitate, capitibus 9. 10. 11. ubi argumentum, de quo est quæstio, fusè pertractat, eripitque Arianis argumentum, quod adversùs Verbi consubstantialitatem maximi roboris arbitrabantur, quodque Patribus quatuor priorum sæculorum nonnihil negotii facesserat.

DISSERTATIO QUINTA.

De Personis divinis in particulari.

Not. HUjusce nostrarum Institutionum secundæ partis dissertatione prima, adversùs Sabellianos ostensum est, tres esse in SS. Trinitate personas realiter à se invicem distinctas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum; tum adversus Arianos & Macedonianos dictum est de earum consubstantialitate. Dissertatione secunda actum est de earum processionibus. In tertia dictum est de relationibus, quarum processiones sunt fundamentum, & quibus divinæ personæ constituuntur. Deinde dissertatione quarta institutus fuit sermo de iisdem personis in communi. Igitur operæ pretium est, ut in hacce dissertatione quinta, de iisdem personis in particulari disseramus.

QUÆSTIO I.

De prima persona SS. Trinitatis.

Not. IN hac quæstione unum tantùm quæremus, sed quod multa capita complectetur; nimirum, utrum primæ personæ rectè conveniant nomina Principii, Initii, Causæ, Auctoris, Radicis, Fontis, Capitis, Patris, Ingeniti.

CAPUT I.

De nominibus Principii, ac Initii.

CONCL. 1. PRima persona SS. Trinitatis rectè dicitur Principium.

Probatur. Illa persona rectè dicitur principium à qua Filius, & Spiritus sanctus suam ducunt originem: id nimirum, ex quo aliud oritur, est illius principium: atqui Filius, & Spiritus sanctus suam originem ducunt à prima SS. Trinitatis persona: cum (ut docet fides) ab ea procedant: ergo, &c.

Objicies. In suppositione Conclusionis, Filius & Spiritus sanctus dici possent aliquid principiatum: quod enim oritur à principio, rectè dicitur principiatum; sicut quod oritur à causa, rectè dicitur causatum: sed nec Filius, nec Spiritus sanctus dici possunt quid principiatum: ea nimirum vox de solis creaturis dicitur: ergo, &c.

Resp. conc. maj. dist. min. Nec Filius, nec Spiritus sanctus dici possunt quid principiatum, apud Latinos, conc. min. apud Græcos, neg. min. Apud illos vox *Principiatum*, sufficit ideam subjectionis, apud istos verò ab ea abstrahit. *Ad secundum* (inquit S. Thomas 1. p. q. 33. art. 1.) *dicendum, quòd apud Græcos invenitur de Filio vel Spiritu sancto dici, quòd principientur: sed non est in usu Doctorum nostrorum.*

Quæres, utrum terminus iste, *Principium*, sit terminus notionalis, seu, utrum nomen illud ita sit proprium primæ personæ, ut cæteris personis minimè conveniat?

Resp. 1. non esse terminum notionalem, si consideretur in ordine ad creaturas: scilicet tres Personæ ex æquo sunt creaturarum principium: *Pater & Filius, & Spiritus sanctus* (inquit Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 14.) *sunt unum principium, sicut unus Creator, & unus Dominus.* Resp. 2. esse terminum notionalem, seu proprium soli primæ personæ, si consideretur in ordine ad Filium: siquidem sola prima persona est Filii principium cum sola det esse Filio. Resp. 3. non esse terminum notionalem primæ tantùm personæ, si consideretur in ordine ad Spiritum sanctum: nempe secunda persona est principium Spiritus sancti, siquidem non minùs a secunda, quam a prima spiratur.

CONCLUSIO 2. Prima persona SS. Trinitatis dici non debet initium aliarum.

Probatur. Prima persona dici non debet principium durationis aliarum; neque enim alias personas antecedit duratione, cum omnes sint coæquales ac æternæ: atqui si prima SS. Trinitatis persona diceretur initium aliarum, diceretur principium durationis earum; scilicet secundum tritum apud Patres loquendi morem, initium sumitur pro principio durationis: unde veteres, cum adversùs Arianos disputarunt, caverunt sedulò, ne dicerent, Filium aliquando initium habuisse: imò damnarunt eos hæreticos, quòd Filium initium habuisse contenderent.

Objicies: Æterna Sapientia, quæ Verbum est, Eccles. 24. dicit se exiisse ab initio: *Ab initio & ante sæcula creata sum*: atqui nomine initii, ex quo æterna Sapientia exiit, non aliud intelligitur, quam prima persona SS. Trinitatis, neque enim ab alia potest exire: ergo prima persona SS. Trinitatis rectè dicitur initium Filii.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. siquidem per initium eo loci intelligitur initium durationis, non autem initium originis, ita ut sensus sit, æternam Sapientiam genitam fuisse ante quodlibet tempus, antequam quidquam creatum existeret. Eum verò sensum hæc verba, *Ante sæcula*, non obscurè innuunt.

CAPUT II.

Utrum prima persona rectè dicatur causa cæterarum?

CONCL. PRima SS. Trinitatis persona, passim à Græcis Patribus, & nonnunquam a Latinis, dicitur causa Filii & Spiritus sancti.

Probatur prior pars. Gregorius Nazianzenus orat. 24. causæ nomen, tanquam nomen proprium ac incommunicabile, tribuit primæ personæ: *Quod si* (inquit) *omnia, quæcumque Pater habet, Filii sunt, excepta causa. Quidquid item Filius habet, idem quoque Spiritus sancti est, si filietatem excipias.* Basilius lib. 1. contra Eunomium utitur eodem loquendi modo: *Nos autem secundum causarum habitudinem ad ea, quæ ex illis oriuntur,*

Patrem

Patrem collocari ante Filium afferimus. Gregorius Nyffenus, ad Ablabium Tom. 2. hæc quoque fcribit: *Cum dicimus caufam, & quod eft caufa, iis vocabulis naturam* (divinam) *minime fignificamus.*

Probatur altera Conclufionis pars. S. Auguftinus lib. octoginta trium quæftionum, quæftione 16. expreffè afferit, quod Pater fit caufa Sapientiæ, quæ quidem altera eft SS. Trinitatis perfona: *Deus* (inquit) *omnium, qua funt, caufa eft. Quod autem rerum omnium caufa eft, etiam fapientia fua caufa eft.* Eandem vocem adhibet Hilarius: *Et ex caufa* (ait lib. 11. de Trinitate, loquens de æterna Filii generatione) *licèt perfecta atque indemutabili nafcens, neceffe eft, caufa in caufa ipfius proprietate nafcatur*: ergo, &c.

Quæres, an Ecclefia probarit utrumque illum five Græcorum, five Latinorum, loquendi morem?

Refp. affirmativè. Nempe Ecclefiæ perfuafum fuit, Patres Græcos fumfiffe caufæ nomen latè, hoc eft pro eo omni, a quo aliquid habet effe; non autem ftrictè, id eft, pro eo a quo aliquid habet effe cum dependentia. Confirmatur 1. ex eo quòd Patres Græci, apud quos invaluit ufus ille loquendi, conftanter docuerint adverfus Arianos Verbum effe confubftantiale Patri; at confubftantiale non effet, hoc eft, non effet ejufdem fubftantiæ cum Patre, fi ab ipfo penderet, ficut effectus pendet à caufa. Confirmatur 2. ex Concilio Florentino, in quo Eugenius in decreto unionis definit, *Filium effe, fecundum Græcos quidem, caufam, fecundum Latinos verò principium fubfiftentiæ Spiritus fancti, ficut & Patrem.*

CAPUT III.

Utrum primæ perfonæ proprium fit Authoris nomen.

CONCL. PRima perfona SS. Trinitatis poteft dici Author fecundæ, & tertiæ.

Probatur. Aliqui Patres Latini primæ perfonæ, nomen auctoris, aliarum refpectu, tribuerunt. Hilarius lib. 6. de Trinit. fic de Verbo loquitur: *Ex Patre enim exiens, neque alium nativitatis habuit auctorem, neque nullum: fed eum fibi teftatur auctorem, ex quo fe profitetur exiiffe.* Hæc etiam habet lib. 9. *Naturalis igitur Filio Dei, & congenita omnis poteftas eft, qua cùm data fit, non alienata eft per id ab Auctore, quia data eft, cum, quod eft auctoris, datum fit.* Lib. 12. hæc etiam fcribit de eodem Dei Filio: *Cum natus fit, Patrem teftatur auctorem.* Confirmatur. Is dici poteft Auctor alterius, qui ei communicat effe: fed prima SS. Trinitatis perfona communicat effe fecundæ & tertiæ: ergo, &c.

Objicies 1. S. Thomas in 1. Sent. dift. 29. quæft. 1. art. 1. negat, Auctoris nomen tribui debere primæ perfonæ SS. Trinitatis. 2. Nulli Patres Græci ea loquendi ratione ufi funt. 3. Præter Hilarium vix alium Latinum Patrem repetire eft, qui Auctoris nomen, aut Patri refpectu Filii, aut Filio refpectu Spiritus fancti tribuerit.

Refp. ad 1. S. Thomam in fua Summa Theologica (quæ poftremum eft illius opus) prætermififfe quæftionem, an Auctoris nomen Patri proprium fit; unde confequens eft (ajunt nonnulli) quod tunc ipfi difplicuerit, quod olim fcribens in Sententias afferuerat. Ad 2. refpondet Petavius Græcos nullum habere nomen, quod nomini Latino, de quo agitur, refpondeat; unde hanc elicit conclufionem lib. de Trinitate, cap. 5. *Quamobrem fruftra funt recentiores quidam de fchola Theologi, qui ut Patrem Auctorem appellari poffe demonftrent, teftes Græcos Patres adhibent, Dionyfium, Athanafium, Gregorium Nazianzenum, Eufebium, & cæteros; nam eorum duntaxat Interpretes Auctoris nomen affumpferunt.* Ad 3. dicendum eft, unum Hilarium, cui Patres alii non contradixerunt, fatis effe, ut loquendi modo, de quo hic agitur, concilietur auctoritas: fcilicet (Hieronymo tefte, ad Lætam) Hilarii de Trinitate libri inoffenfo pede decurri poffunt.

Quæres, utrum prima perfona SS. Trinitatis abfolutè ac fine addito dici debeat Auctor fecundæ, & tertiæ? Ratio verò dubitandi petitur ex eo, quòd *Auctoris* nomen apud Latinos Scriptores interdum fignificet eum, qui jure ac dignitate antecedit, ac penes quem eft poteftas in alium: *Majores noftri,* (verba funt Livii Dec. 4. lib. 4.) *nullam ne privatam quidem rem agere feminas fine Auctore* (hoc eft, tutore) *voluerunt.* In eundem fenfum Tertullianus lib. de Fuga in perfecutione, cap. 11. Ecclefiæ miniftros, quibus haud dubiè convenit poteftas in plebem, Auctores vocat: *Sed* (inquit) *cum ipfi Auctores, id eft, ipfi Diaconi, Presbyteri, & Epifcopi fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit, qua ratione dictum, Fugite de Civitate in Civitatem?*

Refp. ne hæretici Auctoris nomine in fenfum grammaticalem abutantur adversùs fidem, latius effe illud Patri refpectu Filii, aut Filio refpectu Spiritus fancti, non tribuere, nifi cum fubjecta explicatione: Scilicet ita fefe geffit Auguftinus lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 14. ubi folvens ejufdem Maximini adversùs Verbi divinitatem argumentū petitum ex eo, quòd Verbum Patrem habeat Authorem: *Sed habet* (inquit) *Dei Filius Auctorem Patrem, fic loquitur: Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicit Auctorem, quia ille genuit, genitus eft ifte, quia ifte de illo eft, non ille de ifto, fateor & concedo: Si autem per nomen Auctoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejufdem fubftantiæ Filium, cujus eft Pater, deteftabor, & refpuam, quia & Filius hominis, in quantum eft Filius, habet Auctorem, de quo natus eft.*

CAPUT IV.

Utrum nomina fontis, originis, capitis, conveniant primæ perfonæ.

Not. PRima perfona dici poteft fons, origo, caput, vel perfonarum, vel deitatis: hic igitur quærendum eft: 1. utrum prima perfona rectè dicatur fons, origo, caput aliarum perfonarum: 2. utrum rectè etiam dicatur fons, origo, caput Deitatis?

CONCLUSIO 1. Prima SS. Trinitatis perfona *propriè* dici poteft fons, origo, caput, radix aliarum ejufdem SS. Trinitatis perfonarum.

Probatur 1. Tertullianus eam, de qua agitur, loquendi rationem adhibuit: *Nec dubitaverim* (inquit lib. contra Praxeam, cap. 8.) *Filium dicere, & radicis fruticem, & folis radium.* 2. Ambrofius lib. 4. de fide, eodem utitur loquendi modo: *Fons* (ait) *Pater Filii eft, radix Pater Filii eft.* 3. Hæc etiam habet Bafilius hom. 27. contra Sabellianos: *Eft quidem Pater, perfectum habens effe, & nullius egens, radix & fons Filii, & fancti Spiritus.* 4. Secunda & tertia perfona fe habent refpectu primæ, ficut lumen refpectu Solis, ficut fluvius refpectu fontis, ficut frutex refpectu radicis: ficut enim lumen à Sole, fluvius a fonte, frutex a radice fuum effe recipiunt: ita etiam fecunda & tertia perfona SS. Trinitatis fuum effe recipiunt à prima: ergo ficut fol dicitur fons luminis, fons origo fluvii, radix principium & caput fruticis: ita prima perfona propriè dicitur fons, origo, radix, caput aliarum perfonarum.

CONCLUSIO 2. Prima SS. Trinitatis perfona dicitur quidem fons, origo, radix, caput deitatis, fed *impropriè* tantùm.

Probatur prior pars 1. auctoritate, cum Dionyfii, cap. fecundo de divinis nominibus; tum Concilii Toletani XI. in profeffione fidei, tum denique S. Thomæ, qui 1. p. q. 33. art. 1. fic loquitur: *Sed contra eft, quod dicit*

Augustinus in quarto de Trinitate, Pater est principium (quod quidem nomen idem est cum illis nominibus) *totius Deitatis*.

Probatur altera pars. Id tantùm potest propriè dici fons, origo, radix, caput, principium deitatis, à quo deitas procedit; ideò enim sol, fons, radix, sic appellantur respectu luminis, fluvii, fruticis, quod lumen, fluvius, frutex a sole, fonte, radice procedant: atqui deitas a Patre non procedit: siquidem deitas supponit pro essentia, quæ quidem (ut definiit Concilium Lateranense IV.) nec est generans, nec genita, nec procedens: ergo, &c.

Quæres 1. quænam sit idea sensus illius improprii, in quo prima persona dicitur fons, origo, radix, principium, caput totius deitatis?

Respondent nonnulli, Patrem sic appellari, quia est principium, fons, radix, origo, caput Filii & Spiritus sancti, in quibus singulis est tota deitas. Sed nimis probat ea responsio: probat enim, Filium rectè etiam dici posse principium, fontem, originem, radicem deitatis; scilicet est principium Spiritus sancti, in quo tota est deitas. Respondendum est igitur, primam personam dici principium, fontem, originem totius deitatis, vel quòd in ea sit deitas tanquam in primo principio, quod eam aliis personis communicet; vel quòd sit principium omnium, præter quam sui ipsius, divinarum personarum.

Quæres 2. quis sit sensus hujus sententiæ: *Pater est fons & origo totius Trinitatis*, quæ in Concilio Wormatiensi legitur: nimirùm apertè falsa videtur: siquidem voces illæ, *totius Trinitatis*, ipsam etiam primam personam complectuntur; ita ut literalis & obvius sensus sit, quòd Pater sit sui etiam ipsius fons & origo.

Respondemus cum Sylvio, commode exponendam esse laudatam ex Concilio Wormatiensi sententiam, nempe Patrem dici totius Trinitatis fontem, eodem modo, quo Adamus dicitur principium, fons, origo, caput totius humani generis; itaque sicut nullus est homo, qui ab Adamo non prodierit, ipse autem a nullo alio prodiit; ita ex prima SS. Trinitatis persona aliæ prodierunt, ipsa verò non prodiit ab alia.

CAPUT V.

Utrum Patris nomen sit proprium primæ personæ.

Not. Vox hæc *Pater*, in divinis sumitur vel personaliter, vel essentialiter; seu vel sumitur pro prima persona SS. Trinitatis, vel pro omnibus personis, in quantum conveniunt in eadem natura, easdemque actiones operantur ad extra.

CONCLUSIO 1. Vox hæc *Pater*, propriè dicitur de prima persona.

Probatur 1. ex Scriptura. Psal. 2. hæc de Christo prædicat Deus Pater: *Ipse invocabit me, Pater meus es tu*; unde & ipse Christus ait Matthæi cap. 10. *Confitebor & ego eum coram Patre meo*. Cap. 11. *Confiteor tibi Pater*. Cap. 16. *Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est*. Cap. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*. Is autem, quem Christus Patrem appellat, est prima persona SS. Trinitatis, ab alia nimirum subsistentiam ac filiationem non accepit: ergo Patris nomen proprie & personaliter tribuitur primæ personæ SS. Trinitatis.

Probatur 2. ratione theologica. Illud nomen proprie tribuitur primæ personæ, quod eam a cæteris distinguit; quod enim rem aliquam a cæteris distinguit, eam constituit: atqui vox hæc *Pater*, primam personam à secunda & tertia distinguit, cum ipsa sola Filium habeat ac habere possit, eò quod sola (ut suo loco dictum est) generet ac generare possit.

Quæres, cur prima persona potiùs dicatur Pater, quam genitor vel generans?

Resp. Sic appellari, quod genitor & generans perfectè primam personam non exprimant: non enim est prima persona, nisi per completam relationem ad Filium: at completa non est, quamdiu prima persona concipitur actu generare: in ea nimirùm suppositione, concipitur eam esse tantum in via ad habendum Filium: ècontra verò cum dicitur Pater, cum Filio jam existente, jam genito, concipitur a nobis.

CONCLUSIO 2. Prima persona essentialiter tantùm dicitur Creaturarum Pater.

Probatur. Quod significat aliquid commune tribus personis, de prima non dicitur personaliter, sed essentialiter tantum, cum essentia sit omnibus personis communis: atqui vox hæc, *Pater*, ad creaturas comparata, significat aliquid tribus personis commune, creationem nimirum, providentiam, & alia hujusmodi; quæ cum creaturas respiciant, sunt ad extra, ac proinde toti Trinitati communia.

Quæres, utrum de Deo propriè, an impropriè tantum prædicetur, quòd sit Creaturarum Pater?

Resp. Deum impropriè tantum, seu metaphoricè, dici creaturarum Patrem. Ratio est, quia is tantùm Pater est propriè, qui fœtui suo similem naturam communicat, nempe generatio (ut superius dictum est) definitur, processio viventis a vivente in similitudinem naturæ: atqui Deus Creaturis similem naturam non communicat, sed omninò diversam, creatam nimirum & finitam: ergo, &c.

Ex iis, quæ huc usque dicta sunt, colligitur 1. antiquos Scriptores meritò Patris nomine usos fuisse, ut tum distinctionem personarum contra Sabellianos, tum Verbi consubstantialitatem adversus Arianos adstruerent; neque enim is, qui solus est, dici potest Pater, cum non dicatur Pater, qui Filium nec habet nec habuit. Neque eæ personæ diversæ sunt substantia, quarum una est generans & altera genita; nempe generatio (ut multoties observatum est) producit in similitudinem naturæ, & quidem perfectam, si generatio, ut est in divinis, perfectissima sit. Colligitur 2. hæc Apostoli verba: *Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur*, intelligi de paternitate, quæ convenit primæ personæ SS. Trinitatis: nimirum paternitas in creatis non est exemplar, ad quod exacta sit divina paternitas, sed potius paternitas divina est creatæ paternitatis exemplar; quod quidem imperfectè tantum in ea repræsentatur, cum per paternitatem creatam, non eadem numero, sed similis tantum in specie, natura genito communicetur: *Paternitatis nomen* (ait Hieronymus in cap. 3. epistolæ ad Ephesios) *ex semetipso Deus largitus est hominibus: Sicut ergo solus immortalis, immortales facit: ita solus Pater, qui creator est omnium, præstat cæteris, ut patres esse dicantur.*

CAPUT VI.

Utrum ingeniti nomen primæ personæ conveniat.

Not. 1. Ingeniti nomen tribus modis sumitur. Et quidem 1. pro eo omni, quod non est creatum, aut factum ab externo principio: 2. pro eo, quod non producitur per viam generationis; 3. denique pro eo, quod caret omni principio.

Not. 2. Certum est, ingeniti nomen priore modo sumptum, non esse nomen proprium primæ personæ; scilicet duæ aliæ non minus sunt quid increatum, & non factum ab externo principio, quam prima. Certum est pariter, idem nomen altero modo sumptum, non esse proprium eidem primæ personæ; sic enim acceptum convenit Spiritui sancto, cum (ut superius ostensum est)

non

non procedat per viam generationis. Hic igitur quæstio est, utrum acceptum certo modo sit terminus notionalis primæ personæ per exclusionem aliarum.

CONCLUSIO. Nomen ingeniti sumptum pro eo, quod caret omni prorsus principio, nomen est notionale, seu, soli primæ personæ proprium est.

Probatur 1. authoritate Patrum. Basilius lib. 2. adversus Eunomium, hæc ait: *Ingenitum est, quod nullum principium habet, neque causam existendi. Æternum verò, quod omni tempore ac seculo secundum esse antiquius est. Unde Filius neque ingenitus est, & est æternus.* Augustinus lib. 5. de Trinitate, idem nomen soli primæ personæ vindicat, ipsumque capitibus 5. & 6. liberat variis hæreticorum cavillationibus. Athanasius in Epistola ad Serapionem hæc scribit: *Non est ingenitus Spiritus sanctus, quia inprincipiatum esse, & ingenitum, soli Deo Patri Catholica Ecclesia congregata apud Nicænam rectè & fideliter attribuit, & de solo Patre esse credendum & prædicandum, toti mundo sub anathemate mandavit.* Patres toti fuerunt, tum labente sæculo quarto, tum ineunte quinto, in hæreticis, Aetio præsertim & Eunomio, confutandis, quod contenderent, Verbum non esse ejusdem substantiæ cum Patre, quia, etiam ex suppositione Catholicorum, Pater est ingenitus, Verbum è contra genitum est: *Quidquid de Deo dicitur, vel intelligitur, non secundum accidens, sed secundùm substantiam dicitur* (argumentum est Arianorum apud Augustinum lib. 5. de Trinitate c. 3.) *Quapropter ingenitum esse, Patri secundùm substantiam est; & genitum esse, Filio secundum substantiam est. Diversum est autem ingenitum esse, & genitum esse. Diversa est ergo substantia Patris & Filii:* ergo, &c.

Probatur 2. ratione theologica. Illud nomen est primæ personæ proprium, quod eam ab aliis distinguit: sed ingeniti nomen id præstat; siquidem (ut observatum est) ingeniti nomen significat id, quod expers est cujuscumque principii, sive creationis, sive effectionis, sive originis: atqui nomen, quod significat id, quod expers est cujuscumque principii, primam personam ab aliis distinguit: scilicet aliæ non sunt sine principio: suum enim esse secunda ducit a prima, tertia verò a prima & secunda simul.

Objicies 1. Athanasius lib. 2. contra Arianos, ingeniti nomen rejicit a prima SS. Trinitatis persona, tum quia, cum in Scripturis non legatur, suspectum est, tum etiam quòd Ethnicis institutionem suam debeat: ergo nomen ingeniti non est proprium primæ personæ SS. Trinitatis.

Resp. dist. ant. Athanasius rejicit à prima persona nomen ingeniti sumptum in sensu Arianorum, conc. ant. sumptum in sensu Catholicorum, neg. ant. Ariani per ingeniti nomen intelligebant id solum, quod creatum non est; unde concludebant, Filium esse quid creatum, eo quod non sit ingenitus. Econtra Catholici per ingeniti nomen non tantum id intelligebant, quod creatum non est, sed etiam id omne, quod expers est cujuscumque principii; unde concludebant, quòd licèt Filius non sit ingenitus, non sequatur, eum esse creatum aliquid. Ingeniti nomen priore modo sumptum, non autem posteriore, rejicit Athanasius: *Postquam* (inquit lib. 2. contra Arianos) *non amplius illis fiducia superest, ut dicant ex non entibus eum* (Filium Dei) *extitisse, neque prius extitisse, quàm fieret, vocabulum ingeniti sibi confinxerunt, ut illum genitum, hoc est, creatum, apud simpliciores dictitantes eadem illa verba, Ex non entibus, & non erat priusquàm fieret, denuò subindicent: in istis enim creata & condita intelligi volunt.*

Objicies 2. Ingeniti nomen, vel substantiam significat, vel relationem: Non primum, alioquin tribus personis ex æquo conveniret: quæ enim significant substantiam, absoluta sunt; ac proindè toti Trinitati communia. Non etiam secundum, quia, quæ significant relationem, dicunt respectum ad alias personas: cum autem respectum non dicit ingeniti nomen: ergo, &c.

Resp. Ingeniti nomen, nec substantiam, nec relationem significare, sed negationem, non quidem substantiæ, sed relationis. Itaque prima persona, reduplicativè prout est ingenita, nec est Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus; siquidem Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt positivæ relationes; sed sic accepta, est negatio relationis ad principium superius, à quo suum esse recipiat, sicut è contra nomen *Geniti*, quod illi opponitur, quodque convenit secundæ personæ, imò & tertiæ, prout dicit productionem in genere, est nomen relativum, nimirum dicit habitudinem ad principium, à quo Filius generatur, & à quo Spiritus sanctus producitur. Quæ nobis tradita fuit responsio, desumpta est ex Augustino, qui lib. 5. de Trinitate, cap. 6. sic loquitur: *Ingenitus porrò, quid est, nisi non genitus? Non ergo receditur à relativo prædicamento, cum ingenitus dicitur. Sicut enim genitus non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore sit: ita cum dicitur ingenitus, non ad se ipsum dicitur, sed quod ex genitore non sit, ostenditur.* Ea vero Augustini sententia nititur hoc Philosophorum axiomate: *Negatio ad genus affirmationis reducitur*, hoc est, si prædicamentum, quod negatione tollitur, pertineat ad substantiam, negatio ad eam quoque pertinet: si è contra prædicamentum pertineat ad relationem, ad relationem quoque pertinet negatio.

Objicies 3. Prima persona non dicitur inspirabilis: ergo pariter dici non debet ingenita: siquidem non minor est oppositio inter primam personam & spirabilitatem, quæ convenit Spiritui sancto, quam inter eandem primam personam & generabilitatem, quæ Filio tribuitur.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia inspirabilitas sequitur ex ingenito: siquidem ingenitum, ut hic sumitur, non accipitur tantùm, prout opponitur genito specificè sumpto, hoc est, prout dicit productionem per modum generationis; sed accipitur prout opponitur cuicumque productioni passivæ, sive sit generatio, sive spirabilitas.

Objicies 4. Ingenitum dicit privationem, ex S. Thoma 1. p. q. 3. art. 4. ad 2. ergo dici non debet de Patre, cum privatio sit imperfectio; est enim carentia formæ debitæ subjecto.

Resp. dist. ant. Ingenitum dicit privationem latè sumptam, conc. ant. strictè sumptam, neg. ant. Privatio priore modo sumpta dicit carentiam formæ, quæ debetur alicui supposito ejusdem generis, non tamen omni ejusdem generis supposito: sic visio, quæ debetur alicui animali, non debetur talpæ. Privatio altero modo sumpta dicit carentiam formæ debitæ subjecto, cui inest. Porrò ingenitum est privatio prioris generis, non autem posterioris; *Sic autem* (hoc est, priore modo) *ingenitum non dicitur de Patre, sed secundo modo; prout scilicet aliquod suppositum divina natura non est genitum, cujus tamen natura aliquod suppositum est genitum.* Verba sunt S. Thomæ 1. p. q. 33. art. 4. ad 2.

QUÆSTIO II.

De secunda persona SS. Trinitatis.

Not. SEcundæ personæ SS. Trinitatis varia tum in Scripturis, tum in Patribus nomina tribuuntur: nimirum dicitur, Verbum, Filius, Imago, Sapientia Patris: de iis verò nominibus agendum nobis incumbit sequentibus Capitibus.

CAPUT PRIMUM.

De nomine Verbi.

Not. DE nomine Verbi quæremus 1. utrum conveniat secundæ personæ SS. Trinitatis; 2. utrum ita proprium sit secundæ, ut aliis tribui non possit; 3. utrum sit nomen relativum, an verò absolutum; 4. denique, utrum Verbum procedat non tantùm ex cognitione, quam Pater habet de sua essentia, sed etiam de cognitione creaturarum.

CONCLUSIO 1. Verbi nomen convenit secundæ personæ SS. Trinitatis.

Probatur. Primò, sic appellatur Joannis cap. 1. *In principio erat Verbum .... Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. 2. Patres Latini, qui floruerunt ante Concilium Nicænum I. eandem adhibuerunt vocem, ut secundam SS. Trinitatis personam exprimerent. Tertullianus lib. de Præscriptionibus, cap. 13. scribit, *Patrem omnia condidisse per Verbum suum primò omnium emissum. Id Verbum Filium ejus appellatum*. Lactantius lib. 4. c. 8. hæc ait: *Contestans* (in hisce vocibus, Eructavit cor meum verbum bonum) *nulli alii opera Dei esse nota, nisi Filio soli, qui est Verbum Dei*. 3. Qui post Nicænam Synodum scripsere, nusquam ferè alio quam Verbi nomine secundam Trinitatis personam appellarunt, ut videre est in Hilarii, Augustini, aliorumque Latinorum, qui de Trinitate scripserunt, operibus.

Quæres 1. cur Latini secundam Trinitatis personam vocarunt potiùs Verbum, quàm Sermonem: nempè nomen *Logos*, qui legitur in Græco Evangelii textu, quodque Græci Patres adhibuerunt, Latinè non minùs per Sermonem, quam per Verbum redditur.

Resp. Latinos ita se gessisse, quòd cum sermo pluribus vocibus constet, minùs aptus sit, quam Verbi nomen, ad significandum, quòd Pater unico ac simplicissimo cognitionis actu secundam personam produxerit. Hinc patet, arguendum esse Erasmum, quem eo in capite imitati sunt Calvinus & Beza, quòd in Latina novi Testamenti versione posterioris editionis, nomen *Logos* verterit per Sermonē, scribens: *In principio erat Sermo*.

Quæres 2. in quo Verbi nomen, quod secundæ personæ SS. Trinitatis tribuitur, conveniat cum nomine verbi, quod creatæ cognitionis termino tribuitur; & in quo ab eo discrepet?

Resp. ad primum convenire, quòd utrumque sit expressa objecti imago, utrumque sit terminus actualis intellectionis, utrumque sit cujuscumque passionis expers, hoc est, citra perpessionem aliquam intelligentis, à mente oriatur.

Resp. ad secundum, differre 1. quòd verbum creatum non ex substantia mentis, sed ex ejus scientia, quæ qualitas est adventitia, nascatur: cum econtra Verbum divinum oriatur ex ipsa divinæ substantiæ cognitione: 2. Creatum Verbum non est perpetuum, divinum verò perpetuum est: hinc S. Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 16. scribit, ideò non dici cogitationem *ne aliquid esse quasi volubile credatur in Deo, quod nunc accipiat, nunc recipiat formam, ut Verbum sit, eamque possit amittere*: 3. Creata verba, multa sunt: neque enim unicum par esse potest omnibus rebus exprimendis, aut efficiendis: at divinum ideo singulare est & unum, quòd per se satis sit ad omnia: 4. Verbum creatum, nullum opus extrinsecum per se ipsum operatur: unde artifices non verbo, sed manibus utuntur: econtra Dei Verbum per sese efficax est: *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Tandem 5. Verbum creatum non est quid per se subsistens: at divinum per se subsistit, per se hypostasim habet.

Quæres 3. utrum Verbi nomen, quod secundæ Trinitatis personæ tribuitur, intelligatur de Verbo interno, seu de illo verbo, quod mens efformat internè: an vero de prolatitio, hoc est, de verbo, quod ore profertur externus.

Resp. Verbum, quod alteri Trinitatis personæ tribuitur, intelligi de interno primæ personæ verbo: scilicet cum secunda Trinitatis persona sit æterna, ac necessariò producta sit a prima, oportet, ut verbum, quod illi tribuitur, sit æternum, ac necessariò productum: ac ejusmodi non est verbum prolatitium, nempè dictum est in tempore, tum in rerum creatione, tum in cæteris Dei operationibus ad extra.

Dices. Ex veteribus aliqui secundam personam Trinitatis conferunt cum verbo prolatitio: *Verbum Patris ideò dictum est* (ait Augustinus lib. de Fide & Symbolo, cap. 3.) *quia per ipsum innotescit Pater. Sicut ergo verbis nostris id agimus, cum verum loquimur, ut noster animus innotescat audienti, & quidquid secretum in corde gerimus, per signa hujusmodi ad alterius cognitionem proferatur: sic illa sapientia, quam Deus Pater genuit, quoniam per ipsam innotescit animus secretissimus Patris, Verbum ejus convenientissime nominatur*: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Ex veteribus aliqui secundam personam Trinitatis cum nostro verbo prolatio conferunt quoad officium, conc. ant. quoad entitatem, neg. ant. Hoc est, veteres illi non dicunt, secundam personam Trinitatis sumptam secundum entitatem esse idem cum verbo nostro; neque enim est sonus aliquis exterior; nec cum verbo prolatitio Patris, id est, cum termino extrinseco, quem Pater in tempore produxit, siquidem terminus exterior non aliud est, quam creatura. Igitur Patres, de quibus in argumento, contulerunt verbum Patris sive cum verbo nostro, sive cum ejusdem Patris prolatitio verbo, quoad officium: nempè (ut liquet ex laudato Augustini testimonio) quemadmodum verbum, seu sermo noster, nostrum verbum interius, hoc est, cogitationem, manifestat; sicut etiam exterius Dei verbum, quod non aliud est, quam terminus ad extra, est manifestatio interioris illius verbi, seu cogitationis; ita secunda Trinitatis persona manifestat Dei Patris mentem, internam illius cogitationem aperit: *Ut enim* (ait Origenes Tom. 1. in Joannem p. 166.) *apud nos sermo nuntius est earum rerum, quæ à mente cernuntur: sic ille Dei sermo, qui Patrem agnovit, Patrem agnitum revelat*.

Si quis verò roget, cur aliqui ex antiquis Patribus secundam Trinitatis personam, etiam secundum entitatem sumptam, nonnunquam dixerint esse prolatitium Patris Verbum, duplex afferri poterit responsio. Nam 1. sic se gesserunt, quòd prolatitium manifestius sit interno. 2. Veteres cum egerunt de secunda persona SS. Trinitatis, plerumque tum contra Sabellianos, tum adversùs Arianos disputarunt. Sabelliani ultrò fatebantur dari Verbum in divinis, sed contendebant, illud Verbum persona non distingui a principio illius productivo, sicut in humanis cogitatio persona non distinguitur ab homine cogitante. Ariani fatebantur quoque existere Verbum, addebantque cum Catholicis, ipsum esse non nomine tantùm, & officio, sed etiam persona distinctum a Patre; sed docebant, ipsum præterea natura ab æterno Patre distingui. Patres verò cum adversùs Sabellianos conseruerunt manus, nonnunquam dixerunt, secundam personam esse prolatitium Verbum Patris, quòd scilicet Verbum prolatitium, quod imago est interni, illudque manifestat, minùs pateret Sabellianorum calumniis. Econtra cum rem egerunt adversùs Arianos, eandem secundam personam dixerunt internum Verbum Patris, ne si dixissent prolatitium, ut contra Sabellianos aliquoties, licèt perrarò, dixerant, Ariani inde causam arriperent asserendi, ut asserebant, Verbum non persona tantùm, sed etiam natura a Patre distingui.

CONCLUSIO 2. Verbi nomen proprium est secundæ personæ Trinitatis.

Pro-

Probatur. Nomen, quod significat modum, quo secunda persona SS. Trinitatis procedit, illi proprium est: siquidem nomina, quæ modum illum significant, sunt nomina personalia; cum personæ non distinguantur, nisi per relationes, & aliundè relationes in processionibus fundentur: atqui Verbi nomen significat modum, quo secunda persona SS. Trinitatis procedit: nempè significat, secundam personam procedere per generationem; significat enim illius productionem per intellectum, quia Verbum est terminus intellectionis: at intellectus divinus (ut suo loco dictum est) producit in similitudinem naturæ, proindeque generat.

Objicies. Ambrosius non minùs primæ, quàm secundæ personæ, Verbi nomen tribuit: *Hæc est autem* (ait in libro de Filii divinitate, cap. 5.) *nominis ratio, ut in Patre & in Filio unitatem substantiæ credas .... ut sive Lumen de Lumine dicas, sive Verbum de Verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive Dominum de Domino; quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem & Filium credas:* Ergo Verbi nomen, ex Ambrosio, non est proprium secundæ personæ SS. Trinitatis.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. ant. Ex Ambrosio, secunda persona est de Verbo, sumendo verbum pro ratione, seu principio intelligente, conc. ant. pro termino producto per rationem, neg. ant. Nomen græcum *Logos*, quod latinè vertitur per *Verbum*, duo significat, rationem intelligentem, seu ipsummet actum intelligendi, & terminum intellectionis. Prima persona est verbum, sumendo verbum in priore sensu: unde veteres adversùs Arianos contendentes Filium in tempore productum fuisse, docuerunt, Patrem semper fuisse *logicalem*, seu intelligentem, & nusquam *alogon*, hoc est, non intelligentem; indeque concluserunt, eundem Filium esse æternum, quia Pater non potest esse *Logos* hoc est, intelligens, quin Filium producat, cum sit necessarius intellectionis paternæ terminus. Secunda persona sola dicitur Verbum in altero sensu, nec enim Pater aut Spiritus sanctus sunt *Logos*, seu Verbum, sumendo voces illas pro termino per divinam intellectionem producto: *Verbum de Verbo dici non potest* (inquit Augustinus lib. 6. de Trinitate, cap. 2.) *quia non simul ambo Verbum, sed solus Filius.*

CONCLUSIO 3. Verbi nomen non est absolutum, sed relativum.

Probatur. Verbum, ex dictis superiùs, est terminus intellectionis paternæ; atqui terminus ille est aliquid relativum; in suo nimirum conceptu dicit processionem ab eo, cujus est verbum: sed quod in suo conceptu processionem dicit, est relativum: ergo Verbi nomen non est nomen absolutum, seu quod essentiam aut naturam significet; sed nomen est relativum, quod significet personam.

Confirmatur ex Augustino, qui lib. 7. de Trinitate, cap. 2. sic loquitur: *Sicut Filius ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur; ita & Verbum ad eum, cujus Verbum est, refertur, cum dicitur Verbum. Eò quippè Filius quò Verbum, & eò Verbum quo Filius .... Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad eum, cujus Verbum est, sicut Filius ad Patrem.*

CONCLUSIO 4. Verbum non procedit a Patre per solam cognitionem, quam Pater habet de sua essentia, sed etiam per cognitionem, quam habet de creaturis possibilibus.

Probatur. Verbum procedit a Patre per cognitionem perfectissimam, cum illius processio sit omnium perfectissima, atqui perfectissima cognitio complectitur cognitionem non solius essentiæ divinæ, sed etiam creaturarum possibilium: ergo, &c.

Confirmatur. Verbum procedit per cognitionem intuitivam, quam Pater habet de sua essentia: scilicet intuitiva cognitio perfectior est abstractiva: atqui intuitiva divinæ essentiæ cognitio non potest haberi sine cognitione creaturarum possibilium; siquidem essentia non est quid realiter actu distinctum ab omnipotentia: proindeque comprehensivam omnipotentiæ cognitionem complectitur. At comprehensiva omnipotentiæ cognitio includit cognitionem omnis termini, ad quem omnipotentia sese potest extendere: ergo Verbum producitur non solùm per cognitionem divinæ essentiæ; sed etiam per cognitionem omnium omninò creaturarum possibilium. Dixi, creaturarum possibilium, non autem existentium, quia in illo priori nondum existunt creaturæ.

Quæres, utrum Verbum procedat à Patre non solùm per cognitionem divinæ essentiæ, & creaturarum omnium, sed etiam per cognitionem ipsiusmet Verbi, ac Spiritus sancti? Ratio dubitandi petitur ex eo, quòd Verbum & Spiritus sanctus sint idem realiter cum essentia divina; ac proinde sine eis haberi non potest intuitiva ejusdem essentiæ divinæ cognitio.

Resp. Verbum non procedere per cognitionem ipsiusmet Verbi actu producti: scilicet si per eam cognitionem procederet, esset, secundùm nostrum intelligendi modum, priùs se ipso, id enim per quod quis procedit, priùs est termino processionis: at nec Verbum, aut aliquod aliud ens, potest se ipso prius esse. Nec obstat ratio dubitandi, quæ in quæstione fuit proposita: siquidem in illo priori, in quo concipimus, Patrem nondum producere Filium, Filius est quidem in essentia divina secundùm esse absolutum, sed nondum est in ea secundùm esse relativum: unde cognitio, quam tunc Pater habet de sua essentia, non se extendit ad esse relativum Filii. Verùm si Verbum objectivè sumatur, dicendum erit, ipsum produci per ipsam cognitionem Verbi, sicut & per cognitionem Spiritus sancti.

CAPUT II.

Utrum nomina Filii, Sapientiæ, Imaginis conveniant secundæ personæ SS. Trinitatis.

CONCL. 1. Filii nomen convenit soli secundæ personæ SS. Trinitatis.

Probatur. Illi soli personæ convenit Filii nomen, quæ sola generatur; nempè Filius est terminus generationis: atqui sola secunda persona SS. Trinitatis generatur (ut superiùs ostensum est) ergo soli secundæ personæ Trinitatis convenit nomen Filii.

CONCLUSIO 2. Sapientiæ nomen non convenit propriè secundæ personæ SS. Trinitatis, sed appropriativè tantùm.

Probatur prior pars. Quod significat aliquid absolutum, non convenit propriè, hoc est, per exclusionem, secundæ personæ; scilicet quæ sunt absoluta, singulis personis communia sunt: atqui Sapientiæ nomen significat aliquid absolutum; sicut enim immensus est Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus; ita sapiens est Pater, sapiens Filius, sapiens Spiritus sanctus.

Confirmatur ex Augustino, qui lib. 1. de Trinitate, cap. 2. opponit Sapientiam Verbo: aitque illam esse Patri, ac Filio communem, istud verò proprium Filio: *Pater igitur* (inquit) *& Filius simul una essentia, & una magnitudo, & una veritas, & una sapientia. Sed non Pater & Filius simul ambo unum Verbum, quia non simul ambo unus Filius.* Cur autem Patri, ac Filio communia sit Sapientia, non autem Verbum, asserit Augustinus, id ex eo oriri, quòd illa sit quid absolutum, istud verò aliquid relativum: *Et hæc duo* (inquit) *cum dicuntur, id est, nata sapientia, in uno eorum, quod nata est, & Verbum & Imago, & Filius intelligatur, & in his omnibus nominibus non ostendatur essentia, quia relativè dicuntur. At in altero, quod est Sapientia, quoniam & ad se dicitur, se ipsa enim sapiens est, etiam essentia demonstratur; & hoc ejus esse,*

quod

quod sapere. Unde Pater, & Filius simul una Sapientia, quia una essentia, & singillatim Sapientia de Sapientia, sicut essentia de essentia.

Probatur altera conclusionis pars auctoritate Pauli, qui 1. ad Corinth. 1. de Christo ait, quod sit *Dei virtus, & Dei sapientia*. Jam verò nomen illud per appropriationem de Filio dici, sic ostenditur: Illud nomen per appropriationem de Filio dicitur, quòd licet rem tribus personis communem significet, Analogiam tamen habet cum modo peculiari, quo Filius à Patre procedit; atqui nomen, de quo agitur, est hujusmodi: siquidem Filius a Patre per intellectum procedit; at sapientia, aut est ipse intellectus, aut illius operatio, aut virtus.

CONCLUSIO 3. Imaginis nomen convenit secundæ personæ SS. Trinitatis, & quidem propriè.

Probatur prior pars. Scriptura non semel Filium vocat imaginem Patris. Apostolus sic loquitur ad Colossenses 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Hæc etiam habet ad Hebræos 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ ejus, & figura substantiæ ejus*. 2. Patres (ut videre est in Augustini libris de Trinitate, in Basilii operibus adversus Eunomium, in Oratione IV. Athanasii contra Arianos, in Chrysostomo in laudatum Apostoli locum) eadem utuntur loquendi ratione.

CONCLUSIO 4. Imaginis nomen convenit soli secundæ personæ SS. Trinitatis.

Probatur. Illud nomen convenit soli secundæ personæ Trinitatis, quòd de ea dicitur relativè, non autem absolutè: scilicet (ut sæpius dictum est) quæ sunt absoluta, toti Trinitati communia sunt; atqui nomen imaginis de secunda persona dicitur relativè, non autem absolutè: Nam id expressè docet Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 13. *Relativè* (inquit) *dicitur Filius, relativè dicitur Verbum & Imago*. Idem hisce verbis asserit lib. 7. cap. 1 *Quid autem absurdius, quam imaginem ad se dici*. At quod ad se non dicitur, dicitur ad aliud; ac proinde non est nomen absolutum, sed relativum.

Objicies 1. Homo dicitur imago Dei, juxta illud Scripturæ: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: ergo vox hæc, *Imago*, non est propria secundæ personæ Trinitatis.

Resp. dist. ant. Homo dicitur impropriè, imago Dei, conc. ant. dicitur propriè, neg. ant. Imago propriè sumpta, dicit similitudinem secundùm speciem; sumpta verò impropriè, dicit similitudinem secundùm aliquam tantùm perfectionem. Homo non est in priore sensu imago Dei: neque enim Dei & hominis natura sunt ejusdem speciei; sed est imago Dei in altero tantùm sensu, nempè sicut Dei natura est intelligens, ita etiam intelligens est hominis natura. E contra Verbum divinum in priore sensu est imago Patris: habet nimirum naturam non tantum eandem specie cum natura Patris, sed etiam eandem numero.

Objicies 2. Imaginis nomen convenit Spiritui sancto: ergo non est proprium soli secundæ personæ Trinitatis. Probatur ant. Imago propriè sumpta definitur similitudo duorum in natura: atqui Spiritus sanctus est æterno Patri similis in natura; imo, sicut & Filius, eandem cum ipso naturam habet: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Imago propriè sumpta definitur similitudo duorum in natura, vi processionis, conc. maj. non vi processionis, neg. maj. Ad imaginem propriè sumptam requiritur quidem similitudo in specie, sed id satis non est; unde licèt ovum sit alteri simile, non dicitur tamen illius imago: *Si gemini* (inquit Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 74.) *inter se similes sint, similitudo dici potest alterius cujuslibet in altera, non imago; & ovum alteri ovo, quam maximè simile est, nec imago tamen ejus est, quia de illo expressum non est*. Igitur ad rationem imaginis præter similitudinem in natura, requiritur processio, & quidem ita, ut ea similitudo, ea imago reperiatur in supposito vi originis ac processionis: at sic similitudo in natura non convenit Spiritui sancto; scilicet (ut superius dictum est) vi actus, seu vi amoris, per quem producitur, non procedit ut verbum, in naturæ similitudinem.

Objicies 3. Verbum non potest dici simile Patri: ergo nec dici potest illius imago. Probatur ant. Verbum non potest esse simile Patri, nisi vel secundum personam, vel secundum naturam: atqui nec secundum personam, nec secundum naturam est simile Patri. Non quidem secundùm personam: tantùm enim abest, ut filiatio sit similis paternitati, quin potiùs sit omninò diversa. Non etiam secundum naturam: nimirùm ubi est identitas naturæ, non est similitudo in natura; ac proindè cum Verbum eandem omninò cum Patre naturam habeat, non potest dici simile Patri in natura.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. Ad 3. dicendum est, Filium esse similem Patri secundum essentiam, seu secundum naturam, secundùm substantiam. Siquidem Filius est similis Patri secundum formam, quæ communis est utrique; sic enim in humanis Filius dicitur suo genitori similis non secundum rationem Patris, sed tantum secundum naturam, quod utrique communis sit, non quidem ratio Patris, sed humana natura. Sed in divinis essentia sola cum attributis absolutis communis est Patri ac Filio: ergo &c. Ad 4. dist. maj. Ubi est identitas in natura, non est similitudo in natura, si eadem quoque sit persona, conc. maj. si non sit eadem persona, neg. maj. Ad similitudinem duo requiruntur, unum, in quo ea, quæ similia sunt, conveniant, & alterum, in quo disconveniant. Non est necesse ut id, in quo conveniunt, seu forma, in qua, similitudo fundatur, sit distinctum; sed satis est, ut subjecta, in quibus ea forma reperitur, sint distincta: sic si in nive & lacte esset eadem numero albedo, lac & nivis perfectè similia dicerentur, quia forma, seu albedo, in qua convenirent, esset utrique subjecto communis. Propter eandem rationem persona Filii, quæ realiter distinguitur a persona Patris, est Patri perfectè similis in essentia, eò quòd forma seu essentia, in qua ejusmodi similitudo fundatur, sit in utroque subjecto, seu, in utraque persona, eadem omnino.

Confirmatur responsum 1. ex Scriptura, quæ ad Hebræos 1. docet, Christum esse figuram divinæ substantiæ: *Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ ejus*. Nec est, quòd quis opponat græcum textum pro voce, *Substantia*, legere, *Hypostasis*. Nam 1. ante Sabellianorum hæresim, vox *Hypostasis* apud Græcos (ut superiùs probatum est) sumebatur pro essentia, natura, substantia. 2. Vox ista *Gloria*, non intelligitur personaliter, sed essentialiter; ergo nec ista *Substantia*, intelligitur personaliter, sed essentialiter; itaque quemadmodum licèt eadem sit gloria, seu majestas, tum in Patre, tum in Filio, Filius tamen dicitur splendor paternæ gloriæ: ita etiam licèt eadem sit in utroque substantia, Filius tamen rectè dicitur substantiæ figura.

Confirmatur 2. ex SS. Patribus; scilicet asseruerunt 1. Filium esse quid per se subsistens, sicut & Pater, eò quòd sit figura paternæ substantiæ, hoc est, sit, non minùs quam Pater, substantia, cujus proprium est non indigere alio, tanquam subjecto, cui inhæreat: *Addidit* (ait Chrysostomus in Comment. in epist. ad Hebræos) *Figura substantiæ ejus, ut ostenderet, quemadmodum subsistens est Pater, & ad subsistendum nullius est egens, & esse Filium*. At si Patres usi sunt nomine substantiæ, ut adversus Sabellianos ostenderent, Filium non esse quid inhærens alteri, sed substantiam per se, sicut Pater, consistentem; idem substantiæ nomen, quo Paulus utitur, sumpserunt non pro persona, sed pro essentia. Asseruerunt 2. post Apostolum, Christum esse in forma Dei simul & in forma servi: *Qui cum in forma Dei esset* (ad Philippenses 2.) *non rapinam arbitratus est esse se æqualem*

Deo,

Dei, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: At Christus est in forma servi, seu imago hominis servi, ratione humanæ naturæ; neque enim ratione personæ, quæ Verbum est, potest esse imago servi: ergo a part est forma, seu imago Dei, non ratione personæ, sed ratione essentiæ divinæ. Asseruerunt 3. præsertim Hilarius, fidei confessionem, qua Semi-Ariani dixerant, Filium esse *Omousion*, hoc est similem in substantia cum Patre, esse veram: ergo illis Patribus persuasum fuit, Filium esse imaginem Patris, ratione substantiæ, non autem ratione personæ.

QUÆSTIO III,

De tertia persona SS. Trinitatis.

Not. AGemus hic 1. de nominibus, quæ tertiæ personæ Trinitatis tribuuntur; 2. de illius processione a Patre, & Filio; 3. de particula *Filioque*, quæ inserta est symbolo. De illius autem consubstantialitate cum aliis personis divinis, ac reali ab illis distinctione, hujusce Partis dissertatione 1. fusè dictum est.

CAPUT I.

De nominibus, quæ tertiæ personæ tribuuntur.

Not. NOmina, quæ passim tribuuntur tertiæ personæ, hæc sunt, Spiritus sanctus; Donum; Amor. De iis autem nominibus quæri potest. 1. utrum conveniant tertiæ personæ; 2. utrum ei propria sint.

CONCLUSIO 1. Hæc nomina, Spiritus sanctus, Donum, Amor, conveniunt tertiæ personæ SS. Trinitatis.

Probatur. Ea nomina conveniunt personæ SS. Trinitatis, quæ illi tribuuntur, aut in Scripturis, aut in Patribus; atqui ea, de quibus in conclusione, tertiæ personæ tribuuntur in Scripturis. Et quidem *primo* Spiritus sancti nomen illi tribuitur, tum Matthæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, tum etiam 1. Joannis 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*. Tribuitur *secundò* nomen Doni: *Si scires* (ait Christus, Joannis 4. alloquens mulierem Samaritanam) *Donum Dei*. De eadem tertia persona intelliguntur hæc Actorum 8. ubi Petrus arguit Simonem magum, quòd vellet emere Spiritum sanctum: *Existimasti Donum Dei pecunia possideri posse*. Tribuitur *tertiò* nomen Amoris seu charitatis: *Si ergo propriè* (inquit Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17.) *aliquid horum trium charitas nuncupanda est, quid aptius, quam ut hoc sit Spiritus sanctus*.

CONCLUSIO 2. Spiritus sancti nomen propriè convenit tertiæ personæ SS. Trinitatis.

Probatur. Illud nomen propriè convenit tertiæ personæ SS. Trinitatis, quod illi tribuitur per oppositionem ad alias personas; atqui Spiritus sancti nomen tribuitur tertiæ personæ per oppositionem ad alias personas, ut patet ex textibus, quos ad primæ conclusionis probationem laudavimus.

Objicies 1. Prima, & secunda persona SS. Trinitatis non minùs sunt Spiritus, & quidem sanctus, quam tertia, neque enim in eis aliquid est, quod aut materiam, aut impuritatem sapiat: ergo Spiritus sancti nomen est tertiæ personæ proprium.

Resp. dist. ant. Non minùs sunt Spiritus sanctus, quàm tertia, sumendo voces istas *Spiritus sanctus*, secundùm sensum grammaticum conc. ant. secundùm sensum Ecclesiasticum, neg. ant. Sensu grammatico, qui ex duplici hac distinctione *Spiritus sanctus* petitur, non aliud significatur, quam ens immateriale, ac cujusvis impuritatis expers: sensu verò Ecclesiastico significatur persona, quæ in divinis spiratur, hoc est, per amorem tanquam principii spiritualis impulsum, producitur. Ideò autem tum Scriptura, tum Patres alium sensum eis vocibus, *Spiritus sanctus*, affinxerunt, quam is, quem illis Grammatici tribuerunt, quod sicut defectu terminorum, productio tertiæ personæ non exprimitur nomine speciali, sed generali tantùm, *productionis* nimirum vocabulo: ita tertia persona defectu termini specialis in Scriptura, & traditione significatur hocce nomine generali *Spiritus sanctus*.

Objicies 2. Nomen, quod non significat relationem, non est proprium alicui personæ, quæ enim relationem non significant, sunt absoluta, ac proinde communia singulis personis; atqui Spiritus sancti nomen non significat relationem: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Nomen, quod relationem non significat, neque secundùm sensum grammaticum, neque secundùm sensum Ecclesiasticum, non est proprium, conc. maj. quod non significat secundum sensum grammaticum, sed significat secundùm Ecclesiasticum, neg. maj. Responsum illud est S. Thomæ, qui 1. p. q. 36 art. 1. sic loquitur: *Ad secundum dicendum, quod licet hoc quod dico, Spiritus sanctus, relative non dicatur, tamen pro relativo ponitur, in quantum est accommodatum ad significandam personam sola relatione ab aliis distinctam*. Addi potest, vocem de qua agitur, significare relationem, si ad alias personas comparetur: siquidem (ut ibidem observat S. Thomas) potest intelligi, quasi spiratus, ac proinde relationem dicit ad Patrem & Filium, a quibus spiratur.

CONCLUSIO 3. Donum, est nomen, quod propriè convenit tertiæ personæ SS. Trinitatis.

Probatur. Illud nomen propriè convenit tertiæ personæ SS. Trinitatis, quo exprimitur modus, quo procedit a Patre & Filio: nimirùm modi, quibus personæ procedunt, iis tantùm proprii sunt; atqui hoc nomine, *Donum*, exprimitur modus, quo tertia Trinitatis persona procedit a Patre & Filio: siquidem modus, quo tertia persona procedit, est per amorem: sed processio per amorem exprimitur per hoc nomen, *Donum*: scilicet ipsemet amor est donum, cum in eo positus sit, quòd alicui objecto velimus bonum; est etiam principium aliorum donorum, nempe iis tantùm conferuntur dona, qui diliguntur: ergo, &c.

Objicies 1. Dari convenit etiam Filio, juxta illud Isaiæ 9. *Filius datus est nobis*: ergo donum non est nomen, quod propriè, hoc est, soli tertiæ Trinitatis personæ conveniat.

Resp. dist. ant. Dari impropriè, convenit etiam Filio, conc. ant. dari propriè, neg. ant. Ratio est, quia id tantùm propriè datur, quod datur vi suæ processionis, quemadmodum id tantùm propriè generatur, quòd vi processionis procedit in similitudinem naturæ: at tertia persona datur vi suæ processionis, non autem Filius; nam Filius datur ex amore, quo Pater hominem diligit, juxta illud Joannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: amor verò non est ratio, per quam Filius à Patre procedit.

Objicies 2. Vel tertia Trinitatis persona est donum respectu aliarum personarum, vel respectu creaturarum: atqui neutrum dici potest. Non primum, neque enim tertia persona aliis datur: Non etiam secundum, quia alioquin, non esset donum, nisi in tempore; quod est absurdum.

Resp. ad 1. tertiam personam esse sub utroque respectu donum: & quidem 1. respectu aliarum personarum, tanquam principium, à quo datur; 2. etiam respectu creaturarum, tanquam subjectum, cui communicatur, juxta illud Apostoli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis*. Ad 2. dist. ant. Tertia persona esset in tempore tan-

tum donum in actu, conc. ant. neque enim actu creaturis data est, nisi in tempore: donum in potentia, seu quod es se dari possit, si sit subjectum, cui detur, neg. ant. Vide S. Thomam 1. p.q 38. art.2.ad 1. Vide etiam Augustinum lib.15. de Trinitate, cap. 19.

CONCLUSIO 4. Amor est nomen quod propriè convenit tertiæ personæ.

Probatur authoritate & argumento Augustini, qui lib. 15. de Trinitate, cap. 17. sic loquitur: *Si ergo propriè aliquid horum trium charitas nuncupanda est, quid aptius, quàm ut hoc sit Spiritus sanctus*. Nec obstat, quòd in Trinitate aliud non sit substantia, & aliud charitas; ac proinde sicut substantia communis est, ita & charitas. Nam tum in Scripturis, tum in Patribus usus invaluit, ut charitas, seu amor, tribueretur tertiæ personæ, eò quòd (ut sæpiùs observatum est) per amorem a Patre ac Filio procedat. *Tamen* (ait ibidem Augustinus) *propriè Spiritus sanctus Charitas nuncupatur.*

Confirmatur. S. Doctor comparatione, quæ ex lege ducitur. Quemadmodum quamvis lex nonnunquam universaliter, hoc est, pro integro codice veteris testamenti sumatur; aliquando tamen sumitur propriè & singulariter pro ejusdem veteris testamenti libro aliquo particulari; sic etiam charitas, quamvis toti Trinitati conveniat, *Deus charitas est*, invaluit tamen usus, ut tertiæ personæ propriè tribueretur. *Hæc ideò dixi* (verba sunt, quæ Augustinus mox allatæ comparationi subjicit) *ne quisquam propterea nos inconvenienter existimet charitatem appellare Spiritum sanctum, quia & Deus Pater, & Deus Filius potest charitas nuncupari. Sicut ergo unicum Dei Verbum propriè vocamus nomine Sapientiæ, cum sit universaliter & Spiritus sanctus, & Pater ipse sapientia; ita Spiritus sanctus propriè nuncupatur vocabulo charitatis, cùm sit universaliter charitas & Pater & Filius.*

CAPUT II.

De processione Spiritus sancti à Patre & Filio.

Not. 1. PRimus, qui apertè negavit, Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, est post Nestorium Theodoretus. Siquidem in confutatione Anathematismi noni Cyrilli damnavit Cyrillum, quòd asseruisset, *proprium esse Filii Spiritum*, addiditque, id esse *blasphemum & impium*, si ita intelligeret, ut vellet ipsum *aut ex Filio aut per Filium extantiam habere*. Photius, qui per vim abjecto Ignatio, sedem Constantinopolitanam invaserat, idem quod antea Theodoretus post suam à Nicolao Papa dejectionem, asseruit circa annum 863. Photio deinceps adhæserunt Græci: scilicet articulum, quo negatur Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, jactarunt olim & nunc etiam jactant tanquam tesseram, qua se discernant à Latinis.

Not. 2. Post Photii mortem Græci sæpiùs cum Latinis de quæstione, de qua agitur, manus conseruerunt. In Concilio Barensi, quod Urbano Papa II. celebratum est, Anselmus Episcopus Cantuariensis pro Latinis adversùs Græcos strenuè decertavit. In Concilio Lateranensi IV. Græci abjurata sua hæresi redierunt in Ecclesiæ Catholicæ communionem: verùm post annos circiter triginta sex in pristinum schisma & antiquum errorem relapsi sunt. Imperante Michaele Palæologo, iterùm concordiam cum Latinis inierunt in Concilio, quod sub Gregorio X. anno 1274. Lugduni habitum est. Post Michaelis Palæologi mortem, quæ contigit anno 1283. Græci, imperante Andronico Michaelis filio, errorem de processione Spiritus sancti à solo Patre rursùs amplexi sunt. Imperante Joanne Palæologo, anno 1439. celebrata est generalis Synodus, in qua Græci post multas disputationes tum Ferrariæ, tum Florentiæ habitas, iterum subscripsere dogmati Catholico; sed post Concilium opera Marci Ephesini præsulis, qui Florentino decreto subscribere noluerat, Græci ad antiquum suum errorem redierunt.

Not. 3. Ut cum methodo controversia, de qua est quæstio, pertractetur, quærendum est, utrum dogma Catholicum demonstrari possit 1. ex Scriptura; 2. ex Patribus Græcis; 3. ex Patribus Latinis; 4. ex Conciliis Oecumenicis; ac tandem 5. qua ratione solvi debeant Græcorum schismaticorum objectiones.

ARTICULUS I.

Utrum processio sancti Spiritus à Filio, Scripturis demonstrari possit.

CONCL. PRocessio sancti Spiritus à Filio potest Scripturis demonstrari.

Probatur. Scripturæ asserunt 1. Spiritum sanctum mitti a Filio: scilicet, Christus sic loquitur Joannis 15. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*: sic etiam cap. 16. *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos*. Asserunt 2. Spiritum sanctum de Filio accipere: *Ille me clarificabit* (ait Christus Joannis 16.) *quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis*: Qua autem ratione accipiat, sic exponit: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet*. Asserunt 3. Spiritum sanctum esse Spiritum Filii: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra*: verba sunt Pauli ad Galatas 4. *Tentabant ire in Bithyniam* (inquit Lucas Act. 16.) *& non permisit eos Spiritus Jesu*. Asserunt 4. Christum insufflandi, seu inspirandi cæremonia usum fuisse, cum Spiritum sanctum post resurrectionem Apostolis infudit: *Hæc cum dixisset* (Joan. 20.) *insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*. Atqui ea loca demonstrant sancti Spiritus a Filio processionem: ergo ea processio potest Scripturis demonstrari.

Minor propositio, in qua vis argumenti sita est, sic per partes ostenditur.

Primò, Missio in divinis supponit processionem: ideò enim Pater non mittitur, quia ab alio non procedit. *Pater* (inquit Augustinus lib. 4. de Trinitate, c. 19.) *cum ex tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet de quo missus sit, aut de quo procedat*: ergo, si Spiritus sanctus a Filio mittitur, ut eum mitti fidem faciunt Scripturæ, a Filio procedit. Athanasii est illud argumentum: sic enim in epist. ad Serapionem loquitur: *Hic est ordo naturæ divinæ à Patre & Filio, ut qui à nullo est, à nullo mittatur; & qui est ab alio, in nomine suo non veniat, sed in nomine illius, à quo existit. Ita & Spiritus sanctus, qui à se non est, à se venire non debuit, sed in nomine illius, à quo est, & à quo habet, ut hypostasis sit, Deus, quemadmodum de eo dicit Filius, Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.*

Nec alicujus est momenti quod Græci respondent, contendentes, Scripturæ verba, quibus asseritur Spiritum sanctum a Filio mitti, intelligi debere non quidem de ipsa Spiritus sancti persona, sed de donis, quæ per quandam appropriationem (ut loquuntur Theologi) tribuuntur Spiritui sancto. Non est (inquam) alicujus momenti. Nam 1. supponit ea responsio, personas divinas nobis non dari; sed tantùm communicari nobis earum effectus: at ea suppositio repugnat hisce Christi verbis, Joannis 14. *Si quis diliget me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. 2. Quod solùm habet rationem effectus, non dicitur mitti, sed dari tantùm aut communicari: ergo Spiritus missio, de qua loquitur Evangelium,

ſtum, eſt miſſio ipſiuſmet perſonæ Spiritus ſancti.

Secundò, perſona, quæ recipit eſſe a Filio, a Filio procedit: nimirum proceſſio nihil aliud eſt, quam receptio eſſe, ſeu eſſentiæ & exiſtentiæ: atqui Spiritus ſanctus recipit eſſe a Filio: ſiquidem, ex Scriptura, quidpiam recipit a Filio: at id, quod recipit, non eſt quid accidentale, cum accidentia locum in Deo non habeant; eſt ergo aliquid ſubſtantiale: ſed ſubſtantiale non aliud eſt, quam eſſentia & exiſtentia, quæ quidem in divinis ne per mentem quidem ſeparari poſſunt.

Nec audiendi ſunt Græci, cum reponunt, Christum non dixiſſe, *De me accipiet*, ſed *De meo*, hoc eſt, *De meo Patre*. Non ſunt (inquam) audiendi. Nam 1. Si Spiritus ſanctus de ſubſtantia Filii a Patre recipiat, recipit quoque ab ipſa Filii perſona; quæcumque enim, excepta paternitate, Pater habet, Filii ſunt: ergo cum Pater, fatentibus Græcis, ſit principium Spiritus ſancti, Filii eſt pariter illius principium.

Tertiò, Ille procedit a Filio, qui dicitur Spiritus Filii. Nam 1. ideo aſſeritur a Patre procedere, quod in Scripturis dicatur Spiritus Patris: ergo pariter ex eo quòd dicatur Spiritus Filii, dici debet a Filio procedere. 2. Spiritus ſanctus non poteſt eſſe Filii, niſi aut tanquam ſuperior, aut tanquam inferior, aut tanquam æqualis: Non eſt Filii in duplici priore ſenſu, ſed in poſteriore tantùm: at res æqualis, non dicitur eſſe alterius niſi ab ea procedat: Atqui (ut probatum eſt) Spiritus ſanctus in Scripturis dicitur Spiritus Filii, ergo ab eo procedit.

Quartò, qui inſufflavit, ut daret Spiritum ſanctum, eſt principium Spiritus ſancti: quid enim aliud inuſitata illa cæremonia poteſt ſignificari, quam quòd ſicut flatus ex ore procedit, ita Spiritus ſanctus procedit a Filio? *Niſi procederet & de ipſo* (inquit Auguſtinus lib. 3. contra Maximinum, cap. 14.) *non diceret diſcipulis, Accipite Spiritum ſanctum, eumque inſufflando daret, ut à ſe quoque procedere ſignificans, apertè oſtenderet flando, quod ſpirando dabat occultè.*

ARTICULUS II.

Utrum proceſſio ſancti Spiritus à Filio poſſit ex Patribus Græcis demonſtrari.

CONCL. Proceſſio ſancti Spiritus à Filio poteſt ex præcipuis Patribus Græcis demonſtrari.

Probatur. Græci Patres & explicitè & implicitè docuerunt, Spiritum ſanctum a Filio procedere: ergo illius proceſſio a Filio poteſt ex Patribus Græcis demonſtrari. Prior antecedentis pars oſtenditur variis Græcorum Patrum textibus.

Primò, hæc habet Epiphanius in Ancorato, numero 67. *Jam verò cum Chriſtus ex Patre credatur Deus de Deo, & Spiritus ex Chriſto, ſive ab ambobus, ut Chriſtus his verbis aſſerit: Qui a Patre procedit, & hic de meo accipiet.* Unde ſic conficitur argumentum: Ille cenſuit, Spiritum ſanctum a Filio procedere, qui aſſeruit, eum eſſe Deum ex Chriſto, ſicut ipſe Chriſtus eſt Deus ex Patre: atqui Epiphanius id aſſeruit, idque confirmavit verbis Evangelicis, *De meo accipiet*, quibus Latini contra Græcos utuntur: ergo, &c.

Confirmari poteſt argumentum pluribus aliis ejuſdem Epiphanii textibus, ſed ſatis ſit iſte, quem in Ancorato, num. 72. legere eſt: *Igitur ſi à Patre procedit, & de meo (ut ait Dominus) accipiet, quemadmodum nemo novit Patrem, niſi Filius; neque Filium, niſi Pater: & ita dicere audeo, neque Spiritum, niſi Pater, & Filius à quo procedit, & a quo accipit: & neque Filium ac Patrem, niſi Spiritus ſanctus, qui verè glorificat, & qui docet omnia, qui teſtatur de Filio, qui a Patre, & ex Filio.* Vide in actis Concilii Florentini plurima alia Epiphanii loca, quibus Latini in ea Synodo contra Græcos uſi ſunt.

Secundò, Cyrillus Alexandrinus lib. qui de lapſu & converſione hominis inſcribitur, probat Spiritum ſanctum non eſſe mutabilem eò, quòd ſit *Dei Patris & Filii ille, qui ſubſtantialiter ex utroque, nimirum ex Patre per Filium, profluit Spiritus*. Eum autem locum de ipſomet Spiritu ſancto, non autem de illius donis, intelligi debere, probant hæc verba: *Qui ſubſtantialiter ex utroque profluit*; neque enim dona ſancti Spiritus ex Dei Patris & Filii ſubſtantia profluunt. Præterea, ſi in laudato textu nomine Spiritus intelligatur temporalis miſſio per dona & effectus, ineptum erit argumentum, quod Cyrillus adhibuit, ut probaret, mutabilem non eſſe Spiritum ſanctum: *Mutabilis autem nullo modo Spiritus eſt, ſiquidem eſt Dei Patris & Filii*. Nempè nihil magis obnoxium eſt mutationi, quàm miſſio per externa dona, tum quòd temporalis ſit, tum etiam quòd modò fiat, modò verò non fiat illa miſſio.

Idem S. Doctor in Commentariis in Joelem cap. 2. hæc etiam habet, quæ litem plane dirimunt: *Nam quia Deus, & ex Deo ſecundum naturam eſt Filius .... proprius ipſius eſt, & in ipſo & ex ipſo Spiritus.* Libro 34. Theſauri hæc iterum habet, quæ non minùs ſunt evidentia, quam quæ mox laudata ſunt ex commentariis in Joelem: *Cum ergo Spiritus ſanctus in nobis exiſtens conformes nos efficiat Deo, procedat autem Patre & Filio; perſpicuum eſt, divinæ ipſum eſſe ſubſtantiæ, ſubſtantialiter in ipſa & ex ipſa procedentem, quemadmodum utique flatus ille, qui ex ore hominis excurrit.* Manifeſtè conſtat, Cyrillum eo in textu loqui de ipſomet Spiritu ſancto, cum aſſerat Spiritum, de quo loquitur, divinæ eſſe ſubſtantiæ, & ex ipſa procedere: at aſſerit, Spiritum, de quo loquitur, non minùs ex Filio quam ex Patre procedere, idque confirmat exemplo flatus, qui ex ore hominis excurrit: ac proindè quemadmodum flatus ille verè ex hominis ore procedit; ita etiam Spiritus ſanctus verè ex Filio procedit.

Tertiò, Baſilius libro 3. contra Eunomium docet, Spiritum ſanctum eſſe, tum ordine tum dignitate, ſecundum a Filio, eo quòd *eſſe ab illo habeat, & ab ipſo accipiat, & annunciet nobis, & omninò ex illa cauſa pendeat*; atqui habere, accipere eſſe a Filio, eſt ab eo procedere: ergo, &c.

Reſpondit olim Marcus Epheſius in Concilio Florentino: 1. Baſilium equidem innuiſſe, Spiritum ſanctum eſſe ordine ac dignitate ſecundum a Filio, ſed id aſſeruiſſe non ex propria ſententia, ſed ex ſententia Eunomii, qui inde colligebat, Spiritum ſanctum eſſe non perſona tantùm, ſed etiam natura ſecundum a Filio. Marcus reſponſionem confirmavit es his verbis, quæ in laudato Baſilii textu leguntur: *Pietatis ſermo fortaſſe tradit*. Idem Marcus Epheſius reſpondit, verba, quæ laudata ſunt, non legi in germano Baſilii textu; ſed eſſe addita & inſerta ab aliquibus Latinis.

Verum inanes ſunt ambæ illæ Marci reſponſiones. Nam 1. Baſilius pluribus aliis in locis conſtanter aſſeruit, Spiritum ſanctum eſſe ſecundum a Filio, & tertium in Trinitate, ut videre eſt in illius Epiſtola centeſima, quæ eſt ad Canonicas, ubi ordinem illum probat ex tradita a Chriſto Baptiſmatis formula: *Spiritus verò ſanctus* (inquit) *eo collocatur ordine, quem nos in Evangelio Dominus edocuit, dicens: Euntes, baptizate &c.* 2. Verba, de quibus agitur, reperiuntur in codicibus, qui ante ſexcentos annos, quam Florentina Synodus haberetur, ſcripti ſunt: ac proinde ante exortam de Spiritus ſancti proceſſione controverſiam, ut probat Joannes, qui pro Latinis adversùs Græcos egit in Concilio Florentino.

Jam verò quod ſpectat ad alteram partem antecedentis, ſcilicet, Patres Græcos implicitè docuiſſe, Spiri-

tum sanctum a Filio procedere, vario rationum genere demonstrari potest.

Græci Patres asseruerunt 1. Filium esse fontem Spiritus sancti. Nimirum passim aquam vivam, quam Joannis sexto Christus ipse testatur a se profluere, interpretantur de Spiritu sancto. Vide Athanasium in libro de humana natura suscepta, veteris editionis, pag. 469. Cyrillum lib. 5. in Joannem, Chrysostomum, qui sic loquitur tom. 5. pag. 684. *Vides fontem aquæ Deum; aquam autem vivam Spiritum sanctum. Fons aquæ vivæ Pater est; flumen ex fonte procedens Filius; aqua fluminis Spiritus sanctus.*

Asseruerunt 2. Spiritum sanctum esse ex substantia Filii: *Hinc habes* (inquit Cyrillus lib. 13. Thesauri) *ex Salvatoris substantia Spiritum sanctum esse, nec alienum ab unius deitatis essentia.* Asseruerunt 3. Spiritum sanctum proprium esse Filii, vel (ut alii loquuntur) substantiæ Filii: *Credere namque debemus* (ait Cyrillus Alexandrinus libro decimo Commentariorum in Joannem) *quoniam Spiritus sic proprius Filii est, sicut sanè ipsius quoque Dei Patris.* Asseruerunt 4. Spiritum sanctum esse *Omoousion*, hoc est, consubstantialem Filio: *Consubstantialis est Deo & Patri* (inquit Cyrillus lib. 4. in Nestorium) *nec non & Filio ipsi.* Asseruerunt 5. Spiritum sanctum esse Filii veluti odorem, vaporem, flatum, halitum: *Quòd si Spiritus est bonus odor, & forma Filii* (inquit Athanasius in Epistola ad Serapionem) *perspicuum est, Spiritum non posse esse creaturam.*

Ex iis verò, quæ hucusque prolatæ sunt, Patrum Græcorum sententiis, sic conficitur argumentum: Illi docuerunt, Spiritum sanctum a Filio procedere, qui asseruerunt, Filium esse fontem, à quo Spiritus sanctus profluit; Spiritum esse ex substantia Filii; ipsum esse Filii proprium; esse consubstantialem Filio; esse Filii veluti odorem, vaporem, flatum, halitum. Siquidem 1. idea fontis in eo posita est, quòd sit orginis principium respectu ejus, quod ex ipso profluit: 2. Nullum ens potest esse ex alterius substantia, nisi ab eo procedat; scilicet ea ratione Patres utuntur, ut adversùs Sabellianos probent, personas a se invicem esse realiter distinctas, & unam esse principium alterius; hincque concludunt, unum fratrem non posse dici esse ex alterius substantia, quòd ab eo non procedat: 3. Ob eandem rationem duo fratres non dicuntur consubstantiales; principium enim consubstantialitatis est processio: *Substantiæ porrò identitas* (ait Basilius Homilia contra Sabellianos) *ideo inest, quoniam ex Patre Filius non jussione factus est, sed naturâ genitus*: 4. Odor, sapor, halitus, sunt energiæ, seu productiones ejus, cujus sunt odor, sapor, halitus: Atqui Græci Patres (ut patet ex locis proximè laudatis) ea omnia asseruerunt: ergo docuerunt, Spiritum sanctum a Filio procedere.

Respondebis, quæ prolata sunt ex Patribus loca ad probandum, Spiritum sanctum a Filio procedere, id nequaquam probare: Nam vel intelliguntur de sola consubstantialitate Spiritus cum Filio, non autem de illius productione; vel si de productione, vox, *Spiritus*, non accipitur pro persona divina, sed pro virtute Spiritus sancti, seu pro donis, quæ per quandam appropriationem Spiritui sancto tribuuntur. Itaque sensus Patrum est 1. Spiritum sanctum esse consubstantialem Filio, quia est ex substantia Filii, quæ ipsi a Patre communicatur; unde Christus non dicit de Spiritu sancto, *De me accipiet*, sed *De meo*, seu *de meâ essentiâ*: 2. Cum Patres scribunt, Spiritum sanctum a Patre ac Filio mitti, procedere, oriri, id intelligitur nõ de missione ipsius personæ, sed de collatione donorum externorum: ergo, &c.

Sed inanes sunt ejusmodi responsiones. Ad 1. enim negari debet antecedens; ad cujus priorem probationem, nego, loca, de quibus est quæstio, probare tantùm consubstantialitatem Spiritus cum Filio. Nam 1. in ea suppositione tam Filius dici potest procedere a Spiritu sancto per Spiritum sanctum, quam Spiritus a Filio per Filium: siquidem Pater non minùs communicat Filio substantiam, quæ est in Spiritu sancto, quam Spiritui sancto substantiam, quæ est in Filio: verùm id dici non potest, Gregorio Nysseno teste, qui Oratione 3. in Orationem Dominicam expressè scribit, *Filium Spiritus sancti neque esse, neque dici, neque hanc relativam consecutionem converti, cum tamen Spiritus Christi nominetur.* 2. Quæ secundum relationem dicuntur, substantiam non significant, sed personas: atqui voces istæ: *A Patre: Per Filium: De meo accipiet: Quem ego mittam vobis a Patre*, dicuntur secundum relationem, quia exprimunt ordinem & habitudinem, quam personæ ad se invicem habent. 3. Patres non ideo dixerunt, Spiritum procedere a Filio, ut ipsi cõsubstantialis sit; econtra ideò asseruerunt, ipsum esse cõsubstantialem, quod a Filio procedat, quemadmodum cũ adversus Arianos disputarunt, asseruerunt, ideò Verbum esse consubstantiale Patri, quòd a Patre procedat, ut videre est hujusce partis dissertatione 1. ubi actum est de Verbi consubstantialitate cum Patre. 4. quamvis Filius sit ex eadem substantia, quæ reperitur in Spiritu sancto, nusquam scripserunt, Filium esse proprium Spiritus sancti: quod tamen de Spiritu sancto respectu Filii docuerunt.

Ad alteram antecedentis, de quo agitur, probationem, neg. loca, de quibus est quæstio, non intelligi de ipsa Spiritus sancti persona, sed de collatione donorum. Siquidem 1. Spiritum produci a Spiritu per Spiritum, nusquam dixerunt Patres: id tamen dicere debuissent, cum charismata, seu dona, non minùs sint propria Spiritus sancti, quam Filii; imò semper invaluit usus ea per appropriationem Spiritui sancto tribuere. 2. Cum vox, *Spiritus*, dicitur per oppositionem ad Patrem & Filium, non charismata, sed personam significat: atqui cum Patres dicunt, Spiritum a Filio, aut a Patre per Filium procedere, vocem, *Spiritus*, proferunt cum oppositione ad Patrem & Filium, ut videre est in textibus quos ex Patribus supra laudavimus, ac præsertim ex Epiphanio, qui cum in Ancorato scribit Filium esse Deum ex Deo; tam ipsum quam Spiritum sanctum ex eadem esse divinitate; Spiritum ex Filio procedere, vocem, *Spiritus*, reliquis personis opponit.

Idem etiam patet ex Basilio, qui libro quinto contra Eunomium quærit, cur Spiritus sanctus, quem asserit a Patre per Filium procedere, non sit Filius Filii: scilicet evidens est, Basilium in ea quæstione Spiritum aliis personis opponere: *Itaque* (inquit) *Spiritum quidem in Deo esse disertè prædicavit Apostolus dicens, Spiritum qui ex Deo est, accepimus; & per Filium prodiisse perspicuum fecit, Filii Spiritum nominans ipsum, sicut & Dei.* Præterea impertinens esset Basilii quæstio, si Spiritus nomine dona, non personam, intellexisset: Cui enim potest in mentem venire, Spiritum sanctum esse Filium Filii, si sit ipsi persuasum, aut Spiritus sancti personam a Filio non produci, aut nomine Spiritus, qui a Filio produci dicitur, intelligat non personam, sed effectus, ut sunt charitatis, sapientiæ, aliaque virtutum dona?

Addendum est, quod si Basilius illam quæstionem, insulsam alioquin, aliquo, ũ nomine, qui rem non intellexissent, proposuisset, debuisset respondere, Spiritum non esse Filium Filii, quia iis locis, ubi dicitur ab eo produci, exire, scaturire, manare, non intelligitur tertia SS. Trinitatis persona, sed charismata, quorum productio toti Trinitati ex æquo conveniunt: Eam tamen, facilem alioquin, responsionem non dedit Basilius; sed istam, quæ invictè probat, eum nomine Spiritus, non charismata, sed ipsam sancti Spiritus personam intellexisse: *Non quod non sit ex Deo per Filium, sed ne Trinitas in infinitam abire multitudinem putetur, dum filios ex filiis, ut in hominibus usu venit, eam habere suspicentur.*

Idem

Idem denique videre est tum in ipso Basilio, tum in aliis Græcis Patribus, qui verba, *procedere*, *exire*, *manare*, de processione unius personæ ab alia, non autem de communicatione donorum, semper interpretantur: *Et profunditur quidem* (ait Cyrillus de Spiritu loquens, in Epistola ad Monachos) *sive procedit tanquam à fonte, à Deo & Patre: tribuitur autem creaturæ per Filium.*

ARTICULUS III.

Utrum processio sancti Spiritus à Filio possit ex Patribus Latinis demonstrari.

CONCL. LAtini Patres docuerunt, Spiritum sanctum a Filio procedere.

Probatur. Tertullianus lib. adversùs Praxeam hæc scribit: *Tertius est Spiritus à Deo, & Filio*: at inter divinas personas non est alius ordo, quam ordo originis: ergo. &c.

Hilarius lib. 2. de Trinitate, hæc habet de Spiritu sancto: *Loqui de eo non necesse est, quia de Patre, & Filio auctoribus confitendus est.* Hæc etiam Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto, cap. x. *Spiritus quoque sanctus, cum procedit à Patre & Filio, non separatur à Patre, non separatur à Filio.* Augustinus lib. 4. de Trinitate idem dogma sæpius profitetur: *Nec* (inquit) *possumus dicere, quod Spiritus sanctus, & à Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus, & Patris & Filii Spiritus dicitur.*

Leo Magnus Epistola 93. docet, *alium esse, qui genuit, alium qui genitus est, alium qui de utroque processit.* Gennadius Massiliensis lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. 2. sic de eodem articulo loquitur: *Credimus, unum esse Deum Patrem & Filium, & Spiritum sanctum; Patrem eo quod Filium habeat; Filium eo quod Patrem habeat; Spiritum sanctum eo quod sit ex Patre & Filio procedens.*

Nec audiendi sunt Græci, cum reponunt, litem, de qua agitur, dirimi non debere ex Patrum Latinorum sententiis. Siquidem 1. Patres Latini, qui mox laudati sunt, iis temporibus vixere, quibus Græci Catholicos habebant Occidentales. 2. Synodi, quas Græci pro Oecumenicis agnoscunt, vim multam in definiendis fidei dogmatibus tribuerunt Latinis Patribus. Tertia, quæ est Ephesina, part. 2. act. 1. Cypriani & Ambrosii testimoniis utitur. In quarta, actione 8. ac aliis, Leoni Magno omnia ferè tribuuntur. In sexta, Ambrosius, Augustinus, Leo Magnus summa cum laude proferuntur. 3. Ex illa Græcorum responsione sequitur, Ecclesiam Occidentalem, cum semper docuerit, Spiritum a Filio procedere, pessima hæresi quovis sæculo laborasse: quod tamen ipsimet Græci vix (ut suspicamur) asserere potuerunt, cum Ecclesia Occidentalis homines omni tum doctrinæ, tum pietatis genere præditos, imo & miraculis illustres in suo aluerit sinu.

ARTICULUS IV.

Quid Oecumenica Concilia definierint de processione sancti Spiritus à Filio.

CONCL. OEcumenica Concilia, quibus ipsi etiam Græci adfuerunt, definierunt tanquam articulum fidei, Spiritum sanctum à Filio procedere.

Probatur. Articulus, de quo est quæstio, definitus fuit 1. in Concilio Lateranensi IV. cap. 1. De fide Catholica, ubi hæc leguntur: *Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus sanctus ab utroque pariter, absque initio semper & fine.*

Definitus fuit 2. in altero Concilio Lugdunensi sub Gregorio Papa X. In eo nimirum à Latinis Latinè decantatum est symbolum cum additione, Filioque; Græcè quoque cum eadem additione decantatum est à Græcis, ut in ejusdem Concilii actis videre est.

Definitus fuit 3. in Concilio Florentino: sic enim habet Definitio Concilii, quæ quidem promulgata est pridie nonas Julii, anno 1439. *In nomine igitur sanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino Concilio, definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit.*

Catholicæ definitioni Concilium Florentinum subjicit responsum ad argumentum ex nonnullis veteribus desumptum adversùs processionem sancti Spiritus a Filio: *Declarantes* (inquit) *quod id, quod sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum, ad hanc intelligentiam tendit, ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundùm Græcos quidem, causam, secundùm Latinos verò principium subsistentiæ Spiritus sancti, sicut & Patrem.* Deinde idem Concilium reddit rationem, per quam definitio ab illo tradita confirmetur: *Et quoniam* (ait) *omnia, quæ Patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem, hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus est.* Eam Concilii definitionem omnes Græci, uno excepto Marco Ephesiorum Episcopo, amplexi sunt; ea tamen lege, ut licet faterentur, particulam, *Filioque*, rationabiliter a Latinis insertam fuisse symbolo, eam tamen ipsi non insererent.

ARTICULUS V.

Utrum rationibus Theologicis demonstrari possit Spiritum sanctum à Filio procedere.

CONCL. 1. RAtionibus Theologicis demonstrari potest, Spiritum sanctum a Filio procedere.

Probatur. Id demonstrari potest rationibus Theologicis, quod potest demonstrari duobus his principiis: *Quæcumque Patri propria sunt, excepta paternitate, propria sunt & Filio: In divinis sola processio est fundamentum distinctionis*: atqui duobus illis principiis demonstrari potest, Spiritum sanctum à Filio procedere: ergo demonstrari potest rationibus Theologicis.

Prior pars minoris propositionis, in qua posita est difficultas, sic ostenditur: Spiritus sanctus ab eo procedit, cui convenit actio, per quam producitur; atqui Filio convenit actio, per quam Spiritus sanctus producitur: siquidem ea actio est spiratio activa; sed spiratio activa convenit Filio: nempe, ut habet prius principium id omne, excepta paternitate, convenit Filio, quod convenit Patri: *Cæterum* (inquit Cyrillus Alexandrinus lib. 2. Dialogorum ad Hermiam) *credimus Patri Filium & quodlibet aliud habentem ex æquo, eo solo excepto, quod non genuit.* Quæ quidem Cyrilli, & aliorum Patrum sententia videtur esse desumpta ex his Christi verbis in Evangelio: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.* Atqui spiratio activa convenit Patri: ergo convenit quoque Filio.

Altera ejusdem minoris propositionis pars sic ostenditur. Ille procedit a Filio, qui à Filio realiter distinguitur: atqui Spiritus sanctus realiter a Filio distinguitur: ergo, &c.

Minor est de fide, unde probatur major. In divinis sola processio unius ab alio est fundamentum realis distinctionis: siquidem illud solum in divinis est fundamentum realis distinctionis, quod solum est fundamentum relationis: scilicet sola relatio est principium multiplii.

tiplicationis, numeri, ac distinctionis: unde trita sunt apud Patres axiomata: *In divinis non est distinctio, nisi ubi obviat aliqua relationis oppositio*. *Hoc solo numerum insinuant*, verba sunt Augustini tract. 30. in Joannem, *quòd ad invicem sunt, non quod ad se sunt*: cui quidem Augustini sententiæ adhæret Fulgentius libro de Trinitate, ubi sic loquitur: *Illa relativa nomina Trinitatem faciunt: essentialia verè nullo modo triplicantur*. Atqui (ut superiùs de processionibus agentes ostendimus) processio solum est ac unicum fundamentum relationis: ergo est quoque solum fundamentum distinctionis; ac proinde si Spiritus sanctus a Filio realiter distinguitur, necesse est, ut ab eo procedat.

Quæres, utrum si per impossibile Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab eo tamen distingueretur?

Resp. circa eam quæstionem varias esse Scolasticorum opiniones. Scotus in 1. dist. 12. q. 9. art. 2. docet, Spiritum sanctum fore realiter à Filio distinctum, etiamsi ab eo non procederet; èċontra Sanctus Thomas 1. p. q. 36. art. 2. docet, non fore distinctum. Cuinam ex iis sententiis subscribamus, conclusio subsequens aperiet.

CONCLUSIO 2. Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab eo non foret realiter distinctus.

Probatur. Ille non distingueretur a Filio, in quo non esset fundamentum distinctionis: atqui in Spiritu sancto non esset fundamentum distinctionis à Filio; scilicet proximum fundamentum distinctionis in divinis est oppositio relativa: *Hoc solo* (ait Augustinus, ad probationem primæ Conclusionis laudatus) *Numerum insinuant, quòd ad invicem sunt*. Sed si Spiritus sanctus à Filio non procederet, inter eum & Filium non esset oppositio relativa: non enim in eo esset ejusmodi oppositionis relativæ fundamentum: cum (ut jam observatum est) illud fundamentum non aliud sit, quam processio unius ab alio: ergo, &c.

Argumento, quod mox propositum est, usi sunt olim Latini Patres, ut sancti Spiritus à Filio processionem adversùs Græcos adstruerent. Anselmus in libro, quem inscripsit, De Processione Spiritus sancti, cap. 3. quærit: *Quomodo indivisibilis unitas, & insociabilis pluralitas in Deo se ad invicem habeant*: cujus verò nodum hisce verbis solvit: *Sic ergo unitatis & hujus relationis consequentia se contemperant, ut nec pluralitas, quæ sequitur relationem, transeat ad ea, in quibus prædicta simplicitas sonat unitatis, nec unitas cohibet pluralitatem, ubi eadem relatio significatur: quatenus nec unitas amittat aliquando suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio: nec relatio perdat quod suum est, nisi ubi obsistit unitas inseparabilis*. Idem argumenti genus adhibuit Joannes Theologus, pro Latinis adversus Græcos agens in Concilio Florentino, sess. 18. Ita etiam Patres Concilii Toletani XI. in professione fidei.

Objicies 1. Si Spiritus sanctus a solo Patre procederet, adhuc a Filio distingueretur: nam ille distingueretur a Filio, qui alia via, quam Filius, a Patre procederet; nempe diversus productionis modus satis est, ut termini diverso illo modo producti, a se invicem distinguantur: atqui Spiritus sanctus alia via, quam Filius, a Patre procederet: scilicet procederet per amorem, quo Pater se ipsum diligeret, cum è contra Filius procedat per cognitionem, quam Pater habet de se ipso: ergo, &c.

Confirmatur argumentum ex Anselmo, qui cap. 3. libri, quem de processione Spiritus sancti contra Græcos exaravit, docet 1. Filium & Spiritum sanctum non habere esse à Patre eodem modo: *Habent* (inquit) *utique à Patre esse Filius & Spiritus sanctus, sed diverse modo, quia alter nascendo, alter producendo*. Docet 2. propter eum diversum procedendi modum, non posse nasci unum, cum producitur alius: nec alium produci cum alius nascitur: *Et ideò* (ait) *cum nascitur unus, non potest cum eo nasci ille, qui per hoc alius est ab eo, quia non similiter nascitur, sed procedit. Et cum unus procedit, nequit ille simul procedere, qui per hoc est alius ab illo, quia non similiter procedit, sed nascitur*. Docet 3. per hoc solum, seu quòd unus producatur nascendo, alter procedendo, unum fore diversum ab alio, quamvis nullum discrimen aliunde peti posset: *Et ideo* (inquit) *non habet hic unitas illa vim consequentiæ, quia pluralitas obviat, quæ ex nativitate nascitur & processione. Nam etsi per aliud non essent plures Filius & Spiritus sanctus, per hoc solum essent diversi*: ergo ex Anselmo, solus processionis modus esset principium distinctivum Spiritus sancti, si Spiritus sanctus a solo Patre procederet.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ad 3. neg. ant. seu diversum productionis modum satis esse ut termini diverso modo producti, à se invicem distinguantur: nimirum unus & idem terminus diversis ac variis modis produci potest: Adamus v. g. qui per creationem à Deo productus est, ab alio homine per generationem produci potuisset.

Ad confirmationem dicendum est, simpliciter admitti debere duo priora, quæ tribuuntur Anselmo, tertium verò cum hacce distinctione: Per hoc solum essent diversi hypoteticè, conc. ant. absolutè, neg. ant. hoc est, Anselmus voluit Filium & Spiritum sanctum per nativitatem & productionem fore quidem diversos, sed ex suppositione, quòd unus ab alio procederet: Ratio est, quia (ut ex ipso Anselmi textu patet) Anselmus jam asseruerat, Spiritum sanctum suam a Filio originem habere, cum scripsit, eos per nativitatem & processionem esse diversos. Itaque ex Anselmo, qui jam diversi sunt origine, diversi sunt postea diverso originis modo; Filius quidem ratione nativitatis, & Spiritus sanctus ratione processionis. Ita laudatum Anselmi locum interpretatur S. Thomas 1. p. q. 36. art. 2. ad 7. ubi sic loquitur: *Ad septimum dicendum, quòd Spiritus sanctus distinguitur personaliter à Filio, in hoc, quòd origo unius distinguitur ab origine alterius: Sed ipsa differentia originis est per hoc, quòd Filius est solum à Patre, Spiritus sanctus verò à Patre & Filio. Non enim aliter processiones distinguerentur, sicut supra ostensum est*.

Objicies 2. Si Spiritus sanctus à solo Patre procederet, adhuc opponeretur Filio: siquidem esset cum Filio, respectu Patris, terminus disparatus: termini autem disparati, hoc est, qui licèt ab eodem principio procedant, ut patet in duobus fratribus, ad se invicem tamen non referuntur, sibi opponuntur; unus enim non includit alium: atqui quæ opponuntur, distinguuntur a se invicem: ergo si Spiritus sanctus a solo Patre procederet, adhuc a Filio distingueretur.

Resp. ad 1. dist. maj. Opponeretur Filio, disparatè, conc. maj. relative, neg. maj. Disting. pariter minorem: Quæ opponuntur relativè, conc. min. quæ opponuntur disparatè, subdistinguo, in creatis, conc. in divinis, nego. Ratio est, quia in creatis unum disparatum, cum sit finitum, non habet aut perfectiones aut entitatem alterius: èċontra in divinis unus terminus disparatus, Filius v. g. in suppositione de qua agitur foret adhuc infinitus, ac proinde contineret tum entitatem tum perfectiones alterius termini disparati, seu Spiritus sancti: siquidem infinitum in ente, in perfectione, in relatione, includit omnes entitates, omnes perfectiones, omnes relationes, quæ sese invicem non excludunt: at in suppositione, de qua est quæstio, entitas, perfectiones, relatio Filii, non excluderent entitatem, perfectiones, relationem Spiritus sancti: ea enim tantùm sese excludunt, quæ relative opponuntur, non autem quæ disparatè: sic perfectiones & entitas unius è fratribus posset, saltem divinitùs, in alio fratre reperiri.

Objicies 2. Filius foret persona distincta à persona Spiritus sancti, etiam ea suppositione, quòd Spiritus ab eo non procederet: siquidem ille foret persona distin-

cta

cta à persona Spiritus sancti qui independenter à persona Spiritus sancti haberet constitutivum propriæ personæ: idem enim, ex logicis, est distinctivum, quod constitutivum: sic eò quòd animal rationale sit constitutivum hominis, est pariter illius a quolibet alio ente distinctivum; atqui in ea suppositione Filius haberet constitutivum propriæ personæ; scilicet constitutivum secundæ personæ est filiatio: sed Filius eam haberet, quippè qui procederet in similitudinem naturæ: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. data maj. neg. min. Ad 3. dist. maj. Constitutivum secundæ personæ est filiatio perfecta, conc. maj. imperfecta tantùm, neg. maj. In suppositione, de qua agitur filiatio perfecta non conveniret secundæ personæ, scilicet perfecta filiatio est processio in perfectam similitudinem naturæ cum Patre: at processio secundæ personæ non esset hujusmodi; nec enim esset similis in virtute spirandi, quam tamen Pater haberet.

Objicies 4. Si per impossibila Spiritus sanctus à solo Filio procederet, Pater esset adhuc distinctus a Spiritu sancto; iste enim esset procedens, ille verò minimè procedens: ergo a pari, si Spiritus sanctus a Patre solo procederet, adhuc esset a Filio distinctus.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia in ea suppositione Spiritus sanctus, mediatè saltem, à Patre procederet; siquidem Filius & suum esse & virtutem spirandi accepisset a Patre; ac proinde inter Spiritum sanctum & Patrem esset adhuc oppositio relativa, sicut reperitur inter avum & nepotem: at verò si Spiritus sanctus a Filio non procederet, nulla inter utrumque reperiretur oppositio relativa.

Objicies 5. Ideò Spiritus sanctus est persona distincta à Filio, & Filius persona distincta a Spiritu sancto quòd iste procedat ut datus, ille verò ut natus ita enim ratiocinatur Augustinus lib. 5. de Trinitate cap. 14. Atqui licèt a solo Patre procederet, adhuc procederet ut datus, & Filius ut natus: ergo essent personæ a se invicem distinctæ.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia processio per modum doni, non potest esse nisi ex duobus: siquidem processio per modum doni, est processio per voluntatem; processio verò per voluntatem supponit processionem per intellectum; quæ quidem cùm in divinis debeat esse perfectè assimilativa, necessariò complectitur virtutem spirandi, quæ in prima persona continetur.

ARTICULUS VI.

Solvuntur argumenta Græcorum adversus Spiritus sancti processionem à Filio.

Not. Argumenta Græcorum adversùs processionem sancti Spiritus a Filio, reducuntur ad Scripturæ de ejusmodi processione silentium; ad nonnulla veterum Patrum loca, & tandem ad quasdam rationes theologicas: Ea verò secundùm illum ordinem, hic proponenda sunt ac solvenda.

Solvuntur argumenta ex Scripturis petita.

Objicies 1. Dogma non est admittendum, quod Scripturis non continetur: atqui istud, quod est de processione sancti Spiritus à Filio, Scripturis non continetur: ergo, &c.

Resp. 1. neg. maj. Ratio est, quia non solum scriptum Dei verbum, sed etiam traditum (ut harum institutionum superiùs dictum fuit) est fidei ac morum regula: unde ipsi etiam Græci, ut in Concilio Florentino suum de processione Spiritus à solo Patre dogma statuerent, non provocarunt tantùm ad sacram Scripturam, sed etiam ad authoritatem Patrum: & ubi intellexere Patres Latinos cum Græcis eo in capite convenire, inierunt cum Ecclesia Romana concordiam: *Quoniam sanctorum Patrum Occidentalium & Orientalium dicta audivimus* (verba sunt, quibus Josephus Patriarcha Constantinopolitanus in Synodo Florentina suam de unione sententiam expressit) *Occidentales suscipimus asserentes, Spiritum sanctum esse ex Patre & Filio.*

Resp. 2. data majore, dist. min. Atqui istud, quod est de processione Spiritus à Filio, Scripturis non continetur explicitè, conc. min. non continetur implicitè, neg. min. scilicet continetur iis locis, in quibus Spiritus sanctus dicitur mitti à Filio, accipere de Filio, esse Spiritum Filii. Vide quæ hujusce capitis articulo primo observata sunt in ea Scripturæ loca.

Instabis. Si dogma de quo agitur, vel implicitè Scripturis contineretur, afferri non posset ratio, cur cum agitur de sancti Spiritus processione, solius Patris fiat mentio. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit*: Sed absurdum est consequens: ergo, &c.

Resp. 1. neg maj. Ratio est 1. quia ea est Scripturarum consuetudo, ut quæ pluribus personis communia sunt, uni tribuantur, non tamen cum aliarùm exclusione: sic Joannis 1. de Filio dicitur: *Erat lux vera*, licet id quoque Patri & Spiritui sancto conveniat: sic etiam Actorum 1. de Patre dicitur: *Non est vestrum nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate*, quamvis tempora sint ex æquo in Patris, Filii, ac Spiritus sancti potestate. Mirum igitur non est, quòd processio Spiritus, Patri, nulla Filii facta mentione, tribuatur; præsertim cum ex ipsis Scripturis constet, ea omnia, quæ Patris sunt, esse quoque Filii ubi non obviat relationis oppositio.

Confirmatur responsio ex Latinis Patribus, qui licèt expressè defenderint Spiritus a Filio processionem, nonnunquam tamen eam Patri, tacito Filio, tribuerunt. *Fontem* (ait Bernardus, Sermone IV. in Vigiliam Nativitatis Domini) *assigna Patri, ex quo nascitur Filius, & procedit Spiritus sanctus.*

Resp. 2. Scripturam, cum agit de processione sancti Spiritus, nonnullis in locis ideò meminisse solius Patris, quòd docere vellet, Patrem esse aliarum personarum fontem & originem; unum esse, non multiplex in Trinitate principium, quod tamen Patri & Filio commune sit. *Si ergo & de Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit, De Patre procedit?* (quæstio est quam sibi proponit Augustinus, tractatu 99. in Joannem.) *Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre & quod ipsius est, de quo & ipse est? Unde illud est, quod ait, Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me. Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris: quantò magis illic intelligendus est &, de ipso procedere Spiritus sanctus, ubi sic ait, De Patre procedit, ut non diceret, De me non procedit?*

Solvuntur argumenta ex Patribus desumpta.

Objicies 1. Theodoretus in Confutatione Anathematismi noni, quem Cyrillus in Nestorium intorserat, hisce verbis hoc ejusdem Cyrilli dictum, *Proprium esse Filii Spiritum*, carpit. *Quod autem Spiritum Filii esse proprium asserit, siquidem ut ejusdem cum eo naturæ, & ex Patre procedentem dixit, simul confitebimur, & tanquam piam suscipimus vocem. Si verò tanquam ex Filio, aut per Filium existentiam habeat, hoc ut blasphemum, & impium rejiciemus: Fidem etenim adhibebimus dicenti Domino: Spiritus qui ex Patre procedit: sed non divinissimo Paulo similiter loquenti: Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo Patre est.* Ergo Theodoretus censuit, Spiritum sanctum a Filio non procedere.

Resp.

Resp. concesso antecedente, dist. conseq. Et eo in capite Theodoretus recessit ab aliorum Græcorum doctrina, conc. conseq. Et ab ea non recessit, neg. conseq. Theodoretus in Confutatione, de qua agitur, ruebatur adversùs Cyrillum Nestorii partes: mirum igitur non est, quòd faverit dogmati, quod Nestorius antea disertè propugnaverat: Hincque factum est, ut Ecclesia Catholica in quinta, & sexta Synodo generali Theodoreti adversùs Cyrilum scripta damnaverit.

Instabis. In Concilio Ephesino publicè recitatum fuit Nestorii simbolum, recitata quoque fuit confutatio noni anathemarismi Cyrilliani a Theodoreto conscripta: at sive Nestorii symbolo, sive Theodoreti confutatione expressè asserebatur, Spiritum a Filio non procedere: Et tamen nec Synodus, in sua fidei definitione, nec Cyrillus, in declaratione sui noni anathemarismi, id in symbolo Nestorii aut in Theodoreti confutatione reprehenderunt: ergo Synodo & Cyrillo persuasum fuit, Spiritum a solo Patre procedere.

Resp. 1. argumentum illud, si valeat, plus probaturum, quam velint Græci: scilicet Græci, sive ante Concilium Florentinum, sive in ipso Concilio Florentino, contenderunt, & nunc etiam contendunt, Spiritum sanctum a Patre *per* Filium procedere: at Theodoretus in confutatione noni anathematismi editi a S. Cyrillo, non minùs apertè professus est, id esse blasphemum, & impium, quam asserere, eundem Spiritum ex Filio procedere: id tamen nec Synodus, nec Cyrillus arguerunt in Theodoreto.

Resp. 2. Falsum esse, quod Synodus id non damnarit, quod de processione Spiritus a solo Patre, tum Nestorius in suo symbolo, tum Theodoretus in sua Confutatione docuerant: Nam 1. sacra Synodus tanquam Catholicam admisit Epistolam a Cyrillo, & Alexandrina Synodo scriptam ad Nestorium: at in ea Epistola capitulo 1. expressè asseritur, Spiritum sanctum a Filio procedere: *Nam* (verba sunt Epistolæ) *etsi Spiritus in propria persona subsistat, eatenusque in se ipso consideretur, quatenus spiritus est & non filius; non est tamen ab eo alienus quando quidem Spiritus veritatis nominatur, Christus autem veritas est, & proinde quoque ab illo, atque à Deo Patre procedit.* 2. Ipse Cyrillus in declaratione anathematismi noni, quem Theodoretus confutarat, asseruit, Filium omnia præter paternitatem habere cum Patre communia: *Etsi* (inquit) *unigenitum Dei Verbum homo factum est, mansit tamen Deus, omnia præter solam paternitatem cum Patre communia habeas:* Verùm, qui excepta Paternitate, omnia habet communia cum Patre, habet communem cum eo spirationem activam. Asseruit iterum, Spiritum sanctum ideò non esse extraneum, sed proprium Filio, quòd Spiritus ex ipso sit: *Spiritum sanctum, qui ex ipso est, ipsique essentialiter inest, proprium habens, divinaque potentia signa operabatur.*

Resp. 3. dato antecedente, seu dato, quod nec Synodus, nec Cyrillus arguerint, quod de processione Spiritus a solo Patre Theodoretus in sua Confutatione docuerat, neg. conseq. Ratio est, quia articulus de processione sancti Spiritus sive a Patre solo, sive a Patre simul & Filio, erat articulus incidens, seu, de quo inter Cyrillum & Nestorium præcipuè non agebatur; mirum igitur non est, quòd Cyrillus quæstionem præcipuam de substantiali Christi divinitate, quam Nestorius impugnaverat, quamque ipse Cyrillus in anathematismo suo defenderat, ad aliam quæstionem non evocarit: Nempè Scriptores, ut omnino incumbant scopo, quem sibi proposuerunt, plerumque quæstiones incidentes, licet sæpius gravissimi sint momenti solent omittere.

Objicies 2. Concilii Constantinopolitani 1. Patres particulam, *Filioque*, non inseruerunt symbolo: ergo non crediderunt, Spiritum sanctum a Filio procedere.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia Patres illi convenerant, ut adstruerent divinitatem Spiritus sancti: sed ad id satis erat declarare, Spiritum ex Patre procedere; nam processio ex Patre, seu ex substantia Patris, clarè significat personæ procedentis consubstantialitatem cum Patre producente, ut ostendimus, cum superius adversùs Arianos de Verbi divinitate disseruimus. Addendum est, argumentum, si valet, probaturum, Nicænos Patres non credidisse S. Spiritus divinitatem; neque enim suo symbolo de ea quidquam inseruerunt.

Objicies 3. Si Spiritus sanctus a Filio procederet, solus Pater non esset fons divinitatis: scilicet Filius esset quoque fons ejusdem divinitatis: is enim fons & est, & dicitur, a quo alius procedit, a quo alius suam sumit originem: atqui solus Pater est fons divinitatis, juxta illud Dionysii de divinis nominibus cap. 2. *Pater solus est fons substantialis divinitatis*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Is est fons à quo alius procedit, si ipse non procedat ab alio, conc. ant. si procedat ab alio, neg. ant. Filius a quo Spiritus sanctus procedit, procedit ab alio, Patre nimirum; ac proinde dici non potest, quod sit substantialis divinitatis fons & origo: id igitur soli Patri convenit, cum reliquæ personæ ab eo procedant, ipse verò a nulla alia procedat.

Objicies 4. Gregorius Nazianzenus, Orat. ad Episcopos Ægypti, sic loquitur: *Omnia, quæ habet Pater, Filii sunt, præter principium: omnia, quæ habet Filius, Spiritus sunt, excepta generatione;* Unde sic arguitur: Ab eo Spiritus sanctus non procedit, qui cum Patre communem non habet rationem principii; atqui ex Gregorio Nanzianzeno, Filius cum Patre communem non habet rationem principii: ergo ab ipso Spiritus sanctus non procedit.

Resp. dist. maj. Ab eo Spiritus sanctus non procedit, qui cum Patre communem non habet rationem principii spirativi, conc. maj. principii generativi, neg. maj. Gregorius sumpsit principii nomen in hoc secundo sensu, non autem in primo; hoc est, docuit, omnia, quæ Patris sunt, excepta paternitate, esse Filio communia. Nec mirum, id enim passim alii Græci Latinique Scriptores asseruerunt: *Mansit tamen Deus,* (inquit Cyrillus, mox in responsione ad primam objectionem laudatus) *omnia præter solam paternitatem, cum Patre communia habens.*

Objicies 5. S. Joannes Damascenus, qui floruit imperante Leone Isaurico, hoc est, octavo sæculo, asserit 1. Ecclesiam Græcam non dicere quòd Spiritus sit ex Filio: *Porrò* (inquit lib. primo de fide Orthod. cap. 11.) *Spiritum sanctum tam ex Patre esse profitemur, quàm Patris appellamus Spiritum. Ex Filio autem Spiritum non dicimus, sed eum Filii Spiritum nominamus.* Asserit 2. Spiritum ita per Filium procedere, ut tamen ex ipso non sit: *Sed & Filii* (inquit cap. 13.) *Spiritus est, non tanquam ex ipso, sed quòd per ipsum ex Patre procedat.* Asserit 3. ideò Spiritum ex Filio non procedere, quòd soli Patri principii ratio conveniat: *Solus enim Pater* (ait) *principium est.* Ex iis autem textibus sic conficitur argumentum: Ille docuit, Spiritum sanctum a Filio non procedere, qui conceptis terminis asseruit, Spiritum dici non debere, *Ex Filio*; qui asseruit, ipsum ex Patre per Filium procedere, opponendo præpositionem, *Per*, præpositioni, *Ex*; qui ideò asseruit, Spiritum dici non debere, *Ex Filio*, quòd in Trinitate solus Pater sit principium; atqui ea omnia Joannes Damascenus asseruit: ergo, &c.

Resp. 1. nonnullos propter illud argumentum censere, Damascenum Græcorum errori favisse, sicut & antea ipsi Theodoretus faverat: *Ad tertium dicendum* (inquit S. Thomas 1. p. q. 36. art. 2.) *quòd Spiritum sanctum non procedere a Filio, primò fuit a Nestorianis introductum..... Et hunc errorem secutus est Theodoretus Nestorianus & plures alii post ipsum: inter quos fuit etiam Da-*

mas,

mascenus . Unde in hoc ejus sententia non est standum. Quamvis a quibusdam dicatur, quod Damascenus, sicut non confitetur Spiritum sanctum esse a Filio, ita etiam non neget ex vi illorum verborum.

Resp.2.disting.maj. Ille docuit, Spiritum sanctum a Filio non procedere, qui asseruit, Spiritum non debere dici ex Filio, & tanquam a secundo, & tanquam a primo principio tantum, neg. maj. Damascenus non docuit, Spiritum sanctum non esse ex Filio tanquam a secundo principio, sed tantùm tanquam a primo, hoc est, non esse ex Filio tanquam a principio, quod rationem principii ab alio non acceperit. Ratio est *primò*, quia ejusdem libri cap.9. scribit, *omnia, quæ habet Pater, esse Filii, hoc solo excepto, quod Filius ingenitus non est*; ac proinde virtus spirandi, quam Pater habet, est etiam Filii. Scribit *secundò*, Spiritum a Patre per Filium procedere: at procedere per Filium idem est (ut mox dicetur) ac procedere ex Filio tanquam a principio producente, quod tamen suum esse ab alio principio receperit.

Hinc patet 1. qua ratione intelligi debeat oppositio, quam idem S. Doctor statuit inter procedere per Filium & procedere ex Filio: nempè procedere per Filium, est procedere a persona, quæ ab alia procedit, & econtra procedere ex Filio, esset, in Authoris sensu, procedere ex Filio tanquam a persona, quæ ab alia non procedit. Patet 2. quo sensu idem Scriptor dicat, solum Patrem esse principium, scilicet eo sensu vult eum solum esse principium, quod a nullo alio suum esse recipiat, sitque (ut Patres loquuntur) totius Deitatis caput & origo. Patet denique 3. nihil esse in laudata Damasceni sententia, quod cum processione sancti Spiritus a Filio non cohæreat. Vide caput sextum orationis dogmaticæ editæ a Cardinale Besarione. Vide etiam Petavium lib.8. de Trinitate cap.17. ubi fusè pertractat tradita a Besarione principia.

Objicies 6. Si Patres Græci credidissent, Spiritum sanctum ex Filio procedere, passim usi fuissent præpositione, *Ex*, ut circa articulum illum fidem suam exprimerent, quemadmodum eam adhibuerunt, cum egerunt de relatione, quam Spiritus sanctus habet ad Patrem: *Qui ex Patre* (ajunt in symbolo Constantinopolitano) *procedit*: Sed usi non sunt præpositione, *Ex*, sed præpositione, *Per*; idque variis momentis ostendi potest. Athanasius in sermone, qui inscribitur, *Redargutio simulationis Meletii & Eusebii*, sic loquitur: *Erat autem impossibile, Spiritum inter Trinitatem cum gloria numerari, si non esset emanatus ex Deo per Filium, sed per modum creaturæ ex Deo factus, ut autumant*. Sic etiam Basilius solvens hanc Eunomii quæstionem, *Cur Spiritus sanctus non dicatur Filii Filius?* loquitur: *Non ideò quia non est ex Deo per Filium, sed ut Trinitas non in multitudinem infinitam incidat*. Græci in Concilio Florentino non semel professi sunt, se credere Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedere, vixque post multas disputationes adduci potuerunt, ut eum *Ex* Filio procedere faterentur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. paritatem. Ratio est 1. quia ideò dixerunt, Spiritum *Ex* Patre procedere, quòd ab eo procedat per actionem ab alio principio minimè receptam; ècontra verò ideo scripserunt, *Per* Filium procedere, quòd actio spirativa non sit in Filio tanquam in primo principio, cum actionem illam Filius a Patre receperit. Ratio est 2. quia præpositio, *Ex*, æqualitatem significat; unde Patres ut adversus Arianos probarent, Verbum esse æquale Patri, usi sunt hoc argumento, quòd *Ex Patre* esset: èconntra præpositio *Per*, significat ordinem, seu relationem, quam unus habet ad alium. Cum ergo Filius, etiam cum spirat Spiritum sanctum, ordinem habeat ad Patrem, Græcis visum est expedire, ut ordo ille exprimeretur in fide de processione Spiritus a Filio; Latini verò judicarunt convenire, ut tacito illo ordine, per præpositionem, *Ex*, exprimeretur æqualitas Filii cum Patre: ita tamen ut sicut ordo non officit æqualitati, ita nec æqualitas officiat ordini.

Instabis. Præpositio, *Ex*, significat actionem causæ efficientis; præpositio verò, *Per*, non significat actionem hujusmodi, sed merum medium, per quod actio ad terminum transeat: ergo cum Patres Græci asseruerunt, Spiritum sanctum a Patre, per Filium procedere, negarunt, actionem principii efficientis Filio, respectu Spiritus sancti, convenire.

Resp. negando secundam partem antecedentis, hoc est, præpositionem, *Per*, non aliud significare, quam medium, per quod actio principii operantis transit ad terminum: Scilicet in Scripturis non minùs significat actionem principii operantis, quam medium, per quod transit actio principii operantis, ut in hisce textibus videre est: Genesis 4. *Possedi hominem per Deum*: Joannis capite 1. *Omnia per ipsum facta sunt*: Primæ ad Corinth. 8. *Nobis unus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum*: Ad Colossenses cap. 1. *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt*. Eodem pariter sensu, seu pro præpositione, *Ex*, sumitur a Patribus. Cyrillus in Epistola ad Theodosium Imperatorem, de Christi incarnatione loquens, hæc scribit: *Natus est per sanctam Deiparam Virginem*. Gregorius Nazianzenus libro 1. contra Eunomium scribit, Spiritum sanctum produci per Filium, sicut creaturæ per ipsum creatæ sunt: *Per ipsum* (inquit) *Filium apparuit. Rursus autem a creatura, quæ per Filium est producta, distat, &c.*

Jam verò, cum constet tum ex Scriptura, tum ex Patribus, præpositionem, *Per*, non minùs sumi pro actione principii efficientis, quam præpositio, *Ex*: si quis quærat, cur frequentiùs, cum actum est de processione Spiritus sancti, adhibita fuerit, quam præpositio, *Ex*: Dicendum erit, id factum fuisse, quòd (ut jam superiùs observavimus) Græci potiùs notiones personarum, quàm earum inter se ipsas identitatem exprimere voluerint. Basilii est ea responsio, qui libro de Spiritu sancto cap.3. sic loquitur, *Hæ voces, Ex, Per, non præscribentis legem sunt, sed hypostases discernentis: Non enim ut naturæ diversitatem introducat; sed ut minimè confusam Patris & Filii notionem præbeat, pronuntiavit Apostolus.*

Solvuntur argumenta ex ratione petita.

Objicies 1. Si Spiritus sanctus à Patre Filioque procederet, essent duo sancti Spiritûs principia: tot enim forent principia, quot sunt personæ, à quibus suum esse sumeret: atqui non sunt duo Spiritus sancti principia: nempè si duo forent principia, Spiritus sanctus duplici actione produceretur, sicque à se ipso divisus esset: quod quidem est impium dictu.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. ant. Ratio est, quia ad multiplicitatem principiorum satis non est multiplicitas suppositorum, sed prætereà requiritur multiplicitas formarum & actionum: ideò enim Pater, & Filius, & Spiritus sanctus non sunt tria principia creationis rerum, quòd licèt sint tria principia realiter distincta, in eis non reperiatur multiplicitas formarum creationis; scilicet per unam & eandem naturam, quasi per formam Pater, Filius, & Spiritus sanctus in esse principii creativi constituuntur. In Filio autem, & in Patre non est multiplicitas formarum, per quas constituantur in esse principii spirativi, sed est unica tantùm, unitas nimirum voluntatis; ex eo enim quòd unam ac eandem habeant voluntatem, unam ac eandem eliciant volitionem, sunt

(ut loquuntur Græci) causa, aut (ut ajunt Latini) principium Spiritus sancti.

Eam de unitate principii, respectu sancti Spiritus fidem; eam de modo explicandi unitatem hujusmodi doctrinam Ecclesia quovis sæculo professa est: *Fideli ac devota professione fatemur* (verba sunt Concilii Lugdunensis sub Gregorio X.) *quòd Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio, non duabus spirationibus, sed unica spiratione procedit. Hanc professa est hactenus, prædicavit & docuit; hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium & magistra; hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia*. Non absimili ratione loquitur Concilium Florentinum in Decreto Unionis: *Definimus* (inquit) *ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicque omnes profiteantur, quòd Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio, & unica spiratione procedit.*

Instabis, Filius non potest producere Spiritum sanctum ratione substantiæ sibi ac Patri communis: alioquin enim cum substantia sit quoque communis Spiritui sancto, sequeretur, Spiritum sanctum esse suiipsius principium, quod (ut patet) fidei ac rationi repugnat: ergo Filius producit Spiritum sanctum ratione personæ, seu prout est Filius; ac proindè non unicum erit, in Latinorum sententia, ejusdem sancti Spiritus principium: Filius enim, qua Filius, realiter a Patre distinguitur.

Resp. 1. nimis probare illud Græcorum argumentum: si enim valeret, probaret, Patrem æternum non producere Filium ratione suæ substantiæ: at id falsum est; nempè unanimis est Patrum tum Latinorum, tum Græcorum sententia, Filium ex substantia Patris genitum esse: *Jesum Christum* (verba sunt Nicæni Symboli) *Filium Dei, genitum ex Patre, unigenitum, hoc est e substantia Patris.*

Resp. 2. dist. ant. Filius non potest producere Spiritum sanctum ratione substantiæ sibi ac Patri communis, prout communis est; siquidem sic accepta nec est generans, nec genita, nec producens, nec producta, conc. ant. non prout est communis, neg. ant. Filius equidem producit Spiritum sanctum ratione substantiæ sibi ac Patri communis, non tamen prout communis est, sed tantùm prout est modificata, seu aliquo modo contracta per filiationem; sicut Pater, licèt ex substantia communi generet Verbum, ipsum tamen non generat ex substantia communi, ut communis est, sed tantùm prout est affecta paternitate.

Objicies 2. Vel productio Spiritus sancti est personalis proprietas, vel substantialis: Si primum, non potest esse communis duabus personis; personales enim, seu notionales proprietates uni tantùm personæ conveniunt: sic activa generatio soli Patri convenit, sicut generatio passiva convenit soli Filio. Si secundum, ipsi etiam Spiritui sancto conveniet: nimirum quæ substantialia sunt, toti Trinitati tribuuntur; ergo, &c.

Resp. ad 1. productionem sancti Spiritus esse personalem. Ad 2. dicendum est, personales proprietates non esse quidem communes toti Trinitati, sed falsum est, nullam duabus personis convenire; siquidem (ut jam observatum est) duabus personis convenit amor, quo sese mutuò prosequuntur, ille autem amor est principium, quo duæ istæ personæ spirant seu producunt tertiam personam, quæ est Spiritus sanctus. Hincque patet, argumentum Græcorum meram esse petitionem principii.

Objicies 3. Vel virtus spirandi, quæ reperitur in Patre, satis est ad productionem Spiritus sancti, vel satis non est. Si primum, frustra requiritur in Filio virtus spirativa. Si secundum, virtus spirativa, quæ est in Patre, non erit infinita; quod est absurdum.

Resp. 1. argumentum illud, si valeat, probaturum esse, nec Filium, nec Spiritum sanctum quidquam contulisse ad Universi creationem: nempè ad id operis plusquam sufficiens fuit virtus creativa, quæ est in Patre.

Resp. 2. concedendo, virtutem spirativam satis fuisse in Patre ad producendum Spiritum sanctum, sed inde non sequitur, inutilem esse virtutem spirativam in Filio, quia eadem est omninò cum virtute spirativa, quæ est in Patre; scilicet omnia, quæ Pater habet, una excepta paternitate, unigenito Filio suo communicat nunc, ac communicavit ab æterno.

CAPUT III.

De particula Filioque *inserta Symbolo.*

Not. DE particula, *Filioque*, inserta Symbolo quæremus 1. utrum jurè inserta sit; 2. quo tempore insertio illa contigerit; 3. utrum omnes Ecclesiæ Occidentales illam insertionem statim admiserint.

ARTICULUS I.

Utrum particula, Filioque*, jurè sit inserta Symbolo.*

CONCL. PArticula, *Filioque*, jurè fuit inserta Symbolo.

Probatur. Ea particula jurè fuit inserta Symbolo, quæ continet necessariam ac veram hujus de Spiritu sancto articulo, *Qui ex Patre procedit*, expositionem: atqui particula, *Filioque*, continet necessariam & veram hujus articuli, *Qui ex Patri procedit*, expositionem: ergo jurè inserta fuit Symbolo. Minor propositio quoad primam partem certa est; siquidem cum particula, *Filioque*, inserta fuit symbolo, nonnulli reperiebantur, qui contendebant; hæc symboli Constantinopolitani verba, *Qui ex Patre procedit* intelligi debere cum exclusione Filii, ita ut Spiritus sanctus a solo Patre procedat: necessaria igitur erat expositio, qua falso ejusmodi sensui occurreretur. Altera ejusdem minoris propositionis pars non est minùs certa: nempè, si Spiritus sanctus a Patre Filioque procedat, ut præcedenti capite fuse probatum est eum procedere, particula, *Filioque*, veram continet articuli, *Qui ex Patre procedit*, expositionem, Itaque tota difficultas posita est in majore argumenti propositione, quæ quidem subsequentibus momentis demonstratur.

Primò. Ecclesia potest ex tradita a Christo doctrina Symbolum condere; ergo a fortiori, jam condito potest veram ac necessariam expositionem inserere. Consequentia videtur evidens: qui enim potest id, quod majus est, potest id, quod est minus in eodem genere: condere verò symbolum, majus est, quam eidem jam condito veram ac necessariam expositionem inserere: Itaque probatur ant. Condere symbolum, nihil aliud est quam certos fidei articulos ad doctrinæ formulam redigere, ad cujus normam infideles ad baptismum, hæretici ad Ecclesiam admittantur; atqui id potest Ecclesia: siquidem 1. id omne potest Ecclesia, quod nullum jus divinum vetat; id verò, de quo agitur, nullo divino jure vetatur. 2. Licèt Apostoli articulos, qui symbolo, quod vulgò inscribitur eorum nomine, prout Apostoli, hoc est, prout testes doctrinæ, quam Christus prædicaverat, tradiderint; eos tamen ad brevem illam, qua nunc utimur, formulam redegerunt non tanquam Apostoli, sed tanquam Ecclesiæ Pastores: at id jam temporis potest Ecclesia,

quod

quod Apoftoli tanquam Ecclefiæ paftores præftiterunt: ergo, &c.

Secundò, Id Ecclefia jurè potuit tempore, quo particula, *Filioque*, inferta fuit fymbolo, quod temporibus Conciliorum, Nicæni primi & Conftantinopolitani I. potuerant; una nimirum eft quovis tempore Ecclefia, feu, quæ nunc floret, eadem eft cum ea, quæ floruit antiquitùs: ac proinde eadem fruitur poteftate, iifdem potitur juribus, quibus olim fruita eft: atqui temporibus Conciliorum Nicæni I. & Conftantinopolitani I. jurè potuerat particulam, *Filioque*, fymbolo inferere: non enim eft potior ratio de particula, *Filioque*, quam de aliis particulis: fed alias particulas inferuit fymbolo temporibus eorum Conciliorum: fiquidem tempore Nicæni I. inferuit vocem, *Confubftantialem*, tempore Conftantinopolitani I. inferuit articulum de divinitate Spiritus fancti, qui in Nicæno fymbolo non legitur: *Et in Spiritum fanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre procedit. Qui cum Patre & Filio fimul adoratur & conglorificatur.*

Tertiò, Ecclefia poteft ea omnia inferere fymbolo, quæ neceffaria funt, ut Catholici ab Hæreticis difcernantur: eum nimirum ob finem fymbola confcripta funt, feu edita funt, quafi teffera, qua fideles diftinguantur ab iis, qui extra Ecclefiam pofiti funt. Ecclefia poteft ea inferere fymbolo, quorum profeffionem poteft ab Hæreticis ad unitatem Catholicam redeuntibus exigere: Atqui particula, *Filioque*, potuit effe neceffaria, ut Catholici ab Hæreticis difcernerentur; Ecclefia potuit fidei, quæ illa particula exprimitur, profeffionem exigere ab hæreticis ad unitatem Catholicam redeuntibus; fcilicet ex fuppofitione, quòd fit hærefis afferere, Spiritum fanctum non procedere a Filio, Ecclefia poft damnatam illam hærefim potuit fidei oppofitæ profeffionem exigere a redeuntibus ad unitatem Catholicam: ergo, &c.

Objicies 1. Tertium Concilium Generale, quod eft Ephefinum, part. 1. actione 6. recitato Neftorii impio fymbolo, prohibuit, ne aliud a Nicæno fymbolum conderetur; vetuit, ne quis aliam a Nicæna fide formulam componeret: *His igitur prælectis* (verba funt facri Concilii) *ftatuit fancta fynodus, alteram fidem nemini licere proferre: aut confcribere, aut componere, præter definitam a fanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu fancto congregati fuerunt. Qui verò aufi fuerint, aut componere fidem alteram, aut proferre, vel offerre converti volentibus ad agnitionem veritatis, five ex gentilitate, five ex Judaifmo, five ex qualicumque hærefi, hos quidem, fi funt Epifcopi, aut clerici, alienos effe Epifcopos ab Epifcopatu, & clericos a clericatu decrevit; fi verò laici fuerint, anathemati fubjici.* Ex eo autem Concilii decreto fic in forma conficitur argumentum: Ea additio jure facta non fuit in fymbolo, quam Ephefina Synodus fub anathematis pœna fieri prohibuit: Sed Ephefina Synodus fub anathematis pœna prohibuit additionem particulæ, *Filioque*. Siquidem additio particulæ, *Filioque*, eft prolatio alterius fidei a Nicæna; eft compofitio formulæ præter Nicænam: atqui Ephefina Synodus prohibuit prolationem alterius fidei a Nicæna, compofitionem formulæ præter Nicænam: ergo, &c.

Refp. 1. dift. maj. Ea additio jurè facta non fuit in fymbolo, quam Ephefina Synodus prohibuit, fi facta non fuerit authoritate Ecclefiæ, conc. maj. fi facta fuerit authoritate Ecclefiæ, neg. maj. Ratio eft, quia licèt homines privati non poffint refcindere aut mutare Conciliorum generalium decreta, quæ fpectant ad difciplinam, ut ad eam revera fpectat Ephefina prohibitio, de qua agitur; id tamen univerfalis Ecclefia poteft eum expedire judicat, imò id quoque poffunt infignes Ecclefiæ particulares, certis ac neceffariis occurrentibus circumftantiis. Hoc enim eft inter decreta, quæ pertinent ad difciplinam, & ea, quæ fpectant ad fidem, aut mores, quòd ifta (cum Ecclefia Deo major non fit) obnoxia non fint mutationi; illa econtra pro variis temporum, aut locorum circumftantiis mutationem patiantur.

Refp. 2. conceffa maj. neg. min. Ad cujus probationem dift. maj. Additio particulæ, *Filioque*, eft prolatio alterius fidei a Nicæna; eft compofitio formulæ præter Nicænam, fi voces iftæ, *Alterius*, *Præter*, non fumantur contrariè, conc. maj. fi fumantur contrariè, neg. maj. Synodus Ephefina prohibuit quidem prolationem fidei, compofitionem formulæ, quæ contraria effet ei, quæ in Concilio Nicæno propofita eft; fed non prohibuit eam, quæ licèt addita Nicænæ, ei tamen non effet contraria. Ratio folutionis petitur ex facto, quod occafioni fuit decreto Concilii Ephefini: illud verò factum, eft oblatio Neftoriani fymboli facta a Charifio presbytero, quem Photius & Anaftafius a Neftorio Philadelphiam miffi, a fidelium communione, quòd illi fymbolo fubfcribere noluiffet, fegregaverant: at illud fymbolum, ad cujus normam Neftorius recipi decreverat eos, qui aut ex infidelibus aut hæreticis Ecclefiæ Catholicæ darent nomen, plane contrarium erat Nicænæ fidei: eo nimirum, præter Neftorii circa Verbi incarnationem errores, exprefse afferebatur, Spiritum fanctum nec a Filio, nec per Filium procedere: *Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium fuam fubfiftentiam habentem.* Cum igitur Concilium Ephefinum prohibuit, ne quis aliam a Nicæna fidem componeret, intellexit fidem, quæ, ut Neftoriana, Nicænæ contraria foret. Altera noftræ folutionis ratio petitur ex eo, quòd Charifius, ut fe fynodo probaret Catholicum, recitaverit fymbolum, quod multis in capitibus idem non effet, five cum Nicæno, five cum Conftantinopolitano: & tamen ob id Charifius culpatus non eft a facra fynodo; id non impediit, quin ut Catholicus admitteretur.

Inftabis. Cyrillus in Epiftola ad Joannem Antiochenum, quæ incipit, *Lætentur cæli*, quæque continet Orientalium fidei confeffionem, fic loquitur: *Nullo autem modo patimur, ut ab aliquo fides illa, five fidei fymbolum concutiatur, quod a fanctis quondam Patribus Nicænis editum eft. Neque enim aut nobis, aut ulli omninò alteri, vel unam voculam ibi pofitam immutare, aut unam etiam fyllabam præterire permittimus.* 2. Actione 11. Concilii Chalcedonenfis, cùm a Judicibus rogati effent Patres, ut exponerent fidem, refponderunt: *In fcriptis expofitionem non facimus. Regula eft, quæ prædicat, fufficere, quæ funt expofita. Regula vult, aliam expofitionem non fieri. Ea quæ funt Patrum, teneantur.* 3. Septima Synodus, poft fidei definitionem, hæc habet: *Nos leges Patrum cuftodimus. Nos eos, qui addunt quid, vel adimunt, anathematizamus.* Ex iis autē textibus fic conficitur argumentum: Qui afferunt nō licere vel voculam quidem in fymbolo Nicæno immutare; qui docent, nullam fieri debere expofitionem, eò quod id regula vetet; qui anathematizant eos, qui addunt vel adimunt, cenfent decretū Ephefinum intelligi debere de additione, quæ cum Nicæno fymbolo cohæreat; atqui Cyrillus, Concilium Chalcedonenfe, feptima Synodus generalis id afferunt; ergo, &c.

Refp. conceffa maj. dift. min. Cyrillus afferuit, non licere, vel voculam quidem in Nicæno fymbolo mutare per additionem, aut detractionem, quæ fit contraria Nicænæ fidei, conc. min. quæ non fit contraria neg. min. Ratio folutionis eft, quia Cyrilli tempore, ac aliis etiam fequentibus, ufus invaluerat dicendi, nihil, ne voculam quidem, in Nicæno fymbolo mutari, etfi fieret additio alicujus articuli, qui cum Nicæna fide cohæreret, & à fortiori, qui ex ea colligeretur; idque poteft oftendi ex confefsione fidei Epifcoporum Orientalium, quam Cyrillus probat in Epiftola ad Joannem Antiochenum, ex qua defumptus eft textus, qui nobis objectus eft. In ea autem fidei confefsione Joannes An-

tiochenus, & Episcopi, qui illi adhærebant, protestantur, se nihil in sua confessione additurοs Nicenæ fidei: *De virgine autem Dei genetrice, quomodo sentiamus, & loquamur, deque unigeniti Filii Dei incarnationis modo breviter dicemus, nihil omninò addentes fidei in Nicæa à sanctis Patribus expositæ: Illa namque, ut prius dictum est à nobis, ad omnem pietatis cognitionem, omnisque hæreticæ pravitatis refutationem sufficit.* Post solemnem illam protestationem Orientales Episcopi debuissent (in Adversariorum suppositione) symbolum Nicænum simpliciter, & prout jacet, recitare; non recitarunt tamen, sed amplissimam scripserunt fidei confessionem, in qua plures sunt tum de Incarnatione, tum de aliis capitibus articuli, quorum in Concilio Nicæno nulla planè fit mentio. Quæ mox ad Cyrilli textum adhibita est solutio, adhiberi quoque debet ad textus, qui cum ex Concilio Chalcedonensi, tum ex septimo generali laudata sunt.

ARTICULUS II.

Quandonàm, & à quibus particula Filioque *inserta fuerit symbolo.*

CONCL. IN Hispaniarum Ecclesiis particula *Filioque* inserta fuit symbolo, sexto labente sæculo; apud Gallos & Germanos, octavo; & tandem in Ecclesia Romana, desinente nono.

Probatur prior pars. Additionem, de qua agitur, legere est in Concilio Toletano III. quod sub Reccaredo Rege, anno 589. celebratum est: scilicet in symbolo Constantinopolitano, quod laudatus Princeps, ut fidem suam manifestam faceret, recitavit, inserta erat particula, Filioque: *Credimus & in Spiritum sanctum, Dominum & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem.* Eadem additio reperitur quoque in Concilio Toletano IV. quod habitum est anno 633 non quidem inserta symbolo Constantinop. cum in ea synodo recitatum non fuerit, sed in Expositione fidei, quam capitulo 1. legere est: *Spiritum verò sanctum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem ex Patre & Filio profitemur.* Reperitur quoque in Concilio Toletano VI. quod habitum est anno 639. nempe in Expositione fidei capitulo 1. hæc habentur: *Spiritum verò sanctum, neque genitum, neque creatum, sed de Patre, Filioque procedentem, &c.* Eam pariter & quidem insertam symbolo, legere est in Concilio Toletano VIII. quod anno 639 celebratum est: *Credimus in Spiritum sanctum Dominum, vivificatorem, ex Patre, & Filio procedentem.* Octavi Toletani Concilii vestigiis inhæsit Concilium Toletanum XII. habitum anno 681, nempe in symbolo Constantinopolitano, quod capitulo 1. recitatur, hæc leguntur: *Credimus & in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificatorem, ex Patre & Filio procedentem.* Tandem eadem additio, & quidem inserta symbolo, legitur in Conciliis Toletano XIII. & XV. quæ annis 683. & 688. celebrata sunt.

Probatur altera conclusionis pars. De particulæ, *Filioque*, additione actum est in Concilio Aquisgranensi, quod Gallorum, ac Germanorum Episcopi anno 809. celebrarunt. Ex eo nimirum Concilio Bernarius Wormatiensium, Jesse Ambianensium, Episcopi, & Adalardus Corbeiensis Abbas missi sunt ad Leonem Papam III. tum ut ab eo probaretur additio, quam symbolo Patres Aquisgranensis inseruerant, tum etiam ut suaderent, symbolum cum ejusmodi additione inter missarum solemnia Romæ cantari debere: Verum cum in Aquisgranensi synodo additio illa facta fuerit nullo ex Patribus contradicente, colligi potest, eam aliquibus ante Concilium annis jam apud Gallos ac Germanos obtinuisse.

Probatur tertia pars. Ineunte nono sæculo Leo Papa III. probare noluit additionem, de qua agitur, quamvis id enixe postularent Aquisgranensis Concilii Legati: *Si prius quam ita cantaretur, interrogatus essem* (inquit Leo ad legatos) *ne insereretur, utique respondissem.* Ut autem declararet apertius, quantum esset alienus ab ejusmodi additione, tabulis argenteis insculpi jussit symbolum, prout a centum quinquaginta Episcopis editum fuerat in secunda generali synodo. *Leo junior* (inquit Photius in Epistola ad Patriarcham Aquilejensem) *pietatis fervens zelator, ut nullo pacto barbara lingua corrumperetur immaculata nostra fidei doctrina; Græca lingua Occidentalibus sanctam Trinitatem glorificandam, & celebrandam tradidit, & non solum sermone & mandato id faciendum curavit; verum etiam quibusdam anclibus, quasi clipeis constructis, & columnis erectis, illam inscripsit, & in conspectu omnium statuens, ad Ecclesiæ valvas collocavit, ut hoc pacto facile & incorruptè possent omnes pietatem ediscere.*

Additio, quæ ut mox dictum est, initio noni sæculi, à Leone III. tam constanter rejecta fuerat, eodem jam adulto sæculo a Romanis probata est: eò nimirum trahi possunt, quæ scribit Photius adversùs Nicolaum Papam I. ad omnes Orientis Episcopos, ubi sic loquitur: *Præter illa, quæ commemoravimus absurda, sacrum etiam & sanctum symbolum, cui Synodica omnia, Oecumenica suffragia inexpugnabile robur addiderunt, adulterinis sermonibus, non sine incredibili audacia, falsare agressi sunt. O mali dæmonis medicamenta! Spiritum sanctum non ex Patre solum, sed etiam ex Filio procedere, vanissimè prædicantes.*

Idem quoque videre est in Ratramno Corbejensi monacho: is enim Nicolai Papæ I. temporibus, hoc est, circa annum 858. lib. 2. quem adversùs Græcos pro Ecclesia Romana conscripsit, confutat argumenta, quibus Photius, eique adhærentes Episcopi aggressi fuerant Occidentales, qui particulam, *Filioque*, symbolo inseruerant. *Hanc quoque blasphemiam propellendam* (ait loquens de Photii circa Spiritum sanctum errore) *decernentes Ecclesiæ Doctores, superaddidere symbolo, Spiritum sanctum à Filio quoque procedere.*

Objicies. Manuel Calecas in libro contra Græcos, Damasum facit Auctorem additionis particulæ, *Filioque*; idque (inquit) *ut illud refelleret, quòd gigni dicebatur à Filio.* Manueli Calecæ adhæserunt Genebrardus, nonnullique alii Scriptores. 2. Idem Author diffidens de facto, quod mox ex ipso relatum est, suspicatur, additionem, de qua est quæstio, factam fuisse sexti generalis Concilii temporibus, hoc est, circa annum 780. idque probat ex Epistola Sancti Maximi ad Marinum. 3. Julianus Cardinalis sessione 5. Concilii Florentini, & Andreas Colossensis sess. 7. contenderunt, additionem, de qua agitur, fuisse factam jussu septimæ Synodi generalis anno 787. *Prolatum à nobis symbolum, in septima Synodo scriptum est in vetustissimo Codice* (verba sunt Juliani Cardinalis ad Græcorum Imperatorem) *& impossibile est suspicari, aliquam in eo factam fuisse mutationem. Habemus porro, & aliquem historicum virum doctum, qui quidem inter multa alia narrat, hoc etiam, symbolum videlicet, ita esse à septima Synodo expositum & lectum, quod etiam ex ejus testimonio probamus:* ergo particula, *Filioque*, ubique, saltem apud Occidentales, inserta fuit symbolo Constantinopolitano ante nonum sæculum.

Resp. ad 1. Calecam nullo teste probare factum, quod narrat. Præterea si (ut vult ille Scriptor) Damasus, & Romana Synodus sub eo celebrata, post Concilium secundum Oecumenicum, particulam, *Filioque*, symbolo inseruissent, qui fieri potuisset, ut Leo III. a Gallis de ea additione consultus, eam reprobasset. Addendum est, in Synodica Concilii Romani sub Damaso nihil esse, quo factum illud confirmetur.

Resp. ad 2. in Epistola Maximi contineri quidem dogma Latinorum de processione sancti Spiritus a Patre

& Fi-

& Filio, sed de additione ad symbolum nihil omninò reperiri.

Resp. ad 3. historicum quo nitebatur Julianus Cardinalis, non multam mereri fidem. Nam 1. si semptima synodus generalis additionem illam decrevisset, decretum non potuisset fugere Græcos, qui summa cum cura laudatæ synodi servabant acta. 2. De illo semptimæ synodi decreto altum est silentium apud Anastasium Bibliothecarium; qui annis septuaginta post, Græcum illius Concilii textum in linguam Latinam transtulit.

Ex iis, quæ tum in hoc articulo, tum in præcedenti dicta sunt: patet 1. Græcos, post Photium, immeritò Latinis vertisse crimini, quod particulam, *Filioque*, symbolo inseruerint: patet 2. illam insertionem, desinent sexto sæculo, primùm factam fuisse ab Episcopis Hispaniarum & Galliæ Narbonensis, quæ tunc Hispanorum regibus parebat: patet 3. Germanos & Gallos in Concilio Aquisgranensi additionem illam probasse, & cum ea, inter missarum solemnia, symbolum decantasse: patet 4. eandem additionem non fuisse statim ab Ecclesia Romana probatam: patet denique 5. probabilem esse sententiam quæ docet, Ecclesiam Romanam Nicolai Papæ I. temporibus particulam, de qua est quæstio, inseruisse symbolo.

DISSERTATIO SEXTA.

De modo loquendi circa Trinitatem.

Not. IN hac dissertatione quæremus 1. quibus nominibus exprimi debeant numerus, distinctio, unitas personarum in divinis; 2. utrum essentialia de relativis, & vicissim relativa de essentialibus prædicari possint; 3. utrum essentialia pro relativis supponere possint; 4. utrum abstracta de concretis, & concreta de abstractis prædicentur.

QUÆSTIO I.

De nominibus quibus numerus personarum exprimitur.

Not. PRæcipua nomina quibus personarum numerus exprimitur, sunt pluralitas, multiplicitas, trinitas: necesse est igitur, ut hic ea explicemus.

CONCLUSIO 1. Pluralitas nomen admitti debet in divinis.

Probatur. In divinis est vera ac realis pluralitas; sunt enim in Deo tres personæ: ergo pluralitatis nomen debet in divinis admitti.

Objicies. Illud nomen non debet in divinis admitti, quod, nisi aliquid addatur, tam potest intelligi de naturis, quam de personis: atqui nomen, *Pluralitas*, nisi aliquid addatur, tam potest intelligi de naturis, quàm de personis; nec enim magis unum significat quam aliud, sed in se sumptum abstrahit ab utroque: ergo nomen illud, saltem simpliciter, & sine addito, admitti non debet in divinis.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia cùm nihil additur nomini, quod est indifferens ad significandum unum potiùs quam aliud, illius significatio determinatur per subjectum de quo prædicatur; ac proinde cum Deus, in quo dicitur esse pluralitas, excludat in suo conceptu pluralitatem naturarum, vox, *Pluralitas*, ratione subjecti restringitur ad pluralitatem personarum, quæ realiter & a parte rei in Deo reperitur. Hinc patet, hanc propositionem: *In Deo est pluralitas*, esse simpliciter veram.

CONCL. 2. Multiplicitas, sive sine addito, sive cum hoc addito, *Personarum*, admitti debet in divinis.

Probatur. Multiplicitas sine addito, non includit multiplicitatem naturarum, quia (sicut dictum est de pluralitate) abstrahit a multiplicitate, sive naturarum, sive personarum; ac proinde nihil dicit quod Deo repugnet: atqui quod nihil dicit quod Deo repugnet, simpliciter ac sine addito potest in divinis admitti: ergo, &c. Jam verò si simpliciter admitti possit, a fortiori potest cum addito, *Personarum*, admitti. Confirmatur ex eo, quòd in Deo revera sit multiplicitas personarum; ac proindè cum dicamus multiplicem processionem, multiplicem relationem, eò quòd in Deo revera sit multiplicitas processionum, multiplicitas relationum: ita etiam cum revera in eo sit multiplicitas personarum, possumus dicere multiplicitatem personarum in divinis admitti debere.

Objicies. Si multiplicitas in abstracto, simpliciter ac sine addito, admitti posset in divinis, ista propositio, *Deus est multiplex*, simpliciter admitti posset: siquidem ille dici potest multiplex, de quo multiplicitas potest prædicari simpliciter: atqui, &c. ergo, &c.

Resp. ad 1. & 2. neg. maj. Ratio est, quia vox ista, *Deus*, non abstrahit a natura, sed illam formaliter (ut ajunt) includit; scilicet Deus idem est ac habens divinitatem; habens autem divinitatem, est habens naturam divinam: econtra multiplicitas simpliciter prolata non includit naturam; ac proinde de Deo simpliciter potest predicari.

CONCL. 3. cùm de divinis simpliciter, hoc est sine addito, loquimur, rectè utimur nomine Trinitatis.

Probatur. Primò, Patres cum locuti sunt de divinis, usi sunt nomine Trinitatis, ut videre est in authore symboli, quod passim quidem, sed falsò, tribuitur Athanasio: *Unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit*, in Hilario qui libros inscripsit *De Trinitate*; in Augustino qui eadem usus est inscriptione: in professione fidei Concilii Toletani XI. sic enim incipit: *Confitemur & credimus sanctam atque ineffabilem Trinitatem*; in Concilio Lateranensi IV *Et ideo* (inquit capitulo 2.) *in Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas*, In Concilio Florentino. *In nomine igitur sanctæ Trinitatis*, inquit Eugenius titulo *Definitio Synodi*. 2. Idem evincitur ratione. Siquidem simpliciter eo uti possumus cum de mysterio loquimur, in quo est determinatus numerus ex tribus personis constans: atqui in mysterio, de quo agitur, est determinatus ille numerus: ergo, &c.

Objicies 1. Concilium Toletanum XI. quod anno 675. celebratum est, sic in fidei professione loquitur: *Nec rectè dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas*: Ergo Trinitatis nomen non debet in divinis admitti.

Resp. dist. conseq. Trinitatis nomen quod pro essentia supponat, non debet in divinis admitti, conc. conseq. quod supponat pro personis, neg. conseq. Concilium Toletanum XI. priore modo non autem posteriore, loco laudato sumpsit Trinitatis nomen; unde postquam dixit. *Nec rectè dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas*, mox addit: *Sed unus Deus Trinitas.*

Objicies 2. Si Trinitas de Deo diceretur, affirmari posset Deum esse Trinum; atqui id dici non potest: si enim dici posset, quòd Deus sit Trinus, dici etiam posset, quòd sit triplex; atqui dici non potest, quòd Deus sit triplex, Augustino teste lib. 6. de Trinit. cap. 7. ergo nec dici potest, quòd sit Trinus.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. maj. Ratio est, quia *Trinitas, Trinus*, dicunt unum quid tribus distinctis modis existens: at verò triplex dicit non tantùm tres distinctos existendi modos, sed etiam tres, saltem secundum numerum, essentias: nimirum triplex nihil est aliud quam esse triplicatum; unde sequitur, id quod est triplex, esse majus eo quod est aut duplex aut simplex tantùm. Augustinum movit ea ratio, sic enim loquitur lib. 6. de Trinit. cap. 7. *Nec quoniam Trinitas est,*

ideo

ideo triplex putandus est; alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quàm simul Pater & Filius. Idem repetit cap. 8. *Cum itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, nullo modo triplex dicendus.* Augustini loquendi modum adhibuit Concilium Toletanum XI. *Hæc est* (inquit in professione fidei) *Trinitatis relata narratio: quæ non triplex, sed Trinitas & dici & credi debet.*

Objicies 3. Illud nomen, cum de divinis loquimur, adhiberi non debet, quod nec substantiam, nec relationem significat: nempe nihil est in Deo præter substantiam, & relationes; atqui Trinitatis nomen neque substantiam, neque relationes significat: non primum, alioquin enim de singulis personis prædicaretur, seu quælibet persona diceretur Trinitas: non etiam secundum, quia relatio est ordo unius ad aliud: at nomen Trinitatis illum ordinem non significat; ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. in Deo nihil esse præter substantiam & relationē, nam præterea est numerus relationum seu personarum, qui quidem numerus significatur per nomen Trinitatis, ac proinde de unaquaque persona dici non potest, quòd sit Trinitas; neque enim in unaquaque ternarius est personarum numerus.

Quæres 1. utrum essentia dici possit Trina.

Resp. affirmativè: nempe deitas & essentia sunt idem: at deitas dicitur trina: *Te trina deitas, unaque poscimus*, verba sunt Ecclesiæ in hymno, *Sacris solemniis*, qui in festo corporis Christi recitatur: verùm non eo sensu deitas dicitur trina, quòd essentia, seu deitas, ex se multitudinem importet; falsus nimirum esset sensus ille sed quod deitas una ac indivisa, sit tribus personis communis, eisque revera insit, & cum eis identificetur.

Quæres 2. utrum dici possit Trina unitas, seu Unitas trina.

Resp. affirmativè, idque non aliud significat quàm quod una essentia in tribus personis existat.

Quæres 3. utrum Trinitas dici possit trina, idque probari possit ex his verbis Concilii Toletani XI. in professione fidei: *Hæc est sancta Trinitatis relata narratio, quæ non triplex, sed trina dici & credi debet.*

Resp. negativè. Ratio est; quia trinitas significat numerum ex tribus constantem; ac proinde si trinitas diceretur trina, sensus esset, quod numerus ex tribus constans, ter esset in Deo, ac proinde quod novem essent in Deo personæ. Ad probationem petitam ex Concilio Toletano, respondendum est, genuinam non esse lectionem, sed dicendum est, loco hujus vocis, *Trina*, legi debere, *Trinitas*; ita restituta est lectio in Labeana Conciliorum editione, ubi hæc habentur: *Hæc est sancta Trinitatis relata narratio: quæ non triplex, sed Trinitas dici & credi debet.*

Qures 4. Utrum admitti debeat is loquendi modus, *Unitas in Trinitate, Trinitas in unitate.* Ratio dubitandi petitur ex professione fidei Concilii Toletani XI. ubi hæc habentur: *Nec rectè dici potest, ut in uno Deo sit Trinitas, sed unus Deus Trinitas.*

Resp. affirmativè: eum enim loquendi modum adhibet author symboli, quod Athanasio tribuitur: *Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur ..... Ita ne per omnia & unitas in Trinitate, & Trinitas in unitate veneranda sit.* Confirmatur ex eo, quòd tres divinæ personæ sint realiter in una essentia divina, ea ferè ratione, qua supposita alicujus naturæ, in illa natura esse dicuntur; ac proinde sequitur, Trinitatem, seu tres personas in una essentia existentes adorari debere.

Addendum est, quod cum una sit ac indivisibilis essentia in tribus personis, sequatur quoque unitatem essentiæ in Trinitate personarum colendam esse. Quod autem spectat ad rationem dubitandi desumptam ex Concilio Toletano XI. dicendum est, sensum esse, quod in uno Deo non sit Trinitas essentiæ, sed quod Deus unus, seu essentia una, sit idem cum tribus personis, quarum numerus Trinitatem constituit.

Quæres 5. an dicendum sit; *Sancta Trinitas unus Deus*.

Resp. tum Calvino, tum ipsi adhærentibus displicuisse morem illum loquendi; sed immeritò. Nam 1. argui non potest vox hæc *Sancta*, quasi sufficiat ideam alicujus Sanctæ; ut cum dicitur, *Santa Catharina*; scilicet Latini Græco nomini, *ἡ τριὰς*, quod est idem ac *ternarius* vel *ternia*, nomen *Trinitas*, ipso etiam genere simile, substituerint. 2. Carpi quoque non potest vox, *Trinitas*, nihil enim aliud dicit, quam pluralitatem personarum, quæ a parte rei reperitur in divinis; unde scholastici concludunt, nomen, *Trinitas*, esse nomen quasi collectivum, seu cum nominibus collectivis in eo conveniens, quod designet multitudinem suppositorum, & quandam unitatem; ab eis verò disconveniens, quòd cum collectiva significent imperfectam tantùm unitatem, ordinis nimirùm, Trinitas èontra perfectam unitatem, seu identitatem essentiæ supponat. Tandem 3. reprehendi non potest, quod Trinitas dicatur *unus Deus*; siquidem sensus est, quod tres personæ, licèt realiter distinctæ, non habeant plures essentias, sed unam & eandem, ac proindè unus sint Deus, non dii plures, ut Augustinus hisce verbis explicat tractatu 39. in Joannem. *Quamvis nec ille qui est Pater, sit Filius: nec ille qui est Filius, sit Pater: nec Spiritus sanctus Patris & Filii, sit vel Filius, vel Pater: tres Deos tamen esse non dicimus; quamvis de singulis si quæratur, necesse est, de quocumque interrogati fuerimus, Deum esse fateamur*; scilicet ut plures dii dicantur, satis non est multiplicitas personarum; sed præterea requiritur multiplicitas, saltem numerica, naturarum. Vide Concilii Alexandrini sub Athanasio Synodicam, ubi Græci asserunt, quòd licet tres in divinis hypostases admittant, nusquam tamen in eorum mentem venerit, quòd tres dii aut dici aut admitti debeant. Vide etiam priorum apologistarum nostrorum opera, in quibus Deorum pluralitatem impugnant, licèt personas distinguant. Videri quoque potest Epistola Sophronii Hierosolymitani adversùs Petrum Syrum, & Sergium Armenum: ea nimirum Epistola, quam omnes Concilii sexti Patres probarunt pluribus argumentis rejicitur Tritheitarum hæresis in eo posita, quòd tres Deos & dici & admitti debere contenderet, hoc falso nisa principio, cujus authores fuerunt Philoponus, Eugenius, Conon, *In Dea tres sunt natura non specie quidem, sed numero distinctæ, sibique in omnibus æquales.*

QUÆSTIO II.

De nominibus, quibus numerus & distinctio personarum exprimuntur.

Not. NOmina, quibus numerus personarum exprimi potest, sunt hæc, distinctus, discretus, secretus, alius, alter, non unus, dissimilis, alienus, dispar, discrepans, diversus, differens, divisus, separatus, solus. De iis autem quærendum est, quomodo iis uti liceat, cum de divinis loquimur.

CONCLUSIO 1. Tres personæ rectè dicuntur distinctæ, discretæ, secretæ, non una.

Probatur. Primò, hæc habet Concilium Toletanum XI. *Trinitatem igitur in personarum distinctione agnoscimus*. Hæc etiam Concilium Lateranense IV. capitulo 2. *Ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura*. Præterea in eo posita fuit Sabellii hæresis, quod Trinitatis personas ab invicem non distingueret. 2. Discernere, secernere, idem sunt, quod distinguere; ac proindè cum personæ sint, ac dicantur distinctæ, rectè etiam discretæ,

ſcretæ, & ſecretæ dicuntur.

CONCLUSIO 2. Tres perſonæ rectè dicuntur *alia* ab invicem, ſed non *aliud*.

Probatur 1. ex Concilio Lateranenſi IV, quod quidem capitulo 11. ſic loquitur: *Licet igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus, non tamen aliud.* 2. Vox, *Alius*, ſignificat perſonam, è contra vox, *Aliud*, ſignificat naturam, ut hiſce verbis probat S. Thomas 1. p. q. 31. art. 2. ad 4. *Unde etiam in rebus humanis ſi quæratur, Quis eſt iſte? reſpondetur, Socrates, quod nomen eſt ſuppoſiti. Si autem quæratur, Quid eſt iſte? reſpondetur, Animal rationale, & mortale.* 3. Ex diverſa illa ſignificatione vocis, *Alius*, & vocis, *Aliud*, Patres concludunt, quod in Incarnatione ſit aliud & aliud, non autem alius & alius, quia Chriſtus, qui ex duabus naturis conſtat, non conſtat tamen ex duabus perſonis; è contra in Trinitate non eſt aliud & aliud, licet alius & alius reperiantur: *In Trinitate alius, atque alius, non aliud atque aliud:* (verba ſunt Vincentii Lirinenſis) *in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius*. 4. Quæ ex Concilio Lateranenſi, S. Thoma, Vincentio Lirinenſi, mox laudata ſunt, variis in locis docuit Auguſtinus, cujus hæc ſunt verba tractatu 36. in Joannem: *Quid vis ire in alteram partem, ut dicas, Aliud eſt Pater, Filius aliud? Alius eſt, rectè dicis; Aliud, non rectè. Alius enim eſt Filius, quia non eſt ipſe, qui Pater; & alius Pater, quia non eſt ipſe, qui Filius; non tamen aliud, ſed hoc ipſum eſt, & Pater & Filius.*

CONCLUSIO 3. Perſonæ SS. Trinitatis dici non poſſunt diſſimiles, alienæ, diſpares, diſcrepantes, differentes, diviſæ, ſeparatæ.

Probatur. Termini, de quibus agitur in concluſione, ſignificant naturam, non perſonam, ac proinde cum fide certum ſit, perſonas non differre natura, termini illi de perſonis prædicari non poſſunt. Confirmatur ex S. Thoma, qui 1. p. q. 36. art. 2. in Corpore, ſic loquitur: *Ne tollatur ſimplicitas divinæ eſſentiæ, vitandum eſt nomen ſeparationis & diviſionis, quæ eſt totius in partes. Ne autem tollatur æqualitas, vitandum eſt nomen diſparitatis. Ne verò tollatur ſimilitudo, vitandum eſt nomen alieni & diſcrepantis.* Iis, quæ mox dicta ſunt, lux addi poteſt ex iis, quæ ſuperius de perſonarum in divinis conſubſtantialitate, circumínceſſione, & æqualitate diſputavimus.

CONCLUSIO 4. Dictio excluſiva, *Solus*, categorematicè ſumpta, locum habere non poteſt in divinis: è contra accepta ſyncategorematicè, adhiberi poteſt.

Probatur prior pars. Dictio excluſiva, *Solus*, categorematicè ſumpta, excluſionem ponit in ſubjecto, ſeu efficit, ut ſubjectum ſit ſolitarium, ut cum dicitur, Joannes eſt ſolus; atqui quod ponit excluſionem in ſubjecto, ſeu quod efficit, ut ſubjectum ſit ſolitarium, non poteſt dici de Deo; neque enim Deus eſt ſolitarius: ſcilicet eſt in Deo beatiſſimum trium perſonarum conſortium. Hinc autem concluditur, hanc propoſitionem, *Deus eſt ſolus*, eſſe omninò falſam.

Probatur altera concluſionis pars. Dictio, *ſolus*, ſyncategorematicè ſumpta, non aliud denotat, quam ordinem prædicati ad ſubjectum, ſeu ſignificat, prædicatum non convenire alteri, quàm ſubjecto; atqui ſic accepta, locum habet in divinis, ut patet in hac propoſitione: *Solus Deus eſt æternus*; neque enim in ea propoſitione ſolitudinem inducit in Deo, ſed removet prædicatum, *Æternus*, a quolibet ente, quod non ſit Deus.

Quæres, utrum dictio excluſiva, *Solus*, æque conjungi poſſit cum termino eſſentiali, & cum termino notionali?

Reſp. dictionem excluſivam, *Solus*, cum utroque termino, eſſentiali nimirum & notionali, conjungi poſſe. Sic rectè dicitur: *Solus Deus eſt omnipotens. Solus Pater generat. Solus Filius generatur.*

QUÆSTIO III.

De nominibus adhibendis, ut unitas divinarum perſonarum explicetur.

Not. NOmina, quibus ſuſpicari quis poſſet divinarum perſonarum unitatem explicari poſſe, ſunt iſta, Idem, Unus, Solitarius, Singularis, Unicus, Conjunctus: de iis igitur hic nobis agendum incumbit.

CONCLUSIO 1. nomen, *Idem* & *Unum*, in neutro genere de divinis perſonis dici poſſunt, non autem in maſculino, ſi jungantur termino relativo, ſecus verò ſi abſoluto.

Probatur prior pars. Idem & unum in neutro genere ſignificant eſſentiam: ergo cum tribus perſonis una ac eadem ſit eſſentia, Unum & idem in neutro genere dici poſſunt de perſonis divinis: Hincque colligitur, veram eſſe hanc propoſitionem: *Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſunt unum & idem*. Altera pars patet ex eo, quòd Idem & Unus cum junguntur termino relativo, ſignificent unitatem ſuppoſiti; at in Deo non eſt unitas ſuppoſiti, ſeu non unum eſt, ſed multiplex ſuppoſitum: Hinc iſta propoſitio: *Pater & Filius ſunt unus & idem*, eſt omninò falſa, utpotè Sabelliana. Tandem tertia concluſionis pars colligitur ex eo, quod voces, *Idem*, *Unus*, conjunctæ cum termino abſoluto, ſignificent naturam aut attributa, quæ naturam, ſecundum noſtrum concipiendi modum, conſequuntur; atqui perſonæ divinæ ſunt quid unum & idem in natura & in attributis, quæ illam conſequuntur: ergo, &c. Hinc autem concluditur hanc propoſitionem, *Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt unus & idem creator, unus & idem omnipotens*, eſſe veram, quia ſenſus eſt, vim creativam, & omnipotentiam eſſe unum & idem in tribus perſonis.

CONCLUSIO 2. Vox *Solitarius*, non poteſt dici de perſonis divinis.

Probatur. Vox, *Solitarius*, excludit non naturæ tantùm, ſed etiam perſonarum pluralitatem: hinc Auguſtinus lib. 6. de Trinitate, cap. 7. meritò negat, dici poſſe, perſonas in divinis eſſe ſolas, ſeu ſolitarias: *Quanquam* (ait) *non invenitur, quomodo dici poſſit, aut Pater ſolus, aut Filius ſolus, cum ſemper atque inſeparabiliter & ille cum Filio ſit, & ille cum Patre: non ut ambo ſint Pater, aut ambo Filius; ſed quia ſemper in invicem, neuter ſolus.*

Præterea, eadem vox, *Solitarius*, ſeparabilitatem ſignificat, hoc eſt unam perſonam poſſe ſine aliis eſſe: at ſeparabilitas locū non habet in divinis, juxta illud Concilii Toletan. XI. in Profeſſione fidei: *Tria ergo iſta unum ſunt, natura ſcilicet, non perſona: nec tamen tres iſtæ perſonæ ſeparabiles æſtimandæ ſunt; cum nulla ante aliam, nulla poſt aliam, nulla ſine alia vel extitiſſe, vel quidpiam operaſſe aliquando credatur: inſeparabiles enim inveniuntur, & in eo, quod ſunt, & in eo, quòd faciunt.*

CONCLUSIO 3. Vox, *Singularis*, adhiberi non debet, cum de divinis loquimur.

Probatur. Vox, *Singularis*, in ſenſu obvio ſignificat naturæ, de qua prædicatur, incommunicabilitatem: at Dei natura non eſt incommunicabilis, cum in tribus perſonis reperiatur: ergo, &c. Indè verò concluditur, hanc propoſitionem: *Pater eſt Deus ſingularis*, eſſe falſam; nempè ſignificat, naturam divinam ineſſe Patri tantùm, non autem cæteris perſonis.

Confirmatur argumentum ex S. Thoma, qui 1. p. q. 31. art. 2. in Corp. ſic loquitur: *Ad vitandum Sabellii errorem, vitare debemus ſingularitatem, ne tollatur communicabilitas eſſentiæ divinæ. Unde Hilarius dicit 7. de Trinitate, Patrem & Filium, ſingularem Deum prædicare, ſacrilegum eſt.*

Objicies 1. Vox, *Singularis*, ſignificat naturam individuam, ſeu hanc, aut illam naturam in particulari: atqui

atqui de natura divioa potest dici , quòd sit individua natura: ergo dici quoque potest, quòd sit natura singularis.

Resp. dist. maj. Vox, *Singularis* , significat naturam individuam incommunicabilem , conc. maj. communicabilem , neg. maj. Natura divina est quidem individua natura , sed non est incommunicabilis ; ac proinde vox, *Singularis* , de illa prædicari non potest.

Objicies 2. Adverbium, *Singulariter* , admitti debet, cum de divinis loquimur: ergo debet pariter admitti vox, *Singularis* . Probatur ant. ex Concilio Toletano XI. quod quidem in professinne fidei sic loquitur : *Deus ergo Pater, Deus Filius , Deus Spiritus sanctus singulariter dicitur ...... Singulariter ergo , ut unaquoque persona plenus Deus , & tota tres persona unus Deus confitetur & creditur.*

Resp. concesso antecedente , ac ejus probatione, neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia adverbium, *Singulariter* , opponitur multiplicitati naturæ ; vox verò, *Singularis* , opponitur illius communicabilitati: unde rectè dicitur , quòd tres personæ sint singulariter Deus , hoc est, quòd sint unus Deus , non plures Dii : è contra non dicitur, quòd tres personæ sint Deus singularis, quia sensus esset, unamquamque personam esse Deum singularem, hoc est , habere naturam, quæ cæteris personis non conveniret . Eum autem esse Concilii Toletani sensum , patet ex verbis, quæ in argumento laudatis subjunguntur : *Deus ergo Pater* (inqux) *Deus Filius , Deus Spiritus sanctus, singulariter dicitur; nec tamen tres Dii, sed unus est Deus.*

CONCLUSIO 4. Vox , *Unicus* , non debet in divinis admitti.

Probatur . Vox, *Unicus*, & vox, *Singularis*, idem omnino significant : proindeque cum ista (ut conclusione præcedeoti dictum est) admitti non debeat , ita oec illa.

Confirmatur ex S. Thoma, qui 1.p. q.31. art.2. sic loquitur : *Debemus etiam vitare nomen Unici, ne tollatur numerus personarum.* Assertionem suam probat S. Doctor ex Hilario : *Unde Hilarius in eodem libro dicit , quòd à Deo excluditur singularitas atque unica intelligentia.*

Objicies 1. Dici potest , Unicus Filius : ergo dici quoque potest , Deus unicus . 2. Hæc propositio : Unicus est Deus , est vera: ergo &c.

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est , quia , *Unicus* , in Filio singularitatem significat , hoc est , significat unum tantùm , non plures esse filios in Trinitate : è contra cum de Deo dicitur , significat unam esse in Deo personam. Ad 2. dicendum est, æquivocam esse propositionem, de qua agitur, potest enim significare unum tantùm esse Deum , & sic vox , *Unicus*, cadit in naturam : potest quoque significare unam esse in Deo personam ; unde simpliciter & sine explicatione admitti non debet illa propositio . Quæ mox data est solutio, desumpta est ex S. Thoma, qui 1.p.q.31. art.2. sic loquitur ; *Dicimus unicum Filium , quia non sunt plures Filii in divinis : neque tamen dicimus unicum Deum, quia pluribus divinitas est communis.*

CONCL. 5. Voces istæ, *Unitus, Conjunctus , Quid unitum*, admitti non debent in divinis.

Probatur. Voces, quæ compositionem arguunt, in divinis admitti non debent , cum Deus sit ens maximè simplex : atqui voces, de quibus in conclusione, compositionem arguunt: neque enim quid dici potest unitum, conjunctum, nisi sese cum alio, cui unitum sit , per modum partis habeat: ergo, &c.

Objicies. Tres personæ non sunt divisæ à se invicem, licet sint distinctæ : ergo sunt unitæ , proindèque voces istæ , *Unitus, Conjunctus, Quid unitum* , debent in divinis admitti.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia ad unionem requiritur, ut in quo extrema dicuntur conjuncta, ab iis sit distinctum: at natura divina, ratione cujus personæ dici possent unitæ , à personis realiter non distinguitur : *Nam* (ait Concilium Toletanum XI. in professione fidei) *& si de singulis personis interrogemur , Deum necesse est fateamur .*

QUÆSTIO IV.

Utrum omnia nomina in divinis de se invicem prædicari possint.

Not. 1. NOmina absoluta sunt ea, quibus essentia divina, aut illius attributa significantur. Nomina verò relativa sunt ea, quibus personæ, vel notiones exprimuntur:

Not. 2. Nomina, sive sint absoluta, sive sint relativa, sunt vel abstracta, vel concreta. Priora sunt ea, quæ exprimunt formam sine subjecto, ut sunt deitas, sapientia, paternitas, filiatio, & alia hujusmodi : posteriora è contra significant formam cum subjecto, seu subjectum habens formam.

Not. 3. Concreta subdividuntur in adjectiva , ut sunt sapiens, bonus : & in substantiva, ut Deus, Dominus . Quæri igitur potest 1. utrum & quomodo nomina absoluta sive in abstracto , sive in concreto , prædicari possint de relativis : 2. utrum relativa de absolutis.

CAPUT PRIMUM.

Utrum absoluta de relativis prædicentur.

CONCL. 1. NOmina absoluta abstracta, de personis non prædicantur in plurali , sed tantùm in singulari numero.

Probatur prior pars. Nomina prædicantur de subjecto, ad quod se habent per modum formæ : quælibet enim forma de suo subjecto potest prædicari: sic humanitas ideò potest prædicari de homine , quòd homo sit illius subjectum ; scilicet homo idem est , ac subjectum habens humanitatem: atqui nomina absoluta abstracta se habent respectu relationum , tanquam formæ respectu subjecti: quamvis enim sine subjecto, seu sine personis concipiantur , tamen a parte rei sunt in personis , quæ concipiuntur per modum subjecti, in quo recipiuntur: sic hæc propositio est vera. *Tres personæ sunt deitas, immensitas, omnipotentia.*

Probatur altera pars. Formæ, quæ non multiplicantur , prædicari non possunt in plurali numero ; nimirum pluralis oumerus essentialiter includit multiplicitatem : atqui (ut jamjam observatum est) nomina absoluta abstracta, sunt respectu personarum , veluti formæ : ergo de personis prædicari non possunt in plurali numero . Inde verò concluditur , hanc propositionem esse falsam : *Tres personæ sunt deitates, immensitates, omnipotentiæ.*

CONCL. 2. Nomina absoluta concreta , si substantiva sint, de tribus personis prædicantur in numero singulari, non autem in plurali.

Probatur . Nomina absoluta concreta, si substantiva sint , significant formam per modum substantiæ ; seu per modum rei, quæ non indiget alio, tanquam subjecto , cui inhæreat : atqui quod significat formam per modum substantiæ , de personis divinis prædicari non potest in plurali numero, sed tantùm in singulari : nam si prædicaretur in plurali numero , multiplicari posset: at quod significat formam per modum substantiæ, multiplicari non potest, cum in divinis substantia sit immultiplicabilis : ergo, &c. Hinc autem concluditur, falsam esse hanc propositionem : *Tres personæ sunt tres Dii* ; siquidem in ea propositiooe Deus dicitur substantive, ac

proinde

proindè prædicari non poteſt in plurali numero. Patres eo principio dixi, conſtanter aſſeruerunt, tres perſonas unum dici Deum, non plures Dii. *Omnes, quos legere potui, qui ante me ſcripſerunt de Trinitate, quæ eſt Deus, divinorum librorum veterum & novorum Catholici tractatores hoc intenderunt* (verba ſunt Auguſtini lib. 1. de Trinitate c. 4.) *ſecundum Scripturas docere, quod Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus unius ejusdemque ſubſtantiæ, inſeparabili æqualitate divinam inſinuent unitatem: Ideoque non ſint tres Dii, ſed unus Deus.*

Objicies 1. Terminus iſte, *Res*, eſt nomen ſubſtantivum: atqui, *Res*, de tribus perſonis prædicatur in plurali numero, nempè rectè dicitur quod tres perſonæ ſint tres res: ergo nomina ſubſtantiva de perſonis prædicantur in plurali numero. Minor propoſitio, in qua poſita eſt difficultas, videtur eſſe Auguſtini, qui lib. 1. de Doctrina Chriſtiana, cap. 5. ſic loquitur: *Res, quibus fruendum eſt, ſunt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.*

Reſp. diſting. maj. Terminus iſte, *Res*, eſt nomen ſubſtantivum tranſcendens, quia tum in abſolutis tum in relativis imbibitur, quemadmodum ens imbibitur (ut ajunt) & in ſubſtantia & in accidente, conc. maj. Eſt nomen ſubſtantivum, & non eſt tranſcendens, neg. maj. Ex eo principio ſequitur, vocem, *Res*, prædicari poſſe & de relativis & de abſolutis; cum hoc tamen diſcrimine quod in plurali numero prædicetur de relativis, quia relativa ſunt plura; ècontra verò de abſolutis prædicetur in ſingulari numero, quia (ut ſæpiùs a nobis dictum eſt) in divinis abſoluta non multiplicantur, ſed ſunt unum & idem. Hinc autem colligitur, hanc propoſitionem: *Tres perſonæ ſunt tres res*, eſſe veram, ſi, *Res*, ſumatur relative, tunc enim ſenſus eſt, quòd in Deo ſint tres res relativæ; eſſe ècontra falſam, ſi, *Res*, ſubſtantialiter & abſolutè ſumatur.

Objicies 2. Ut nomina dicantur in plurali numero, ſufficit, ut ſuppoſita multiplicentur: ergo, cum in SS. Trinitate ſuppoſita, ſeu perſonæ, multiplicentur, nomina ſubſtantiva concreta de perſonis divinis in numero plurali prædicari poſſunt. Probatur ant. Si per divinam potentiam una numero albedo in tribus ſubjectis reperiretur, poſſet de illis ſubjectis in numero plurali prædicari, quia licet non eſſet multiplex albedo, eſſet tamen multiplex ſuppoſitum: quemadmodum igitur, in ea ſuppoſitione, hæc propoſitio: *Tria ſunt alba*, eſſet vera: ita & in divinis illa, *Tres ſunt Domini*, debet eſſe vera.

Reſp. diſt. ant. Ut nomina adjectiva dicantur in plurali numero, ſufficit, ut ſuppoſita multiplicentur, conc. ant. nomina ſubſtantiva, neg. ant. Ratio eſt, quia nomina ſubſtantiva ſignificant formam & ſuppoſitum tanquam unum ſubſiſtens, proindeque, ut multiplicentur, neceſſe eſt, ut tum forma tum ſuppoſitum multiplicentur; adjectiva verò ſignificant tanquam duo, formam ſcilicet ut in ſuppoſito exiſtentem: Unde cum album ſit adjectivum nomen, Dominus ècontra ſit ſubſtantivum, mirum non eſt, ſi album in caſu, de quo agitur in argumento, dicatur pluraliter, Dominus verò dici non poſſit niſi in ſingulari numero. Ex eo diſcrimine, quod inter adjectiva, & ſubſtantiva nomina reperitur, Sylvius colligit, quod ſi tres perſonæ aſſumerent unam naturam, tres perſonæ eſſent unus homo propter unitatem naturæ aſſumptæ; & ſi una tantùm perſona aſſumeret duas humanas naturas, eſſet quoque unus homo tantùm propter unitatem ſuppoſiti. In utraque illa ſuppoſitione nomen ſubſtantivum, *Homo*, non multiplicaretur, quia (ut dictum eſt) ad multiplicationem nominis ſubſtantivi, ſatis non eſt, quòd aut forma aut ſuppoſitum multiplicetur, ſed præterea requiritur, ut utrumque, forma nimirum, & ſuppoſitum multiplicentur.

Objicies 3. Nomen iſtud, *Perſona*, eſt nomen concretum ſubſtantivum; atqui prædicatur in plurali numero; quemadmodum enim vera eſt hæc propoſitio: *Tres perſonæ ſunt unus Deus*; ita etiam vera eſt hæc alia: *Unus Deus eſt tres perſonæ*: ergo nomina concreta, quamvis ſint ſubſtantiva; prædicantur in plurali numero.

Reſp. diſt. maj. Nomen, *Perſona*, eſt nomen concretum, relativum, conc. maj. non relativum, neg. maj. Nomina relativa, quæ Patri, Filio, & Spiritui ſancto communia ſunt, ut eſt perſona in genere, prædicantur in plurali numero, quia formæ, quæ per illa nomina relativa ſignificantur, a parte rei multiplicantur in divinis: unde cum plures ſint perſonalitates, quæ ſunt formæ per vocem, *Perſona*, ſignificatæ, mirum non eſt, quòd perſonæ in plurali numero prædicentur: at idem de nominibus abſolutis, ſeu, eſſentialibus, dici non poteſt, cùm forma, quam ſignificant, revera non multiplicetur in divinis.

CONCLUSIO 3. Nomina adjectiva concreta, de divinis perſonis prædicantur in plurali numero.

Probatur. Ea prædicantur de perſonis plurali numero, quæ multiplicatis ſuppoſitis, concipiuntur multiplicari; atqui nomina adjectiva, multiplicatis ſuppoſitis, concipiuntur multiplicari, quia (ut dictum eſt) ſignificant duo, formam nimirum & ſubjectum, in quo forma reperitur. Hincque concludendum eſt, hanc propoſitionem: *Totæ tres perſonæ ſunt coæternæ & coæquales*, quæ legitur in ſymbolo, quod Athanaſio tribuitur, veram eſſe. Nec mirum; ſenſus enim illius eſt, quod tres divinæ perſonæ habeant unam ac eandem æternitatem: unde propter multiplicationem ſuppoſitorum, ſeu perſonarum, coæternum, cum nomen ſic adjectivum, prædicatur in plurali numero.

Objicies. Increatus, immenſus, æternus, ſunt nomina adjectiva, & tamen, licèt in divinis multiplicentur ſuppoſita, quibus tribuuntur, non prædicantur in plurali numero, ſed in ſingulari tantùm. *Increatus Pater*, (inquit author Athanaſiani ſymboli) *increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus: Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus: Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres æterni, ſed unus æternus: Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus & unus immenſus*: Ergo falſa eſt regula, qua ſtatuitur, nomina adjectiva prædicari pluraliter, cum de multis ſuppoſitis prædicantur.

Reſp. diſt. ant. Increatus, immenſus, æternus, ſunt nomina adjectiva, quæ nonnunquam ſumuntur ſubſtantivè, conc. ant. quæ nuſquam ſumuntur ſubſtantivè, neg. ant. Nomina, de quibus agitur, ſunt quidem in ſe adjectiva; ſed quæ tamen ab auctore Athanaſiani ſymboli ſubſtantivè ſumuntur: *Dicimus enim* (inquit S. Thomas 1. p. q. 39. art. 3.) *vel tres ſapientes & tres æternos & increatos & immenſos, ſi adjectivè ſumantur. Dicimus unum increatum, immenſum & æternum, ut Athanaſius dicit.* Igitur Athanaſiani ſymboli ſenſus eſt, quòd tres ſint, de quibus eadem ſapientia, eadem æternitas, eadem immenſitas prædicari poſſunt. Eadem quoque ratione, hoc eſt, ſubſtantivè, ſumitur nomen, *Omnipotens*, a Patribus Concilii Toletani XI. qui in fidei profeſſione ſic loquuntur: *Item & Pater omnipotens & Filius omnipotens, & Spiritus ſanctus omnipotens, ſingulariter dicitur; nec tamen tres omnipotentes, ſed unus omnipotens; ſicut & unum lumen, unumque principium prædicatur.* Econtra idem Athanaſiani ſymboli auctor eadem nomina, paulò poſt, adjectivè ſumpſit, dicens: *Totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales*. Adjectivè pariter ſumpta ſunt a Concilio Lateranenſi IV. cap. 1. ubi hæc habentur: *Pater generans, Filius naſcens, & Spiritus ſanctus procedens; conſubſtantiales & coæquales, coomnipotentes & coæterni.*

CAPUT II.

Utrum in divinis relativa de essentialibus praedicentur.

CONCL. 1. IN divinis nomina relativa, si adjectiva sint, de essentialibus non praedicantur.

Probatur 1. Si nomina relativa, quæ adjectiva sunt, de essentialibus prædicarentur, *Generans, Spirans, Generata, Spirata, Procedens*, dici possent de essentia divina; illa enim nomina sunt relativa, & adjectiva simul: atqui (ut adversus Joachinum Abbatem definiit Concilium Lateranense IV. cap. 2.) Generans, Spirans, Generata, Spirata, Procedens, dici non possunt de essentia: ergo &c.

CONCLUSIO 2. In divinis relativa, si substantiva sint, possunt de essentialibus prædicari.

Probatur. Quæ sunt realiter idem cum essentialibus, de iis prædicari possunt; atqui in divinis relativa, sive sint abstracta, sive concreta, sunt idem realiter cum essentialibus, cum Deus sit ens maxime simplex ac expers omnis compositionis, sive realis, sive mentalis: ergo, &c. Ex eo autem argumento concluditur, istas propositiones esse veras: *Essentia est tres personæ. Essentia est Pater. Essentia est Filius. Essentia est personalitas. Essentia est Paternitas. Essentia est Filiatio, Spiratio*: Et ita de cæteris.

Objicies 1. Trinitas est nomen relativum; atqui trinitas prædicari non potest de essentia: siquidem, quod prædicatur de essentia, prædicatur de singulis personis; scilicet, quod essentiæ convenit, est commune tribus personis: sed trinitas non prædicatur de singulis personis; alioquin (quod absurdum est) vera esset hæc propositio: *Pater est trinitas.*

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. maj. Quod prædicatur de essentia concepta sine notionibus, prædicatur de singulis personis, conc. maj. de essentia concepta cum notionibus, neg. maj. In hac propositione, *Essentia est trinitas*, essentia non supponit pro essentia sine notionibus, sed pro essentia cum notionibus concepta; siquidem nomen illud, *Trinitas*, quod in propositione adjungitur essentiæ, determinat hoc aliud nomen, *Essentia*, ad essentiam cum notionibus conceptam: at falsum est, essentiam cum notionibus, hoc est cum Paternitate, Filiatione, & Spiratione passiva conceptam, non esse Trinitatem.

Objicies 2. Inferiora non prædicantur de superioribus: sic homo, cum sit quid inferius respectu animalis, non prædicatur de animali, saltem essentialiter, alioquin omne animal deberet esse homo, Atqui in divinis nomina relativa sunt inferiora respectu essentialium: nempe quod est minus commune, est inferius respectu ejus, quod est magis commune: sed relativa sunt minus communia, quam essentia, cum relativa in singulis personis non reperiantur; neque enim in Patre est filiatio, è contra verò essentia singulis tribus personis communis est: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. min. Ad 3. dist. ant. Relativa in singulis personis non reperiuntur secundum modum significandi, conc. ant. secundum entitatem, neg. ant. Paternitas v.g. sumpta secundùm modum significandi, non est in Filio, quia sic accepta, dicit personam generantem; at est in Filio secundùm entitatem, cum a parte rei non distinguatur ab essentia, quæ eadem est in tribus personis: Hinc autem patet, essentiam & personas non se habere in divinis, sicut universale & singulare. Desumpta est illa responsio ex S. Thoma, qui 1. p. q. 39. art. 6. sic loquitur: *Ad secundum dicendum, quod cum dicitur, Deus, vel Divina essentia est Pater, est prædicatio per identitatem, non autem sicut inferioris de superiori: quia in divinis non est universale & singulare. Unde sicut est per se, (hoc est, essentialiter) ista, Pater est Deus; ita & ista, Deus est Pater, & nullo modo per accidens.*

QUÆSTIO V.

Utrum nomina essentialia supponant pro relativis.

Not. PRæsupposita divisione nominum essentialium in abstracta & concreta, quærendum est 1. utrum nomina essentialia abstracta supponant, seu, in propositionibus, quarum sunt subjectum, sumantur pro relativis, hoc est, pro personis: 2. utrum idem dici possit de iisdem nominibus essentialibus, si sint concreta.

CAPUT I.

Utrum nomina essentialia abstracta pro personis supponant.

CONCL. NOmina essentialia abstracta non supponunt pro personis.

Probatur. Essentia, deitas, sapientia, bonitas, sunt nomina essentialia abstracta, quippe quæ significent formam sine subjecto; atqui nomina illa non supponunt pro personis: nempe si pro personis supponerent, istæ propositiones essent veræ: *Essentia generat, Essentia spirat*; atqui veræ non sunt eæ propositiones. Nam 1. id definiit Concilium Lateranense IV. cap. 2. ubi sic de substantia, seu essentia, seu natura divina loquitur: *Et illa res non est generans, neque genita, neque procedens*: ergo, &c. 2. Essentia generaret se ipsam, eadem scilicet numero est essentia in tribus personis; atqui idem se ipsum generare non potest; docet enim ratio naturalis producens distingui debere a producto.

Objicies 1. Patres, qui adversùs Arianos pugnarunt, sæpiùs asseruerunt, hoc esse discrimen inter Verbum & creaturas, quod istæ sint ex nihilo, illud verò sit de substantia Patris. Qui manus cum Sabellianis conseruerunt, non raró scripserunt, Patrem esse fontem, ac principium totius deitatis. Symbolum Constantinopolitanum docet, Verbum esse lumen de lumine. Ex iis autem locis sic conficitur argumentum: In mox laudatis textibus substantia, deitas, lumen, quæ sunt nomina abstracta, pro personis supponunt: alioquin dicendum esset, substantiam Patris generare, deitatem habere principium, lumen oriri a lumine, quod tamen ex Concilio Lateranensi IV est omninò falsum: ergo nomina abstracta supponunt pro personis.

Resp. ad 1. neg. maj. seu, nego, in laudatis Patrum textibus nomina *Substantia, Deitatis, Luminis*, pro personis supponere. Ad 2. neg. sequelam maj. seu, nego, sequi quod alioquin substantia generaret, quòd Deitas haberet principium, quod lumen, hoc est, essentia, oriretur a lumine. Ratio est 1. quia cum Patres dicunt Verbum esse *de substantia Patris*, non sumunt præpositionem, *De*, pro præpositione, quæ denotet, substantiam Patris esse principium productivum, sed tantùm pro aliquo, quod significet veluti causam materialem, ita ut sensus sit, quód cum creaturæ sint ex nihilo, Verbum è contra non sit (ut contendebant Ariani, cum quibus iis in locis Patres manus conserebant) ex nihilo, sed ex Patris substantia, non quidem per excisionem aut partitionem, ut frutex ex arbore (ut iidem Ariani sequi contendebant ex Catholicorum doctrina) sed per communicationem: Ita ut Pater suam substantiam integre, ac perfecte Verbo communicet. 2. Eodem modo intelligendi sunt S. Doctores, cum asserunt, Patrem esse totius Deitatis principium: nimirùm *Deitatis* nomen sumunt pro

essen-

eſſentia, non quidem quòd velint, deitatem a Patre aut generari, aut ſpirari, ſed quòd deitas, hoc eſt, eſsentia, cæteris perſonis communicetur a Patre, tanquam a principio primo, ſeu quod a nullo alio ſuum eſse recipiat. 3. Non aliud etiam volunt iidem S. Doctores, cum ſcribunt, Verbum eſse lumen de lumine, hoc eſt lumen pro eſsentia ſumunt, ita ut Verbum, ſuum eſse recipiat a Patre, in quo eſt primigenia totius eſse divini origo.

Objicies 2. Voces iſtæ, *Res generans*, non ſupponunt pro eſſentia, ſed pro perſona, quia (ut ſæpiùs dictum eſt) eſſentia nec generat, nec generatur: atqui voces illæ, *Res generans*, non aliud ſunt, quàm nomina abſtracta; neque enim dicunt formam in ſubjecto, ſed eſſentiam in aliqua perſona, ergo nomina abſtracta pro perſonis ſupponunt.

Reſp. conc. maj. neg. min. Ratio eſt, quia voces, de de quibus agitur, *Res generans*, dicunt eſſentiam, non quidem ſimpliciter & in ſe ſumptam, ſed reduplicativè, prout eſt idem cum perſona Patris; ac proinde mirum non eſt, quòd ea nomina pro perſonis ſupponant, ſiquidem abſtracta non ſunt, ſed concreta: dicunt enim eſſentiam prout eſt in Patre. Vide S. Tom. 1. p. q. 39. art. 5. ad quintum argumentum.

CAPUT II.

Utrum nomina eſſentialia concreta ſupponant pro perſonis.

CONCL. Nomina eſſentialia concreta pro perſonis ſupponunt.

Probatur. Deus eſt nomen eſſentiale concretum: ſignificat enim divinam eſſentiam ut in habente, quippe vox, *Deus*, nihil aliud eſt, quam habens divinitatem: atqui nomen, *Deus*, ſupponit pro perſona: ſiquidem illud nomen pro perſona ſupponit, cui tribuuntur generatio tum activa tum paſſiva: ſcilicet (ut non ſemel dictum eſt) eſſentia in ſe ſumpta, nec generat, nec generatur: atqui nomini, *Deus*, tribuuntur generatio, tum activa, tum paſſiva; hæc enim in Symbolo leguntur: *Deum verum de Deo vero:* hæc etiam apud Auguſtinum lib. 15. de Trinit. c. 14. *Verbum ergo Dei Patris unigenitus Dei Filius, per omnia Patri ſimilis & æqualis, Deus de Deo, lumen de lumine, ſapientia de ſapientia, eſſentia de eſſentia*, &c.

Objicies 1. In hac propoſitione, *Deus creat*, nomen, *Deus*, ſupponit pro eſſentia, non autem pro perſona: ſiquidem vox, *Creat*, non eſt terminus relativus, aut notionalis, ſed abſolutus: ergo nomina concreta eſſentialia non ſupponunt pro perſonis.

Reſp. conc. ant. diſt. conſeq. Ergo nomina concreta eſſentialia non ſupponunt pro perſonis per accidens, conc. conſeq. per ſe, neg. conſeq. Nomina concreta, per ſe, hoc eſt, in ſe conſiderata, ſignificant perſonas, quia (ut dictum eſt) ſignificant naturam divinam ut in habente: per accidens tamen ſignificant eſſentiam, cùm nimirùm aliquid additur, quod illa nomina ad ideam eſſentiæ determinet. Ejus autem generis eſt vox *Creat*, ſeu determinat vocem, *Deus*, ut pro eſſentia ſupponat.

Inſtabis. Vox, *Creat*, ſignificat actionem: atqui voces, quæ ſignificant actionem, ſupponunt pro perſona, quia (ut ajunt) actiones ſunt ſuppoſitorum: ergo, &c.

Reſp. conc. maj. diſt. min. Voces, quæ ſignificant actionem, ſupponunt pro perſona, minùs præcipuè, & indirectè, conc. min. præcipuè & directè, neg. min. Actio præcipuè ac directè ſignificat formam, ratione cujus effectus producitur, minùs verò præcipuè ac indirectè perſonam, quia perſona non per ſe, ſed tantùm per formam, quæ in ea veluti in ſubjecto recipitur, operatur: proindeque cum perſonæ divinæ non agant ad extra ratione ſui; neque enim Pater v. g. ut Pater eſt, mundum produxit, ſed tantum ratione Deitatis, neceſſe eſt, ut actiones ad extra præcipue ſignificent eſſentiam divinam, minùs verò præcipue perſonas, in quibus ſupponitur exiſtere.

Objicies 2. Si vox, *Deus*, quæ nomen eſt concretum pro perſona ſupponeret, iſta propoſitio, *Unus Deus eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus*, eſſet falſa: ſed abſurdum eſt conſequens: ergo, &c. Probatur maj. Propoſitio, de qua agitur, eſt omninò idem cum iſta, *Una perſona eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus:* in iſta enim, ſicut & in illa, perſona eſt ſubjectum propoſitionis, idem pariter eſt prædicatum: atqui hæc falſa eſt: ergo & illa.

Reſp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. pariter maj. Ad 3. diſt. ant. In iſta propoſitione perſona eſt ſubjectum diverſo modo, quo in alia, conc. ant. eodem modo, neg. ant. in iſta: *Perſona eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus*, vox perſona, quæ eſt ſubiectum, determinate ſumitur, hoc eſt, pro una tantùm perſona: è contra verò in iſta alia: *Unus Deus eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus*; vox *Deus*, ſupponit pro perſonis indeterminatè, ita ut ſenſus ſit, tres perſonas, quæ unam habent eſſentiam eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum.

Quæres, utrum ſint aliquæ regulæ ad cognoſcendum, quandonam vox, *Deus*, in aliqua propoſitione ſupponat pro perſona, & quandonam pro natura?

Reſp. plures eſſe regulas, quibus cognoſci poteſt, quandonam vox, *Deus*, aut pro perſona, aut pro natura ſupponat. Eas autem regulas Sylvius ad ſubſequentes reducit.

Regula I.

Quando huic nomini, *Deus*, nihil adjungitur, quod ejus ſignificationem reſtringat vel determinet, ſupponit pro natura communi, ſive pro illo ſingulari ſimpliciſſimo, quod eſt natura divina ut communis, imò ut realiter idem cum tribus perſonis; ac per conſequens æque principaliter, & primò ſupponit pro perſona ac pro natura, ut videre eſt in hac propoſitione: *Soli Deo honor & gloria.*

Regula II.

Quando iſti nomini, *Deus*, tribuitur actus eſſentialis, qui perſonis convenit ratione eſſentiæ, tunc nomen, *Deus*, principaliter, ac primariò ſupponit pro eſſentia; minùs autem principaliter, & ſecundariò pro perſonis; ut in hac propoſitione, *Deus creat:* nam creare non convenit Patri, quia eſt Pater; aut Filio, quia Filius eſt: ſed ſingulis perſonis competit ratione divinæ naturæ.

Regula III.

Quando eidem nomini, *Deus*, tribuitur talis actus, vel proprietas eſſentialis, quæ convenit eſſentiæ ſecundùm quod ipſa diſtinguitur a perſonis, tunc ſupponit tantùm pro eſſentia: ut in his propoſitionibus, *Deus eſt communis tribus perſonis*, *Deus eſt Trinus*, *Deus eſt Trinitas*, videre eſt.

Regula IV.

Quando eidem nomini, *Deus*, tribuitur actus, vel proprietas notionalis, tunc ſupponit pro perſona, eaque vel una, vel pluribus, ſecùndùm quod exigit proprietas ipſi attributa. Unde in hac propoſitione, *Deus generat Deum*, ſubjectum ſupponit pro perſona Patris, & prædicatum quo perſona Filii:

In ista verò, *Deus spirat Deum*, subjectum supponit pro Patre & Filio, prædicatum verò pro solo Spiritu sancto. H ctenùs laudatus Author.

Tota fuit hæc sexta Dissertatio n assignandis, exponendisque terminis, quibus, cùm de Trinitate loquimur, uti debemus, ne dicendi modus aut Sabellii, aut Arii, aut M cedonii erroribus faveat; nempe præ oculis habuimus verissimam hanc Augustini de hocce mysterio agentis sententiam lib. 1. de Trinitate, cap. 3. *Nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur*. Sed hæc de tanto mysterio sint satis.

Secundæ Partis Institutionum Theologicarum Finis.

IN-

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PARS TERTIA.

De Deo Creatore.

IN duplici nostrarum Institutionum priore Parte secuti S. Thomæ methodum, Deum in se, hoc est, prout est unus in essentia, & trinus in personis, perpendimus: in hac, quæ tertia est, de eo, prout per creaturarum productionem veluti exit a semetipso, disseremus,

Cum autem inter creaturas nonnullæ sint, quæ sunt omninò spirituales, ut Angeli; aliquæ prorsùs materiales, ut corpora; aliæ verò ex spiritu & corpore constantes, ut homo; necesse est, ut hanc operis nostri partem in tres dissertationes dividamus. In priore dicemus de Angelis; in altera de aspectabilis hujus Universi productione; & in tertia de homine, ad cujus usum condita sunt omnia, quæ sub sensu cadunt.

DISSERTATIO PRIMA.

De Angelis.

Not. ANgelorum nomine intelligimus substantias, quarum species inter Deum & hominem media sit; ita ut Deo sit inferior, & superior homine. Quæ autem ad ejusmodi substantias pertinent, reduci possunt ad earum existentiam, naturam, authorem, proprietates, meritum, peccatum, ordines.

QUÆSTIO PRIMA.

De existentia Angelorum.

Not. 1. PLures ex veteribus Philosophis negarunt Angelorum existentiam. Ejusmodi autem erroris hancce causam tradit S. Thomas 1. p. q. 50. art. 1. *Ignorantes* (inquit) *vim intelligendi, & non distinguentes inter sensum & intellectum, nihil esse existimaverunt in mundo, nisi quod sensu & imaginatione apprehendi potest. Et quia sub imaginatione non cadit, nisi corpus, existimaverunt, quod nullum ens esset, nisi corpus.* Sadducæi inter Judæos in eundem errorem impegerunt: nempè palmarium erat apud ipsos principium, nullum ens creatum existere, quod corpus non esset: *Sadducæi dicunt* (verba sunt Scripturæ, Actorum 23.) *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum.*

Not. 2. Ut in capite, de quo agitur, Philosophos confutemus, ex naturali ratione petenda sunt argumenta; èc contra ut impugnemus Sadducæos, proferendi sunt Scripturarum textus, & quidem præcipue ex quinque libris Moysis, quos solos (ut scribit Hieronymus in caput 28. Matthæi) inter divinos admittebant. Igitur quærendum est 1. utrum Angelorum existentia possit probari ratione naturali: 2. utrum ex Scriptura demonstrari possit.

CONCLUSIO 1. Angelorum existentia, probabiliter quidem, sed non demonstrativè, potest ostendi ratione naturali.

Probatur prior pars 1. Conveniens fuit, ut Deus creaturas produceret, quæ remanentes in esse creaturæ, ejus essent speciei, quæ Deo perfectè similis esset: Id enim Universi à Deo creati decus expetere videbatur. Atqui Angeli, ex suppositione quòd existant, sunt ejusmodi; scilicet intellectu & voluntate præditi sunt, & prætereà materiæ cujuslibet sunt expertes: ergo, &c. Desumptum est illud argumentum ex S. Thoma 1. p. q. 50. art. 1. in Corpore. 2. Ipsis sensibus patet, Energumenos existere, seu homines, qui ea faciunt, aut dicunt, quæ probant eos ab aliqua superiore intellectuali causa moveri; scilicet illi homines ignotis linguis loquuntur, res maximè absconditas retegunt, narrant, quæ in dissitis regionibus aguntur: atqui ea causa superior est Angelus; neque enim, quæ mox relata sunt, homo per se facere potest; ea quoque Deus non operatur, cum plerumque contingat, homines illos obsessos, licèt alioquin pios, in enormes blasphemias erumpere: ac proindè causa illa superior non est alia, quàm Angelus nequam.

Probatur altera conclusionis pars. *Primò*, ut ratione naturali, quæ sit à priori, seu per causam, demonstretur Angelorum existentia, necesse est, ut ostendatur, eam necessariò sequi ex Dei existentia, ita ut hoc enthymema sit verum: *Deus existit; ergo existunt Angeli*; atqui Angelorum existentia non sequitur necessariò ex Dei existentia: siquidem Angeli non necessariò, sed liberè a

Deo

Deo creati sunt: nec mirum; illius enim tum ejus: tum beatitudo nequaquam ab Angelorum esse dependent.

Secundo, existentia Angelorum demonstrari non potest demonstratione, quæ sit a posteriori, seu ex effectis: Argumentum enim, quod petitur ex convenientia, non est demonstrativum, sed probabile tantùm: scilicet Dei respectu, nec est conveniens, ut producatur creatura, quæ perfectè, in quantùm creatura potest, esse Dei repræsentet. Non majorem habet vim aliud argumentum, quod ab energumenis desumptum est: ea enim, quæ in iis facultatem naturalem superare videntur, absolutè loquendo, aut in Deum, si per se mala non sint, aut in hominis corruptionem, si mala sint, refundi possunt.

Objicies. Nonnulli Philosophi agnoverunt Angelorum existentiam. Plato tum in Timæo, tum in Convivio, sæpius Angelorum meminit, eosque inter Deum & hominem medios facit. Aristoteles lib. 8. Physicorum scribit, astra ab Angelis moveri: ergo existentia Angelorum sola ratione naturali potest ostendi.

Resp. dist. conseq. Existentia Angelorum sola naturali ratione potest ostendi probabiliter, conc. conseq. demonstrative, neg. conseq. Solutio patet ex iis, quæ hucusque dicta sunt. Addendum est, Platonem ex Moysis pentateucho, quem, Augustino teste, legerat, Angelorum existentiam desumpsisse.

CONCLUSIO 2. Angelorum existentia potest adversùs Sadducæos Scripturis demonstrari.

Probatur 1. Non est dubium, quin ex novo testamento demonstretur Angelorum existentia: *Angeli eorum* (ait Christus Matthæi 18.) *semper vident faciem Patris*. Apostolus ad Hebræos 1. docet, Christum ideò esse majorem Angelis, quòd isti sint administratorii spiritus; ille è contra sit Dei Filius: *Tanto* (inquit) *melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*. Hinc Augustinus concludit, fas non esse, Sanctorum illorum spirituum existentiam in dubium revocare: *Angelos* (ait in Psal. 103.) *novimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus, & tenemus: nec inde dubitare fas nobis est*.

2. Non minùs efficacia argumenta peti possunt ex Pentateucho Moysis, quem solum inter veteris testamenti libros admittebant Sadducæi. Geneseos cap. 16. Angelus Domini Agari persuadet, ut redeat ad Abrahami domum. Capite 19. Duo Angeli Sodomam proficiscuntur, & apud Loth Abrahami nepotem hospitantur. Capite 24. Abrahamus famulum suum mittens in Mesopotamiam, sic loquitur, *Dominus Deus Cœli mittet Angelum suum coram te*. Eorum quoque fit mentio Exodi 14. Numerorum 22. unde sic arguitur: Illi existunt, de quibus tanquam de personis existentibus Pentateuchus loquitur; atqui Pentateuchus de Angelis loquitur tanquam de personis existentibus: ergo, &c.

Dices cum Sadducæis, Pentateuchum Angelorum nomine non intelligere spiritus, personas, aut substantias per se subsistentes; sed inspirationes occultas, quibus quasi Dei nunciis homines de Dei voluntate certiores facti fuerint.

Verum facilè refelli potest ea responsio. Siquidem Pentateuchus non minùs, quam alii veteris testamenti libri, de Angelis tanquam de personis, sive substantiis per se subsistentibus, loquuntur: nimirùm eis facta, ac officia tribuunt, quæ solis personis, non autem meris animi cogitationibus, convenire possunt; v. g. cum dicunt Angelos aliquibus apparuisse Patriarchis, in via fuisse comites sub humana specie latentes, cum hominibus manducasse, Dei ministros esse, nonnunquam beneficiis homines cumulasse, aliquando verò castigasse pœnis.

Objicies 1. cum Sadducæis. Si Angeli essent personæ, seu substantiæ per se subsistentes, Moyses Genesis 1. recensens Mundi ac partium ejus creationem, debuisset Angelorum mentionem facere: scilicet periculum alioquin fuisset, ne Judæi, pro quibus præsertim Genesis scribebatur, ex illo Moysis silentio colligerent, Angelos non fuisse creatos; ac proinde Deos esse, quibus divinus cultus deberetur: atqui Moyses rerum creationem describens, Angelorum mentionem non facit: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia ut idololatriæ periculum Judæi eriperetur, satis fuit earum rerum creationem expressè recensere, quæ idololatriæ causam præbere potuissent: at ejusmodi erant solæ res corporeæ, ut Sol, Luna, Stellæ, ejusque generis alia: compertum est enim præteritorum temporum experientia, Judæos non ad rerum insensibilium, ut sunt anima & Angelus, sed tantùm ad rerum, quæ sub sensus cadunt, adorationem fuisse propensos. Præterea par fuit, ut Moyses apud Judæos merè carnales de spiritualibus, ut sunt Angeli, sileret. *Nihil* (inquit Chrysostomus hom. 2. in Genesim) *de invisibilibus virtutibus* (expressè) *differit, neque dicit. In principio fecit Deus Angelos, vel Archangelos. Non simpliciter neque temerè hanc nobis doctrinæ viam paravit: Judæis enim loquebatur, qui toti præsentibus rebus inhiabant, neque spirituale quidquam comprehendere valebant. Itaque eos à sensibilibus ad cognoscendum Universi opificem inducit*.

Instabis. Moyses, qui rerum creationem Genesis cap. 1. describens, de Angelis tacuit, sæpius in aliis ejusdem libri capitibus de eis loquitur: ergo ne Judæis viderentur Dii, Moyses eorum creationem antea expressè recensere debuisset, si Angeli aliud sint, quam cognitiones a Deo hominibus infusæ.

Resp. neg conseq. Ratio est, quia Moyses, cum postea de Angelis loquitur, ea dicit, quæ lectorem determinent ad judicandum, Angelos non esse Deos, sed creaturas: scilicet eorum mentionem non facit, nisi tanquam ministrorum, ac nunciorum unius ac veri Dei; unde licet à Moyse ad Sadducæos usque Judæi omnes Angelorum tanquam substantiarum per se subsistentium existentiam agnoverint, nusquam tamen leguntur divinum eis cultum exhibuisse.

Objicies 2. Illi non existunt, quorum nomen non est nomen personæ, sed nuncii tantùm; atqui nomen Angelorum non est nomen personæ, sed nuncii tantùm, juxta illud Augustini lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 19. *Nuncii, Græcè, Angeli dicuntur*; unde Christus Matthæi 11. docet, Joannem Baptistam esse illum, qui Malachiæ 3. hisce verbis dictus fuerat Angelus: *Ecce ego mitto Angelum meum*: ergo, &c.

Respondet Estius, asseritque 1. quod quamvis apud Græcos Authores Angelus sit nomen officii, apud Hebræos tamen ei, substantiæ, ac personæ nomen respondeat.

Asserit 2. quod etsi, *Angelus*, officii nomen esse supponatur, inde tamen colligi non possit, Angelum non esse personam: quemadmodum ex Oratoris, aut legati nomine colligi non potest, eum, qui Oratoris, aut Legati munere fungitur, non esse personam, aut substantiam, quæ per se subsistat.

Asserit 3. ideam, quæ tum in Scripturis, tum in Patribus voci, *Angelus*, respondet, esse ideam, quæ non officium tantùm, sed personam officio fungentem menti exhibeat; unde (ut jam dictum est) Augustinus lib. 5. in Genesim, cap. 19. sic loquitur: *Nuncii, Græcè, Angeli dicuntur: quo nomine generali universa illa superna Civitas nuncupatur*.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De Angelorum natura.

Not. UT cum methodo quæstio de Angelorum natura pertractetur, quærendum est 1. utrum Angeli natura sint spirituales, 2. an sint immortales, 3. utrum omnes Angeli specie differant.

CAPUT I.

Utrum Angeli natura sint spirituales.

Not. 1. DUobus modis res aliqua dici potest spiritualis. Primò, quod ipsa non sit corpus: secundò, quod per se nullum ordinem dicat ad corpus, ita ut neque sit corporis forma, seu cum eo, tanquam materia, compositum efficiat; neque eo, tanquam instrumento, ad suas operationes indigeat: hic igitur est exponendum, utrum Angelica substantia sit eo duplici modo spiritualis.

CONCLUSIO 1. Angelica substantia est spiritualis, prout spirituale opponitur corpori.

Probatur. Substantia intelligens & volens, est spiritualis, sumendo spirituale prout opponitur corpori; atqui substantia Angelica est intelligens & volens: ergo, &c. Minor est certa; unde probatur major. Corpus nec intelligere, nec velle potest: id enim nec intelligere nec velle potest, quod capax est solius motus localis: sed corpus, quantumcumque subtile supponatur, capax est solius motus localis, nempè præter illam capacitatem nihil in eo concipimus: ergo, &c.

Objicies. Augustinus pluribus in locis docet Angelos esse corporeos; atqui sic voluit eos esse corporeos, ut nihil sit in eis spirituale: si enim credidisset, spirituale quid eis inesse, dixisset esse in Angelis animam, quemadmodum dicitur esse in homine, qui spiritu & corpore constat: sed Augustinus nusquam dixit animam in Angelis esse; imò libro secundo Retractationum cap. 11, quòd in calce libri sexti de Musica, Angelos appellasset *animarum beatarum atque sanctarum* vocabulo, sic corrigit: *Quando quidem hic nonnisi Angelos sanctos intelligi volui; quos habere animas nusquam me legisse in divinis eloquiis, canonicisque recolo*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. maj. Ratio est, quia ea fuit Augustini consuetudo, ut substantiis, de quibus Scriptura loquitur, non alia nomina tribueret, quam quæ Scriptura eis tribuit; unde quòd Scriptura Angelos nusquam appellarit *animarum* nomine, ideò S. Doctor lib. 2. Retractationum corrigit eum loquendi modum. Jam verò Augustinum nusquam censuisse, Angelicam substantiam non aliud esse, quam corpus, demonstrari potest ex eo, quod innumeris in locis docuerit, Angelorum naturam multò esse excellentiorem humana: at id in suppositione, de qua agitur, falsũ esset; nempe lib. 3. de Anima, & ejus origine, ad Renatum cap. 5. Vincentium Victorem redarguit, quod asseruisset animam hominis esse corpus: *Quod vero* (inquit) *eam non spiritum, sed corpus esse contendit, quid aliud vult efficere, quam nos non ex anima & corpore, sed ex duobus, vel etiam tribus constare corporibus?*

CONCLUSIO 2. Angelorum substantia non constat ex spiritu & corpore.

Probatur 1. ex Scriptura. Sacri codices Angelos vocant Spiritus: Hæc enim habentur Psal. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus*; quem quidem locum Apostolus ad Hebræos 1. exponit nõ de ventis, quos tamen aliunde constat esse aliqua ratione Dei nuncios, sed de Angelis: *Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Hæc iterum ad Hebræ 1. 1. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus?* Sic etiam idem Apostolus ad Ephesios 6. de spiritibus nequam loquitur: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus*: Atqui iis locis Spiritus nomine intelligitur substantia, quæ non constat ex spiritu & corpore. Nam 1. iis in locis Scriptura per synecdochen, hoc est, sumendo partem pro toto, non loquitur; scilicet nihil adjungit, quod Spiritus nomen ad incompletam substantiam restringat. 2. Scripturæ, cum Angelos vocant Spiritus, de iis eodem modo loquuntur, quo de hominibus, eos nimirum spiritus exhibent nobis tanquam personas, quæ Dei nomine quibusdam ministeriis funguntur: ergo, quemadmodum hominis nomine, Scripturæ completam substantiam intelligunt; ita & nomine Spiritus cum Angelos eo nomine designant. 3. Si Spiritus una esset Angelicæ substantiæ pars, & corpus altera, Scriptura alicubi proprio nomine expressisset completam illam substantiam, ex spiritu & corpore constantem, sicut innumeris in locis, cum de homine loquitur, asserit eum ex anima & corpore constare; atqui Scriptura, cum de Angelis loquitur, nullibi proprio nomine expressit completam illam substantiam, quæ ex spiritu & corpore constet: ergo Spiritus nomen sumpsit pro completa ac integra Angelorum natura.

Probatur 2. ex Patribus. Ignatius Martyr in Epistola ad Trallianos, Angelos vocat *incorporeas naturas.* Basilius libro de Spiritu sancto cap. 1. ut probet, omnem substantiam creatam esse obnoxiam mutationi, utitur argumento petito tum ex substantia corporea, tum ex incorporea, atque Angelum hujus esse, hoc est, substantiæ incorporeæ. Gregorius Nyssenus lib. 12. contra Eunomium, Angelos pariter nominat *incorpoream creaturam.* Eusebius Cæsariensis lib. 4. de Demonstratione Evangelica, cap. 1. scribit, *incorporeas quasdam & intelligentes ac divinas virtutes esse Angelos & Archangelos, materia carentes & puros omninò spiritus.* Chrysostomus eadem ratione loquitur hom. 22. in Genesim, & prima in Matthæum. Theodoretus quæstione 20. in Genesim, hanc affert rationem, cur homo ideò non sit imago Dei, quod sub sensus non cadat: *Alioquin* (inquit) *potiùs imagines Dei vocarentur Angeli & Archangeli, & omnes incorporea, utpotè corporibus vacua, & sine ulla mixtione minimè aspectabiles.* Joannes Damascenus lib. 2. de Fide c. 3. Angelum definit *Substantiam intelligentem, materia atque corporis expertem.* Idem apud Dionysium, si tamen author sit libri de cœlesti hierarchia, videre est.

Laudatis Græcis Patribus subscribunt plures Latini. Hieronymus in Epistola ad Avitum refellit Origenem, quòd docuisset, *dæmones ob delicta aereis corporibus esse vestitos.* Leo Magnus in Epistola ad Turibium, cap. 6. scribit, *fidem veram, quæ est Catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporearum, bonam confiteri substantiam.* Gregorius Magnus in quarto Moralium cap. 19. conceptis terminis asserit, Angelos cujusque corporis expertes esse: *Angelus namque* (ait) *solummodo spiritus est: homo verò & spiritus est & caro.* Concilium Lateranense IV. idem, quod mox laudati Patres, sensit de Angelorum natura: *Creator omnium* (inquit cap. 1. de Fide Catholica) *qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Qui post Lateranense Concilium scripsere Scholastici, in eandem abierunt sententiam, seu docuerunt, Angelos esse corporis expertes, uno tamen excepto Cajetano, qui in Annotationibus ad secundum caput epistolæ ad Ephesios, scribit, dæmones (de sanctis autem Angelis idem non docet) ex spiritu & subtili quodam corpore compositos esse.

Ex

Ex iis verò tum Græcorum, tum Latinorum Patrum textibus sic conficitur argumentum: Illi censuerunt, Angelos non esse substantias ex spiritu & corpore constantes, qui eos vocarunt incorporeas naturas; qui dixerunt, eos carere materia; corporibus esse vacuos; materiæ atque corporis expertes; eos esse merè spirituales: atqui Patres tum Græci, tum Latini sic Angelos vocarunt, dixerunt eos ejusmodi esse: ergo censuerunt, eos non esse substantias ex spiritu & corpore constantes.

Probatur 3. rationibus. Primò, si Angeli habeant corpora, specie ab hominibus non differunt: neque enim subtile & crassum specie differunt. 2. Quoties Angeli è cœlo in terram mittuntur, aut cœlum divideretur, aut fieret corporum penetratio. 3. Angeli moventur in instanti, aut saltem motu maximè celeri; ac proinde, si corpus habeant, necesse foret, aerem, quem pertranseunt maxima celeritate dividi, & postea claudi: at nec dividitur, nec posteà clauditur; id enim fieri non posset sine magno sonitu & ingenti sibilo, quem tamen nusquam percipimus, quamvis Angelorum & Dæmonum motus frequentissime contingant. 4. Vix concipi posset, quomodo integra Dæmonum legio unum hominem (ut habetur Lucæ 6.) obsedisse potuerit.

CONCLUSIO 3. Angeli non indigent corpore tanquam instrumento, per quod suas naturales operationes eliciant.

Probatur. Naturales Angelorum operationes sunt intellectio & volitio: sed Angeli corpore tanquam instrumento non indigent, ut eliciant intellectionem & volitionem: non minùs enim independenter a corpore duplicem illum actum eliciunt, quam animæ a corporibus per mortem separatæ: animæ verò a corporibus separatæ eliciunt intellectionem & volitionem: ergo, &c.

Solvitur argumentum ex Scriptura petitum.

Objicies. Qui commisceri possunt cum mulieribus, ex eisque filios generare, verum habent corpus: atqui Angeli commisceri possunt cum mulieribus, ex eisque filios generare; id enim contigisse probant hæc verba Genesis 6. *Videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.* Nempè nomine, *filii Dei*, intelliguntur Angeli, tum quòd ii filii Dei opponantur filiabus hominum, tum etiam quòd loco, *filii Dei*, plures ex codicibus Septuaginta Interpretum legant *Angelos Dei*, licèt non omnes, ut hisce verbis docet Augustinus lib. 15. de civitate Dei, cap. 23. *Septuaginta Interpretes, & Angelos Dei dixerunt istos, & filios Dei, quod quidem non omnes codices habent; nam quidam nisi filios Dei habent*: tum denique quòd in libro Enoch, ii filii Dei vocentur Angeli. Quamvis autem ille liber Enoch non sit unus è Canonicis, non levis tamen est ponderis, cum Judas Apostolus in sua Epistola canonica testimonium ex eo desumpserit: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. seu per hæc verba, *Filii Dei*, Angelos intelligi. Ratio est 1. quia intelligi non possunt Angeli sancti: Ii enim (dicente Christo Matthæi 20) neque nubunt, neque nubuntur. Non possunt quoque Dæmones intelligi, cum Dæmones nusquam in Scripturis appellentur filii Dei. Præterea de iis intelligi non possunt voces, *Filii Dei*, quorum peccata non fuerunt diluvii causa. Moyses Genesis sexto capite narrare voluit causam, quæ Deum impulit ad perdendum genus humanum diluvio: atqui non Angelorum, sed hominum peccata fuerunt causa diluvii: *Videns autem Deus*, (inquit Moyses) *quòd multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ.*

Nec obstat, quòd aliqui codices loco, *Filii Dei*, legant, *Angeli*: (ut relatum est ex Augustino) non enim omnes codices sic legunt, sed aliqui tantùm. Præterea Cyrillus lib. 9. adversùs Julianum emendatiorem censet lectionem, quæ habet *Filios Dei*, quam quæ habet, *Angelos Dei*.

Nullius pariter est roboris, quod ex Enoch libro laudatur, scilicet apocryphus est liber ille, nec eum reddidit canonicum Judas Apostolus; siquidem librum non laudat, sed prophetiam, quæ voce tantùm, ac majorum traditione accepta esse potuit. *Prophetavit* (inquit) *& de his septimus ab Adam Enoch*. Præterea in libris apocryphis non omnia sunt dubiæ fidei: Igitur Judas Apostolus, spiritu quo ad scribendum agebatur, judicare potuit, sententiam quam laudavit, vere probatam fuisse ab Enoch, quamvis cætera, quæ in eodem libro continentur, minime probaverit.

Dicendum est igitur vocibus illis, *Filii Dei*, quæ Genesis capite sexto leguntur, intelligi filios Seth, idque (ut ait Jansenius in hunc locum) sive propter præstantiam corporis non enervati libidinibus, sive potiùs propter animum in pietate & veri Dei cultu constantem; filias hominum esse filias Cain, quia tanquam caro & sanguis nihil nisi humana & terrena cogitabant. Hi ergo (prosequitur idem Author) cum hactenus cognationi Cain tanquam a Deo maledictæ non permiscerentur, pulchritudinis libidine victi, desertaque avita pietate, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, id est, quæcumque sibi placuisset accipere, quo indicari videtur, eos nec a violentia abstinuisse. Unde cùm earum quoque perversissimos mores discerent, sicut Israelitæ Madianitarum, dixit Deus: Non permanebit spiritus meus, id est, flatus ille, seu spiraculum vitæ, quòd eis inspiravi, non manebit amplius in hominibus istis successione perpetua, sed brevi delebo eos diluvio. Hactenus laudatus Scriptor in suo in Genesim Commentario.

Solvitur argumentum petitum ex Patribus.

Objicies 1. Multi Patres docuerunt, Angelos esse substantias ex spiritu & corpore constantes.

Primò, nonnulli scripserunt eos, qui in cœlis sunt, ignoto quidem, sed tamen materiali cibo, quem Scriptura panem Angelorum vocat, nutriri; eos, vero qui huicce inferiori mundo præpositi sunt, sese cum mulieribus commiscuisse, ex eisque genuisse Dæmones. Ita Justinus quoad utramque partem in Dialogo cum Tryphone; ita etiam quoad postremam Athenagoras initio Apologiæ, Clemens Alexandrinus lib. 8. Stromatum, cap. 3. Tertullianus lib. de cultu feminarum cap. 10. Lactantius Institution. lib. 2. cap. 14. Ambrosius in Apologia Davidis cap. 1. nec non plures alii, sive secundi, sive tertii, sive quarti sæculi Scriptores.

Secundò, alii, licèt negarint illud Angelorum cum mulieribus commercium, contenderunt tamen, Angelos habere corpora subtilissima, & non minùs quàm sit aer, in omnem motum flexibilia. Basilius in libro de Spiritu sancto cap. 16. sic loquitur. *Ideo & in loco sunt* (cœlestes virtutes) *& fiunt aspectabiles; in specie propriorum corporum iis, qui digni sunt, apparentes*. Cyrillus Alexandrinus libro nono in Joannem scribit, solum Deum *incorporeum* esse. Joannes Thessalonicensis hæc habet in Dialogo, qui in septima generali Synodo, Actione 5. lectus est: *Solus revera Deus incorporeus & incircumscriptus est. Intelligibiles verè creatura non penitùs incorporea sunt, & invisibiles, ut Deus. Ideò in loco sunt & circumscribuntur. Sicubi autem incorporeos appellari Angelos invenias, idcircò sic appellantur, quòd ex ma-*

teria-

terialium quatuor elementorum permixtione non constent, nec ejusmodi sint corpora crassa, & solida, qualia nobis circumfusa sunt.

Quæ ex Patribus Græcis mox laudata sunt, probarat Tertullianus lib. de Carne Christi, cap. 16. Ad ea alludit Fulgentius in libro de Trinitate, ubi referens antiquorum sententiam, sic loquitur: *Planè ex duplici eos esse substantia, asserunt magni, & docti viri, id est, ex spiritu incorporeo, & ex corpore.*

Augustinus in eam quoque propendet opinionem, quæ Angelis ætherea corpora tribuit. Lib. 2. de Trinitate, cap. 7. asserit, eos *corpus suum, cui non subduntur, sed subditum regunt, in species, quas velint, accommodatas vertere.* In Psal. 85. scribit, corpus hominis habere quidem vitam, dum homo in humanis agit; sed tamen dici posse mortuum, *comparatum corpori illi, quod futurum est, qualia sunt Angelorum corpora.* Epistola 115. interroganti Nebridio, quomodo potestates superiores nostram imaginationem movere possint, respondet, id fieri per earum in nostrum corpus sensibilem impressionem: *Nequaquam* (ait) *est absurdum eos, qui aerio, vel æthereo corpore aliquid in corporibus agunt, quæ naturali ordine penetrant, longè majore uti facultate ad movendum quidquid volunt.* Sermone 102. de Diversis, celerrimum Cœlorum motum comparat cum celeritate, qua corpus Angelicum movetur.

Ex iis autem Patrum textibus sic argui potest: Illi habent corpus, qui per sui cum mulieribus conjunctionem dæmones generarunt; qui sunt aspectabiles in specie propriorum corporum; qui nō crassa quidem, sed subtilia habent corpora; qui ex duplici substantia constant; qui pro libito corpus suum movent; qui in mentes nostras agunt per corporis sibi proprii in sensus nostros impressionem; qui sunt corporei: atqui (ut patet ex laudatis Patribus) Angeli sunt ejusmodi: ergo verum habent corpus.

Resp. 1. concessa maj. dist. min. Atqui Angeli sunt ejusmodi in sententia aliquorum Patrum, conc. min. in sententia majoris partis Patrum, neg. min. Antiqui Patres de quæstione, de qua agitur, variè senserunt. Nonnulli Platonica philosophia imbuti, Angelos (fatemur) crediderunt substantias esse, quæ sicut homo, ex spiritu & corpore constarent: Verùm alii, & quidem pars major (ut patet ex iis, quos ad nostræ conclusionis defensionem laudavimus) contrariam sententiam amplexi sunt.

Resp. 2. conc. maj. disting. min. Atqui Angeli sunt ejusmodi, ex Patribus, quorum aliqui de ea re dubitando locuti sunt, conc. min. qui non dubitando locuti sunt, neg. min. Augustinus, qui plura scripsit, quæ Angelico corpori faveat, pluribus tamen in locis dubitans ac veluti hæsitans ea de re loquitur. Enchiridii cap. 59. scribit difficillimam esse quæstionem de corporibus Angelorum. Lib. 1. Retractat. cap. 26. id, quod dixerat quæst. 67. inter octoginta tres, quosdam Angelos animalium adinstar vivere, retractat velut audacius ac sine fundamento dictū lib. 21. de Civit. c. 10. Cum enim dixisset, dæmonibus sua esse corpora, quæ constent ex aere, sic loquitur: *Si autem quisquam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est hac de re, aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum.* Idem S. Doctoris dubium legere est lib. 3. de Genesi ad litteram, cap. 10. ubi de Angelorum corporibus agens, conditionaliter loquitur: *Si hæc* (inquit) *ita sint.* Eandem sententiam tanquam dubiam exhibet quoque lib. 15. de Civit. cap. 23. nec non Epistola 157. veteris editionis.

Idem quoque dubium tenuit duodecimo sæculo Bernardum: hæc enim scribit lib. 5. de Consideratione, c. 4. *Et primò quidem cives spiritus esse illic potentes ...... corpore æthereos ...... Quanquam de corporibus horum, non modò unde sint, sed an aliquatenus sint, haret fomentis aliquorum. Unde si quis inter opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo.* Sermone 5. in Cantica fatetur, rem de qua hic agitur, & apud se & apud veteres esse dubiam: *Ceterum* (inquit) *Angelica corpora, utrumnam ipsis spiritibus naturalia sint, sicut hominibus sua ..... nolo ut à me requiratis. Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse, nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam, & nescire me fateor.*

Resp. 3. inter Scriptores, quibus placuit, Angelos esse compositos ex spiritu & corpore, numerari non debere eos omnes, qui dicunt Angelos esse corporeos: siquidem 1. vocem, *Corporeum*, non sumunt strictè, hoc est, pro substantia extensa in longum, latum & profundum; sed latè, id est, pro eo omni, quod loco definitur, seu quod ita est in uno loco, ut non sit alibi. Ratio est, quia vocem, *Corporeum*, plerumque opposuerunt immensitati divinæ: sic Cassianus Coll. 7. cap. 13. dicit, solum Deum esse incorporeum, *quia est ubique & omnia penetrat:* sic etiam Hilarius ad calcem libri x. de Trinitate, propter eandem rationem scribit, solum Deum esse Spiritum: *Spiritus* (inquit) *nec circumscribitur, nec tenetur, quia per naturæ suæ virtutem ubique est.* 2. Alii ex iisdem scriptoribus *Corporeum* sumpserunt pro eo omni, quod est compositum ex substantia & accidentibus, sive sit omninò spirituale, sive sit ex spiritu & corpore compositum; in eoque sensu dixerunt, solum Deum esse spiritum, & creata omnia esse corporea: *Comparatione quidem nostrorum corporum, Angeli spiritus sunt* (ait Damascenus lib. 2. de Fide Orthod. cap. 3.) *sed comparatione summi & incircumscripti spiritus, sunt corpus.*

Itaque ex tribus solutionibus ad argumentum datis patet 1. non omnes Patres, sed aliquos tantùm docuisse, Angelorum substantiam ex spiritu, & corpore constare; patet 2. plures ex iis, qui in eam sententiam propenderunt, eam non proposuisse tanquam certam, sed tanquam dubiam, de qua cuique pro libito licitum esset opinari; patet 3. inter eos Patres numerari non debere eos omnes, qui scripserunt, Angelos esse corporeos, cum id de eis non absolutè sumptis, sed comparative tantùm ad Deum nimirùm, dixerint.

Solvitur argumentum ex Concilio Nicæno II. petitum.

Objicies. In Concilio Nicæno II. Actione 5. lectus est Dialogus Joannis Thessalonicensis, in quo vir quidam sanctus cum Gentili disputans inducitur. In eo autem Dialogo Joannes ore Sancti, quem pro Christianis loquentem inducit, asserit 1. Angelos, & Archangelos esse corporeos, cum è contra solus Deus sit incorporeus: *Solus verè Deus* (inquit) *incorporeus & incircumscriptus est. Intelligibiles verò creaturæ non penitus incorporeæ sunt.* Asserit 2. eos, quòd corporei sunt, loco circumscribi posse: *Ideò in loco sunt, & circumscribuntur.* Asserit 3. quod textus, in quibus nonnulli Patres scribunt, eos esse incorporeos, intelligi debeant non de carentia cujuslibet, vel subtilis, corporis; sed crassi, solidi, & impenetrabilis, cujusmodi sunt ea, quæ constant ex quatuor elementorum commixtione. *Sicubi autem incorporeos appellari Angelos invenias, aut dæmones, aut animas, idcirco sic appellantur, quod ex materialium quatuor elementorum permixtione non constent, nec ejusmodi sint corpora crassa, & solida, qualia nobis circumfusa sunt.* Asserit 4. eos in proprio corpore nonnunquam ab hominibus visos fuisse: *In specie propriorum corporum visi sunt ab iis, quorum Deus oculos aperuit.* Asserit 5. Basilium, Athanasium, & Methodium ejusdem secum esse sententiæ. Ubi autem perlectus fuit Ille Joannis Thessalonicensis Dialogus, Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha sic locutus est: *Ostendit Pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt.* Tarasii dictum probavit tota Synodus: *Sancta Synodus dixit: Etiam Domine.*

Ex hactenus dictis sic argumentum conficitur. 1. Illi sunt corporei, quos Joannes Thessalonicensis asseruit esse corporeos. 2. Ii sunt corporei, quos Tarasius dixit hominibus apparuisse, loco circumscriptos esse, ac ob id posse pingi. 3. Ii sunt corporei, de quibus ad mentem Joannis Thessalonicensis & Tarasii Patriarchæ locuta est Synodus Nicæna II. Atqui Joannes Thessalonicensis asserit Angelos esse corporeos, Tarasius dixit eos hominibus apparuisse, posse loco circumscribi, ac ob id pingi posse; de Angelis ad mentem Joannis Thessalonicensis & Tarasii locuta est Synodus Nicæna II. ergo, &c.

Resp. 1. neg. priorem partem majoris propositionis. Nec enim privata sententia Joannis Thessalonicensis præferri debet Patribus & argumentis, quæ ad nostræ conclusionis probationem adducta sunt.

Resp. 2. dist. alteram ejusdem majoris propositionis partem. Ii sunt corporei, quos Tarasius dixit circumscribi & apparuisse in propria specie, conc. maj. in aliena specie, neg. maj. Tarasius hoc tantùm posteriore modo, non autem priore, dixit Angelos apparuisse: ait nimirùm, eos *hominum specie*, quæ haud dubie non est Angelis propria, multis apparuisse. Nec est quòd quis urgeat, Tharasium approbasse Joannis Thessalonicensis dialogum: siquidem illum non probavit quantum ad omnia, sed tantum quoad aliqua: hoc est, probavit quidem hocce Joannis dictum quoad substantiam sumptum: *Angelos circumscribi & apparuisse*, sed eum non probavit sumptum quo ad modum circumscriptionis & apparitionis; nempe tantum abest, ut dixerit Angelos in proprio corpore visos esse (ut dixerat Joannes Thessalonicensis) quin potius id expresse negarit, asserens, eas Angelorum apparitiones fuisse sub hominum specie.

Resp. 3. dist. tertiam ejusdem majoris propositionis partem. Ii sunt corporei, de quibus Nicæna II. Synodus locuta est ad mentem Joannis Thessalonicensis, quantum ad omnia, conc. maj. quantum ad aliqua tantum, neg. maj. Sancta Synodus id tantum in Joanne Thessalonicensi probavit, quod in ipso Tarasius probaverat, nempè immediatè post verba Tarasii, subjecit ista: *Etiam Domine*: ac proinde, cum (ut mox observatum est) Tarasius in Joanne Thessalonicensi probaverit tantum Angelos circumscribi & apparere; non probaverit verò, quòd in corpore sibi proprio circumscribantur, & appareant, non aliud quoque probavit sacra Synodus, dum Tarasio hisce verbis, *Etiam Domine*, subscripsit.

Confirmatur responsio ex scopo, quem sive Tarasius, sive Patres Nicænæ Synodi sibi proposuere: hoc unum adversùs Iconomachos intenderunt, *Licitum esse Angelos pingere*; id autem revera licere, sic ex Joanne Thessalonicensi collegerunt: *Licitum est eos pingere, qui circumscribuntur loco, & hominibus apparent; atqui Angeli circumscribuntur loco, & hominibus apparent: & quidem secundùm Joannis sententiam, in propria specie, secundùm nostram verò in aliena, scilicet humana: ergo, &c.* Hincque patet necessarium non fuisse, ut Patres secundæ Nicænæ Synodi Joannis de proprio Angelorum corpore dogma probarint, ut colligerent, eidem Joanni persuasum fuisse, licitum esse Angelos pingere.

Solvitur argumentum petitum ex apparitionibus Angelorum.

Objicies. Illi sunt incorporei, qui sub sensibili specie multoties hominibus apparuerunt; qui cum eis sunt collocuti; cum iis manducarunt, ac biberunt; atqui hæc omnia præstiterunt Angeli, ut patet ex variis Scripturæ textibus: ergo Angeli sunt corporei.

Respondeo 1. aliquando Augustinum dubitasse, utrum Angeli apparuerint in assumptis aliarum creaturarum corporibus, an verò in propriis, quæ pro libito in varias species, ac formas immutaverint: *Sed fateor* (ait lib. 3. de Trin. c. 1.) *excedere vires intentionis meæ, utrum Angeli manente spiritali sui corporis qualitate per hanc occultiùs operantes, assumant ex inferioribus elementis corpulentioribus, quod sibi coaptatum, quasi aliquam vestem mutent, & vertant in quaslibet species corporales, etiam ipsas veras, sicut aqua vera in verum vinum conversa est a Domino: an ipsa propria corpora transforment in quæ voluerint accommodata ad id, quod agunt.* Sed dubium illud non semper Augustinum tenuit; scilicet lib. 16. de Civit. Dei cap. 29. scribit, Angelos in assumptis corporibus apparuisse.

Respondeo 2. aliquos Authores scripsisse, Angelorum apparitiones, quarum Scripturæ mentionem faciunt, veras non fuisse, sed tantum phantasticas, quatenus nimirum Deus, Patriarcharum aliorumve, quibus Angeli dicuntur apparuisse, sensus ita movit, ut moti fuissent, si Angeli sub aliqua sensibili specie sese realiter præsentes exhibuissent. Sed admitti non debet illa responsio: Nam 1. ii, quibus Angeli dicuntur apparuisse, non unius sensus, sed plurium sensuum actione probarunt Angelorum præsentiam: Quæ autem multoties plurium sensuum testimonio comprobantur, ad imaginariam, & fictitiam apparentiam reduci non possunt: non enim alia ratione Christus suis Apostolis probavit, se post resurrectionem verum corpus habuisse. 2. Quod est tantum in imaginatione cognoscentis, ab omnibus indifferenter eodem modo non videtur: at Angeli eodem modo ab omnibus indifferenter visi sunt; scilicet ii, qui apparuerunt Abrahæ, a tota illius familia visi sunt: is, qui Tobiam comitatus est, passim ab omnibus videbatur.

Resp. 3. dist. maj. Illi sunt corporei, qui sub sensibili & propria specie apparuerunt, conc. maj. qui sub aliena specie, neg. maj. Angeli non apparuerunt in propria specie, seu in corpore sibi proprio, sed in alieno, humano nimirum: formarunt autem sibi corpus humanum ex aere circumstante, quem virtute, qua pollent in res creatas, in ossa, carnem, aliasve corporis humani partes condensarunt. Si quis verò roget, quas operationes Angeli exercuerint in corporibus assumptis, dicendum erit, quòd licet reales fuerint, vere enim cibum infuderunt ori, digesserunt in stomacho; non fuerint tamen vitales, eo quod profectæ non sint a principio vitali, quod quidem in homine non aliud est quam anima, quæ vere ac substantialiter unitur corpori; cum è contra Angeli accidentaliter tantum, hoc est, per quasdam exteriores operationes, ut nauta navi, corporibus assumptis uniti fuerint.

Quæres, utrum fidei sit Angelos esse incorporeos?

Respondent nonnulli, doctrinam, qua Angeli asseruntur penitùs incorporei, ad fidem pertinere. Nituntur autem præcipuè testimonio Concilii Lateranensis IV. quod quidem capitulo 1. sic loquitur: *Firmiter credimus, quod unus est solus verus Deus..... Creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.* Iis autem in verbis, (ajunt) angelica natura dicitur spiritualis per oppositionem ad entia, quæ mere corporea sunt, & per oppositionem ad hominem, qui ex spiritu & corpore constat. Nituntur iterum iis Scripturæ locis, in quibus Angeli, sive boni, sive mali, dicuntur spiritus, sicut Deus ipse spiritus vocatur.

Respondet Estius 1. temerarium esse asserere Angelos habere corpora: *Verum alii moderatius & rectius*

axisti-

existimant, his quidem argumentis effici, quò minùs absque temeritate aliqua post Lateranense decretum affirmari possit, Angelos esse corporeos aut habere corpora: satis enim evidenter ex decreto apparet, hanc fuisse mentem Patrum illius Concilii, quòd angelica creatura sit spiritualis. Respondet 2. quæstionem, de qua agitur, ad fidem non pertinere, eo quòd multi Patres ante Concilium Lateranense, & post ipsum plures Scholastici contenderint, articulum illum ad fidem minimè spectare: *Cæterum ab Ecclesia definitum esse & proinde ad fidem pertinere negant: Qua in sententia sunt S. Thomas, de malo quæst. de dæmonibus art. 1. Sixtus Senensis lib. 5. Bibliotheca sancta, annotat. 8. ubi profitetur, non obstante decreto Lateranensi malle se sequi Bernardi modestiam nihil de hac re pro certo definientis*. Respondet 3. Concilii Lateranensis intentionem in suo decreto constituendo non fuisse, ut definiretur, quasdam esse creaturas merè spirituales, alias merè corporeas, tertias ex spiritu & corpore constantes; sed hoc unum, Deum esse creatorem omnium, quæ sunt in Universo, tam eorum, quæ dicuntur corporalia & visibilia, quam eorum, quæ spiritualia & invisibilia, sive hæc prorsus corpore careant, sive alia generaliori ratione spiritualia & invisibilia dicantur. Respondet 4. datam explicationem probari posse 1. ex eo quòd decretum editum sit adversus Albigenses, qui secuti Manichæos, tunc contendebant, Deum non esse rerum omnium principium, sed quasdam esse a principio nequam, alias verò a bono principio, quod quidem Deum esse fatebantur: 2. ex eo quòd contrarium non ostendatur iis locis, in quibus Angeli simpliciter vocantur spiritus: sicut in sacris literis vocabulum *Spiritus*, interdum quibusdam corporibus tribuitur, ita & quædam corpora dicuntur invisibilia: *Unde patet* (verba sunt Authoris laudati) *argumentum, quod petebatur à distinctione visibilium & invisibilium, ad probandum aliquam creaturam esse prorsus incorpoream, non omninò certum esse secundum Scripturam sacram.*

CAPUT II.

Utrum Angeli sint immortales.

Not. IMmortalitas enti convenire potest, aut ab extrinseco, aut ab intrinseco. Convenit ab extrinseco, cùm petitur a causa extrinseca quæ entis corruptionem impedit; è contra convenit ab intrinseco, cum petitur ex ipsiusmet entis natura, quæ efficit, ne subjectum sit corruptionis susceptivum.

CONCLUSIO 1. Angeli sunt immortales ab extrinseco.

Probatur. Illi sunt immortales ab extrinseco, quorum corruptio semper impeditur à causa extrinseca: atqui Angelorum corruptio semper impeditur a causa extrinseca, Deo nimirùm, a quo in æternum conservabuntur; mali quidem, ut in æternum ardeant juxta illud Matthæi 25. *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*; nec non & juxta illud epistolæ Judæ: *Angelos, qui non servaverunt suum principatum, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Angeli, sancti semper quoque conservabuntur, ut cum hominibus prædestinatis parato sibi regno fruantur.

CONCLUSIO 2. Angeli sunt immortales ab intrinseco.

Probatur. Illi sunt immortales ab intrinseco, quorum natura corrumpi non potest: atqui Angelorum natura corrumpi non potest; siquidem 1. ea natura corrumpi non potest, quæ non est susceptiva principii corruptionis: sed natura Angelorum non est illius susceptiva; scilicet principium corruptionis est dissolutio partium, ejusmodi verò dissolutionis susceptiva non est Angelorum natura: cum enim sit omninò spiritualis, partes non habet, quæ à se invicem dissolvi possint. 2. Forma per se subsistens, hoc est, quæ non est in aliquo subjecto, nec exigit in eo esse, corrumpi non potest: atqui Angelorum natura est forma per se subsistens, seu habet esse independenter ab aliquo subjecto, in quo existat, aut in quo exigat existere: ergo, &c.

Objicies 1. In Scripturis immortalitas, quæ sit ab intrinseco, Deo soli, per creaturarum exclusionem, tribuitur: *Qui solus* (inquit Apostolus 1. ad Timoth. 1.) *habet immortalitatem*: ergo immortalitas ab intrinseco non convenit Angelis.

Resp. dist. ant. Immortalitas intrinseca, quæ sit independens, soli Deo tribuitur, conc. ant. quæ sit dependens, neg. ant. Se habet, Dei respectu, immortalitas, sicut se habet bonitas; ergo quemadmodum bonitas, quæ Deo soli tribuitur, *Nemo bonus, nisi solus Deus*, non excludit dependentem bonitatem, quæ in justis reperitur: ita nec immortalitas, quam Apostolus Deo tribuit, excludit dependentem & participatam immortalitatem, quam asseruimus Angelis convenire.

Objicies 2. Patres non semel asserunt, Angelos non natura, sed gratia tantùm, immortales esse. *Immortalis est Angelus* (inquit Damascenus lib. 2. de Fide Orthod. c. 3.) *non natura, sed gratia*. Ejus autem effati hanc rationem reddit: *Nam quidquid initium habuit, desinere suapte natura potest*. Sophronius Hierosolym. in Epistolâ quæ legitur in Actis sextæ Synodi, Act. 11. eadem ratione loquitur: *Immortales* (inquit) *perseverant Angeli, non quod naturam revera incorruptam habeant, sed quod gratiam divinitus sortiti sunt largitricem immortalitatis, & incorruptibilitatis conciliatricem*. Non absimili ratione alii Patres loquuntur.

Resp. dist. ant. Patres asserunt, Angelos esse immortales non natura, sed gratia, & nomine gratiæ intelligunt donum creationis, conc ant. & intelligunt donum supernaturale, neg. ant. Ratio est, quia Patres eam Dei gratiam, per quam, ut docent, Angeli sunt immortales, non minùs damnatis, quam beatis Angelis communem faciunt. Hic igitur est eorum sensus, Angelos non a se, sed à Deo per creationis donum immortalitatem habere; illud verò donum nomine gratiæ vocatur, quòd creaturæ nondum existenti minime debeatur.

Confirmatur ex Hieronymo, qui in Comment. in Epist. Pauli ad Titum, sic loquitur: *Et nisi fallor, quomodo solus habere dicitur immortalitatem, cum & Angelos & multas rationabiles fecerit creaturas, quibus dederit immortalitatem: ita & solus dicitur verax, non quòd & cæteri non immortales, & veritatis sint amatores: sed quòd ille solus naturaliter sit & immortalis & verus: cæteri verò immortalitatem & veritatem ex largitionis illius dono consequantur.*

Objicies 3. Illi non sunt immortales ex natura sua, quos Deus potest in nihilum redigere: nimirum qui in nihilum possunt redigi, perire possunt: atqui Deus potest Angelos ad nihilum redigere; nam potest desinere eos conservare, cum eos non necessariò, sed liberè conservet.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. qui possunt in nihilum redigi, perire possunt, ab extrinseco, conc. ant. ab intrinseco, neg. ant. Angeli ab extrinseco quidem perire possunt, quatenùs nimirum Deus potest eos non conservare; sed non possunt perire ab intrinseco, hoc est, eorum natura non est susceptiva principii corruptionis, seu actionis, per quam creatura aliquam in eis physicam corruptionem efficiat.

CAPUT III.

Utrum Angeli inter se specie differant.

Not. Circa difficultatem, de qua est quæstio, tres sunt Theologorum sententiæ. Nonnulli docent, Angelos omnes ejusdem esse speciei, & differre tantum secundum qualitates accidentales. Concedunt alii plures quidem, specie differre, eos nimirum, qui pertinent ad varios ordines, qui in Scripturis aut in Patribus recensentur, sed non omnes: ita ut sub eadem specie plura sint individua. Tertii tandem (ut videre est apud S. Thomam, quæst. 50. art. 4.) docent, singulos Angelos differre specie, ut etiam divinitus duo ejusdem speciei esse non possint.

CONCLUSIO 1. Utrum Angeli sint unius, aut diversæ speciei, quæstio est, quæ ad fidem minimè pertinent.

Probatur 1. Ea quæstio ad fidem minimè pertinet, quam Ecclesia nusquam definiit; atqui eam, de qua agitur, Ecclesia nusquam definiit: ergo, &c. 2. De eadem quæstione multo cum dubio præcipui Patres locuti sunt: *Et esse itaque sedes* (ait Augustinus lib. ad Orosium, contra Priscill. & Orig.) *dominationes, principatus, potestates in cœlestibus apparatibus firmissimè credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio, nec sanè ignorantia periclitari me puto.*

CONCLUSIO 2. Probabilior videtur sententia, quæ asserit, Angelos omnes ejusdem esse speciei.

Probatur. Ea sententia videtur probabilior, quæ propiùs accedit ad modum loquendi Patrum, scilicet (ut ostendimus superius) doctrina Patrum locus est Theologicus; atqui sententia, quæ docet, omnes Angelos ejusdem esse speciei, propius accedit ad modum loquendi Patrum: ergo, &c.

Maximus martyr in caput quintum Dionysii de cœlesti hierarchia, docet *Ousiam*, per quam Dionysius asseruit Angelos differre, non esse substantiam, sed hypostasim tantùm.

Basilius scribit, Angelos non differre natura, sed dignitate tantùm: *Angeli omnes* (inquit lib. 3. contra Eunomium) *ut appellationis unius, sic & natura omninò sunt ejusdem inter se.* Addit eos non alia ratione differre, quam Stellæ à se invicem discrepant: *Nam* (ait) *& Stella à Stella differt in gloria: natura verò Stellarum omnium est una.* Eodem modo loquitur Gregorius Nissenus ad calcem libri sexti contra Eunomium: *Non enim* (inquit) *ut Eunomio placet, illa, quæ à Paulo recensita sunt superiorum mundo virtutum nomina, naturas aliquas inter se differentes significant; sed appellationum significatio ipsa præcipuè demonstrat.*

Cyrillus Alexandrinus supponit tanquam principium, Angelos ejusdem esse speciei, ut probet, eos in Angelica natura nihil omninò differre: *Angelus* (inquit lib. 2. in Joannem) *ab altero Angelo nulla re differt secundum id, quod sunt Angeli: nempè pro eo, quòd cum sint ejusdem omnes speciei, in unam naturam colligantur.* Cyrillo subscribit Damascenus: *Angeli & homines* (ait in libro de duabus voluntatibus) *suam quique divisam, & distinctam habent hypostasim, etsi ejusdem naturæ sint.*

Ex Patrum textibus, qui hucusque laudati sunt, sic argumentum conficitur: illi senserunt Angelos omnes ejusdē esse speciei, qui docuerunt, eos hypostasi quidem, sed non natura differre; eos ejusdem esse naturæ; non magis discrepare, quam Stella ab alia Stella discrepat; eos eandem habere speciem, & ideò in unam naturam colligari; Atqui (ut ex relatis textibus patet) Patres id docuerunt: ergo senserunt, Angelos omnes ejusdem esse speciei.

Respondent Adversarii, Patres nominibus essentiæ, naturæ, intelligere essentiam, naturam, genericè non autem specificè communem; hoc est, laudati Patres hoc unum voluerunt, Angelos esse ejusdem essentiæ, ac naturæ in ratione creaturæ intellectualis, non vero in ratione differentiæ, quæ sub genere creaturæ intellectualis continetur.

Verum inanis est illa nonnullorum Thomistarum responsio. Nam 1. supponit Patres naturæ & essentiæ nomina sumpsisse incomplete, hoc est pro genere tantùm; non autem complete; id est, pro genere & differentia simul: id autem, præterquam, quod asseritur absque fundamento, est omninò falsum; siquidem cùm illa nomina simpliciter, & absolute proferuntur, complectuntur genus & differentiam subjecti, de quo prædicantur, alioquin dicendum esset, usitatum ac proprium esse loquendi modum, quo quis assereret, hominem & brutum, ejusdem esse essentiæ, ejusdem esse naturæ: scilicet brutum & homo in genere, animalis nimirùm, conveniunt. 2. Patres in argumento laudati, essentiam, naturam opponunt hypostasi, seu individuo: at species sola proximè, & propriè opponitur hypostasi, ac individuo. 3. Conceptis terminis iidem Patres scribunt, Angelos ejusdem esse speciei, confirmantq; addendo, eos non differre nisi penes dignitatem; quæ haud dubie qualitas non specifica, seu essentialis, sed accidentalis tantùm: *In dignitate quidem* (ait Basilius) *est differentia, sin natura verò communio.*

Objicies 1. Illi differunt specie, quorum differentia petitur à forma: siquidem differentia, quæ petitur à forma, inducit speciei diversitatem: unde homo ideò à bruto specie differt, quod aliam ab eo formam, animam nempe rationalem, habeat: Atqui Angelorum ab invicem differentia petitur à forma: scilicet omnis differentia petitur, vel à forma, aut à materia; in Angelis autem non petitur à materia, cum (ut superius dictum est) Angeli sint substantiæ, materiæ cujuslibet expertes: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. Omnis differentia essentialis petitur à forma, aut à materia, conc. maj. differentia accidentalis, neg. maj. Differentia, quæ inter Angelos reperitur, non est essentialis, sed accidentalis tantum; unde non petitur à forma, sed à numero, seu individuatione; hoc est, Mihael v. g. à Gabriele differt, quod hanc, non autem illam, in individuo naturam habeat, licet ejusdem sit speciei cum aliorum Angelorum natura.

Objicies 2. Duo Angeli non possunt solo numero differre: ergo necesse est, ut singuli specie differant. Probatur ant. Si duo Angeli solo numero differrent, species, seu forma Angelica in duobus illis Angelis esset multiplex, quemadmodùm in pluribus humanæ naturæ individuis multiplex est humana forma; atqui forma Angelica non potest esse multiplex in duobus Angelis: nempè illa forma non potest esse multiplex, quæ recipi non potest in materia: siquidem forma, quæ recipi non potest in materia, non potest esse diversimode participata, cum diversimoda participatio dicat naturæ participatæ limitationem, seu finitum, & inadæquatum modum habendi formam: ea verò limitatio, seu finitus modus habendi formam, innuntur ex receptione in materia, seu subjecto: solum enim subjectum efficit, ut natura in eo sit limitata, ut finitus sit modus habendi formam: Sed Angelorum forma recipi non potest in materia, seu in subjecto; cum (ut jam observatum est) nulla sit in Angelis materia.

Respond. 1. neg. ant. Ad 2. concessa majore, nego min. Ad 3. neg. maj. Ad 4. nego, limitationem, finitum & inadæquatum modum habendi formam, peti ex sola receptione in materia, in subjecto: petitur nimirum præterea ex Dei voluntate, quæ non omnem & adæquatum

rum modum habendi formam, communicat figulis ejusdem speciei individuis.

Confirmatur. Duæ animæ rationales, destructis corporibus, quibus erant unitæ, non omni, non adæquato modo participant speciem, seu formam humanam, sed tantùm limitato & inadæquato; ac proinde limitatus & inadæquatus modus habendi formam, non petitur ex receptione in materia, in subjecto: nam ut supponimus, non existunt corpora, in quibus recipiantur.

Nec satis est, quòd in ordine ad corpora creatæ sunt: siquidem 1. creari potuerunt sine ordine ad corpora; 2. ordo ad corpus non limitat naturam, nisi in quantum corpus realiter existit: siquidem ut causa realiter operetur, debet realiter existere.

Objicies 3. Conveniens fuit, ut Deus plures Angelorum species crearet: ergo singuli non sunt ejusdem speciei. Probatur ant. Conveniens fuit, ut Deus in rebus corruptibilibus plures species crearet; ergo conveniens quoque fuit, ut plures crearet Angelorum species, cum substantiæ separatæ ac incorruptibiles, ut est Angelica, præcipuæ sint universi partes.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia plures rerum corruptibilium species, necessariæ fuerunt homini, propter quem omnia corporea condita sunt: multiplices verò species Angelorum necessariæ non fuerunt aut ad Dei laudem, aut ad hominis tutelam.

Addendum est, argumenta, quæ ex convenienti, aut inconvenienti sumuntur, levis esse ponderis, ut iis probetur, Deum hac aut illa ratione debuisse se gerere in suis operationibus ad extra: Quasi verò is, qui toties infirma mundi elegit, ut confunderet fortia, sua consilia, suum agendi modum ad humanam regulam exigere debeat.

QUÆSTIO III.

De Angelorum authore.

Nu. 1. Fide certum est, Angelos bonos habere Deum authorem: *Sua omnipotenti virtute* (inquit Concilium Lateranense IV. c. 1.) *Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & humanam.* Idem quoque constat de Angelis malis sive dæmonibus: *Diabolus enim* (ait idem Concilium) *& dæmones alii, a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.*

Eandem veritatem ratio confirmat: nempè cum Angeli sint omninò spirituales, ab aliis Angelis per generationem externam produci non potuerunt: neque enim spiritus spiritum exteriùs generat: nec per internam generationem, quippè quod interna substantialis generatio soli Deo Patri propria sit, cum solus per suam infinitam intellectionem possit perfectam sui imaginem producere. Angeli non potuerunt quoque a se ipsis esse, cum nullum ens sibi ipsi dare possit esse; nihilum enim non potest agere, quod tamen necessarium esset, ut se ipsum produceret.

Nu. 2. Fide quidem & ratione certum est, Angelos Deum authorem habere: sed non eadem certitudine constat, quandonam, ubi & quo in statu creati fuerint; eas igitur difficultates subsequentibus capitibus explicemus oportet.

CAPUT PRIMUM.

Quando & ubi creati sint Angeli.

CONCL. 1. Angeli creati non fuerunt ante visibile hoc Universum.

Probatur 1. ex Scriptura. Genesis 1. hæc habentur: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Psalm. 110. *Initio tu, Domine, terram fundasti.* Exodi 20. *Sex diebus fecit Deus cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt.* Ex iis autem locis sic argumentum conficitur. Angeli ante hoc Universum creati non fuerunt, si ante aliam omnem creaturam Deus cœlum & terram condiderit; si Angeli sint ex iis rebus, quas Deus fecit sex dierum spatio; atqui Deus cœlum & terram ante omnem aliam creaturam condidit; Angeli sunt ex iis rebus, quas Deus fecit sex dierum spatio: siquidem voces istæ, *In principio*, redduntur per has alias, *Ante omnia*, ut hisce verbis docet Augustinus lib. 11. de Civit. Dei, cap. 6. *Porrò si litera sacra, maximeque veraces, ita dicunt, in principio fecisse Deum cœlum & terram, ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potiùs in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cætera cuncta, quæ fecit.* 2. Hæc verba: *Et omnia, quæ in eis sunt*, ea omnia complectuntur, quæ sunt sive in cœlo sive in terra: ergo Angelos quoque complectuntur, cum nonnulli sint in cœlis, & aliqui in terra versentur.

Probatur 2. ex Patribus. Epiphanius hæresi 65. Num. 4. & 5. sic loquitur: *Illud enim evidenter divinus sermo declarat, neque post sidera productos Angelos, neque ante cœlum, terramque constitutos:* Id verò probat ex Geneseos capite 1. quod quidem eadem ratione, qua Augustinus, exponit: *Quoniam* (inquit) *in principio creavit Deus cœlum ac terram, ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omninò nulla fuerit.* Idem docet Theodoretus quæst. 2. ubi enim hanc sibi quæstionem proposuit: *Præcedunne Angeli creationem cœli & terræ, an una cum eis creati sunt?* Respondet, Angelos ante cœlum corporeum creatos non esse, tum quòd cœlo circumscripti sunt, tum etiam quòd cum ad hominum tutelam destinati sint, inutilis fuisset eorum ante mundi creationem productio: *Quo ministerio* (inquit epist. 4.) *fungebantur Angeli, qui creationem præcedebant, cum nullus esset, qui indigeret, ut adjuvaretur eorum opera?*

Augustinus lib. 22. contra Faustum, capite 10. docet, Angelos prima die factos fuisse; idem quoque scribit pluribus aliis in locis, quos ad probationem tertiæ conclusionis proferemus. Augustino subscribunt plures alii Patres Latini, quorum textus ibidem referentur. Eorumdem Patrum doctrinam probasse videtur Concilium Lateranense IV. cap. 1. ubi asserit, Deum *sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam.*

Objicies. Plures Patres Græci docuerunt, Angelos ante visibile hoc Universum a Deo creatos fuisse. Basilius hom. 1. in Hexameron sic loquitur: *Erat enim (ut apparet) aliquid etiam ante hoc universum, quod mente quidem nostra contemplari possumus; non est tamen literis illis proditum, quod rudibus, & cognitione adhuc infantibus nequaquam congruere videbatur.* Chrysostomus libro primo ad Stagirium, hæc habet: *Fecit Angelos, Archangelos, nullius alterius gratiâ, sed bonitatis illius .... Post horum creationem, etiam hominem facit ob eandem causam, nec non totum hunc mundum;* quibus quidem verbis innuere videtur, totum mundum post Angelorum creationem conditum fuisse.

In eandem sententiam abierunt plures Latini. Ambrosius lib. 1. in Hexameron, cap. 5. quæstionem apertè definit: *Angeli* (ait) *dominationes, & potestates, etsi aliquan-*

aliquando coeperunt, erant tamen jam, quando hic mundus est factus. Ambrosio subscribit Hilarius, tum in præfatione ad Psalmos, tum libro contra Auxentium. Subscribit pariter Hieronymus in primum caput Epistolæ ad Titum, ubi sic loquitur: *Sex millia necdum nostri orbis implentur anni, & quantas prius æternitates, quanta tempora fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, throni, dominationes, cæteræque virtutes servierint Deo, & absque temporum vicibus atque mensuris Deo jubente substiterint?* Hieronymo adhæret Beda: *Angeli* (inquit in libro quæstionum, quæstione 9.) *ante creationem mundi creati sunt.* Ergo Patribus persuasum fuit, Angelos fuisse creatos longè antequam Deus hoc Universum produceret.

Resp. 1. conc. ant. dist. conseq. Ergo Patribus persuasum fuit, Angelos fuisse creatos antequam Deus hoc Universum produceret, & illis Patribus contradicunt alii multò plures, conc. conseq. Et non contradicunt alii multò plures, neg. conseq. Theologicæ conclusiones equidem ex Patribus petendæ sunt, sed ex iis, qui multò plures quàm alii in aliquam abeunt sententiam: at Patres, qui negant Angelos ante hujus universi productionem creatos fuisse, multò sunt in majori numero: ipsamque quæstionem non incidenter, ut plures ex iis, qui in argumento laudati sunt, sed dedita opera & ex professo tractarunt.

Præterea in eo Patrum numero immeritò recensetur Basilius: siquidem illius textus potest exponi de Deo ipso, hoc est, Basilius per rem illam, quam scribit ante mundum extitisse, Dei ipsius Verbum intelligit: siquidem asserit, rem illam esse æternam: *Erat* (inquit) *quidam mundi productione status antiquior, sempiternus, perpetuus*. Ex eodem quoque numero expungi debet Chrysostomus, hæc enim illius verba, *Nec non totum hunc mundum*, non referuntur ad illa, *Post horum creationem*, sed ad hæc alia, *Bonitatis illius*: Ita ut sensus non sit, visibilem hunc mundum post Angelorum creationem productum fuisse; sed iste tantùm, Deum, visibilem hunc mundum nullius alterius gratia, sed suæ tantùm bonitatis causa produxisse.

Instabis. S. Thomas apertè docet, omnes Græcos Patres asserere, Angelorum creationem præcessisse creationem Universi: *Ad primum ergo dicendum*, (inquit 1.p.q.61.art.4.) *quòd Hieronymus loquitur secundum sententiam doctorum Græcorum, qui omnes hoc concorditer sentiunt, quòd Angeli sunt ante mundum corporeum creati.* Cum etiam nonnulli sint ex Latinis Patribus, qui in Græcorum sententiam abierint, sequitur, multò plures esse Patres, qui affirmarunt, Angelos ante mundum corporeum conditos fuisse, quam qui id negarunt, proindèque verior est affirmativa illa sententia.

Resp. 1. propositionem, qua asseritur, Græcos concorditer docere Angelos esse conditos ante mundum corporeum, continere quæstionem facti minimè revelati, ac proindè illius judicium penes est quemque Theologum. Resp. 2. dist. ant. Et illa verba S. Thomæ non sunt universaliter, sed cum exceptionibus, intelligenda, conc. ant. Et sunt universaliter & absque exceptionibus, intelligenda, neg. ant. Et sanè evidenter patet ex iis, quæ prolata sunt ad nostræ conclusionis probationem, Epiphanium, Theodoretum, ac plures alios Græcos, quos laudat Estius, apertè docuisse Angelos ante visibilem hunc Mundum minimè creatos fuisse.

CONCLUSIO 2. Quamvis vera sit propositio, quæ negat, Angelos ante visibilem hunc mundum creatos fuisse, non est tamen certa certitudine fidei Catholicæ.

Probatur 1. Illa propositio non est certa certitudine fidei Catholicæ, quæ expressè non continetur aut in Scriptura aut in traditione, aut quam Ecclesia non declaravit iis, implicitè saltem, contineri: nam (ut 3. diximus parte agentes de censuris propositionum) ut quid ad fidem Catholicam pertineat, necesse est, ut explicitè in iis sacris fontibus contineatur, aut si implicitè tantum, contineri declaretur ab Ecclesia: atqui propositio, quæ negat, Angelos ante visibilem hunc mundum creatos fuisse, expressè non continetur aut in Scriptura aut in traditione, nec Ecclesia definiit iis, saltem implicitè, contineri: ergo, &c. Minor, in qua difficultas est posita, patebit ex iis, quæ mox in objectionum solutionibus dicentur.

Probatur 2. Ea propositio non pertinet ad fidem Catholicam, quam nulli Patres dixerunt ad eam pertinere, quam è contra ad eam pertinere negarunt plurimi, sive ante, sive post Concilium Lateranense IV. atqui nulli Patres dixerunt, propositionem, de qua agitur, ad fidem pertinere, nullus enim textus proferri potest; plures è contra negarunt, eam ad fidem pertinere.

Et quidem *primò*, ante Concilium Lateranense IV. S. Augustinus libro unico de Genesi ad Literam, cap. 3. ubi in utramque partem movit quæstionem, utrum Angeli ante mundum creati fuerint, docet, unum tantùm ad fidem pertinere, scilicet Angelos a Deo creatos esse: *Sed* (ait) *quoquo modo hoc se habeat, res enim secretissima est, in humanis conjecturis impenetrabilis: illud certè accipiendum est in fide, etiamsi modum nostræ cogitationis excedit, omnem creaturam habere initium, tempusque ipsum esse creaturam*. Quamvis Theodoretus (ut superiùs dictum est) expressè neget, Angelos ante mundum visibilem creatos fuisse, fatetur tamen, eum qui contrarium dixerit, nihil contra fidem proferre. Magister Sententiarum lib. 2. Sent. dist. 2. Hugo Victorinus cap. 5. Annotat. in Genesim, eadem fermè ratione loquuntur.

Secundò, post Concilium Lateranense IV. S. Thomas hæc habet 1.p. q. 61. art. 3. in Corp. *Non est igitur probabile, quòd Deus creaturam angelicam seorsim ante alias omnes creaturas creaverit. Quamvis contrarium non sit reputandum erroneum.*

Objicies. Scriptura docet 1. Deum in principio creasse cœlum & terram; 2. ipsum intra sex dies fecisse omnia, quæ cœlis & terra continentur; 3. Concilium Lateranense IV. definiit Deum *simul initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, angelicam videlicet & mundanam*: Atqui ea loca probant, Angelos non fuisse creatos ante visibilem hunc mundum: ergo, &c.

Resp. dist. min. Ea loca probant argumento, quod non faciat certitudinem fidei, con. min. quod faciat certitudinem fidei neg. min. Hoc est licet (ut superiùs ostensum est) ex iis locis colligi possit, Angelos ante hoc universum visibile creatos non fuisse, id tamen non colligitur tanquam fide Catholica certum. Ratio est, quia alii aliter explicant textus, qui in argumento recensentur.

Et sanè nonnulli contendunt, voces istas, *In principio*, significare, *Ab initio aliquo temporis*, ita ut sensus sit mundum, non semper fuisse, Deumque effecisse, ut mundum, qui nullus in æternitate fuerat, de novo, quando ei libuit, primùm esse inciperet. Ex qua quidem explicatione duo colliguntur, alterum mundum non esse æternum, sed aliquando incœpisse: alterum, cognosci antiquitatem mundi, ita ut præcisè statui possit, quinam ab Orbe condito ad hoc usque tempus fluxerit annorum numerus. In utroque Ethnici aberrarunt: quidam enim censuerunt, mundum esse ab æterno; alii cœpisse quidem illum aliquando putaverunt, sed innumera ferè retrolapsa sæcula numerarunt. Vide Pererium lib. 1. in Genesim, cap. 1. vers. 1.

Nonnulli alii Scriptores contendunt, verba, de quibus agitur, *In principio*, idem esse ac, *In Filio*; per eum enim omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Utramque illam expositionem tanquam probabilem refert S. Thomas 1.p. q. 61. art. 3. ad 3. ubi sic loquitur: *Si*

vero

verò contrarium teneatur (Angelos ante mundum creatos fuisse) *quod dicitur* Genesis 1. *In principio Deus creavit Cœlum, & terram, exponendum est, in principio, id est, in Filio; vel in principio temporis, non autem in principio, id est, antequam nihil fieret*.

2. Hæc verba: Exodi 20. *Sex diebus fecit Deus Cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt*, ab aliquibus exponuntur de rebus tantùm visibilibus, ita ut sensus sit, nullam ex Creaturis corporeis Cœlo ac terra contentis esse, quæ intra sex dierum spatium a Deo producta non fuerit.

3. Concilii Lateranensis locus, quo decernitur Angelos simul ab initio temporis cum mundo visibili creatos esse, duobus modis explicari potest. Dici potest *primò*, particulam, *Simul*, non intelligi de simultate physica, quæ instans indivisibile significet, sed de simultate morali, quæ quandam habeat latitudinem; ea ferme ratione, per quam ea, quæ eodem die, imò & eodem anno facta sunt, plerumque dicuntur esse simul facta. Dici potest *secundò*, particulam, *Simul*, à Patribus Lateranensibus intellectam quidem fuisse de simultate physica, ita ut significare voluerint, Angelos physicè simul ab initio temporis cum mundo visibili fuisse conditos; verùm (inquit Estius) laudati Patres id non proposuerunt tanquam fidei articulum, sed tantùm tanquam probabiliorem opinionem.

Nec obstat, quod Patres Concilii Lateranensis damnare voluerint Originem, qui docuit, substantias spirituales ante mundum visibilem conditas fuisse. Nam *cum* (inquit Cajetanus) *dupliciter teneatur, Angelos productos esse ante corpora, scilicet vel secundum errorem jam dictum* (de Origene loquitur, cui visum est, substantias spirituales per se productas fuisse à Deo, corporales verò longo post tempore, & quidem per accidens, nimirum ut spirituales propter demerita in corporibus tanquam in carceribus concluderentur) *vel simpliciter & absolutè, quod ex Dei voluntate Angeli præcesserint mundum visibilem, Decretalis illa, quamvis secundùm verba utramque positionem destruat, contra primam tamen tanquam contra hæresim interpretanda est; ad secundam verò tanquam ad minus probabilem applicari potest. Et ratio hujus glossæ est, quia determinationes istæ non nisi contra aliquos errores fieri consueverunt*.

CONCLUSIO 3. Incertum est, quo in loco creati sint Angeli: probabile tamen est, eos in Cœlo Empyreo creatos fuisse.

Probatur prior pars. Id incertum est, de quo tum Scriptura, tum Patres silent: atqui reverà silent de loco, in quo creati fuerunt Angeli: Et quidem 1. in Scripturis ne apex quidem est ejusmodi loci. 2. In Patribus nonnulla quidem reperire est, sed quæ per modum dubii prolata sint.

Probatur altera pars. 1. Conveniens fuit, ut in loco nobiliori crearentur nobiliores universi partes; atqui Angeli sunt ejusmodi: ergo, &c. 2. In eo loco Angeli creati fuerunt, ex quo Angeli prævaricatores dejecti sunt; sed dejecti sunt ex Cœlo Empyreo; de illo nimirùm Cœlo nonnulli exponunt hæc verba Lucæ 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*; nec non hæc alia apud Isaiam cap. 14. *Quomodo de cœlo cecidisti Lucifer?* Addunt, favere Augustinum illi explicationi, cum lib. XI. de Civit. Dei, cap. 33. hæc scribit: *Illam* (hoc est, Sanctorum Angelorum societatem) *in cœlis cœlorum habitantem: Istam*, diabolicam, *inde*, è cœlis cœlorum, *dejectam*.

Objicies 1. In eo loco creati non fuerunt Angeli, ad quem mali Angeli ambierunt ascendere; atqui mali Angeli ambierunt ascendere ad Cœlum Empyreum; sic enim apud Isaiam cap. 14. loquuntur: *In Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. ant. Nempè verba, quæ ex Isaia laudata sunt, non sunt Angelorum, sed Babyloniorum regis, cui propter ingentem superbiam hyperbolicus ille loquendi modus tribuitur. Resp. iterum dist. min. Mali Angeli ambierunt ad Cœlum Empyreum metaphoricè sumptum ascendere, conc. min. propriè & ad literam sumptum, neg. min. hoc est, cœli nomine eò loci intelligitur æqualitas cum Deo, quam Angeli prævaricatores ambierunt: *Ad tertium dicendum* (inquit S. Thomas 1. p. q. 63. art 4.) *quòd loquitur ibi non de cœlo aliquo corporeo, sed de cœlo SS. Trinitatis, in quod Angelus peccans ascendere voluit, dum voluit aliquo modo Deo æquiparari*.

Objicies 2. Illi creati non fuerunt in Cœlo Empyreo, qui in eo nihil externum operati sunt; substantiæ enim spirituales non sunt in loco, nisi per suam operationem ad extra: sed Angeli nihil externum operati sunt in Cœlo Empyreo: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. scilicet Angeli in primo suæ creationis instanti concurrerunt ad ornatum Cœli Empyrei: quid verò ad eum contulerint, incognitum est nobis: nec mirum, cum incognita sit nobis ipsa Cœli Empyrei natura. Nonnulli contendunt, concurrisse eos ad lucem, qua Empyreum fulget, eoque trahunt hæc S. Thomæ verba in 1. Sent. dist. 37. quæst. 3. art. 1. *Angelus est in loco, in quantum operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud hujusmodi*. Sed de illo argumento redibit sermo, ubi de Angelorum loco inferiùs dicetur.

CAPUT II.

De Statu, in quo Angeli creati fuerunt:

Not. 1. Status, in quo creati fuerunt Angeli, beatitudinem, & gratiam complectitur; ac proinde quærendum est 1. utrum Angeli in primo suæ creationis instanti fuerint Beati; 2. utrum gratiam habuerint.

Not. 2. Beatitudo duplex est, naturalis & supernaturalis. Prior posita est in ea perfectione, quæ omnem omninò miseriam excludat; altera addit intuitivam Dei visionem. Gratia est quoque duplex, sanctificans, & actualis. Illa se habet per modum rei permanentis, & reddit subjectum Deo gratum; illa è contra se habet per modum transeuntis, & movet subjectum ad actum supernaturalem eliciendum.

CONCLUSIO 1. Angeli creati sunt Beati beatitudine naturali, non autem beatitudine supernaturali.

Probatur prior pars. Beatitudo naturalis, ex observatis, posita est in perfectione, quæ omnem omninò miseriam excludat; atqui Angeli creati sunt in illa perfectione, tum quod miseria sit pœna peccati, nempè sub Deo justo nemo potest esse miser, nisi mereatur: tum quod Patres id expressè docuerint: *Diabolus, & Angeli ejus* (inquit Augustinus lib. de corrept. & gratia, cap. 10.) *Beati erant, antequam caderent*.

Objicies. Illi creati non sunt Beati, etiam beatitudine naturali, qui certi non erant se nunquam futuros esse miseros: illa nimirùm incertitudo, cum animum excruciet, non levis est miseria: atqui Angeli, certi non fuerunt, se nunquam futuros esse miseros: non enim sciebant, an essent perseveraturi in statu, in quo conditi fuerant: ergo Angeli non fuerunt creati in beatitudine, etiam naturali.

Resp. dist. maj. Illi creati non fuerunt beati, etiam beatitudine naturali, qui certi non erant, se nunquam futuros esse miseros, si non certò sciverint se habuisse media, quibus in statu, in quo conditi fuerant, perseverare possent, conc. maj. si id certò sciverint, neg. maj. Angeli certò cognoverunt, se per liberum arbitrium adjutum gratia, quam experiebantur præsentem, quamque sciebant sibi non defuturam, posse, si vellent, in sta-

tu

tu, in quo conditi fuerant, perseverare: *Si autem* (inquit Augustinus lib. de Correp. & Gratia, cap. 11.) *hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset.... non utique sua culpa cecidissent.*

Probatur altera conclusionis pars. Illi non fuerunt creati, beati beatitudine supernaturali, qui creati sunt, ut per merita beatitudinem supernaturalem tanquam præmium consequerentur: atqui sic creati sunt omnes Angeli: *Diabolus verò & Angeli ejus* (inquit Augustin. lib. de Corrept. & Gratia, cap. x.) *etsi beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent: id est, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulterius omninò non possent, & hoc de se certissimè nossent.*

CONCLUSIO 2. Angeli creati sunt in statu gratiæ sanctificantis.

Probatur. Illi creati sunt in statu gratiæ sanctificantis, qui creati sunt in bona voluntate, in amore casto, per quem beati in cœlis adhærent Deo; quibus Deus, condendo naturam, simul largitus est gratiam; nempè gratia sanctificans non aliud est, quàm bona voluntas, quam amor castus, per quem justi in terris & beati in cœlis adhærent Deo: atqui boni Angeli sic a Deo creati sunt, Augustino teste, qui lib. 12. de Civit. Dei sic loquitur: *Et istam* (bonam voluntatem) *quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est*: ergo, &c.

Probatur 2. de malis Angeli. 1. Illi creati sunt in statu gratiæ sanctificantis, qui ut primum facti sunt, facti sunt lux; qui illuminati fuerunt, ut sapienter beatèque viverent: plerumque nimirum tum Scriptura tum Patres lucis ac sapientiæ nominibus utuntur, ut gratiam sanctificantem exprimant: atqui pravi Angeli, ut primùm facti sunt, facti sunt lux; illuminati fuerunt, ut sapienter, beatèque viverent: *Simul ut facti sunt* (ait Augustinus lib. 11. de Civ. Dei, cap. 11.) *lux facti sunt, non tamen ita tantùm creati, ut quoquo modo essent, aut quoquo modo viverent; sed etiam illuminati, ut sapienter, beatèque viverent.* 2. Illi creati sunt in statu gratiæ sanctificantis, de quibus dicitur, quod si in statu, in quo conditi fuerant, perseverassent, æternam beatitudinem consecuturi fuissent: neque enim per perseverantiam in donis naturalibus creatura potest æternam beatitudinem consequi, cum dona naturalia nullam habeant cum fine supernaturali proportionem: atqui de malis Angelis dicitur, quod si in statu, in quo conditi fuerant, perseverassent, æternam beatitudinem consecuturi fuissent: *Erat tamen adhuc* (inquit Augustinus lib. de Corrept. & Gratia, cap. 10.) *quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium* (adjutum gratia versatili, ut suo loco dicetur) *in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis, acciperent.*

Probatur 3. rationibus. 1. Non est potior ratio de Angelis, sive bonis, sive malis, quam de homine: atqui (ut hujusce partis dissertatione tertia dicetur) homo creatus fuit in statu gratiæ sanctificantis: ergo, &c. 2. Deus, in instanti creationis rerum corporearum, eis indidit virtutes seminales, per quas ad finem sibi convenientem possent pervenire; ergo a pari (argumentum est S. Thomæ 1. p. q. 62. art. 3.) omnibus creaturis intellectualibus, ac proinde Angelis, indidit virtutem seminalem, per quam ad finem sibi convenientem pervenire possent: ea verò seminalis virtus non est alia, quam gratia sanctificans, quæ principium est habituale cujuscumque operis meritorii, quo creatura rationalis beatitudinem, ad quam est creata, consequatur.

CONCLUSIO 3. Angeli, sive boni, sive mali, in primo reali creationis instanti receperunt gratiam actualem.

Probatur. Creaturæ innocentes, in primo reali instanti suæ creationis, receperunt gratiam necessariam, ut possent vitare quodcumque peccatum: *Si autem* (ait Augustinus libro de Correpț. & Gratia, cap. 11.) *hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primùm facti sunt, defuisset, non utique sua culpa cecidissent*: atqui Angeli in sua creatione erant innocentes, ac statim indiguerunt actuali gratia, ut possent vitare peccatum, omissionem nimirum actus amoris in Deum: eodem enim instanti, quo cœperunt frui ratione, obligati fuerunt elicere actum amoris in Deum: scilicet, si non elicuissent actum amoris in Deum, necessariò elicuissent actum amoris in creaturam: siquidem voluntas, quæ corpori non est unica, non potest vel uno esse instanti, quin actum amoris in aliquod objectum eliciat. Augustini est argumentum illud: nempè docet, nec Angelum nec hominem sic factum esse, ut sine Dei adjutorio posset non peccare: *Quoniam* (inquit lib. de Corrept. & Gratia cap. 11.) *non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset permanere, si vellet.* Idem non multò post hisce aliis verbis asserit: *Namque ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omninò non posset.*

Objicies 1. Ideò asseritur, Angelos esse creatos in gratia sanctificante, quod statim lux a Deo facti sint; atqui id falsum est: siquidem Augustinus lib. 2. de Genes. ad literam cap. 1. asserit, Angelicam naturam primò informiter creatam fuisse, & cœlum dictam, postmodum verò formatam esse, & lucem appellatam: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Augustinus asserit, angelicam naturam primo informiter creatam fuisse per respectum ad gloriam, conc. ant. per respectum ad gratiam, neg. ant. Hoc est, status, quem per creationem habuerunt Angeli, multùm fuit imperfectus, si comparetur cum statu gloriæ, non autem si comparetur cum statu gratiæ: nimirùm licèt Angelus gratiam habuerit viatori convenientem, non habuit tamen perfectam illam gratiam, quæ convenit possessori: *Erat autem adhuc* (ait Augustinus lib. de Corrept. & Gratia, cap. x.) *quod eorum adderetur beatitudini, id est, ut magna per Spiritum sanctum data abundantia charitatis Dei, cadere ulteriùs omninò non possent.* Sanctus Thomas aliam sufficit solutionem: dicit enim, informem fuisse Angeli productionem in instanti naturæ, concedit; in instanti temporis, negat. Hoc est, prius est prioritate naturæ, non autem prioritate temporis, Angelum factum esse in esse naturali, quam in esse gratiæ. Confirmari potest ea solutio, 1. ex eo quòd Augustinus (ut superiùs observatum est) lib. 11. de Civit. Dei, hæc scripserit de Angelis: *Simul ut facti sunt, lux facti sunt* 2. ex eo quòd secundùm Augustini sententiam, de qua in secunda hujusce partis dissertatione dicemus, omnia simul creata fuerint; ac proinde, secundùm eundem Augustinum, statui non potest prioritas temporis inter lucis, cœlique creationem.

Objicies 2. Illi creati non fuerunt in gratia, in quibus Deus ostendere voluit, quid absque gratia posset liberum arbitrium: atqui Deus in Angelis ostendere voluit, quid absque gratia posset liberum arbitrium: *Credimus* (verba sunt Augustini lib. de Corrept. & Gratia cap. x.) *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium*: ergo, &c.

Resp. dist. maj. In quibus Deus ostendere voluit, quid absque gratia actuali, & quidem efficace, posset

liberum

liberum arbitrium, conc. maj. absque gratia sanctificante, aut gratia actuali minime efficace, neg maj. Augustinus eò loci vult explicare discrimen, quod reperitur inter gratiam actualem, qua creatura innocens indiguit ad operandum bonum, & inter gratiam, qua creaturæ lapsæ opus est ad idem bonum operandum: Discrimen autem illud in eo positum est, quòd innocenti creaturæ, utpotè sanæ ac robustæ, ad operandum bonum satis fuerit auxilium indifferens, & determinandum a libero arbitrio, cum èconta homo lapsus ad operandum bonum indigeat auxilio per se efficaci, seu quod liberum illius arbitrium, utpotè languidum & infirmum, ad bonum agendum determinet: unde in hoc statu elucent divinæ gratiæ virtus & potentia, cum econtra in altero statu, liberi arbitrii vires enituerint: *Tale quippe erat* (ait Augustinus libro de Corrept. & Gratia, cap. xi.) *adjutorium quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet. Hac prima est gratia qua data est primo Adam, sed hac potentior est in secundo Adam: Prima est enim qua fit, ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.*

Quæres 1. utrum sit dogma fidei, quòd Angeli in statu gratiæ sanctificantis creati fuerint.

Resp. negative. Ratio est 1. quia dogma, de quo agitur, nec Scriptura nec traditione explicite continetur, nec usquam Ecclesia definit, illud in sacris illis fontibus vel implicite reperiri. 2. Plures ex antiquioribus Scholasticis defenderunt sententiam nostræ conclusioni contrariam, seu docuerunt, Angelos omnes, non in statu gratiæ sanctificantis, sed tantùm in justitia quadam naturalis ordinis conditos fuisse, a qua Lucifer cum sociis exciderit; & in qua econtra alii stantes, donati sint postea gratia sanctificante & auxiliis actualibus, quibus intuitivam Dei visionem consecuti sunt. Ita senserunt Hugo Victorinus lib. 1. de Sacram. p. 5. cap. 19. Magister Sentent. lib. 2. dist. 3. Rupertus lib. 13. in Matth. Alensis, Bonaventura, Scotus, multique alii, quorum habita ratione Sanctus Thomas in hanc distinctionem scribens, asseruit, illorum Theologorum doctrinam fuisse suo sæculo communiorem. 3. Idem Sanctus Doctor in Summa non ut certam certitudine fidei, sed ut probabilem tantùm propugnat sententiam, quæ docet, Angelos in statu gratiæ sanctificantis conditos fuisse: *Respondeo dicendum* (inquit 1. p. q. 62. art. 3. in Corp.) *quòd quamvis super hoc sint diversæ opiniones ...... hoc tamen probabilius videtur tenendum, & magis dictis sanctorum Patrum consonum est, quòd fuerunt creati in gratia gratum faciente.*

Quæres 2. utrum omnes Angeli tum in donis naturalibus, tum in gratia fuerint æquales?

Resp. 1. Angelos, inæquales in donis naturalibus creatos fuisse. Idque evidens est 1. in eorum sententia, qui contendunt, omnes Angelos esse diversæ speciei: quæ enim differunt specie, differunt quoque proprietatibus naturalibus. 2. Id quoque patet in opposita sententia: nam quemadmodum in rebus corporeis, individua ejusdem speciei inæquales habent perfectionis gradus: ita par fuit, ut inæquales habuerint individua specierum spiritualium.

Resp. 2. Angelos non in donis tantùm naturalibus (ut mox dictum est) sed etiam in supernaturalibus impares fuisse: nimirùm ita docent Author libri de cœlesti hierarchia, Basilius lib. de Spiritu sancto, cap. 16. Joannes Damascenus lib. 2. de Fide Orthodoxa, cap. 3. Magister Sententiarum lib. 2. dist. 3. Par fuit (ajunt illi Scriptores) ut Deus eum gratiæ gradum Angelis largiretur, qui cum naturalibus eorum donis proportionem haberet.

Nec inde sequitur, dona naturalia in Angelis fuisse dispositiones ad supernaturalia: siquidem tota ratio, cur Angeli, qui in naturalibus alios superarunt, uberiorem gratiam habuerint, peti debet ex suprema Dei voluntate, qui donorum naturalium, quos Angelis contulerat, rationem habere voluit in supernaturalium dispensatione: Eum tamen ordinem servare noluit in homine lapso, ut (inquiunt Authores, quos retulimus) homo lapsus intelligat, gratiam Dei donum esse omninò gratuitum: quam enim fabulosum sit pactum, quod nonnulli recentiores scribunt initum fuisse inter Deum & hominem de conferenda gratia iis, qui per vires liberi arbitrii sibi relicti, benè moraliter se gesserint, ostendemus in tractatu de Gratia.

QUÆSTIO IV.

De proprietatibus Angelorum.

Not. INter Angelorum proprietates sunt cognitio, amor, locus, motus, locutio, missio: de his igitur subsequentibus capitibus agendum nobis incumbit.

CAPUT I.

De cognitione Angelorum.

Not. 1. CErtum est, Angelos esse prædites cognitione: siquidem cognitio necessariò convenit cuilibet substantiæ spirituali: imò nonnulli contendunt, actualem cognitionem esse de illius essentia, eamque per actualem cognitionem differre a corpore; quod quidem, quantumcumque subtile supponatur, non potest esse capax alicujus cognitionis, sed solius motus localis, qui pro varia partium subtilitate & figura, vel tardior est, vel velocior.

Not. 2. Supposito, quòd Angeli præditi sint cognitione, quæri potest 1. quodnam sit objectum cognitionis angelicæ; 2. quodnam sit illius medium; 3. denique quænam sint illius dotes, seu qualitates, per quas ab humana cognitione differt. Ut autem nodos illos solvamus, hocce Caput in plures Articulos dividamus oportet.

ARTICULUS I.

De objecto cognitionis Angelicæ.

Not. OBjectum cognitionis Angelicæ est id omne, quod Angelicus intellectus potest cognoscere. Id autem, quod potest ab eo cognosci, reducitur 1. ad substantias spirituales, Deum nempè, naturam Angelicam, & animam rationalem; 2. ad res ex materia constantes, cujusmodi sunt corpora omnia; 3. ad futura, sive necessaria, sive libera, 4. ad occultas hominum cogitationes, sive sint præteritæ, sive præsentes, sive futuræ; 5. denique ad mysteria supernaturalis ordinis. Operæ pretium est, ut ea omnia variis Conclusionibus explicamus.

CONCLUSIO 1. Angelus per naturæ vires multa de Deo cognoscit, se ipsum quoque novit, nec non alios Angelos, ac substantias per se subsistentes.

Probatur prior pars. Homo lapsus per naturæ vires multa de Deo cognoscit, existentiam nimirùm & attributa, quæ proxime ex idea Dei sequuntur: *Invisibilia enim ipsius* (ait Apostolus ad Rom. 1.) *à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*: ergo a fortiori Angelus, cum sit multò perfectior homine, plura de Deo per vires naturæ cognoscit.

Probatur altera pars. Angelus id omne cognoscit, quod proportionem habet cum vi illius intellectiva,

quodque ipsi est intimè præsens: nam præter duplicem illam conditionem alia non requiritur, ut facultas intellectiva objectum aliquod cognoscat: Atqui Angeli substantia proportionem habet cum vi illius intellectiva, cum ejusdem sit ordinis; est quoque intimè præsens vi illius intellectivæ: ergo, &c. Nec obstat, quòd anima licet proportionem habeat cum vi hominis intellectiva, ipsique sit intime præsens; tamen semetipsam, saltem perfecte, non cognoscat. Non obstat (inquam) quia anima, quamdiu remanet unita corpori, ab ipso impeditur, ne spiritualia perfecte contempletur.

Probatur tertia pars. Primò, Scriptura nobis exhibet Angelos sibi invicem quasi colloquentes; *Clamabunt* (ait Isaias c.6) *alter ad alterum* Zachariæ 2. unus Angelus dicit alteri: *Curre, loquere ad puerum istum*. Apocal. 5. unus Angelus loquebatur quatuor Angelis: *Nolite nocere terræ & mari*. 2. Spiritus, qui unam simul societatem constituunt, se ipsos mutuò norunt: non enim in alio posita est spirituum societas, quam in mutua sui ipsius cognitione, & in amore, quo se mutuò prosequuntur.

CONCLUSIO 2. Angeli cognoscunt res omnes materiales.

Probatur. Res materiales considerari possunt vel secundùm rationes communes, vel secundùm singulares: atqui Angeli utroque modo cognoscunt res materiales. Et quidem 1. norunt communes rerum omnium rationes: nempe, quæ in inferioribus gradibus reperiuntur, continentur in superioribus; ac proinde à superioribus, si sint intellectiva, cognoscuntur. 2. Norunt aliqua singularia: siquidem (ut argumentatur S. Thomas) Angeli ea norunt, quorum administratio ipsis est credita: atqui singularium administratio Angelis est credita, juxta illud ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratorii spiritus*.

CONCLUSIO 3. Angeli certò cognoscunt futura necessaria; contingentia verò, quæ utplurimum accidunt, per conjecturam; quæ verò sunt aut fortuita, aut libera, ab eis ignorantur.

Probatur prior pars. Angeli certò cognoscunt ea, quæ necessariam habent connexionem cum causis, quas comprehendunt: atqui futura necessaria connexionem habent necessariam cum causis, quas Angeli comprehendunt: scilicet Angeli propter naturæ suæ perfectionem, cognoscunt ea omnia, ad quæ causarum naturalium virtus sese potest extendere: ergo ejusmodi causæ ab eis comprehenduntur.

Probatur altera pars. Quæ non necessariò, sed ut plurimum, accidunt, ab hominibus probabiliter cognoscuntur: ergo à fortiori cognoscuntur ab Angelis, quorum vis intellectiva multò perfectior est humanâ. Jam verò quòd non certò sed probabiliter tantùm ea noverint, colligitur ex eo, quòd futura, de quibus agitur, non infallibilem, aut necessariam cum suis causis connexionem habeant.

Probatur tertia pars. Si Angeli futura libera, aut omninò fortuita, cognoscerent, ea viderent aut in se ipsis, aut in futurorum causis: atqui neutrum dici potest. Non primum; nam ut quis in se ipso videat futura, necesse est, ut sit futuris præsens: at Angelus non est præsens futuris; neque enim creatura omnibus temporibus simul est præsens, sed Deus solus, qui cum sit æternus, omnia simul tempora complectitur. Non potest quoque dici, quòd Angelus futura contingentia videat in eorum causis; scilicet Angelus non potest in causa indifferente videre effectum determinatum; sed causæ futurorum contingentium sunt indifferentes: ideò enim dicuntur contingentes, quòd respectu suorum effectuum sint omninò indifferentes.

Quæres, utrum dogma sit fidei, quòd Angeli per vires naturæ futura libera, aut omninò fortuita certò non cognoscant?

Resp. affirmativè: nempè tum Scriptura, tum Patres Deo soli, per creaturarum exclusionem, tribuunt cognitionem futurorum, de quibus agitur. *Annuntiate* (apud Isaiam cap. 14.) *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos*. Hæc quoque leguntur cap. 46. *Ego sum Deus, non est ultra Deus, nec est similis mei, annuntians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ nondum facta sunt*. Sic quoque loquitur Tertullianus Apologetici cap. 20. *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis*.

Objicies. Angeli, tum sancti, tum reprobi sæpiùs futura contingentia prædicunt; ergo ab utrisque cognoscuntur.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ab utrisque cognoscuntur, diverso modo, conc. conseq. eodem modo, neg. conseq. Angeli sancti nonnulla futura contingentia norunt ex speciali Dei revelatione; reprobi vero per quasdam tantùm conjecturas: unde, quæ ab illis prædicuntur, semper eveniunt, econtra, quæ ab istis, plerumque non contingunt. *Futura quidem* (ait Damascenus lib. 2. de Fide Orthod. cap. 3) *tametsi nec Dei Angeli, nec Dæmones norint, utrique tamen prædicunt, sed dispari modo. Angeli enim futuros eventus non aliter prædicunt, quàm Deo ipsis, quæ futura sunt detegente, quo fit, ut ea omnia eveniant, quæ ab ipsis prædicantur. Dæmones autem ipsi quoque prædicunt, interdum videlicet, quia ea, quæ procul geruntur, cernunt interdum sola conjectura ducti, ex quo etiam efficitur, ut plerumque mentiantur.*

CONCLUSIO 4. Angeli non cognoscunt occultas ac liberas cordis cogitationes, licet actu & realiter existant.

Probatur. Id Angeli non cognoscunt, quod sive Scriptura, sive Patres Deo soli proprium faciunt: atqui sive Scriptura, sive Patres Deo soli propriam faciunt occultarum & liberarum cogitationum notitiam: *Tu solus* (ait Scriptura 2. Paral. 6.) *nosti corda filiorum hominum*. Psal. 7. *Scrutans corda & renes Deus*. Jeremiæ 17. *Pravum est cor omnium & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & probans renes*. Sancti Patres usi sunt eo argumento; seu, ex eo quòd Deo soli conveniat cogitationum notitia, probarunt, Christum, quibus erant perspectæ verum esse Deum: *Dominus videns cogitationes eorum, ostendit* (inquit Hieronymus in cap. 9. Matthæi) *se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere*.

Objicies 1. Angeli sive boni, sive mali comprehendunt essentiam animæ: ergo vident omnes illius modificationes; nempè idea comprehensionis includit non solùm cognitionem substantiæ, sed etiam omnium illius modorum, cum sit cognitio omnium perfectissima: atqui Angeli sive boni, sive mali comprehendunt essentiam animæ; sunt enim anima multò superiores: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ad 2. dist. ant. Idea comprehensionis includit cognitionem omnium modificationum necessariarum substantiæ, quæ comprehenditur, conc. ant. modificationum liberarum, neg. ant. Ratio est, quia ad perfectam substantiæ cognitionem satis est, ut tum ipsa substantia, tum ea, quæ naturaliter seu necessariò ex illa sequuntur, cognoscantur; ac proinde cum liberæ cordis cogitationes non sequantur necessariò ex Angelica aut humana mente, rectè mens ipsa comprehendi dicitur, in quantum à creata mente potest comprehendi, quamvis liberæ illius cogitationes non cognoscantur.

Instabis. Quòd objectum aliquod non cognoscatur, id oritur, aut ex eo, quod non sit proportionatum cum facultate intellectiva, aut ex eo quod illi minimè sit præsens; atqui neutrum habet locum in objecto, de quo agitur; nimirum mentis cogitationes sunt quid intelligibile, ac proinde proportionem habent cum intellectiva Angelorum facultate; actu quoque sunt in

animâ,

anima, quæ cogitat; & consequenter cum ipsa anima, quæ cogitat, præsens sit Angelo, illi quoque præsentes sunt ejusdem animæ cogitationes.

Resp. ad 1. conc. maj neg. min. Ad 2. concedo, animam esse præsentem Angelo, sed nego, inde sequi, quod animæ cogitationes Angelo sunt præsentes: idque oritur ex eo, quòd non habeant necessariam cum anima connexionem, nec anima (ut supponitur) eas Angelo manifestare velit.

Objicies 2. Id possunt Angeli, quod possunt homines multum sagaces, atqui homines multum sagaces cognoscunt aliorum hominum cogitationes: *Corda hominum* (ait Scriptura Proverb. 17.) *manifesta sunt prudentibus*: ergo, &c.

Resp. conc. maj. disting. min. Homines multùm sagaces cognoscunt aliorum hominum cogitationes, quæ se produnt aliquibus signis sensibilibus, conc. min. quæ non se produnt signis sensibilibus, neg. min. Nonnullæ sunt cogitationes, quæ nulla ratione, sui vestigia corporibus imprimunt; è contra sunt aliquæ aliæ, quæ signa quædam sensibilia corporibus imprimunt: scilicet vel movent imaginationem, vel vultum immutant. Illas nec Angeli, nec homines, quantumcumque sagaces supponantur, nosse possunt naturali virtute; sed nihil obstat, quin istas percipiant, ita tamen ut certò scire non possint, an mens ejusmodi cogitationibus consensum præbuerit: *Angeli* (inquit Augustinus lib. de divin. dæmonum, cap. 5.) *omnium dispositiones, non solùm voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt.*

Nec obstant hæc, quæ idem S. Doctor scripsit lib. 2. Retract. cap. 30, *Rem dixi occultissimam audaciore asseveratione, quam debui. Nam pervenire ista ad notitiam dæmonum, per nonnulla etiam experimenta compertum est. Sed utrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium illis sensibilia, nos autem latentia; an alia vi, & ea spiritali, ista cognoscant: aut difficillimè potest ab hominibus, aut omninò non potest inveniri.* Non obstant (inquam) tam Augustinus iis verbis non rejicit, quod antea scripserat, scilicet dæmones cognoscere cogitationes, quæ signa quædam corporibus imprimunt; sed dubitat, an eas cogitationes sensibili virtute, an verò spirituali percipiant. Nec mirum est, quod S. Doctor anceps hæserit, an dæmones virtute aliqua sensibili, corporum impressiones noverint, cum ipse diu dubitarit, an dæmones habeant subtilia quædam corpora, quæ sicut humana, aliorum corporum impressionibus moveantur.

Quæres, utrum fide Catholica certum sit, Angelos non cognoscere occultas cordis humani cogitationes?

Resp. sententiam, quæ docet, cogitationes, de quibus agitur, ab Angelis non cognosci, esse quidem certam ac veram, cum maximè cum Scripturis & Patribus cohæreat, sed tamen non esse certam certitudine Fidei Catholicæ; nam ex Catholicis alii aliter exponunt, tum Scripturæ, tum Patrum loca, quæ superius relata sunt: scilicet non pauci contendunt, Angelos naturali virtute posse quidem cognoscere occultissimas cordium cogitationes, sed tamen eas actu non cognoscere, eò quod (inquiunt) Deus nolit suum concursum præbere, aliunde tamen necessarium, ut virtus naturalis, qua pollent Angeli, executioni mandetur. Ita censent Scotus, Ochamus, & Gabriel. Alii plus addunt, nempè judicant, probabile esse, quod Angeli cognoscant actu quascumque mentis, tum cogitationes, tum affectiones, quæ præsentes sunt, non autem præteritas, aut futuras, & in hoc volunt Angelorum cognitionem à divina discrepare; ita Durandus. Unde licet interpretationes ejusmodi sint falsæ, eo quod tum Scriptura, tum Patres absolutè, ac sine restrictione loquantur, & quidem maximè de cogitationibus actu præsentibus; tamen cum Ecclesia expresso aliquo decreto illas interpretationes non proscripserit, haberi non debent tanquam hæreticæ.

CONCLUSIO 5. Angeli naturæ viribus cognoscere non possunt religionis Christianæ mysteria.

Probatur. Id Angeli cognoscere non possunt naturæ viribus, cum quo eorum intellectiva facultas non habet proportionem; nam inter principium cognoscens, & objectum cognitum debet esse proportio; atqui inter intellectivam Angeli facultatem viribus naturalibus relictam, & inter mysteria religionis Christianæ, nulla est proportio: ista enim sunt ordinis supernaturalis; intellectiva verò facultas Angelorum, ordinis omninò naturalis.

Quæres, utrum Deus Angelis viatoribus aliqua revelarit mysteria, & in primis mysterium Incarnationis?

Resp. 1. Certum esse Deum aliqua mysteria Angelis viatoribus revelasse, scilicet Angeli viatores habuerunt fidem; fides autem habet pro motivo divinam revelationem: at Deus alia non revelavit Angelis, quam quæ essent supernaturalis ordinis; siquidem Angeli per naturæ vires noverant, quæ sunt ordinis naturalis: At quæ sint in specie misteria, quæ Deus Angelis viatoribus revelarit, incertum est omninò.

Nonnulli contendunt, eos antequam cœlesti beatitudine fruerentur, nec quoad substantiam, nec quoad circumstantias particulares, novisse mysterium Incarnationis: cum enim (inquiunt) beatitudinem non essent ex Christi meritis consecuturi, non erat opus, ut incarnationem Verbi docerentur.

Alii post S. Thomam asserunt 1. mysterium illud Angelis imperfectè fuisse revelatum: *Mysterium regni Dei, quod est impletum per Christum* (ait S. Doctor 1. p. q. 64. art. 1. ad 4.) *omnes quidem Angeli à principio aliquo modo cognoverunt, sed maximè ex quo beatificati sunt visione Verbi, quam dæmones nunquam habuerunt.*

Asserunt 2. S. Angelis fuisse revelatum perfectius initio beatitudinis, non tantùm secundùm substantiam, hoc est, prout dicit hominem Deum super omnes principatus exaltandum, sed etiam plures circumstantias particulares, licèt non secundùm omnes: *Ad primum ergo dicendum* (inquit idem S. Doctor 1. p. q. 57. art. 5.) *quòd de mysterio Incarnationis dupliciter contingit loqui. Uno modo in generali, & sic omnibus revelatum est à principio suæ beatitudinis. Alio modo possumus loqui de mysterio Incarnationis, quantùm ad speciales conditiones, & sic non omnes Angeli à principio de omnibus sunt edocti, imò quidam, etiam superiores Angeli, postmodum didicerunt.*

Asserunt 3. omnes Angelos statim post hominis lapsum cognovisse mysterium Incarnationis quantum ad aliquas circumstantias particulares, istam v. g. quod per Christum ex Adami stirpe nasciturum, homo lapsus redimendus erat, ac diabolus, qui seduxerat Evam, superandus. Nam (inquiunt) hæc ad serpentem verba, Genesis 3. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum*, sunt verba Angeli Dei nomine loquentis: Angelum autem non fugiebat sensus verborum, quæ ab illo proferebantur.

Asserunt 4. processu temporis ante Christum natum, Angelos cognovisse plures alias ejusdem mysterii circumstantias, aut Deo, prout ferebant occasiones, pleniùs revelante, aut Apostolis ejusmodi circumstantias prædicantibus; unde Paulus ad Ephesios 3. scribit, sibi datam esse evangelizandi gratiam, *ut* (inquit) *innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei secundùm præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.*

ARTICULUS II.

De medio cognitionis Angelicæ.

Not. 1. NOmine medii hic intelligitur id, in quo Angelus videt objecta, ad quæ ferri potest illius cognitio. Ea autem objecta (ut patet ex dictis articulo præcedenti) sunt Deus, ipsa Angeli natura, res corporeæ, cordis humani cogitationes, religionis Christianæ mysteria: quærendum est igitur, ubinam Angelicus intellectus ea omnia cognoscat, & a qua causa efficiente sit medium, in quo cognoscuntur.

Not. 2. Circa eam quæstionem variæ sunt Scholasticorum sententiæ. Nonnulli docent, Angelum videre res omnes in speciebus, quæ ipsis sint aut a Deo infusæ, aut congenitæ. Econtra alii docent, Angelum res nonnullas videre in sua substantia, alias verò in ipsarum rerum speciebus: qua ratione nodus ille solvendus sit, subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Angeli non vident Deum in aliqua specie creata, sed eum in se ipso immediatè vident.

Probatur. Qui vident Deum intuitivè, eum vident immediatè: hoc enim est discrimen inter intuitivam Dei cognitionem & abstractivam, quòd ista sit cognitio Dei in creaturis, illa verò in ipso Deo: atqui (ut parte 1. dictum est) Angeli, cum sint beati, Deum vident intuitivè: ergo eum vident non in speciebus, sed in illo immediatè.

Confirmatur. Angeli Deum non vident in eo quod ipsum, ut in se est, repræsentare non potest: atqui species creatæ non possunt repræsentare Deum, ut in se est: illud enim solum potest Deum repræsentare, ut in se est, quod est perfecta illius imago: sed species creatæ non sunt ejusmodi; nempe id soli Verbo debetur, in quo eadem est essentia, eædemque perfectiones, quæ in Deo Patre reperiuntur.

CONCLUSIO 2. Angeli se ipsos non vident in speciebus a se distinctis.

Probatur. Species illæ distinctæ, sunt inutiles: ergo Angeli se ipsos in illis non vident. Probatur ant. Species ideò tantùm necessariæ sunt, ut facultas intellectiva conjungatur cum objecto cognoscendo: atqui in casu, de quo agitur, species ad id non sunt necessariæ: siquidem Angelus sibi ipsi intimè præsens est; ac proinde non est opus speciebus, ut natura angelica, quæ est objectum cognitionis, cum intellectiva facultate conjungatur.

CONCLUSIO 3. Angeli in se ipsis cognoscunt communes rationes rerum omnium corporearum, non autem singulares.

Probatur prior pars. Angeli cognoscunt in se ipsis rationes, quæ in illorum natura continentur, se ipsos nimirùm comprehendunt: atqui rationes communes rerum omnium corporearum continentur in Angelorum natura; siquidem naturæ superiores continent rationes communes naturarum inferiorum: sic vivens continet perfectiones communes non viventis, animal v. g. perfectiones lapidis: Sed Angelorum natura superior est natura corporea; ergo continet rationes communes rerum corporearum.

Probatur altera pars. Angeli id tantùm in se ipsis cognoscunt, quod in eorum natura continetur: nempe ut quid in aliquo medio cognoscatur, necesse est, ut in illo contineatur, atqui rationes singulares rerum corporearum, seu specificæ illarum differentiæ, non continentur in natura Angelica; lapis v. g. in ratione specifica lapidis non est in Angelorum natura, alioquin Angelus esset lapis; quod implicat: ergo, &c.

CONCLUSIO 4. Rationes singulares, seu differentiæ, tum specificæ, tum numericæ, quæ ab Angelis cognoscuntur, videntur in propriis rerum speciebus.

Probatur. Angeli cognoscunt rationes singulares rerum in eo, per quod res conjunguntur eorum intellectivæ facultati, & per quod repræsentantur: atqui rationes singulares rerum per species conjunguntur facultati intellectivæ Angelorum, & per eas repræsentantur; cum enim in angelica natura minime contineantur, non est aliquid aliud præter illarum rerum species, per quod res conjungantur intellectivæ facultati Angelorum, & per quod repræsententur.

CONCLUSIO 5. Angeli per species sibi congenitas vident rationes communes rerum, rationes verò singulares per species a Deo infusas.

Probatur prior pars. Angeli per species sibi congenitas vident ea, quæ in propria sua natura cognoscunt, atqui (ex dictis conclusione 3.) Angeli vident in propria sua natura communes rerum rationes: ergo, &c. Altera verò pars sic ostenditur. Angeli (ut conclusione 4. dictum est) vident res singulares in earum speciebus: sed illæ species ex objectis exterioribus non recipiuntur ab Angelis; neque enim res corporeæ possunt Angelos ad sui cognitionem movere; nimirum quod corporeum est, movere non potest spirituale, nisi illi, ut anima rationalis corpori, sit unitum: ergo species, de quibus agitur, sunt Angelis a Deo infusæ.

Quæres, utrum Deus Angelis, ubi primùm conditi sunt, infuderit species communes rerum omnium, quas naturaliter cognoscere possunt?

Resp. affirmativè. Ratio est, quia intellectus angelicus creatus fuit in statu perfecto: ac perfectus non est intellectus, cui desunt species rerum, quas naturaliter cognoscere potest.

ARTICULUS III.

De dotibus cognitionis Angelorum.

Not. HIc cum S. Thoma 1. p. quæst. 58. quæremus 1. utrum Angeli cognitio semper sit in actu; 2. utrum multa simul attingat; 3. utrum sit discursiva; 4. an componat, ac dividat; 5. an possit esse falsa; 6. quid sit Angelorum tum matutina, tum vespertina cognitio.

CONCLUSIO 1. Angeli cognitio est semper in actu respectu eorum, quæ videt in Verbo, non autem respectu rerum aliarum.

Probatur prior pars: Ea cognitio semper est in actu respectu alicujus objecti, quæ sine intermissione illud objectum contemplatur: atqui Angeli cognitio sine intermissione contemplatur res, quas videt in Verbo: scilicet Verbum est veluti speculum, in quo illæ necessariò repræsentantur. Altera verò pars sic ostenditur. Angeli cognitio non semper est in actu respectu rerum, quas sine intermissione non considerat; atqui non considerat sine intermissione res, quas non videt in Verbo; in hoc enim Angelica cognitio differt à cognitione divina, quod hæc semper actu in objectum suum feratur.

CONCLUSIO 2. Angeli cognitio plura simul attingit, sed non omnia.

Probatur: Angeli cognitio simul attingit ea, quæ in unica specie repræsentantur; atqui plura, licet non omnia, repræsentantur in una specie. Quæ videntur in Verbo, exhibentur in essentia divina, quæ maximè est una. 2. Individua ejusdem speciei, in unica idea communi repræsentantur. 3. è contra, quæ diversæ speciei, non continentur in una ea idea, v. g. leo non continetur in idea bovis: ergo simul non cognoscuntur.

CONCL. 3. Angelorum cognitio non est discursiva respectu eorum, quæ naturaliter ab eis cognoscuntur.

Pro-

Probatur. Illa cognitio non est discursiva, quæ non infert unum ex alio: nimirùm discursus non aliud est, quam illatio unius ex alio; atqui Angeli cognitio non infert unum ex alio in iis, quæ naturaliter ab iis cognoscuntur; nam ea cognitio non infert unum ex alio, quæ est comprehensiva, scilicet in cognitione illativa unius ab alio unum supponitur ignotum, in cognitione verò comprehensiva, omnia simul sunt nota: sed Angelorum cognitio est (ut superius dictum est) comprehensiva, respectu eorum, quæ ab eis naturaliter, hoc est, per species illis ingenitas, cognoscuntur: ergo, &c.

Quæres, utrum Angeli cognitio sit discursiva respectu earum rerum, quæ ab eis naturaliter non cognoscuntur?

Respondent nonnulli negativè, alii verò, & quidem multò plures, affirmativè; idque (inquiunt) patet ex eo, quod Angeli ex his, aut illis motibus, quos in alicujus hominis corpore percipiunt, inferant, eum has aut illas cogitationes animo volvere; sic etiam dæmones ex Christi miraculis inferebant, eum esse Messiam in lege promissum.

CONCLUSIO 4. Angeli cognitio non est per divisionem & compositionem, in iis, quæ naturaliter ab eo cognoscuntur.

Probatur. Cognitio comprehensiva non est per divisionem, & compositionem; siquidem dividere, componere, non aliud sunt, quam apprehendere subjectum sine prædicato, aut ipsum cum prædicato conjungere per actum distinctum ab eo, per quem apprehenditur: atqui (ut superius dictum est) Angeli cognitio est comprehensiva respectu earum rerum, quæ naturaliter ab illo cognoscuntur: ergo, &c. Desumptum est illud argumentum ex S. Thoma, qui 1. p. q. 58. art. 4. sic loquitur; *Si intellectus statim in ipso principio videret conclusionis veritatem, nunquam intelligeret discurrendo, vel ratiocinando: Similiter si intellectus statim in apprehensione quidditatis subjecti, haberet notitiam de omnibus, quæ possunt attribui subjecto, vel removeri ab eo, nunquam intelligeret componendo & dividendo, sed solùm intelligendo quod quid est.*

CONCLUSIO 5. Angeli cognitio non potest esse falsa respectu eorum, quæ ab eo naturaliter cognoscuntur, imò nec respectu eorum, quæ supernaturaliter conveniunt objecto, secùs verò in Angelis damnatis.

Probatur prior pars. Cognitio comprehensiva non potest esse falsa; nimirùm posita est in perfecta ac adæquata objecti cognitione, ac proinde objecti prout est à parte rei; atqui (ut jam sæpè diximus) Angeli cognitio est comprehensiva respectu eorum, quæ ab eo naturaliter cognoscuntur: ergo &c.

Altera conclusionis pars non minùs est evidens. Nam ea cognitio non potest esse falsa, quæ non dicit absolutam, sive affirmationem, sive negationem: Sed in Angelis sanctis cognitio eorum, quæ supernaturaliter tantùm cognosci possunt, non dicit absolutam, sive affirmationem, sive negationem, sed hypotheticam tantùm, hoc est, salva ordinatione divina: è contra verò pravi Angeli, cum eorum voluntas sit inordinata, absolutum de rebus supernaturalibus, aut merè contingentibus judicium ferunt; ac proinde mirum non est, quod in iis rebus sæpissimè fallantur. *Angeli boni* (inquit S. Thomas) *habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei non judicant de his, quæ supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva ordinatione divina; unde in eis non potest esse falsitas, aut error. Dæmones verò per voluntatem perversam, subducentes intellectum à divina sapientia; absolutè interdum de rebus judicant secundùm naturalem conditionem. Et in his, quæ naturaliter ad rem pertinent, non decipiuntur; sed decipi possunt quantùm ad ea, quæ supernaturalia sunt; Sicuti considerans hominem mortuum, judicet eum non resurrecturum. Et si videns hominem Christum, judicet eum non esse Deum.*

CONCLUSIO 6. Duplex est in Angelis cognitio, Matutina scilicet & Vespertina.

Probatur. Cognitio matutina & vespertina, sunt ejusdem objecti cognitio perfectior & minùs perfecta; quemadmodum manè & vespere sunt eadem dies, sed perfectior & minùs perfecta: atqui datur in Angelis cognitio ejusdem objecti perfectior, & minùs perfecta, siquidem perfectio aut imperfectio cognitionis petuntur ex perfectione, aut imperfectione mediorum, in quibus res cognoscuntur, cum in uno clariùs repræsententur, quam in alio: sed ex mediis, in quibus Angeli res cognoscunt, unum est perfectiùs alio: nimirum Angeli beati vident res creatas in Verbo; eas quoque vident in speciebus, quæ sibi de iisdem rebus inditæ sunt: at res creatæ perfectiùs in Verbo repræsentantur, quam in speciebus, quas de iis Deus Angelis indidit: ergo, &c.

Confirmatur ex Augustino, qui lib. 4. de Genesi ad lit. cap. 24. docet 1. uno reali temporis momento res omnes creatas fuisse. Docet 2. sex illos dies, quos Scriptura testatur Deum impendisse ad rerum productionem, metaphoricè sumi debere, pro cognitione nimirùm, quam Deus de rebus creatis successivè contulit Angelis. Docet 4. Angelos beatos priùs, & quidem perfectè, creaturas in Verbo vidisse, deinde successivè ac minùs perfectè in ipsarummet rerum speciebus receptis, non quidem ex ipsismet rebus, sed Angelico intellectui (ut superiùs dictum est) infusis. Vide, quæ parte 1. diximus agentes de objecto intuitivæ Dei visionis. Vide etiã, quæ hujusce tertiæ partis dissertatione secunda, de aspectabilis hujus Universi creatione dicentur.

CAPUT II.

De Angelorum amore.

Not. DE Angelorum amore, quæremus 1. utrum reverà detur; 2. quodnam sit illius objectum; 3. utrum sit immutabilis?

CONCL. 1. Datur amor in Angelis.

Probatur. Amor est motus, quo voluntas fertur in bonum; & quidem per complacentiam, si sit præsens; per desiderium verò, si sit absens: atqui motus ille datur in Angelis: nempè motus ad bonum, sive per complacentiam, sive per desiderium, sequitur ex ejusdem boni cognitione: neque enim intellectus potest aliquod bonum cognoscere, quin voluntas aliquo in eum motu, cum sit naturale illius objectum, veluti quodnam pondere feratur: ergo, cum in Angelis (ut præcedente capite dictum est) sit boni cognitio, necesse est, ut in eis quoque sit nonnullus ejusdem boni amor.

CONCL. 2. Angelus seipsum, creaturas mente præditas, & Deum diligit, sed diversimodè.

Probatur prior pars. Diligere objectum aliquod, est velle ei bonum: atqui Angelus sibi, creaturis mente præditis, Deo, vult bonum; sibi quidem ac ceteris creaturis mente prædictis vult pacem, quæ non habetur, nisi per possessionem ultimi finis, ad quem creaturæ mente prædítæ, creatæ sunt; Deo autem, summum honorem, summam gloriam. Altera pars non minùs evidens est: scilicet Angelus diversimodè diligit, quæ diversimodè diligenda sunt; illius enim amor est amor rectus: Sed creaturæ, quæ mente præditæ sunt, & Deus, diversimodè diligenda sunt: creaturæ nimirum in ordine ad Deum, Deus verò propter se ipsum diligendus est. Vide quæ hujusce operis superius de charitatis ordine dicentur.

Quæres, utrum amor, quo Angelus Deum, ut authorem naturæ, super omnia diligit, sit amor naturalis?

Resp. negativè. Ratio est, quia amor Dei super omnia, etiam ut authoris naturæ, est amor, quem Augustinus

stinus sæpe vocat amorem castum: at amor castus, ex eodem Augustino, est charitas. Charitas autem (ut habetur primæ Joannis 4.) ex Deo est.

Confirmatur. Amor, quo Angelus, dum esset in via, Deum, ut est author naturæ, dilexit, fuit amor, qui Deo servit: amor verò, qui Deo servit, ab ipso Deo, sive hominibus, sive Angelis donatur, Augustino teste, qui lib. 4. contra Julianum, cap. 4. sic loquitur: *Absit autem, ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi vel propter illum, cui dicimus, Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsùs esse non possunt: Quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt: Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, a quo donantur hominibus; Deo serviunt in Angelis, a quo donantur & Angelis.*

Dices. Quæ mox data fuit responsio, videtur adversari S. Thomæ, qui 1. p. quæst. 60. art. 5. sic loquitur: *Quia igitur bonum universale est ipse Deus, & sub bono continetur etiam ipse Angelus, & homo, & omnis creatura, sequitur, quòd naturali dilectione etiam Angelus & homo plus & principalius diligat Deum, quam seipsum: alioquin si naturaliter plus seipsum diligeret, quàm Deum, sequeretur, quòd naturalis dilectio esset perversa, & quod non perficeretur per charitatem, sed destrueretur.*

Sed nullius est ponderis illud argumentum: scilicet S. Thomas eò loci non loquitur de amore elicito & libero, sed de amore innato & necessario. Ratio est 1. quia scribit, non Angelum tantùm, sed etiam hominem naturaliter diligere Deum super omnia: at, in ejusdem S. Thomæ doctrina, homo non potest Deum, etiam ut authorem naturæ, naturaliter, hoc est, naturæ viribus, super omnia diligere. Ratio est 2. quia S. Doctor non loquitur de Deo, ut est bonum a cæteris distinctum, sed ut est bonum quoddam commune non separatum ab aliis: *Deus* (inquit in responsione ad quartum) *secundum quod est universale bonum, a quo dependet omne bonum naturale, diligitur naturali dilectione ab unoquoque*: at bonum illud commune necessariò, sive quoad specificationem, sive quoad exercitium, a creaturis mente prædītis diligitur: illius enim boni amor non aliud est, quam propensio ad universale bonum indita creaturæ rationali.

CONCLUSIO 3. Angelorum amor non est naturaliter immutabilis. Est contra plures Thomistas, quibus placet, Angelum ita objectum aliquod eligere, ut in facta electione sit prorsùs immutabilis.

Probatur 1. Angelorum amor re ipsa mutatus est: ii enim qui perierunt, ex amantibus Deum, peccando facti sunt non amantes. Dæmonis voluntas circa Christi mortem mutata est: nempe priùs eam voluit, sed postea eam per Judæos, qui petierunt, ut de cruce descenderet, conatus est impedire.

Probatur 2. Si quis Angelorum amor esset immutabilis naturaliter, esset præsertim amor Dei, qui in beatis Angelis reperitur, & amor peccati, qui est in dæmonibus; atqui neuter ex iis amoribus est naturaliter immutabilis: Si enim esset naturaliter immutabilis, Patres beatificum Angelorum amorem adscripsissent eorum naturæ, non autem Dei gratiæ; eidem naturæ, non autem divinæ desertioni, tribuissent obstinatum peccati amorem, qui in pravis Angelis reperitur; atqui neutrius ex illis amoribus immobilitatem Patres tribuerunt Angelorum naturæ, sed aut soli gratiæ, aut divinæ desertioni. *Hoc ipsum* (inquit Fulgentius lib. de Fide ad Petrum, c. 23.) *quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari deteriùs nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum; sed postquam creati sunt, gratiæ divinæ largitate collatum.* Hæc etiam habet Augustinus lib. 22. de Civitate Dei, cap. 1. *Casum Angelorum voluntarium justissima pœna sempiterna infelicitatis obstrinxit; atque in eo summo permanentibus ceteris, ut de sua sine fine permansione certi essent, tanquam præmium ipsius permansionis dedit.* Isidorus lib. 1. de Summo bono capite 12. sic loquitur: *Gratia dicimus, non natura, esse immutabiles Angelos: nam si natura immutabiles essent, diabolus non utique cecidisset.*

Objicies. Illi sunt immutabiles ex natura sua, in quibus post electionem non remanet indifferentia judicii; scilicet indifferentia judicii est radix mutabilitatis in voluntate, seu ratio, propter quam voluntas modò velit unum objectum, modò verò illud non velit, petitur ex eo quod intellectus semper eadem ratione non apprehendat objectum; quippe novæ rationes illi plerumque occurrunt, propter quas voluntas odit objectum, quod prius deperierat; atqui post electionem non remanet in Angelis indifferentia judicii circa objectum, quod elegerunt; cum enim perfectus sit eorum intellectus, unico instanti detegit omnes omninò rationes, propter quas objectum aut odio haberi, aut amari debeat: *Differt enim* (inquit Sanctus Thomas 1. p. quæstion. 64. art. 2.) *apprehensio Angeli ab apprehensione hominis in hoc, quod Angelus apprehendit immobiliter per intellectum, sicut & nos immobiliter apprehendimus prima principia, quorum est intellectus: homo verò per rationem apprehendit mobiliter, discurrendo de uno ad aliud, habens viam procedendi ad utrumque oppositorum. Unde & voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens etiam ab eo discedere, & contrario adhærere: voluntas autem Angeli adhæret fixè & immobiliter: & ideò si consideretur ante adhæsionem, potest liberè adhærere & huic & opposito, in his scilicet, quæ non naturaliter vult.*

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Angelorum intellectus detegit omnes rationes, propter quas objectum, aut odio haberi, aut amari debeat; & illæ rationes remanent in Angelorum intellectu, etiam post factam electionem, conc. ant. & non remanent, neg. ant. Ubi Angelus propter hanc, aut illam rationem elegit aliquod objectum, habet adhuc in apprehensione rationes alias, propter quas illud post electionem deserere possit, si tamen sit ex numero eorum objectorum, quæ non sunt ultimus finis, aut quæ cum eo non habent connexionem necessariam. Ad 3. dist. ant. ex S. Thoma Angelus immobiliter apprehendit objectum, quod est ultimus finis, aut cum eo necessariam habet connexionem, conc. ant. quod nec est ultimus finis, nec habet cum eo necessariam connexionem, neg. ant. Confirmatur responsio ex eo, quòd juxta doctrinam S. Thomæ, Angeli sancti per primum suæ voluntatis actum, beatitudinis præmium consecuti sint, alii verò damnationem æternam; ac proinde cum S. Doctor scribit, utrosque immobiliter objectum apprehendere, illique immobiliter inhærere, loquitur de objecto, per quod Angeli sancti, constituti sunt Beati, & de peccato, per quod Angeli mali, facti sunt in æternum miseri.

CAPUT III.

De Angelorum loco.

Not. HOc in capite quæri potest 1. utrum Angeli sint in loco; 2. quotuplex sit eorum locus; 3. quomodo sint in loco; 4. denique per quid in eo constituantur.

AR-

ARTICULUS I.

Utrum Angeli sint in loco.

CONCL. Angeli verè sunt in loco.

Probatur. Ii sunt in loco, qui in eo operantur; neque enim causa efficiens operatur ubi non est: atqui Angeli in loco operantur; movent nimirum hominum corpora, ut in obsessis patet; apparent hominibus, ut ex Scriptura docemur: ergo revera sunt in loco.

Quæres, utrum sola virtus Angeli sit in loco, an etiam illius substantia?

Resp. Angelum esse in loco non tantùm secundùm suam virtutem, sed etiam secundùm substantiam. Revera enim substantia Angelorum est aut in cœlis, aut in inferno, aut in terris: quæ enim proferentur testimonia ad secundæ conclusionis probationem, non tantùm intelliguntur de præsentia virtutis, qualis est præsentia Solis in visceribus terræ, sed etiam de præsentia substantiæ.

Confirmatur 1. ex Patribus. Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio, agens de sacrificii tempore sic loquitur: *Per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est.*

Non absimili ratione loquitur Concilium Aquisgranense, imperante Ludovico Pio celebratum: *Nec* (inquit cap. 132.) *dubitare licet, ubi Corporis & Sanguinis Domini geruntur mysteria, supernorum civium adesse conventus.* Athanasius in Epist. ad Serapionem, concludit, ideò Spiritum sanctum esse majorem Angelis, quòd sit ubique, Angeli verò *certis locis circumscribantur*, hoc est, definiantur.

Confirmatur 2. ex eo, quòd hic articulus: *Substantiæ separatæ nusquam sunt*, quondam, (Sylvio teste 1. p. q. 52. art. 1.) tanquam erroneus ab Episcopo Parisiensi proscriptus fuerit.

ARTICULUS II.

Quinam sit Angelorum locus.

CONCL. Triplex est Angelorum locus, cœlum, infernus, aer.

Probatur. *Primò*, aliquos Angelos in Cœlis esse, certissimum est: ibi enim regnant cum Patre nostro, qui in cœlis est. *De die illo vel hora* (inquit Christus Marci 13.) *nemo scit, neque Angeli in cœlo.* Lucæ 2. *Discesserunt ab eis Angeli in cœlum.* Lucæ 22. *Apparuit illis Angelus de cœlo.* Matthei 22. *Angelus Domini descendit de Cœlo.*

Secundò, constat quoque nonnullos Angelos ad infernum detrusos fuisse: hæc enim leguntur secundæ Petri 2. *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum, tradidit cruciandos in judicium reservari*. Consonat Judas in Epistola sua canonica, cap. 6. *Angelos verò* (ait) *qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit.*

Tandem *tertiò*, non minùs est certum, plures è dæmonibus in aere versari. Job cap. 1. Satan interrogatus, unde veniret, ait: *Circuivi terram & perambulavi eam.* Primæ Petri 5. hæc habentur: *Adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret.* Eòdem spectant, quæ scribit Paulus ad Eph. cap. 2. *In quibus aliquando ambulastis secundum principem aeris hujus.* Ejusdem Ep. cap. 6. dæmones vocantur *mundi rectores tenebrarum harum, spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, hoc est, aeriis locis. In eum verò textum sic loquitur Hieronymus: *Hæc autem omnium Doctorum opinio est, quòd aer iste, qui cœlum & terram medius dividens inane appellatur, plenus sit contrariis fortitudinibus.*

Objicies. Secundæ Petri 2. innuitur, omnes prorsùs Angelos apostatas in infernum detrusos fuisse: *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Idem quoque colligi potest ex capite sexto Epistolæ Canonicæ Judæ. Ergo nulli dæmones sunt in aere.

Respondet Estius negando conseq. Ratio est (inquit) quia licèt Deus omnes Angelos apostatas statim post peccatum in infernum detruserit: postea tamen principi eorum permisit, ut ex illo carcere egressus, primos parentes ad peccatum provocaret; post peccatum verò primorum parentum, nonnullos alios permisit pariter ex inferis exire, ut Adami posteros ad peccatum pelliciant, atque pro meritis eos divexent. Respondent alii, Petrum eo sensu asseruisse, Angelos prævaricatores in infernum detrusos fuisse, quòd major eorum pars in tenebricosum illum locum dejecta fuerit. S. Thomas 1. p. q. 64. art. 4. illi responsio patrocinatur.

Quæres, utrum dæmones, sive, qui in infernis concluduntur, sive qui versantur in aere torqueantur, tum pœna damni, tum pœna sensus; hoc est, utrum non solùm crucientur ex carentia intuitivæ Dei visionis, sed etiam utrum igne torqueantur?

Respondeo 1. nonnullos ex antiquis censuisse dæmones, sive qui tartaris concluduntur, sive qui versantur in aere, post extremum tantùm judicii diem ignis pœna cruciandos esse. Ita sensisse videntur Tertullianus in Apolog. cap. 27. Justinus in apologia priore. Quidam recentiores in eam sententiam trahunt hæc Bernardi verba Sermone de Transitu S. Malachiæ: *Definita quidem, sed nondum promulgata sententia est. Denique jam diabolo ignis paratus est, etsi nondum præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore sinitur malignari.*

Respondeo 2. alios, & quidem multò plures ex Patribus censuisse, dæmones omnes ignis pœna statim post peccatum cœpisse cruciari: Ita enim docent Author libri de vita contemplativa lib. 1. c. 3. Beda in caput 3. Lucæ, Augustinus lib. de Corrept. & Gratia cap. 10.

Respondeo 3. S. Thomam de ea quæstione agere 1. p. q. 64. art. 4. Eò verò loci refert 1. eorum sententiam, qui contendunt, nec animas damnatorum, nec dæmones igne cruciari debere ante extremum judicii diem, atque eam esse erroneam: *Quod* (inquit ad 4.) *est erroneum*. Refert 2. opinionem aliam, quæ asserit, animas quidem jam nunc igne cruciari, sed id negat de dæmonibus: Illi verò sententiæ nullam inurit notam, sed simpliciter eam hisce verbis recenset: *Alii verò licèt non concedant de animabus, concedunt tamen de dæmonibus.* Refert 3. proprium suum judicium: *Sed* (inquit) *melius est dicendum, quòd idem judicium sit de malis animabus, & de malis Angelis, sicut idem judicium est de bonis animabus, & de bonis Angelis.* Addit S. Doctor, quòd licèt Angeli, qui in aere versantur, nondum igni sensibili sint alligati; illo tamen crucientur, quòd sciant se post extremum judicii diem in eum esse dejiciendos: *Similiter* (inquit) *dicendum est, quòd dæmones licèt non actu alligentur gehennali igni, dum sunt in aere isto caliginoso: tamen ex hoc ipso quòd sciunt, illam alligationem sibi deberi, eorum pœna non diminuitur.*

Respondeo 4. tenendam esse omninò eam S. Doctoris opinionem, cum invaluerit in Ecclesia; seu, asserendum est, dæmones omnes etiam nunc igne torqueri, & quòcumque eant, sua secum supplicia circumferre.

Ad ea verò Patrum loca, quæ pro priore sententia laudata sunt, dicendum est 1. eos Patres, qui scripserunt dæmones omnes nondum pati pœnam ignis, intelligi debere de pœna sumpta quoad locum, in quo sævit ejusmodi

modi pœna: neque enim (ut dictum est) omnes dæmones tartaro concluduntur.

Dicendum est 2. alios Patres, qui docuerunt nondum esse completa dæmonum supplicia, intelligendos esse de complemento quoad locum, & quoad privationem potestatis tentandi homines, qua pollent degentes in terris: *Nec est contra hoc*, (inquit S. Thomas) *quòd rogaverint Dominum, ut non mitteret eos in abyssum*: ut dicitur Lucæ 8.) *quia hoc petierunt, putantes sibi pœnam, si excluderentur à loco, in quo possunt hominibus nocere.*

Dicendum est 3. textum ex Bernardo prolatum non intelligi de omnibus dæmonibus, quasi docere voluerit, nullum ex dæmonibus jam nunc inferorum igne torqueri; sed intelligitur de iis tantùm dæmonibus, qui (ut superiùs dictum est) in terris versantur, nec adhuc (ut loquitur S. Thomas) igni tartareo sunt alligati.

ARTICULUS III.

Quomodo Angeli sint in loco.

Not. DUobus modis res aliqua potest esse in loco, circumscriptive nimirùm & definitivè. Esse in loco circumscriptive, est respondere variis partibus loci, quo res supponitur contineri: esse verò definitive est rem ita esse in uno loco, ut non sit alibi.

CONCLUSIO 1. Angeli non sunt in loco circumscriptivè.

Probatur. Ex observatis, esse in loco circumscriptivè, est ita contineri loco, ut res, quæ in eo est, correspondeat variis partibus loci, seu spatii: sed Angeli non correspondent variis parribus loci, seu spatii; siquidem ut res aliqua correspondeat variis partibus loci, ipsa debet habere partes; atqui Angeli partes non habent, cum (ut superiùs probatum est) expertes sint cujuslibet materiæ, cui soli partes conveniunt.

Objicies. Athanasius in Epistola ad Serapionem asserit, Angelos certis locis circumscribi: *Angeli* (inquit) *consistunt in certis locis, loco circumscribuntur*. Eodem modo loquitur Gregorius Magnus lib. 2. Moralium, cap. 3. *Circumscriptus est* (ait) *Angelicus spiritus*: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Angeli, ex Athanasio & Gregorio Magno, circumscribuntur impropriè, conc. ant. propriè neg. ant. Circumscribi proprie, est (ut jam dictum fuit) correspondere partibus spatii; impropriè verò, est spatio comprehendi: hoc, non autem illo modo, Patres in argumento laudati sumpserunt verbum, *Circumscribi*. Ratio est, quia sic locuti sunt, ut probarent immensitatem, non Angelis, sed Deo soli convenire: at ad id probandum satis erat argumentum desumptum ex eo, quod quælibet creatura, ipse etiam Angelus, loco comprehendatur, id est, ita sit in uno loco, ut non sit alibi.

CONCLUSIO 2. Angeli sunt in loco definitivè.

Probatur. Ex observatis, rem esse definitivè in loco, est eam certo spatio ita contineri, ut non sit alibi, seu est loco comprehendi: atqui Angeli certo spatio ita continentur, ut non sint alibi: & in hoc differunt à Deo, qui, cum sit immensus, nullo spatio, nullo loco comprehenditur.

Objicies 1. Unus Angelus potest divinitus simul esse pluribus in locis: atqui quod, etiam divinitus, potest esse pluribus in locis, non est in loco definitivè: siquidem esse in loco definitivè, est rem ita inesse uno loco, ut non sit alibi: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem, dist. ant. Est rem ita esse in uno loco, ut non sit alibi, spectata virtute naturali, conc. ant. spectata virtute supernaturali, neg. ant. Hac tantùm virtute, non autem illa, Angelus potest esse pluribus in locis.

Objicies 2. Si unica tantùm in Orbe esset Hostia consecrata, Corpus Christi ita esset in uno loco, ut non esset alibi: & tamen ex Theologis, non esset definitivè sub speciebus panis: ergo quamvis Angelus ita sit in uno loco, ut non sit alibi, non sequitur, quod sit in loco definitive.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia existit aliquid in Orbe, ratione cujus Corpus Christi multiplicari possit: nempè est substantia panis, quæ ubicumque reperta fuerit, potest per Evangelica verba, *Hoc est Corpus meum*, in Christi Corpus transubstantiari: at nihil est, ratione cujus Angelus constitui possit pluribus in locis; unde mirum non est, quòd Angelus, non autem corpus Christi, sit in loco definitivè.

ARTICULUS IV.

Per quid Angeli sint in loco.

Not. 1. STatus quæstionis est, quænam sit forma, per quam Angelus in loco constituitur: quemadmodum quando quæritur, per quid Sol calefaciat, status quæstionis est, quænam sit forma, per quam Sol effectum illum operatur.

Not. 2. Circa quæstionem eo, quo dictum est, modo propositam, duplex est Scholasticorum sententia. Scotistæ post Subtilem Doctorem passim asserunt, Angelum constitui in loco per suam essentiam prout a spatio indistantem; unde cum ab eis quæritur, quid sit, Angelum esse in loco, respondent esse, ipsius essentiam à spatio non distare. Thomistæ è contra post Angelicum Doctorem docent, Angelum constitui in loco per operationem ad extra; in ea autem operatione duo sunt, applicatio nimirùm Angelicæ virtutis ad aliquod corpus, & effectus, qui in corpore sequitur ex ejusmodi virtutis applicatione; ea fermè ratione, qua in tractu navis, applicatio virtutis ex parte trahentium, distinguitur ab actuali navis tractu: nec enim toties navis movetur loco, quoties, quis per suæ virtutis applicationem, illam trahere conatur.

CONCLUSIO 1. Angeli non constituuntur in loco per suam essentiam.

Probatur. Angeli per id non constituuntur in loco, quod per se est indifferens ad hunc, aut illum locum: scilicet id, per quod res aliqua constituitur in loco, debet eam determinare, ut sit in uno loco potiùs, quam in alio: atqui (ut patet) Angelorum essentia per se est indifferens, ut sit in uno loco potius quam in alio.

Nec valet, quod nonnulli respondent, essentiam Angeli determinari ad locum per essentiam, non quidem absolute sumptam, sed prout est indistans a loco. Non valet (inquam) nam indistantia satis non est, ut res sit in loco; siquidem res non est in loco nisi per contactum, hoc est, nisi tangat locum, in quo dicitur esse: sed indistantia non efficit, ut res locum tangat; locus enim non tangitur, nisi aut per quantitatem, aut per virtutem locati: ergo cum in Adversariorum suppositione, Angelus locum non tangat, aut per quantitatem, aut per virtutem, reverà illum minime tangit, ac proindè non est illi præsens.

CONCLUSIO 2. Angeli sunt in loco libero per operationem ad extra.

Probatur 1. iis omnibus argumentis, quibus hujusce operis parte 1. ostensum est, Deum esse formaliter in loco per operationem ad extra; hoc est, operationem ad extra esse formam, per quam Deus constituitur in loco.

Probatur 2. Res non est in loco, ut mox observatum est, nisi per contactum; atqui contactus in Angelis non est, nisi per virtutem, seu per operationem ad extra: ergo, &c.

Probatur 3. Per id solum Angelus est in loco libero, per quod potest absolvi ab omni loco, seu existere sine

omni

omni loco; atqui per folam operationem ad extra, Angelus poteſt abſolvi ab omni loco libero, ſeu loco, in quo non ſit violenter: ergo per folam operationem ad extra conſtituitur in loco libero. Minor propoſitio eſt evidens; neque enim eſt aliquid aliud præter operationem ad extra, quod Angelus pro libito poſſit aut ponere aut tollere. Itaque major, in qua difficultas eſt poſita, hiſce momentis oſtenditur. *Primò*, Angelos poteſt ſe ipſum ab omni loco abſolvere: *Nihil prohibet* (inquit S. Thomas quæſt. 3. de potentia, art. 19. ad 2.) *Angelos non eſſe in loco, ſi voluerint*: ergo Angelus per id conſtituitur in loco, per quod poteſt abſolvi ab omni loco. *Secundò*, Angeli creari potuerunt ante mundum hunc corporeum; imò (ut ſuperiùs dictum eſt) revera, ſecundùm aliquos Patres, creati ſunt ante mundum: atqui in illa ſuppoſitione non esset aliquis locus: ergo Angeli, abſolutè loquendo, poſſunt abſolvi ab omni loco.

CONCLUSIO 3. Angelus eſt in loco violento per paſſionem ortam a cauſa efficiente extrinſeca.

Probatur. Per id Angelus eſt in loco violento, per quod exteriori corpori invitus conjungitur: atqui per paſſionem ortam a cauſa extrinſeca invitus exteriori corpori conjungitur; ſic nonnulli dæmones per paſſionem ab igne tartareo, inviti ſunt in inferis: ergo pravi Angeli ſunt in loco violento per paſſionem.

Objicies 1. Per id Angelus non conſtituitur in loco ſibi naturali, quod ſupponit, Angelum jam eſſe in loco: atqui operatio ad extra ſupponit Angelum jam eſſe in loco; ſcilicet operari ſequitur eſſe: ergo Angelus non eſt in loco ſibi naturali per operationem ad extra.

Reſp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. diſt. ant. Operari ſequitur eſſe ſumptum abſolutè, conc. ant. ſumptum in ordine ad locum, ſubdiſtinguo, in agentibus corporeis, conc. ant. in agentibus ſpiritualibus, neg. ant. Ratio eſt, quia agentia corporea ſunt in loco per quantitatem, ſeu dimenſionem, quia per eam replent locum, ſeu variis loci partibus correſpondent: unde mirum non eſt, quòd eorum præſentia in loco, præſupponatur operationi ad extra: econtra verò agentia ſpiritualia, cum non habeant quantitatem, per quam eorum ſubſtantia, loci partibus correſpondeat, non tangunt locum, niſi per virtutem, ſeu actionem, quam in eum exerunt.

Objicies 2. Si Angelus eſſet in loco per operationem ad extra, exiſtere poſſet abſque omni loco: nempè cum operatio ad extra ſit libera, Angelus poſſet ab omni operatione externa temperare: ſed Angelus non poteſt exiſtere abſque omni loco; nam ens creatum exiſtens dicit eſſe quod ſit alicubi, cum dicat eſſe limitatum: ergo, &c.

Reſp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ad 3. diſt. ant. Ens creatum exiſtens dicit eſſe limitatum termino eſſentiæ, quæ eſt finita, conc. ant. termino loci, neg. ant. *Ad quartam dicendum* (ait S. Thomas in 1. Sent. diſt. 37. quæſt. 3. art. 1.) *quòd hoc non repute inconveniens, quòd Angelus poſſit eſſe, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet; nec eſt inconveniens ut tunc nuſquam, vel in nullo loco eſſe dicatur, ſicut etiam non eſt inconveniens, quòd nullo celore celoratus dicatur.*

Objicies 3. In ſententia, quæ aſſerit, Angelos eſſe in loco per operationem ad extra, non poteſt explicari, quomodo Angeli ſancti ſint in Cœlis; qua ratione animæ Sanctorum, qui ante Chriſti adventum obierant, in lymbo eſſe dicerentur: neque enim Angeli quidquam externum in Cœlis operantur; aut operatæ ſunt animæ, quæ lymbo ante Chriſti adventum detinebantur: nec in Ægypti deſerto dæmon Aſmodeus, ubi Tobiæ 8. alligatus fuerat a Raphaele.

Reſp. neg. ant. Nam dici poteſt 1. Angelos, cum præfecti ſint rerum omnium corporearum adminiſtrationi, per aliquam operationem nonnihil conferre ad externum cœli Empyrei ornatum, quamvis id nos lateat quod illius reſpectu conferunt; nec id mirum eſt, cum ipſiuſmet Empyrei cœli qualitates nobis ignotæ ſint. Dici poteſt 2. animas Sanctorum, quæ quondam lymbo concludebantur, fuiſse in loco, non quidem per actionem aliquam, ſed per paſſionem: licèt enim non cruciarentur, tamen patiebantur ſui detentionem a cauſa extrinſeca, Deo nimirum. Ratio autem diſparitatis, quæ inter Angelos beatos, & animas, de quibus agitur, reperiebatur, deſumpta erat ex eo, quòd Angeli beati, in cœlis exiſtentes, loco ſibi connaturali fruerentur; animæ verò Patriarcharum erant in loco violento, aut ſaltem præternaturali. Verùm (ut ſuperiùs dictum eſt) ſubſtantia ſpiritualis in loco ſibi connaturali, ſeu in quo vult eſse, conſtituitur per operationem ad extra, cum èconira in loco ſive violento, ſive præternaturali, per paſſionem ortam ab aliqua cauſa extrinſeca, conſtituatur. Verùm in his ſimilibuſque explicandis uſurpare licet hanc Auguſtini lib. 2. de Trinitate, capite 10. ſententiam: *Quemadmodum hæc faciant Angeli*, (de miraculis loquitur) *vel potiùs quemadmodum Deus hæc faciat per Angelos ſuos, nec oculorum acie penetrare, nec fiducia rationis enucleare, nec provectu mentis comprehendere valeo, ut tam certus loquar ad omnia, quæ requiri de his rebus poſſunt, quàm ſi eſſem Angelus, aut Propheta, aut Apoſtolus*. Dici poteſt 3. cum Eſtio, myſticè intelligi debere, quæ de Aſmodæo dicuntur Tobiæ 8.

Objicies 4. Angeli cuſtodes ſemper ſunt propè clientes ſuos, & tamen ſemper circa illos non operantur exteriùs: ergo Angeli cuſtodes non ſunt in loco per operationem ad extra.

Reſp. 1. neg. ant. ſcilicet innumera ſunt, tum ſalutis, tum vitæ corporeæ pericula, è quibus Angeli cuſtodes, ſuos clientes ſine intermiſſione liberant. Reſp. 2. negando, Angelos cuſtodes ſempre eſse propè ſuos clientes: interdum enim ſunt in Cœlo; idque non impedit, quin etiam tunc ſint clientium ſuorum cuſtodes. Ratio eſt, quia licèt tunc circa clientes nihil operentur exteriùs; ad eos tamen virtutem ſuam dirigunt, hoc eſt, parati ſunt eis, cum opus fuerit, opitulari: unde tunc non habent quidem ad clientes relationem rei locatæ ad locum, ſed habent ordinis relationem. Deſumpta eſt illa ſolutio ex S. Thoma, nempè 1. p. q. 113. art. 6. ad 3. ſic loquitur: *Angelus licèt interdum derelinquat hominem loco, non tamen derelinquit eum quantùm ad effectum cuſtodiæ, quia etiam cum eſt in Cœlis, cognoſcit, quid circa hominem agatur, nec indiget mora temporis ad motum localem, ſed ſtatim poteſt adeſſe.*

Objicies 5. Si Angelus eſset in loco per operationem, poſset eſse ſimul in pluribus locis, etiam a ſe invicem diſtantibus; imò ſimul in cœlo & in terra: ſiquidem pluribus iis in locis aliquid exterius ſimul operari poteſt, ut patet in Angelo, qui lib. 4. Regum cap. 19. centum octoginta quinque millia hominum percuſſit: atqui conſequens eſt abſurdum: ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Angelus poſset eſse pluribus in locis inadæquatis, conc. ant. adæquatis, neg. ant. Locus adæquatus eſt actio externa, quæ exhaurit totam agendi virtutem, quæ reperitur in Angelo; inadæquatus verò eſt actio, quæ non exhaurit totam illius agendi virtutem. Hincque patet, Angelum naturaliter non poſse eſse in pluribus locis adæquatis; nam ex ſuppoſitione quòd in uno loco aliqua actio externa exhauriat totam illius agendi virtutem, Angelus naturaliter non poteſt in alio loco operari, èc ontra verò, cum per unam actionem illius virtus non exhauritur, nihil impedit, quin in alio loco operetur; ac proindè quin in illo loco exiſtat. Verùm cum Angeli virtus ſit finita, non poteſt ubique operari: imò nec in ſpatio, quod non eſt intra ſphæram activitatis illius: cujuſmodi verò ſit illud ſpatium, petitur ex majori, vel minori Angelorum vir-

ture, quæ nonnunquam extendit se ad domum, nonnunquam ad civitatem, aliquando ad provinciam & regnum. Sed hæc satis sint de iis, similibusve quæstionibus. Qui de iis plura nosse voluerit, S. Thomam 1. p. q. 53. ejusque Commentatores Sylvium & alios poterit consulere.

CAPUT IV.

De motu, & locutione Angelorum.

CONCL. 1. Angeli moventur localiter.

Probatur. Scripturæ motum localem Angelis adscribunt; siquidem tribuere ascensum, descensum, circuitionem, itineris confectionem, est motum localem adscribere: ea enim motus localis ideam complectuntur, seu derelictionem termini, *A quo*, & progressum ad terminum, *Ad quem*; atqui Scripturæ ea omnia tribuunt Angelis: nempe Matthæi 28. hæc habentur: *Angelus autem Domini descendit de cœlo.* Hæc etiam Lucæ 2. *Discesserunt Angeli a pastoribus in cœlum.* Job 1. Satan hæc ait: *Circuivi terram & perambulavi eam.* Tobiæ 5. Angelus Raphael dicit: *Omnia itinera ejus frequenter ambulavi.*

Objicies. Moveri localiter, est successivè correspondere variis partibus spatii; atqui id Angelis non convenit, cum quantitatem non habeant: ergo motus localis, saltem propriè, eis minimè convenit.

Resp. dist. maj. Moveri localiter, est successivè correspondere variis partibus spatii, in rebus corporeis, conc. maj. in rebus spiritualibus, ut sunt Angeli, neg. maj. Duplex est species motus localis, etiam propriè sumpti: Prior, quæ solis corporibus convenit, posita est in eo, quòd mobile variis spatii partibus correspondeat: posterior, quæ spiritibus est propria, posita est in eo, quod mobile aut continuè aut successivè in variis spatii partibus operetur.

Quæres, utrum Angelus possit ab uno extremo ad aliud extremum moveri impertransito medio?

Resp. affirmative. Ratio est, quia motus Angeli positus est in illius operatione ad extra: porrò Angelus potest operari in uno spatii extremo, quamvis nec in alio extremo, nec in medio operetur; ac proinde ab uno extremo moveri potest in aliud, impertransito medio.

CONCLUSIO 2. Angeli inter se colloquuntur.

Probatur 1. ex Scriptura: Loqui, est internam cogitationem alteri per aliquod signum manifesta e: atqui Angeli id præstant. Nam 1. hæc leguntur Isaiæ sexto: *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Judas Apostolus in epistola sua canonica refert Michaelis cum diabolo circa Moysis corpus contentionem: at contentio inter spiritus esse non potest, nisi contendentes sibi invicem quibusdam mediis suas cogitationes manifestent. Apostolus linguam Angelis tribuit: *Si* (inquit 1. ad Corinth. 13.) *linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans*: ergo Apostolus docuit, mutuum esse inter Angelos colloquium. Chrysostomi est argumentum illud; sic enim in eum Pauli locum loquitur: *Linguam Angelorum hic appellat, non corpus Angelis attribuens, sed ejusmodi est quod ait: Quamvis ita loquar, ut Angeli inter se colloquuntur.* Eadem est Theophylacti in eundem locum sententia: *Angelis porro lingua est intellectiva*, (ait) *vis nimirum illa, qua sibi mutuò divinarum rerum intellectum, ac divinas cogitationes impertiunt.*

Probatur 2. ratione: Qui perfectam inter se societatem habent, sibi invicem mutuò loquuntur: id enim necessariò videtur exigere perfectio societatis: sed Angeli perfectam inter se societatem habent: nempè cœlestis Jerusalem præcipui sunt cives; respublica cœlestis ex Angelis præcipuè componitur.

Quæres, quomodo Angeli inter se loquantur?

Resp. Angelorum loquendi modum positum esse 1. in eo quòd Angeli cogitationes ad se invicem dirigant; 2. in eo quòd Deus ex imposita sibi lege excitet in Angelo ideam cogitationis, quæ ad ipsum ab alio Angelo directa fuit: *Ex hoc* (inquit Sanctus Thomas 1. p. quæst. 107. art. 1.) *quòd conceptus mentis angelicæ ordinatur ad manifestandum alteri voluntatem ipsius Angeli, conceptus mentis unius Angeli innotescit alteri: & sic loquitur unus Angelus alteri. Nihil enim est aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare.*

Ex iis, quæ mox dicta sunt de modo loquendi Angelorum, colligitur 1. localem distantiam non impedire, quin Angeli custodes, qui in terris versantur, cum iis colloquantur, qui sunt in cœlis. Colligitur 2. unius Angeli collocutionem cum altero, ceteris Angelis non innotescere; non enim (ut supponitur) Angelus ille sibi proponit, suas cogitationes omnibus manifestas facere.

CAPUT V.

De missione Angelorum.

Not. Hic nomine missionis intelligitur processio a Deo per imperium ad aliquem effectum producendum. De ea verò missione quæremus 1. utrum Angelis conveniat; 2. an Angeli ex omnibus ordinibus mittantur; 3. utrum quilibet homo habeat Angelum sui custodem, 4. utrum pariter adsit cuique Angelus malus.

ARTICULUS I.

Utrum missio conveniat Angelis.

CONCL. Missio convenit Angelis.

Probatur. Ex observatis, missio, in creatis, est processio a Deo per imperium ad aliquem effectum producendum: atqui ejusmodi processio convenit Angelis; scilicet Angeli tum in veteri testamento, tum in novo sæpiùs jussi sunt, aut ministeria sua hominibus exhibere, aut quæ ventura erant, prænuntiare: Exodi 33. sic Deus Moysi loquitur: *Mittam præcursorem tuum Angelum.* Tobiæ 12. Raphael ait: *Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit.* Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo.*

Quæres, utrum Angeli, qui sua ministeria hominibus exhibent, dici possint hominum ministri?

Resp. negativè. Ratio est, quia Angeli nusquam in Scripturis dicuntur hominum ministri, sed Dei tantùm: unde Angelus, qui Apocalyp. 19. & 22. suum ministerium exhibuit Joanni, se ipsum non vocavit Joannis servum, sed conservum: nec ii, qui Danielis 10. regnorum curam agunt, dicuntur regnorum servi, imò principes regnorum appellantur: *Princeps autem regni Persarum* (verba sunt Angeli Danielem alloquentis) *restitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michael unus de principibus venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta Regem Persarum.* 2. Patres (ut patet ex Leone Magno serm. 2. de quadragesima) ex his Evangelii verbis Matthæi cap. 4. *Angeli accesserunt, & ministrabant ei*, concludunt, Christum esse Deum, supponentes, Angelos non creaturis, sed Deo soli servire. 3. Licèt Pastor gerat ovium curam, non dicitur tamen servus ovium, sed heri, cujus sunt oves; ita quamvis Angelis commissa sit hominum cura, dici nihilominùs non debent hominum servi, sed Dei tantùm, a quo missi sunt. Hincque concluditur, quod cum Bernardus serm. 11. in Psalmum, *Qui habitat*, Angelos vocat hominum ministros, intel-

ligi

ligi non debeat de ministerio subjectionis, sed de ministerio laboris & operis.

ARTICULUS II.

Utrum Angeli ex omnibus ordinibus mittantur.

CONCL. PRobabilius est, Angelos non ex ordinibus infimis tantùm, sed ex omnibus, mitti ad hujus Universi regimen, & ad hominum tutelam.

Probatur. Nullus est Angelorum ordo, ex quo ad hujus Universi regimen, & ad hominum tutelam non mittantur Angeli: ergo non ex infimis tantùm, sed ex omnibus ordinibus mittuntur. Probatur ant. Apostolus ad Hebræos cap. 1. scribit, *omnes* Angelos mitti propter homines: *Nonne omnes* (ait) *sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* atqui per vocem illam, *Omnes*, Apostolus intelligit omnes prorsùs Angelorum ordines: cum enim illa vox, *Omnes*, universalitatem aliquam importet, de universalitate saltem ordinum intelligi debet.

Confirmatur argumentum ex scopo, quem eò loci Paulus sibi proponit. Intendit nimirum probare, Christum dignitate ac natura superare creaturas omnes, ipsos etiam Angelos, qui principem inter creaturas locum obtinent; id verò probat ex eo, quod Angeli tanquam Dei ministri mitti dicantur propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; Christus è contra non minister, sed Dei Filius appelletur: at corrueret illud argumentum, si vel unus esset ordo, ex quo Angeli ad homines non mitterentur: nempè dici posset, aliquos esse Angelos, eos scilicet, qui sunt ex superioribus ordinibus, qui tanquam Dei ministri non sunt missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis; at proinde Christum illis supremorum ordinum Angelis non esse superiorem.

Confirmatur 2. Non est potior ratio, cur de omnibus Angelorum ordinibus non intelligatur vox, *Omnes*, quam in hac sententia: *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, &c.* Paulus adhibet, quam in his aliis, quibus eodem capite sæpius utitur: *Adorent eum omnes Angeli Dei. Ad quem Angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis, &c.* atqui in istis, vox, *Omnes*, vox *Angelorum*, de omnibus Angelorum ordinibus intelliguntur; nullus enim est ordo, qui Christum non adoraverit: ergo & illa sententia, *Nonne omnes sunt, &c.* vox *Omnes*, de omnibus omninò ordinibus intelligi debet.

Confirmatur 3. ex Patribus, qui non semel Apostoli locum, de quo est quæstio, de omnibus omninò Angelorum ordinibus exposuerunt. Gregorius Nyssenus lib. 1. contra Eunomium de Seraphim illis agens, qui apud Isaiam Trisagium hymnum canunt, docet eos esse Dei ministros, qui *propter salutem eorum, qui salvantur, emittuntur*. Bernardus in Sermone de S. Benedicto, neminem debere otio torpere, colligit ex eo, quòd ipsi Cherubim, licet Deo adstantes, agant tamen nostri curam, mittanturque ut hominum salutem procurent: *Cherubim, ait Propheta, stabant & non sedebant: quid laborasti, ut jam sedeas? Omnes administratorii sunt spiritus missi in ministerium, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis*. Vide de eodem argumento Cyrillum in secundo libro de Recta Fide ad Reginas; Hieronymum in sextum Isaiæ caput; Chrysostomum in caput primum Epistolæ ad Hebræos.

Objicies 1. Gregorius Magnus lib. 17. Moralium cap. 9. in hæc Danielis cap. 7. verba: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*, docet, Angelos non mitti ex omnibus ordinibus: sic enim loquitur: *Aliud est assistere, aliud ministrare. Assistunt enim illæ procul dubio potestates, quæ ad quædam hominibus nuntianda non exeunt: Ministrant vero hi, qui ad explenda officia nuntiorum veniunt. Sed tamen ipsi quoque contemplatione ab intimis non recedunt. Et quia plures sunt, qui ministrant, quam qui principaliter assistunt, assistentium numerus quasi definitus, ministrantium verò infinitus ostenditur*. Ergo, &c.

Resp. dist. ant. Gregorius Magnus docuit, Angelos, quos adstantes vocat, non mitti, ipsique contradicunt alii Patres, conc. ant. & illi non contradicunt alii Patres, neg. ant. Nam Athanasius Oratione tertia contra Arianos scribit, infinita millia Deo *assistere ministrorum, qui parati sunt ut mittantur*. Hieronymus in caput 33. Job, docet, Angelum *quemlibet de cælo assistentem ante faciem Dei*, ad hominum utilitates a Deo mitti. Tota ratio, cur nonnulli negarunt, Angelos assistentes mitti ad ministeria hominibus exhibenda, petitur ex eo, quod arbitrati sint vocem, *Assistere*, significare præsentiam, quæ ministerium excludat: sed falsus est ille sensus; scilicet *Assistere*, idem est ac *Præsto esse*, seu exhibere se paratum ad recipienda exequendaque Principis mandata; unde in Scripturis plures ex Angelis, qui Assistentes appellantur, leguntur ad homines missi. Raphael, qui Tobiæ 12. fatetur se unum esse ex septem, qui adstant ante Deum, infima quæque obsequia Tobiæ exhibuit. Gabriel, qui Lucæ 1. sic loquitur: Ego sum Gabriel, qui *adsto ante Deum*, ad Zachariam, dum Sacris daret operam, missus est. Michael, qui Danielis 10. vocatur, *unus de principibus primis*, &c. c. 9. *princeps magnus*, missus est ad ferendam opem. Tandem Seraphim, qui omnium supremi habentur, licèt Deo assistant, mittuntur tamen, Hieronymo teste: nempè Epist. 142. quæ est ad Damasum, refert cujusdam opinionem, qua id asseritur, eamque minime rejicit: *Quidam Græcorum in Scripturis optimè eruditus* (ait) *Seraphim virtutes quasdam in cælis esse exposuit, quæ ante tribunal Dei assistentes laudant eum, & in diversa ministeria mittantur*.

Objicies 2. Ratio præcipua, propter quam asseritur, Angelos ex omnibus ordinibus ad homines mitti, petitur ex his Apostoli verbis ad Hebræos 1. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* Sed id ea verba non probant; siquidem non aliud significant, quam quod Lex Nova in eo præcellat Veteri, quod ista data sit per ministerium Angelorum, abstrahendo, an Angeli fuerint ex supremis, an infimis ordinibus: è contra Lex Nova à Christo data fuerit: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. seu negatur, Apostolum de lege vetere loqui; loquitur enim de Christo, quem probare vult Deum esse eo, quod in Scripturis appelletur Filius Dei, cum è contra Angeli *omnes* sint administratorii spiritus, missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Confirmatur ex eo, quod in toto illo priore capite Epistolæ ad Hebræos ne verbum quidem sit de lege veteri, sed totum est in asserenda Christo divina filiatione.

ARTICULUS III.

Utrum quilibet homo habeat Angelum sui custodem.

Not. HOmo vel est fidelis, vel infidelis; uterque potest considerari, vel ut est particularis persona, vel prout reipublicæ aut societatis membrum: expendendum est igitur, utrum homo variis modis consideratus, habeat Angelum sui custodem.

CONCLUSIO 1. Quilibet fidelis habet Angelum sui custodem.

Probatur. Jacob habuit Angelum sui custodem: *Angelus* (inquit Gen. 48.) *qui eruit me de cunctis malis*. Idem quoque dici debet de Juditha: *Custodivit me* (ait cap. 13.) *Angelus ejus*. Adesse pariter cuique parvulo,

Probant hæc Christi verba, Matthæi 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est*. Dum Ecclesia Christi adhuc erat in incunabulis, omnium mentem pervaserat illa sententia, quòd quisque fidelis Angelum haberet sui custodem: id enim evincitur ex eo quod Actorum 12. fideles, Petro januam pulsante, dixerint: *Angelus ejus est*. Unde sic arguitur: Idem de quolibet fideli, saltem justo, ferri debet judicium, ac de Jacobo, Juditha, parvulis innocentibus, Petro: atqui ii omnes (ut patet ex laudatis textibus) habuerunt Angelum sui custodem; ergo, &c.

Confirmatur ex Patribus. Chrysostomus in caput 18. Matthæi sic loquitur: *Hic manifestum est, quia omnes sancti Angelos habeant*. Sic etiam Basilius in Psal. 48. *Cuilibet fidelium est Angelus assistens.*

Quæres, utrum sit de fide, cuique fideli ac electo Angelum custodem adesse?

Resp. negativè: neque enim id unquam Ecclesia apertè definiit, nec evidens est unanimis ea de re Patrum sententia. Verùm temeraria esset propositio, quæ id negaret, cum plures Patres affirmativam propositionem ex Scriptura collegerint: *Valdè probabile est*, (inquit Estius) *unumquemque hominem, præsertim fidelem & electum, habere deputatum sibi peculiarem Angelum bonum, velut custodem, ducem ac directorem inter tot pericula tam animi, quàm corporis, quibus hæc vita plena est. Etenim id est Scripturis admodum consentaneum, & sententiis Patrum celebratum.*

CONCLUSIO 2. Multùm probabilis est sententia, quæ asserit, omnibus hominibus, etiam infidelibus, adesse Angelum custodem.

Probatur. Plures ex SS. Patribus sententiam, de qua in conclusione, docuerunt. Hieronymus in caput 18. Matthæi, sic loquitur: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu suæ nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum*: sic iterum in Isaiæ caput 66. *Quòd unusquisque nostrum habeat Angelos, multa Scripturæ nocent, è quibus illud est: Nolite contemnere unum de minimis istis, quia Angeli eorum vident quotidie faciem Patris*. Ambrosius in Psal. 38. hæc habet: *Angelus in circuitu est hominis, qui prætendit, ne quis noceat ei*. Non distinguit S. Doctor hominem fidelem & infidelem: utrisque igitur voluit Angelum custodem adesse. Bernardus lib. 5. de Considerat. cap. 4. *Possumus* (ait) *Angeles dici, qui singulis hominibus dati creduntur*. Vide apud Petavium Theologicorum Dogmatum tom. 2. lib. 2. de Angelis, & apud Estium alia in eundem scopum Patrum loca.

Objicies. Apostolus cùm loquitur de Angelorum ad hominum tutelam missione, nonnisi de electis hominibus agit: *Nonne omnes* (inquit ad Hebræos cap. 1.) *sunt administratorii spiritus in ministerium missi, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?* ergo non omnes homines, sed electi tantùm, habent Angelum sui custodem.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Ergo non omnes homines, per se, habent Angelum sui custodem, conc. conseq. per accidens, neg. conseq. Reprobis propter reprobos non datur Angelus custos, sed tantùm propter electos, quibus reproborum opus ad hujus vitæ sustentationem, & ad virtutis praxim necessarium est. Vide, quæ de reprobatione, harum Institutionum parte 1. disputavimus.

CONCLUSIO 3. Non est improbabile, cuique Regno, Provinciæ, imò & Civitati deputatum esse Angelum custodem.

Probatur 1. Angelos fidelium exercitibus præesse, probant hæc Josue 5. *Sum* (inquit Angelus) *princeps exercitus Domini*. Danielis 10. fit mentio Angeli, qui præerat regno Persarum, & alterius, qui præerat regno Græcorum, nempè, qui princeps erat regni Græcorum, sic Danielem allocutus est: *Princeps regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus, & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta regem Persarum.*

Probatur 2. Basilius de Angelis agens: *Alii ipsorum* (inquit) *gentibus præpositi sunt, alii fidelium singulos consequuntur*. Theodoretus quæstione 3. in Genesim: *Cuique genti* (inquit) *Angelum præesse, affirmat Scriptura*. Idem docet Ambrosius lib. 3. de Virginitate, Damascenus lib. 2. de Fide Orthod. cap. 2. multique alii veteres.

Quæres, quid officii ab Angelis custodibus hominibus exhibeatur?

Resp. 1. Angelos custodes periculis ac malis imminentibus homines liberare. *Angelus* (inquit Jacob Genesis 48.) *qui eripuit me de cunctis malis*. 2. Impediunt, ne dæmones hominibus noceant, ut patet ex cap. 6. & 8. Tobiæ. 3. Pias cogitationes suggerunt, Exodi 23. Judith. 13. Actor 5. Tandem preces nostras offerunt Deo, suasque ipsi nostris conjungunt, Augustino teste, epist. 121. Bernardo, Serm. 3. super, *Missus est*, & Serm. 7. super Cantica.

ARTICULUS. IV.

Utrum homo quilibet habeat Angelum malum.

Not. STatus quæstionis est, utrum sicut quilibet homo ad sui custodiam habet Angelum bonum, ita etiam ad exercitium habeat Angelum malum.

CONCL. Quilibet homo non habet Angelum malum, a quo aut ad peccatum provocetur, aut in naturæ fortunæque rebus detrimentum patiatur.

Probatur. Homo vel est reprobus, vel electus: atqui nec reprobis, nec singulis electis, adest Angelus malus. Nam 1. ideò Angelus malus reprobis deputatus esset, ut eos provocaret ad peccatum: sed ad id necessarius non est, plures enim sunt è reprobis, qui dæmoni voluntariè serviunt, cùm in omnibus pravis concupiscentiæ desideriis obsequantur. 2. Frustra dæmon aliquis cuique electo divinitus deputatus fuisset, cùm dæmones omnes multùm proclives sint ad tentandum electos, semperque præsto sint, ut eis noceant. 3. Cùm (Jacobo teste in epistola Canonica) Deus neminem tentet, non convenit, per illius providentiam hoc agi, ut cuilibet homini tentator provideatur. 4. Quæ conclusioni adversatur sententia, nec Scriptura, nec Patribus nititur; imò traxisse videtur originem a Gentilibus, qui duos genios, alterum bonum, & alterum malum, cuique homini destinatos esse voluerunt.

Objicies 1. Decet Dei providentiam, ut electos suos probet; ut in eos & in reprobos ob præterita peccata sæviat: sed ad id necessarium est, ut Angelus malus cuique homini destinatus sit: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia ut Deus suos electos probet, eosque ob peccata castiget, non est opus, ut per ipsum tentator illis provideatur; sed satis est, ut aut dæmoni, qui ad nocendum homini maximè proclivis est, tentandi facultatem faciat, aut permittat hominem obsequii natæ sibi concupiscentiæ, quæ perpetua est illius tentatio, ipsique dominatur, nisi contraria boni cupiditate superetur.

Objicies 2. Nonnulli è veteribus docuerunt cuilibet homini destinatum esse divinitus Angelum malum: id enim scripserunt Origenes hom. 12. in Lucam, Cassianus collatione 13. cap. 12. Magister Sentent. & post ipsum nonnulli alii Authores: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Et Origeni, Cassiano, Magistro Sentent. non assenserunt alii Patres, conc. ant. & assenserunt alii Patres, neg. ant. Præterea Origeni non multum fidei debetur, cum non solùm in hoc capite, sed etiam in pluribus aliis, quæ maximi sunt momenti, multos errores defenderit. Quod ad Cassianum pertinet,

Prosper

Prosper lib. 3 contra Collatorem cap. 27. dogma, de quo agitur, in ipso arguit.

Objicies. Quilibet homo habet Angelum bonum sui custodem: ergo & Angelum malum sui inimicum.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia decuit, ut Deus, cum sit summe bonus, salutis acquirendæ media, non autem impedimenta, hominibus provideret.

QUÆSTIO V.

De merito Angelorum.

Nu. QUæremus hic 1. utrum Angeli meruerint; 2. quid, & per quid meruerint?

CONCLUSIO 1. Angeli sancti reverà meruerunt.

Probatur. Illi meruerunt, in quibus fuerunt conditiones omnes ad meritum requisitæ; atqui fuerunt in Angelis; scilicet ad meritum, ex parte operantis requiritur, ut sit liber, viator, in statu gratiæ sanctificantis; ex parte verò operis, ut sit bonum tum ratione objecti, tum ratione finis; requiritur præterea, ut fiat ex motu gratiæ actualis; atqui tæ omnes conditiones fuerunt in Angelis. Nam 1. erant liberi: neque enim ex necessitate determinati erant ad alicujus actus, sive speciem, sive exercitium; unde nonnulli peccarunt, alii verò steterunt. 2. Licèt Angeli creati fuerint beati beatitudine inchoata, quæ posita est in imperfecta Dei cognitione & imperfecto illius amore; non fuerunt tamen (ut superiùs dictum est) creati in statu beatitudinis consummatæ, quæ in intuitiva Dei cognitione consistit, ac proindè aliquandiu fuerunt in via, nec semper in termino. 3. Gratia sanctificante (ut jam suo loco probatum est) donati fuerunt: Potuerunt elicere actum obedientiæ, fidei, spei, & charitatis: ergo penes ipsos fuit efficere opera, quæ bona essent, tum ratione objecti, tum ratione finis: Ad ea autem opera efficienda præsentem habuerunt gratiam actualem, ut in tractatu de Gratia dicetur: ergo in Angelis fuerunt omnes conditiones ad merendum requisitæ.

CONCLUSIO 2. Angeli meruerunt augmentum gratiæ sanctificantis, & beatitudinem supernaturalem, quæ posita est in intuitiva Dei cognitione.

Probatur 1. Homo viator per actus supernaturalis ordinis meretur utrumque, gratiæ scilicet augmentum, & beatitudinem supernaturalem: ergo & utrumque Angelus meritus est. 2. Id meruit Angelus, quod fuit præmium illius in bono perseverantiæ; atqui beatitudo supernaturalis fuit hujusmodi, Augustino teste, qui lib. de Correp. & Gratia cap. 11. sic loquitur: *Angeli sancti, cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi; & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit, semper se in illa mansuros.* Eadem ratione S. Doctor loquitur lib. de dono persever. cap. 7. *Diabolo* (inquit) *cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt.*

CONCLUSIO 3. Angeli non meruerunt æternam beatitudinem per opera illam subsequentia, sed per ea, quæ eam præcesserunt.

Probatur 1. authoritate Augustini, qui (ut mox ostensum est) conceptis terminis docuit Angelos per suam in bono perseverantiam meruisse beatitudinem æternam: 2. Per id meruerunt Angeli quod est via ad terminum, non autem per id quod terminum sequitur; atqui opera, quæ præcesserunt beatitudinem, fuerunt via ad terminum, ipsam scilicet beatitudinem, non autem ea, quæ beatitudinis adeptionem subsecuta sunt: ergo, &c.

Inde verò colligitur 1. Angelos non meruisse beatitudinem per gratiam, per quam in bono confirmati sunt; ea nimirum gratia non alia est quam ipsius beatitudinis adeptio: quam Augustinus *magnam abundantiam charitatis* appellat. Nec obstat, quòd S. Thomas in 4. Sentent. dist. quinta doctrinam contrariam propugnaverit: ab ea nimirum recessit postea 1. p. q. 62. art. 4. in Corpore.

Colligitur 2. alienam esse a veritate sententiam Magistri Sententiarum, cui visum est, Angelos meruisse beatitudinem æternam per obsequia, quæ Deo circa homines exhibent, prout in præscientia divina priora fuerunt ipsa beatitudinis adeptione; scilicet perabsurdum est asserere quempiam a termino ad viam pervenire, cum ècontra via sit medium, per quod terminus comparatur.

QUÆSTIO VI.

De primo Angelorum peccato.

Nu. IN primo Angelorum peccato considerari possunt illius origo, species, Authores, pœna: igitur operæ pretium est, ut de iis sermonem instituamus.

CAPUT PRIMUM:

Quæ fuerit origo primi peccati Angelorum.

CONCL. ORigo primi peccati in Angelis non fuerunt aut ignorantia mentis, aut passio cordis; sed sola voluntatis potestas.

Probatur prior pars. Illud non fuit origo, seu causa primi peccati in Angelis, quod in eis locum non habuit ante peccatum; nimirùm causa debet esse prior effectu suo; atqui nec mentis ignorantia, nec passio cordis, locum habuerunt in Angelis ante peccatum; siquidem sive ignorantia, sive passio, mala quædam sunt, quæ naturam in qua reperiuntur, miseram efficiunt: Sed ea, quæ naturam efficiunt miseram, locum non habuerunt in Angelis ante peccatum, cum (ut sæpè docet Augustinus) sub Deo justo nemo fit miser, nisi mereatur.

Probatur altera pars conclusionis 1. Patres Angelorum arbitrio casum illorum adscribunt: *Angeli sancti* (inquit Augustinus) *cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi*. Summa erat in Angelis arbitrii indifferentia; nihilque omninò fuit extrinsecum, quod ad malum eos determinarit: ergo arbitrii libertas, sola fuit causa primi eorum peccati.

Objicies 1. Causa primi peccati in Angelis fuit inconsideratio, seu, Angeli attenderunt ad rationes, propter quas seipsos diligere poterant, excellentiam nimirùm naturæ sibi per creationem datæ, sed non attenderunt ad finem ultimum, ad quem suam excellentiam referre debuerunt: ergo non voluntatis potestas, sed potius inconsideratio mentis, fuit in Angelis origo primi peccati.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia inconsideratio de qua agitur, fuisset inconsideratio privativa, seu non advertentia rei, quam Angeli potuissent & debuissent advertere; ac proindè illa inconsideratio fuisset peccatum: peccat enim peccato omissionis, qui ad rem non attendit, ad quam potest ac tenetur attendere; ergo illa inconsideratio non fuit origo, seu causa primi peccati in Angelis. Præterea si in Angelis inconsideratio locum habuerit, vel fuit involuntaria, voluntaria: Si primum, motus quidam inordinatus prævenire potuit Angeli in-

nocentis voluntatem: sed id falsum est; alioquin enim concupiscentia, seu inordinatus amor creaturæ, locum in Angelis innocentibus habuisset. Si secundum, illa inconsideratio fuisset imperata a voluntate, & consequenter fuisset peccatum vere ac proprie dictum; non fuisset igitur causa primi peccati in Angelis, sed potiùs ipsa fuisset primum peccatum.

Objicies 2. Errant (ait Scriptura Proverbiorum 14.) qui malum operantur: ergo Angeli, cum peccaverint, erraruni: error igitur fuit causa primi eorum peccati.

Resp. dist. ant. Errant aut errore mentis, aut errore cordis, qui malum operantur, conc. ant. errore mentis semper, neg. ant. Error prioris generis non magis locum habere potuit in Angelis innocentibus, quam in Adamo ante suum lapsum, at in Adamo nondum lapso locum non habuisse, supponunt hæc Augustini verba lib. 3. de libero arbitrio, cap 18. *Approbare falsa pro veris, ut quis erret invitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati*: at verò in eisdem Angelis locum habuit error posterioris generis; nempè error ille positus est in eo, quòd voluntas eligat objectum, quod lex vetat eligere: sed Angeli ejusmodi objectum elegerunt, propriam nimirum excellentiam Deo rerum omnium fini ultimo prætulerunt.

Objicies 3. Voluntas creata non fertur in malum, nisi intellectus in illo malo nonnullam boni rationem apprehenderit: non enim (ut habet tritum apud Philosophos axioma) malum qua malum potest amari: ergo Angelorum intellectus aliquam rationem boni apprehendit in primo peccato, cujus rei facti sunt: si autem eam boni rationem apprehendit, laboravit errore, cum a parte rei nulla esset boni ratio in peccato, quo se Angeli contaminarunt: ergo error, seu ignorantia, fuit origo primi eorum peccati.

Resp. ad 1. conc. totum argumentum, seu & antecedens & consequens: Ad 2. dist. ant. nulla erat ratio boni in peccato Angelorum sumpto secundùm formale, conc. ant. sumpto secundùm materiale, neg. ant. Peccatum Angelorum secundùm materiale sumptum, fuit amor propriæ excellentiæ; is autem amor, in se bonus erat, scilicet naturæ rationali conveniens est, ut se ipsam diligat. E contra peccatum Angelorum, sumptum secundum formale, fuit privatio debitæ rectitudinis, seu defectus relationis propriæ excellentiæ ad Deum tanquam ultimum finem; in ea autem privatione non est a parte rei ratio boni, nec aliquam in ea intellectus Angelicus apprehendit; unde deceptus non fuit, antequam peccaret: ac proinde deceptio, seu ignorantia, non potuit esse causa primi peccati, in quod Angelus incidit, sed sola illius voluntatis electio.

CAPUT II.

Cujus speciei fuerit primum peccatum Angelorum.

CONCL. 1. PRimum Angelorum peccatum fuit peccatum superbiæ.

Probatur 1. ex Scriptura. 1. Id, a quo omnis perditio sumpsit initium, fuit primum peccatum Angelorum: nempe ab Angelorum peccato orta sunt mala omnia, ipsa etiam Adami prævaricatio; neque enim peccavit, nisi a dæmone per Evam tentatus; atqui omnis perditio sumpsit initium a superbia: *Superbiam* (ait Spiritus sanctus Tob. 4.) *nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permitte: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*. 2. Isaiæ 14. sub figura regis Babyloniorum describitur primum Angelorum peccatum; atqui peccatum, quod eò loci describitur, est superbia: *Detracta est ad inferos superbia tua: Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum?*

Probatur 2. ex Patribus. Chrysostomus hom. 15. in Joannem sic loquitur: *Neque in diabolum versus fuisset Angelus, nisi hoc se scelere* (de superbia agit) *coinquinasset*. Sic etiam Hieronymus Epist. 83. *Judicium & ruina diaboli nulli dubium, quin arrogantia sit*. Augustinus docet his Psalmi 18. verbis: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*, intelligi superbiã, de qua sic habet: *Hoc est delictum, quod dejecit Angelum, quod ex Angelo fecit diabolum*. Bernardus in tractatu de modo bene vivendi, Serm. 37. hæc scribit: *Superbia radix omnium malorum, Angelos deposuit*. Ex iis textibus patet superbiam fuisse primum Angelorum peccatum.

Probatur 3. rationibus. *Primò*, Superbia (Augustino teste lib. 14. de Civit. Dei, c. 13.) est inordinatus amor propriæ excellentiæ; atqui primum Angelorum peccatum non aliud fuit, quam ille inordinatus amor: *Ascendam in cœlum* (ait prævaricator Angelus Isaiæ 14. sub figura regis Babyloniorum) *similis ero Altissimo*. 2. Primum Angelorum peccatum fuit amor rei cujusdam spiritualis; nec enim substantiæ spirituales possunt corporeis rebus affici: Sed ille amor non potuit esse, nisi peccatum superbiæ; nempe in amore spiritualium non peccatur, nisi quia regula, ad quam amor ille debet exigi, contemnitur, seu quia amor ille inhæret creaturæ, cum ad Deum ultimò referri deberet. Eo principio nixus Augustinus, lib. 12. de Civit. Dei, capite 6. de Angelis apostatis sic loquitur: *Ab illo, qui summus est, aversi, ad se conversi sunt, & hoc vitium non aliud, quàm superbia est*. 3. Primum Angelorum apostatarum peccatum, illud fuit, quod in eis arguit sanctorum Angelorum princeps; atqui arguit superbiam; ob id enim vocatur Michael, quod quidem nomen idem significat, ac si quis dicat: *Quis ut Deus?* hoc est, *Quis est ille, qui se Deo audeat comparare?*

Objicies 1. Primum Angeli peccatum fuit peccatum inobedientiæ; nam ideò excidit ex justitia, in qua creatus fuerat, quòd Deus (ut ipsa ratio præcipit) subjici noluerit. 2. Videtur etiam (ut Scotus arbitratur) quòd fuerit peccatum luxuriæ spiritualis: siquidem Angelus peccavit, quod ex consideratione propriæ excellentiæ summè delectatus sit. 3. Videtur tandem, quòd fuerit peccatum invidiæ: nimirum contemplatus Dei independentiam, invidia in eum exarsit, sibique independentiam illius appetiit: *Ascendam in cœlum, similis ero Altissimo*.

Resp. ad 1. neg. ant. Ratio est, quia in Angelo fuit aliquid prius ea non subjectione, cujus meminit argumentum; inordinatus nimirum amor sui; ideò enim noluit Deo subjici, quòd se ipsum inordinatè dilexerit.

Resp. ad 2. equidem Angelum summè delectatum esse ex consideratione propriæ excellentiæ, verùm ea delectatio non constituit peccatum speciale luxuriæ spiritualis, sed potiùs peccatum superbiæ. Ratio est, quia delectatio non constituit speciale peccatum, nisi ratione rei, quæ est causa, seu objectum delectationis: delectatio v. g. in cibis efficit peccatum gulæ; in venereis, peccatum luxuriæ, & in honoribus peccatum superbiæ; ac proindè summa illa delectatio, qua Angeli ex suæ excellentiæ consideratione affecti fuerunt, fuit delectatio, quæ speciale peccatum superbiæ constituit.

Resp. ad 3. neg. ant. Ratio est, quia invidia est dolor conceptus ex alterius bono: at dolor ille non fuit in Angelis, ubi primùm peccarunt: neque enim conciliari potuit cum summa illa delectatione, qua affecti sunt ex propriæ excellentiæ consideratione. Præterea invidia, seu dolor conceptus ex alterius bono, nascitur ex amore inordinato, quo quis se ipsum deperit: ille autem

amor

amor inordinatus ipsummet est superbiæ peccatum, ut superiùs observatum est ex Augustino.

Quæres, in quo sita fuerit Angelorum apostatarum superbia?

Respondent 1. nonnulli, in eo positam fuisse, quòd Christum adorare noluerint. Scilicet (ajunt illi Scriptores) statim ab Angelorum creatione, mysterium Incarnationis eis revelatum est, jussique sunt homini Deo latriæ cultum exhibere. Angeli sancti (prosequuntur iidem Authores) divinum illud præceptum mandarunt executioni; apostatæ verò obedire noluerunt.

Sed 1. ea sententia nullo Scripturæ, aut Patrum testimonio nititur: 2. adversatur Patribus, qui non aliam Incarnationis causam agnoscunt, quam hominis redemptionem: at Angeli ante suum peccatum non noverant futuram per Christum hominis redemptionem; neque enim tunc præcognoverunt hominis casum, ac proindè nec futuram illius redemptionem: 3. Angeli sancti non erant habituri perseverantiam, aut alia gratiæ dona, per Christi merita, ac proindè non erat opus, ut Incarnationis mysterium illis ante eorum lapsum revelaretur.

Respondent 2. alii, superbiam Angelorum in eo sitam fuisse, quòd eam cum Deo similitudinem, quæ per visionem intuitivam habetur, consequi voluerint per naturæ suæ vires, & absque auxilio supernaturali.

Verùm si id absolutè voluerint, necesse est, ut priùs judicaverint id esse possibile: neque enim voluntas absolute desiderat objectum, cujus adeptionem intellectus judicat non esse possibilem: at Angeli non judicarunt possibile, ut per naturæ vires intuitivam Dei visionem consequerentur; alioquin eorum intellectus turpi errore, imo & hæresi, ante peccatum laborasset; quòd (ut supradictum est) falsum est omninò.

Respondent 3. alii, in eo sitam fuisse superbiam Angelorum, quòd æqualitatem cum Deo, seu independentiam, desideraverint. Confirmant 1. ex eo, quòd Scripturæ id innuere videantur: *Similis* (ait Diabolus Isaiæ 14.) *ero Altissimo*. Ezechielis 28. irridetur, quòd dixerit: *Deus ego sum*. 2. In eo (inquiunt) posita fuit prævaricatoris Angeli superbia, quòd ipse post lapsum ab hominibus existimari cupit; atqui cupiit pro Deo haberi. Siquidem effecit, ut sibi quondam ubique gentium offerrentur sacrificia, & alia divini cultus signa exhiberentur.

Verum dici non potest, quòd Angelus prævaricator æqualitatem cum Deo desideraverit, absolute, nec enim (ut jam observatum est) potuit ante peccatum judicare, æqualitatem illam esse possibilem, sed eam expetiit conditionate, si nimirùm esset possibilis. Quamobrem (ut nobis videtur) in eo posita fuit Angelorum superbia, quòd desideraverint esse æquales Deo; si id foret possibile; in eoque desiderio mirum in modum sibi complacuerint.

CAPUT III.

Quinam Angeli peccaverint.

Not. Status quæstionis est 1. utrum aliqui Angeli ex singulis ordinibus ceciderint; 2. utrum major fuerit numerus eorum qui ceciderunt, quam eorum qui steterunt; 3. utrum dæmonum princeps fuerit omnium Angelorum supremus.

CONCLUSIO 1. Probabile est, aliquos ex singulis ordinibus Angelos cecidisse.

Probatur. Apostolus ad Rom. 8. inter humanæ salutis hostes recenset Angelos, Principatus, Virtutes: *Neque Angeli* (inquit) *neque Principatus, neque Virtutes ...... neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei*. Primæ ad Corinth. cap. 15. præter Principatus & Virtutes recenset Potestates: *Cum evacuaverit* (ait) *omnem Principatum & Potestatem & Virtutem*. Ex ordine Seraphimorum nonnulli quoque lapsi sunt; nam (ut conclusione 2. dicetur) ex illo ordine fuit dæmonum princeps. Ex Cherubimis pariter aliquos cecidisse, colligitur ex eo, quòd nomen Cherub in malum sumatur Ezechielis 28. Tandem cum Archangeli sub Angelorum nomine comprehendantur, & cum Throni & Dominationes sint Seraphimis & Cherubimis inferiores; probabiliter infertur, plures ex singulis Angelorum ordinibus cecidisse.

Nec obstat, quòd Seraphimorum & Thronorum nomina Angelis apostatis minimè tribuantur: siquidem gravis est ejus rei ratio, quam S. Thomas 1. p. q. 63. art. 9. ad 3. hisce verbis tradit: *In sacra Scriptura tamen nomina quorumdam ordinum, ut Seraphim & Thronorum, dæmonibus non attribuuntur, quia hæc nomina sumuntur ab ardore charitatis, & ab inhabitatione Dei, quæ non possunt esse cum peccato mortali. Attribuuntur autem eis nomina Cherubim, Potestatum, & Principatuum, quia hæc nomina sumuntur à scientia & potentia, quæ bonis malisque possunt esse communia.*

CONCLUSIO 2. Tot Angeli ex singulis ordinibus non ceciderunt, quot ex iisdem ordinibus steterunt.

Probatur 1. Stellæ, quæ Apocalyps. 8. concussæ leguntur, sunt, per metaphoram, Angeli, qui ceciderunt: atqui eæ stellæ tot non fuerunt numero, quot stellæ concussæ non fuere, seu Angeli, qui steterunt in justitia: *Et percussa est* (inquit Joannes) *pars tertia stellarum*. Ejusdem libri cap. 12. hæc leguntur de Angelorum apostatarum principe, quem Scriptura draconem appellat: *Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram*: igitur duæ aliæ stellarum partes dejectæ non sunt in terram: at eæ stellæ, sive quæ dejectæ sunt in terram, sive quæ remanserunt in cœlis, adumbrant Angelos tum apostatas, tum fideles: scilicet non multò post verba, quæ mox laudata sunt, hæc alia leguntur: *Et factum est prælium magnum in cœlo: Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli ejus. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in cœlo.*

Probatur 2. authoritate & ratione S. Thomæ, qui 1. p. q. 63. art. 9. sic loquitur: *Peccatum est contra naturalem inclinationem: Ea verò, quæ contra naturam fiunt, ut in paucioribus accidunt*. Nec obest, quòd ex hominibus multò plures sint impii, quam justi: Non obest (inquam) quia hominis natura, per peccatum originale in aliam ferme naturam immutata est; hoc est, alios induit affectus ab iis, in quibus primùm a Deo condita fuerat; ac proindè peccatum aliquo vero sensu non est contra naturam hominis per peccatum corrupti.

CONCLUSIO 3. Dæmonum princeps fuit omnium Angelorum supremus. Ita S. Thomas 1. p. q. 63. art. 7.

Probatur 1. ex Scriptura. Job 40. sub typo Behemot, diabolo dicitur: *Ipse est principium viarum Dei*, id est (ut interpretatur Estius) opus, seu creatura Dei prima & præstantissima. Ezechielis cap. 31. sub typo Regis Assur, de eo hæc dicuntur: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei. Omne lignum paradisi non fuit assimilatum illi, & pulchritudini ejus*. Eidem sententiæ favent Patres, ut videre est apud Tertullianum lib. 2. contra Marcionem: Hieronymum in caput quartum Danielis; Augustinum lib. 2. de Genesi ad literam, cap. 19. Gregorium Magnum lib. 32. Moralium, cap. 24. Bernardum Serm. 1. de Adventu. Nonnullas rationes idem confirmantes videre est apud Estium in lib. 2. Sent. dist. 6. §. 10. eas autem hic non inserimus, quòd levis ponderis esse videantur.

Objicies. Angelus, qui primus peccavit, Ezechielis

lis 28. dicitur fuisse ex ordine Cherubimorum. *Tu Cherub* (ait Propheta alloquens Tyriorum regem, quo adumbratus est dæmonum princeps) *extentus & protegens:* Sed Angelus, qui est ex ordine Cherubimorum, non fuit omnium Angelorum supremus, cum ipse Cherubimorum ordo sit inferior ordine Seraphimorum: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Princeps dæmonum Ezechielis 28. vocatus fuit Cherub, & illud nomen non erat proprium ordini, ex quo erat dæmonum princeps, conc. ant & proprium erat, neg. ant. Dæmonum princeps post peccatum appellari non potuit Seraphim, eo quòd charitas eo nomine significata, in subjecto conciliari non possit cum statu peccati mortalis; potuit è contra appellari Cherub, eo quod scientiæ plenitudo, quæ per illud nomen significatur, non excludatur per peccatum mortale. Sed hæc satis sint de argumento, de quo nihil certi statui potest.

CAPUT IV.

De pœna peccati Angelorum.

Not. JAm superius dictum est, Angelos omnes statim post peccatum, damnatos fuisse, tum damni, tum ignis pœna; sed jam quæstio est de pœnis, quæ ad eorum aut intellectum, aut voluntatem, aut præfecturam pertinent. Præterea quærendum est, utrum tum istæ, tum aliæ pœnæ perpetuo duraturæ sint.

CONCLUSIO 1. Intellectus dæmonum nihil in naturalibus passus est detrimenti: in gratuitis, quæ merè erant speculativa, imminuta est illius cognitio: in iis verò, quæ gratuita simul & in Deum affectiva, totaliter ablata est.

Probatur prior pars. Intellectus in naturalibus non minuitur, nisi cum minuitur natura, cujus est facultas; nam facultas sequitur naturam: atqui Angelorum natura per peccatum non est imminuta: ergo nec eorum intellectus in naturalibus. Altera pars sic ostenditur. Cognitio gratuita, quæ in mera speculatione consistit, est cognitio per revelationem: atqui ea cognitio multum fuit imminuta in Angelis: pauca nimirùm per revelationem attingunt; cum è contra dum starent, plurima cognoscerent: *De secretis divinis* (inquit S. Thomas 1. p. q. 64. art. 1.) *tantùm revelatur eis, quantùm oportet, vel mediantibus Angelis, vel per aliqua temporalia divinæ virtutis effecta.* Tandem tertia pars est evidens: siquidem cum dæmones omni prorsùs charitate destituti sint, carent iis virtutibus, quæ ad charitatem referuntur, ut sunt fides, spes & aliæ ejusmodi.

CONCLUSIO 2. Obduratio in malo, pœna est, qua dæmonum voluntas castigatur.

Probatur. Eorum voluntas est obstinata in malo, qui non possunt a peccato temperare: atqui dæmones non possunt a peccato temperare, cum eis desit omnis gratiæ auxilium. Addendum est cum S. Thoma, eos in omnibus suis actibus peccare lethaliter, eò quod in eis summum Dei odium dominetur; non demerentur tamen, eò quòd ad demerendum satis non sit peccatum, sed præterea status viæ in peccante requiratur.

CONCLUSIO 3. Angeli apostatæ eadem pollent in Angelos, qui sibi adhæserunt, præfectura, qua pollebant ante peccatum.

Probatur. Matthæi 12. Beelzebub vocatur dæmoniorum princeps: *Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Ibidem dæmonum societas a Christo dicitur regnum: *Si Satanas Satanam ejicit, adversum se divisus est: quomodo ergo stabit regnum ejus?* Sed necesse est, ut in regno præsint aliqui, cæteri verò subjiciantur. Præterea dæmones antequam caderent, sibi invicem subordinati erant: ergo etiam post lapsum, cum nomina quæ subordinationem significant, retinuerint, ut patet ex locis, quæ superiùs ex Rom. 8. primæ Corinth. 15. Ephes. 6. laudavimus. Confirmatur ex eo, quod quorumdam dæmonum, aliorum respectu, subjectio, sequatur ex illorum natura: nempè alii aliis natura sunt excellentiores: atqui quæ sequuntur ex natura, per peccatum (ut superiùs dictum est) ab Angelis ablata non fuerunt: ergo, &c.

Objicies. Angeli superiores, per peccatum meruerunt dejici ex suo in inferiores Angelos principatu: ergo revera eo dejecti sunt.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia principatus ille post peccatum non confert ad bonum superiorum, sed potius ad malum: ita S. Thomas ratiocinatur 1. p. q. 109. art. 2. ubi sic loquitur: *Quod autem superioribus inferiores subdantur, non est ad bonum superiorum, sed magis ad malum eorum: quia cum mala facere maximè ad miseriam pertineat, præesse in malis, est esse magis miserum.*

Quæres, an dæmonum principatus, ad hominem, resque illi subjectas extendatur?

Resp. affirmativè. 1. Non ob aliud enim diabolus in Scripturis dicitur princeps hujus mundi, Deus hujus sæculi, mundi rector tenebrarum harum. Nec mirum est, quod homo post peccatum diabolo subjici cœperit; nam ut fert axioma, *A quo enim quis superatus est, hujus & servus est.* Ecclesia eo nisa principio, exorcismos adhibere solet, ut ab homine diabolum expellat: *Ecclesia* (inquit Augustinus lib. 4. contra Julianum c. 4.) *filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum erueret:* adhibet quoque preces, ut creaturæ, eæ etiam, quæ ratione destitutæ sunt, liberentur ab infestatione dæmonum, qui eis sæpiùs utuntur, ut homines ad peccatum moveant. Eam verò dæmonum infestationem Paulus præ oculis habuit, cum hæc scripsit ad Romanos: *Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe. Quia & ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei:* In quæ quidem Apostoli verba sic Estius loquitur: *Ad quam vanitatem hoc quoque pertinet, quòd creatura, quæ in usum hominis venit, pro magna parte permissa est potestati principis hujus mundi: Propter quod & multæ creaturæ consuetudine fidelium benedicuntur & juxta Apostolum 1. ad Timoth. 4. sanctificatur per verbum Dei & orationem, ut potestas diaboli, per eas nocere parati, cohibeatur.*

CONCLUSIO 4. Æterna sunt Angelorum apostatarum supplicia.

Probatur 1. ex Scriptura. Matthæi 25. hæc habentur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus:* atqui si ignis, qui instrumentum est supplicii, sit æternus, necesse est, æternum etiam esse supplicium. Valet idem argumentum respectu hominum damnatorum; unde ibidem de reprobis, & prædestinatis hæc dicuntur: *Et ibunt hi in supplicium æternum: Justi autem in vitam æternam.* Hinc etiam fit, ut Marci 3. de iis, qui blasphemarint in Spiritum sanctum, hæc legantur: *Qui autem blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem in æternum; sed reus erit æterni delicti.* Hinc quoque Paulus 2. ad Thessalonicenses 2. de impiis, sive christianis, sive infidelibus, dicit: *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini.*

Probatur ex traditione. Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 4. sic loquitur: *Quibuscumque dixerit Dominus, Discedite à me maledicti in ignem æternum, isti erunt semper damnati.* Tertullianus libro de Carne Christi, capite 14. probat, dæmonum supplicia fore æterna, quod Christus pro eis mortuus non sit: *Nullum* (ait) *mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre. Quod Pater neque repromisit, neque mandavit, Christus administrare non potuit.* Cyprianus in calce libri ad Deme-

triam,

trianum, aliam profert rationem, desumptam nimirum ex defectu satisfactionis & pœnitentiæ, sine quibus nec diabolus, nec homo inflicta sibi pœna liberari possunt: *Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus, nullus satisfactionis effectus*. Hieronymus in hæc Matthæi verba: *Et ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, hæc habet: *Prudens lector adverte, quod & supplicia æterna sint, & vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.* Plures alii, tum Latini, tum Græci Patres pro eodem argumento laudari possent, sed adeat lector Augustinum lib. 21. de Civ. Dei, Gregorium Magnum lib. 24. Moralium, cap. 16.

Quæres, quis inter Christianos censuerit, dæmonum, aut hominum damnatorum pœnas, finem aliquando habituras esse?

Resp. Theophilum Alexandrinum, Epistola secunda Paschali, Hieronymum Epistola 59. ad Avitum, Augustinum lib. de hæresibus, cap. 18. quintam generalem Synodum in anathematismis errorem, de quo agitur, Origeni tribuisse. Eum quoque Sociniani postremis hisce temporibus amplexi sunt; impie nimirum arbitrantur æquum non fore Dei judicium, si creaturas ob unum, vel cogitationis, peccatum lethale, æternis suppliciis addixerit.

QUÆSTIO VII.

De variis Angelorum effectibus.

Not. Dicemus hic 1. de extraordinariis effectibus Sanctorum Angelorum; 2. de iis, qui ab apostatis nonnunquam producuntur; 3. de miraculis, quæ istis tribuuntur.

CONCLUSIO 1. Varii sunt extraordinarii Sanctorum Angelorum effectus.

Probatur enumeratione. *Primò*, nonnunquam in corporibus assumptis, hominibus apparent; id autem prioribus mundi, & Ecclesiæ sæculis frequentiùs, quam nunc, fieri consueverat.

Secundò, Angelis sanctis, Danielis cap. 10. & 11. tribuuntur regnorum eversio, & illorum ad alios populos translatio: tribuuntur etiam clades, quibus profligantur exercitus; unde Augustinus lib. 4. de Civit. Dei, cap. 17 refellens Deorum cultores, qui dicebant, *Quod Deam Victoriam Jupiter mittat, atque illa tanquam Regi Deorum obtemperans, ad quos jusserit, veniat, & in eorum parte considat*, sic loquitur: *Hoc verè dicitur non de ille Jove, quem Deorum Regem pro sua opinione confingunt, sed de illo vero Rege sæculorum, quod mittat non Victoriam, quæ nulla substantia est, sed Angelum suum, & faciat vincere quem voluerit.*

Tertiò, Angeli sancti divinæ misericordiæ in homines pios, & justitiæ in impios judicia, in hac vita exequuntur: *Si propterea* (ait Augustinus in illa Psalmi 77. verba, Immissiones per Angelos malos) *per malos Angelos illa Deum fecisse putaverimus, quia pœnæ infligebantur, non beneficia præstabantur, tanquam nemini Deus pœnas irroget per Angelos bonos, sed per illos veluti militiæ cœlestis carnifices; consequens erit, ut etiam Sodomam per Angelos malos eversam esse credamus, & malos Angelos Abraham, & Loth hospitio suscepisse videantur, quod absit, ut contra Scripturas apertissimas sentiamus.*

CONCLUSIO 2. Plures sunt modi, quibus Angeli mali possunt extraordinarios effectus operari.

Probatur. Applicando (ut loquuntur) activa passivis, dæmones possunt producere animalia, quæ sine generatione strictè sumpta, ex aliis corporibus nascuntur, ut sunt ranæ, muscæ, mures, vermes. Vide Augustinum lib. 15. de Civit. Dei, cap. 23. nec non quæst. 21. in Exodum.

Præterea, vi potestatis, quam habent movendi corpora, facilè, si Deus permittat, possunt nostris sensibus illudere, itaut nostri sensus eodem modo afficiantur, ac ab ipsismet exterioribus corporibus afficerentur: unde possunt oculis objicere lapides pro lupis, & vicissim lupos pro lapidibus. Possunt quoque, Deo permittente, ex ejusdem potestatis virtute, cogere nubes, excitare fulmina, variis motibus terram concutere, fructibus nocere, morbis quibusdam in homines sævire. Vide eundem Augustinum loco proximè laudato. Hincque colligitur, quam pie se gerat Ecclesia, cùm, adhibitis precibus, aerem, flumina, terræ fructus benedicit.

CONCLUSIO 3. Dæmones non possunt vera patrare miracula.

Probatur. Miraculum est opus, quod excedit naturalem cujuslibet creaturæ virtutem; atqui opus hujusmodi dæmones efficere non possunt: neque enim Deus aliam eis tribuit virtutem, quam quæ data fuit, cum educti sunt ex nihilo: ergo non possunt vera miracula patrare. Confirmatur 1. Si Deus dæmoni facultatem faceret patrandi vera miracula, esset in confirmationem, aut erroris, aut veritatis; atqui neutrum dici potest. Non primum: cum enim Deus sit ipsamet veritas, non potest, sive per seipsum, sive per alium, quempiam in errorem inducere. Non etiam secundum: siquidem non convenit, ut Deus tribuat mendaciorum Patri virtutem supernaturalem, qua veritas apud homines confirmetur, præsertim cum in Scripturis vetet hominibus, ne diaboli, aut operibus, aut consiliis assensum præbeant.

Confirmatur 2. Si Deus diabolo facultatem faceret patrandi vera miracula, nihil esset, quo certi esse possemus, Deum, non autem creaturam aliquam, nobis loqui, ac proinde vacillaret fides, cum fides nitatur testimonio Dei loquentis: sed absurdum est consequens: ergo, &c.

Confirmatur 3. ratione petita a simili, quam tom. 2. Brevium observationum, Gummarus Hu gens, in Academia Lovaniensi Sacræ Theologiæ Doctor, ac Professor, hisce verbis proponit: *Etsi Rex possit in regno suo permittere, ut subditis suis in pœnam eorum, quæ in Regem commiserunt, obveniant ab hostibus variæ illusiones pœnales, ac aliæ afflictiones; non potest tamen, si impedire valeat, permittere, ut circa characteres & sigillum Regis ita à quibusdam illusoribus decipiantur subditi, ut nulla circumspectione, aut prudentia, litteras nomine Regis fictas discernere valeant à litteris verè à Rege conscriptis, & ipsius sigillo signatis: nam hoc permittens, saltem ordinariè, non poterit ægrè ferre, si veris suis litteris fides non adhibeatur.* Vide eundem Authorem loco proximè laudato.

Objicies 1. Id possunt dæmones, quod possunt malefici; malefici nimirùm non operantur, nisi dæmonum virtute; atqui malefici possunt patrare vera miracula: siquidem reipsa patrata sunt a maleficis Pharaonis, cùm (ut habetur Exodi 7.) per incantationes verterint virgas suas in dracones, & aquam in sanguinem, eduxerintque, sicut Moyses, ranas ex fluviis: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. seu nego, mutationes, de quibus agitur, fuisse miracula. Ratio est 1. quia mutationes illæ (secundùm sententiam Josephi lib. 2. Antiquit. Tertulliani lib. de anima cap. 57. & plurium aliorum) non fuerunt veræ, sed tantùm apparentes: scilicet Pharaonis malefici per suas præstigias, ita populorum oculis ludificarunt, ut dracones, ranæ, sanguis apparuerint, quamvis a parte rei, & virgæ, & fluvius, & aquæ, in sua naturali substantia remansissent. Ratio est 2. quia, licet concedatur, mutationes, de quibus agitur, fuisse veras, ac reales (ut docet Augustinus quæst. 21. in Exodum, eo quod Scriptura eodem modo de eis loquatur, quo de mutationibus, quæ Moysi tribuuntur) non sequitur tamen, maleficos illos vera miracula patrasse: nempè licet illa opera humanam virtutem superaverint, non fuerunt tamen supra naturales dæmonum vires: cum enim sibi ipsis a Deo

permittuntur, activa passivis applicando, possunt (ut docet Augustinus lib. 3. de Trinitate, cap. 8.) corpora quædam in alia transmutare, in ea præsertim, quæ aut non vivunt, aut ex putri materia per imperfectam tantum generationem, ut mures & ranæ, producuntur: *Sciendum est tamen* (inquit S. Thomas 1. p. quæst. 114. art. 4.) *quod quamvis hujusmodi opera dæmonum, quæ nobis miracula videntur, ad veram tamen rationem miraculi non pertingant, sunt tamen quandoque vera res: sicut Magi Pharaonis per virtutem dæmonum veros serpentes, & ranas fecerunt.* Præterea, ex suppositione, quòd mutationes, de quibus est hic quæstio, reales ac veræ fuerint, dici potest cum Jansenio in cap. 7. Exodi, *veros dracones aliunde adductos ope dæmonis, virgarum loco fuisse substitutos, fallendo oculos, ut nemo præstigias illas animadverteret: Et sic præstigiæ fuissent non in conversionis termino, seu re conversa, sed in convertendi modo; unde & Hebraice malefici isti vocantur præstigiatores: Scriptura tamen dicit fecisse similiter, quia modus agendi externus similis erat, quemadmodum, & Angeli dicuntur comedisse.*

Objicies 2. Nullum est majus miraculum, quàm cum quis e mortuis suscitatur; atqui dæmones possunt homines e mortuis suscitare; de facto magorum, saltem ad tempus, suscitarunt Samuelem, qui per Pythonissæ incantationes Sauli Regi & apparuit & locutus est post mortem: de eo autem miraculo hæc habentur Ecclesiast. 46. *Et post hoc dormivit* (Samuel) *& notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terra in prophetia, delere impietatem gentis*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Dæmones de facto suscitarunt Samuelem, apparenter tantùm, conc. ant. verè & realiter, neg. ant. *In hoc facto* (ait Augustinus lib. 2. ad Simplicianum, quæst. 3.) *potest esse aliud simplicior intellectus, & expeditior exitus, ut non verè spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem, diaboli machinationibus factam; quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat, quia solent imagines rerum, earum nominibus appellari, quarum imagines sunt.*

Præterea dici potest, quod etiam ex suppositione, quod realis ac vera fuerit suscitatio Samuelis, inde non sequatur, diabolum aliquod miraculum patrasse; scilicet negandum est, illud miraculum opera diaboli patratum fuisse: sed potiùs uni Deo tribuendum est. Nec obstat, quod incantatio Pythonissæ occasioni fuerit illi miraculo: *Cum enim* (ait Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæst. 3.) *velit Deus, etiam per infimos & inferiores spiritus aliquem vera agnoscere, temporalia duntaxat, atque ad ipsam mortalitatem pertinentia, facile est & non incongruum, ut omnipotens & justus ad eorum pœnam, quibus ista prædicantur, ut malum, quod eis impendet, antequam veniat, prænoscendo patiantur, occulto apparatu mysteriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat, ut quod audiunt ab Angelis, pronuntient hominibus: Tantum autem audiunt, quantum omnium Dominus atque moderator vel jubet vel sinit.*

Objicies 3. Diabolus imminente totius orbis clade, per Antichristum plura patrabit miracula; per eum enim patrabit miracula, per quem adveniet in omni virtute & signis; atqui sic diabolus, imminente totius mundi clade, per Antichristum adveniet: *Tunc* (ait Apostolus 2. ad Thessalonicenses 2.) *revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui: & destruet illustratione adventus sui eum, cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt, eò quòd charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. min. Diabolus per Antichristum adveniet in omni virtute & signis; quæ naturales diaboli vires non excedent, conc. min. quæ excedent naturales dæmonis vires, neg. min. Diabolus, si suis viribus a Deo permittatur, summa in substantias corporeas virtute pollet; ita ut (nisi Deus impediret) planetarum ordinem invertere posset, aliaque peragere, quæ licèt hominis potestatem superent, non excedunt tamen dæmonis vim naturalem. Itaque Antichristus multa operaturus est, quæ pro miraculis habebuntur ab iis, qui aut non attendent ad dæmonis virtutem, aut potiùs qui a Deo spargente pœnales cæcitates super illicitas cupiditates deferentur: *Solet ambigi* (inquit Augustinus lib. 20. de Civitate Dei, cap. 29.) *utrum propterea dicta sint signa & prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere videatur: An quia illa ipsa, etiamsi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuisse nisi divinitus fieri, virtutem diaboli nescientes, maximè quando tantam, quantam nunquam habuit, acceperit potestatem.*

Objicies 4. Translatio Sagarum in conventus nocturnos, in quibus & ventri & libidini serviunt, videtur naturales diaboli vires superare: Realis est tamen illa translatio: ergo dæmones aliquid possunt, quod superat naturales eorum vires, ac proinde possunt patrare miracula.

Resp. 1. neg. maj. scilicet, diabolus (ut superiùs ostensum est) corpora, eorum præsertim hominum, qui propter peccatum sunt illius juris, potest, absolutè loquendo, cum a Deo permittitur, de loco in locum movere. Resp. 2. neg. min. seu negatur, realem ac veram esse translationem, de qua agitur. Nimirum ejusmodi translatio tribui potest imaginationi, a qua mulieres, quæ dicuntur sagæ, ita decipiuntur, ut credant, licet falsò, se translatas fuisse ad nocturnos conventus, in quibus ventrem & libidinem expleverint. Confirmatur 1. ex eo quòd pluribus experimentis compertum sit, Sagas visas fuisse in carcere, in lecto, in aliisve similibus locis, toto eo tempore, quo asserebant, se nocturnis, de quibus agitur, conventibus interfuisse. Confirmatur 2. ex eo quod tanta sit imaginationis vis, ut iis in locis, ubi mulieres sub nomine Sagarum ad Judices trahuntur, plures aliæ sibi persuadeant, quòd & ipsæ sagæ sint; nempe quæ de sagis audiunt, ita movent earum imaginationem, ut certò credant, se & fecisse & passas esse illa omnia, de quibus illæ aliis intentatur. Hincque fit, ut iis in provinciis, in quibus tribunalia adversus sagas eriguntur, crescat in dies earum numerus; cum econtra in aliis, in quibus nihil agitur simile, vel exiguus, vel nullus sit sagarum numerus. Vide de hoc argumento Abulensem in caput 13. Geneseos quæstione 354. Cajetanum in 2. 2. quæst. 95 art. 3.

Quæres, an sint aliquæ regulæ, quibus vera miracula discerni possint a quibusdam diaboli operibus, quæ miraculum hominibus sapiunt?

Resp. affirmativè. Nam 1. falsa miracula curiositati, non autem ædificationi serviunt: 2. Tantùm abest, ut hominibus prosint, quin potiùs noceant quam maximè: 3. Plerumque tendunt ad sacrilegia, lasciviam, aliaque tum facinora, tum flagitia. Econtra vera miracula (ut patet in iis, quæ sive Christus, sive Apostoli patrarunt) animabus corporibusque profuerunt: *Pertransiit* (ajunt Scripturæ de Christo) *benefaciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo.*

Præter notas, quæ mox traditæ sunt, aliæ rursùs proferri possunt. *Primò*, cum objectum, quod uni & alteri hoc vel illo modo videtur, eadem ratione omnibus non apparet, signum est, quòd illusio sit in sensibus, nihilque sit reale in objecto. *Secundò*, illusio est patens, cum objecto, quod reale deprehenditur, deest aliqua ex proprietatibus, quæ naturaliter illi convenire debent, ut si corpus, quod appareret, non esset palpabile. *Tertiò*,

cum

cum fundamentum est judicandi, rem, quæ de novo producta videtur, aliunde, per celeritatem nimirum dæmonum, allatam fuisse, ut observavimus supra de draconibus, in quos virgæ maleficorum Pharaonis mutatæ videbantur. *Quartò*, cum judicari potest, ope dæmonum auferri objectum, & ablato substitui aliud. Hinc cum Augustino dicendum est, fabulam esse, *quod socii Diomedis, quia nusquam subitò comparuerunt, & postea nullo loco apparuerunt, perdentibus eos ulteribus Angelis, in eas aves, quæ pro illis occultè ex aliis locis, ubi est hoc genus avium, ad ea loca perducta sunt, ac repente suppositæ, creduntur esse conversi*. Tandem *quintò*, miraculum est apparens, non verum, quando alio miraculo præstantiore superatur: sic Ægyptii colligere poterant, miracula, quæ coram Pharaone ab eorum maleficis patrabantur, fictitia tantùm fuisse; nempè serpens, in quem mutata fuit Aaronis virga, voravit maleficorum serpentes, & Magi ita in quarto portento defecerunt, ut Moysi ad ulteriora prodigia progredienti dixerint, *Digitus Dei est hic*.

QUÆSTIO VIII.

De variis Angelorum ordinibus.

Not. HIC quæremus 1. quot sint Angelorum ordines; 2. quot hierarchiis ordines illi contineantur; 3. quænam sint singularum hierarchiarum proprietates?

CONCLUSIO 1. Novem sunt Angelorum ordines.

Probatur. Tot sunt Angelorum ordines, quot tum in Scripturis, tum in Patribus reperiuntur: atqui tum in Scripturis, tum in Patribus novem Angelorum ordines reperiuntur. Et quidem *primò* in Scripturis novem recensentur. Isaias cap. 6. de Seraphimis, tanquam qui constituant ordinem ab aliis distinctum, sic loquitur: *Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri*. Moyses Genesis 3. meminit *Cherubimorum*: hæc quoque de eis habentur Ezechielis 10. *Cherubim autem stabant à dextris domus*. Paulus primæ ad Thessalonicenses 4. laudat Archangelos: *Quoniam* (inquit) *ipse Dominus in jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœlo*. Idem nomen legere est in Judæ Canonica: *Cum* (ait) *Michael Archangelus cum Diabolo disputans de Moysi corpore*. Paulus ad Romanos 8. loquitur de Angelis, tanquam de ordine ab aliis Angelorum ordinibus distincto: *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes*, &c. Idem Apostolus ad Colos. 1. quatuor distinctos ordines describit: *Sive throni* (ait) *sive dominationes, sive principatus, sive potestates*. Ad Ephesios 1. dominationibus, principatibus, & potestatibus addit Virtutes: *Supra* (inquit de Christo loquens) *omnem principatum, & potestatem, & virtutem*. Ex quibus locis patet, septem Angelorum ordines ab Apostolo recenseri; quibus quidem ordinibus si jungantur Seraphimi, & Cherubimi, quorum Isaias & Ezechiel meminerunt, novem, ex Scriptura, erunt Angelorum ordines.

Secundò, Patres, ubi dedita opera catalogum texuere ordinum Angelorum, nec plùs, nec minùs quàm novem recensuerunt. Ignatius in Epistola ad Trallianos, quam Hieronymus inter genuinas admittit, sic loquitur: *Ego verò non quia vinctus sum, & intelligere possum cœlestia, & Angelicos ordines; nec non Angelorum & exercituum & principatuum differentias, ac virtutum & dominationum discrimina; thronorumque ac potestatum varietates, eorum magnitudines, cherubim ac seraphim excellentias*, &c. Irenæus lib. 2. cap. 54. eundem texit catalogum, cum hoc tamen discrimine, quòd *Exercituum* loco ponat vocem, *Principatuum*. Eundem quoque descripsit Dionysius lib. de cœlesti Hierarchia, cap. 6. Iis Græcis Patribus adhærent Latini. Instar omnium sit Gregorius Magnus hom. 34. ubi sic loquitur: *Novem Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim atque seraphim*. Eadem, qua Gregorius, ratione locuti sunt, qui post illius tempora, scripserunt, ut videre est apud Bernardum lib. 5. de Consideratione, cap. 4. Rupertum lib. 3. de processione Spiritus sancti, cap. 16. Magistrum Sententiarum, S. Thomam & alios.

Objicies. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, Ambrosius lib. 1. de Fide cap. 1. Cyrillus Hierosolomytanus catechesi 6. quatuor tantùm recenset Angelorum ordines: ergo non sunt novem.

Resp. dist. ant. Et illi Patres non excludunt majorem numerum, conc. ant. & excludunt, neg. ant. Iis locis propositum non fuit Patribus accuratum describere catalogum ordinum Angelorum; ac proinde mirum non est, quòd tunc omnium non meminerint. Confirmatur ex eo, quòd Ecclesia Latina tum in missæ præfatione, tum in hymno Ambrosiano, *Te Deum laudamus*, non recenseat novem Angelorum ordines: & tamen inde concludi non potest, Ecclesiam Latinam solum illum numerum admittere, qui iis in locis recensetur. Confirmatur iterum ex eo, quòd nonnulli ex Patribus, qui nobis objecti sunt, alibi novem ordines expressè recensuerint, ut patet in Hieronymo, lib. 2. Apologiæ contra Rufinum.

CONCLUSIO 2. Novem Angelorum ordines tribus hierarchiis continentur.

Probatur ex Patribus, inter quos Dionysius lib. de cœlesti hierarchia, cap. 6. expressè docet novem ordines Angelorum triplici hierarchia contineri. In priorem refert Seraphimos, Cherubimos, Thronos: in alteram, Dominationes, Virtutes, Potestates: in tertiam denique, Principatus, Archangelos, Angelos. Gregorius hom. 34. Dionysianæ hierarchiæ subscribit, cum hoc tamen discrimine, quòd Principatus collocet in secunda, & Virtutes in tertia. Gregorium sequuntur Bernardus lib. 5. de Consideratione, cap. 4. Magister Sententiarum & S. Thomas.

Quæres, quid tum Dionysius, tum Gregorius, tum alii deinde Patres per hierarchiam intellexerint?

Resp. Hierarchiam in genere sumptam, seu prout abstrahit à cœlesti aut Ecclesiastica, esse Sacrorum præfecturam, seu potestatem. *Sciendum est igitur* (inquit Maximus initio Commentariorum ad Dionysium de Cœlesti Hierarchia) *Hierarchiam quidem esse principatum ac velut curam ordinandorum Sacrorum: Hierarcham verò, qui Sacris præest, eaque curat ac moderatur*. At verò Hierarchia cœlestis, de qua hic agitur, est potestas ordinandarum functionum, quæ in cœlis fiunt; sicut hierarchia Ecclesiastica est potestas ordinandorum Sacrorum, quæ fiunt in terris; Hierarcha verò, qui tanquam princeps Sacris illis præest. Igitur hic hierarchiæ nomine non aliud intelligitur, quam certus Angelorum numerus, qui sibi invicem ac uni tanquam principi in ordine ad cœlestes actiones subordinantur; unde, si sumatur adæquatè, dicit, secundum Dionysium, potestatem, scientiam, & actionem.

CONCLUSIO 3. *Variæ* sunt ordinum Angelorum proprietates.

Probatur. Proprietates ordinum Angelorum considerari possunt vel respectu spiritualium perfectionum, quibus præditi sunt, vel respectu ministeriorum exteriorum, quibus funguntur: atqui utrovis modo considerentur, sunt variæ: ergo, &c.

Primò, perfectionum intrinsecarum proprietates esse varias, demonstrant ipsa ordinum Angelicorum nomina: Siquidem Seraphimi sic appellantur, quòd, Ber-

nardo teste Serm. 19. in Cantica, maximè Deo conjuncti, summa ardeant charitate. Cherubini sic dicuntur, quod prædíti sint eminente sapientia, seu scientia. Throni, quòd peculiari modo sint Dei sedes; unde ab eo singulariter inhabitantur, & ratione inhabitationis hujusmodi singulari pace ac tranquillitate fruuntur; Dominationes, quòd in eis maximè eluceat Dei in res creatas principatus: *Mira* (inquit Gregorius) *potentia præeminent*, Virtutes, quod in recipiendis Dei illuminationibus maxime sint constantes; Principatus, quod Dei majestatem ac dignitatem referant, & ad illius contemplationem & amorem alios alliciant; Archangeli, quòd sublimium Dei arcanorum præ cæteris conscii sint. Vide Dionysium lib. de cœlesti hierarchia, cap. 5.

Secundò, eadem ordinum angelicorum nomina, secundùm Gregorii Magni interpretationem, significant diversitatem ministeriorum, quibus Angeli funguntur. Seraphini sic appellantur, quòd charitatem, qua ardent, in alios Angelos transfundant; Cherubini, quòd scientiam, qua prædíti sunt, aliis communicent; Throni, quòd alios suæ securitatis ac pacis participes efficiant, Dominationes, quòd ad eos tanquam ad principes, aliorum Angelorum ministeria referantur; Virtutes, quòd per eos miracula patrentur; Potestates, quod efficiant suo ministerio, ne potestates infernales hominibus noceant, Principatus, quòd in divinorum mandatorum executione cœlestibus virtutibus principentur; Archangeli, quod (ut putat Gregorius) summa nuntient, Angeli denique, quod nuntient minima, nullamque in divinis nuntiandis singularem prærogativam habeant.

Sed hæc de Angelis satis sint. Qui plura nosse voluerit, consulat Dionysium de Cœlesti Hierarchia, Gregorium Magnum hom. 34. in Evangelia, Bernardum lib. 5. de Consideratione, Magistrum Sentent. lib. 2. dist. 9. & tandem S. Thomam 1. p. quæst. 107. & sequentibus.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Universi Productione.

No, MOyses toto priore Geneseos capite describit historicam aspectabilis hujus Universi productionem. Eam verò non divina tantum revelatione, sed etiam humana didicerat, scilicet Majorum suorum traditione, & quidem facili ac brevissima: ab Adamo nimirùm per Mathusalem, Sem, Isaacum, Levi & Amram patrem suum, quæ in suum librum retulit, acceperat. Non aliam hic adhibebimus methodum, quàm quæ a sacro illo Scriptore fuit adhibita; hoc est, sigillatim recensebimus opera, quæ intra sex dierum spatium, intra quod mundum conditum fuisse scribitur, recensuit.

QUÆSTIO PRIMA.

De opere diei primæ.

CONCL. DIei primæ opera, sunt Cœlum, terra, lux, divisio lucis a tenebris.

Probatur authoritate Moysis, qui Geneseos capite 1. sic loquitur: *In principio creavit Deus cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus, fiat lux: Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quòd esset bona, & divisit lucem à tenebris. Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque est vespere & mane dies unus.*

Quæres 1. quinam sit sensus verborum, quæ ex Moyse jamjam laudata sunt?

Resp. verba, de quibus agitur, illustrari posse subsequente, & quidem brevi, commentario, quem ex doctissimo recentiore descripsimus. *In principio*, hoc est (secundùm Augustini sententiam lib. 2. de Civit. Dei c. 9.) ante omnia, *creavit*, produxit non ex præexistente materia, ut voluit Hermogenes apud Tertullianum, sed ex nihilo fecit; *Deus*, non Angeli (ut placuit Simoni Mago, ac aliis apud eundem Tertullianum, de Præscript. c. 36.) *cœlum & terram*, supremam mundi partem & infimam, & quidquid earum ambitu continetur.

Terra autem erat inanis & vacua. Hebr. *Desolata & inanis*, sine plantis, sine animalibus. *Et tenebræ erant super faciem abyssi*; adeo ut terra esset aquarum abysso & tenebris obvelata. *Et Spiritus Dei*, quem pauci pro aere, & fere omnes post Ambrosium lib. 1. cap. 8. in Hexam. pro Spiritu sancto accipiunt, *ferebatur super aquas*. Syr. Confovebat aquas, ad similitudinem aviculæ incubantis (ait Basilius hom. 2. in Hexam.) vimque vitalem imprimentis in ea, quæ ab ipsa foventur. Idque non absque ratione (inquit Chrysostomus hom. 3. in Genesim) Scriptura divina præveniendo dicit, eo quòd postea dictura est nobis, quòd animalia ex aquis illis producta sint.

Dixitque Deus, Fiat lux: Et facta est lux. Dixit verbo sibi coæterno (ait Augustinus lib. 1. de Genesi ad literam, cap. 10.) id est immutabilis sapientiæ internis æternisque rationibus, non corporali sono vocis. *Et vidit Deus lucem quòd esset bona*, quia facta ad artis suæ hoc est, æternæ sapientiæ regulas. Sed numquid nesciebat ante, quod lux bona esset? Prorsus noverat: Verùm (ait Chrysostomus) demittit se, & juxta humanam consuetudinem hæc omnia loquitur beatus ille Propheta. Et quemadmodum homines cum magnum aliquid elaboraverint.... tunc tandem... opus laudibus extollunt: ita & divina Scriptura solet & nunc, cum se ad aurium nostrarum infirmitatem demisit.

Et divisit lucem à tenebris, divisit, natura, loco, tempore. *Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*, hoc est, voluit appellari lucem non quamcumque, sed quæ tenebris succedit, *Diem*, & tenebras, quæ luci succedunt, *Noctem*. *Factumque est vespere & mane dies unus*, id est, ex nocte, quæ incipit, *vespere*, & ex die subsequente, quæ incipit, *manè*, factus est dies *unus*, hoc est, primus, phrasi hebraica, qua numerus cardinalis pro ordinali ponitur.

Quæres 2. Quid intelligi debeat lucis nomine, quam Moyses scribit prima die creatam fuisse?

Resp. varias esse de proposita quæstione sententias. Alii Angelos, alii nubem, aut columnam, alii aliud corpus lucidum, quòd successive utrumque hemisphærium pererraret, intelligunt. Sed operæ pretium est hic sequi consilium Augustini lib. 2 de Gen. ad lit. cap. 18. *Ut servata semper moderatione piæ gravitatis, nihil de re obscura temerè credamus: ne fortè quod postea veritas patefecerit, propter amorem nostri erroris oderimus.*

QUÆSTIO II.

De opere secundæ diei.

CONCL. OPus secundæ diei non aliud fuit, quàm firmamentum.

Probatur authoritate Scripturæ, quæ sic habet Geneseos 1. *Dixit quoque Deus, Fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum, cœlum: & factum est vespere & mane dies secundus.*

Quæres 1. quid loco proximè laudato Scriptura intelligat firmamenti nomine?

Resp. intellexisse quidpiam extensum, quod aquas ab aquis dividat. *Fiat firmamentum: Quasi quis dicat*

humana lingua (ait Chryfoftomus hom. 4. in Genefim) *fiat paries quidam & interftitium, in medio dividens & feparationem faciens*. An autem illud fpatium fit aer, an verò corpus aliquod folidum, quod aere fit fuperius, non una eft antiquorum fententia. Trita eft, apud recentiores præfertim, opinio, quæ docet firmamentum effe immenfum illud aeris fpatium, quod a terris ad empyreum ufque protenditur; & in quo fidera, tanquam pifces in mari, poftea collocata funt, fuofque agunt circulos.

Confirmant 1. ex eo, quod Scriptura non rarò aeria nomine vocet fubftantiam illam, quam hic firmamentum appellat, velut cum ait Pfal. 146. *Qui operit cælum nubibus*: Matthæi 16. *Trifte & rubicundum cælum.* Tritum eft & illud: *Volucres cœli.* Confirmant 2. ex eo, quòd Moyfes populari loquendi ratione ufus fit; atqui fert popularis loquendi modus, ut aer, cœli nomine vocetur. Favet Auguftinus lib. 2. de Genefi ad literam, capite 4. ubi fic loquitur: *Talibus eorum difputationibus aliquis cedens oftendit, & ipfum aerem cælum appellari, non folum fermone communi, fed etiam noftrarum Scripturarum authoritate, ubi legitur, Volatilia cœli. Cum ergo probaffet, & hunc aerem cælum dici, nulla alia caufa etiam firmamentum appellatum voluit exiftimari, nifi quia intervallum ejus dividit inter quofdam vapores aquarum, & iftas aquas, quæ corpulentiùs in terris fluitant. Quam confiderationem laude digniffimam judico.*

Quæres 2. quid intelligi debeat aquarum nomine, quas Moyses fcribit effe fuper firmamentum?

Refp. varias effe de illis aquis fententias. Cenfent aliqui, aquas illas, licet noftris puriores fint, ejufdem nihilominus effe fpeciei. Ita philofophantur ii, quibus placet, firmamentum effe corpus folidum. Si quis verò quærat ab iis Authoribus, cuinam in ea fuppofitione ufui fint illæ aquæ; refpondent, ibi collocatas fuiffe, ut humore fuo firmamenti celerrimum motum temperent. Alii verò, ii præfertim, qui firmamentum aerem interpretantur, contendunt, aquas, de quibus agitur, effe aquarum terreftrium vapores tenuiffimos, qui poftea in nubes condenfati, pluviam efficiunt. Hinc autem facilè intelligitur, qua ratione firmamentum, feu aer, dividat (ut fcribit Moyfes) aquas ab aquis: nempè vapores, feu nubes, medio aere dividuntur ab aquis, quæ in terris fluitant.

Quæres 3. cujus formæ ac figuræ fint orbes cœleftes?

Refpondet Auguftinus his verbis lib. 2. de Genefi ad litteram, cap. 9. *Quæri folet, quæ forma & figura cœli effe credenda fit fecundum Scripturas noftras. Multi enim multum difputant de iis rebus, quas majori prudentia noftri Authores omiferunt, ad beatam vitam non profuturas difcentibus, & occupantes (quod pejus eft) multùm pretiofa & rebus falubribus impendenda temporum fpatia. Sed ... breviter dicendum eft, de figura cœli hoc fciffe Authores noftros, quod veritas habet, fed Spiritum Dei qui per ipfos loquebatur, noluiffe ifta docere homines, nulli faluti profutura.*

QUÆSTIO III.

De opere diei tertiæ.

CONCL. Die tertia congregatæ funt aquæ: terra facta eft arida, & germinavit.

Probatur ex Scriptura, quæ fic habet Genefeos cap. 1. *Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ fub cœlo funt, in locum unum, & appareat arida. Et factum eft ita. Et vocavit Deus aridam, Terram, congregationefque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quòd effet bonum. Et ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem femen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus fuum, cujus femen in femetipfo fit fuper terram. Et factum eft ita. Et factum eft vefpere & mane dies tertius.*

Quæres 1. quis fit ille locus, in quem aquæ congregatæ funt?

Refp. effe vel terræ cavitates, quibus maria continentur, vel meatus fubterraneos, in quos aquæ defluunt, vel ipfam terræ fuperficiem, ad quam eædem aquæ decurrunt. Si quis autem roget modum, quo facta fit ejufmodi aquarum congregatio, dicendum erit, die tertia, aquæ tenuis, ac nebulofæ voraginis, qua ante cooperta erat terra, vaftitatem inferiore fui parte condenfatam, in uno confediffe loco. Favet Auguftinus lib. 1. de Genefi ad litteram cap. 12. ubi fic loquitur: *Cum totam omnino terram undofa materia cooperiret, quò cederet, ut nudaret aliquas partes? An forte rarior aqua velut nebula terras tenebat, quæ congregatione fpiffata eft; ut ex multis partibus eas, in quibus arida poffit apparere, nudaret?* Ut autem aquæ illæ condenfatæ, terræ finu exciperentur, tellus ipfa, quæ antea definebat in æquabilem omni ex parte fphæram, in pluribus fui partibus altiùs depreffa, & in immenfum excavata eft. Hincque factum eft, ut aliæ illius partes in ingentem altitudinem elatæ fint, indeque furrexerint montes, qui quafi terræ tumores extiterint.

Quæres 2. quo fenfu a Moyfe dictum fit, aquas congregatas fuiffe in unum locum?

Refp. 1. Moyfen loqui de primaria ac præcipua congregatione, quæ haud dubiè in unum locum facta eft. Refp. 2. Scripturæ textum intelligi debere distributivè: *Congregentur aquæ omnes in unum locum*, hoc eft, in fuum quemque locum; ita ut licèt plures fint collectiones, aqua tamen omnis certo ac præfinito fibi loco confiftat.

Quæres 3. cur Moyfes terram vocaverit *Aridam?*

Refp. id factum fuiffe duplici de caufa. *Primò*, quod per Dei imperium, aquis in terræ finus congregatis, ejufdem terræ fuperficies exficcata effet: *Secundo*, ut fciremus, terram, cum planè exficcata effet, non fponte fua, fed Dei virtute herbas ac fructus protuliffe.

QUÆSTIO IV.

De operibus diei quartæ, & quintæ.

CONCL. 1. Die quarta Deus produxit Solem, Lunam, Stellas.

Probatur narratione Moyfis quæ fic habet Genefeos 1. *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & fint in figna & tempora, & dies & annos, ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum eft ita: Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeffet diei, & luminare minus, ut præeffet nocti; & Stellas. Et pofuit eas in firmamento cœli .... Et factum eft vefpere & mane dies quartus.*

Quæres, quinam fit fenfus fingulorum verborum, quibus in ea narratione Moyfes ufus eft?

Refp. firmamenti nomine Moyfen non intellexiffe fpatium illud, quod (ut fecunda quæftione dictum eft) aquas ab aquis dividit; fed ingentem illum tractum, qui ab aquis tenuioribus, quæ aeri fupereminent, in immenfum ferè protenditur. Solem & Lunam vocat luminaria magna, non quidem refpectu ftellarum omnium: nimirum ex paralaxi (ut Mathematici loquuntur) conftat, Stellas multò majores effe five Sole five Luna. Scribit, luminaria facta fuiffe in figna, & tempora, & dies, & annos. *Non illa* (inquit Auguftinus lib. 2. de Genefi ad literam, cap. 17.) *quæ obfervare vanitatis eft, fed utilia, & ufibus hujus vitæ neceffaria*: Unde fequitur: *Et tempora*; hoc eft, ut defignent tempora, ver, æftatem, autumnum, hyemem,

hyemem, messem, vindemiam, aliaque hujusmodi, quæ ad vitam sustentandam conferunt. Addit Moyses, *Et posuit eas in firmamento cœli*, non quidem quod priùs illas fecerit, deinde posuerit in firmamento, sed quòd eas in ipso firmamento condiderit.

CONCLUSIO 2. Die quinta Deus pisces & volucres ex aquis produxit.

Probatur hisce verbis Moysis, Geneseos cap. 1. *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cœli. Creavitque Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum: Benedixitque eis dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere & mane dies quintus.*

Quæres, quid ea Moysis verba significent?

Resp. Moysen per, *Reptile*, intellexisse pisces, qui cùm pedibus careant, in aqua repunt, sicut serpentes in terra; pisces autem & aves scribit ex aqua effecta fuisse: *Quoniam* (inquit Basilius homil. 8. in hexame.) *cognatio quædam est avium cum piscibus. Etenim quemadmodum pisces aquam secant, pinnarum agitatione progredientes: sic idem in volucribus licet cernere.* Per hæc alia verba *Cete grandia*, Author intelligit pisces illos ingentes, qui præ sua magnitudine montes videntur. Tandem per hæc alia, *Benedixit eis, dicens: Crescite, & multiplicamini*, intellexit fœcunditatem, quam tum piscibus, tum avibus Deus impertitus est. Quærit Theodoretus, *Cur Deus non benedixit plantis, animalibus autem dixit, Crescite?* Respondet quæstion. 7. in Genesim: *Deus prænutu suo statim universam terram replevit pratis, segetibus, & aliis omnis generis herbis, & arboribus: bruta verò animalia, bina creavit. Unde meritò benedictionem eis largitus est, ut per multiplicationem, quædam replerent maria, quædam aerem, nonnulla verè terram.*

QUÆSTIO V.

De opere sextæ diei.

CONCL. Die sexta animalia, & homo producta sunt.

Probatur ex Genesis capite 1. ubi hæc leguntur; *Dixit quoque Deus, Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas: factumque est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere suo ..... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, &c.*

Explicatur prior pars textus ex Moyse laudati. *Producat terra animam viventem in genere suo*: hoc est, animalia viventia secundùm suas species, quæ in tres classes distinguuntur, jumenta, à juvando dicta (nimirùm hominibus tum ad laborem, ut equi & cameli, tum ad cibum, ut oves & vituli, necessaria sunt.) *Reptilia*, quæ super terram, aut repunt, ut serpentes, vel saltitant, ut lacerti: *Bestias terræ*, sub quibus comprehenditur quidquid reliquum est, & maximè feræ, sive noceant veneno, sive minimè noceant. Nec enim citra peccatum nocuissent homini, ut etiam quondam in vipera, & Leonibus erga Paulum, & Danielem demonstratum est. Vide Augustinum lib. 1. de Genesi contra Manichæos, cap. 18. Quæ autem ex putri materia nascuntur, ut pulices, ranæ, mures, non immediatè sunt à Deo producta, sed tantùm mediatè, ex putri nimirùm materia, ex qua deinceps per calorem genita sunt. Idem quoque dici debet de animalibus heterogeneis, ut sunt muli, leopardi: creatis enim eorum parentibus, virtute creata censentur.

Explicatur altera pars ejusdem textus: *Et ait*: in quæ quidem verba sic loquitur Ambrosius lib. 6. hexam. cap. 7. *Non sibi utique, quia non dicit, faciam, sed faciamus. Non Angelis, sed dicit Filio, etiamsi Judæi nolint, etiamsi Ariani repugnent. Faciamus hominem.* Vide (ait Chrysostomus homil. 8. in Genesim) quanta verborum diversitas: non enim jam dicit: *Fiat homo*, sed quid? Faciamus hominem. *Ad imaginem & similitudinem nostram*, id est, ut sit imago, quæ nos ipsos referat. *Nec tamen hoc* (ait Augustinus lib. 6. de Gen. ad literam, cap. 12.) *secundùm corpus, sed secundùm intellectum mentis*, quæ capax est intuitivæ Dei visionis, & perfectæ in eum charitatis. *Et præsit piscibus maris*, &c. ratione, *ut videlicet intelligamus* (ait Augustinus lib. 3. de Gen. ad literam, cap. 20.) *in eo factum hominem ad similitudinem Dei, in quo irrationabilibus animantibus antecellit*. Addit Moyses, *Masculum, & fœminam creavit eos*; ac proinde corpora sexu distincta. Creavit quidem eodem die, sed non simul; nam primò solus Adam creatus est, cui Evam posteà dedit in adjutorium. *Benedixitque illis & ait, Crescite*: quibus quidem verbis Deus vim seminis ad procreandam prolem primis parentibus contulit: *Sed* (ait Augustinus) *absit, ut credamus illos conjuges in Paradiso constitutos, per libidinem impleturos fuisse, quod in sua benedictione Deus dixit, Crescite*, &c. Subdit idem sanctus Scriptor, *Et dominamini piscibus maris*, &c. Nimirum par fuit, ut inferiora parerent homini, quandiu ipse Deo pareret. *Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam, & universa ligna, &c. ut sint vobis in cibum.* Inordinatè igitur se gerit ille, qui eis non in cibum, sed in voluptatem abutitur.

Quæres 1. utrum sex illi dies, quos Scriptura testatur Deum impendisse ad rerum omnium productionem, sint dies veri, an figurati tantùm?

Resp. dies, de quibus agitur, fuisse veros dies. Ratio est 1. quia res, quæ sex diebus factæ sunt, res sunt veræ, ut unanimi consensu Patres adversùs Originem demonstrant: ergo & dies, quos Deus ad rerum productionem impendit, sunt dies veri: nempè Scriptura eodem modo loquitur de iis diebus, qua de rebus, quæ intra dies illos factæ sunt. Ratio est 2. quia Scriptura figuratè sumi non debet, cùm nulla ad id necessitas cogit: *Cum primitùs* (ait Augustinus lib. 8. de Civit. Dei, cap. 7.) *propriè res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potiùs authoritatem Scripturæ simpliciter sequimur narratione rerum gestarum, res verè gestas priùs intelligentes, tum demum quidquid aliud significant, perscrutantes?* atqui nulla necessitas cogit sumendi Scripturam figuratè iis locis, in quibus loquitur de diebus, quos Deus ad mundi productionem impendit; neque enim ex sensu literali, aliquod sequitur absurdum: ergo, &c. Ratio est 3. quia diebus, de quibus agitur, successit cessatio ab omni opere: *Sex enim diebus* (ait Scriptura Exodi 20.) *Fecit Dominus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo: idcircò benedixit Dominus diei Sabbati, & sanctificavit eum*: at sex diebus non successisset (in opposita sententia) cessatio ab omni opere, nec actio, quæ præcessisset, fuisset causa hujusmodi cessationis: quod tamen asserit Scriptura, cùm utatur particula causali, *Enim*, dicens: *Sex enim diebus*, &c.

Objicies 1. Augustinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 7. scribit, dies, de quibus agitur, esse figuratè sumendos. Nempe docet, sex illos dies non aliud esse, quam angelicas cognitiones rerum, quas à Deo, uno ac eodem die, imò & eodem instanti productas esse contendit: Ita ut dies prima, sit angelica cognitio firmamenti; & sic de aliis eo ordine, quo in Scripturis describuntur: vespera sit cognitio creaturæ in se ipsa, manè è contra sit cognitio, qua cognoscitur in Verbo; hic quidem clariùs, illic autem obscuriùs. Rationes verò, quibus S. Doctor nititur, hæ sunt. *Prior*, Non fuerunt distincti dies ante

solis

solis productionem: ergo saltem tres priores figuratè sumi debent. *Altera*, Scriptura Ecclesiast. 18. testatur, omnia simul creata fuisse: *Qui vivit in æternum* (inquit) *creavit omnia simul*.

Resp. dist. ant. Augustinus scribit, dies, de quibus agitur, figuratè sumi debere, & illi passim alii Patres contradicunt, ipseque eo in capite a suis principiis recedere videtur, conc. ant. Et illi passim alii Patres non contradicunt, nec eo in capite a suis principiis recedere videtur, neg. ant. Augustino in capite, de quo agitur, alii Patres non subscripserunt: scilicet timuerunt, ne totam Scripturarum fidem, quantùm ad res gestas attinet, enervarent, nisi & dies, & quæ diebus illis creata narrantur, propriè & non figuratè sumerentur. Præterea nulla cogit necessitas dies illos sumendi figuratè; ac proinde Augustinus a suis principiis recessisse videtur, cùm naturalem & literalem sensum admittere debuisset.

Quæ autem prolatæ sunt ab Augustino rationes, necessariò non concludunt. Nam 1. Basilius hom. 2. in hexam. modum tradit, quo tres primi dies sine sole peracti sunt: *Tunc verò fiebat dies*, (inquit) *cui cedente nox vicissim succedebat, non quidem secundum motionem Solis, sed primigenia illa luce suum splendorem effundente, seque rursum contrahente, idque pro mensura à Deo definita*. 2. Cum Scriptura dicit, omnia creata fuisse simul, intelligitur de simultate rerum, non autem de simultate temporis: ita ut sensus sit, nihil esse, quod à Deo creatum non sit. Solutio illa confirmari potest ex eo, quod loco adverbii *Simul*, in græco textu legitur, *Communiter*, hoc est, sine exceptione. Præterea etiam si daretur, omnia esse creata simul simultate temporis, non inde tamen sequeretur, veros non esse dies, de quibus agitur. Nempè Deus veros dies impendisset ad creationem rerum aliarum, non quidem sumptarum secundùm substantiam, sed tantum secundùm modum, hoc est, secundum ornatum & situm, in quo collocatæ sunt.

Quæres 2. utrum dies nocte prior fuerit, an verò nox præcesserit diem?

Resp. probabiliorem nobis videri sententiam, quæ asserit, noctem præcessisse diem. Ratio est 1. quia cœlum & terra facta sunt ante creationem lucis: ergo nox præcessit diem. 2. Tempore legis Mosaicæ, dies a vespera (quæ per synecdochen pro nocte sumitur) incipiebant, ut patet ex Levitici cap. 23. ubi Dominus jubet ut à vespera ad vesperam sabbata celebrentur: atqui id præceptum est, quod Deus sabbatum, quo ab omni opere cessavit, inchoasset a nocte, quæ septimam diem præcessit. 3. Sententiæ quam propugnamus, subscribunt multi Patres, inter quos Hieronymus in illud Jonæ capitis secundi: *Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus*, sic loquitur: *Nam & in Genesi non nox precedentis diei est, sed sequentis*, hoc est, principium futuri, non finis præteriti.

Objicies, In Genesi dies ante noctem nominatur: *Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem*. 2. Post illa verba, hæc habentur: *Factumque est vespere & mane dies unus*, id est, primus.

Resp. ad 1. dist. ant. Appellavit lucem diem, & tenebras noctem, non servans ordinem temporis, conc. ant. & servans ordinem temporis, neg. ant. Ideò Moyses in sua narratione præmitit diem nocti, quod immediatè ante verba, de quibus est quæstio: *Appellavitque lucem diem*: locutus fuisset de luce: *Et vidit Deus lucem, quod esset bona: & divisit lucem à tenebris*: igitur ut repetitionem vitaret, statim de eadem luce subjunxit: *Appellavitque lucem diem*. Confirmatur solutio ex aliis Scripturæ locis, in quibus servato temporis ordine, nox præmittitur diei: *Nox & dies* (Genesis 8.) *non deficient*. Idem pariter ordo servatur in cantico trium puerorum: *Benedicite noctes, & dies Domino*.

Resp. ad 2. dist. ant. factum est vespere & mane dies unus, ita ut vespera, hoc est, nox, præcesserit mane, conc. ant. ita ut non præcesserit, neg. ant. Equidem vespera, de qua Moyses loquitur, conjuncta cum mane, hoc est, cum die proxime sequente, constituit primum diem, sed non constituit conjuncta cum mane, hoc est, cum luce præcedente; nec enim tunc, seu cum Deus creavit cœlum & terram, adhuc creata fuerat lux, quæ per illud mane intelligitur. Confirmatur responsio ex eo, quòd secundùm Hebræum loquendi morem vespera per synecdochen sumatur pro nocte, & mane pro die, quæ sequitur noctem: id enim videre est Marci cap. 1. *Vespere autem facto cum occidisset sol*: Capite ultimo: *Valdè mane orto jam sole*.

Quæres 3. qua anni tempestate conditus sit mundus, seu in quo Zodiaci signo sol a Deo primùm constitutus sit?

Resp. varias esse de proposita quæstione sententias. Theodoretus putat, mundum verno tempore fuisse productum: *Nam* (inquit quæst. 72. in Exodum) *ineunte vere prata florent, & segetes fluctuant, & fructum arbores emittunt*. E contra Lyranus, Abulensis, Pererius, & alii plures censent, mundum autumnali tempore conditum fuisse.

Confirmant 1. ex eo, quòd ea anni parte, non autem verno tempore, fructus maturi sint, & ad cibum apti. Ante Moysen autumnus erat anni civilis initium; unde & æstatia exitus (Exodi 23. & 24.) finis anni vocatur.

Nec est, quòd quis opponat praxim Judæorum, qui annum sacrum a mense Nizan, seu æquinoctio verno incipiunt. Nempe constat id a Moyse primum institutum fuisse, cum antea ab autumno initium duceret. Vide Pererium libro 1. Comment. in Genesim, ad opus tertiæ diei; Serarium in caput 5. Josue quæstione 27. & alios Scripturarum interpretes.

DISSERTATIO TERTIA.

De primo homine.

Not. QUæ spectant ad primum hominem, reducuntur ad illius creationem, ad dotes, quas accepit ab Authore suo; ad peccatum cujus per inobedientiam reus factus fuit: de iis igitur tribus subsequentibus quæstionibus nobis agendum incumbit.

QUÆSTIO I.

De primi hominis creatione.

Not. PRimi hominis creatio complectitur modum, quo productus est a Deo; locum & statum, in quo conditus fuit.

CONCLUSIO 1. Primus homo corpore & anima donatus est a Deo.

Probatur auctoritate Scripturæ, quæ sic habet Geneseos 2. *Formavit igitur Deus hominem de limo terræ & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*. In his verbis: *Formavit Deus hominem*, totum, seu homo, pro parte, hoc est, corpore, sumitur: in his aliis *Spiraculum vitæ*, intelligitur anima, quæ vitæ principium est, & origo: tandem hæc alia: *Et factus est homo in animam viventem*, significant, ex unione corporis cum anima hominem factum esse animal vivens, nempe anima, quæ pars est hominis, per synecdochen sumitur pro toto, quod ex utriusque partis, corporis nimirùm & animæ, conjunctione resultat.

Quæres 1. cur Deus primi hominis corpus ex limo formaverit?

Resp. Deum hominis corpus ex limo formasse, ut illius

illius immortalitas, non naturæ, sed gratiæ tribueretur: *Quid mirum* (inquit Augustinus lib. 2. de Genesi ad literam contra Manichæos agens, cap. 7.) *aut difficile Deo etiamsi de limo istius terræ hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere, quod corruptioni non subjaceret, si homo præceptum Dei custodiens peccare noluisset?*

Verùm licèt hominis corpus id habeat commune cum bestiis, quòd ex limo formatum sit: tamen illius fabrica, bestiarum corporibus longè antecellit. Nam 1. corporis figura non proni, sed erecti sumus: 2. sic dispositum est corpus, ut homo judicet, ipsum factum esse ad animæ rationalis ministerium: 3. Tam numerosa est partium omnium congruentia, ut vix judicari possit, an in eo condendo major sit utilitatis habita ratio, quam decoris: 4. In ipsis etiam partibus, quæ non apparent, tanta est proportio, ut ex illius contemplatione mens mirum in modum delectetur: 5. Sunt quædam in humano corpore, quæ decori tantùm, non autem usui inserviunt: ex iis autem omnibus patet, in formatione corporis dignitatem necessitati fuisse prælatam. Vide rationes illas fusè pertractatas apud Augustinum pluribus capitibus libri de Genesi ad literam.

Quæres 2. cur Scriptura loquens de homine, dicit, Deum formasse illius corpus ex limo, animam verò inspirasse in faciem ejus?

Resp. Scripturam eum loquendi modum adhibuisse, ut significaret, hoc esse discrimen inter corpus & animam, quod illud ex præsupposito subjecto, limo nimirum, productum sit, anima è contra educta non sit ex subjecto, sed ex nihilo, ac proindè per creationem producta sit: *Hoc testimonio* (inquit Augustinus lib. 7. de Genesi ad literam, cap. 18.) *janè satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra; & ideo cum redit, non habet quò redeat, nisi ad Authorem, qui dedit eam, non ad eam creaturam, ex qua facta, sicut corpus ad terram.* Si quis autem roget, quo præcisè tempore creata sit anima, respondendum erit, tunc tantum productam fuisse, cum unita est corpori: nimirùm Deus eam creando, corpori infudit. Ratio est, quia si extitisset aliquandiu ante suam cum corpore unionem, aliquid aut meruisset aut demeruisset; tunc enim aut creaturam aut Deum amasset: at dici non potest, quòd tunc aut meruerit aut demeruerit, cum juxta Apostolum de eo tantùm judicandus sit homo, quod in corpore suo gesserit, sive bonum, sive malum.

Quæres 3. quando, ex qua materia, & propter quid condita sit prima mulier?

Resp. ad 1. Evam, seu primam mulierem, immediatè post Adami formationem productam fuisse. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam:* (inquit Scriptura Genes. 1.) *ad imaginem Dei creavit illum; masculum & feminam creavit eos.* Nec obstat, quod eadem Scriptura Genesis capite 2. de mulieris formatione loquatur, cùm econtra productionem hominis capite 1. recensuerit: Siquidem, quæ scripta sunt cap. 2. non aliud sunt, quam iterata, & quidem per compendium, narratio eorum, quæ sexta die facta fuerant: unde idem secundum caput non de mulieris tantùm productione, sed etiam de Adami formatione loquitur.

Resp. ad 2. primam mulierem factam fuisse 1. de viro suo Adamo: 2. de viro dormiente: 3. de latere viri: 4. de costa ejus: 5. pro costa detracta, substituta est caro; scilicet omnes illæ circumstantiæ Geneseos cap. 2. sigillatim recensentur: de iis autem sic loquitur Augustinus lib. 12. de Civitate Dei, cap. 23. *Hæc autem fabulosa potiùs quam vera esse arbitrantur, qui virtutem ac sapientiam Dei, qua novit & potest etiam sine seminibus ipsa certè facere semina, ex his usitatis & quotidianis metiuntur operibus. Ea verò, quæ primitus instituta sunt, quoniam non noverunt, infideliter cogitant.* Deus autem fecit mulierem ex viro, ut commendaret unitatem; non fecit ex capite, ne dominetur; non ex pedibus, ne serviat; sed ex costa, ut vitæ socia sit. Addit Scriptura, eam Adamo fuisse datam in adjutorium; eo quod data sit tantum ad filiorum generationem: *Non enim video* (ait Augustinus lib. 9. de Gen. ad literam cap. 7.) *ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro, si generandi causa subtrahatur.* Circumstantias illas mysticè variis in locis explicuit idem Augustinus, sed satis sint quæ de iis habet tractatu 9. in Joannem: *Dormit Adam* (inquit) *ut fiat Eva: moritur Christus ut fiat Ecclesia. Dormienti Adæ fit Eva de latere, mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant Sacramenta, quibus formetur Ecclesia.*

CONCLUSIO 2. Adam & Eva extra paradisum voluptatis creati sunt, sed paulò post in eum translati fuere.

Probatur. Gen. c. 2. hæc habentur: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* Ex illis vocibus, *Tulit, Posuit,* Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, & Basilius hom. de paradiso, colligunt, primos parentes extra paradisum a Deo creatos fuisse. In eo autem non multò post positi sunt, ut operarentur *per agriculturam* (ait Augustinus lib. 8. de Genesi ad literam, cap. 10.) *non laboriosam, sed deliciosam.* Et ut custodirent illum, *ipsi sibi* (ait idem S. Doctor) *ne aliquid admitterent, quare inde mererentur expelli.*

Quæres 1. in qua Orbis parte situs esset paradisus voluptatis?

Resp. inutile esse id quærere, inutilius investigare, temerarium definire, noxium de eo litigare: *Nempè melius est* (inquit Augustinus lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 8.) *dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.* Hinc ibidem, cap. 7. paradisum illum dicit, *locum a cognitione hominum remotissimum.*

CONCLUSIO 3. Adamus creatus est in statu gratiæ sanctificantis.

Probatur 1. Ex Augustino, natura humana sine vitio, sine culpa, salva & incolumis, a Deo creata est: *Creatus est* (inquit serm. 11. de verbis Apost. cap. 2.) *primus homo in natura sine culpa, in natura sine vitio:* atqui, juxta ejusdem S. Patris doctrinam, salvum, sanum, sine culpa, sine vitio esse, non aliud est, quam esse in statu gratiæ sanctificantis; qui enim est sine vitio, sine culpa; qui salvus est & incolumis, jus habet ad beatitudinem æternam; nempè (ut ait lib. 1. de peccatorum meritis, cap. 24.) *A salute & vita æterna hominem nisi peccata non separant.* Unde lib. de peccato originali, cap. 13. concludit adversùs Pelagianos, infantes, qui sine baptismo moriuntur, si innoxii sint, (ut asserebant hæretici) hoc est, *si sine vitio procreentur, hoc solùm in se habentes, quod Deus condidit*, consequi debere, non vitam æternam tantùm, quam Pelagiani distinguebant a regno cœlesti; sed ipsum etiam regnum cœleste, quod quidem positum est in intuitiva Dei visione.

Probatur 2. Adamus aut cum sapientia aut cum stultitia conditus fuit; non enim datur medium: *Nemini dubium est* (inquit Augustinus) *omnes homines, aut stultos, aut sapientes esse.* Non fuit verò conditus cum stultitia: nempè conditus est (ut jam dictum est) sine vitio, proindeque sine stultitia, quæ magnum est vitium: atqui si Adamus conditus fuit cum sapientia, sequitur, eum quoque conditum fuisse in statu gratiæ sanctificantis, siquidem ea sapientia non erat sine charitate; scilicet Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 8. definit, sapientiam non aliud esse quam *veritatem, in qua cernitur* (saltem imperfectè) *& tenetur summum bonum.*

Probatur 3. Ille creatus est in statu gratiæ sanctificantis, qui creatus est cum perfecta charitate: nempè perfecta charitas necessariò confert sanctitatem subjecto, in quo reperitur: atqui Adamus creatus fuit cum per-

perfecta charitate: siquidem ille creatus est cum perfecta charitate, qui creatus est cum voluntate omni ex parte bona, hoc est nulli admixta malo; nimirum bona voluntas & charitas sunt unum & idem: *Quasi verò* (inquit Augustinus lib. de Gratia Christi, cap. 1.) *aliud sit bona voluntas, quàm charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo.* Sed Adamus creatus est cum voluntate, omni ex parte, bona, quia creatus est rectus; rectitudo autem idem est cum bona voluntate: *Fecit Deus* (ait idem S. Doctor lib. 4. de Civit. Dei, c. 11.) *sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonæ: non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas opus est Dei.*

Probatur 4. Ille conditus est in statu gratiæ sanctificantis, qui conditus est cum integritate, cum salute, quæ sine gratiæ auxilio servari non possunt: integritas enim & salus, quæ sine gratiæ auxilio servari non possunt, ordinis sunt supernaturalis: atqui Adamus conditus est cum integritate & salute, quæ sine gratiæ auxilio servari non potuerunt: *Natura humana* (ait Augustinus Epist. 106.) *etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret.* Illud autem Creatoris auxilium esse gratiam ordinis supernaturalis apertè definit Concilium Arausicanum can. 19. qui confectus est ex modo laudatis Augustini verbis; sic enim habet: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?*

Objicies. Ille non fuit creatus in statu gratiæ sanctificantis, qui tunc tantùm factus est homo spiritualis, cum a Deo positus est in paradiso voluptatis; nam Adamus (ut superiùs dictum est) extra illum paradisum efformatus est: atqui Adamus tunc tantùm factus est spiritualis, cum a Deo positus est in paradiso voluptatis: nempe S. Augustinus lib. 2. de Genesi contra Manichæos, cap. 8. tractans illum Scripturæ locum: *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ,* sic loquitur: *Nondum tamen spiritalem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem. Tunc enim spiritalis effectus est, cum in paradiso, hoc est, in beata vita constitutus, præceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur:* ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Et illæ voces, *Nondum, Tunc,* significant tantùm ordinem narrationis, conc. ant. Et significant præterea ordinem rerum gestarum, neg. ant. Hoc est, S. Augustinus eò loci non aliud vult, quam quòd Scriptura priùs narret hominis creationem, quam illius sanctificationem per gratiam. Illam contendit significatam fuisse hisce verbis: *Insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ;* istam verò his aliis: *Et posuit eum in paradiso voluptatis.*

Objicies 2. Angeli omnes conditi non sunt in statu gratiæ sanctificantis: ergo nec primi parentes.

Resp. neg. ant. apertè nimirùm repugnat Augustino, qui (ut superiùs observavimus agentes de Angelorum creatione) sic loquitur lib. 12. de Civit. Dei, cap. 9. *Et istam,* bonam voluntatem, *quis fecerat, nisi ille, qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creavit, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam? Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse, credendum est.* Addit ibidem S. Doctor, eum amorem non aliud esse, quam charitatem, quæ sanctos homines justificat: mox enim scribit de sanctis Angelis posse dici, *quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis.* In ea autem verba observare est, bonam voluntatem vocari amorem castum, amorem, qui per gratiam datur, charitatem, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in sanctorum hominum cordibus: hincque concludi potest Augustinum per bonam voluntatem, in qua non semel asserit, Adamum fuisse creatum, non aliud intelligere, quam amorem castum, amorem, qui per gratiam datur, charitatem, quæ in cordibus sanctorum hominum per Spiritum sanctum diffunditur; ac proinde non minùs apertè docuit, primos parentes in statu gratiæ sanctificantis conditos fuisse, quam sanctos Angelos.

Quæres, utrum sit de fide, primum hominum parentem conditum fuisse cum gratia sanctificante.

Respondet affirmativè Jansenius Yprensis libro de gratia primi hominis, cap. 1. *Existimamus* (inquit) *non posse in controversiam rem istam revocari, sed tanquam in Ecclesia definitam, & fide certam debere supponi.* Respondet Estius, cui subscribimus, negative. Ratio est 1. quia Ecclesia expressè (quod tamen, ut agentes de propositionum censuris, tom. 1. diximus, requiritur ad articulum fidei, qui alioquin explicitè non continetur in Scripturis,) nullibi definiit, rectitudinem, integritatem, in quibus creati fuerunt primi parentes, esse a gratia sanctificante. 2. Scotistæ, quorum hoc in capite sententiam Ecclesia nullo aperto decreto proscripsit, contendunt, primam justitiam, rectitudinem primorum parentum fluxisse a quodam naturalis integritatis dono, quod quidem (ajunt) postea, cum nimirum Adamus positus est in paradiso voluptatis, perfectum & consummatum fuit per gratiam sanctificantem. 3. Præcipua Adversariorum ratio petitur ex his verbis Concilii Tridentini, sess. 5. *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, anathema sit:* Atqui verba illa non probant, fide certum esse Adamum in gratia sanctificante conditum fuisse: Siquidem (ait Estius) aliud est creatum esse in justitia, & sanctitate, aliud in ea constitutum fuisse; nam & in paradiso constitutus, id est, positus fuit primus homo, Genesis 2. quamvis in eo creatus non fuerit. Nec obstat argumentum Jansenii scribentis, Concilium Tridentinum per vocem, *Constitutum,* intellexisse *Conditum,* eò quòd (inquit) Concilia & Scripturæ, quas Concilium Tridentinum se dicit sequi, indicet, Adamum non alio tempore *constitutum fuisse in sanctitate,* quam cum creatus est. Non obstat (inquam) illud argumentum: nam licèt sit plusquam probabile, vocem *Constitutum,* qua Concilium Tridentinum utitur, sumi pro, *Conditum;* id tamen non est de fide: siquidem sacra synodus (ut testantur historici, qui illius acta descripserunt) de industria vocem, *Constitutum,* adhibuit, delerique jussit vocem, *Conditum,* quam decreti confectores primùm inseruerant; ne scilicet damnarentur Theologi (alioquin Catholici) qui negaverant, primum hominem in statu gratiæ sanctificantis creatum fuisse. Ex his, quæ hucusque dicta sunt, patet in capite, de quo agitur, hoc unum esse de fide, primos parentes charitate & sanctitate donatos fuisse, antequam in peccatum laberentur.

CONCLUSIO 4. Adamus creatus fuit beatus beatitudine, non perfecta quidem, sed imperfecta.

Probatur. *Primò,* Adamus statim dilexit bonam voluntatem, in qua conditus fuerat: at dilectio bonæ voluntatis, inchoata fuit in illo beatitudo: scribit enim Augustinus lib. 1. de liber. arbitrio, cap. 13. planè beatum esse hominem dilectorem bonæ voluntatis suæ: nam (inquit) *hoc gaudium quod hujus boni adeptione gignitur, etiam tranquillè, & quietè, & constanter erigit animum, beata vita dicitur: nisi tu putes aliud esse beatè vivere, nisi veris bonis, certisque, gaudere.*

Secundò, in paradiso nullum aderat malum, quod primi parentes timerent, nullumque aberat bonum, quod juste cuperent: *Quid timere vel dolere poterant illi homines* (inquit Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap.

10.) *in tantorum tanta affluentia bonorum, ubi nec mors metuebatur, nec ulla corporis mala valetudo? nec aberat quidquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet*; atqui beatitudo, saltem imperfecta, in eo posita est, quòd nullum adsit malum, quod timeatur, nullum absit bonum, quod juste desideretur.

Tertiò, beatitudo posita est in pace, in immortalitate, in securitate; atqui iis bonis Adamus innocens in paradiso fruebatur: *Nulla rixa* (inquit Augustinus lib. de Corrept. & Gratia, cap. xi.) *a se ipso adversus se ipsum tentatus, atque turbatus, in illa beatitudinis loco, sua secum pace fruebatur*. Ejusdem libri cap. 10. docet, Adamum potuisse & non mori, & certam facere suam beatitudinem, si voluisset: *Hominem* (inquit) *fecit cum libero arbitrio, & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideò beatum, quia & non mori, & non miserum fieri, in sua potestate esse sentiebat. In quo statu recto ac sine vitio si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine ullo mortis & infelicitatis experimento, acciperet illam merito hujusmodi permansionis, beatitudinis plenitudinem, qua & sancti Angeli sunt beati, id est, ut cadere non posset ulterius: & hoc certissimè sciret*. Vide quæ de Angelorum beatitudine dissertatione 2. dicta sunt.

Probatur altera conclusionis pars, seu, perfectam non fuisse primorum parentum in paradiso beatitudinem. Perfecta beatitudo posita est in intuitiva Dei visione; atqui primi parentes in paradiso fruiti non sunt intuitiva Dei visione: nam 1. intuitiva Dei visio necessariò importat impeccabilitatem in subjecto, qui ea fruitur: atqui impeccabilitas locum non habuit in primis parentibus existentibus in paradiso voluptatis; revera enim peccarunt, licèt potuerint non peccare: *Posset ergò permanere si vellet* (inquit Augustinus lib. de Corrept. & Gratia, cap. xi) *quia non deerat adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset*. 2. In primis parentibus, Augustino teste lib. 14. de Civit. Dei, cap. 16. fragrabat charitas in Deum de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: at fides componi non potest cum Dei possessione, quæ quidem in intuitiva Dei visione consistit. 3. Primi parentes non ampliori donati sunt privilegio, quam S. Angeli: Sed (ut suo loco probatum est) S. Angeli dum essent in via, donati non sunt intuitiva Dei visione: ergo, &c.

Objicies Perfecta beatitudo & Dei visio sunt unum & idem; atqui Adamus in paradiso fruitus est Dei visione, ut his verbis docet Augustinus in Psal. 70. Serm. 7. *Dicatur mihi, quid illi deerat in paradiso constituto, in media opulentia, mediisque deliciis, cui magnæ deliciæ erant ipsa visio Dei, cujus faciem quasi inimici timuit post peccatum?*

Resp. dist. maj. Perfecta beatitudo & Dei visio intuitiva, seu Dei, prout in se est, sunt unum & idem, conc. maj. visio abstractiva, seu Dei cognitio per creaturas, neg. maj. Hac visione, non autem illa, Adamus in paradiso fruebatur.

QUÆSTIO II.

De dotibus hominis innocentis.

Not. HOminis innocentis dotes numerari non possunt; cum enim homo innocens immediatè prodierit a Deo, sitque illius imago, par fuit, ut omnibus virtutibus donaretur, quæ naturæ adeò sublimi convenirent. Methodi causa eas omnes reducemus ad virtutes, quæ spectant ad intellectum, voluntatem, corpus. De iis igitur subsequentibus conclusionibus est agendum.

CAPUT I.

De dotibus ad intellectum hominis innocentis spectantibus.

CONCL. 1. HOmo innocens per infusionem, habuit eam rerum scientiam, quam procedente tempore sibi proprio marte comparare potuisset.

Probatur 1. Homo conditus fuit, ut foret totius naturæ princeps; 2. nomen imposuit omnibus rebus corporeis; 3. præpositus est dux omnium, qui ex eo oriundi erant: ergo par fuit ut Deus ei rerum omnium naturalium cognitionem, hominum regendorum normam, infuderit.

CONCLUSIO 2. Homo innocens errare non potuit.

Probatur. Primò, errare non potuit in iis, quorum notitiam a Deo acceperat: nempè Deus non potest aut falli, cum sit summè sapiens, aut fallere, cum sit summè bonus: 2. Errare nō potuit in iis, quorum notitiam nondum acceperat: scilicet cum esset sapientissimus, temperabat ab affirmatione aut negatione rerum, quas certò non noverat: 3. Errare pariter non potuit in rebus, quæ per sensus cognoscuntur, quia quamdiu ratio remansit Deo subdita, phantasmata rationem sibi subjicere non potuerunt: 4. A nullo decipi potuit; non ab alio homine, cum solus esset, non ab Angelo sancto: nemo enim (ait Augustinus) authore sancto fit deterior; non etiam a dæmone, quippe sciebat illum esse mendacii parentem: 5. Tandem errare non potuit in iis, quæ ad mores & pietatem spectant: siquidem error ille magnum fuisset malum: at malum omne aberat a beato statu, in quo constitutus fuerat homo innocens. Præterea, *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est* (ait Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18) *natura instituti hominis, sed pœna damnati*: Ergo homo, quamdiu stetit in statu innocentiæ, nulla erroris specie potuit errare. Vide Augustinum lib. 14. de Civit. Dei, cap. 14.

Objicies 1. Prima mulier adhuc innocens decepta fuit a serpente: *Serpens* (inquit ipsa Genesis 3.) *decepit me & comedi*: ergo homo innocens errare potuit.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia licet illam mulieris seductionem non præcesserit peccatum operis, præcessit tamen peccatum cordis; interior nimirum elationis: dicit enim Augustinus lib. 11. de Genesi ad liter. c. 3. quod mulier verbo serpentis non crederet, nisi jam inesset menti ejus amor propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio.

Objicies 2. Adamus ideò comedit ex fructu vetito, quòd per illius esum speraverit se (ut serpens promiserat) consecuturum æqualitatem cum Deo: *Scit enim Deus* (ait serpens Genesis 3.) *quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia *Adam* (ait Apostolus 1. ad Timoth. 2.) *non est seductus, mulier autem seducta est*. 2. Sicut Salomon (ait recentior quidam in caput 3. Geneseos) blanditiis uxorum ad idola colenda cessit, nullo errore seductus; ita vir fœminæ, unus uni, homo homini, conjux conjugi, non tanquam verum loquenti credidit, sed sociali necessitudine paruit; & ita sciens, prudensque peccavit. Vide Augustinum lib. 14. de Civit. Dei, cap. 11.

CA-

CAPUT II.

De dotibus ad hominis innocentis voluntatem spectantibus.

Not. Quæremus hic 1. utrum & quæ fuerint passiones in voluntate hominis innocentis; 2. utrum & quæ in ea virtutes extiterint; 3. an in ea locum habuerit concupiscentia.

CONCLUSIO 1. Passiones, quæ respiciunt malum pœnæ, non fuerunt in voluntate hominis innocentis; secùs verò eæ quæ ordinantur ad bonum.

Probatur prior pars. Passiones, quæ respiciunt malum pœnæ, sunt timor & dolor: atqui nec timor, nec dolor fuerunt in voluntate hominis innocentis: *Timor quidem non erat:* (ait Augustinus lib. 14. de Civit. Dei, cap. 10.) *Quid enim timere poterant primi homines in tantorum affluentia bonorum; ubi nec mors metuebatur, nec ulla mala valetudo? Nec dolor, quandoquidem nihil inerat, quod carnem, animumve hominis feliciter viventis offenderet ...... Erat devitatio tranquilla peccati, qua manente, nullum omninò aliunde malum quod contristaret, irruebat.*

Probatur altera pars. *Primò*, passiones, quæ sunt de bono præsente, ut amor & gaudium fuisse in primis parentibus etiam ante peccatum, docet Augustinus loco proximè laudato: *Amor* (inquit) *erat in eis imperturbatus in Deum, atque inter se, conjugum fide, & sinceritate viventium, & ex hoc amore grande gaudium, non desistente, quod amabatur ad fruendum.* 2. Inerant quoque, sed citra animi solicitudinem, passiones, quæ respiciunt bonum absens, sed habendum suo tempore: nimirùm erant in eis desiderium & spes æternæ beatitudinis, quam noverant per fidem, & quæ eis servabatur in præmium. 3. Quæ in primis parentibus inerant passiones, aliter sunt in nobis, aliter erant in eis: in nobis enim nonnunquam præveniunt, & perturbant rationis usum; in eis verò nec præveniebant, nec perturbabant usum rationis, sed ipsi in omnibus obsequebantur.

CONCLUSIO 2. Nullus omninò concupiscentiæ motus locum habuit in Adamo innocente.

Probatur. Concupiscentiæ nomine intelligitur propensio ad actum rationi oppositum, idque ad discrimen alterius concupiscentiæ, quæ fertur ad actum rationi consentaneum: prioris generis est ea, de qua dicit Apostolus ad Gal. 5. *Spiritus concupiscit adversus carnem:* atqui in Adamo innocente non fuit propensio ad actum rationi oppositum: ergo, &c. Minor propositio, in quam vertitur difficultatis cardo, subsequentibus momentis ostenditur.

Primò, Propensio ad actum rationi oppositum non est vel sine peccato, vel sine bello: scilicet aut ratio illi subjicitur, & tunc est peccatum; vel ipsa subjicitur rationi, & tunc est bellum: atqui in Adamo innocente nec peccatum fuit, nec bellum: *Si talis erat, qualis nunc est* (inquit Augustinus lib. 1. operis perfect. cap. 7.) *vel illi resistebatur per temperantiam, vel per intemperantiam cedebatur: ac sic homo libidini aut peccando servire cogebatur, aut bello intimo repugnare, quorum alterum honestati, alterum paci felicitatis illius, si humanum sensum habetis, non convenire sentitis.*

Secundò, propensio ad actum rationi oppositum, statim post peccatum exorta est in primis parentibus. Tunc enim exorta est, cùm de sua nuditate erubuerunt; nimirum erubescentia nata est ex eo, quòd primi parentes aliquid inordinatum experti sint: atqui primi parentes non erubuerunt de sua nuditate ante, sed tantum post peccatum: de iis enim, postquam peccassent, dicitur Genesis 2. *Cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata,* quibus pudenda velarent. Ita ratiocinatur Augustinus libro 5. contra Julianum, cap. 2. *Ego verò* (inquit) *non à pictore inanium figurarum, sed à scriptore divinarum didici literarum, quia illi primi homines nudi erant, & non confundebantur. In quibus absit, ut tanta innocentia tam impudens esset, sed nondum inerat, quod puderet. Peccaverunt ...... & adhuc clamas: Nihil illic indecens novumque senserunt? Hanc plane impudentiam tuam nimis incredibilem, absit ut dicam, nullus te Apostolus, aut Propheta, sed nec pictor docuit, nec Poeta.*

Tertiò, Concupiscentia est magnum malum, licèt non sit peccatum: nempè non expectat rationis imperium, sed exurgit invita etiam ipsa ratione, nec sedatur aut quiescit ipsa imperante; movet ac pertrahit ad malum: atqui nullum malum erat in primis parentibus innocentibus; nam sine vitio, sine culpa, ab authore suo creati fuerant: ergo, &c.

Objicies. Concupiscentia, seu propensio ad bonum sensibile, per se est indifferens ad bonum aut malum, ut patet in desiderio cibi, in delectatione, quæ ex alicujus objecti jucundi perceptione concipitur; sed quod per se est indifferens ad bonum aut malum, fuit in primis parentibus innocentibus: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia licèt aliqua objecta sensibilia per se, & ratione speciei, sint indifferentia ad bonum & malum; concupiscentia tamen, quæ fertur ad illa objecta, est grave malum, tùm quòd præveniat usum rationis, tum quòd inclinet rationem, ut illis objectis per fruitionem inhæreat, tum denique quòd moveat ad finem voluptatem v. g. qui rationem dedeceat.

Confirmatur ex eo quòd propositum argumentum ipsa sit Pelagianorum adversus Augustinum objectio; contendebant enim, innatum esse homini delectationis desiderium; inditum illi fuisse propriæ excellentiæ amorem; cibum prohibitum, suo decore & spe jucundi saporis primos parentes ad esum sui provocasse. Verùm sic illi objectioni occurrit Augustinus: *Ergone & in paradiso, ante venena serpentis, ante corruptam sermone sacrilego voluntatem, illicita libido jam fuit; & quod intolerabilius dicitur, ad malum provocabat, & malum non fuit?*

Quæres 1. utrum sit fide Catholica certum, nullum in primis parentibus innocentibus fuisse concupiscentiæ motum?

Resp. affirmativè. Nam 1. articulum illum totius Ecclesiæ nomine contra Pelagianos propugnavit Augustinus. 2. Apertè traditur in Concilio Tridentino, sess. 5. can. 5. ubi definitur, concupiscentiam ex peccato esse & ad peccatum inclinare: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Ex his infertur 1. primos parentes ante primum peccatum, non fuisse nisi exteriùs tentatos, non interiùs; per aliquem scilicet motum inordinatum, cujuscumque fuerit generis. Infertur 2. innatum eis non fuisse propriæ excellentiæ ac laudis amorem; is enim amor est concupiscentia propriè dicta, cum hominem avertat a Creatore, eumque ad creaturam per fruitionis desiderium inclinet. Infertur 3. quòd si quæ fuerint in eis sensuum voluptates, nunquã voluntatis nutum, aut præcesserint, aut excesserint. Illationes ejusmodi desumptæ sunt ex Augustino qui l. 4. contra Julianum c. 14. sic loquitur: *Remanet igitur, ut aut nulla ibi fuerit carnalis concupiscentia, sed ille fuerit vivendi modus, ut omnia necessaria congruis membrorum officiis, sine ullius motu libidinis, implerentur ...... aut (ne nimium videamur offendere homines, qui voluptatem corporis quomodocumque defendunt) ita ibi credatur carnalium sensuum fuisse libidinem, ut omnino rationali subdita voluntati, non aliàs adesset, nisi cum per il-*

jam vel saluti esset corporis, vel stirpis propagini consulendam, & tanta adesset, ut nulla ex parte mentem supernarum cogitationum delectatione deponeret.

Quæres 2. utrum negatio concupiscentiæ in primis parentibus innocentibus oriretur a gratia sanctificante, an verò ab aliquo dono, quod ab illa distinctum esset?

Resp. eam ortam fuisse à gratia habituali, seu sanctificante; ea nimirùm gratia duplicem in primis parentibus innoxiis effectum operabatur, mentis scilicet ad Deum, & carnis ad spiritum, subjectionem. Ubi autem per inobedientiam mens creata Dei jugum excussit, caro cœpit in spiritum rebellare: *Injustum enim erat* (ait Augustinus lib. 1. de Nuptiis & Concupiscentia, cap. 6.) *ut obtemperaretur à servo suo, id est, à corpore suo, ei qui non obtemperaverat domino suo.*

CAPUT III.

De dotibus ad corpus hominis innocentis spectantibus.

Not. DOtes, quæ pertinent ad corpus hominis innocentis, sunt immortalitas, immunitas a quibuscumque miseriis, quies omnium sensuum.

CONCLUSIO 1. Corpus hominis innocentis fuit immortale.

Probatur 1. ex Scriptura. Apostolus ad Rom. 5. aperte docet, per peccatum mortem in mundum intrasse: *Per unum hominem* (inquit) *peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*; ergo ante peccatum, hominis corpus non erat obnoxium morti. Quod Apostolus revera accidisse testatur, Deus Adamo minatus fuerat Genesi 2. *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: in quæ quidem verba sic Augustinus loquitur libro 1. de peccat. merit. cap. 16. *Quamvis annos multos* primi homines, *postea vixerint, illo tamen die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt.* Sapientiæ 2. hæc habentur: *Deus mortem non fecit: invidia autem diaboli mors intravit in mundum*: at si corpus hominis innocentis mortale fuisset, Deus ipse fecisset mortem, hoc est, plasmando corpus, quod esset obnoxium morti, ipse mortem in mundum invexisset.

Probatur 2. ex traditione. Primò, Synodus Palæstina tanquam hæreticam proscripsit propositionem, quam Pelagius asseruerat, *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset*: De eo Palæstinorum Patrum judicio hæc habet Augustinus lib. de gestis Pelagii, c. 3. *Unde fit consequens, ut quisquis sequitur illius Episcopalis authoritatem judicii, & ipsius Pelagii confessionem* (subdolè nimirùm, & oretenus eandem propositionem in Concilio damnaverat) *hæc tenere debeat, quæ semper tenuit Catholica Ecclesia: Adam nisi peccasset, non fuisset moriturus.* 2. Concilium Carthaginense V. idem definit: *Placuit omnibus Episcopis, qui fuerunt in hac sancta Synodo, ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.* 3. Concilium Tridentinum sess. 5. can. 1. ea veterum Synodorum decreta, hisce verbis innovavit: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam..... incurrisse per offensam prævaricationis hujusmodi, iram atque indignationem Dei, atque adeo mortem, quam antea illi comminatus fuerat, anathema sit.* 4. Patres, & inprimis Augustinus, ex morte, cui nunc homines obnoxii sunt, desumpserunt argumentum ad adstruendam adversùs Pelagianos existentiam peccati originalis: at nullius esset ponderis illud argumentum, si Adamus innocens mortis legibus subjectus fuisset.

Objicies 1. Augustinus lib. 1. de peccator. meritis, cap. 3. scribit, Adamum ante peccatum fuisse mortalem: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Augustinus scribit Adamum ante peccatum fuisse mortalem; hoc est, mori potuisse, conc. ant. mori debuisse, neg. ant. Hæc propositio, *Adamus innocens erat mortalis*, potest duplicem habere sensum; istum scilicet, *Adamus mori poterat*, & hunc alium, *Adamus debebat mori*. In priore sensu vera est propositio, nempe Adamus peccare poterat: *Poterat mori*, (ait Augustinus lib. 1. contra Julianum, operis imperf.) *poterat namque peccare*; sed in altero sensu est hæretica: cum enim Adamus posset non peccare, nulla in eo erat moriendi necessitas. Igitur discrimen hominis innocentis a lapso, est, quod iste necessariò, sive velit, sive nolit, moriatur, ille verò mori potuerit, quòd potuerit peccare, ac proinde velle mori. Discrimen e contra hominis innocentis a Beatis, est, quod isti, cum peccare non possint, nulla ratione post resurrectionem mori possint: *Prima immortalitas* (inquit Augustinus lib. de Corrept. & Gratia, cap. 12.) *erat posse non mori: novissima* (Beatorum) *erit multò major, non posse mori.*

Objicies 2. Corpus, quod constat ex elementis contrariis, & diversis humoribus, est mortale: siquidem corpus quod ita compactum est, necessariò obnoxium est intemperiei; ac proinde dissolutioni, & tandem morti; atqui corpus primorum parentum, etiam ante peccatum, constabat ex elementis contrariis, & diversis humoribus; nam ejusmodi compositio cuilibet corpori animali essentialis est: ergo corpus primorum parentum erat mortale, etiam ante peccatum.

Resp. dist. maj. Corpus, quod constat ex elementis contrariis, est mortale, si Deus singulari beneficio non impediat illius mortem, conc. maj. si impediat, neg. maj. Corpus Adami, ex se quidem & ex natura sua non habebat, etiam ante peccatum, donum immortalitatis, scilicet in interna illius compositione nihil erat, quod interitum arceret: verum munus illud singulare habebat ex Dei beneficio, qui per justitiam originalem elementa, ex quibus Adami corpus constabat, in debita temperie fuisset conservaturus, ita ut in eo non esset aliquis humor, aut aliquod elementum, quod alteri elemento, aut humori [illegible] allaturum fuisset.

Objicies 3. Corpus, quod tandem consenuisset, erat mortale; atqui corpus Adami innocentis tandem consenuisset: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Corpus, quod tandem consenuisset, erat mortale, si non adfuisset cibus, qui vires illius in juventutis flore, ac integritate conservaturus fuisset, conc. maj. si adfuisset ille cibus, neg. maj. Duplici cibo usus fuisset Adamus innocens, altero ad sustentationem, altero autem ad arcendum senectutis defectum, priorem Deus hisce verbis Genesis 1. concesserat: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam*; posteriorem verò Genesis 1. *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio Paradisi.* Illud autem lignum vitæ vim habuisse depellendi mortem, docet Scriptura: nempè Genesis 3. dicitur, quòd ejectus sit Adam ex Paradiso, ne forte de ligno vitæ sumeret, & viveret in æternum; *Ecce Adam* (sunt Dei ipsius verba) *quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum. Et emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis.* Utriusque illius cibi S. Augustinus variis in locis meminit; de priore hæc habet lib. 13. de Civitate Dei, cap. 20. *Licet morituri non essent primi homines, nisi peccassent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes*; de utroque simul sic loquitur lib. 4. contra Julianum, cap. 14. *Habebat* (uterque sexus) *ex hoc vitæ sustentaculum congruum, licet modò quodam immortali, tamen animali corpori necessarium,*

fariam, ne indigentia læderetur: de ligno autem vitæ, ne senectute perduceretur ad mortem. Lib. 1. de peccatorum meritis eadem ratione loquitur: *Habebat* (inquit) *quantum existimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem, & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem.*

Objicies 4. Adami innocentis corpus obrui potuisset subversione molis alicujus, aut aliquo inopinato casu: ergo erat mortale.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia Deus pro singulari sua providentia in suam imaginem innocentem, impediturus fuisset, ne objecta extrinseca aliquod illi detrimentum inferrent.

Objicies 5. cum Pelagianis apud Augustinum libro 1. de peccatorum meritis, capite 3. Si primi hominis peccato factum est, ut moreremur, Christi adventu fieret, ut credentes in eum non moreremur: neque enim prævaricatoris transgressio plus nobis nocuit, quam redemptio profuit Salvatori: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia mors, quam credentes in Christum patimur, copiosè compensatur per resurrectionem, quam sancti ex Christi meritis habituri sunt: per eam enim vitam consecuturi sumus, quæ morti deinceps non erit obnoxia: sed placet verba describere, quibus eam rationem exprimit Augustinus libro primo de peccatorum meritis, capite 30. *Cur* (inquit) *non potiùs hoc attendunt, quod Apostolus sine ambiguitate locutus est: Quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum? Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur: neque enim aliunde, quàm de corporis resurrectione dicebat ..... Quomodo ergo plus nocuit ille peccando, quàm iste profuit redimendo, cum per illius peccatum temporaliter morimur, per istius autem redemptionem non ad temporalem vitam, sed ad perpetuam resurgamus?* Postquam S. Doctor explicuit fructum, quem per resurrectionem ex Christi meritis consequimur, rationem reddit, cur Deus credentes in Christum non liberet temporali morte, quam omnes homines per Adamum incurrerunt: *Poterat autem Deus* (inquit cap. 31.) *etiam hoc donare credentibus, ut nec istius experirentur corporis mortem; sed si hoc fecisset, carni quadam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo..... Quid enim magnum erat videndo non mori eos, qui crederent, credere se non moriturum?*

CONCLUSIO 2. Corpus Adami innocentis nulli omninò miseriæ fuit obnoxium.

Probatur. Augustinus contra Pelagianos agens, expressè nostram conclusionem tuetur; *Ægritudinem* (ait lib. 1. Retract. capite 11.) *ita nullam corpora illa* (post resurrectionem) *patientur, sicut nec ista pati posset ante mortem.* Lib. 9. de Genesi ad literam, labores omnes ab innocentis hominis corpore removet; *Nondum* (ait) *erat labor, ut adjumento indigeret.* Arcet quoque molestias omnes libro 2. de Genesi contra Manichæos, capite 7. *Quid mirum, si corpus potuit ab omnipotente artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, & nulla corruptione tabesceret?* Quæ mox ex Augustino prolata sunt, nituntur iisdem principiis, quibus nititur immortalitas corpori Adami innocentis divinitus concessa. Nam ideò par fuit, ut corpus ante peccatum, obnoxium non esset morti, quod mors sit miseria, miseria autem locum non habuerit in innocente Dei imagine, cum sub Deo justo nemo sit miser, nisi mereatur; in homine, qui summa pace, ac perfecta tranquillitate fruebatur; in homine tandem, a quo aberat omne malum, & cui è contra aderat omne bonum, quod viatori convenire potest. 3. Patres ad probandam adversus Pelagianos existentiam peccati originalis, usi sunt argumento desumpto ex miseriis corporeis, quibus homo subjicitur; ac proinde supposuerunt, illum ab iis omnibus miseriis, quantumcumque levissimis, antequam peccaret, immunem omninò fuisse.

Objicies. Primi parentes in statu innocentiæ famem, sitim, defatigationem, in corpore passi fuissent: nam ut iis incommodis mederentur, cibo ac potu usi fuissent, juxta illud Genesis 1. *Ecce dedi vobis omnem herbam, & universa ligna, ut sint vobis in escam*: ergo corpus hominis innocentis obnoxium erat pluribus miseriis.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. nego, quod cibus datus sit hominibus innocentibus, ut se fame ac siti liberarent; sed ut remedio, quod haberent præ manibus, ut eas miserias easque incommoda vitarent; quo quidem medio sibi divinitus concesso si uti noluissent, inordinata fuisset eorum voluntas. *Alebantur ergo alimentis, quæ sumebant* (inquit Augustinus lib. 3. de Civitate Dei, capite 20.) *ne animalia corpora molestiæ aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent.*

CAPUT IV.

De propagatione naturæ in statu innocentiæ.

Not. HOc in capite quæremus 1. utrum inter homines innocentes futurum fuisset conjugium; 2. an per libidinem iidem homines innocentes generaturi fuissent; 3. quales genuissent filios.

CONCLUSIO 1. Ante peccatum fuerunt nuptiæ inter Adamum, & Evam; futura quoque fuisset copula carnalis, etiamsi in justitia stetissent.

Probatur rationibus, quas lib. 14. de Civitate Dei, cap. 22. tradit Augustinus. *Primò*, non ob aliam causam, quam ad prolis generationem, viro adjutorium, non vir, sed fœmina facta est. 2. illi primævæ institutioni accessit etiam Dei benedictio per hæc verba: *Crescite, & multiplicamini*. 3. Non valet eorum responsio, qui fatentur nuptias quidem fuisse in Paradiso ante peccatum, sed futurum non fuisse coitum, nisi peccatum præcessisset: Nam S. Augustinus hisce verbis eam responsionem confutat: *Quid dicit aliud, nisi propter numerositatem Sanctorum necessarium hominis fuisse peccatum? si enim non peccando soli remanerent, profectò ut non soli duo justi homines possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit.*

CONCLUSIO 2. Adamus & Eva, si non peccassent, non generassent cum libidine.

Probatur. Non erat libido in primis parentibus innocentibus, nec futura fuisset in eorum posteris, si perseverassent in justitia: ergo generatio non fuisset facta cum libidine. Antecedens, quod (ut hujusce quæstionis cap. 2. dictum est) ad fidem Catholicam pertinet, Sanctus Augustinus variis argumentis adversus Pelagianos asseruit.

Primum S. Doctoris argumentum desumptum est ex primorum parentum pudore ad libidinem, quam post peccatum experti sunt; illud autem argumentum sic in forma proponitur: Si libido fuisset in primis parentibus etiam ante peccatum, eos tunc ad ejus motum puduisset, quemadmodum post peccatum puduit; atqui non puduit ante peccatum; tunc enim tantùm eos puduit, cum puduit nuditatis; sed post peccatum tantùm puduit eos nuditatis, ut probant hæc verba Geneseos 3. *Tulit* (mulier) *de fructu illius* (ligni scientiæ boni & mali) *& comedit, deditque viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborum: cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Sed placet ipsum Augustinum audire. Ubi sic Deum loquentem induxit lib. 5. operis imperfecti, cap. 16. *Non tibi nuntiata esset nuditas tua, nisi esset prævaricata lex mea*, his verbis prosequitur: *Quid est autem nuditas nuntiata, cui procul dubio ignota non erat, nisi eo motu stimulante & insueto aspectu se*

urge-

urgeret adverti, pudoremque incuteret, quoniam peccato factum erat, ut hominis pars inferior contra superiorem, hoc est, caro contra spiritum concupisceret? Sed tu (alloquitur Julianum) *contra omnia clauais oculos, & ita asseris fuisse institutum hominem, ut etiamsi non peccasset, puderet eum nuditatis suæ.*

Alterum Augustini argumentum petitur ex malo libidinis, sicque proponitur: Quod magnum est malum, locum non habuit in primis parentibus innocentibus: nempè Deus fecit hominem rectum, sine vitio, sine culpa: atqui libido magnum est malum; siquidem sine ullo discrimine fertur ad illicita, & si ei ceditur, committitur peccatum, unde nulli omnino libidini, quantumcumque levis supponatur, quacumque sit in re, usquam licet præbere consensum; imo nec in ipso conjugii actu, qui propter solam prolis generationem, aut ad reddendum petenti conjugi debitum, fieri debet.

Tertium argumentum. Quod est pœna peccati, non fuit in primis parentibus innocentibus: nempè culpa præcedit pœnam: atqui libido, quæ sentitur in actu conjugii, est pœna peccati: nam si libido illa non esset pœna peccati, membrum, in quo specialiter residet, non minùs obediens esset voluntati, quam pes aut manus; non sic tamen est obediens: ergo, &c. Vide Augustinum lib. 14. de Civit. Dei, cap. 23. & 24.

Quartum argumentum sumitur ex traductione peccati originalis. Id unde peccatum originale contrahitur, non fuit in primis parentibus innocentibus, atqui libido quæ generationem comitatur, est (ut suo loco dicetur) id, per quod peccatum originale contrahitur: ergo, &c.

Quintum argumentum petitur ex eo, quòd si libido, seu concupiscentia, fuerit in primis parentibus ante peccatum, eis ab authore naturæ inserta fuisset, id est, fuisset ipsis naturalis, atqui primis parentibus concupiscentia inserta non fuit ab authore naturæ: scilicet si ab authore naturæ fuisset primis parentibus inserta, licitè potuissent, & nunc etiam licitè possemus singulis illius motibus ac desideriis consensum præbere: siquidem motibus, qui a Deo sunt, possumus licitè præbere consensum: si enim illis obsistamus, aut bono obsistimus, aut malo; si bono, peccamus; si malo, malum ipsum in Deum tanquam in ejus authorem refundimus; atqui singuli concupiscentiæ motus ex Deo essent, nempè ejus sunt fructus, cujus est arbor: ergo, cum concupiscentia (in Adversariorum suppositione) esset a Deo, motus, qui sunt illius veluti naturales fructus, a Deo pariter essent: *Quam* (concupiscentiam) *nemo potest* (ait Augustinus lib. 4. contra Julianum, cap. 14.) *bonam dicere, nisi cujus adversus eam non amat concupiscere spiritus. Quod si talis non est in motu & ardore genitalium, non adversus eam concupiscat spiritus, ne adversus donum Dei concupiscendo inveniatur ingratus; sed quidquid appetiverit, detur tanquam illi, quæ ex Patre est. Si autem non est quod detur, hoc potius petatur a Patre, non ut auferat, vel comprimat, sed ut expleat concupiscentiam, quam donavit.*

Objicies 1. Libido in brutis naturalis est, & Deum habet authorem: ergo etiam & in hominibus.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia in brutis non est mens, non est ratio, cui dissonet libido: unde cum non possint veritatem, virtutemque mente concipere, & ejus honestate frui, datum est illis sensibile bonum, quo sine ulla rationis repugnantia perfruantur: *Ideò* (inquit Augustinus lib. 4. contra Julianum, cap. 14) *in pecoribus malum non est concupiscentia, quia non adversus spiritum concupiscit, sed eorum potius oblectat spiritum.*

Objicies 2. Si concupiscentia carnis malum est, malum etiam est copula conjugalis, nam quod non potest esse sine malo, est malum: atqui copula carnalis non potest esse sine malo; quippè in hoc rerum statu non potest esse sine libidine, quæ, ut supponitur, magnum est malum.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ratio est 1. quia nullum est malum sine aliquo bono, & tamen non sequitur, malum esse bonum: ergo a pari, quamvis non possit esse copula carnalis sine aliquo malo, copula carnalis non ideo debet dici mala: *Concubitus equidem* (inquit Augustinus lib. 3. contra Julianum, cap. 23.) *sine malo concupiscentia esse non potest, sed non ideò malum est iste concubitus; sicut è contrario nullum malum sine aliquo bono esse potest, nec ideo bonum est: opus enim Dei bonum est in natura, sine quo tamen non potest esse voluntas mala; nec per hoc sicut adulterium non potest esse sine bono naturæ, nec ideo bonum est; ita connubium non potest esse sine malo concupiscentiæ, nec ideò malum est, imo potius bonum, quòd benè malo utitur.* Ratio est 2. quia se habet concubitus in homine lapso sicut vir, qui pede vitiato, aliquid quod bonum sit, operatur: quemadmodum igitur pes vitiatus, quo vir ille, utitur ad bonum, non est malum, ita nec concubitus est malum, quamvis ad bonum, ad quod tendit, prolis nimirum generationem, malo, hoc est, concupiscentia, libidine, utatur: *Proindè nuptiæ* (inquit Augustinus lib. 1. de Nupt. & Concup. cap. 7.) *quia etiam de illo malo aliquid boni faciunt, gloriantur; quia verò sine illo fieri non potest, erubescunt; tanquam si quispiam pede vitiato ad aliquod bonum etiam claudicando perveniat, nec propter claudicantis malum mala est illa perventio, nec propter illius perventionis bonum bona est claudicatio; ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum, libidinem laudare debemus.*

Objicies 3. Libido, seu concupiscentia, quam homo lapsus experitur in concubitu carnali, quamvis fiat aut ad reddendum conjugi debitum, aut ad generandam prolem, non aliud est, quam motus membrorum, quæ data sunt ad generationem; quam seminatio, quæ fit in uxoris gremio, quam voluptas, quæ tum ex illo motu, tum ex illa seminatione percipitur; atqui ea omnia locum habuissent in primis parentibus, si ante peccatum dedissent operam generationi prolis: ergo hominis generatio facta non fuisset, etiam in statu innocentiæ, sine concupiscentia, sine libidine.

Resp. neg. maj. nempe concupiscentia, sine qua jam non fit copula carnalis, dicit motum ad voluptatem, qui prævenit usum rationis, qui non cedit rationis imperio, qui inclinat rationem, ut voluptati consentiat, qui mentem impellit, ut ea voluptate fruatur, hoc est, ut illi per amorem inhæreat: at motus ejusmodi magnum est malum, cum adversetur rationi, quæ non nisi propter honestatem, nunquam vero propter voluptatem operari debet: *Alii sunt* (inquit Augustinus lib. 4. contra Julianum, capite 27.) *carnis sensus, quibus carni præsentia corporalia spiritui quodammodo renuntiat, & alii sunt carnalis concupiscentiæ motus, quibus caro adversus spiritum concupiscens, in quæque illicita, atque inhonesta præcipitat, nisi adversus eam etiam ipse spiritus concupiscat; quæ discordia carnis, & spiritus non creatori carnis, aut sensus, sed malo suasori & homini prævaricatori tribuitur ab eis, quorum fide sana error insanus Pelagianorum, & Manichæorum damnatur.*

Objicies. Libido, qua quis ad conjugii voluptatem movetur, non est in se mala, sed tantum illius excessus, cum nempè aut fertur ad voluptatem etiam extra conjugium percipiendam, aut cum voluntas ita ei obsequitur, ut nullum ei limitem præfigat: ergo nihil impedit, quin cum ea, præfixo ei debito limite, primi parentes, etiam ante peccatum, prolem generassent.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia libido per se movet ad voluptatem, ex quocumque concubitu sive conjugali, sive non conjugali, percipiendam; per accidens

tamen,

tamen, seu ex imperio rationis, restringitur ad eam, quæ nascitur ex concubitu conjugali: unde per se magnum est malum. Ratio est 2. quia malum est, etiam cum per rationem restringitur ad eam, quæ percipitur ex concubitu conjugali: id enim malum est, quod indiget fræno, per quod cohibeatur; id malum est, cui spiritus debet resistere: atqui libido etiam in actu conjugali indiget fræno, per quod cohibeatur; illi etiam tunc spiritus debet resistere, ac proindè libido etiam in actu conjugali, & quantumcumque moderata supponatur, est aliquod & quidem magnum malum; *Quid enim te adjuvat* (inquit Augustinus lib. 5. contra Julianum capite 7. Pelagianum illum alloquens) *quod reprehendere videris ejus excessum, quia approbas motum? Tunc enim excedit licitum limitem, quando ejus motibus ceditur. Malo est tamen & quando non ceditur, quia malo resistitur, ne bonum castitatis intereat.*

CONCL. 3. Adamus & Eva, si non peccassent, genuissent filios omni prorsùs miseria liberos.

Probatur. *Primò*, in hominibus, de quibus agitur, non fuisset bellum internum, quod homo lapsus experitur in se ipso: cum enim bellum illud sit magnum malum, utpote contrarium paci ac tranquillitati, in creatura innocente & ad Dei imaginem efformata locum non habuisset. Præterea in suppositione, de qua est hic quæstio, assignari non potest author concupiscentiæ, quæ creaturam innocentem perturbasset: illa enim concupiscentia non esset a parentibus, quia (ut supponitur) parentes ea immunes essent: non esset etiam a Deo; nempe nullum malum est a Deo; ac proindè nec concupiscentia, quæ malum est, & quidem grave, cum (ut dictum est superiùs) perturbet rationem, ei non obtemperet, eam ad peccatum inclinet.

Secundò, in hominibus, de quibus agitur, non fuisset hæc infirmitas mentis, qua efficitur, ut infantes in Adamo lapsi, nec Deum, nec se ipsos cognoscant. Non fuisset quoque infirmitas corporis, cum qua modo nascimur; ubi enim non fuisset mentis infirmitas, nec fuisset infirmitas corporis; istam enim habemus ab alia.

Tertiò, itaque dicendum est, infantes, in illo statu, excepta corporis quantitate, quæ exigua fuisset propter uteris materni incapacitatem, in omnibus statum futuros fuisse similes suis parentibus.

Quæ hucusque dicta sunt, confirmantur ex Augustino, qui libro 3. operis imperfecti, sic inquitur: *Sed illi parvuli nec flerent in paradiso, nec aliquando uti ratione non possent, nec sine usu membrorum infirmi & inertes jacerent, nec morbis affligerentur, nec à bestiis læderentur, nec venenis necarentur, nec aliquo casu vulnerarentur, nec ullo sensu, vel ulla parte corporis privarentur, nec ulli eorum tam vano & obtuso nascerentur ingenio; sed excepta, propter incapaces uteros matrum, sui corporis quantitate, tales omninò, qualis Adam factus est, nascerentur.* Vide eundem S. Doctorem in libris de Civitate Dei, ubi quod mox dictum est, aliis terminis sæpiùs enuntiat.

QUÆSTIO III.

De peccato primorum parentum.

Not. IN primorum parentum peccato perpendi possunt 1. illius causæ; 2. gradus, quibus in illud lapsi sunt; 3. gravitas; 4. denique pœnæ, quibus in illud animadversum est: ea omnia subsequentibus capitibus expendamus oportet.

CAPUT I.

De causis peccati primorum parentum;

Not. INter causas primi peccati Adami & Evæ tres fingi possunt externæ, Deus, Diabolus, lignum scientiæ boni & mali; & una interna, voluntas nimirùm primorum parentum. Quærendum est igitur, quid Deus, Diabolus, lignum scientiæ boni & mali, ipsa hominis voluntas ad primum hominis peccatum contulerint.

CONCLUSIO 1. Deus nullo modo fuit causa primi peccati, in quod lapsi sunt Adamus & Eva.

Probatur. Propter tria tantùm Deus dici posset causa primi peccati, in quod Adamus & Eva lapsi sunt, nempe aut quòd sit author naturæ, quæ peccavit, aut quod naturam creaverit, quam prævidebat peccaturam, aut tandem quòd non dederit gratiam, per quam creatura vitaret peccatum. Atqui propter nullum ex iis capitibus Deus dici potest causa primi peccati, in quod Adamus & Eva lapsi sunt: Nam 1. Deus nullam peccandi necessitatem imposuit creaturæ, quam condidit: scilicet dedit ei liberum arbitrium, per quod aut ad ignem, aut ad aquam posset manum extendere, hoc est, per quod aut ad actum peccati, aut ad actum virtutis sese determinare posset. 2. Largitus est eis auxilium, quo possent perseverare in justitia, quam in creatione receperant, licet non concesserit auxilium, quo re ipsa perseverarent. Tandem 3. prævisio peccati in quod erant lapsuri, nullum habuit influxum in primorum parentum voluntatem, ac proindè nullam eis peccandi necessitatem imposuit. Sed hæc subsequentibus quæstiunculis clariora fient.

Quæres 1. utrum aliqua creatura rationalis possit esse impeccabilis per naturam?

Resp. negative. Nam 1. ita docet Augustinus lib. 3. contra Maximinum Arianum, cap. 12. *Cuicumque creaturæ rationali præstatur, ut peccare non possit: non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ.* 2. Quælibet creatura potest deficere, cum facta sit ex nihilo; econtra nec Filius in divinis, nec Spiritus sanctus sunt mutabiles, quia ex substantia Patris, non ex nihilo, sicut Angelus & homo, facti sunt.

Quæres 2. cur Deus per suam gratiam non reddiderit hominem impeccabilem?

Resp. Deum per suam gratiam ideò non reddidisse hominem impeccabilem, 1. quòd decuerit, ut homo impeccabilitatem tanquam meritorum suorum præmium mereretur: 2. quòd non decuerit, ut prævenirentur tempora, seu ut quod pro plenissima beatitudine servabatur, homini in prima sui institutione concederetur.

Quæres 3. cur homo talis factus non sit, qui licèt peccare posset, reipsa tamen peccare nollet?

Resp. id factum esse, quòd auxilium *Quo*, ægræ tantùm ac infirmæ naturæ, non autem sanæ ac integræ conveniret: seu naturæ innocenti ac robustæ satis erat auxilium *Sine quo* poterat non peccare, nec opus erat ei auxilium *Quo* reipsa peccare nollet: *Ut ergo* (inquit Augustinus lib. de Corrept. & Gratia, cap. 12.) *non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo, sed perseverare, vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat, ut digne tantæ bonitati, & benè vivendi facilitati perseverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præsciente, quid esset facturus injustè... sed simul sciente quid de illo ipse faceret justè.*

Quæres 4. Cur Deus primum hominem fecerit, quem sciebat peccaturum?

Resp. 1. Augustinum id referre ad inscrutabilia Dei

judicia

judicia; *Si* (inquit lib. 11. de Gen. ad liter. cap. 4.) *quaeritur, cur Deus tentari permiserit hominem, quem tentatori consensurum esse praevidebat, altitudinem quidem hujus consilii penetrare non possum, & longè suprà vires meas hoc esse confiteor.* Dici potest 2. praescientiam Dei non debuisse obscurare illius tum sapientiam, tum bonitatem, quae quidem exigere videbantur, ut homo crearetur, licet praevideretur peccaturus: sapientia quidem, quae hominis peccato tantum bonum, quantum sunt incarnatio Verbi, & generis humani per Christum redemptio, oppositura erat; bonitas verò, quae propter defectus, qui in rebus futuri praevidentur, non debet ab iis condendis abstinere, si res illae ad Universi decus & complementum conferant.

CONCLUSIO 2. Diabolus fuit causa extrinseca peccati primorum parentum?

Probatur. Ille fuit causa extrinseca peccati primorum parentum, qui illos ad divinae legis infractionem pellexit: atqui diabolus primos parentes ad divinae legis infractionem pellexit: *Dixit autem serpens ad mulierem:* (ait Scriptura Genesis 3.) *Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum*: hoc est, (ut exponit Augustinus lib. 11. de Gen. ad lit. capite 30.) scit Deus, mandatum non ad literam sumi debere, sed in sensu mystico, quem vos per esum fructus, in speciem vetiti consequemini.

Quaeres 1. an serpens, per quem diabolus Evam tentavit, fuerit serpens, saltem secundùm externam speciem: 2. ex suppositione quòd fuerit serpens, quomodo loqui potuerit: 3. cur Eva non exhorruerit ad serpentis tum accessum, tum vocem: 4. cur serpens aggressus sit Evam potiùs, quam Adamum.

Resp. ad 1. circa serpentem, de quo est hìc quaestio, tres esse opiniones. Prima, quam Patres passim defendunt, docet, fuisse verum serpentem. Altera, quam Cyrillus lib. 3. adversùs Julianum apostatam propugnat, asserit, non fuisse verum serpentem, sed ejus tantùm simulacrum. Tertia, quae est Cajetani in Commentariis in Genesim, affirmat, serpentis vocabulo nec verum, nec apparentem serpentem intelligi debere, sed metaphoricum, daemonem nimirùm, qui propter noxiam calliditatem, qua pollet, serpentis aut aliorum animalium nominibus saepiùs appellatur. Priori sententiae subscribendum esse censemus, tum quod a Patribus unanimi ferè consensu propugnetur, tum etiam quòd cum contextu capitis tertii Geneseos maximè cohaereat: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terrae, quae fecerat Dominus Deus.... Serpens decepit me.... Maledictus es inter omnia animantia & bestias terrae.... Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitae tuae.* Augustinus tamen postrema haec verba: *Maledictus es*, &c. metaphoricè, hoc est, de diabolo intelligit lib. 2. de Genesi ad liter. capite 36.

Resp. ad 2. serpentem illum non vi propria ac naturali locutum fuisse, sed ope daemonis, qui per illius organa ita movit aerem, ut vocis sonum expresserit, ea fermè ratione, qua postea Angelus per Asinam prophetae Balaam locutus est.

Resp. ad 3. Evam non exhorruisse ad accessum serpentis, quod sciret, serpentem, aut quodlibet aliud animal, sibi, quamdiu staret in innocentia, nocere non posse. Praeterea magnificis intenta promissis, non attendit, an spiritus nequam, an verò bonus, per serpentem loqueretur. Vide S. Thomam 1. p. quaest. 94. art. ult. Addendum est, Evam miratam quidem fuisse, quòd, praeter usum communem, brutum animal loqueretur; sed prae curiositate, qua tenebatur, rei eventum expectare voluit.

Resp. ad 4. ideò daemonem potiùs aggressum fuisse mulierem, quam virum, quòd mulier, ex naturali sui sexus conditione, viro sit inferior, ac proindè facilius ad peccatum pertrahi potuerit. Augustini est illa responsio: sic enim loquitur Serm. 61. de Diversis: *Lapsum certè primi hominis nostri, quia non est ausus serpens loqui viro, sed ad eum dejiciendum feminae usus est ministerio, per inferiorem obtinuit fortiorem; & qui per alterum penetravit, de utroque triumphavit.* Eandem rationem apud eundem S. Doctorem legere est lib. 14. de Civit. cap. 11.

CONCLUSIO 3. Lignum scientiae boni, & mali, non fuit causa, sed occasio primi peccati primorum parentum.

Probatur prior pars. Nec pulchritudo, nec judicium de sapore ligni, de quo agitur, potuerunt Evam movere ad primum peccatum: nempe perceptio, seu cognitio rei cujuscumque sensibilis, primos parentes ante peccatum movere non poterat ad amorem sui: nullus enim motus ad amorem, aut ad odium, aut ad aliam passionem, in primis parentibus oriebatur, nisi ex deliberatione & imperio voluntatis.

Altera conclusionis pars non minùs est evidens: nam Scriptura perspicuis verbis narrat, serpentem, seu diabolum ex ligno scientiae boni & mali occasionem sumpsisse pelliciendi primos parentes ad peccatum: *Cur* (inquit serpens Genesis 3.) *praecepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi? cui respondit mulier, De fructu lignorum, quae sunt in paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, praecepit Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem, Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum.*

Objicies. Scriptura innuere videtur, mulierem pellectam fuisse ad esum fructus vetiti, ex illius pulchritudine, & ex judicio, quod tulit de illius amoenitate; sic enim loquitur: *Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit*: atqui primum mulieris peccatum fuit esus fructus vetiti: ergo prima mulier pellecta, seu provocata fuit ad primum peccatum, ex pulchritudine & sapore vetiti fructus.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia judicium, quod Eva tulit de pulchritudine & sapore ligni scientiae boni & mali, jam aliud peccatum praecesserat, vana nimirùm complacentia in independentia, quam ei serpens hisce verbis promiserat: Eritis sicut dii, scientes bonum & malum: *Non temerè* (ait Rupertus lib. 3. de Trinitate, cap. 9.) *dictum est, Vidit mulier, quasi non eam arborem ante vidisset. Et revera nondum eo modo viderat, quia cum hac praesumptione, qua nunc intuita est, nondum consideraverat.*

CONCLUSIO 4. Sola voluntas fuit interna causa primi peccati, in quod primi parentes lapsi sunt.

Probatur. Triplex tantùm fingi potest interna peccati causa, ignorantia, concupiscentia, voluntas: atqui nec ignorantia, nec concupiscentia, fuerunt causa primi peccati primorum parentum: neque enim (ut fusè superiùs probatum est) duo illi defectus, duo illa mala, locum in primis parentibus ante peccatum habuerunt.

CAPUT II.

De specie primi peccati, in quod Adamus & Eva lapsi sunt.

Nor. Sancti Patres docent, in una primorum parentum transgressione plurium specierum peccata reperiri, superbiam nimirùm, curiositatem experiendi virtutem occultam, quam diabolus asseruerat fructu vetito contineri; dubium de sensu praecepti divini; opinionem,

nionem, quòd tranfgreffio foret tantùm venialis; gulam, inobedientiam; vanam commiffi peccati excufationem: quærendum eft igitur, cujus ex iis fpeciebus fuerit primum Adami & Evæ peccatum.

CONCLUSIO. Primum Adami & Evæ peccatum fuit peccatum fuperbiæ.

Probatur 1. Primum Adami & Evæ peccatum, fuit independentiæ defiderium, faltem conditionatum, hoc eft, fi independentia foret poffibilis: id enim Adamus & Eva primùm defiderarunt, quod ferpens hifce verbis pollicitus fuerat: *Eritis ficut dii, fcientes bonum & malum*. Atqui conditionatum illud independentiæ defiderium, ipfum eft fuperbiæ peccatum; eft enim propriæ excellentiæ inordinatus amor: ergo primum Adami & Evæ peccatum, fuit peccatum fuperbiæ.

Probatur 2. ex Auguftino, qui in Pfalmum 118. fic loquitur: *Primi homines per ferpentem decepti, & dejecti non fuiffent, nifi plufquam acceperant, habere, & plufquam facti fuerant, effe voluiffent.* Libro 2. de Genefi contra Manichæos cap. 15. in hæc ferpentis verba, *Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veftri, & eritis ficut dii*; fic idem S. Doctor loquitur: *Hoc eft ergo quod perfuafum eft, ut propriam poteftatem nimis amarent, & cum Deo effe pares vellent ..... atque ita quod acceperant, amitterent, dum id, quod non acceperant, ufurpare voluerunt. Non enim accepit hominis natura, ut per fuam poteftatem Deo non regente beata fit, quia nullo regente per fuam poteftatem beatus effe folus Deus poteft.* Lib. 8. de Gen. cap. 13. hæc pariter in eundem fcopum habet: *Ab homine peccante nihil aliud appetitum eft, nifi non effe fub dominatione Dei, quando illud admiffum eft, in quo, ne admitteretur, fola deberet juffio dominantis attendi.*

Objicies. Auguftinus lib. 2. de Genefi ad literam, cap. 42. docet, inordinatum uxoris amorem præceffiffe Adami inobedientiam; fic enim loquitur: *Noluit Adam Evam contriftare, non quidem carnis victus concupifcentia, quam nondum in membris fuis fenferat, fed amicali quadam benevolentia, qua plerumque fit, ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus*: ergo primum Adami peccatum, fuit inordinatus uxoris amor.

Refp. dift. ant. Auguftinus docet, inordinatum uxoris amorem præceffiffe externam & apertam inobedientiam, conc. ant. internam & occultam, neg. ant. Inordinatus uxoris amor præceffit quidem in Adamo externam inobedientiam, hoc eft, efum fructus vetiti; id enim teftantur hæc Dei ipfius ad Adamum verba: *Quia audifti vocem uxoris tuæ, & comedifti de ligno*: at verò non præceffit internam inobedientiam in eo pofitam, quod præter ordinem rectum, in fuæ excellentiæ contemplatione, & in independentiæ defiderio, mirum in modum delectatus fit; unde interna averfio a Deo præceffit in Adamo inordinatum illius amorem in uxorem fuam: *Nifi autem* (ait Auguftinus lib. 15. de Civ. Dei, cap. 3.) *ad fibi placendum averteretur à fuperiori immutabili bono, non Dei mandato, uxori proponeret voluntatem.*

Quæres 1. quibus gradibus Eva ceciderit?

Refp. in Eva præceffiffe 1. fuggeftionem ferpentis; *Eritis ficut dii, fcientes bonum & malum*; 2. Eva ferpentis promiffionem voluit animo, ad eamque fponte delectata eft, 3. Appetiit id, in quo fibi præter ordinem rectum fibi complacuerat; fimilitudinem nimirùm cum Deo, fi foret poffibilis; 4. Eam mentis elationem fubfecuta eft deceptio, verum enim credidit, quod ferpens promiferat, feu, fe, fi fructum ederet, fore fui juris: *Quomodo* (inquit Auguftinus lib. 11. de Genefi ad literam, cap. 30. his verbis, *Eritis &c.*) *crederet mulier à bona atque utili re divinitùs fe fuiffe prohibitos, nifi jam ineffet menti amor ille propriæ poteftatis, & quædam de fe fuperba præfumptio quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda?* 5. Mulier confideravit lignum fcientiæ boni & mali, viditque bonum ad efcam & decorum afpectu. *Et non credens* (ait ibidem Auguftinus) *poffe inde fe mori, arbitror, quòd putaverit Deum alicujus fignificationis caufa dixiffe, Si manducaveritis, morte moriemini, atque ideò fumpfit de fructu ejus & manducavit*; 6. Porrexit Adamo fructum, de quo guftaverat, *fortaffis etiam* (ait idem Auguftinus) *cum verbo fuaforio, quod Scriptura tacens, intelligendum reliquit.*

Quæres 2. quibus gradibus Adamus ceciderit?

Refp. Adamum hifce gradibus in legis prævaricationem lapfum fuiffe. 1. Ab Eva audiit ferpentis promiffum: *Eritis ficut dii, fcientes bonum & malum*. 2. Appetiit eam cum Deo fimilitudinem, faltem conditionatè, fi nimirùm foret poffibilis. 3. Licèt non crederet, (ficut crediderat mulier) fe per efum vetiti fructus, tantum bonum confecuturum effe; ex eo tamen deguftavit, ne contriftaret uxorem, ratus fuam inobedientiam non fore mortalem, fed venialem tantùm, fi folo ftudio indulgendi conjugi fuæ, Dei præceptum infringeret: ita docet Auguftinus lib. 14. de Civitate Dei, cap. 11. *Credendum eft* (inquit) *illum virum fuæ fœminæ ...... non tanquam verum loquenti credidiffe feductum, fed fociali neceffitate paruiffe. Non enim fruftrà dixit Apoftolus: Adam non eft feductus, mulier autem feducta eft: nifi quia illa quod hic ferpens locutus eft, tanquam verum effet, accepit. ille autem ab unico noluit confortio dirimi, nec in communione peccati. Hos autem feductos intelligi voluit, qui id, quod faciunt, non putant effe peccatum, ille autem fcivit: alioquin quomodo verum erit, Adam non eft feductus? Sed inexpertus divinæ feveritatis, in eo falli potuit, ut veniale crederet effe commiffum, ac per hoc in eo quidem, quo mulier feducta eft, non eft ille feductus.* Nonnulli tamen alii Patres contendunt, Adamum in iis omnibus fuiffe feductum, in quibus Eva feducta fuerat; Apoftolum verò in eo fenfu dicere eum non fuiffe feductum, quòd aut primus, aut a ferpente, feductus non fuerit: fed Auguftini verior eft fententia.

CAPUT III.

De gravitate peccati primorum parentum.

CONCL. Peccatum primorum parentum fuit graviffimum.

Probatur. Peccati primorum parentum gravitas metienda eft 1. ex objecto, quod appetierunt, fcilicet (ut oftendimus fupra) appetierunt independentiam, quæ quidem attributum eft, quod Deo foli convenire poteft.

Metienda eft 2. ex facilitate præcepti, quod primis parentibus impofitum eft: *Hoc itaque* (ait Auguftinus lib. 14. de Civitate Dei, capite 12.) *de uno cibi genere non edendo, ubi aliorum tanta copia fubjacebat, tam leve præceptum ad obfervandum, tam breve ad memoria retinendum, ubi præfertim nondum voluntati cupiditas refiftebat, quod de pœna tranfgreffionis poftea fubfecutum eft, tanta majore injuftitia violatum eft, quantò faciliore poffet obfervantia cuftodiri.*

Metienda eft 3. ex bono, quo Adamus fruebatur, & quod per peccatum amifit: *Quanto enim magis homo fruebatur Deo* (inquit Auguftinus lib. 21. de Civit. Dei, cap. 12.) *tantò majore impietate dereliquit Deum, & factus eft malo dignus æterno.*

Metienda eft 4. ex fublimi dignitate, ex qua cecidit Adam: *Fruftra* (ait Auguftinus Julianum alloquens lib. 6. operis imperfecti, cap. 22.) *peccato Adæ peccata filiorum ejus, quamlibet magna & horrenda, vel æquare, vel etiam præferre conaris: illius quippe natura, quanto magis fublimior ftabat, tanto magis graviter cecidit.*

Metienda eft 5. ex gravitate fupplicii, quo Deus in Adami peccatum animadvertit: *Pomum* (ait Auguftinus lib. 6. operis imperfecti, cap. 23.) *lege Dei vetitum manducare, leve videretur effe peccatum: fed quanti hoc æftimaveris*

maverit, qui non potest falli, *satis apparet granditate supplicii*. Quodnam verò & quantum sit ejusmodi supplicium, subsequenti capite dicetur.

Metienda est 6. Dei contemptu, qui in Adami peccato reperitur: sed placet ea de re Augustinum audire: *Quia ergo* (ait S. Doctor lib. 14. de Civit. Dei, cap. 15.) *contemptus est Deus jubens qui hominem creaverat, qui ad suam imaginem eum fecerat, qui ceteris animalibus præposuerat, qui in paradiso constituerat, qui rerum omnium copiam salutisque præstiterat, qui præceptis nec pluribus, nec grandibus, nec difficilibus oneraverat..... justa damnatio subsecuta est, talisque damnatio, ut homo, qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne spiritalis, fieret etiam mente carnalis.*

Metienda est denique 7. ex eo quòd variæ criminum species in Adami prævaricatione continentur: *Et superbia est illic* (verba sunt Augustini, Enchirid. cap. 45.) *quia homo in sua potius esse, quàm in Dei potestate dilexit. Et sacrilegium, quia Deo non credidit. Et homicidium, quia semetipsum* (& posteros) *præcipitavit in mortem. Et fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est. Et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est. Et avaritia, quia plusquam illi sufficere debuit, appetivit.*

CAPUT IV.

De pœnis peccati primorum parentum.

CONCL. **V**Ariæ pœnæ mox subsecutæ sunt peccatum primorum parentum.

Probatur 1. Non sinit lex æterna, ut vel momentum sit medium inter culpam & pœnam: ergo pœna mox subsecuta est peccatum primorum parentum. Antecedens ostenditur hisce Augustini verbis lib. 3. de libero arbitrio, cap. 15. *Quia nemo superat leges omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum..... aut enim reddit bene utendo, quod accepit, aut reddit amittendo, quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddit patiendo miseriam..... Nullo autem temporis intervallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat, quod debet, & alio patiatur, quod debet, ne vel puncto temporis universalis pulchritudo turpetur, ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ.*

Probatur 2. enumeratione pœnarum, quibus Deus sævit in peccatum primorum parentum.

Prima hujus pœna fuit concupiscentia carnis adversùs spiritum; statim enim post peccatum primi parentes inordinatos senserunt concupiscentiæ motus: *Posteaquam* (inquit Augustinus lib. 13. de Civit. Dei cap. 13.) *præcepti facta est transgressio, confestim gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt; unde etiam foliis ficulneis, quæ forte à perturbatis prima comperta sunt, pudenda texerunt, quæ prius eadem membra erant, sed pudenda non erant. Senserunt ergo novum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ.*

Altera ejusdem peccati pœna fuit fuga, & elongatio à Deo. Nempè scriptum est, quòd cum primi parentes audiissent vocem Dei ambulantis in Paradiso, sese absconderint a facie Domini: in quem quidem Scripturæ locum Augustinus docet 1. probabile esse, Deum hominibus ante lapsum sub humana figura solitum fuisse apparere: *Satis probabile est* (inquit lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 34.) *solere Deum per creaturam in forma humana primis illis hominibus apparere*. Docet 2. primos parentes parùm se sapientes exhibuisse, quod sea Dei conspectu abscondere post peccatum tentaverint. Docet 3. in iis tunc contigisse, quod in oculis debilibus, qui licèt facti sint, ut luce fruantur, eam tamen ferre nequeunt. *Sicut enim* (ait Serm. 18. de verbis Apostoli) *oculus factus ad hanc lucem temporalem videndam, tamen si injectum aliquid fuerit, vel irruerit, unde turbetur, secludit se ab hac luce; & quamvis eum lux sua præsentia circumfundat, ille tamen avertit, atque absens est: non solum autem absens fit perturbatione sua à luce præsente, sed etiam pœnalis illi est lux, ad quam videndam factus est: sic & oculus cordis perturbatus atque sauciatus, avertit se à luce justitiæ, nec audet eam contemplari, nec valet..... Nam & in Paradiso peccavit Adam, & abscondit se à facie Domini. Cum haberet ergo cor sanum pura conscientia, gaudebat ad præsentiam Dei: postquam peccato oculus ille sauciatus est, cœpit lucem formidare divinam, refugit in tenebras, atque in devia, lignorum veritatem fugiens, umbras appetit.*

Tertia pœna fuit servitus sub libidine ac peccato, & imò & sub regno omnium peccatorum.

Quarta pœna fuit impotentia operandi bonum, nisi intellectus, & voluntas medicinali Christi gratia sanarentur.

Quinta pœna fuit amissio libertatis ad bonum; unde necesse est, ut ad bonum operandum voluntas per peccatum mortua, per gratiam actualem aliquod vitæ initium recipiat: *Libero arbitrio* (ait Augustinus Enchiridii, cap. 3.) *male utens homo, & se perdidit & ipsum.*

Sexta pœna fuit ejectio a Beatitudine in hujusce vitæ miserias. Eam ejectionem Augustinus lib. 11. de Gen. ad litt. c. 40. docet adumbratam fuisse per expulsionem è Paradiso.

Septima peccati pœna mors est, sive prima, sive secunda. Prima mors (ait Augustinus) animam nolentem pellit e corpore: Secunda mors animam nolentem tenet in corpore; vocabunt enim damnati mortem, & mors fugiet ab eis. Utramque illam mortis speciem Deus primis parentibus, si peccarent, comminatus fuerat.

Graves sunt, fatemur, pœnæ, quibus Deus castigavit primorum parentum inobedientiam; quàm tamen justè inflictæ sint, hisce verbis, quæ claudent tertiam hanc nostrarum Institutionum partem, declarat Augustinus lib. 14. de Civitate Dei, cap. 15. *Quisquis hujusmodi damnationem vel nimiam, vel injustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Sicut enim Abrahæ non immeritò magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium, res difficillima est imperata: ita & in Paradiso tanto major inobedientia fuit, quantò id, quod præceptum est, nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis eo prædicabilior, quò factus est obediens usque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eò detestabilior, quò factus est inobediens usque ad mortem. Ubi enim magna est inobedientiæ pœna proposita, & res à Creatore facilis imperata; quisnam satis explicet, quantum malum sit, non obedire in re facili, & tantæ potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio?*

Tertiæ Partis Institutionum Theologicarum Finis.

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ AD USUM SEMINARIORUM.

PARS QVARTA.

De Deo Incarnato.

DEI incarnati nomine intelligitur compositum resultans ex unione naturæ divinæ cum humana in persona Verbi. Actio, per quam illa unio facta est, vocatur *Incorporatio, Inhumanatio*, sed frequentiùs *Incarnatio*. Utitur eo nomine Concilium Nicænum I. in Symbolo, *Et incarnatus est*. Utuntur quoque Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 29. Hieronymus in primum caput Marci, Cyrillus in anathematismis adversùs Nestorium, & deinceps ferè omnes alii Patres, quibus adhæsit S. Thomas, cum in secundo scripto super tertium Sentent. art. 1. sic Incarnationem definit: *Incarnatio est divinæ personæ ad humanam naturam unio.*

Non eo autem sensu unio personæ Verbi cum humana natura dicitur *Incarnatio*, quod Verbum assumpserit carnem anima destitutam, ut nonnulli Ariani docuerunt: aut carentem mente, sicut Apollinaristæ blasphemarunt: sed quod totum hominem sibi conjunxerit; scilicet in Scripturis, carnis nomine, plerumque, per synechdochen, totus homo significatur, ut patet in hisce verbis Genesis 6. *Omnis caro corruperat viam suam.*

A carne verò potiùs, quam ab anima denominatum est istud mysterium, 1. quia (ut ait Apostolus primæ ad Timotheum tertio) manifestatum est in carne: unde Leo Magnus Serm. 2. de Nativitate sic loquitur: *Invisibilis in suis, visibilis factus est in nostris.* 2. Caro est hominis infirma pars; ac proindè per nomen *Incarnationis*, exprimitur aliquo modo, quantùm se depresserit Verbum per sui cum homine unionem.

Mysterium, quod *Incarnationem* dicimus, Patres Græci nonnunquam appellarunt Oeconomiam: *Ne in Theologiam*, seu in Deum & in ejus attributa, *intenti* (inquit Basilius) *Oeconomiam*, sive Incarnationem, *contemnamus*. Nec id mirum est; scilicet hocce mysterio Deus tanquam sapiens œconomus & sibi & nobis consuluit: sibi quidem, quòd per Verbum incarnatum redimens hominem, suæ justitiæ jura illæsa servaverit; nobis verò, quod infinitam in nos misericordiam probaverit.

Explicatis nominibus mysterii, de quo agitur, proponendus est ordo dissertationum, quas hæc nostrarum Institutionum quarta pars complectetur. In prima dicemus de possibilitate Incarnationis, in altera de illius existentia, in tertia de necessitate, in quarta de motivo, in quinta de essentia, & tandem in sexta de termino, qui ex Incarnatione resultat.

DISSERTATIO PRIMA.

De Possibilitate Incarnationis.

Not. GEntiles afferunt, Incarnationem esse prorsùs impossibilem; Judæi possibilem fatentur, sed negant esse peractam; Christiani è contra & possibilem & peractam esse contendunt. Judæos aggrediemur subsequenti dissertatione, istam verò contra Gentiles impendemus; quæremus nimirùm 1. utrum Christiani demonstrare possint adversùs Gentiles, Incarnationem esse possibilem; 2. utrum seclusa revelatione, aliqua mens creata suspicari valeat possibilitatem Incarnationis; 3. utrum supposita revelatione, exemplis aliquibus possit reddi verisimilis.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum possibilitas Incarnationis demonstrari possit adversùs Gentiles.

Not. POssibilitas rei potest demonstrari duplici argumento, positivo nimirùm & negativo. Prius petitur ex medio, ex quo certò & evidenter colligitur alicujus rei possibilitas; alterum verò petitur ex medio, ex quo colligitur rem aliquam non esse impossibilem. Igitur ut Incarnationis possibilitas adversùs Gentiles a Christianis demonstretur, expendendum est hic 1. utrum possit demonstrari argumento positivo; 2. utrum id saltem fieri possit argumento negativo.

CONCLUSIO 1. Possibilitas Incarnationis non potest, seclusa revelatione, positivè contra Gentiles demonstrari.

Probatur. Id non potest, seclusa revelatione, positivè demonstrari, quod nec a priori, nec a posteriori cognosci potest: atqui possibilitas Incarnationis (seclusa revelatione) nec a priori, nec à posteriori cognosci potest. Non quidem a priori: siquidem quod causam non habet, non potest a priori demonstrari; nempè demonstratio, quam vocant a priori, fit per causam: atqui possibilitas Incarnationis non habet in rebus naturalibus causam: ergo, &c. Non potest quoque demonstrari a

posteriori; quia demonstratio a posteriori, est ea, quæ fit per effectus rei, quæ demonstratur: Sed in rebus naturalibus nullus est effectus possibilitatis Incarnationis, cum sit ordinis omnino diversi; ergo demonstrari non potest a posteriori.

CONCLUSIO 2. Possibilitas Incarnationis potest (seclusa revelatione) adversùs Gentiles negativè demonstrari.

Probatur. Ut possibilitas Incarnationis negativè demonstretur, satis est demonstrare, Incarnationem non esse impossibilem: Sed id revera demonstrari potest; scilicet demonstrare Incarnationem non esse impossibilem, est ostendere possibilitatem Incarnationis nullam involvere contradictionem; atqui id potest ostendi; nam contradictiones, quas Gentiles ex ea sequi contendunt, revera non sunt contradictiones; ut mox patebit ex solutione argumentorum, quæ a Gentilibus objiciuntur.

Objicies 1. Illud implicat contradictionem, ex quo sequeretur Deum fore mutabilem; in illa enim suppositione esset Deus, & non esset Deus, cum mutabilitas Deo essentialiter repugnet; atqui ex possibilitate Incarnationis sequeretur Deum fore mutabilem: siquidem ille foret mutabilis, qui posset de novo aliquid acquirere: nempe propter eam rationem manu, quæ ex calida fit frigida, revera mutatur: sed Deus, supposita Incarnationis possibilitate, posset de novo aliquid acquirere, videlicet humanam naturam, quam antea non haberet: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. ille foret mutabilis, qui posset de novo aliquid acquirere, per receptionem, sicuti manus enim ex calida fit frigida, conc. maj. per sui communicationem, neg. maj. Deus, supposita incarnationis possibilitate, non posset acquirere naturam humanam per receptionem, hoc est, eam recipiendo in se tanquam in subjecto; sed eam acquireret per sui collationem, hoc est, dando ei suum esse divinum. Igitur, quemadmodum Sol non mutatur interius, cum aerem sua luce de novo perfundit, eo quòd aerem non recipiat in se tanquam in subjecto, sed potius ei se quodammodò tradat: ita neque Deus, supposita incarnatione, mutaretur; nec enim acquireret humanam naturam, eam recipiendo in se, sed (ut dictum est) per suæ divinæ personæ communicationem. Vide quæ de unione dicentur inferiùs.

Instabis. Deus per incarnationem acquireret humanam naturam, eam recipiendo in se tanquam in subjecto: ergo interiùs, ac substantialiter mutaretur. Probatur ant. Deus revera, in suppositione, de qua agitur, reciperet aliquid; siquidem acquisitio novæ realis denominationis, supponit alicujus rei novæ receptionem: nempe nova, & realis denominatio non oritur, nisi a forma, quæ realiter & de novo in subjecto denominato recipiatur; sic corpus in utero matris de novo, ac realiter denominatur animatum, eò quòd aliquid, animam nimirùm, de novo recipiat; Atqui ex suppositione incarnationis, Deus acquireret novam, & realem denominationem; quippè ex non unito cum humana natura, denominaretur unitus; ex non homine denominaretur homo: Sed id quod Deus reciperet, non aliud esset, quam natura humana: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ad 2. neg. maj. Ad 3. dist. maj. Acquisitio novæ ac realis denominationis supponit alicujus rei novæ receptionem, vel in subjecto, vel in termino denominationis, conc. maj. in ipso subjecto, saltem semper, neg. maj. Fatendum est, quòd ex suppositione incarnationis, Deus novam ac realem denominationem reciperet, ut probat objectio; fatendum est iterum, eam denominationem petendam esse ex nova aliqua forma: sed negandum est, quod ea nova forma reciperetur in natura divina: asserendum est e contra, quòd reciperetur in sola humana natura, cui Deus suum esse personale tribueret. Sic Deus in tempore denominatus est Creator, non quidem per formam, quam ex rebus a se creatis de novo receperit, sed per esse, seu per existentiam, quam eis in tempore contulit.

Objicies 2. Ut incarnatio sit possibilis, necesse est, ut natura humana spolietur naturali subsistentia; propria sua (ut loquuntur) hypostasi: nempè mysterium incarnationis excludit ab humana natura propriam ejusdem humanæ naturæ personam: definitur enim, unio personæ Verbi cum humana natura; atqui humana natura spoliari non potest naturali subsistentia; cum, (secundùm plures Philosophos, etiam Catholicos) subsistentia realiter a natura non distinguatur: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. ant. Ratio est 1. quia non omnes Catholici Philosophi docent, subsistentiam esse realiter idem cum natura, cujus est subsistentia; plures enim reperire est, qui contendunt eam realiter a natura distingui: at in eorum Philosophorum systemate, facile patet, naturam propria sua subsistentia posse, saltem divinitus, spoliari. Ratio est 2. quia etiam ex suppositione, quòd subsistentia non distinguatur realiter a natura, explicari potest, qua ratione natura possit ea spoliari: nimirum in ea suppositione, subsistentia licet aliquid positivum non addat naturæ, cujus est subsistentia, addit tamen aliquid negativum, seu incommunicabilitatem; hoc est, subsistentia est ipsamet natura, non quidem absolute considerata, sed prout dicit negationem communicabilitatis. Verùm facile explicatur, quomodo tollatur ea negatio: tollitur enim, cùm humana natura personam Verbi in se recipit, quia tunc desinit esse sui juris; ac proindè desinit habere subsistentiam propriam, cum desinat habere illius effectum, in eo positum, quòd efficiat, ut natura, quam afficit, proprii sit juris, non autem alieni.

Objicies 3. Implicat contradictionem Deum esse mortalem simul & immortalem; Deum esse aut animæ aut corporis humani virtutem; unam numero personam habere operationes diversæ speciei. Atqui ea omnia sequuntur ex possibilitate incarnationis: Nam 1. Deus in ea suppositione, esset Deus & homo simul, ac proindè mortalis, & immortalis. 2. Esset unitus animæ & humano corpori non sub ratione formæ, quia forma, ex se, dicit compartem; ac proinde & imperfectionem: ergo esset per modum virtutis transeuntis; quod est absurdum. 3. Duæ essent in Deo incarnato naturæ differentes specie: ergo & operationes, quæ specie differrent.

Resp. ad 1. dist. ant. Implicat Deum esse mortalem & immortalem sub eodem respectu, conc. ant. sub diverso respectu, neg. ant. Deus incarnatus, sub uno respectu, seu ratione naturæ divinæ, esset immortalis, & sub altero, nimirùm ratione humanæ naturæ, foret mortalis: at compositum aliquod esse mortale sub uno respectu & immortale sub alio, non sunt contradictoria, quia contradictoria debent esse de eodē secundum idem.

Resp. ad 2. dari medium inter esse in alio per modum formæ, aut per modum virtutis; nimirùm esse per modum termini: hoc modo, non autem duobus aliis, Deus, ex suppositione, quod incarnatio sit possibilis, esset in humana natura; siquidem esset in ea per modum immeationis, aut assumptionis ad seipsum: ea autem immeatio, ea assumptio efficiunt, ne natura humana sit sui juris, ac proindè ne propriam personam habeat; quotiescumque enim inferior natura accedit ad superiorem, quoties superior assumit inferiorem, toties inferior fit juris naturæ superioris.

Resp. ad 3. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia licet una & eadem persona, quæ simul non est in diversis naturis, non possit habere operationes specie diversas, potest tamen eas habere si in diversis naturis existat: sic quamvis sit unicus truncus in arbore, diversos tamen

specie

specie fructus producit pro diversitate ramorum, qui illi trunco inserti fuerint. Hincque sequitur non fore absurdum, quod ex suppositione incarnationis, eidem personæ operationes diversæ tribuerentur.

Objicies 4. Si incarnatio esset possibilis, Deus conciperetur in potentia ad unionem cum humana natura; siquidem mysterium incarnationis in ea unione positum est; atqui Deus concipi non potest in potentia ad unionem cum humana natura; cum enim Deus sit actus purus, in eo nulla potest concipi potentia: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. In Deo concipi non potest potentia passiva, conc. ant. potentia activa, neg. ant. Prior repugnat actui puro, quia supponit subjectum non esse infinitè perfectum; supponit enim illud non habere perfectionem, ad quam est in potentia; è contra posterior arguit perfectionem, quia dicit infinitam virtutem, aut ratione causæ efficientis respectu effectuum, quos potest operari, aut respectu terminorum, quorum vices supplere potest.

Objicies 5. Quod superat humanæ mentis captum, non est possibile: sed incarnatio eam revera superat: ergo est impossibilis. Ita Sociniani ratiocinantur.

Resp. neg. maj. Scilicet ipsa ratione docemur, Deum cùm sit infinitæ virtutis, multò plura posse, quam quæ mens creata, utpote finita, comprehendere valeat: *Fateamur* (ait Augustinus epist. ad Volusianum, de hocce agens mysterio) *Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse.*

QUÆSTIO II.

Utrum mens creata possit suspicari, Incarnationem esse possibilem.

CONCL. 1. Nulla mens creata potest (seclusa revelatione) suspicari possibilitatem incarnationis.

Probatur. Nulla mens creata potest (seclusa revelatione suspicari possibilitatem rei, quæ tum ratione substantiæ, cum ratione modi, est omnino supernaturalis; scilicet mens creata nullam habet proportionem cum ejusmodi re: atqui possibilitas incarnationis est omninò supernaturalis, tum ratione substantiæ, tum ratione modi; est enim unio finiti cum infinito, est personalis unionis modus; sed unio finiti cum infinito, personalis unionis modus, sunt omninò supernaturales, seu viribus naturæ fieri minimè possunt; nihil enim inter opera Dei incarnatione majus excogitari potest: unde per antonomasiam *Opus Dei* in Scripturis appellatur.

Confirmatur argumentum. Illud mens creata non potest (seclusa revelatione) suspicari, quod seclusa revelatione, a mundi exordio ad Christi tempora in nullius hominis mentes venit: atqui possibilitas incarnationis (seclusa revelatione) in nullius hominis mentem venit; unde Apostolus hocce mysterium vocat mysterium absconditum a sæculis in Deo.

Objicies 1. Angeli (seclusa revelatione) suspicari potuerunt, humanam naturam posse assumi a Verbo: ergo mens creata (seclusa revelatione) potest suspicari possibilitatem incarnationis. Probatur ant. Illi potuerunt suspicari, humanam naturam posse assumi a Verbo, qui comprehendunt humanam naturam; scilicet comprehendere rem aliquam, est eam cognoscere non tantùm secundùm substantiam, sed etiam secundùm omnes modos, quibus potest existere; ac proindè est cognoscere, naturam posse subsistere per subsistentiam Verbi, si ejusmodi subsistendi modus sit possibilis: atqui Angeli, seclusa revelatione, comprehendunt humanam naturam: siquidem (ut docent Theologi in tractatu de Angelis) Angeli & seipsos, & naturas sibi inferiores naturaliter comprehendunt: ergo Angeli, seclusa revelatione, suspicari potuerunt possibilitatem incarnationis.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ad 3. dist. ant. Comprehendere rem aliquam, est eam cognoscere secundùm modos omnes naturales, quibus potest subsistere, conc. ant. secundum modos supernaturales & obedientiales, neg. ant. Ratio est, quia si Angelus posset naturaliter cognoscere modos omnes obedientiales (ut loquuntur) quibus humana natura potest existere, comprehenderet ipsam divinam omnipotentiam: siquidem divinam omnipotentiam comprehendere, non est aliud, quam cognoscere ea omnia, quæ Deus potest in Creaturis operari. Cùm ergo modus subsistendi in Verbo non sit modus humanæ naturæ connaturalis, sed supernaturalis & obedientialis, ex eo quòd Angelus humanam naturam comprehendat, non sequitur, eum posse, seclusa revelatione, suspicari possibilitatem incarnationis.

Objicies 2. Angelus potest, seclusa revelatione, id suspicari, quod non involvit contradictionem: atqui possibilitas incarnationis non involvit contradictionem, ut adversus Philosophos Gentiles probant Theologi Christiani: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Si sit ordinis naturalis, conc. maj. si sit ordinis supernaturalis, neg. maj. Ratio est 1. quia naturalis facultas intelligendi, non habet proportionem cum iis, quæ sunt alterius & supernaturalis ordinis. Ratio est 2. quia alioquin (ut jam observatum est) Angelus posset Dei omnipotentiam comprehendere; nempe cognosceret ea omnia, cujuscumque sint generis, ad quæ Dei omnipotentia se se potest extendere.

Instabis. Angelus cognoscit naturaliter, Deum esse omnipotentem: ergo etiam naturaliter cognoscit ea omnia esse possibilia, quæ non involvunt contradictionem.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Cognoscit indeterminatè & confusè, conc. conseq. cognoscit determinatè & distinctè, neg. conseq. hoc est, quamvis Angelus naturaliter cognoscat indeterminatè & confusè, Deum posse ea omnia, quæ non involvunt contradictionem, non cognoscit tamen determinatè & distinctè, quænam sint ea, quæ contradictionem non involvunt.

Objicies 3. Angeli, seclusa revelatione, cognoscunt humanam naturam posse spoliari propria subsistentia: nempè cognoscunt prius posse esse sine posteriori, ut est subsistentia respectu naturæ: atqui cognoscere humanam naturam posse spoliari propria subsistentia, est cognoscere possibilitatem incarnationis: siquidem posse cognoscere, naturam humanam posse spoliari propria subsistentia, est cognoscere eam posse subsistere per alienam subsistentiam, ac proinde per subsistentiam Verbi, cum naturaliter cognosci possit, subsistentiam Verbi id omne posse respectu alicujus naturæ creatæ, quod aliena subsistentia, quæ creata sit: ergo, &c.

Resp. 1. neg. ant. Ratio 1. est, quia nullum est in naturalibus exemplum, quo constet, naturam creatam spoliari posse subsistentia sibi propria. 2. Natura humana est quidem indifferens ad extrinsecos quosdam existendi modos, cujusmodi sunt, ceræ respectu, variæ figuræ, in quas cera potest desinere: at verò natura non est indifferens, sed intrinsecè ac necessariò determinata ad propriam subsistentiam.

Resp. 2. Dato, quòd Angelus possit suspicari naturam humanam posse spoliari propria subsistentia, non sequitur tamen eum posse suspicari, quòd possit subsistere per subsistentiam Verbi, quia summa est inter naturam humanam, & Verbi subsistentiam disproportio.

Objicies 4. Ab eo, seclusa revelatione, cognosci potest incarnationem esse possibilem, a quo solvi possunt argumenta, quæ contra illius possibilitatem moveri possunt: atqui à mente creata solvi possunt argumenta, quæ

ta, quæ moveri possunt contra possibilitatem incarn. tionis: ergo, &c.

Resp. conc. maj. dist. min. Atqui a mente creata solvi possunt argumenta, quæ contra possibilitatem incarnationis moveri possunt, si ipsa incarnatio prius venerit in mentem, conc. min. si prius non venerit in mentem, neg. min. Ut quis solvat argumenta, de quibus agitur, necesse est, ut incarnationis idea prius in illius mentem venerit: at venire non potest, seclusa revelatione; ac proinde nec sine ipsa cognosci.

Objicies 5. Mens creata, seclusa revelatione, potest suspicari possibilitatem rei, quæ est evidenter credibilis: atqui possibilitas incarnationis est evidenter credibilis: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio disparitatis est, quia evidentia credibilitatis sumitur ex extrinsecis mysterii circumstantiis, possibilitas verò ex causis intrinsecis: illæ patent omnium oculis; istæ verò latent omninò naturalem creatæ mentis cognitionem, cùm sint superioris ac supernaturalis ordinis.

CONCLUSIO 2. Supposita revelatione, mens creata potest aliquibus exemplis reddere verisimilem possibilitatem incarnationis.

Probatur. Reddere verisimilem incarnationis possibilitatem, est aliquibus exemplis minuere difficultates, quæ circa illius possibilitatem occurrunt: atqui mens creata, supposita revelatione, potest aliquibus exemplis minuere difficultates, quæ circa incarnationis possibilitatem occurrunt. Nam eæ difficultates sunt 1. quod videatur fieri non posse, ut duæ naturæ per unicum suppositum terminentur, seu ut sint unius, ejusdemque personæ; 2. quod duæ naturæ, divina & humana, quæ infinitè a se invicem distant, secum tamen perfectissimè uniantur; 3. quod per idiomatum communicationem, ea, quæ Deo conveniunt, humanæ naturæ tribuantur, & vicissim quæ humanæ naturæ, de Deo prædicentur. Atqui difficultates illæ exemplis ex revelatione petitis minuuntur: ergo, &c.

Et sane 1. in SS. Trinitate, eadem & indivisa natura reperitur in tribus personis realiter a se invicem distinctis: verùm non magis repugnat duas naturas existere in una persona, quam unam naturam in tribus personis. 2. In homine anima, quæ omninò spiritualis est, unita cum corpore materiali, unum cum eo hominem constituit; ac proinde nihil impedit, quin per summam Dei potentiam ea, quæ a se summè distant, sibi invicem intimè conjungantur. Tandem 3. licet corpus & anima diversi sint generis, tamen propter unionem, quam habent in homine, patiuntur idiomatum communicationem; sic de homine dicitur quòd sit mortalis, quamvis ille defectus ipsi secundum corpus tantùm conveniat: ergo a pari nihil obstat, quin, supposita incarnatione, ea, quæ Deo conveniunt, humanitati, prout subsistens est in Verbo, tribuantur.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Existentia Incarnationis.

Not. GEntiles negant, reverà peractum esse mysterium incarnationis: id quoque inficiantur Judæi: hoc est, afferunt Messiam in Lege promissum nondum venisse. Necesse est igitur, ut hîc quæramus 1. utrum incarnationis existentia possit contra Gentiles demonstrari; 2. an contra Judæos; 3. utrum debito tempore peracta sit; 4. utrum eam Angeli ante Christi mortem cognoverint.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Incarnationis existentia demonstretur contra Gentiles.

CONCL. INcarnationis existentia potest adversus Gentiles demonstrari.

Probatur. Illud potest demonstrari, in cujus testimonium vera miracula patrata fuerunt: nempè cum miracula superent naturæ vires, necesse est, ut fiant à Deo solo: Deus autem vera miracula patrare non potest in testimonium rei falsæ; cum enim sit infinitè bonus, neminem potest in errorem inducere; cum sit infinitè sapiens, ipse falli minime potest; ac proindè si vera miracula patrata sint in confirmationem existentiæ incarnationis, necessariò sequitur, incarnationem esse peractam, hoc est, existere mysterium incarnationis. Atqui vera miracula patrata fuerunt in testimonium existentiæ incarnationis; siquidem ea miracula verè patrata fuerunt in testimonium incarnationis, quæ ob id patrata narrantur in libris, qui sunt authoritatis divinæ: ii nimirùm libri falsum pro vero referre non possunt: Sed miracula, de quibus agitur, narrantur in libris, qui sunt authoritatis divinæ: scilicet narrantur in Scripturis Novi Testamenti, quas harum Institutionum parte 1. agentes de libris canonicis, demonstravimus esse divinæ authoritatis.

Probatur 2. Fides de incarnationis mysterio, paucis post Christi mortem sæculis, totum pervasit orbem: ex omni quippe tribu, lingua & populo innumeri homines cujuscumque ætatis, gradus, sectæ, religioni Christianæ, quæ incarnationis existentiam profitetur, dederunt nomen: ergo mysterium incarnationis verè peractum est, vere existit; siquidem fieri non potest, ut mysterium, quod non est verum, subjiciat sibi omnium gentium, omniumque conditionum innumeros homines, præsertim si rationi in speciem repugnet, si absque armis ac eloquentia persuadeatur; si non a plebejis modò, sed etiam a sapientioribus extorqueat assensum; si disseminetur a rudibus & imperitis hominibus, quibus nulla propter id, honoris aut divitiarum spes affulgeat, imò immineat mors certissima; si vulgatum Imperatores potentissimi mox totis viribus extinguere conentur, ense animadvertendo tum in concionatores, tum in credentes. Neminem, qui præjudiciis liber fuerit, reperire est, qui non judicet, mysterium, cui ea omnia conveniunt, suam veritatem, vim, fœcunditatem, ac propagationem Deo soli debere; proindèque mysterium esse certissimum. Atqui hujusmodi est fides incarnationis, seu, eo quo dictum est modo, mortalium ubique terrarum mentes pervasit: ea ratione homines subjecit sibi, quamvis sit mysterium creditu difficillimum, ac in specie rationi naturali repugnet: ergo mysterium est, quod non est fictitium; sed mysterium, quod certò ac vere peractum est.

Confirmatur argumentum ex comparatione fidei de Incarnatione cum antiquis Philosophorum sectis. Eæ verò sectæ paucissimos homines addixerunt sibi, quamvis sensibus plerumque faverent, licet præ se ferrent speciem veri, etsi a viris disertissimis evulgarentur, & quantumcumque a sæculi principibus foverentur. E contra fides de Incarnatione absque illis adminiculis totum (ut mox observatum est) Orbem sibi subjecit; atqui ideò id factum est, quod verum sit illius fidei objectum, hoc est, certum sit Incarnationis mysterium; Philosophorum verò doctrina, falsa fuerit, & incerta: ergo, &c.

Nec obstat, quòd de ultimo fine vera esset Platonicorum doctrina: summum enim bonum in ipsius veritatis contemplatione constituebant, docebantque, ani-

animum, ut veritatem contempletur, liberum esse debere ab amore rerum fluxæ, ac labentis naturæ. Non obstat (inquam) siquidem licet, illi Philosophi verum in aliquibus dicerent, optimaque in aliquibus traderent morum principia, paucissimos tamen habuerunt discipulos: nempè non homo purus, sed solus Deus incarnatus potuit sibi, suæque doctrinæ subjicere omnes omnium hominum animos: *Cum igitur* (ait Augustinus Epist. 56.) *tanta sit cæcitas mentium per ingluviem peccatorum, amorémque carnis, ut etiam ista sententiarum portenta* (loquitur de Epicuræorum, aliorumque similium, circa summum bonum, & virtutis exercitium doctrina) *otio Doctorum disputando conterere potuerint, dubitabis tu Dioscore, vel quisquam vigilanti ingenio praditus, nullo modo ad sequendam veritatem melius consuli humano generi potuisse, quam ut homo ab ipsa veritate suscepius ineffabiliter atque mirabiliter, & ipsius in terris personam gerens, recta præcipiendo, & divina faciendo, salubriter credi persuaderet, quod nondum prudenter posset intelligi. Hujus nos gloriæ servimus, huic te immobiliter atque constanter credere hortamur, per quem factum est, ut non pauci, sed populi etiam, qui non possunt ista dijudicare ratione, fide credant, donec salutaribus præceptis administrati, evadant ab his perplexitatibus in auras purissimæ, atque sincerissimæ veritatis.*

QUÆSTIO II.

Utrum existentia Incarnationis possit adversùs Judæos demonstrari.

Not. 1. Ut à Christianis adversùs Judæos demonstretur Incarnationis existentia, ostendant oportet 1. Messiam in Lege promissum venisse: Messiam etenim Deum simul & hominem esse, seu Verbum Incarnatum, supponimus ex dicendis inferiùs. Ostendant oportet 2. illum Messiam esse JESUM NAZARENUM, qui Pontio Pilato Præside, ad Judæorum postulationem Hierosolymis actus est in crucem.

Not. 2. Venisse Messiam Lege promissum variis argumentis Theologi contra Judæos demonstrant. Nos hic tria tantùm expendemus, videlicet Prophetiam Jacob Genesis 49. Prophetiam alteram Danielis 2. tertiam denique Danielis 9.

Not. 3. Ut ostendatur, Jesum Nazarenum, qui Pontio Pilato in Judæa pro Romanis Præside, actus est in crucem, esse Messiam Lege promissum, unum requiritur, nempe ut probetur in Jesu Nazareno completas fuisse prophetias, quæ de Messia in veteri Testamento leguntur.

CAPUT I.

De Prophetia Jacob Genesis 49.

Not. 1. Prophetia Jacob, quæ Genesis 49. legitur, sic habet: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus Leonis Juda; ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut Leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.*

Not. 2. Ut in ea Prophetia nihil obscuri remaneat, hic tria præstanda sunt: 1. tradendus est germanus illius sensus, tum literalis, tum mysticus: 2. Adversùs Judæos ostendendum est, rectè ex ea Prophetia concludi, jampridem venisse Messiam: 3. Exponendum est, qua ratione Prophetiæ verba cum eventu cohæreant.

ARTICULUS I.

Quis sit Prophetiæ sensus.

CONCL. 1. Prophetia Jacob, Genesis 49. non ad Judæ personam, sed ad tribum, cujus fuit caput, præcipue spectat.

Probatur. Quæ continentur in Prophetia Jacob, ad hæc capita reducuntur. Primò, Jacob Judæ pollicetur excellentiam laudis & honoris: *Juda, laudabunt te fratres tui .... Adorabunt te filii patris tui.* Pollicetur 2. singularem fortitudinem: *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.* Pollicetur 3. imperium, atque principatum usque ad adventum Messiæ: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est.* Pollicetur 4. incredibilem bonorum temporalium copiam: *Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.* Atqui nullum ex iis capitibus convenit personæ Judæ; nec enim docet nos historia sacra, Judæ personam præ cæteris filiis Jacob ejusmodi privilegiis potitam fuisse; imò Josephus Judam in iis omnibus superavit: ergo, quæ continentur in prophetia Jacob, non ipsius Judæ personam, sed tribum cujus fuit, respiciunt.

CONCLUSIO 2. Prophetiæ Jacob potest assignari germanus sensus literalis.

Probatur afferendo literalem expositionem singulorum terminorum, ex quibus constat prophetia, de qua est hic quæstio. *Juda, te laudabunt fratres tui:* vox hæc *Juda*, hebraicè idem est ac *Laus*; unde hic est sensus illorum verborum: Meritò vocaris laus; te enim futuro tempore laudabunt fratres tui, & ex nomine tuo Judæi vocabuntur: ut post captivitatem Babyl. contigit.

Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, ad eos vincendos, ac tibi subigendos. Est enim periphrasis perfecti victoris, quo sensu Josue 10. Hebræi jubentur ponere pedes super colla regum: id de Judæ tribu meritò fuisse prænuntiatum, docuit eventus, scilicet fuit numerosissima, & fortissima, maximaque bella sub Davide & cæteris regibus feliciter gessit.

Catulus Leonis Juda, id est, instar catuli Leonis erit; qui quidem sicut fortissimus est, & ad nullius pavet occursum: ita & Judas, de quo hæc leguntur lib. 1. Paralippom. cap. 5. *Judas erat fortissimus inter fratres suos: de stirpe ejus principes generati sunt.* Per catulum verò peculiariter significatur robur, quo tribus Judæ præ ceteris enituit in suis initiis, tum sub Moyse; sub eo nimirum ante alias ausa est, persequentibus Ægyptiis, ingredi mare rubrum; tum etiam sub Josue, & judicibus: Israelitis enim Dominum interrogantibus Jud. 1. quis futurus esset dux belli, responsum fuit, *Judas ascendet.* Davidi præ cæteris Judæ posteris convenit nomen Catuli Leonis: siquidem cum adhuc esset adolescens, cum Leonibus, & Ursis pugnavit, devicitque Goliath Hebræorum terrorem.

Ad prædam, fili mi, ascendisti. Præteritum (ut plerumque fit in prophetiis) pro futuro ponitur, id est, ascendes ad prædam, ut solet victor hostibus superatis. Posita est vox, *Ascendisti*, ut significetur, tantam fore tribus Judæ fortitudinem, ut potiùs ad prædam, quam ad prælium ascensurus sit. Præterea per eadem verba, *Ad prædam, &c.* designatur secundus regni Judaici status sub Davide, qui pluribus victoriis, ac præliis clarus fuit. *Requiescens accubuisti*, hoc est, accumbes, *Ut Leo*, ut scilicet parta præliis præda quietè fruaris, ita ut nemo eam a te, utpotè fortissimo, auferre valeat. *Quis suscitabit eum?* id est, quis audebit eum bello lacessere, ac eum præda fruentem turbare?

Non auferetur sceptrum, id est, principatus, cujus insigne sceptrum est, *De Juda*, hoc est, aut de tribu Judæ

dæ (ut nonnulli exponunt) aut de gente Judaica (ut placet aliis.) *Et dux*, seu Princeps, qui leges ferendo Judæis imperet; *De femore ejus*, qui scilicet natus sit aut ex posteris Judæ, aut saltem de gente Judaica; *Donec veniat qui mittendus est*, hoc est, usque ad adventum Messiæ, seu Christi, quem Deus primo pollicitus est Genesis 3. *Inimicitias ponam inter semen tuum, & semen mulieris, & ipsa*, per Christum, qui ex ea nasciturus est, *conteret caput tuum*. Additur: *Et ipse erit*, in secundo adventu, *expectatio gentium*, quæ primum illius adventum crediderint, *aut ipse*, etiam in adventu primo, *erit*, metaphoricè, *expectatio*, seu res necessaria, *gentium*, etiam quæ nondum crediderint.

Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam. His verbis & aliis proxime sequentibus, (ait Pererius) Jacob prædicit fertilitatem regionis, quæ in divisione terræ Chanaam sorte obventura erat tribui Judæ. Ejusmodi verò fertilitatis duo proferuntur argumenta: primò quidem, quòd tam grandes habitura esset vites, easque uvis adeò onustas, ut posset asinus ad unam vitem alligari, & uvis ex ea productis onerari; cui rei fidè faciat, quod prodidit Moyses in libro Numerorum, cap 13. Deinde significat tantam vini abundantiam, ut non modò sufficiat ad potum, sed etiam (quod quidem hyperbolicè sumendum est) supersit ad lavandas vestes.

Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores: Hoc est, in regione, quæ obveniet Judæ, tanta erit vini lactisque copia, ut in incolarum tum oculis, tum dentibus conspicienda sit: nempè præ frequente vini epotatione, rubicondiores erunt incolarum oculi, sicut præ lactis, quo pascentur, abundantia, dentes eorum ipsius lactis candorem referent.

CONCLUSIO 3. Potest assignari mysticus sensus prophetiæ Jacob.

Probatur proponendo mysticum sensum, qui singulis prophetiæ terminis continetur. *Juda*, hoc est, Christe, qui de tribu Juda oriundus es, *te laudabunt fratres tui*, Apostoli nimirùm & omnes electi, quos non dedignaberis vocare fratrum nomine. *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*, id est, subjicies tibi mundum, dæmonem & omnes, qui tibi futuri sunt adversarii. *Adorabunt te filii patris tui*: quod quidem his aliis terminis ad Philippenses 2. Paulus expressit: *Ut in nomine ejus omne genuflectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Idem etiam Psal. 109. prædicitur; *Catulus leonis Juda*, quia (inquit Hilarius) sicut leonis catulus est consubstantialis ei, a quo natus est, ita & Christus Patri secundùm personam; est enim Deus de Deo, lumen de lumine.

Ad prædam, fili mi, ascendisti: nimirùm Christus morte, quam in cruce passus est, multos deprædatus est, eripuitque de faucibus Diaboli. *Requiescens*, per mortem, quando inclinato capite, tradidit spiritum; *accubuisti*, per sepulturam; *ut leo*, quia in ipsa morte victus non es, sed vicisti, ut leo: nempè (ut exponit Augustin.) sicut leo terror est omnibus dum vigilat, & securus dum dormit; ita Christus per confidentiam & securitatem dormivit intrepidus. *Quis suscitabit eum?* hoc est, nullus hominum Christum suscitabit a mortuis, sed ipse se ipsum suscitabit, ea fermè ratione, ea facilitate, qua quis è somno surgit.

Non auferetur sceptrum de Juda, hoc est, Ecclesia, quæ propria est Christi tribus, utpotè ex eo orta, ejusque sanguine in cruce fuso prognata, nusquam deficiet. *Et dux de femore ejus*; summus nimirum pontifex aliique pastores, mysticum Christi corpus regent ac pascent, *donec veniat qui mittendus est*, usque ad Christi adventum in gloria. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem asinam suam.* Pullus (ait Pererius) significat populum Gentilem, asina Judaicum; vitis, est ipse Christus; vinea, Ecclesia, quæ ex Gentibus & Judæis congregata est. Duplex autem est ligamen fidelium, unum ad vitem, id est, cum Christo, per fidem, spem, & charitatem; alterum ad vineam, id est, cum Ecclesia, per unitatem, pacem, & concordiam. Prius ligamen ab hæreticis solvitur, posterius a schismaticis. *Lavabit in vino*, quod quidem non aliud est, quam Christi sanguis, *stolam suam*, id est Ecclesiam, quæ Christi indumentum est.

Pulchriores sunt oculi ejus vino. Per oculos intelligi possunt Prophetæ & Apostoli: nam sicut oculi in superiori corporis parte collocati, illud regunt ac moderantur: ita Prophetæ & Apostoli ad Ecclesiæ thronos evecti sunt, ut illam regerent, ac moderarentur. Cum autem in vino tria sint, color, sapor, vis: ita etiam tria præ cæteris eluxerunt in Prophetis & Apostolis, nimirum sanctitas exterioris vitæ, virtutum interiorum sapor, vis ac efficacia prædicationis.

Dentes ejus lacte candidiores. Dentes, de quibus sanctus Propheta loquitur, sunt Ecclesiæ Christianæ pastores: nempe pastores spiritualem cibum atterunt & comminuunt, ut faciliùs in cordis veluti stomacho, a fidelibus digeratur. Mordent quoque, eos nimirùm arguendo, qui sive fidem labefactare, sive mores corrumpere, sive disciplinam, verbis aut facto, infirmare ausi fuerint, juxta illud 2. ad Timoth. 4. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa*, &c.

ARTICULUS II.

Utrum ex Prophetia Jacob contra Judæos demonstretur, Messiam venisse.

Not. 1. JUdæi, qui post adventum Christi scripserunt, varias commenti sunt prophetiæ, de qua agitur, interpretationes. Nonnulli contendunt, vocem Hebræam *Schevet*, quam Latinus interpres vertit *Sceptrum*, sive *Virgam*, hoc loco non significare virgam dominationis, sed virgam tribulationis & tyrannicæ oppressionis; ita ut sensus sit: *Non recedent à tribu Juda vexatio & oppressio, quoad veniat Messias*. Alii asseruerunt, non aliud Prophetia significari, quam quòd post adventum Messiæ, sceptrum quod Messias tribui Judæ restituet, ab ea deinceps nusquam auferendum sit. Docuerunt alii, verbum illud, *Siloh*, pro quo Latinus interpres posuit: *Qui mittendus est*, significare urbem *Silo*, in qua multo tempore fuit arca Domini, & ubi (inquiunt) Saul unctus est in regem, ita ut iste sit prophetiæ sensus: *Non recedet principatus à tribu Juda, donec veniat Silo, hoc est, donec in Silo Saul, in quem transferri debet Judæ principatus, in regem ungatur*. Alii denique voluerunt per hæc verba, *Qui mittendus est*, non significatum esse Messiam, sed Nabuchodonosor regem Chaldæorum, quem Hieremia & Ezechiele testibus, Deus misit ad castiganda Judæorum scelera: unde concludunt, hunc esse prophetiæ sensum: *Tribus Juda potietur imperio, donec veniat Nabucodonoser rex*. Confirmant ex eo, quòd Nabuchodonosor capto Sedecia, effossisque illius oculis, sceptrum ita abstulerit a tribu Judæ, ut nullus ex ea tribu post Sedeciam Judæis imperaverit.

Not. 2. Ut ex Prophetia, de qua agitur, demonstretur, venisse Messiam, ostendendum est 1. falsas esse, quas in primo notando retulimus Judæorum interpretationes; ostendendum erit 2. quòd ex suppositione, quòd falsæ sint Judæorum interpretationes, ex Prophetia necessariò colligatur, venisse Messiam.

CONCLUSIO 1. Vox, *Sceptrum*, in prophetia Jacob non significat virgam afflictionis.

Probatur 1. Quæcumque tribui Judæ promittuntur in Prophetia, prospera sunt ac fausta, ut patet ex iis, quæ superiori articulo dicta sunt. 2. Falsum est, vexationem ac oppressionem a Jacobi morte usque ad adventum

ventum Messiæ non recessisse à tribu Judæ: scilicet constat ex libris Regum, tribum Judæ a Davide usque ad Sedeciam, hoc est, per annos ferè quingentos, Summa rerum apud Judæos potitam, fuisse.

CONCLUSIO 2. Hæc verba: *Donec veniet qui mittendus est*, non significant tempus præteritum, sed futurum.

Probatur 1. Alia omnia, quæ Prophetia, de qua agitur, continentur, futurum tempus respiciunt, ut patet ex iis, quæ articulo superiore dicta sunt: ergo etiam & ea, de quibus est quæstio. 2. Judæi, quos confutamus, sine ullo fundamento, & absque ullo Scripturarum exemplo, vertunt adverbium *Donec* per adverbium *Postquam*: ac proindè immeritò hunc sensum Prophetiæ affingunt: *Postquam venerit Messias, sceptrum a tribu Juda deinceps non auferetur.*

CONCLUSIO 3. Verbum Hebræum *Siloh*, pro quo Latinus interpres posuit, *Qui mittendus est*, non significat urbem *Silo*, aut, *Saulem regem.*

Probatur 1. Prophetia in suppositione, de qua agitur, careret sensu; is enim esset: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat urbs Silo.* 2. Immediatè ante Saulis regnum, sceptrum seu administratio non erat in tribu Judæ, sed in tribu Levi: nimirùm Heli, & post eum Samuel Judæis præfuerant: falsum est igitur, principatum a tribu Judæ ad Saulem fuisse translatum. 3. Tantùm abest, ut sceptrum a tribu Judæ ad Saulem transierit, quin potiùs a Saule ad tribum Judæ translatum sit: siquidem post Saulem regnavit David, & a Davide reges ex tribu Juda oriundi, usque ad Sedeciam regem, qui Babylonem captivus ductus est. 4. Falsum est, Saulem in urbe Silo creatum fuisse regem: scilicet ut constat ex capite 10. primi libri Regum, in Masphat rex constitutus fuit. 5. Qua ratione hæc Prophetiæ verba: *Et ipse erit expectatio gentium*, Sauli, aut Jeroboamo, aut alicui alii ex Judæis principi convenire possunt?

CONCLUSIO 4. Voces istæ, *Qui mittendus est*, non significant Nabuchodonosor regem.

Probatur 1. Nabuchodonosor regi non conveniunt, quæ prophetia tribuit ei, quem mittendum prædicit: *Et erit expectatio gentium:* ècontra tantùm abest, ut eum gentes expectaverint, quin potiùs eum velut hostem infensissimum, ac crudelem tyrannum oderint. 2. Nabuchodonosor, fatentibus Judæis, non est Messias lege promissus: at solus Messias lege promissus, dicitur simpliciter & absolutè *Missus*, aut *Mittendus*.

CONCLUSIO 5. Ex suppositione, quòd Prophetia Jacob de Messia lege promisso intelligatur, ex ea certò demonstratur, venisse Messiam lege promissum.

Probatur. Ille venit, quem Jacob venturum prædixit, ubi sceptrum ablatum fuisset, sive a tribu Juda, sive a tota Judæorum gente: scilicet ab annis septingentis supra mille, sceptrum ablatum est sive a tribu Juda, sive a tota Judæorum gente: atqui (ut ex dictis patet) Jacob prædixit Messiam lege promissum, venturum esse, ubi ablatum esset sceptrum sive a tribu Juda, sive a tota Judæorum gente: ergo venit Messias lege promissus.

ARTICULUS III.

Quomodo Prophetiæ verba cum eventu cohereant.

Not. 1. POpulus Hebræus statim post egressum ex Ægypto, & legem a Deo receptam, cœpit habere principes, qui ex sua essent gente, non eadem tamen principatus specie.

Qui Hebræis primùm imperarunt, fuerunt Duces, Moyses nimirum & Josue, penes quos fuit rerum Summa per annos sexaginta sex; neuter tamen fuit ex tribu Juda; Moyses enim ex tribu Levi, & Josue ex tribu Ephraim originem duxerant.

Ducibus successere Judices, qui ad Saulem usque, hoc est, per annos trecentos & ampliùs, Hebræorum rempublicam administrarunt. Ex quindecim Judicibus, qui sibi invicem successerunt, duo tantùm extiterunt, qui orti essent ex tribu Juda, Othoniel & Abesam, qui (ut patet ex 1. Regum 10.) per annos septem supra quadraginta Israelitis jus dixerunt.

Post hæc, imperium fuit penes reges, quorum primus fuit Saul ex tribu Benjamin: Sauli successit David ex tribu Juda: a Davide usque ad captivitatem Babylonicam, hoc est, per annos quadringentos septuaginta tres, potestas regia mansit in tribu Juda. Post reversionem autem Hebræorum ex captivitate Babylonica usque ad Herodem, id est, per annos viginti supra quingentos, Pontifices, qui erant ex tribu Levi, principatu fruiti sunt.

His præmissis, quæstio est, qua ratione cum iis factis Prophetia Jacob cohærere possit; scilicet asserit, principatum futurum esse in tribu Juda usque ad Christi adventum, & tamen constat, ex mille & quingentis annis, qui ab egressu ex Ægypto ad Christum usque fluxerunt, tribum Juda per annos dumtaxat septuaginta tres supra quadringentos, rerum Summa potitam fuisse.

Not. 2. Theologi Catholici, ut eum nodum solverent, in varias sententias abierunt. Eusebius Cæsariensis libro octavo de Demonstratione Evangelica, docet, sceptrum eo sensu semper fuisse in tribu Juda, quod quamvis homines ex aliis tribubus principatu potiti sint; ipsa tamen aliis tribubus & numerosior, & florentior extiterit.

Cyrillus Alexandrinus, lib. 8. in Julianum apostatam, scribit, reipublicæ Judaicæ administrationem fuisse penès tribum Juda, etiam soluta Babylonica captivitate, ad Herodem usque.

Lyranus, Tostatus, Carthusianus, aliique non pauci contendunt, post captivitatem Babylonicam usque ad Herodis tempora sceptrum remansisse in tribu Juda: nam (inquiunt) licèt principatus tunc fuerit penes Pontifices, ipsi tamen Pontifices, qui secundùm paternum genus erant ex tribu Levi, secundum maternum tamen erant ex tribu Juda: scilicet (addunt) propter nobilitatem duarum illarum tribuum mutua inter illas inibantur matrimonia: idque patet exemplo Aaronis, qui (ut habetur Exodi 6.) duxit Elisabeth filiam Abinadab principis ex tribu Juda: patet iterum exemplo Jojadæ Pontificis, qui (ut legitur libro 2. Paralippomenon) iniit matrimonium cum Josabeth filia Joram regis Juda.

Nonnulli post Genebrardum in Chronologia, ubi de Machabæis, docent, eos omnes qui Judæis post captivitatem Babylonicam imperarunt, non paterno tantùm genere, sed etiam materno, ortos fuisse ex tribu Juda.

Non pauci alii Scriptores post Paulum Burgensem, asserunt, sceptrum, etiam soluta captivitate Babylonica, eo sensu remansisse in tribu Juda, quod rerum Summa in iis, quæ spectabant ad Moysis legem, esset penes senatum constantem viris septuaginta, electis ex tribu Juda; hunc verò senatum postea *Sanhedrin* appellarunt.

Alii theologi, quibus adhæret Pererius, in commentario in caput 49. Geneseos, scribunt, his verbis: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est*, non significari tribum Juda, prout ab aliis distinctam, sed totam Hebræorum gentem: ita ut sensus sit, futurum in viris ex Hebraica gente progenitis principatum, donec Messias veniat. Si quis autem objiciat Prophetiam loqui de tribu Juda in specie, *Non auferetur*

sceptrum de Juda, respondent ii Authores, id dictum fuisse per congruam quandam applicationem, quam Scholastici appropriationem vocant. Si quis iterum objiciat, sceptrum, quamdiu captivitas Babylonica perduravit, non fuisse penes aliquem virum ex Hebræis natum, iidem Authores respondent, illud spatium, licet annorum septuaginta, parvi esse momenti, ac proinde, habita ratione tot annorum, per quos sceptrum penes Hebræos remansit, non efficere interruptionem, quæ numerari debeat; præsertim cum deinceps, soluta captivitate, sceptrum, seu gentis Israeliticæ præfectura, Hebræis ad Herodem usque restituta sit.

Cajetanus exponens Prophetiam, de qua agitur, scribit 1. unam tribum Juda intelligi vocibus istis: *Non auferetur sceptrum de Juda*: Scribit 2. eo sensu sceptrum per captivitatem Babylonicam, & deinceps postquam soluta fuit, in tribu Juda remansisse, quod ea tribus nunquam exciderit jure, quod ex Dei electione, ac decreto habebat in regnum, quòd nusquam illius proprietatem amiserit; quòd usque ad Messiæ adventum semper spem habuerit recuperandi regnum, quòd sibi divinitùs concessum fuerat: *In reliquis tribubus* (inquit Cajetanus) *potuit omninò deficere principatus, ita quod nunquam amplius recuperaretur: in tribu autem Juda, quicumque & quotcumque acciderint defectus principatus, sive Regalis, sive Ducalis, certa tamen erat spes, principatum esse reddendum tribui Juda.*

Quid nos de variis illis Catholicorum Theologorum opinionibus sentiamus, subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Non eo sensu hæc verba: *Non auferetur sceptrum de Juda*, sumuntur, quod licet tribus Juda sceptrum non gesserit, aliis tamen tribubus numerosior, & florentior fuerit.

Probatur. Primò, vox, *Sceptrum*, vel (ut legitur in Hebraico textu) *Virga regia*, aut (ut verterunt Septuaginta) *Princeps*, & illud vocabulum, *Dux*, pro quo Hebræi legunt, *Legislator*, non significant tantùm ingentem numerum, aut amplissimas divitias tribus Juda; sed apertè denotant summam principatus & imperii dignitatem: ergo non eo tantum sensu sceptrum (ut habet prophetia) permansurum erat in tribu Juda, quòd ceteris & florentior & numerosior futura esset. 2. Falsum est, tribum Juda semper cæteris florentiorem extitisse: cùm enim supremus principatus per quingentos & amplius annos, soluta Babylonica captivitate, fuerit penes tribum Levi, fieri non potuit, quin cæteris & nobilior, & honoratior extiterit, præsertim cum plerique Pontifices regiam dignitatem cum Pontificia conjunxerint.

CONCLUSIO 2. Post captivitatem Babylonicam, supremus Hebræorum principatus non fuit in tribu Juda ad Herodem usque.

Probatur. Quamvis Zorobabel ex tribu Juda oriundus, primus ex Hebræis, post solutam captivitatem, suæ genti præfuerit; non habuit tamen ex sua stirpe successorem: nec enim id aut in Scripturis, aut in Josephi libris reperire est: imò contrarium evincitur ex Jeremiæ cap. 22. qui de Jechonia, cujus Zorobabel fuit nepos, sic loquitur: *Scribe virum istum sterilem, virum, qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine ejus vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra in Juda.*

CONCLUSIO 3. Sceptrum non eo sensu post captivitatem remansit in tribu Juda, quòd gestatum sit à viris, qui paterno genere essent ex tribu Levi, materno verò ex tribu Juda.

Probatur. Primò, nullum est argumentum, quo probetur, Pontifices, qui a Zorobabele ad Herodem usque præfuerunt reipublicæ Judæorum, ordinariè iniisse matrimonia cum mulieribus ex tribu Juda; imò contrarium evincitur ex eo, quod cum tribus Levi propter imperium, quo fruebatur, esset florentissima, verisimilius sit, Pontifices ex ea tribu potius, quam ex aliis, uxores duxisse.

2. Licèt detur, Pontifices toto temporis spatio, quod immediate post Zorobabelem ad Herodem usque fluxit, iniisse matrimonia cum filiabus ex tribu Juda; non sequitur tamen, sceptrum tunc in tribu Juda permansisse, quemadmodum ad Prophetiæ veritatem permanere debuit: nempe constat, apud Judæos respectu capessendi imperii nullo loco fuisse mulieres; unde in sacris codicibus nullius genealogia per mulieres describitur, imò (ut nonnullis videtur) nec ejus, qui ex matre sine patre natus est, Christi videlicet; idque (addunt) patet ex primo Matthæi capite.

3. Dato, quod Pontifices materno genere fuerint ex tribu Juda, paterno verò ex tribu Levi, Maria, quæ Christum genuit, paterno genere fuisset quidem ex tribu Juda, materno verò ex tribu Levi; ac proinde Christus non minùs ex tribu Levi, quam ex tribu Juda, originem duxisset suam: siquidem in ea suppositione, Christus, sicut Maria, utriusque tribus fuisset particeps, sicque in utraque tribu censeri debuisset, potuissetque dici Sacerdos ex tribu Levi, & secundùm Aaronis ordinem: quod tamen negat Paulus ad Hebræos, cap. 7.

4. Sceptrum, quod mulierum tantùm habita ratione remanet in aliqua tribu, non dicitur in ea esse simpliciter, sed solùm secundùm quid: è contra sceptrum, quod est in aliqua tribu ratione virorum, in ea absolute ac simpliciter esse dicitur: ergo si tribus Levi immediate post Zorobabelem ad Herodem usque potita sit Judæorum imperio, Prophetia Jacob præcipue spectare debuisset tribum Levi; ac proinde tantum abest, ut Jacob diceret: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est*, quin potius dicere debuerit: *Non auferetur sceptrum de Levi, donec veniat, qui mittendus est.*

Objicies. Certum videtur, Pontifices uxores duxisse ex tribu Juda; siquidem non ob aliud lib. 1. Machabæorum, cap. 5. Judas & fratres ejus, qui haud dubiè paterno genere nati erant ex tribu Levi, dicuntur viri Juda: *Et viri Juda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israel, & gentium omnium, ubi audiebatur nomen eorum*: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia alia lectio sic habet: *Et vir Judas & fratres ejus magnificati sunt*. Dato quòd sic habeat lectio, ut in argumento refertur, nihil tamen adversùs nostram conclusionem inferri potest: siquidem voces istæ, *Et viri Juda*, &c sic reddi possunt: *Et viri, qui Judam ducem sequebantur, magnificati sunt valdè*. 2. Nec Judas, nec illius fratres regnum Israeliticum hæreditario jure, sed ex electione populi consecuti sunt: *Et congregati sunt omnes amici Judæ*, (ait Scriptura lib. 1. Machabæorum, cap 9.) *& dixerunt Jonatæ: Nunc te hodie eligimus esse nobis in principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum*: at si ex materno saltem genere consecuti fuissent principatum, possedissent illud hæreditario jure: quod tamen (ut patet ex laudato Scripturæ loco) planè falsum est.

CONCLUSIO 4. Hæc Prophetiæ verba: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est*, non significant, principatum eo sensu permansurum in tribu Juda, quod ad Christum usque futurus esset in Sanhedrin, seu collegio septuaginta virorum, qui ex tribu Juda selecti fuissent.

Probatur. Primò, licet ejusmodi collegium Moysis tempore visum fuerit, postea tamen apud Hebræos non remansit; unde nec Josephus, nec Philo illius unquam meminerunt. 2. Detur (quod tamen falsum est) illum septuaginta virorum Senatum ad Herodem usque permansisse, immeritò supponitur, illum ex sola tribu Juda compositum fuisse: è contra, si extiterit, verisimilius est, illum coaluisse ex viris delectis ex singulis tribubus; siqui-

siquidem par fuit, ut ex omnibus tribubus deligerentur judices, qui jus singulis tribubus dicturi erant. Ita nimirùm factum est, cum pertractanda fuerunt negotia singulis tribubus communia: Exodi cap. 18. Moyses soceri sui consilio constituit judices ex singulis tribubus delectos. Ex libro Numerorum constat, septuaginta viros, quos Moyses elegit, de senibus Israel, non autem de senibus Juda, delectos fuisse: In eodem Numerorum libro, cap. 13. legitur, duodecim exploratores a Moyse missos ad perlustrandam terram Chanaam, fuisse electos ex qualibet tribu. 3. Dato quòd senatus ille ad Herodem usque permanserit apud Hebræos, dato quoque quòd idem senatus constaret tantùm ex viris, qui ex sola tribu Juda selecti fuissent, non exhauriretur tamen Prophetiæ sensus. Nempè sceptrum nusquam fuit in illo senatu, sed successivè fuit vel in duce, vel in judice, vel in rege, vel in pontifice. Se habuisset apud Hebræos senatus ille, sicut apud Galloa se habet privatum regis consilium; quemadmodum igitur non apud illos regis consiliarios, sed apud regem est rerum summa potestas; ita apud Hebræos non fuit penes Sanhedrin, sed penes aut ducem, aut judicem, aut regem.

CONCLUSIO 5. Hæc Prophetiæ verba: *De Juda*, non significant gentem Hebræorum, prout omnes ac singulas tribus complectitur: seu, sensus Prophetiæ non est, quòd sceptrum permansurum sit in una ex tribubus Hebræorum, abstrahendo, an sit tribus Juda, an tribus Levi, an aliqua alia.

Probatur. Sententia, de qua est quæstio, Scripturis repugnare videtur: nempè Scripturæ innuunt, hæc Prophetiæ verba, *De Juda*, intelligi debere de sola tribu Juda, cùm exclusione Leviticæ, Benjamiticæ & aliarum.

Et sanè 1. quæ de Ruben, ac aliis Jacobi filiis Genes. 49. capite leguntur, de solis tribubus Ruben & Benjamin cum aliarum exclusione intelliguntur: cur ergo, quæ eodem in capite de Juda, dicuntur, non intelligentur de sola tribu Juda, hoc est, de tribu Juda cum aliarum exclusione?

2. Si verba, *De Iuda*, de peculiari tribu Juda non intelligerentur, falsa essent, quæ Scriptura ibidem hisce verbis tradit: *Omnes hi in tribubus duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus propriis*; neque enim in suppositione, quam hic impugnamus, Jacob singulis tribubus, benedictionibus propriis benedixisset.

3. Hæc, *Juda, te laudabunt fratres tui .... adorabunt te filii patris tui*, quæ præcedunt ista, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, dicuntur de sola tribu Juda: ergo & ista, quæ eodem tenore sequuntur, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, de sola tribu Juda cum aliarum exclusione intelligi debent.

4. Hæc alia, *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ò fili mi, asinam suam*, quæ ista, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, subsequuntur, de una tribu Juda intelliguntur; nempe significant fertilitatem terræ, quæ ipsi in sortem obventura erat: ergo & ea, de quibus agitur, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, de sola tribu Juda cum aliarum exclusione intelligi debent.

5. Hic loquendi modus: *Dux de femore ejus*, quo Jacob usus est, significat aliquam personam singularem, ex qua dux ille genitus sit: neque enim duces, qui modo ex una tribu, modo ex alia progeniti sunt, dici possunt, de eodem femore generati: sic in Galliis reges primæ, secundæ, & tertiæ stirpis, dici non possunt de eodem femore progeniti.

6. Tandem nulla fuit ratio, cur Jacob tribui Juda adscripserit, quæ ei cum aliis tribubus futura erant communia. Et sanè non est usus eo loquendi modo, quod (ut ajunt Adversarii) per propheticum spiritum novisset, sceptrum per multa sæcula fore penes homines, qui ex tribu Juda progeniti essent: siquidem Asamonæi pluribus pariter sæculis post solutam captivitatem Babylonicam Judæis imperarunt. Non etiam quod Hebræi aliquando accepturi essent nomen a tribu Iuda, ut revera acceperunt post solutam captivitatem Babylonicam: siquidem inde non sequitur (quod tamen prædicit prophetia) ducem de femore Juda oriundum esse, qui Hebræis præsit usque ad adventum Messiæ. Non denique quòd sceptrum post captivitatem Babylonicam gestatum a Pontificibus, eo sensu remanserit in tribu Juda, quòd sola ferè tribus Juda ex captivitate redierit occuparitque sedes, quæ in prima terræ Chanaan divisione ei sorte obvenerant: namquamvis ferè sola tribus Iuda, post captivitatem Babylonicam, in rempublicam coaluerit; tamen penes eam sceptrum non fuit, sed penes tribum Levi; ac proinde in ea (cujus tamen contrarium Prophetia continetur) sceptrum usque ad adventum Messiæ non permansit.

CONCLUSIO 6. Non eo sensu sceptrum usque ad adventum Messiæ permansit in tribu Iuda, quod semper actu fuerit penes duces ortos ex tribu Iuda; sed quod illa tribus, ex quo sceptrum habuit, nusquam exciderit jure, quod in illud habebat; hoc est, licèt actu illius usum non habuerit, nusquam tamen illius proprietatem amiserit.

Probatur prior conclusionis pars. Certum est 1. sceptrum ab exitu Hebræorum ex Ægypto usque ad Davidem, non fuisse semper penes viros, qui orti essent ex tribu Iuda, nempè (ut jam superiùs observatum est) successivè fuit penes duces, & judices, ex variis tribubus progenitos; & immediatè ante Davidis imperium, penes Saulem, qui fuit ex tribu Benjamin. Certum est 2. penes nullum Hebræum fuisse sceptrum, quamdiu perduravit captivitas Babylonica. Certum est 3. a successore Zorobabelis usque ad Herodem, idem sceptrum fuisse penes Asamonæos, qui, cùm pontifices essent, originem suam ex tribu Levi duxerant.

Probatur altera pars. Deus in Scripturis hominibus ortis ex tribu Iuda pollicitus fuerat terrenum regnum, quod per Messiam mutandum erat in spirituale: at non eo sensu hujusmodi regnum eis pollicitus fuerat, quod illius usufructum habituri essent: ergo eo tantùm sensu, quod jus ad illud, seu illius proprietatem, semper habituri essent.

Confirmatur argumentum ex trito loquendi modo. Nimirùm (ut advertit doctissimus Huetius Demonstratione Evangelica, Propositione IX. pag. 413) jus ad sceptrum, sive jus possidendi sceptrum, simpliciter appellatur sceptrum, regnum, principatus. Dicere enim possumus, non ablatum fuisse Angliæ sceptrum à Stuartorum gente, postquam in eam semel concessit, quamvis per multos annos Carolus II. Rex patria regnoque depulsus vixerit; nempè tunc quoque jus ad regnum, & regni proprietatem habebat, quamvis actu illo non potiretur.

Objicies 1. Si in prophetia Iacob vox, *Iuda*, intelligeretur de sola tribu Iuda, & si nomine *Sceptri* intelligeretur jus ad sceptrum, sequeretur sceptrum defecisse in Iuda ante Davidis tempora: tunc enim tribus Iuda nullum jus habebat ad sceptrum, non habebat principatus proprietatem: atqui id repugnat oraculo, *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus est*: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia sceptrum non censetur ibi defuisse, ubi nec illius possessio, nec jus ad possessionem aliquando fuerat: atqui ante Davidis tempora, nec possessio sceptri, nec jus ad illius possessionem fuerat in tribu Iuda: nec enim id sibi vult Iacob, ut statim post suam prædictionem tribus Iuda regni possessionem aut ad illam jus habitura sit; sed hoc unum vult, sceptrum, ubi semel tribus Iuda eo potiri cœperit,

rit, (quod quidem factum est in Davide) ab ea non auferendum esse, saltem quoad jus & proprietatem, donec veniat qui mittendus est. Confirmatur responsio ex eo quod, Scriptura teste, Jacob non in proximum tempus, sed in remotissimum respexerit, cum edidit oraculum, de quo est quæstio: *Congregamini* (ait filiis suis, Genesis 49) *ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.*

Objicies 2. In suppositione conclusionis, sceptrum defecisset in Juda tum tempore captivitatis Babylonicæ, tum soluta captivitate Babylonica; scilicet iis temporibus tribus Juda nullum jus habebat ad sceptrum: delatum enim fuerat ad Chaldæos & postea ad Assamonæos, sive ex electione populi, sive jure præscriptionis, cum a Zorobabelis successore ad Herodem usque eo potiti sint: atqui id repugnat oraculo Jacobi, ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est 1. quia Nabuchodonosor rex per vim sceptrum abstulerat a tribu Juda: at (ut superiùs observatum est) jus ad sceptrum non eripitur a principe, qui per vim e suo solio deturbatur. Ratio est 2. quia jus ad sceptrum in Davidis persona divinitùs concessum fuerat tribui Juda usque ad Messiæ tempora: at nulla populi electio, nulla præscriptio, contra Dei ordinationem valere possunt: ac proinde, regnantibus etiam Assamonæis, qui erant ex tribu Levi, jus ad sceptrum ablatum non fuerat a tribu Juda.

Objicies 3. Si vox *Juda* in prophetia Jacob de sola tribu Juda intelligatur, & vox *Sceptrum* de solo ad sceptrum jure explicetur, Christiani uti non poterunt ea prophetia, ut adversus Judæos probent, Messiam Lege promissum venisse, siquidem Judæi respondere poterunt, sceptrum, in sensu, quo sumitur, nondum defecisse in tribu Juda, seu, dicere poterunt, tribum Juda etiam nunc jus habere ad sceptrum; ac proinde nondum esse completum oraculum: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia eversa per Titum urbe Jerosolymitana, nulla servata fuit, nec servatur modò, nec etiam servari potest, tribuum distinctio, quæ tamen tum in captivitate Babylonica, & post captivitatem Babylonicam ad Christum usque in fertonis publicis, tum Jerosolymis in templo, tum in aliis regionum locis, diligentissimè servata fuit: unde nec regni Judaici proprietas, nec spes recuperandi illius usum, in tribu Juda reperitur.

Objicies 4. Herodis tempore tribus Juda habebat jus ad sceptrum: accuratè nimirùm tunc temporis distinctio sive tribuum, sive familiarum servabatur: ergo Herodis tempore Messias venire non debuisset; siquidem venire non debuit nisi post completum oraculum Jacob: *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat qui mittendus est*: atqui, Herodis tempore, nondum completum erat oraculum Jacob; tunc enim tribus Juda jus habebat ad sceptrum, quod Herodes alienigena usurpaverat; spem habebat illud aliquando recuperandi: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ad 2. neg. maj. Ratio est, quia sensus oraculi non est, quod Messias venturus non sit, nisi ablato a tribu Juda sceptro: sed sensus est, quòd circa tempus, quo auferri debet, sit in lucem prodituru: neque enim particula illa, *Donec*, semper in Scripturis significat rem, quæ affirmatur, tunc præcisè desituram, cum acciderit ea, quæ particulæ *Donec*, subjicitur: eo sensu dicitur Job. 27. *Donec deficiam, non recedam ab innocentia mea.*

CAPUT II.

Utrum ex Danielis secundo capite probari possit, Messiam venisse.

Not. 1. PRophetia, quæ legitur Danielis c. 2. duas partes complectitur: prior continet Nabuchodonosoris somnium, quod quidem sic versu 31. & sequentibus Daniel revocat in regis memoriam, ex qua exciderat: *Tu rex videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus ejus erat terribilis. Hujus statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, pars autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter, ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam factus est mons magnus, & implevit universam terram.*

Altera pars ejusdem prophetiæ complectitur somnii regis explicationem, quam Daniel hisce verbis versu 36. & sequentibus tradit: *Hoc est somnium: Interpretationem quoque ejus dicemus coram te, rex. Tu rex regum es: & Deus cœli, regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi... Tu es ergo caput aureum. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum. Et regnum tertium aliud æreum, quod imperabit universæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum: quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc.*

Post explicationem somnii sic Daniel prosequitur versu 44. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.*

Not. 2. Ut in relatis Prophetiæ verbis nihil obscurum remaneat, duo hic agenda sunt: 1. tradendus est prophetiæ sensus: 2. ostendendum est adversus Judæos rectè concludi, venisse Messiam Lege promissum.

CONCLUSIO 1. Tradi potest verus sensus Prophetiæ, quæ Danielis cap. 2. legitur.

Probatur. Prophetia, de qua est hic quæstio, designat quatuor imperia, quæ sibi invicem successura erant, & quibus quintum aliud, quod est imperium Christi, succedere debebat. Primò, hæc verba: *Tu es ergo caput aureum*, hoc est, imperium Caldæorum, qui Judæos, Ægyptios, Assyrios, Moabitas sibi subjecerant, exhibetur per caput aureum statuæ, quæ Nabuchodonosori per somnium apparuit. Illud autem imperium, dictum est *Caput*, non ratione amplitudinis, sed ratione successionis, hoc est, primum fuit; quia sicut post caput alia corporis membra sequuntur, ita Babylonicum imperium, tria alia subsequi debebant. Dictum est caput *aureum*, non quidem ratione divitiarum; Persicum enim, Macedonicum, & postea Romanum imperium, divitiarum abundantia longe superarunt Chaldaicum, sed ratione successionis, ac interitus; ita ut quemadmodum quo longiùs ab auro receditur, & ad testam acceditur, eò magis acceditur ad ultimum metallorum gradum; sic quò magis a regno Babylonico disceditur, eò magis accedendum erit ad finem humanæ monarchiæ, cui ad extremum successura est alia diversi generis, Christi nimirum, cujus regnum non sit de hoc mundo, nec finem ullum habiturum sit.

2. His verbis, *Et post te consurget regnum aliud minus te*, S. Vates designat imperium Persarum, quod quidem

dem dicitur *minus* Chaldaico, non quidem propter potentiam & opes, cum (ut hiftoria docemur) Perfæ Chaldæos bellaverint: fed quod fuerit inferius tempore, hoc eft, fecundum a Chaldaico. Illud vero fecundùm imperium (fi tamen vera fit aliquorum interpretatio) exhibitum fuit per ftatuæ pectus & brachia, quod duobus altero Medorum, altero Perfarum, conflaret regnis: fed veriùs fentiunt qui volunt, partes ftatuæ fpectari non debere, fed locum, quem inter fe tenent: quemadmodum ergo pectus & brachia poft caput fequuntur in humano corpore, ita & imperium Perfarum fubfequi debebat Chaldaicum.

3. His vocibus: *Et regnum tertium aliud æreum*, prædicitur Græcorum, feu Macedonum imperium fub Alexandro Magno. Hieronymus illud æri propter fonitum comparari putat, Græci nimirùm, omnes alios populos eloquentia fuperarunt. Verifimilius tamen eft, prophetam non ad metalli proprietatem aliquam, fed ad illius in ftatua fitum & gradum refpexiffe. Cur autem dicit, *Imperabit univerfæ terræ*, quod non dixerat de Perfarum regno? Id factum eft partim, quod multò majus (ut ex hiftoria conftat) Macedonum, quam Perfarum regnum fuerit; partim etiam accommode ad futuram hominum opinionem, qui Alexandrum Macedonum regem, totum terrarum Orbem fubjugaffe crediderunt. Scitum eft, illum, cum ex Democriti fententia audiiffet, infinitos effe mundos, ingemuiffe dolenter, quòd nondum unum fubjugaffet. Partim tandem quòd fecundùm receptum in Scripturis loquendi morem, totus Orbis pro majore illius parte cognita fumatur.

4. Hæc verba: *Et regnum quartum erit velut ferrum*, omnes ferè Scriptores interpretantur de Romanorum imperio; & quidem merito; nam Macedonum imperio fucceffit; quemadmodum enim (ut ait Propheta) ferrum comminuit, & domat omnia, fic Romanum imperium, Macedonum regnum, aliaque ferè omnia comminuit, ac contrivit. Hæc alia verba: *Quia vidifti pedum, & digitorum partem tefteam figuli, & partem ferream, regnum divifum erit*, fignificant, imperium, pro varia civium, aut concordia, aut divifione, fore aut fortius aut debilius. Ifta: *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles*, fignificant, quartum illud imperium non fore immune ab incurfionibus barbarorum, & populorum rebellionibus, quibus five incurfionibus, five rebellionibus, imperii vires plurimùm imminuentur; unde fubdit Propheta: *Ex parte regnum erit folidum, & ex parte contritum.* Quartum illud imperium, quod cætera comminuerat, tandem diffipabitur, nec fœdera, quæ per matrimonia tentabit, ftabilitatem illi conferent; *Quod autem vidifti ferrum mixtum tefta ex luto, commifcebuntur quidem humano femine, fed non adhærebunt fibi, ficuti ferrum mifceri non poteft tefta.*

Quamvis ea, quæ Daniel de quarto imperio prædicit, optimè (ut mox oftenfum eft) Romano conveniant, intelligi tamen poffunt de Alexandri Magni fucceffioribus. Quatuor præcipui ex ducibus, qui Alexandri exercitibus præfuerant, mortuo Alexandro, Macedonum imperium inter fe partiti funt: Nempe Ptolomæus regnavit in Ægypto, Seleucus Babylone & in Syria, Caffander in Macedonia & in Græcia, & Antigonus in Afia. Ducum illorum imperium, exhibitum fuit in tibiis & pedibus ftatuæ, quam Nabuchodonofor in fomnio viderat. Ea regna, ac præfertim Syriæ, & regnum Ægypti, five a fe invicem, five a Judæis per Machabæos, five à Romanis, poftea contrita funt. 5. Propheta prædicit, regnum Chrifti fucceffurum quatuor illis imperiis, de quibus locutus fuerat. *In diebus autem regnorum illorum*, hoc eft, poftquam quatuor illa imperia vifa fuerint, *fufcitabit*, id eft, eriget, *Deus cœli*, non autem aliquis homo, aut armis, aut divitiis, aut eloquentia, aut induftria, *regnum*, in Chrifto filio fuo, *quod in æternum non diffipabitur*, fcilicet adversùs Ecclefiam Chrifti nufquam vel ipfæ inferorum portæ prævalebunt. *Et regnum ejus alteri populo non tradetur:* non quidem quod fides ex una gente ad aliam gentem tranfmigratura non fit; fed quod Ecclefia non ita tyrannis, aut hæreticis tradi debeat, ut eam omninò deftruant. *Comminuet autem, & confummet omnia regna hæc*, non quidem immediatè: jam enim, cum Chriftus in lucem prodiit, evanuerant Chaldæorum, Perfarum & Græcorum imperia; fed mediatè tantùm, quatenùs nempè Romanum comminuit Græcum, a quo cætera penitùs contrita funt. *Comminuet autem*, modo qui naturæ fuæ conveniat, hoc eft, cum regnum Chrifti fit omninò fpirituale, *Regnum meum non eft de hoc mundo*; fpirituali modo Romanum imperium comminuet, abolendo nimirum idololatriam, aliofque fuperftitiofos cultus, qui in eo ufque ad Ecclefiæ Chriftianæ tempus invaluerant: Ita ut Roma ipfa, quæ fuerat erroris magiftra, facta fit ipfius veritatis fedes.

CONCLUSIO 2. Ex prophetia, quæ legitur Danielis capite fecundo, rectè contra Judæos oftenditur, veniffe Meffiam lege promiffum.

Probatur. Ut ex capite fecundo Danielis oftendatur Meffiam veniffe, neceffe eft, ut probetur 1. præteriiffe quatuor imperia, quæ ex Daniele quintum exceptura erant; 2. quintum regnum, quod quatuor priora fubfecuturum prædicitur, effe regnum Chrifti, feu regnum Ecclefiæ Chriftianæ; atqui duo illa probari poffunt. Nam, *primò*, quatuor imperia, quæ præcedere debebant imperium Meffiæ, funt imperia Babyloniorum, feu Chaldæorum, Perfarum, Macedonum, Romanorum; atqui quatuor illa imperia præterierunt; ergo, &c. *Secundò*, non aliud regnum, quam regnum Chrifti, fucceffit quatuor illis imperiis, neque enim aliud fingi poteft; ipfum enim folum pervafit totum orbem, omnes omnium gentium populos fibi fubjecit, nulla unquam creata poteftate diffipari potuit, nec aliquando diffipabitur.

Objicies 1. Imperium Romanum his etiam temporibus ftat; nam Romanorum Imperator etiam nunc in Germania fedet; Turca, qui ex parte antiquis Romanorum Imperatoribus fucceffit, fedet Conftantinopoli: ergo nondum advenit Meffiæ regnum; neque enim (Propheta tefte) venturum eft, nifi poftquam quatuor alia præcefferint.

Refp. dift. ant. Imperium Romanum his etiam temporibus ftat nomine & loco, conc. ant. re ipfa & a parte rei, neg. ant. unde neg. confeq. Ratio eft, quia nomen & locus fatis non funt, ut imperium ftare dicatur; requiritur enim infuper eadem reipublicæ forma, idem regiminis modus: at eandem five apud Germanos, five apud Turcas non effe reipublicæ formam, quæ erat olim apud Romanos, nemo non videt. Confirmatur: fi nomen, & locus fatis effent ad idem imperium conftituendum, dici poffet, quod ftaret Turcarum imperium, etiamfi Perfæ illud invaderent, fuifque armis illud fibi fubjicerent.

Objicies 2. Meffiæ regnum debet effe ejusdem generis cum regnis, quibus comparatur; comparatio enim non fit nifi inter fimilia; atqui nondum advenit regnum, quod fit ejufdem generis cum quatuor illis, quæ ex Propheta, Meffiæ regnum præcedere debent: ergo, &c.

Refp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dift. ant. Comparatio non fit nifi inter fimilia, aut univocè, aut analogicè, conc. ant. inter fimilia univocè tantùm, neg. ant. Unde Deus ipfe in Scripturis per analogicam comparationem dicitur Rex regum, & Dominus dominantium. Ipfe etiam Chriftus cum dixit: *Regnum meum non eft de hoc mundo*, regnum fuum cum regnis temporalibus per analogiam comparavit.

Obji-

Objicies 3. Christi regnum non potuit esse quintum illud, quod quatuor a Daniele memoratis succedere debuit; siquidem Christi regnum, cum sit omninò spirituale, quintum a quatuor aliis distinctum non constituit: nec enim regna dicuntur regna diversa, ac distincta, propter diversitatem, ac distinctionem religionis: alioquin dicendum esset, Persicum, Macedonicum, imò & Romanum, fuisse unum ac idem imperium: eadem enim illis multorum idolorum fuit superstitio. Dicendum iterum foret, mutata religione, mutari regnum; ac proinde imperium Romanum non fuisse idem imperium sub Constantino, quod ante fuerat sub Diocletiano: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Diversitas religionis non constituit diversum imperii genus in omnibus imperiis, conc. ant. in aliquibus tantùm, neg. ant. In mundi regnis, cum temporalia sint & terrena, arma, non autem religio, mutant imperii genus; è contra in regno Christi, cum spirituale sit & cœleste, non arma, sed religio, regnum constituit; scilicet religio efficit, ut Deus in iis hominibus regnet, qui ipsi per fidem & amorem inhærent.

CAPUT III.

De prophetia, quæ de Messia legitur Danielis 9.

Not. 1. PRophetia, quæ de Messia legitur Danielis 9. sic habet: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum.*

Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur, platea, & muri in angustia temporum.

Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

Not. 2. Ut cum methodo celebris illa prophetia pertractetur, expendendum est 1. utrum de Messia intelligi debeat; 2. quid sint hebdomades, de quibus propheta loquitur; 3. unde peti debeat illarum hebdomadarum initium; 4. utrum ex ea prophetia demonstretur, Messiam lege promissum venisse; 5. denique utrum omnes prophetiæ circumstantiæ in Iesu Nazareno locum habuerint.

ARTICULUS I.

Utrum Prophetia Danielis 9. intelligatur de Messia.

CONCL. PRophetia, quæ Danielis capite 9. versu 24. & sequentibus legitur, intelligitur de Messia lege promisso.

Probatur. Quæ priori parte Daniel asserit, soli Messiæ lege promisso conveniunt. Scribit enim 1. hebdomades abbreviatas esse, *ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum*: at peccato finem imponere, ac regnum illius evertere, soli Messiæ lege promisso Prophetarum oracula tribuunt: *Spiritus Domini super me* (ait Messias ipse apud Isaiam cap. 61.) *eò quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam & clausis apertionem, ut prædicarem annum placabilem Domino.* Zacharias cap. 3. expresse pariter asserit, Messiam deleturum esse mortalium peccata: *Ecce enim adducam servum meum orientem ..... & auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Daniel scribit 2. abbreviatas esse hebdomadas, ut *adducatur justitia sempiterna*: Illa autem justitia vel est Messias ipse, qui in Veteri Testamento non rarò vocatur justitia: *Et orietur* (apud Malachiam cap. 4.) *vobis timentibus nomen meum sol justitiæ*; vel est fructus adventus Messiæ: *In diebus illis* (apud Ieremiam cap. 33.) *& in tempore illo, germinare faciam David germen justitiæ: faciet judicium & justitiam in terra.* Scribit 3. abbreviatas esse easdem hebdomadas, ut *impleatur visio & prophetia*: sed id soli Messiæ convenit, cum sit ipsamet veritas umbris ac figuris designata: unde Christus sic Matthæi 12. loquitur: *omnes enim Prophetæ & Lex usque ad Ioannem prophetaverunt.* Scribit 4. abbreviatas esse hebdomadas, ut *ungatur Sanctus sanctorum*: at Sanctus sanctorum, unus est Messias lege promissus: neque enim illud nomen in Scripturis datum reperitur alicui Iudæo, sive regi, sive pontifici. Scribit denique 5. eum, quem tot nominibus commendavit, morti tradendum esse: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*: atqui id de Messia lege promisso Prophetæ prædixerant: *Sicut ovis ad occisionem ducetur* (apud Isaiam cap. 53.) *& quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.*

Objicies. Christus quem Propheta occidendum esse prænuntiat, non est Messias lege promissus; sed metaphorice vel est Sacerdotium, quod Daniel prædicit a Iudæis auferendum post completas hebdomadas, vel est Templum, quod destruendum prænuntiat; vel denique est Agrippa junior, quem Rabi Selomoh asserit a Romanis trucidatum fuisse, cum templum secundum excinderetur: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est 1. quia ex Rabbinorum responsiones, Danielis hebdomadas usque ad Hierosolymitanam expugnationem protrahunt; neque enim ante Hierosolymorum expugnationem, aut Sacerdotium penitùs desiit apud Iudæos, aut Templum excisum est: Verùm ad illud usque tempus proferri non possunt Danielis hebdomadæ, ut suo loco dicetur. Ratio est 2. quia neque sacerdotes, neque reges, qui post solutam captivitatem Iudæis præfuerunt, Christi, sive uncti fuerunt. Quinque enim rebus (ait Huetius p. 450. col. 2.) Templum primum secundo antecelluisse, Iudæi docent, quarum duæ fuerunt oleum unctionis, & Spiritus sanctus, sine quibus nulla potest esse legitima unctio, nec quisquam Christi titulum meritò consequi. Igitur cum templum secundum utraque caruerit, qui post primi Templi excidium, regium & pontificale munus obtinuerunt, Christi, hoc est, uncti nunquam fuerunt: Ratio est 3. quia responsio quam confutamus, supponit Agrippam Iuniorem, in Hierosolymitano per Titum excidio, occisum fuisse: at id omninò falsum est, tum quòd Hierosolymis abfuerit, cum Urbs & Templum eversa sunt, tum etiam quòd, Iosepho teste lib. 2. de bello Iudaico, cap. 6. cladi Hierosolymitanæ per aliquot annos superstes fuerit. Ex his ergo patet, Christum, sive Unctum, de quo Daniel loquitur, nec esse Sacerdotium, nec Templum, nec Agrippam Iuniorem, sed unum Messiam Lege promissum.

AR-

ARTICULUS II.

Quid sint hebdomades Danielis 9.

CONCL. 1. Hebdomades, de quibus Daniel loquitur, non sunt hebdomades aut dierum, aut mensium, aut decenniorum, aut Jubilæorum, aut sæculorum; sed sunt hebdomades annorum.

Probatur. Primò, evidens est, hebdomadas, de quibus Propheta loquitur, non esse hebdomadas dierum aut mensium: scilicet nec mors Christi, nec destructio templi ac civitatis Hierosolymitanæ contigerunt intra nonaginta supra quadringentos dies aut menses, qui fluxerunt ab edicto, quo Persarum reges Judæis fecerunt facultatem, ut dirutum sub Nabuchodonosore Hierosolymitanum templum iterum ædificarent.

2. Non minùs est evidens, hebdomadas illas non esse hebdomadas Jubilæorum, hoc est, quinquaginta annorum, aut sæculorum, aut decenniorum. Nam civitatem & templum excisum iri post septuaginta hebdomades, sacrificia verò in medio postremæ hebdomadis abolitum iri, prædicit Daniel: Atqui multò ante hæc evenerunt, quam forent elapsæ hebdomades decem, vel quinquaginta, vel centum annorum, etiamsi a Cyro, qui primus rex Persarum regibus Judæis permisit, ut iterum Hierosolymis templum ædificaretur, numerandi ducatur exordium. Superest ergo, ut hebdomades, de quibus agitur, sint hebdomades annorum, hoc est sint spatium, quod quadringentia & nonaginta annis concluditur.

Confirmatur 1. ex eo quod ia loquendi modus nitatur Levitici, cap. 25. versu 8. ubi hæc habentur: *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta novem*: cum econtra nullibi in Scripturis legantur hebdomades decenniorum, aut Jubilæorum, aut sæculorum.

Confirmatur 2. ex eo, quòd ea, quæ a Propheta prædicuntur, ab edicto de reædificando Hierosolymorum templo: intra ultimam ex illis hebdomadibus revera contigerint, ut suo loco dicetur.

ARTICULUS III.

Unde sumi debeat hebdomadarum Danielis initium.

Not. 1. Qui in Perside, expugnata Babylone, & superatis Chaldæis, imperarunt, sunt Cyrus, anno Mundi 3468. Assuerus, seu Cambyses, qui Cyri major filius, patri successit anno Mundi 3475. Oropastes magnus, qui Esdræ 1. versu 6. Artaxerxes dicitur, quique mortuo Cambyse, fratrem regis Smerdim mentitus, per aliquot menses regnum obtinuit, idque anno Mundi 3482. Darius Histaspis filius, qui regnum auspicatus est anno Mundi 3483. Xerxes, qui ex Atossa filia Cyri progenitus, regnare cœpit anno Mundi 3519. Artaxerxes Longimanus Xerxi patri, quem Artabanus regiorum satellitum præfectus occiderat, successit anno Mundi 3531. Xerxes ejus filius anno Mundi 3579. ad unum dumtaxat annum Artaxerxi Longimano successit. Ochus Artaxerxis Longimani frater, qui mutato nomine Darius Nothus appellatus est, regnum auspicatus est anno Mundi 3581. Dario Notho successit anno Mundi 3600. filius ejus major natu Artaxerxes, qui a memoriæ felicitate *Mnemonis*, *seu Memoriosi* cognomen obtinuit, Persis per annos 43. imperavit. Post Artaxerxem Memoriosum, Ochus ejus filius anno Mundi 3644. rex inauguratus est.

Not. 2. Inter Persarum reges, qui Judæis faverunt, numerantur Cyrus, 1. Esdræ 1. Darius primi Esdræ, cap. 4. Artaxerses ejusdem libri capite 7. Idem Artaxerses lib. 2. Esdræ cap. 2. Dubitatur, quis fuerit Darius ille, cujus, primi Esdræ, cap. 4. fit mentio; nec enim Scriptura dicit Darium illum fuisse aut Histaspis filium, aut Darium Nothum. Incertum pariter est, an Artaxerses, cujus idem primus Esdræ liber meminit, c. 7. sit Artaxerses Longimanus, an vero sit Artaxerses Memoriosus. Scaliger voluit, Darium & Artaxersem, de quibus est quæstio, fuisse Darium Nothum, & Artaxersem Memoriosum: indeque censuit, septuaginta Danielis hebdomadas initium ducere. Alii econtra chronologi passim asserunt, Darium illum fuisse Hystaspidem, seu Hystaspis filium, non autem Darium Nothum; Artaxersem, de quo agitur, fuisse Longimanum, non autem Memoriosum. Ex authoribus, quibus places, Darium, cujus fit mentio 1. Esdræ 4. esse Hystaspidem, nonnulli docent hebdomadas Danielis, initium ab illius edicto sumere; alii verò docent ab edicto, quod Artaxerses Longimanus promulgavit, imperii non quidem anno septimo, sed vigesimo. Quid nos circa eas controversias sentiamus, subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Darius, quisub habetur 1. Esdræ 4.) Judæis permisit, ut Templum Ierosolymis extruerent, non est Darius Nothus, sed Darius Hystaspides.

Probatur. In sententia, quæ asserit Darium, de quo agitur, fuisse Darium Nothum, dicendum est aliquot Hebræorum duces ultra humanæ vitæ modum longævos fuisse. Nam 1. Zorobabel dux fuit Judæorum, qui a Cyro, anno Mundi 3468. Babylone dimissi sunt. Annus secundus Darii Nothi fuit Mundi anno 3582. necesse est igitur Zorobabelem, qui anno secundo Darii, Esdræ lib. 1. c. 3. templum instauravit, Judæorum principatum tenuisse per annos quatuordecim supra centum, & ampliùs; neque enim scimus, quando mortuus sit. Jam verò si addatur ætas quam habuit, cum sub Cyro soluta est captivitas Babylonica, quæ potuit esse aut viginti vel triginta annorum, consequens erit, Zorobabelem vixisse annis circiter centum quadraginta.

Idem manifestiùs apparet in Josue Josedecis filio. Is cum Zorobabele Babylone in Judæam reddit: tunc autem jam attigerat annum circiter quadragesimum, tum quia summus erat sacerdos, & forte jamdiu in ea dignitate, ad quam nemo, nisi ætate matura, provehebatur, pluribus annis ante Cyrum egerat; tum etiam quia Iosedec Iosue pater, quique cum Sedecia rege Babylonem translatus fuerat, diu ante solutam captivitatem è vivis excesserat: unde consequens est Iosue, quem certum est vixisse, cum sub Dario instauratum est Templum, annis circiter centum sexaginta in humanis egisse.

Vim habet illud argumentum in Esdra: Si enim sub Dario Notho Templum ædificatum est: ergo centum & quindecim annis post Cyri edictum in ruinis jacuit; tot enim ab anno 1. Cyri, qui est Mundi 3468. ad 2. Darii Nothi fluxerunt. Si autem tanto tempore Templum in ruinis jacuit, Esdram, qui inter seniores sub Cyro ascendentes nominatur, quique hujus Templi dedicationem & vidit & descripsit, usque ad hanc ætatem vitam produxisse, necesse est.

Id validiùs adhuc & manifestiùs potest in Nehemia urgeri. Ipse enim inter eos quoque annumeratus est, qui sub Cyro cum Zorobabele ascenderant: *Qui* (verba sunt 1. Esdræ 2.) *venerunt cum Zorobabele, Josue, Nehemia, &c.* Idem deinde novæ, sub Artaxerse coloniæ dux fuit, acceptis, anno regni ejus 20. diplomatibus. Nempe si Darius, sub quo absolutum est Templum, is est, qui Nothus dicitur, Artaxerses cujus anno 20. Nehemias Ierusalem secoluit, erit Artaxerses Memoriosus Darii Nothi filius, qui regnum auspicatus est anno Mundi 3600. & sic dicendum erit, Nehemiam vitam produxisse ad annum 3620.

Si

Si quis Nehemiæ caput decimum cum capite duo-
decimo conferat, reperiet homines plusquam viginti, ex
eorum numero, qui una cum Zorobabele ex captivitate
ascenderunt; nam fœderi, procurante Nehemia, im-
to subscripserunt: Atqui credibile non est, tot viros si-
mul, eodem sæculo & loco, tot annos, hoc est, plusquam
ducentos, vixisse: siquidem ab anno Cyri, quem Mundi
esse diximus 3468. ad hunc annum 3620. fluxerunt an-
ni 171. quibus addendi præterea sunt anni, quos jam
vixerant illi homines, cùm sub Zorobabele ascenderunt
& Principes familiarum meruerunt appellari.

Objicies 2. Ingens fuit spatium temporis inter edi-
ctum Cyri & edictum Darii: scilicet necesse fuit, ut
Darius Archiva consuleret, ut de concessa à Cyro Tem-
plum instaurandi facultate constaret; quod tamen mi-
nimè necessarium fuisset, si recenter concessa fuisset ea
facultas: *Tunc* (cum dubium esset ortum de Cyri edicto,
quo Judæi, templi ædificationem tuebantur) *Darius
rex præcepit* (inquit Scriptura 1. Esdræ, cap. 6.) *& re-
censuerunt in bibliotheca librorum, qui erant repositi in Ba-
bylone*; Atqui si Darius, de quo est quæstio, esset Darius
Hystaspides, non ingens, imò breve fuisset spatium,
quod inter Cyri & Darii edictum fluxit; non enim sunt
anni plusquam octodecim: ergo Darius ille non est
Darius Hystaspides, sed Darius Nothus.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Quod tamen
necessarium non fuisset, si de edicti substantia fuisset
quæstio, transeat ant. Dixi, transeat, eo quòd homines
passim soleant ad ipsa exemplaria recurrere, cum agitur
de privilegiis etiam recenter concessis, si circa ea lis in-
tentetur. Si quæstio fuerit non de edicti substantia, sed
de circumstantiis, neg. ant. Edictum a Cyro latum for-
te nondum exciderat ex Persarum memoria; sed facilè
excidere potuerant circumstantiæ, clausulæ, ac condi-
tiones, sub quibus concessum fuerat, nempè dubium
esse potuit, an Templum sumptibus ærarii publici ex-
trui jussisset Cyrus, an cum facultate instaurandi Tem-
plum, concessa fuisset facultas urbem ipsam reædifi-
candi; ac proinde mirum non est, quod Darius Hystas-
pides Archiva consuli voluerit.

CONCLUSIO 1. Artaxerses, cujus fit mentio,
tum primi Esdræ, c. 7. tum libri secundi, cap. 2. non est
Artaxerses Memoriosus, sed Artaxerses Longimanus.

Probatur. Artaxerses, de quo est quæstio, is est,
à cujus edicto secundo, septuaginta Danielis hebdoma-
dæ debent initium sumere; atqui (ut conclusione tertia
dicetur) Artaxerses, a cujus edicto secundo, septuaginta
Danielis hebdomadæ sumpserunt initium, non est Me-
moriosus, sed Longimanus: ergo, &c.

Objicies 1. Sanaballetus Samaritanus Nehemiam
Jerosolymorum mœnia reficientem prohibere conatus
est: *Factum est autem* (2. Esdræ 4.) *cum audisset Sana-
ballat, quòd ædificaremus murum, iratus est valde, & mo-
tus nimis subsannabat Judæos.* Sanaballetus verò Alexan-
dro Magno coævus fuit: Nam (Josepho teste, lib. 11.
Antiq. cap. ultimo) ad ipsum, cùm Tyrum oppugna-
ret, defecit. Unde sic arguitur: Nehemias, & Sana-
balletus eodem vixerunt tempore: ergo Artaxerses, cujus
fit mentio 2. Esdræ 2. non fuit Artaxerses Longimanus,
sed Memoriosus. Probatur conseq. Si Artaxerses ille
fuisset Longimanus, Nehemias ab Artaxerse Longi-
mano usque ad Alexandrum Magnum vitam produxis-
set; nempe vixit cum Sanaballeto, qui (ut mox observa-
tum est) fuit Alexandro Magno coætaneus: atqui Ne-
hemias vitam non produxit ab Artaxerse Longimano
usque ad Alexandrum Magnum: alioquin dicendum
esset, quod vixisset plusquam centum & viginti sex an-
nis: nempè Artaxerses Longimanus Persis triginta
duobus annis imperavit, Darius Nothus 19. Artaxer-
ses Memoriosus 43. Ochus 23. Arsen 3. Darius Codo-
mannus ultimus Persarum Imperator, quem & Ale-
xander Magnus superavit, sex annis.

Respondet Petavius, lib. 12. de Doctrina Tempo-
rum, cap. 25. par esse arbitrari, duos omninò Sana-
balletos extitisse; quorum unus Nehemiæ & Artaxer-
sis Longimani, alter Darii Codomanni, & Alexandri
ætate vixit. Unde ad argumentum respondendum est,
neg. maj. ad cujus probationem, negandum est, Sana-
balletum, qui ad Alexandrum defecit, esse eundem, qui
Nehemiam muros instaurantem prohibere conatus est.
Nec obstat auctoritas Josephi contrarium asserentis;
scilicet in eo capite fidem non meretur, cum (ut patet
ex lib. 11. antiquit. cap. 5. ubi de Sanaballeto loquitur)
in plures errores impegerit: nempè scribit, Esdram anno
septimo Xerxis in Judæam adventasse, Nehemiam Xer-
xis vigesimo quinto eòdem pervenisse; & opus ipsum
anno vigesimo octavo Xerxis omninò absolutum fuisse:
Quæ quidem omnia repugnant capiti septimo lib. 1.
Esdræ, nec non secundo capiti secundi libri. Præ-
terea Xerxi concedit annos 28. quem tamen constat ex
Herodoto non plures viginti regnasse.

CONCLUSIO 4. Septuaginta hebdomadæ, de
quibus fit mentio Danielis 9. non ducunt initium, aut
à primo Cyri anno, aut a secundo Darii Hystaspidis,
aut a septimo Artaxerxis Longimani.

Probatur. Ab eo tempore septuaginta Danielis
hebdomadæ non ducunt initium, quo Judæis facta non
fuit facultas instaurandi urbem Jerosolymitanam; nem-
pe S. Vates expressè asserit, ab edicto ejusmodi ducen-
dum esse illarum initium: *Scito ergo & animadverte* (ait
Gabriel Danielem alloquens) *ab exitu sermonis, ut ite-
rum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem heb-
domades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: &
rursum ædificabitur platea, & muri ejus in angustia tempo-
rum.* Atqui nec anno 1. Cyri regis, nec 2. Darii Hystas-
pidis, nec 7. Artaxerxis Longimani Judæis facta est fa-
cultas instaurandi urbem Jerosolymitanam: Scilicet edi-
cta, quæ a regibus illis emanarunt, de solius Templi, aut
instauratione, aut cultu loquuntur; altumque est in il-
lis de reædificanda urbe silentium.

Objicies. Tum anno 1. Cyri regis, tum 2. Darii
Hystaspidis, tum septimo Artaxerxis, Judæis facta fuit
facultas reædificandi non templum tantùm, sed etiam
Urbem: ergo ab iis temporibus hebdomadæ Danielis
ducunt initium. Probatur ant. Primò, Isaiæ cap. 44.
hoc de Cyro prænuntiatum est: *Qui dico Cyro: Pastor
meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico
Jerusalem, ædificaberis; & Templo, fundaberis*: Apud
eundem Prophetam capite 25. hæc etiam habentur: *Ego
suscitavi eum* (Cyrum) *ad justitiam, & omnes vias ejus di-
rigam, ipse ædificavit civitatem meam.* Hoc verò, seu &
Urbis, & Templi ædificationem fuisse tunc inchoatam
docent literæ, quas Judæorum hostes post Cyri mortem
ad Asuerum, vel Artaxersem Oropastem, dederunt,
Esdræ 1. capite 4. *Notum sit* (inquiunt) *Regi, qui ascen-
derunt à te ad nos, venerunt in Jerusalem civitatem rebel-
lem, & pessimam, quam ædificant, extruentes muros ejus,
& parietes componentes.*

2. Idem ostenditur de Dario. Aggæus, qui per il-
lud tempus vaticinabatur, Darii edictum interpretatur
de reædificanda Urbe: siquidem cap. 1. Populum in-
crepat, quòd vulgò jactaret, nondum venisse tempus
ædificandæ domus Domini; eumque sic arguit cap. 4.
*Numquid tempus vobis est, ut habitetis in domibus laquea-
tis, & domus ista deserta?*

3. Idem pariter evincitur ex edicto, quod in Ju-
dæorum gratiam Artaxerses Longimanus tulit anno
septimo, quodque legere est Esdræ 1. c. 7. ubi dicitur,
Artaxersem Esdræ dedisse *secundum omnem petitionem
ejus.* Ergo non a vigesimo Artaxerxis Longimani anno,
sed ab antiquiore tempore, Danieles hebdomadæ sep-
tuaginta ducunt initium.

Respon-

Respondet ad illud argumentum Petavius, quòd quamvis Cyrus, Darius & Artaxerses Longimanus anno septimo, Urbis ac Templi pariter excitandi potestatem fecerint; ab eo tamen tempore numerari non debeant Danielis hebdomadæ, quia Judæi sive propter defectum rei pecuniariæ, sive propter impedimenta, quæ ab eorum hostibus apponebantur, Regum edicta, quoad urbem iterum ædificandam, executioni mandare non potuerunt: ècontra verò anno vigesimo Artaxersis Longimani, suppeditatis ex ærario publico subsidiis, Judæi, Nehemia duce, Urbem iterum ædificarunt: Par autem fuit (addit laudatus author) Angelum ad hebdomadarum initium, illud tempus elegisse præ cæteris, cujus vi & auctoritate Urbs ipsa primùm extrui cœperit.

Respondet Huetius, negando tribus prioribus edictis, quæ in gratiam Judæorum a Persarum regibus exierunt, factam fuisse facultatem iterum ædificandi non Templum modò, sed & Urbem ipsam.

Huetio subscribimus, & quidem meritò: siquidem nec in edicto Cyri, neque in Darii rescripto, neque in illo priore Artaxersis, ulla apparet instaurandæ Urbis mentio, sed Templi tantùm: circumstantia tamen de reædificanda Urbe, cùm magni sit momenti, maximèque differat ab instauratione Templi, omitti non debuisset in edictis, si iis edictis facta fuisset facultas Urbem, sicut & Templum, iterum ædificandi. Unde neganda est minor argumenti propositio. Ad cujus primam probationem dist. hæc, quæ de Cyro prædicuntur Isajæ, cap. 45. *Ipse ædificavit civitatem meam*, excitatis ad habitandum domibus, conc. ant. extructis publicis ædificiis, mœnibus, ac munimentis, neg. ant. Priore modo reædificari Jerosolymam, prioribus edictis permiserunt Persarum reges; cùm enim Judæis facultatem fecerint extruendi Templum, consequens fuit, ut permiserint quoque extrui domos ad habitandum; nimirum arcendi fuerunt imbres, æstus, aliæque temporum injuriæ: at verò ante vigesimum Artaxersis annum non fecerunt facultatem extruendi mœnia, ædificia publica, propugnacula, quibus à vicinis populis extructas a se domos tuerentur.

Ad alteram ejusdem minoris propositionis probationem, disting. ant. Judæorum hostes ad Assuerum scripserunt, Judæos Urbis muros extruere, & in hoc Judæis imposuerunt, conc. ant. & Judæis non imposuerunt, neg. ant. Judæorum hostes, cùm viderent domos ad habitandum excitari, (quod quidem Judæis, ut se immunes præstarent ab aeris injuriis, necessariò faciendum erat) Urbis mœnia reædificari conquesti sunt, ut Judæos coram Rege in rebellionis suspicionem adducerent: unde rescriptum est ad Præfectos, ut curarent, ne Urbs reficeretur: quo quidem rescripto Præfecti abusi sunt ad impediendam ipsius etiam Templi instaurationem: *Tunc* (verba sunt 1. Esdræ, cap 4) *intermissum est opus domus Domini in Jerusalem*. In quæ quidem verba observare est, Scripturam non dicere, *Opus Urbis*, sed *Opus domus Domini*.

Ad tertiam probationem, neg. Prophetam Aggæum edictum Cyri interpretatum fuisse de reædificanda urbe. Nec enim valet hoc argumentum: Aggæus arguit Judæos, quòd neglecta ædificatione Templi totos se darent ædificandis domibus: ergo Judæi urbem extruebant: Siquidem (ut jam observatum est) aliud est extruere domos ad habitandum, aliud Urbem extruere. Aggæus illud, non autem istud, in Judæis arguit: reverà enim rei erant, quòd, neglecta templi reædificatione, toti essent in quærendis per domorum extructionem propriis suis commodis.

Ad quartam minoris propositionis, de qua agitur, probationem, resp. dist. ant. Primi Esdræ, cap. 7. Artaxerses dicitur Esdræ dedisse secundùm omnem petitionem ejus, ea, quæ spectabant ad Dei cultum ac legis observationem, conc. ant. ad instaurationem Urbis, neg. ant. Esdras in sua petitione nihil aliud sibi quam Dei cultum & observationem legis proposuerat: unde non alterius rei fit mentio in edicto, quod septimo Artaxersis anno obtinuit: *A facie enim Regis, & septem Consiliatorum ejus* (Edicti verba sunt 1. Esdræ 7) *missus es, ut visites Judæam & Jerusalem in lege Dei tui, quæ est in manu tua.*

CONCLUSIO 5. Initium hebdomadarum, quarum fit mentio Danielis 9. sumi non debet ab anno vigesimo Artaxersis Memoriosi.

Probatur. Si Danielis hebdomadæ sumerent initium ab anno vigesimo Artaxersis Memoriosi, Christus occisus fuisset ante expletam hebdomadam sexagesimam nonam: scilicet (ut patet ex calculo Petavii lib. 12. de Doctrina Temporum, cap. 32.) in suppositione, de qua agitur, sexagesima nona hebdomas protenderetur usque ad Jerosolymitanum sub Tito excidium: atqui falsum est, Christum occisum fuisse ante expletam hebdomadem sexagesimam nonam: nam, cùm Propheta versu 25. septuaginta hebdomades in septem & sexaginta duas partitus esset, statim versu 26. hæc habet: *Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus.*

CONCLUSIO 6. Septuaginta hebdomadæ, quarum fit mentio Danielis 9. ducunt initium ab anno vigesimo Artaxersis Longimani.

Probatur 1. Hebdomadæ, de quibus est quæstio, ducunt initium ab anno, quo Judæis facta fuit facultas iterum extruendi non Templum, sed Urbem Jerosolymitanam: atqui facultas hujusmodi facta est anno vigesimo Artaxersis Longimani: *Anno vigesimo Artaxersis* (verba sunt Nehemiæ, 2. Esdræ 2.) *dixi ad regem: Si videtur regi bonum, & si placet servus tuus ante faciem tuam, ut mittat me Judæam ad civitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam ...... Et placuit ante vultum regis, & misit me ...... Et dixi regi: Si ergo videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen ...... & epistolam ad Asaph custodem saltus regis, ut det mihi ligna ...... & dedit mihi rex juxta manum Dei mei bonam mecum*: ergo, &c.

Dices, equidem Artaxersis anno vigesimo exiisse edictum de Urbe reædificanda, sed Artaxersem, a quo exiit non esse Longimanum.

Verùm facilè ex dictis superiùs expugnari potest illa responsio. Inter reges Persarum, tres tantùm sunt Artaxerses, a quibus edictum de Urbe reædificanda exire potuerit; Oropastes nimirum, qui mortuo Cambyse, fratrem regis Smerdim ementitus, sub Artaxersis nomine (Justino & Herodoto testibus) per aliquot menses regnum obtinuit; Artaxerses Longimanus, qui Xersi patri suo successit, & tandem Artaxerses Memoriosus, qui post Darium Nothum imperavit: Atqui edictum, de quo agitur, nec ab Oropaste, nec à Memorioso, latum est: non ab Oropaste quidem, cum econtra prohibuerit, ne Judæi Urbis ædificationem molirentur: Is enim est Artaxerxes ille, de quo Scriptura loquitur, lib. 1. Esdræ, c. 4. vers. 7. *Et in diebus Artaxersis, scripsit Beselam Mithridates*, &c. Promulgata Oropastis prohibitione, Judæi a Templi ædificatione temperaverunt: *Itaque* (ait Scriptura 1. Esdræ cap. 4) *exemplum edicti Artaxersis lectum est. Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, & non fiebat usque ad annum secundum regni Darii* (Histaspidis) *regis Persarum.*

Probatur 2. Eo præcisè anno incœperunt hebdomadæ prænuntiatæ a Daniele, ex quo ad Christi mortem fluxerunt hebdomadæ sexaginta novem cum aliquot annis hebdomadæ septuagesimæ: atqui ab anno vigesimo Artaxersis Longimani ad Christi mortem fluxerunt hebdomadæ sexaginta novem cum aliquot annis hebdomadæ septuagesimæ; nempè, vigesimus Ar-

taxersis Longimani annus, est Mundi 3552. Ab hoc hebdomades septuaginta putatæ, sive anni 490. desinunt in annum Mundi 4051. qui saltem juxta Chronologicorum aliquorum calculum, est annus post passionem Domini quartus. Ita anno tertio hebdomadis septuagesimæ Christus occisus est. Ita enim existimandum est, non sic illud intervallum hebdomadarum septuaginta oportere sumi, ut totæ ac integræ ante mysterium, cujus gratia præfinitæ sunt, decurrerint; sed satis esse, ut in hebdomade postrema, eaque labente necdum finita, peractum fuerit. Unde non post hebdomades septem & sexaginta tres, id est, absolutis septuaginta, Christum occisum iri prædicit Angelus; quod tamen dicendum erat, si ad Christi necem septuaginta hebdomades completæ numerarentur; verùm post septem & sexaginta duas, quæ sunt sexaginta novem, nempè in septuagesima dicit eum occidi debere. Vide Huetium Demonstratione Evangelica, Propositione IX. Petavium lib. 12. de Doctrina Temporum, cap. 32. Biblia Parisis apud Vitré, excusa in notis marginalibus ad libros Esdræ. Vide etiam Chronologiæ sacræ, quæ ad eorumdem Bibliorum calcem legitur, cap. 31. & 32.

ARTICULUS. IV.

Utrum Prophetia Danielis 9. contra Judeos valeat.

CONCL. EX prophetia Danielis 9. demonstratur adversùs Judæos, venisse Messiam lege promissum.

Probatur. Ut ex Prophetia demonstretur, venisse Messiam lege promissum, satis est, ut demonstretur, elapsam esse hebdomadem, in cujus medio, ex prophetia, illius adventus futurus erat: atqui revera demonstratur, hebdomadem illam esse elapsam: siquidem elapsa est hebdomas illa, si quæ, ex prophetia, post illam erant futura, revera contigerint: atqui revera contigerunt. *Primò*, Propheta prænuntiarat, post ultimæ hebdomades exitum Urbem & Templum diruenda esse: sed revera a mille sexcentis annis & ampliùs, Urbs & Templum diruta sunt, a Vespasiano nimirùm & Tito Romanis Imperatoribus.

Secundò, Propheta prædixerat, sacrificia desitura esse in ultima hebdomada: atqui reipsa desierunt, in uno enim Jerosolymorum Templo, juxta legis Mosaicæ præscriptum, sacrificia offerri poterant: ergo, cum a sexdecim sæculis & ampliùs Jerosolymorum Templum dirutum fuerit, sacrificia apud Judæos omninò desierunt.

Tertiò, Peracta semel desolatio, asseritur a Propheta perseveratura usque ad consummationem, & finem: atqui revera perdurabit; scilicet nusquam aliud Templum Jerosolymis ædificabitur; id enim certò colligere licet ex eventu præterito, quo docemur, id olim a Judæis fieri non potuisse, quamvis tentatum sæpiùs fuerit. Ea Templi instauratione prohibiti sunt primùm ab Hadriano & a Constantino, cum se ad opus illud accinxissent. Deinde opus, imperante Apostata Juliano, incœptum, terræ motus excussit, ita ut nec antiquæ urbis lapis super lapidem remanserit; sicque completum est ad litteram istud Christi Vaticinium: *Non relinquetur lapis super lapidem.*

Objicies. Dubium est, quo tempore hebdomades, de quibus agitur, cœperint: nonnulli enim volunt eas initium sumere a Cyro, alii a Dario, aliqui ab Artaxerse Longimano, alii denique ab Artaxerse Memorioso: ergo ex Prophetia Danielis 9. non potest colligi, saltem certò, venisse Messiam lege promissum.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia quæstio de tempore, quo cœperunt hebdomadæ, de quibus agitur, impertinens est ad quæstionem, an Messias, de quo Propheta loquitur, reipsa venerit: certum est enim ultimam elapsam esse; ac proindè certum est etiam venisse Messiam, cum Messias a Propheta prænuntietur futurus in medio ultimæ hebdomadis. Verùm ea responsio manifestior fiet ex iis, quæ de Prophetiæ sensu subsequente articulo dicentur.

ARTICULUS V.

De sensu verborum, ex quibus constat Prophetia Danielis 9.

CONCL. TRadi potest literalis ac germanus sensus Prophetiæ, quæ legitur Danielis 9.

Probatur expositione singularum vocum, ex quibus Prophetia constat. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt*, hoc est ex infinito & incerto, hominum respectu, tempore, determinatæ sunt ad finitum & certum tempus. *Super populum tuum*, id est, ut ea, quæ in populi tui gratiam a Deo decreta sunt, perficiantur; nempe ut & Hierosolyma instauretur, & in fine hebdomadum Christus veniat, ac morte sua peccata diluat. *Ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum*; non quidem ita ut deinceps nullum peccatum fiat, sed ita ut per Christi meritum præparentur media, quibus homo peccatum vitare, & virtutem exercere valeat. *Et adducatur justitia sempiterna*, nempe aut Evangelium, quod priscæ ac legali justitiæ, quæ ad tempus concessa fuerat, in perpetuum successit; aut vera ac interna sanctitas, quam legalis olim adumbrarat; *Et impleatur visio & Prophetia*, hoc est, ut per illius adventum, quem Prophetæ prænuntiarunt, visionibus ac prophetiis finis imponatur. *Et ungatur Sanctus sanctorum*, Christus nimirum, qui tria illa, quæ commemorata sunt, per passionem suam est adimpleturus.

Ab exitu sermonis. Quæ Daniel de septuaginta hebdomadum intervallo generatim dixerat, deinceps distinctius exponit. *Ab exitu sermonis*, seu edicti, non cujuslibet, sed ejus, quo a regibus Persarum decernetur, *ut iterum ædificetur Jerusalem*, fluent hebdomades sexaginta novem, desinentque *ad Christum ducem*, non nascentem quidem, sed in apertum prodeuntem, hoc est, ad baptismum ipsius, qui anno primo septuagesimæ hebdomadis occurrit.

Illæ hebdomades sexaginta novem in Prophetia dividuntur, primò in septem, tum in sexaginta duas: *Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.* Annus primus hebdomadis primæ est, (ut superiùs dictum est) Artaxersis Longimani vigesimus: postremus verò, Darii Nothi 17. nimirùm ab anno vigesimo Artaxersis ad decimum septimum Darii Nothi, fluxerunt anni quadraginta novem; ex eo enim annorum numero quælibet hebdomas componitur. Verisimile est, (ut advertit Petavius) toto illo spatio Urbem penitùs absolutam fuisse, hoc est publica, privataque opera, & ædificia, domos, viarum strata, & id genus reliqua.

Et rursum ædificabitur platea & muri; Urbs nimirùm, quæ a Nabuchodonosor deleta fuerat, *in angustia temporum*, hoc est, intra septem hebdomadas priores; quæ quidem sunt angustum spatium, si cum sexaginta duabus aliis hebdomadis conferantur: aut secundùm alios, *in angustia temporum*, id est, temporibus aliis difficillimis, quorum fit mentio 2. Esdræ 3. *Et post hebdomades sexaginta duas*, expletas, ac proinde intra hebdomadem septuagesimam, *occidetur Christus*, Messias lege promissus: Revera enim Jesus Nazarenus, quem credimus esse Messiam illum, post expletas hebdomadas septem

ptem, & sexaginta duas, id est (ut jam observavimus) septuagesima, est occisus. *Et non erit ejus populus*, id est, nihil ad Christum pertinebit, sed alienus habebitur ab eo populus Judaicus, *qui eum negaturus est.*

Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Nihil hæc ad septuaginta hebdomadarum calculum pertinent; unde nonnulli post Scaligerum immeritò contendunt hebdomadas illas extendi debere usque ad excidium Hierosolymitanum. Dicendum est igitur, Prophetiam narrare calamitates, quibus Deus post Christi mortem, & multò post expletas hebdomadas, in Judæos per Vespasianum & Titum animadversurus erat. *Et post finem belli desolatio*, hoc est, desolatio ac vastitas urbis à Deo decreta nonnisi post belli finem implebitur.

Confirmabit autem pactum hebdomada una. Christus, absolutis hebdomadis novem & sexaginta, in septuagesima, ejusque dimidia parte, hoc est, triennio priore, novum fœdus confirmabit prædicatione, miraculis, morte, quam à Judæis patietur. *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*, non quòd reipsa sacrificia Judaica tunc cessaverint, sed quòd abrogata fuerint, seu vis eorum ac præceptum evanuerint, ubi Christus hanc in cruce vocem protulit, *Consummatum est*; quod quidem mysterium velo Templi conscisso adumbratum est.

Et erit in Templo abominatio desolationis. Illam desolationis abominationem permulti scriptores Romanum exercitum interpretantur: alii seditiosorum manus, qui obsidionis tempore in Urbe ac Templo grassabantur, uti erant Zelotæ: alii denique statuas & idola in Templi ipsius destructi loco constituta. Iis, qui Romanum exercitum interpretantur, Lucas favere videtur c. 21. ubi hæc habentur: *Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem.*

De seditiosis Judæis suadet, quod scribit Josephus lib. 5. cap. 32. Postquam enim Zelotarum immanitatem exposuit, sic loquitur: *Vetus erat hominum fama, tunc Urbem expugnatum iri, ac bellica vastatione sancta conflagratura, postquam incubuisset seditio, ac civium manibus ipsis Dei templum pollueretur.* Aut igitur Gentilium exercitus sanctam Urbem obsidens, aut seditiosi illi non Urbem modò, sed etiam Templum occupantes, aut ambo simul, abominatio desolationis à Daniele & à Christo appellantur.

Hieronymus in caput 24 Matthæi, Chrysostomus, Theophylactus ac Theodoretus in Danielem, *abominationem desolationis*, de qua agitur, de idolis ac simulacris interpretantur. Confirmant ex eo, quòd abominationis vocabulum ex usu Scripturæ idolis maximè conveniat: sic enim Machab. lib. 1. cap. 1. vers. 57. appellatur illa statua, quam Antiochus Jerosolymis in Templo collocavit. Ea exponendi ratio rejicitur à pluribus, eò quòd simulacra in Templo Jerosolymitano nusquam reipsa constituta fuerint; etsi id à Præsidibus, vel Procuratoribus tentatum sit, ut à Pilato, qui (authore Josepho lib. VIII. cap. IV.) Judæis renitentibus cessit tandem, nec non à Petronio, qui de eadem re Caji mandatum exequi cupiens, ab incepto postea destitit.

Aliorum est sententia, abominationem desolationis nihil aliud esse præter templi ruinas, Judaicarum omnium ceremoniarum interitum, ac ipsius loci sacri proculcationem, ac sempiternam vastitatem; quæ quidem omnia, saltem simul absque quodam horrore videri minimè possunt. His adjungi debet Adriani statuæ equestris collocatio, quæ Urbis ac Templi vastitatem est consecuta.

Et usque ad consummationem, & finem perseverabit desolatio, hoc est, ad finem usque sæculi perdurabit illa desolatio, ita ut nusquam Templum reædificandum sit, nusquam Deus antiquam Judaicæ reipublicæ formam restituturus sit.

CAPUT IV.

Utrum Messias, qui venit, sit Jesus Nazarenus.

Not. 1. CUM superioribus capitibus fusè probatum sit, venisse Messiam lege promissum, quærendum est modò, quis in individuo sit Messias ille, an Jesus Nazarenus, qui Pontio Pilato in Judæa Præside, actus est in crucem, an aliquis alius.

Not. 2. Ut ostendatur, Jesum Nazarenum esse Messiam lege promissum, necesse est ostendere, completas in eo fuisse prophetias, quæ de Messia habentur in antiquo testamento; ac vera esse miracula, quæ Jesus Nazarenus in suæ divinæ missionis testimonium patravit, necnon etiam, quæ in eundem finem ab Apostolis peracta sunt.

Not. 3. Prophetiæ, quæ de Messia in antiquo testamento continentur, duplicis sunt generis: nimirùm nonnullæ sunt prophetiæ verborum, seu verbis expressæ; aliæ verò rerum, seu non verbis, sed signis quibusdam exhibitæ. Prioris Prophetiarum generis est ista, *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat, qui mittendus est*; aut hæc alia, quæ legitur Oseæ, c. 3. *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe, sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod & sine Theraphim.* Posterioris verò prophetiarum generis exemplo esse potest illud Abiæ Silonitæ factum, qui pallium novum in duodecim partes scissum jussit Jeroboamum colligere, præsignificans, eum imperaturum ire decem tribubus, quæ post Salomonis mortem à Roboamo defecerunt. Hic igitur quærendum est, utrum utriusque illius generis prophetiæ in Jesu Nazareno completæ fuerint: mentem nostram subsequentibus conclusionibus aperiemus.

CONCLUSIO 1. Prophetiæ verborum completæ fuerunt in Jesu Nazareno.

Probatur ex comparatione Veteris Testamenti cum Novo. Primò, in Veteri Testamento Messias prædicitur oriturus ex Abrahamo, Isaaco, & Jacobo; sic enim Gen. 12. Deus Abrahamum alloquitur: *In te benedicentur universæ cognationes terræ.* Genesis 15. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Idem Isaaco Genesis 26. promittitur: *Apparuitque ei Dominus & ait: Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Genesis 28. idem promissum Deus Jacobo confirmat: *Benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ.* Prænuntiatur quoque nasciturus ex tribu Juda: *Non auferetur sceptrum de Juda* (Genesis 49.) *donec veniat, qui mittendus est.* Jesse promittitur Isaiæ 11. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini.* Variis in locis asseritur, quòd proditurus sit ex Davide: *Ecce dies veniunt* (Jeremiæ 23.) *dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit rex & sapiens erit.* Atqui Jesus Nazarenus ex Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Iudæ, Iesse, Davide revera progenitus est, ut patet ex Matthæi cap. 1. ubi Christi genealogia describitur; idque etiam testantur tabulæ censoriæ, quibus, imperante Augusto, Maria & Iosephus vir illius inscripti fuerunt, & ad quas Tertullianus labente sæculo secundo hæreticos Christi carnis veritatem negantes provocabat.

Quæres, an de Iesu Nazareno intelligatur hæc prophetia Numerorum 24. *Dixit Balaam filius Beor ... Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth.*

Resp. affirmativè: Nam 1. stella, Iesu Christi symbolum est; nempè frequenter in Scripturis dicitur Sol, Ignis, Lux. 2. Vox hæc *Virga*, pro qua in Hebraico textu legitur *Sceptrum*, significat regiam dignitatem,

quam Iesu Nazareno convenire docebitur inferiùs. 3. Hæc verba: *Percutiet duces Moab*, vera fuerunt in Iesu Nazareno: scilicet intelliguntur idololatræ omnes, qui Moabitis, utpote in scriptura propter Deorum cultum famosis, adumbrantur: illos idolatras, Christus percussit, cum eorum superstitiones ac inanem cultum ubique terrarum destruxit; juxta illud Zachariæ 9. *Et potestas ejus à mari usque ad mare.*

Confirmatur responsio ex eo, quòd ea Balaami verba Davidi (ut Rabbini commenti sunt) non possint convenire: Quomodo enim in Davide hæc possunt esse vera: *Vastabit omnes filios Seth?* Nunquid omnes homines, qui à Seth Noemi patre progeniti sunt, David armis suis subjecit? Sed (reponunt Rabbini) Balaami verba ad literam sumenda sunt, sic verò sumpta Jesu Nazareno convenire non possunt. At falsum est, ea sumi debere ad literam, idque non obscurè innuitur, cum Propheta vastatorem illum vocat stellam ex Jacob, seu eo modo Messias percutiet Moab, quo est stella: ergo quemadmodum metaphoricè tantùm est stella, ita etiam metaphoricè solùm percutiet Moab.

2. Prophetæ prædixerunt, Messiam nasciturum esse tempore, quo homines summa pace fruerentur: Isaiæ 11. *Et egredietur virga de radice Jesse ...... Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit.* Zachariæ 3. *Ecce enim ego adducam servum meum orientem ..... In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum.* Iidem prophetæ asseruerunt, virginem futuram esse Messiæ matrem; eum Betlehemi in lucem prodicurum esse: *Et tu* (apud Micheam cap. 5.) *Betlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda: ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israel & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Atqui ea omnia exitum habuerunt in Jesu Nazareno: Id enim constat ex Evangeliis, quæ quidem libros non suppositios, sed genuinos, non humanæ, sed divinæ authoritatis esse, hujusce operis in Prolegomena fusè demõstravimus.

3. Ex antiquis oraculis constat, Messiam futurum fuisse Sacerdotem, Psal. 109. futurum Prophetam, Deuteron. cap. 18. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies;* ipsum fore legislatorem, Jeremiæ 31. Miracula patraturum, Isaiæ 42. *Egò Dominus dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum: & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.* Atqui Jesus Nazarenus illis omnibus dotibus insignitus fuit, ut videre est apud Paulum ad Hebræos 6. apud Matthæum cap. 21. apud Lucam cap. 6. apud Ioannem cap. 20. *Multa quidem & alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.*

4. Sacri Codices prædixerunt, Messiam vectum asina, quam pullus comitaretur, palam exceptum iri Ierosolymis: *Exulta satis, filia Sion*, (apud Zachariam cap. 9.) *jubila, filia Jerusalem: ecce rex tuus veniet tibi justus & Salvator; ipse pauper, & ascendens super asinam & super pullum filium asinæ;* Principes Judæorum adversùs Messiam inituros iniquum concilium; *Adstiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus:* Eum à discipulo proditum iri. *Quoniam* (verba sunt Psal. 54.) *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò, homo unanimis, dux meus, & notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.* Iidem Codices sacri prædixerunt Messiam cædendum, & conspuendum ab inimicis; Isaiæ. 50. Manus illius proforendas esse, vestem in partes dividendam, Psalmo 21. Eum denique morti tradendum esse, Sap. 2. *Morte turpissima condemnemus eum.* Atqui Iesus Nazarenus opprobria illa sustinuit, mortem reverà passus est, ut manifestum est ex Evangeliis.

Nec audiendi sunt Iudæi contendentes, loca proximè adducta, aut de Isaia, aut de Davide intelligi debere. Nam 1. Isaias & David Messiam adumbrarunt; quæ ergo illis conveniunt, Messiæ pariter tribui possunt. 2. Nusquam Isaias, aut David, manuum ac pedum perforationem passi sunt. 3. Nec Isaias, nec David de se ipsis vaticinati sunt, quòd morti tradendi essent.

5. Antiqua vaticinia declarant, Messiam descensum ire ad inferos, indeque Patriarchas educturum, Psalmo 67. *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Prænuntiant, eum post mortem rediturum ire ad vitam, Psal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Ascensurum ad cœlos, Ps. 23. Sed ea omnia in Jesu Nazareno completa sunt: ergo, &c.

6. Denique Prophetæ testati sunt, Messiam erecturum esse Ecclesiam, ad quam omnes gentes confluerent; Isaiæ 2. *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes:* Messiæ discipulos passuros esse martyria Psal. 43. Gentes amplexuras esse illius legem, *Et ipse* (ait Scriptura Genesis 49.) *erit expectatio gentium;* Atqui historia docemur, ea omnia exitum habuisse in Jesu Nazareno: ergo omnes Prophetiæ verborum in eo completæ fuerunt; ac proinde Jesus Nazarenus est ille ipse Messias, quem adversùs Judæos jam venisse demostravimus.

CONCLUSIO 2. Prophetiæ, quæ in signis consistunt, completæ fuerunt in Jesu Nazareno.

Probatur. Signa, quibus Deus Pater in antiqua lege Messiam futurum adumbravit, petuntur 1. ex rebus quibusdam sensibilibus, sub quibus Messias latuit, cujusmodi fuit serpens æneus, quem Deus erigi voluit in deserto: Ejus etiam generis fuerunt nubes ignea, quæ Hebræis in solitudine præluxit; Manna quod Israelitis è cœlo pluit; Petra, ex qua ad Moysis contactum aquæ largissimæ fluxerunt. Ea signa petuntur 2. ex certis personis, quarum opera, imò & tota fermè vita, fuerunt figura futuri Messiæ. Atqui utriusque illius speciei signa completa fuerunt in Jesu Nazareno. Et quidem 1. signa quæ petuntur à rebus, sub quibus Messias latuit, Paulus 1. ad Corinth. 10. fusè explicat, ostenditque, qua ratione exitum habuerint in Christo. 2. Adamus, Abrahamus, Isaacus, Jacob, Moyses, David, non paucique alii, quorum vetus testamentum meminit, suis factis Iesum Nazarenum ad vivum adumbrarunt: nimirùm inter antiquos illos, & Christum Dominum æquissimæ possunt institui comparationes, quas apud Patres, Augustinum præsertim in suis adversùs Manichæos operibus, nec non in libris de civitate Dei, fusè pertractatas legere est.

Quæres 1. unde fiat, quod Iudæi negent, Iesum Nazarenum esse Messiam lege promissum, cum ipsi conveniant notæ singulares, quibus Deus in antiquo testamento Messiam futurum designavit.

Resp. erroris causam in Iudæis esse judicium, quod ferunt de caracteribus, ad quos Messiæ veritas exigi debet. Nempe multa, quæ in mysticum sensum trahenda sunt, ad literam præposterè sumunt. Velut cum Messiam forma externa præcellere putant, quòd Psal. 44. scriptum sit: *Speciosus forma præ filiis hominum;* sicut etiam eum cum terreno regno potiturum censent, quòd de eo Psal. 2. scriptum sit: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Bellatorem illum, gentiumque domitorem futurum sperant, quòd Psal. 44. de eo prædictum sit: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent.* Rebus tandem ab eo compositis, summa inter se pace non homines solùm, sed etiam bruta animalia fruitura collegerunt ex cap. 11. Isaiæ: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: puer parvulus*

vulus minabit eos, seu quasi bos comedet paleas. Asserunt, illum regibus fore terrori, ubi primum in lucem prodierit, eò quòd sic de eo prophetarit Isaias cap. 52. *Super ipsum continebunt reges os suum.* Contendunt, eum solius loquelæ vi homines interfecturum, quòd hæc de eo Isaiæ 11. scripta sint: *Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.*

Altera erroris causa in Judæis est, quòd quemadmodum ad literam exponunt, quæ mysticè sumi deberent, ita è contra mysticè interpretentur, quæ ad verbum accipienda sunt; cujusmodi est illud Psal. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea, & super vestem meam miserunt sortem;* nec non & illud aliud Psal. 68. *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto;* & illud Zachariæ 9. *Ipse pauper & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ:* & deinde, capite nimirùm 11. *Projice illud ad statuarium decorum pretium, quo appretiatus sum: & tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad statuarium.*

Quæres 2. quid Judæi respondeant ad argumentum, quod pro divina Jesu Nazareni missione petitur ex miraculis?

Resp. Judæos 1. negare veritatem miraculorum, quæ Christo a Christianis tribuuntur; 2. contendunt, extraordinaria quædam illius opera, non virtuti divinæ, sed magicis incantationibus adscribi debere; 3. iis miraculis opponunt quædam signa a magis, & idololatris quondam perpetrata. Sed quantùm aberrent, facilè demonstrare possumus.

Et quidem 1. veritas miraculorum, quæ Christo tribuuntur, iisdem argumentis asseritur, quibus veritas miraculorum, quæ in Pentateucho a Moyse patrata narrantur: nempe ideò ista sunt vera, seu vere facta creduntur, quòd coram innumeris testibus occulatis facta legantur, quòd eorum testium occulatorum filii ea posteris suis tradiderint, quòd nemine contradicente, ab omni Judæorum populo pro veris non interrupta serie habita sint: Atqui idem dici potest de miraculis, quæ Christo tribuuntur; nempe duodecim Apostoli, eorum testes oculati, ea narraverunt nobis, mortem pro illorum veritate oppetierunt, nullum ex ea narratione præmium, quam cruces & tormenta sperarunt & (quod majus est) ipsimet miracula patrarunt in confirmationem testimonii, quod Christo reddiderant.

2. Impossibile est, ut miracula quæ Christo tribuuntur, non aliud fuerint, quam illusio magicis artibus in sensibus effecta, quasi verò cæcus natus cui Christus visum restituit, Lazarus quem suscitavit a mortuis, apparenter tantùm, non autem verè, aut visum aut vitam receperint. Vide de hoc argumento, quæ hujusce operis in Prolegomena diximus, de divinitate librorum Novi Testamenti. Præterea nulli rei Christus magis infensus fuit, quam diabolo & arti magicæ. Sæpiùs nimirùm ejecit invitos dæmones ex obsessorum corporibus; Christi invocato nomine, idem postea fecerunt Apostoli. Refert Lucas in actis, cap. 19. Pauli discipulos, *qui fuerant curiosa sectati, contulisse libros, combussisse coram omnibus.* Curiosa hæc fuerunt artes magicæ, quarum studio infames fuisse Ephesios, antiqui Scriptores produnt.

3. Quæ ethnicis quibusdam miracula tribuuntur, fictitia sunt omninò. Unde quæ adscribuntur Imperatori Vespasiano de restituto per insputationem cœco cuidam visu, de homine curato, calcata ab Imperatore illius manu, commentitia sunt. Tacitus qui hist. lib. 4. cap. 82. illa facta commemorat, multa scribit, ex quibus facilè conjici potest, simulata fuisse ejusmodi miracula. Nam 1. uterque ægrotus ab Ægyptiis, inter quos tunc versabatur Vespasianus, oblatus est Imperatori: at Ægyptios subornasse viros, qui se ægros fingerent, colligitur ex eo, quod cum Ægyptii audiissent, Vespasiano a Josepho accommodata fuisse quædam oracula sacra quæ in unum Judæorum Messiam conveniebant, ne in arte adulatoria Josepho cederent, Deum facere conati sunt, affingendo ipsi quædam divinitatis opera. 2. Tacitus ibidem asserit, Vespasianum ad primam simulatorum illorum ægrotorum postulationem, confessum fuisse, se non habere vim restituendi eis sanitatem: *Vespasianus* (inquit) *primò irridere, aspernari,* &c. 3. Idem author scribit, Vespasianum vocibus adulantium Ægyptiorum in spem inductum fuisse, se posse hominibus illis restituere sanitatem: *Vocibus* (inquit) *adulantium in spem induci.* Hinc igitur mirabile non est, quod addit idem Tacitus: *Utrumque, qui interfuerunt, nunc quoque memorant, postquam nullo mendacio pretium.*

De Apollonio quoque Tyanæo multa, quæ maxima miracula videntur, referuntur in libris, quos Philostratus de Apollonii vita scripsit. Nempè scriptor ille non eum duntaxat in cœlum elatum esse prædicat, sed tot ac tanta de eo jactat miracula, ut Hierocles in Ægypto præfectus, & Christianæ religionis infensissimus hostis inde occasionem hauserit instituendæ comparationis Apollonium inter & Jesum Dominum. Verùm Philostrati liber nullam omninò fidem meretur. Nam 1. Apollonius imperante Domitiano vixit; Philostratus verò imperante Severo; ac proindè centum post Apollonium annis, ex alieno tantum testimonio, res ab eo gestas literis mandavit. 2. Ex ipso etiam Philostrato, prodigia quæ ab Apollonio facta narrantur, paucis, & nonnunquam etiam nullis præsentibus, patrata sunt. 3. Idem Philostratus profitetur, se a tribus tantùm, Damide nimirum, Maximo Ægiensi, & Mœragene, didicisse quæ de Apollonio in suum de Apollonii vita librum retulit: at ii testes nulla fide digni sunt.

Nam quod ad primum spectat, nihil est quo probetur, illum non esse vaniloquum ac deceptorem. Præterea Damis suos ipse commentarios non edidit in lucem, sed per quemdam suum familiarem, qui ut amico adtentaretur, potuit ipsis plurima inserere, quæ a veritate aliena essent. Addendum est, Philostratum Juliæ Severi uxoris jussu, Damidis libros recognovisse & in ordinem digessisse: num igitur ipse Philostratus fabulas immiscere potuit, ut de Julia, quæ philosophis delectabatur, bene mereretur?

Perpauca verò erant, quæ Maximus de Apollonio scripsit: non enim de aliis scripsit, quàm de iis, quæ egit Apollonius cum Ægis versaretur. Mœrageni, fidem ipse Philostratus hist. lib 1. c. 3. detrahit, scribens eum multarum rerum, quæ ad Apollonium spectant, ignarum fuisse.

Præterea Philostratus videtur suos de Apollonio libros edidisse, ut invalescentem jam religionem Christianam deprimeret; unde omnia ferè, quæ Scriptura Christo tribuit, Apollonio adscripsit; ita ut ex sacris literis, mutato nomine, suos de Apollonii vita libros edidisse videatur. Quæ aliunde quæsita sunt, aniles sunt fabulæ, ut videre est apud doctissimum Huetium in sua Demonstratione Evangelica pag. 663.

Tandem ipse Philostratus lib. 1. cap. 1. expressè asserit, Apollonium ubique ferè pro vaferrimo mago audiisse, atque ob id in carcerem ab Imperatore Domitiano conjectum fuisse: nec absque fundamento fuit ejusmodi suspicio; siquidem (Philostrato teste hist. lib. 1. cap. 1.) Apollonius Babylonios magos, Brachmanos, Gymnosophistas, aliosque ejusmodi homines, magistros audierat.

CA-

CAPUT III.

Utrum Incarnatio Verbi peracta sit debito tempore.

Not. HOc in capite aggrediemur 1. Gentiles, qui quondam Christianis exprobabant, quod Christus veritatis dux ac Magister prioribus sæculis se subduxisset: 2. Judæos impugnabimus, qui contendunt Messiam tunc non debuisse venire, cum Jesus Nazarenus in lucem prodiit.

CONCLUSIO 1. Incarnatio fieri non debuit prioribus mundi sæculis.

Probatur 1. Conveniens fuit, ut homines per præcedentia oracula disponerentur ad fidem mysterii, quod est creditu difficillimum; ac per multa sæcula præpararentur ad Messiam ea, qua par est, reverentia excipiendum. Ex Augustino desumpta est illa ratio; sic enim tract. 31. in Ioannem loquitur: *Multi dicunt, Quare non ante venit Christus? quibus respondendum est, quia nondum venerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta sunt tempora. Sciebat enim, quando venire deberet. Primò per multam seriem temporum, & annorum prædicendus fuit: non enim aliquid parvum venturum fuit. Diu fuerat prædicendus, semper tenendus. Quantò major judex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat.*

Probatur 2. Expedit, ut homo lapsus, per multa sæcula experiretur, & imbecilles naturæ suæ vires ad operandum bonum, & legis insufficientiam ad consequendam justificationem; ut nimirum & istius insufficientia, & illius imbecillitate, ad Messiam confugeret, ac in ejus meritis, & auxilio totam spem collocaret suam. Eam rationem, quæ desumpta est ex Epistola ad Romanos, multis prosequitur Augustinus, contra Pelagianos agens.

Objicies cum Ethnicis sic apud Augustinum loquentibus Epist. 49 ad Presbyterum Deo gratias, quæst. 2. *Si Christus se salutis viam dicit, gratiam & veritatem, in seque solo ponit animis sibi credentibus reditum, quid egerunt tot sæculorum homines ante Christum? Quare Salvator, qui dictus est, sese tot sæculis subduxit?* Ergo conveniens fuit, ut Deus humanam carnem indueret statim post Adami peccatum, ut tot hominum millibus, qui ante illius adventum vixere, consuleret.

Resp. homines, qui ante Christum vixerunt, si in eum aliquando futurum crediderint, per eam in redemptorem fidem, salutem consecutos fuisse, scilicet hæc fuit virtus Christi, ut etiam antequam actu nasceretur, operaretur in eos, qui per fidem ad mysticum illius corpus pertinebant: *Itaque* (ait Augustinus Epist. 49.) *ab exordio generis humani, quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & secundùm ejus præcepta piè & justè vixerunt, quandolibet & ubilibet fuerint, per eum procul dubio salvi facti sunt. Sicut enim nos in eum credimus & apud Patrem manentem, & qui in carne jam venerit: sic credebant in eum antiqui, & apud Patrem manentem, & in carne venturum.*

CONCLUSIO 2. Incarnatio ad finem usque sæculorum differri non debuit.

Probatur 1. Si Incarnatio ad finem usque mundi fuisset dilata, periculum fuisset, ne desiisset esse in votis hominum: siquidem cum homines vident sua desideria, etiam post multa tempora, non expleri, solent in desperationem abire, seu desinunt rem desiderare, quam se consecuturos esse priùs speraverant; at summum malum esset non expectare Messiam, cum non sit aliud nomen, in quo nos oporteat salvos fieri, seu, cùm fides in eum, cuique adulto semper necessaria fuerit necessitate medii. 2. Per adventum Messiæ Lex Antiqua abrogari debuit, & sanciri Nova: hæc, si Incarnatio tamdiu dilata fuisset, paucis (ut patet) profuisset hominibus, non multi ex Christi mysteriis, ex Evangelii prædicatione uberes illos fructus percepissent, quos Deus homini per suum Filium incarnatum, & peracta illius mysteria, contulit.

Objicies. Genesis 49. Jacob prædicturus adventum Messiæ, sic filios suos alloquitur: *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt novissimis diebus:* Isaias, capite 2. hæc de Christi Ecclesia vaticinatur: *Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes;* atqui novissimis illis diebus designatur extrema mundi periodus: ergo juxta Prophetarum oracula Incarnatio ad finem usque sæculorum differri debuit.

Resp. neg. min. Ratio est, quia per novissimos dies, de quibus Jacob & Isaias loquuntur, intelligitur mundi ætas, in qua versamur, & quæ respectu aliarum quinque præcedentium, novissima dicitur. Scilicet prior mundi ætas ab Adamo ad diluvium fluxit; altera a diluvio ad Abrahamum; tertia ab Abrahamo ad Davidem; quarta a Davide usque ad captivitatem Babylonicam; quinta a captivitate Babylonica usque ad Christum; sexta denique, quæ novissima est, quamque Prophetæ pronuntiarunt, ad finem usque sæculorum perdurabit.

CONCLUSIO 3. Incarnationis mysterium convenienti tempore peractum est.

Probatur 1. Illud tempus fuit conveniens, quo expletæ erant prophetiæ de futuro Messia; atqui, cum Incarnatio peracta fuit, expletæ erant: Nimirum sexagesima nona hebdomada post quam Messias (ex Danielis 2. capite) nasciturus erat, expleta erat omninò, cùm Christus in lucem prodiit. Iam ab aliquot annis ablatum fuerat sceptrum à tribu Iuda, aut saltem imminebat tempus, circa quod tribus Iuda spolianda erat jure ad sceptrum, quod divinitùs acceperat. Romanum Imperium quod (ut patet ex Danielis capite 2.) domare ac conterere debebat imperia Caldæorum, Persarum, Græcorum, & cui Messiæ regnum immediatè succedere debebat, aut saltem intra quod Christus, ex eodem Propheta, nasciturus erat, jam a multis annis eminebat in orbe, cùm Verbum humanam carnem induit: Ergo convenienti tempore peractum est Incarnationis mysterium.

QUÆSTIO IV.

Utrum Angeli Incarnationis existentiam cognoverint.

Not. CErtum est, existentiam Incarnationis, hoc est, peractum Incarnationis mysterium, Sanctis Angelis ante Christi mortem innotuisse. Nam 1. Gabriel Archangelus illud Mariæ nuntiavit: *Ecce concipies & paries Filium:* 2. Pastores illud ab Angelis docti sunt eadem nocte, qua Christus in lucem Bethlemi prodiit: 3. Evangelia fidem faciunt, Angelos Sanctos Christo, dum viveret, sæpius ministrasse. Igitur difficultas de solis Angelis desertoribus intelligi debet; seu, quæstio est solùm, utrum Angeli desertores cognoverint ante Christi mortem, peractum esse mysterium Incarnationis, seu utrum cognoverint, Iesum Nazarenum esse Christum, Messiam lege promissum.

CONCLUSIO. Angeli desertores certò non cognoverunt Iesum Nazarenum, dum viveret, esse Messiam lege promissum.

Probatur 1. Illi certò non cognoverunt Jesum Nazarenum esse Messiam lege promissum, qui nescierunt eum de virgine natum fuisse, scilicet ex Prophetarum oraculis Messias ex Virgine absque semine virili in lucem proditurus erat: atqui Angeli desertores nescierunt Jesum Nazarenum de virgine natum fuisse: ideò enim

Chri-

Christus ex desponsata nasci voluit, ut (teste Ignatio Martyre,) partus illius diabolo celaretur, hoc est, ut dum putaret de corrupta natum, Messiam non suspicaretur. 2. Diabolus (ut sæpiùs affertur ab Augustino) Author fuit Judæis, ut Jesum Nazarenum in crucem agerent: Atqui nequaquam ad illud facinus Judæos impulisset, si illi fuisset persuasum, Iesum Nazarenum fuisse Messiam lege promissum: noverat enim ex Prophetis, se per Messiæ mortem spoliandum esse imperio, quo a primi parentis peccato in homines sæviebat. 3. Angeli desertores noverant ex Scripturis, Messiam esse futurum Deum & hominem simul: ergo si scivissent, hujusmodi fuisse Iesum Nazarenum, ab eo non expetiissent (ut expetierunt tamen) latriæ cultum 4. Una vox est Patrum, dæmonem cum videbat Iesum Nazarenum esurire, sitire, pati, communibusque humanæ vitæ miseriis obnoxium esse, subdubitasse, an Messias esset: nempe non sinebat Deus, ut illos defectus cum Iesu Nazareni divinitate conciliarent.

Objicies. Ex Evangelio constat, Iesum Nazarenum a diabolis sæpiùs vocatum fuisse Dei Filium *Quid nobis & tibi, Iesu Nazarene?* (inquiunt apud Lucam, c. 4.) *venisti perdere nos? Scio te quis sis, Sanctus Dei.* Constat. 2. diabolos nonnunquam a Christo prohibitos fuisse, ne illum palam confiterentur: *Et Spiritus immundi cum illum videbant* (inquit Marcus cap. 3.) *procidebant ei, & clamabant dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent illum.* Constat 3. Evangelium expresse asserere, dæmones Iesum Nazarenum pro ipsomet Christo agnovisse: *Exibant autem* (inquit Lucas Evangel. cap. 4.) *dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Ergo dæmones ante mortem Domini cognoverunt, Iesum Nazarenum esse Christum, seu Messiam lege promissum.

Resp. conc. ant. scu, dæmones Iesum Nazarenum, dum viveret, appellasse Dei Filium, Sanctum Dei: scivisse ipsum esse Messiam, dist. conseq. Ergo dæmones cognoverunt cognitione dubia Iesum Nazarenum esse Messiam, conc. conseq. cognoverunt cognitione certa, neg. conseq. *Dæmones* (ait Hieronymus in allatos ex Evangelio textus) *suspicari magis Filium Dei quàm nosse, intelligendi sunt.* Adducebantur autem in eam suspicionem tum quòd cernerent advenisse tempus, quo Prophetæ Messiam venturum esse prædixerant; tum quod missionem, quam sibi a Patre commissam Christus prædicabat, multis miraculis confirmatam viderent; tum quod Christi miracula sine suo ministerio, imo & iis invitis, patrari experirentur.

Objicies 2. Patres non raro contra Arianos urgent Diaboli testimonium, ut Verbi divinitatem asserant: *Anne hujus nominis proprietatem dæmones nescierunt?* (verba sunt Hilarii lib. 6. de Trinit.) *Dignum est enim hæreticos non jam Apostolicis doctrinis, sed dæmonum clamore convinci. Blamant enim, & sæpe clamant: Quid mihi & tibi est, Iesu Fili Dei altissimi? Invitis veritas eloquit confessionem, & naturæ potestatem testatur dolor obediendi:* ergo Patribus persuasum fuit, diabolum cognovisse Iesum Nazarenum esse Messiam lege promissum: alioquin enim non valeret illorum adversus Arianos argumentum.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Patribus persuasum fuit, diabolum cognovisse cognitione dubia, Iesum Nazarenum esse Messiam, conc. conseq. cognitione certa, neg. conseq. Ualet contra Arianos Hilarii argumentum, quamvis in diabolo conjecturalis tantùm & dubia supponatur Iesu Nazareni notitia. Scilicet Ariani, in ea etiam suppositione, erant iniquiores diabolo; iste enim divinitatem in Iesu Nazareno ex miraculis, aliisque circumstantiis suspicatus est; illi èccontra nulla ratione judicarunt, illi divinitatem inesse. Confirmatur responsio ex Cassiano, qui eadem, qua Hilarius, ratione usus, Diaboli de Iesu Nazareno cognitionem vocat meram suspicionem: *Ille* (inquit lib. 3. de Incarnat. cap. 13.) *cum Filium Dei esse suspicatus est, etiam cùm mortem pertulit: tu negas eum, cùm resurrexit? ille enim Deum suspicatus est, cui se occuluit: tu negas, cui probavit?*

DISSERTATIO TERTIA.

De necessitate Incarnationis.

Not. NEcessitas vel strictè vel latè sumitur: strictè quidem, cùm res ita existit, ut non possit non existere; latè vero, cum decet & convenit rem esse, ita tamen ut, absolute loquendo, possit non esse. De Incarnatione ad duplicem illam necessitatem comparata, in hac dissertatione disputabimus.

QUÆSTIO PRIMA.

Utrum Incarnatio necessaria fuerit necessitate strictè sumpta.

Not. NEcessitas strictè sumpta dividitur à Logicis in absolutam, & hypotheticam. Prior est independens a quacumque suppositione; posterior èccontra ab aliqua suppositione dependet. Hic igitur quærendum est 1. utrum Incarnatio simpliciter & absolutè necessaria fuerit: 2. Utrum necessaria fuerit ex suppositione peccati per satisfactionem eluendi.

CONCLUSIO 1. Incarnatio non fuit simpliciter & absolute necessaria.

Probatur. Illud non fuit simpliciter & absolutè necessarium, quod Deus potuit non facere, atqui Deus potuit non incarnari: siquidem ille potuit non incarnari, cujus beatitudo, & cujus gloria intrinseca, sunt omninò independentes ab operibus ad extra, cujusmodi est Incarnatio, cum per Incarnationem Verbum quasi extra se exierit, agendo scilicet in humanam naturam, quam terminat ac substantialiter perficit; atqui Dei beatitudo ac gloria sunt omninò independentes ab operibus ad extra: Deus enim, cum sit infinitè perfectus, satis est sibi ipsi, nec ulla re extra se ipsum posita illi opus est, ut summa beatitudine fruatur; alioquin a rebus extra positis penderet, quod dictu impium est.

Objicies 1. Deus necessariò vult sibi perfectissimum bonum; nempe se ipsum amat perfectissimè: at effectus amoris est personæ amatæ velle bonum, amoris perfectioni proportionatum: atqui incarnatio est bonum perfectissimum; quippe quòd nihil fingi aut excogitari possit, quod magis ad Dei gloriam conferat: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Deus necessariò vult sibi perfectissimum bonum intrinsecum, con maj. extrinsecum, neg. maj. Ratio est, quia Deus est in sua beatitudine ac perfectione omninò independens a rebus extra se ipsum positis; ac proinde, licet incarnatio maximè conferat ad extrinsecam Dei gloriam, cum per eam attributa divina perfectè manifestentur; Deus tamen illius respectu maximè fuit indifferens, hoc est, pro libito potuit aut eam ponere, aut ab ea temperare.

Objicies 2. Patres docuerunt Deum, etiam in operibus ad extra, velle semper, quæ meliora sunt ac perfectiora. Nam 1. sic loquitur Augustinus lib. 1. contra adversarium Legis & Prophetarum, cap. 14 *Usque adeo desipiendum non est, ut homo videat aliquid melius fieri debuisse, & Deum credat facere noluisse.* Hæc etiam habent Patres Concilii Francofordiensis: *Credamus Deum omnia velle, quæ meliora sunt:* ergo, cum Incarnatio sit

inter

inter Dei opera, quæ sunt ad extra, perfectissimum opus Deus eam necessariò voluit.

Resp. neg. ant. Ad cujus priorem probationem dist. ant. Ex Augustino, Deus vult semper id, quod melius est, & per has voces, *Quod melius est* intelligitur opus, quod malitia & imprudentia vacuum sit, con. ant. & non intelligitur, neg. ant. Augustinus in loco, de quo agitur, agit contra Manichæos, qui præter Deum bonũ seu cujuslibet boni Authorem, fingebant alium Deum, qui Author esset malorum: ut autem Manichæos eo in capite confutaret, necesse non fuit, ut ostenderet Deum velle semper, quod etiam extrinsecè, melius est; sed satis fuit, ut assereret nullum opus à Deo prodire, quod non sit bonum, hoc est, malitia & imprudentia omninò vacuum, licèt peccatum, quod quidem est summum malum, permittat. Ad alteram probationem dicendum est, Patres Francofordienses asserere Deum velle semper, quæ meliora sunt, comparativè, conc. absolutè, neg. Hoc est Patres illi volunt, Deum semper eligere media, quæ magis conveniunt ad finem, quem sibi proposuit, consequendum. Hinc autem factum est, ut posito decreto de homine reparando per condignam satisfactionem, id elegerit, quod fuit melius, hoc est aptius ad eam satisfactionem persolvendam.

CONCLUSIO 2. Incarnatio, etiam supposito peccato, non fuit ex parte Dei absolute necessaria.

Probatur. Primò Scriptura, etiam supposito hominis peccato, non necessitati, sed divinæ in hominem charitati, Incarnationem adscribit: *Sic* (inquit Ioannis 3.) *Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* 2. Patres sæpius asserunt, penes Deum fuisse perditos homines relinquere in miseriis, in quas se præcipites egerunt, ut reliquit Apostatas Angelos. Nec mirum: Dei enim beatitudo est (ut jam observatum fuit) à creaturarum redemptione prorsùs independens.

Objicies. Si, supposito peccato, Deus non incarnaretur, vel totum genus humanum æternæ damnationi addictum remaneret; vel si salvaretur, scelus impunitum dimitteretur: Atqui neutrum dici potest. Non primum; alioquin enim ars diaboli, qui hominem ad interitum rapuit, prævaleret arti Dei ipsius, qui hominem creavit, ut beatitudine frueretur. Non etiam secundum, cùm dimissio peccati nulla pœna castigati, quandam dicat deordinationem: ergo, supposito peccato, necesse fuit Deum incarnari.

Resp. neg. min. Ratio est 1. quia in perpetua diaboli ex hominibus victoria, Dei in homines justitia eluceret quam maximè. 2. In dimissione peccati, quod nulla pœna castigatum fuisset, misericordia, quæ nullam pœnam exposcit a reo, plurimùm commendaretur. Unde in neutro casu aliquid inordinatum in Deo reperiretur: quod enim misericordiam deprimere videretur, commendaret justitiam; quod autem justitiæ labem aliquam inferre, misericordiam illustriorem faceret.

CONCLUSIO 3. Incarnatio non fuit necessaria, etiam supposito decreto de hominum per satisfactionem imperfectam redemptione.

Probatur. Incarnatio non fuisset in casu, de quo agitur, necessaria, si creatura simplex potuisset imperfectè Deo satisfacere; atqui id revera potuisset per virtutum actus ex auxilio gratiæ elicitos: scilicet ad imperfectam satisfactionem non requiritur æqualitas inter personam læsam & personam satisfacientem. Nec obest, quod Patres dicant, uno Christi sanguine hominem redimi potuisse: Siquidem, cum hæc ajunt, non loquuntur de redemptione imperfecta, sed de perfecta tantùm, ad quam (ut dicemus) requiritur dignitas infinita personæ satisfacientis. Jam verò quòd Patres dicant, uno Christi sanguine hominem redimi potuisse, id intelligitur supposita libera Dei ordinatione; ea enim ordinatione seclusa, Christus per alium quemcumque à morte actum, perfecte Deo Patri satisfecisset: omnes enim, ac singuli actus Christi, ob personæ dignitatem, infiniti meriti fuerunt.

CONCLUSIO 4. Ex suppositione decreti de redemptione hominum per condignum ac perfectam satisfactionem, Incarnatio fuit omninò necessaria.

Probatur. Ad condignam & perfectam pro peccato satisfactionem requiritur, ut satisfactio sit pretii, quod æquivaleat gravitati injuriæ, quæ Deo per peccatum illata est: atqui satisfactio, sine Incarnatione, non potest esse pretii, quod æquivaleat gravitati injuriæ, quæ Deo per peccatum illata est: Siquidem ut pretium satisfactionis æquivaleat gravitati injuriæ, requiritur ut inter satisfacientem & læsum sit aliqua proportio: quia sicut gravitas injuriæ, major aut minor est pro dignitate personæ læsæ; ita pretium satisfactionis est majus vel minus pro dignitate personæ satisfacientis, quia satisfactio non aliud est, quam reverentia exhibita in compensationem injuriæ illatæ; at reverentia, major est vel minor pro dignitate exhibentis: sic minor est reverentia exibita à rustico, quam quæ a viro nobili exhibita fuerit: Sed inter Deum læsum & hominum satisfactionem, nulla omnino est proportio, imo in ratione dignitatis, quæ in satisfactione præcipuè consideratur; a se invicem infinitè distant: ergo purus homo condignam satisfactionem Deo exibere non potuit: ac proindè ad hujusmodi satisfactionem Incarnatio fuit absolutè & simpliciter necessaria.

Dices, illud argumentum nimis probare: nimirùm probat peccati, etiam venialis, malitiam esse infinitam; eo enim major est malitia peccati, quo persona, quæ per illud læditur, majoris est dignitatis: ac proinde cum Deus per peccatum veniale læsus, sit persona infinitæ dignitatis, sequitur, malitiam peccati venialis esse infinitam.

Sed contra est, quia cum dicitur gravitatem injuriæ sumi ex dignitate personæ læsæ, sensus non est, quòd tanta sit, quanta est dignitas personæ læsæ; sed sensus est, quòd crescat, aut minuatur secundùm majorem vel minorem dignitatem personæ læsæ; ac proindè ex argumento nostro non sequitur, malitiam peccati venialis esse infinitam, quamvis per illud infinitæ dignitatis persona lædatur. Peccatum mortale, & veniale in eo conveniunt, quòd utrumque lædat personam infinitæ dignitatis; sed differunt in eo, quod in peccato mortali major sit aversio a Deo, majorque conversio ad creaturam, quàm in peccato veniali: scilicet in peccato mortali creatura simpliciter & absolutè constituitur ultimus finis personæ peccantis, cum e contra id (ut de peccatis agentes, dicemus) in peccato veniali minimè contingat.

Objicies 1. Purus homo per actum perfectæ charitatis potuit Deo condignè satisfacere: ergo ad id Incarnatio non fuit simpliciter & absolutè necessaria. Probatur ant. Ut quis perfectè ac condigne satisfaciat, satis est, ut id Deo reddat, quod abstulerat per peccatum; atqui purus homo per actum perfectæ charitatis restituisset Deo, quod ab ipso per peccatum abstulerat; restituisset nimirum per actum charitatis super omnia, restituisset (inquam) Deo rationem ultimi finis, quam in quantum, ipso fuerat, Deo per peccatum suum abstulerat.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ratio est, quia licet redditio rei ablatæ sufficiat ad restitutionem, satis tamen non est ad condignam satisfactionem, ut videre est in homine plebejo, quem sanè nemo dixerit tunc condignè resarcire injuriam illatam Principi, cum ab illo postea veniam deprecatur, illique reverentiam exhibet.

Objicies 2. Patres sæpius asserunt, mortem Christi non

non fuisse necessariam ad condignam pro peccatis satisfactionem: ergo nec Incarnationem.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia opera Christi, alia ab illius morte, fuerunt (ut jam observatum est) pretii infiniti, quippè quæ a persona infinitæ sanctitatis processerint: unde eorum meritum fuit æquale gravitati injuriæ, qua creatura per peccatum creatorem affecit: Hincque sequitur, mortem non fuisse necessariam, nisi quia Christus alia sua opera ad completam hominis redemptionem non ordinavit.

Objicies 3. Purus homo sanctus, adjutus gratia actuali, potest de condigno mereri vitam æternam, ut docet Concilium Tridentinum: ergo potest quoque pro suo peccato satisfacere.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia in merito non attenditur dignitas personæ merentis, sed tantùm dignitas operis, quòd exercetur: è contra verò in satisfactione præcipuè consideratur dignitas personæ satisfacientis, quia satisfactio est actus, quo quis seipsum alteri subjicit: ergo dignior est satisfactio, quo persona, quæ se subjicit, dignior est ac præstantior.

Objicies 4. Homo justificatus potest per auxilium gratiæ actualis de condigno satisfacere pro pœna temporali, quæ debetur illius peccato jam quoad culpam dimisso: ergo à pari potest pro culpa ipsa satisfacere.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia satisfactio pro pœna temporali fit quidem ab homine puro, sed ex præsuppositis meritis Incarnationis: *Neque verò* (verba sunt Concilii Tridentini sess. 14 cap. 8.) *ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum ...... Omnis gloriatio nostra in Christo est; in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre*. Econtra satisfactio pro culpa, in suppositione, de qua agitur, fieret independenter à meritis personæ infinitæ; ac proindè non esset æquivalens injuriæ, quæ Deo per peccatum, sive mortale, sive veniale, illata fuisset.

Quæ hucusque dicta sunt, confirmantur ex Patribus. Basilius in hæc Psal. 47. verba: *Frater non redimit, redimet homo*, sic loquitur: *Non homo nudus, sed homo Deus Jesus Christus, quia nullus alius poterat offerre condignum pretium*. Basilio subscribit Augustinus: *Neque* (inquit Enchiridii cap. 105.) *per ipsum liberaremur unum mediatorem Dei & hominum Jesum Christum, nisi esset & Deus*. Eodem spectant hæc Leonis Magni Serm. 11. de Nativit. Domini: *Nisi esset verus Deus, non afferret remedium: nisi esset verus homo, non præberet exemplum.*

QUÆSTIO II.

Utrum Incarnatio necessaria fuerit necessitate latè sumpta.

Not. 1. NEcessitas latè sumpta, est (ut superiùs observatum est) idem cum convenientia: unde in eo sensu, necessarium & conveniens sunt unum & idem.

Not. 2. Convenientia Incarnationis considerari potest vel respectu hominis redimendi, vel respectu Dei redimentis: unde necesse est, ut hic quæramus 1. Utrum Incarnatio fuerit medium conveniens ad hominem redimendum; 2. Utrum ex parte Dei conveniens fuerit, ipsum incarnari.

CAPUT I.

Utrum incarnatio fuerit conveniens ad hominem redimendum.

CONCLUSIO. Incarnatio fuit medium maximè conveniens ad generis humani redemptionem.

Probatur 1. Maximè fuit conveniens, ut homo ex perfecta justitia redimeretur; ea nimirùm redimendi ratio longè dignior est redemptione, quæ per nudam peccati dimissionem fieret: atqui (ut jam dictum est superius) sola Incarnatio efficere potuit, ut homo ex perfecta justitia redimeretur; ipsa enim est, quæ efficit, ut tum ex parte redimentis, tum ex parte pretii ad redemptionem exhibiti, tantæ dignitatis, tantique valoris fuerit redemptio, quantæ gravitatis fuit offensa, cujus homo se reum constituerat. Ex eo principio, quòd Verbum Incarnatum condignè, seu ex perfecta justitia, redemerit hominem, S. Athanasius conclusit olim adversùs Arianos, Verbum non esse creaturam, sed Deum: *Neque enim* (ait Orat. 2.) *rerum conditarum natura, digna erat aut idonea ad id negotium, cum & Angeli prævaricati essent, & homines inobedientes fuissent. Ideò opus erat ipso Deo; Verbum autem est Deus, ut eos, qui sub maledictione erant, assereret. Si igitur ex non entibus extitisset, Christus esse non potuisset, utpote unus è vulgo rerum, ac participator cum cæteris futurus.*

Dices, Deum per redemptionem merè gratuitam seu, quæ non fieret ex justitia, magis liberalem sese præbiturum fuisse, proindeque perfectior fuisset ille redimendi modus.

Sed illud effugium facilè præcluditur. Nam justitia, quæ in redemptione hominis elucet, nullum, dicente Scriptura, infert misericordiæ detrimentum: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*. Ratio est, quia per justitiam, quam Deus Pater exercuit in Filium, sese in genus humanum maximè misericordem præbuit: ideò enim sævit in Christum, quòd homini parcere statuisset.

Probatur 2. Per peccatum, duo hæc præcipua mala homines contraxerant, cœcitatem ex parte intellectus, & propensionem ad bonum commutabile ex parte voluntatis. Sed utrique illi malo depellendo Incarnatio maximè fuit conveniens; nempe per Incarnationem Veritas ipsa, Deus Verbum, sub humanitatis nube nostros velutì ob oculos posita est; ac proinde per eam consultum est ignorantiæ, qua laborabat intellectus. Per Incarnationem incommutabile bonum, Deus ipse, ad nos accessit, cum ne ad illud voluntas progrederetur, contracta per peccatum infirmitas impediret.

Dices, Deum potuisse sine Incarnationis beneficio, hominem & docere & à creaturis revocare: unde consequi videtur, Incarnationem homini sanando necessariam non fuisse.

Verùm nullius est ponderis ea responsio. Nam, quamvis ad docendum hominem, & ad eum a creaturis revocandum, simpliciter & absolute Incarnatio necessaria non fuerit, ut rectè probat argumentum; aptissima tamen fuit, ut homo modo suæ naturæ convenienti sanaretur: Scilicet homo ejus est sortis, ut ad cœlestia nonnisi per sensibilia progrediatur: Unde Deus Patriarchis, quos edocturus erat, videndum olim se præbuit in humana specie, sese velutì subjecit Judæorum oculis, cum legem conscripsit. Divinitas (ajunt Patres) est quidem hominis cibus, sed ubi humanitatis lacte temperata fuerit.

Probatur 3. Hominibus redimendis conveniebat Magister, qui simul foret Deus & homo; siquidem opus erat magistro, qui mortalibus persuaderet, beatitudinem non esse positam in sensuum illecebris, ut putarant

Epicurei ; non in fruitione propriæ mentis , seu in superba mentis virtute, ut Stoici somniarunt ; sed econtra positam esse in contemplatione veritatis incommutabilis. Opus erat Magistro, qui non solùm verbis, sed etiam exemplo præiret ; præceptis quippe premitur libertas, sed exemplis juvatur: atqui utrumq; illud munus non potuisset obire, qui simul non fuisset Deus & homo ; jam enim (ut superiùs observatum est) inanis ac irritus fuerat conatus Philosophorum , præsertim Platonicorum, qui id & arte, & ingenii acumine tentaverant : at Deus homo non habetur, nisi per Incarnationem: ergo, &c.

Probatur 4. Ut homo repararetur, opus ei fuit auxilio, quo determinaretur ad fugiendum malum , & ad prosequendum bonum ; inutile nimirum est (ajunt Patres) magisterium veritatis , nisi adsit auxilium charitatis. atqui Incarnatio maxime fuit conveniens ad sufficiendum auxilium ejusmodi : Nam 1. Incarnatio ipsa exemplar est perfectissimum divinæ gratiæ : quippè quod ex parte hominum, nulla merita bona , sed econtra multa merita mala eam præcesserint . 2. Per Incarnationem justitia , seu sanctitas , inexpugnabiliter humanæ naturæ implicatur : id autem videbatur necessarium, ne tota humana natura, ut olim in primis parentibus contigit, a sanctitate deinceps excideret.

CAPUT II.

Utrum Incarnatio Deo redimenti conveniens fuerit.

Not. ID Deo redimenti conveniens est, per quod apud homines præcipua illius attributa manifestantur ; neque enim alio modo, quæ extrinseca sunt , ut est Incarnatio, Deo possunt esse convenientia . Hic igitur quærendum est , utrum Dei attributa per Incarnationem manifestentur : De omnibus autem attributis non agemus, sed tantùm de Bonitate, Potentia , Sapientia & Justitia disseremus.

CONCLUSIO 1. In Incarnatione multùm elucet Dei Bonitas.

Probatur 1. Primum bonitatis , seu amoris signum in superiore, respectu inferioris , est sui conspectus objecto amato copiam facere ; atqui per Incarnationem Deus sui conspectus copiam hominibus fecit , & in hos ardentissimis eorum votis fecit satis : quantùm enim id Moyses , aliique pii quondam peroptarint , Scripturis docemur . 2. Bonitatis est extrema copulare , summam amantis majestatem inclinare , ut cum persona dilecta colloqui & permanere possit : Id verò per Incarnationem præstitum est ; nimirum Deus per Incarnationem sese ad ipsam servi conditionem depressit , ut servum ad Deum usque eveheret . 3. Amantis est opem ferre amico laboranti, etiamsi furiosus sit ac amens : atqui Deus per Incarnationem ea charitatis lege perfunctus est : Cum enim adhuc inimici essemus , ipse prior dilexit nos , & proprium Filium pro nobis tradidit . 4. Quò quis magis effusus est in beneficia, eò magis est bonus; bonitas enim est sui diffusiva : atqui Deus maximum beneficium nobis per Incarnationem contulit ; scilicet nec se ipsum humiliùs deprimere , nec nos altiùs extollere potuit ; per eam non hominem homini, sed creaturæ creatorem reddidit .

Objicies cum Socinianis , Primò , Si Deus Deum homini dederit , prodigalitatis argui debet , non autem ex liberalitate, seu amore ordinato commendari ; siquidem prodigalitatis est, rem, quæ supra omne pretium est, profundere pro vili ac misero peccatore, præsertim cum alioquin, seu alia via, servus redimi potuerit. 2. Deo indignum est tantùm se deprimere , quantùm se per Incarnationem depressisset in eorum sententia , qui sunt ex Communione Romana: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ratio est, quia amor non necessaria tantùm elargitur, sed, quæ etiam minimè necessaria sunt ; amor non expletur , nisi cum amantem dedit amato: id innuit Scriptura, cum ait, *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret* . Resp. ad 2. neg. ant. Scilicet nihil indignum est Deo, quam vitium: ergo Verbi per Incarnationem exinanitio , Deum minimè dedecet .

CONCLUSIO 2. Dei Sapientia per Incarnationem maximè commendatur.

Probatur . Primò, summæ sapientiæ est , hominis sapientiam stultitia superare, seu medio quod hominibus stultum videtur : Sed Deus id præstitit per Incarnationem 2. Sapientiæ est contraria contrariis curare : atqui Deus per Incarnationem contraria curavit contrariis, superbiam humilitate, voluptatis amorem doloris amore, divitiarum desiderium paupertatis exercitio , & ita de cæteris . 3. Deus in Incarnatione , maxima œconomia usus est , homines veluti infantes deditos puerilibus ludis, humanitatis lacte pavit , ut Divinitatis cibo pasceret .

CONCLUSIO 3. Dei omnipotentia maximè elaruit in Incarnatione.

Probatur . Primò , in hominis creatione enituit maxime Dei omnipotentia : ergo & in illius per Incarnationem reparatione: Siquidem eadem vis , ars eadem; requiruntur ad refingendum opus , quam ,quæ ad illud primò faciendum necessariæ fuerant. 2. Dici potest, vero aliquo sensu majori virtute opus fuisse Deo ad reparandum hominem , quam ad ipsum creandum : Hic enim ludus , (ut utamur Scripturæ verbis) illic verò labor maximus . 3. In Incarnatione Verbi fit unio plurium in speciem impossibilium , ut cuilibet meditanti patebit: Sed in illa unione maxima elucet potentia : ergo, &c.

Objicies . Primò , Deus per Incarnationem factus est impotens & debilis, scilicet, excepto peccato , omnes hominis miserias contraxit: at omnipotentiæ non est redigi ad impotentiam & debilitatem . 2. Deus per Incarnationem sibi viam ad mortem aperuit : sed infirmitatis est mori: ergo & incarnari.

Resp. ad 1. neg. min. Ratio est, quia maxima opus fuit potentia, ut ipsa omnipotentia fieret infirmitas : ad hoc enim oportuit , ut Deus ipse in se ipsum & contra propriam naturam egerit , ut debilis ac infirmus fieret. Tantùm abest igitur, ut Dei omnipotentia per redactionem ad infirmitatis statum deprimatur , quin potiùs quam maximè commendetur . Resp. ad 2. infirmitatem non esse, pati mortem, per quam infensissimus & fortissimus hostis superetur, ut revera per Christi mortem in diabolo superatus est : præsertim si is, qui mortem patitur, ea deinceps se per resurrectionem liberet .

CONCLUSIO 4. Divina justitia respectu Dei Patris maximè enituit in Incarnatione .

Probatur . Justitia maximè enituit respectu illius, cui par debito pretium exhibitum est : atqui Deo Patri par debito, seu peccato , pretium exhibitum est ; infinita nimirum Verbi incarnati sanctitas pro infinita peccati malitia: ea verò sanctitas oblata est a persona, quæ non minoris est dignitatis , quam persona cui exhibita est: ergo, &c.

Objicies 1. Ibi justitia locum non habuit, ubi innocens destinatus fuit ad supplicium ; repugnat enim justitiæ legibus , ut innocens plectatur : *Sub Deo justo* (ait Augustinus) *nemo miser, nisi mereatur* : atqui in Incarnatione innocens destinatus fuit ad supplicium , Christum dico , qui in primo sui conceptionis instanti sic Patrem allocutus est, Psal. 39. *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi, Ecce venio* .

Resp. 1. dist. maj. Si supplicium illud habeat rationem pœnæ , transeat maj. sic enim acceptum , videtur

esse

esse correlativum ad demeritum: si habeat rationem satisfactionis, neg. maj. in eo nimirum casu supplicium non arguit demeritum in patiente, sed eximiam charitatem. Resp.2. data majore propositione, dist. min. Atqui in Incarnatione innocens destinatus fuit ad supplicium, & ille innocens in se susceperat hominis rei demeritum, conc. min. & in se non susceperat hominis demeritum, neg. min. Christus non habuit propria demerita, fuit enim impeccabilis ab intrinseco, sed aliena peccata in se voluntarie susceperat; unde Deus Pater pœna alieno peccato debita meritò in eum sævijt.

Objicies 2. Læditur justitia, quoties ad finem consequendum eligitur medium iniquum: neque enim patiuntur justitiæ leges alicujus jus lædi, ut alterius jus servetur illæsum: atqui per Incarnationis decretum, læsum est alicujus jus, ut alterius servaretur illæsum; nam ut Deus hominum saluti consuleret, prædefiniit medium maxime injustum, quippe prædefiniit crucifixionem Christi, quæ quidem scelus fuit gravissimum: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. maj. prædefiniit crucifixionem Christi, permittendo, conc. maj. impellendo, neg. maj. Unde licet mors Christi iniqua fuerit, cum ex parte Judæ, qui suum Dominum prodidit, cum ex parte Judæorum, qui eam a Pilato petierunt, cum ex parte Pilati, qui eam decrevit, cum denique ex parte militum, à quibus peracta est: tamen æquissima fuit ex parte Christi, qui eam pertulit, nec non ex parte Dei Patris, qui eam permisit, & permissam, sapienter ordinavit ad hominis salutem. *Potuit* (inquit Barnardus Epist. 199.) *in uno eodemque facto displicere iniquitas malignantium, & placere pietas patientis.... nec peccate sive peccantibus adscribitur hac victoria, sed bene utenti peccato, & peccatores fortiter perferenti, & convertenti in usum pietatis, quidquid in ipsum causa est crudelitas impiorum.*

CONCLUSIO 5. In Incarnatione enituit justitia etiam respectu diaboli.

Probatur. Respectu illius enituit justitia, qui non potestate, sed lege justitiæ victus est: atqui in Incarnatione diabolus non potestate, sed lege justitiæ superatus est; nempe *Unicus Dei Filius* (inquit Augustinus l. 3. de lib. arbitr. cap. 10.) *Diabolum .... homini subjugavit, nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiæ*: hoc est, Dei Filius non ex potentiæ, sed justitiæ legibus, diabolum superavit, ut ipsemet ait Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 13. *Non autem* (ait) *diabolus potentia Dei, sed justitia superandus fuit.*

Confirmatur 1. Ille lege justitiæ superatus est, qui post Incarnationem & Christi mortem meritò excidit ex jure, quo æquissimè fruebatur in totum genus humanum: atqui diabolus per Incarnationem & per Christi mortem meritò excedit ex illo jure. Nam 1. Diabolus transgressus est limites potestatis, quam illi Deus Pater concesserat; nempè cùm in solos aut originalis aut actualis peccati reos sævire permissus fuisset, sævijt in innocentem, Christum dico, quem per Judæos affixit cruci: Atqui meritò is exuitur potestate sibi concessa, qui in re omnium gravissima limites sibi præscriptos transgreditur: *Per injustitiam plus petendi* (ait Leo Magnus Serm. 2. in Nativit. Domini) *totius debiti summa vacantur.*

Confirmatur 2. Ille meritò excidit ex suo jure, qui victus est in carne, quam ipse viceerat in Adamo: siquidem conqueri non debet de divina potestate, cum quo certamen redintegravit natura, quam sibi olim subjecerit: Sed diabolus, in Christo per eandem carnem, quam in Adamo viceras, superatus est: ergo meritò excidit ex jure, quo in humanum genus æquissimè fruebatur.

Objicies 1. Ibi locum non habet justitia, ubi fraus & dolus reperiuntur: atqui in certamine, quod Christus iniit cum diabolo, fraus & dolus reperiuntur; siquidem Christus diabolo objecit carnem, in quam sæviret, sed abscondit divinitatem, quæ diabolum perimeret: *Dum in illo* (inquit Gregorius Magnus lib. 33. Moralium, c. 7.) *appetit escam corporis, transfixus est aculeo divinitatis.*

Resp. dist. min. In certamine, quod Christus iniit cum diabolo, fraus pia, & dolus justus reperiuntur, conc. min. fraus impia & dolus injustus, neg. min. Victoria per iniquam fraudem parta, cujusmodi fuit ea, qua diabolus in primos parentes usus est, potest absque injustitia auferri per aliam piam ac salutiferam, si tamen ita loqui liceat, fraudem; cujusmodi haud dubiè fuit ea, quam Christus adversùs diabolum adhibuit.

Objicies 2. Ut justitia, quæ in hominis per Incarnationem redemptione enituit, locum habuerit etiam respectu diaboli, necesse est, diabolum ante Incarnationem æquum jus habuisse in homines: neque enim justitia dicitur servari respectu illius, qui non justè rem aliquam detinet: atqui diabolus, antequam Verbum incarnaretur, nullum jus saltem, quod esset æquum, habebat in homines, qui ex Adamo geniti fuerant: siquidem vel habuisset jus illud ex furto, quo sibi hominem rapuerat, vel ex homine, qui se ipsum libere diabolo tradidisset: sed neutrum dici potest. Non primum, cùm furi in rem ablatam nullum omnino jus acquiratur. Nec etiam secundùm: neque enim mancipium, ut est homo respectu Dei, potest seipsum alteri domino tradere: ergo, &c.

Confirmatur argumentum ex Anselmo, qui lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 7. sic loquitur: *Illud quod dicere solemus, Deum scilicet debuisse priùs per justitiam contra diabolum agere, ut liberaret hominem, quàm per fortitudinem, non video, quam vim habeat. Nam si ipse diabolus, aut homo suus esset, aut alterius quàm Dei, aut in alia quàm Dei potestate maneret, forsitan hoc rectè diceretur*: ergo: &c.

Resp. ad 1. neg. min. Nam doctrina, qua jus, de quo est quæstio, asseritur diabolo, nititur 1. Scripturis: eò nimirùm tendit, quod affirmat Apostolus, Christum condonasse nobis omnia delicta, deleto, quod adversùs nos erat, chirographo decreti, & illud tulisse è medio affixum cruci; expoliasse Principatus & Potestates de illis per semetipsum triumphando. Eòdem etiam tendunt loca, in quibus diabolus dicitur princeps mundi hujus, tenebrarum harum, peccantium omnium: nec enim est princeps omnium peccantium, tantùm ratione temporis aut gravitatis, quæ in illius rebellione continetur, sed etiam ratione persuasionis & influxus. Nititur 2. unanimi Patrum consensu: nempe Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, capite 10. scribit, dæmonem *jure æquissimo* totum sibi genus humanum vindicasse per victoriam, quam in primis parentibus ex eo retulerat. Leo Magnus ait diabolum *non indebito dominatu* impiis omnibus præesse. Bernardus epist. 190. sic in unum colligit Patrum doctrinam: *Sciendum est, quod omnes doctores nostri post Apostolos in hoc conveniunt, quòd diabolus dominium & potestatem habebat super hominem, & jure eum possidebat; ideo scilicet quòd homo ex libertate arbitrii, quam habebat, spontè diabolo consensit. Ajunt namque, quòd si quis aliquem vicerit, victus jure victoris servus constituatur.* Idem S. Doctor scribit, aliud Abaelardo visum fuisse etiamsi fateretur, Patres in opposita fuisse sententia: *Sed ut mihi videtur* (inquit Abaelardus ipse apud Bernardum ep. 190) *nec diabolus unquam jus aliquod in homine habuit, nisi fortè, Deo permittente, ut carcerarius; nec Filius Dei, ut hominem liberaret, carnem assumpsit.* Quæ quidem verba ubi Bernardus retulit, sic exclamat. *Quid in his verbis intolerabilius judicem, blasphemiam, an arrogantiam? Quid damnabilius, temeritatem, an impietatem?*

Ad primam argumenti probationem, dist. ant. Furto jus non acquiritur in rem aliquam, invito legitimo rei domino, conc. ant. non invito legitimo rei domino, neg. ant. Deus, ad quem tanquam ad legitimum dominum quælibet creatura pertinet, hominem lapsum diaboli dominio dimisit, vel in pœnam defectionis, vel ut turpem illam servitutem expertus, priori tandem aspiraret.

Ad tertiam probationem, negandum est ant. Ratio est, quia creatura mente prædita, aliqua ratione a Deo ipso emancipata fuit, seu facta proprii juris, cùm accepit liberum arbitrium, quo vel malum, vel bonum eligeret; proindeque se ipsam, Deo non contradicente, diabolo mancipare potuit.

Ad confirmationem ex Anselmo petitam, respondendum est cum distinctione: Anselmus docuit, diabolum *justè* non possidere hominem, quem superavit, sumendo vocem illam *justè* in ordine ad dæmonis voluntatem, conc. ant. in ordine ad potestatem, neg. ant. Hoc est, Anselmus voluit jus diabolo ex victoria partum, licet in se, propter hominis in Deum rebellionem, justum, injusta tamen voluntate ab eo possideri: unde cum ait postea, diabolum non potuisse Dei dominio hominem subtrahere, loquitur de potestate quæ per justam voluntatem acquisita sit: *Quamvis homo* (ait Anselmus lib. 2. cap. 7.) *justè a diabolo torqueretur, ille tamen eum injustè torquebat. Homo namque meruerat, ut puniretur; nec ab ullo convenientius, quàm ab illo cui consenserat, ut peccaret. Diaboli verò meritum nullum erat ut puniret: imò hoc tantè faciebat injustius, quantò non ad hoc amore justitiæ trahebatur, sed instinctu malitiæ impellebatur.* Addi potest, diabolum cum sibi subjecit hominem, ipsum absolutè Dei dominio non subtraxisse, cum & ipse diabolus creatoris dominio necessariò subjectus sit: unde quod Anselmus scribit hominem etiam lapsum remanere sub Dei dominio, non impedit, quin & ipsius dæmonis potestati subjectus sit. Eum explicandi modum tradidit ante Anselmum, Augustinus lib. 13. de Trin. c. 12. ubi sic loquitur: *Modus autem quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tanquam hoc Deus fecerit aut fieri jusserit, sed quod tantum permiserit, justè tamen. Illo enim deserente peccantem, peccati auctor illico invasit.... Nec hominem a lege sua potestatis emisit, quando in diaboli potestate esse permisit, quia nec ipse diabolus a potestate esse permisit, quia nec ipse diabolus a potestate omnipotentis alienus est.* Vide de Incarnationis necessitate, de qua in hac dissertatione tertia disputavimus, S. Thomam 3. p. q. 1. art. 2. Thomassinum nostrum Theologicorum Dogmatum de Incarnatione Verbi lib. 1. cap. 3.

DISSERTATIO QUARTA.

De Motivo Incarnationis.

Not. MOtivum est id, quod operantem movet ad agendum. Operans autem movetur vel a clientium meritis, vel a fine, quem sibi proponit. Igitur ut adæquatum Incarnationis motivum explicetur, agendum est 1. de causa meritoria Incarnationis; 2. de illius causa finali: seu quærendum est, an aliqua merita Incarnationem præcesserint, & ob quem finem Verbum carnem induerit.

QUÆSTIO I.

De causa meritoria Incarnationis.

Not. 1. MEritum dividitur in meritum de condigno, & in meritum de congruo. Prius, est illud, cui stricto jure merces debetur, ita ut sine injustitia negari non possit: alterum est illud, cui præmium conceditur quidem, sed ita, ut absolutè negari possit, & etiam actu aliquando negetur. Justi de condigno (ut suo loco dicetur) merentur augumentum gratiæ sanctificantis, & vitam æternam; de congruo verò tea alias, auxilia actualia, quibus ad superandas tentationes indigent.

Not. 2. Incarnatio duobus modis potest considerari, nimirùm secundùm substantiam, & secundum varias illius circumstantias. Priore modo considerata, dicit hypostaticam Verbi cum humana natura unionem; posteriore verò, dicit locum, tempus, parentes, ex quibus Christus prodiit.

Not. 3. Ii, quorum meritis fingi potest Incarnationem fuisse concessam, sunt humanitas Christi, veteres Patriarchæ, beatissima Virgo Maria. Quærendum est igitur 1. utrum humanitas Christi meruerit, sive de condigno, sive de congruo, suam cum Verbo hypostaticam unionem: 2. an veteres Patriarchæ meruerint Incarnationem sumptam secundùm substantiam, an verò secundùm circumstantias tantùm: 3. utrum beatissima Virgo aliquo modo meruerit esse Christi mater.

CAPUT I.

Utrum humanitas Christi, Incarnationem meruerit.

CONCL. 1. HUmanitas Christi nec de condigno, nec de congruo meruit hypostaticam cum Verbo unionem.

Probatur. Ut humanitas Christi, sive de condigno, sive de congruo, meruerit hypostaticam cum Verbo unionem, necesse fuit, ut aliquando extiterit ante illam unionem; nempe causa debet esse prior effectu: atqui humanitas Christi nusquam fuit ante hypostaticam cum Verbo unionem; siquidem in primo instanti suæ conceptionis unita fuit cum Verbo, ut docet fides adversùs Photinum & Nestorium: ergo, &c.

Quæres 1. Utrum humanitas Christi, non quidem in instanti reali temporis, sed saltem in instanti naturæ, in quo potest considerari sine unione, aliquo modo unionem hypostaticam mereri potuerit.

Resp. negativè. Ratio est, quia in eo instanti naturæ, humanitas Christi concipitur cum finitis tantum gratiæ donis, ut sunt sanctitas, & auxilia actualia, a Deo creatore (ut supponitur) concessa: atqui humanitas Christi cum donis finitis concepta, nullo modo mereri potuit hypostaticam unionem cum Verbo; illa enim nullam habent proportionem cum ista: scilicet unio cum Verbo est substantialis & infinita gratia, e contra dona illa, quantumcumque perfecta supponantur, sunt gratiæ finitæ & accidentales.

Quæres 2. Utrum humanitas Christi potuerit mereri Incarnationem meritis ipsa Incarnatione posterioribus; hoc est, meritis, quæ Deus prævidit habenda ab humanitate post hypostaticam unionem cum Verbo.

Resp. negative. Ratio est, quia merita, quæ necessariò supponunt existentiam Incarnationis, non possunt esse meritoria existentiæ Incarnationis, alioquin enim effectus præcederet causam; quod quidem, etiam secun-

dum

dùm nostrum concipiendi modum, repugnat; atqui merita, quæ natura habitura erat post unionem, necessariò (ut patet) ipsam unionem supponunt: ergo, &c.

Objicies 1. Scriptura sic loquitur Apocalypseos cap. 5. *Dignus est agnus accipere virtutem, & divinitatem.* Eò autem in loco humanitas consideratur sine unione cum Verbo, quippè quæ concipiatur quasi potens ad eam recipiendam: atqui sic considerata, dicitur mereri unionem, seu divinitatem: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. In illo loco consideratur quasi potens ad recipiendam divinitatem, quoad manifestationem, conc. ant. quoad illius substantiam, neg. ant. Hoc est eo in loco dicitur Christum per passionem suam meritum fuisse, ut in resurrectione divinitas illius certa apud homines fieret. Confirmatur responsio ex eo, quod ferat Scripturarum usus, ut res fieri dicantur, cùm hominibus de novo apparere incipiunt, ut patet in his apud Lucam verbis: *Crescebat* (Christus) *sapientia & ætate coram Deo & hominibus.*

Objicies 2. Psalmo 44. hæc de Christi humanitate prænuntiantur: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Unde sic arguitur: Unctio, de qua sanctus Psaltes loquitur, est secundùm Patres, unio hypostatica: atqui ejusmodi unio tribuitur meritis; sunt enim (ut patet ex hac voce causali *Propterea*) causa unionis: Ea verò merita tribui non possunt humanitati conceptæ, in instanti saltem naturæ, ante illam unionem.

Resp. 1. neg. maj. seu nego, unctionem, de qua sanctus Psaltes loquitur, esse unionem humanitatis cum Verbo. Scilicet à multis Patribus intelligitur de gloria, quæ Christo in resurrectione concessa est in mercedem amoris, quo dum viveret, flagrarat in justitiam. Resp. 2. conc. maj. neg. min. seu nego, in hac voce, *Propterea*, unionem hypostaticam tribui meritis humanitatis Christi. Ratio est, quia vox *Propterea*, sumitur pro causa finali: hoc est dilectio justitiæ est finis ad quem unio Verbi cum humanitate facta fuit; unde sensus est: *Dilexisti justitiam; nec mirum, ad hoc enim te Deus tuus unxerat*, hoc est, cum Verbo univerat.

CAPUT II.

Utrum Patriarchæ meruerint Incarnationem.

Not. Incarnatio, ex observatis superiùs, considerari potest vel secundùm substantiam vel secundùm circumstantiam temporis, vel secundùm circumstantiam parentum, ex quibus Christus prodiit. Quærendum est igitur, utrum veteres Patriarchæ meruerint Incarnationem sumptam secundùm aliquem ex iis modis.

CONCLUSIO 1. Veteres Patriarchæ nulla ratione, hoc est, nec de condigno, nec de congruo, meruerunt Incarnationem sumptam secundùm substantiam.

Probatur. Veteres Patriarchæ nulla ratione meruerunt id, quod cuilibet meritò præsupponitur; atqui Incarnatio sumpta secundùm substantiam, hoc est, prout dicit hypostaticam humanæ naturæ cum Verbo unionem, præsupponitur cuilibet merito, nullum enim est (ut fides docet) in statu naturæ lapsæ meritum, nisi ex meritis Dei incarnati: ergo in ratione causæ prius est Deum incarnari, quam hominem lapsum aliquid mereri; proindeque Incarnatio cuilibet merito præsupponitur.

Dices, hominis lapsi merita præsupponere, quidem Christi merita in intentione divina, non autem in executione, hoc est, Incarnationem prædefinitam a Deo, præsupponi meritis hominum, non præsupponi verò, prout in executione peracta prævidetur.

Verùm falsa est illa responsio: siquidem Incarnatio non est principium meriti prout prædefinita, sed prout prævidetur in executione peracta. Ratio est, quia Christus non meruit ex eo, quod Deus Pater illius futuritionem ab æterno decreverit, sed quod revera & actu inter homines, saltem in prævisione, vixerit.

Objicies 1. Id meruerunt Patriarchæ veteres, quod putarunt se mereri posse; neque enim aliunde insita fuit eis merendi opinio, quam a Deo, qui nec fallitur, nec fallere potest; atqui Patriarchæ veteres putarunt se mereri posse, saltem de congruo, Incarnationem, sumptam etiam secundùm substantiam; id enim putarunt se posse mereri, quod enixissime postularunt; stulte nimirùm petitur, quod quis certò scit se consequi non posse: sed Patriarchæ veteres enixissimè postularunt Incarnationem: *Mitte* (inquiunt in Scripturis) *quem missurus es Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. disting. min. Patriarchæ veteres postularunt Incarnationem sumptam secundùm substantiam, postulatione impropriè dicta, conc. min. propriè dicta, nego min. Hoc est preces, quas antiqui circa Messiæ adventum fudisse leguntur, non aliud erant, quam signum desiderii, quo in eum ardebant: sicut cum nos hanc orationem fundimus, *Adveniat regnum tuum*, non postulamus, ut extrema judicii dies absolutè adveniat, sed nostra exprimimus vota in illam diem, qua Christi gloria cunctis hominibus innotescet.

Objicies 2. Sanctus Thomas in 3. Sent. quæst. 3. art. 1. sic loquitur: *Acceleratio Incarnationis potuit cadere sub meritum de condigno, Incarnatio autem sub merito de congruo.* Sanctus Doctor iis verbis distinguit Incarnationem sumptam secundùm substantiam, ab Incarnatione sumpta secundùm circumstantiam temporis; hoc sensu sumptam contendit cadere sub meritum de condigno, sumptam autem priore sensu docet cadere sub meritum de congruo: ergo S. Thomæ persuasum fuit, veteres Patriarchas meruisse de congruo Incarnationem sumptam secundùm substantiam.

Resp. ità quidem, ut fert argumentum, sensisse Sanctum Thomam, dum in Sententias scriberet: verùm ab ea opinione discessit postea. Ratio est, quia in Summa Theologica absolutè scribit principium meriti sub meritum non cadere, sive sit meritum de condigno, sive meritum de congruo: ergo censuit, neminem potuisse mereri Incarnationem, cum in rei veritate, & in doctrina S. Doctoris, Incarnatio sit principium cujuslibet meriti: *Secundo*, (inquit 3. part. quæst. 2. art. 11. in Corp.) *quia gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium. Unde multò minùs Incarnatio cadit sub merito, quia est principium gratiæ, secundùm illud Joannis 1.* Gratia & veritas per Jesum Christum facta est.

Nec obstant hæc, quæ ibidem scribit S. Doctor: *Ex congruo tamen meruerunt Sancti Patres Incarnationem.* Non obstant (inquam) quia sumit Incarnationem secundùm circumstantiam temporis; alioquin sibi ipsi contradiceret, cùm paulò ante docuerit Incarnationem esse principium cujuslibet meriti, ac proindè eam sub meritum nullo modo cadere.

CONCLUSIO 3. Veteres Patriarchæ meruerunt de congruo Incarnationem sumptam secundùm circumstantiam temporis, hoc est, meruerunt illius accelerationem.

Probatur: Primò, ita sensit Sanctus Thomas *Ex congruo tamen* (inquit) *meruerunt Sancti Patres Incarnationem, desiderando & petendo: congruum enim erat, ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.* 2. Id meruerunt veteres Patriarchæ, quod non est primum principium meriti: atqui circumstantia temporis ad Incarnationem comparata, seu ejus acceleratio, non est ejusmodi;

id

id enim privilegii debetur Incarnationi sumptæ secundùm substantiam: nimirùm ex intuitu futuræ Incarnationis, abstrahendo a tempore, quo erat determinatè futura, Deus largiri potuit auxilia ad illius accelerationem de congruo promerendam necessaria: ergo, &c.

CONCLUSIO 4. Patriarchæ non meruerunt, etiam de congruo, hanc Incarnationis circumstantiam, quòd Christus de eorum gente nasceretur.

Probatur. Id Patriarchæ non meruerunt, quod præsupponi debuit cuilibet illorum merito; neque enim effectus potest mereri sui causam: atqui hæc circumstantia, quòd Christus de Patriarcharum gente nasceretur, præsupponi debuit cuilibet Patriarcharum merito; siquidem Christus ut operans, saltem in Dei prævisione, præsupponi debuit cuilibet Patriarcharum merito: nempe Christus non est principium meriti, nisi per opera, quibus gratiam nobis prometitus est, sed non potest præsupponi operans, etiam in Dei prævisione, nisi prout ex Patriarchis natus: nam non potuit præviderí ut operans, nisi priùs, secundùm nostrum concipiendi modum, prævisus sit ut existens; non potuit verò prævideri ut existens, nisi prout ex hac matre, ex illis avis ac proavis genitus: ergo, &c.

Objicies 1. Geneseos 22. Messiæ promissio Abrahamo facta est in remunerationem singularis obedientiæ, quam in immolatione Isaac Deo exhiberat: *Quia obedisti voci meæ, benedicentur in semine tuo omnes gentes*; eam nimirùm promissionem Paulus ad Galatas 3. de Christo exponit: *Abrahæ* (inquit) *dictæ sunt promissiones, & semini ejus: non dicit, & seminibus quasi in multis, sed quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus.*

Resp. dist. ant. Messiæ jam ex Abrahamo futuri promissio facta est in remunerationem obedientiæ, con. ant. Messiæ nondum ex Abrahamo futuri, neg. ant. Hoc est, Abrahamus sua obedientia meruit, ut Deus Messiam ex illius stirpe jam futurum ex divino decreto, promiserit, promissionemque suam juramento confirmaverit: *Nec etiam fuit* (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 98. art. 4. in Corpore) *propter meritum ipsius Abrahæ, ut talis promissio ei fieret, ut scilicet Christus ex ejus semine nasceretur; sed ex gratuita Dei electione & vocatione. Unde dicitur Isaiæ 41. Qui suscitavit ab oriente justum, vocavit eum, ut sequeretur se? Sic ergo patet, quòd ex sola gratuita electione Patres promissionem acceperunt .... Si autem rursus quæratur, quare hunc populum elegit, ut ex eo Christus nasceretur, & non alium, convenit responsio Augustini, quam dicit super Joannem: Quare hunc trahat & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare.*

CAPUT III.

Utrum B. Virgo Maria meruerit Incarnationem.

CONCL. Virgo Maria, nec de condigno, nec de congruo, meruit divinam maternitatem.

Probatur. Verbi incarnati merita, futura fuerunt, antequam Virgo Maria quidquam mereri posset: ergo futura erat ejusdem Dei incarnati mater, antequam quidquam posset mereri; non enim realiter futurum fuit Verbum Incarnatum nisi ex hac matre in particulari.

Confirmatur hoc argumentum omnibus rationibus, quæ in quartæ conclusionis confirmationem prolatæ sunt.

Objicies De B. Virgine Maria canit Ecclesia, quòd Dominum omnium portare meruerit: sed id non aliud est, quam divinam maternitatem mereri: ergo, &c.

Resp. dist. maj. quòd Dominum portare meruerit metaphorice, conc. maj. meruerit propriè, neg. maj. Metaphorice meruit portare Dominum, quia enim consecuta est sanctitatis ac puritatis gradum, quo idonea, quantùm tamen id in creatura fieri potest, Christo concipiendo facta est.

Confirmatur ex S. Thoma, qui 3. p. quæst. 2. art. 11. sic loquitur: *Ad tertium dicendum, quod B. Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium: non quia meruit ipsum incarnari; sed quia meruit ex gratia sibi data illam puritatis & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse mater Dei.* Confirmatur ex eo, quòd gratia B. Virgini collata, data sit ex illius in Dei matrem electione.

QUÆSTIO II.

De causa finali Incarnationis.

Nu. Quæremus hic 1. Utrum generis humani liberatio a peccato fuerit finis Incarnationis; 2. Utrum fuerit finis adæquatus: ita ut homine non peccante, Verbum non induturum fuisset carnem; 3. An Incarnatio potius facta sit propter peccatum originale, quam propter actuale.

CAPUT I.

Utrum Incarnatio facta sit ad liberandum hominem à peccato.

CONCL. Fide certum est, Incarnationem factam fuisse ad liberandum hominem à peccato.

Probatur. Id fide certum est, quod tum in Scriptura, tum in Traditione expresse legitur: atqui in utroque illo sacræ doctrinæ fonte expresse legitur, humani generis liberationem a peccato fuisse finem Incarnationis.

Et quidem 1. in Scriptura: *Venit* (ait Christus de se ipso Matth. cap. 18. vers. 12.) *Filius hominis salvare, quod perierat.* Hæc etiam habet Paulus primæ ad Timoth. 1. *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Hæc iterum ad Rom. 8. *Nam, quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* Primæ Joannis 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

Eòdem spectant & illæ parabolæ tum Pastoris, qui (ut habetur Matt. 18.) relictis nonaginta novem ovibus vadit ad recuperandam centesimam, quæ perierat; tum mulieris amissam drachmam solicitè requirentis; & tandem hæc primæ Joannis 3. *Ille* (Christus) *apparuit, ut peccata nostra tolleret ..... In hoc apparuit Filius Dei ut dissolvat opera diaboli.* Idem 2. legitur in Traditione. *Qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est*: verba sunt Concilii Nicæni I. & aliorum, in quibus postea editæ sunt fidei formulæ. Athanasius lib. de Incarnatione pag. 40. veteris editionis, sic loquitur: *Nostra causa occasionem illi descendendi præbuit, & nostra transgressio Verbi divini humanitatem elicuit: adeo ut ad nos veniret, & appareret inter homines Dominus. Illius enim incorporationis nos causam dedimus.* Huc etiam adduci possunt loca, quæ tum secundo tum tertio hujusce quæstionis capitibus proferentur.

Quæres, quo sensu verum sit, Christum venisse ut hominum peccata deleret?

Resp. quinque opus fuisse, ut per adventum Christi peccata hominis lapsi delerentur: Primò, opus fuit lege, per quam tenebræ, quibus involutus erat homo, depellerentur: lex autem illa non aliud est, quam Evangelium, de quo Propheta loquitur: *Sedentibus in regione*

giant umbra mortis lux orta est eis. Opus fuit 2. exemplo, quod quidem abunde exhibitum fuit a Christo: *Exemplum dedi vobis* (ait ipse Joannis 13.) *ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*. Necesse fuit 3. ut Deus placaretur per satisfactionem, cujus meritum non esset minus peccati malitia: Hanc autem satisfactionem Christum exhibuisse Deo Patri, etiam ex rigore justitiæ, fuse inferius a nobis dicetur. Necesse fuit 4. ut Christus mereretur sanctitatem, quæ nobis per sacramenta confertur, nec non auxilia actualia, quibus indigemus, ut futurum peccatum vitemus, & ut pro præteritis Deo satisfaciamus. Ea omnia hisce verbis complectitur Augustinus Epist. 3. *Venit hominibus magisterium & adjutorium ad capessendam sempiternam salutem.*

Objicies. Id non fuit finis Incarnationis, quod Verbum Incarnatum assecutum non est; nempe propositio sibi fine, cum sic omnipotens, frustrari non potuit; atqui Verbum Incarnatum non delevit nec extinxit peccatum, quippe quod innumera singulis diebus committantur: ergo deletio & extinctio peccati non fuit finis, quem sibi Verbum in Incarnatione proposuerit.

Resp. conc. maj. dist. min. Verbum Incarnatum non delevit peccatum, quantùm ad radicem, ex qua pullulat, conc. min. quantum ad culpam, quæ in eo reperitur, neg. min. Christus, quantum in se fuit, delevit peccati culpam; meritus est enim media, quibus, ubi applicarentur hominibus, peccati culpa penitùs tolleretur; sed non abstulit peccati radicem, seu concupiscentiam, quæ ex peccato est & ad peccatum inclinat, quam tamen per auxilia, quæ nobis Christus promeruit, possumus superare.

CAPUT II.

Utrum, homine non peccante, Verbum fuisset incarnandum.

Not. Circa eam quæstionem duæ sunt Theologorum Catholicorum sententiæ. Rupertus lib. 14. de gloria & honore Filii hominis, Naclantus Clugiacensis Episcopus, eorum, qui Concilio Tridentino interfuere, non postremus, in epistolas ad Romanos, & ad Hebræos; Scotistæ omnes docent, Verbum, etiam homine non peccante, incarnandum fuisse, non quidem in carne passibili, sed in impassibili. Hinc illi Scriptores inferunt, Verbum incarnatum fuisse vi duplicis decreti: unum, quod secundum nostrum concipiendi modum præcessit humani lapsus prævisionem; alterum, quod ejusdem lapsus prævisionem subsecutum est. Econtra Thomistæ omnes post suum Angelicum Doctorem, contendunt Verbum, homine non peccante, non induturum fuisse carnem, sive passibilem, sive impassibilem; unde concludunt, Verbum incarnatum fuisse tantùm vi decreti de homine per condignam satisfactionem liberando.

CONCL. Si homo non peccasset, Verbum nullo modo fuisset incarnatum.

Probatur 1. Nusquam aut Scriptura aut Patres asserunt, Verbum incarnandum fuisse, si homo non peccasset: unde sic arguitur. Dogma, quod nec Scriptura, nec Patribus nititur, invehi non debet in Theologiam, tum quia Scriptura & Traditio, soli sunt fontes, ex quibus hauriri debeant dogmata Christianæ religionis; tum etiam quia, quæ a libera Dei voluntate pendent, ut revera pendet Incarnatio, cum sit opus ad extra, asseri non debent, nisi Dei circa res hujusmodi voluntas nobis innotuerit: at innotescere non potest, nisi per Scripturam aut Traditionem, ac proindè invehi non debet in Theologiam dogma, quod nec Scriptura, nec Traditione nititur: Atqui dogma, quo asseritur, Verbum incarnandum fuisse, etiamsi homo non peccasset, nec Scriptura nec Traditione nititur, ut patebit ex solutione argumentorum, quæ pro opposita sententia ab adversariis objiciuntur: ergo, &c.

Probatur 2. Tantùm abest, ut Scriptura asserat Verbum, homine non peccante, incarnandum fuisse, quin potiùs contrarium, implicitè saltem, affirmet.

Et sane quoties de Christo loquitur, (quod quidem fit in singulis pene Novi Testamenti versibus) semper eum nobis exhibet tanquam, aut legislatorem, aut mediatorem, aut redemptorem, aut medicum: *Ecce* (inquiunt de illo Scripturæ) *agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Ut salvum faciat populum suum a peccatis eorum. In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Unus Deus, unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Innumera sunt similia in Scripturis loca: plura collegit Augustinus lib. 1. de peccatorum meritis & rem. cap. 16. Ergo Scriptura excludit alium ab humani generis redemptione finem; si enim alium finem noluisset excludere, ut quid eum, cum in sententia adversariorum non minus sit præcipuus, quam is, quem recenset, prætermisisset? cur mysterium illud de Deo, etiam homine non peccante, incarnando nusquam aperuisset? In adversariorum suppositione, Scriptura similis esset historico, qui quamvis certò sciret, Regem è regno suo discessisse propter duplicem, & quidem æquè primarium finem, unum tantum in historia recenseret.

Præterea Scripturæ ex eo Dei in homines charitatem commendant, quòd ad peccatores & malè meritos per Incarnationem venerit: *Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo Jesu*: Atqui si, homine non peccante, Verbum tamen incarnandum fuisset, Scripturæ immeritò commendarent Dei in homines charitatem ex eo, quod ad peccatores venerit; cum alioquin non minus incarnandus fuisset, si stetissent semper, ac quovis peccato liberi essent. Quemadmodum igitur immeritò quis commendaret medicum, eo quòd ad ægrotum accesserit, si aliunde, hoc est, etiamsi non fuisset æger, ad eum tamen accessurus fuisset: ita ex eo præcise commendari non debuit Dei in nos charitas, quòd ad male meritos filium suum miserit, quem alioquin, hoc est, si benè meriti essemus, ad nos missurus fuisset.

Probatur 3. ex Traditione. Græci Patres absolutè pronuntiarunt Christum, homine non peccante, venturum non fuisse. Irenæus lib. 15. cap. 14. sic loquitur: *Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset*: sic etiam Athanasius Orat. 3. contra Arianos: *Cæterum*, ait, postquam collegit in unum plurima Scripturæ loca, *ut fieret homo, nunquam destinatum fuisset Verbum, nisi hominum necessitas ejus rei causam præbuisset*. Sic quoque Chrysostomus hom. 31. in Matthæum, in hæc Christi verba: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, loquitur: *Adeo procul abest, ne peccatores abominetur, ut propter ipsos solos advenerit*. Origenes adhuc clariùs mentem aperit suam: *Si non fuisset peccatum .... mansisset hoc, quod in principio erat, Deus Verbum.*

Idem non minùs apertè docuerunt Latini Patres. Augustinus lib. 1. de peccat. meritis & remiss. capite 16. scribit, Jesum Christum *non aliam ob causam in carne venisse, nisi ut hac dispensatione misericordissima gratia omnes .... vivificaret, salvos faceret, liberaret*. Serm. 7. de verbis Apostoli, sic iterum loquitur: *Christus Jesus venit in mundum. Quare venit in mundum? peccatores salvos facere. Alia causa non fuit, quare veniret in mundum.* Hæc etiam habet in Ps. 140. *Si tu, ò homo, non dimitteras Deum,*

Deum, non fieret pro te Deus homo. Sermone 9. de verbis Apostoli adhuc clariùs loquitur, si tamen meridiano soli lux addi possit: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere*. Leo Magnus Augustino consentaneus est: *Si enim* (inquit Serm. 3. de Pentec.) *homo in sua honore natura mansisset, Creator mundi creatura non fieret*. Augustino & Leoni subscribit Gregorius Magnus: *Et quidem* (inquit lib. 4. in 1. Regum cap. 1.) *nisi Adam peccaret, Redemptorem carnem suscipere nostram non oporteret: Non enim venit vocare justos, sed peccatores ad pænitentiam. Si ergo peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret*.

Ex iis autem sive Græcorum, sive Latinorum Patrum textibus, sic argumentum conficitur: Illi non censuerunt, Verbum, homine non peccante, incarnandum esse, qui scripserunt, ipsum revera non induturum fuisse carnem, si homo non peccasset; atqui id expressè scripserunt Patres sive Græci, sive Latini: ergo, &c. Præterea, illi non crediderunt Verbum, homine non peccante, incarnandum esse, qui aliam a redemptione generis humani, veniendi causam excluserunt; atqui eam excluserunt Patres: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino* (ait Augustinus,) *nisi peccatores salvos facere*.

Ad tam apertos traditionis textus Adversarii respondent, iis probari quidem Christum, homine non peccante, non venturum fuisse in carne passibili; non probari verò, quòd absolutè, seu in carne impassibili venturus non fuisset.

Sed facilè præcluditur illud effugium. Nam 1. Origenes expressè asserit, Verbum, homine non peccante, mansurum fuisse, quod erat in principio Deus Verbum: ergo & sine carne tum passibili, tum impassibili; neque enim in principio habuit carnem aut passibilem, aut impassibilem. 2. Si Patres, cum asseruerunt Christum, homine non peccante, non fuisse venturum, credidissent, venturum fuisse in carne impassibili, id in aliquibus suis scriptis dicere debuissent; non enim ad explicandam eorum mentem de Incarnationis causa parum conducebat illa circumstantia de Christo venturo, alioquin, in impassibili carne. 3. Quando futuritionis rei alicujus duo sunt motiva, & quidem æquè præcipua, res illa non dicitur absolutè, & simpliciter non futura, si deficiente uno motivo, futura sit tamen propter aliud. Sic falsum diceret, qui simpliciter & absolutè assereret, Petrum non profecturum Romam, licèt reipsa in eam urbem profecturus esset ad consulendum suis negotiis, non verò ad oscula pedum Summi Pontificis: Ergo Patres falsum asseruissent, cum absolutè ac simpliciter scripserunt, homine non peccante, Christum non fuisse venturum, si tamen propter aliud a redemptione motivum venturum credidissent. 4. Augustinus probat peccati originalis existentiam in parvulis ex ipsa Christi existentia; sic enim discurrit: Non alia Christo fuit causa veniendi, quàm peccatum: ergo, si venerit, ut venit revera, infantes rei sunt peccati: at nullius ponderis esset illud Augustini argumentum in Adversariorum systemate; nempè Pelagiani, quos eo argumento S. Doctor impugnat, facilè respondere potuissent, Christo aliam a peccato causam veniendi fuisse; ac proinde non sequi, parvulos esse reos peccati originalis, ex eo, quod Verbum carnem induerit.

Solvuntur Scotistarum argumenta.

Objicies 1. Ille, homine non peccante, venturus fuisset, saltem in carne impassibili, quem Deus futurum voluit, antequam Adami futuritionem decerneret: atqui Deus voluit Christum futurum, antequam Adami futuritionem decerneret; eum enim voluit esse futurum, antequam Adami futuritionem decerneret, de quo hæc habentur Proverbiorum 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio*: siquidem is, quem Deus voluit esse initium viarum suarum, antequam quidquid operaretur ad extra, haud dubiè futurus fuit, antequam Adami futuritio decerneretur: Atqui de Christo dicitur in Scripturis, *Dominus possedit me*, &c. ergo Deus voluit Christum esse futurum, antequam Adami futuritionem decerneret.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. primam partem minoris, seu, nego hæc verba: *Dominus possedit me*, &c. intelligi de Christo, ut homo est; contendo enim post Hieronymum, multosque alios Patres, ea intelligi de Christo, ut Deus est, seu de Verbo, ut est Patris Verbum: mirum enim in modum singula sententiæ membra Verbo, ut Verbum est, conveniunt; nempè is est eorum sensus: *Dominus possedit me tanquam filium suum*; nam vox, *Possedit* (Hieronymo, Tertulliano lib. contra Hermogenem cap. 18. Athanasio ad Decret. Nicænæ Synodi, testibus) significat, quod semper in Patre Filius fuerit. *In initio viarum suarum*, id est in ipso exordio operationum suarum, quibus creaturas condendo, quasi ad extra progressus est: Imò possedit me, *antequam quidquam faceret à principio*, scilicet ab æterno; quibus quidem terminis Verbi divinitas, & æqualitas cum Patre significantur. Nec obstat, quod Septuaginta & post eos, plures Patres legant: *Dominus creavit me*, ut etiam habetur Eccl. 24. *Ab initio, & ante sæcula creata sum, & prior omnium creata est sapientia*; nam in similibus locis æternitas adjuncta creationi, satis indicat non propriè dictam creationem ex nihilo, quam impossibile est esse, antequam Deus quidquam faceret, sed generationem & productionem esse intelligendam.

Verùm cum plures alii Patres, sive Græci, sive Latini, textum, de quo agitur, de incarnata quoque Sapientia interpretentur, in ea suppositione dicendum erit, eo textu significari Christum, ut est homo Deus, esse in initio viarum, antequam quidquam Deus faceret in iis, quæ spectant ad hominis lapsi salutem, conc. ant. in iis, quæ spectant ad illius existentiam naturalem, neg. ant. hoc est, Deus Christi futuritionem decrevit, antequam de hominis lapsi reparatione, quæ secunda est creatio, quidquam decerneret.

Objicies 2. Christus in Epist. ad Colossenses cap. 1. dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*; unde sic arguitur: Ille, homine non peccante, fuit futurus, qui futurus fuit ante omnem creaturam; atqui Christus fuit futurus ante omnem creaturam; dicitur enim genitus ante omnem creaturam; quippè non aliud significant hæc verba, *Primogenitus omnis creaturæ*: non fuit verò genitus ante omnem creaturam secundùm ordinem executionis, quia ex Maria natus est: ergo in ordine intentionis; ac proindè habita ratione divini decreti futurus fuit, antequam Deus Adami futuritionem decrevisset.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Christus prout Deus est, dicitur genitus ante omnem creaturam, conc. ant. prout homo, neg. ant. Confirmatur ex ipso Apostolo, à quo explicatur, qua ratione Christus sit primogenitus omnis creaturæ; hæc enim immediatè subjicit: *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes ...... omnia per ipsum & in ipso creata sunt*: atqui à Christo, ut homo est, condita non sunt universa; omnia per ipsum & in ipso, ut homo est, creata non sunt, sed tantùm prout Deus est. Nec obstat, quòd hæc verba *Ipse est caput corporis Ecclesiæ*, quæ ista: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*, sequuntur, de Christo, ut homo est, intelligantur; siquidem cum in Christo duplex sit natura, mirum non est, quòd Scriptura modò de eo secundum divinitatem, modò verò secundùm humanitatem loquatur: quandonam autem de eo loquatur sumpto secundùm unam, aut alteram ex iis duabus

duabus naturis, dijudicandum est ex iis, quæ aut præcedunt, aut subsequuntur.

Addendum est, textum, de quo agitur, intelligi posse de Christo, ut homo est, sed sic, prout homo est, primogenitus dignitate, non autem futuritione, ita ut sensus sit, Christum etiam prout est homo, esse qualibet creatura præstantiorem, non verò præordinatum ac prædefinitum ante omnes creaturas. Dici etiam potest, eundem textum explicari posse de prioritate etiam futuritionis, si tamen creaturæ sumantur secundum reparationem, non verò quoad entitatem: siquidem Christus in intentione divina, reipsa prior est prioritate futuritionis, seu originis, creaturis reparatis; cùm ex Christi meritis prævisis ipse etiam Adamus redemptus fuerit. *Qui* (ait Paulus ad Coloss. 1.) *eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ: in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.*

Objicies 3. cum Naclanto Episcopo Clugiacensi. In epist. ad Rom. cap. 1. hæc habentur de Christo: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis*, unde sic arguitur: Christus, prædestinatus est filius Dei, longè antequam fieret ex semine David secundùm carnem: atqui prædestinatus non est in ea forma, in qua est essent aliter Deus; quippe qui in illa non est prædestinatus, sed genitus filius Dei; nec illam a tota Trinitate, sed a solo Patre accepit: ergo in ea tantùm forma, in qua est homo; ac proinde per divinam prædefinitionem futurus fuit homo, antequam alii homines prædefinirentur, ut existerent & essent homines.

Confirmatur ex epistola ad Hebræos. Deus novissimè locutus est nobis in filio, procul dubio humanitate vestito. Hunc filium humanitate vestitum, hæredem constituit universarum rerum: per eum filium humanitate vestitum, effectum hæredem universarum rerum, Deus Pater fecit non Angelos tantùm, sed & cœlos & elementa; unde rursus sic argumentum conficitur: Ille fuit futurus, homine non peccante, qui in mente divina futurus fuit ante cœlos, elementa, & totum hoc universum aspectabile: atqui Christus in mente divina futurus fuit, etiam ut homo, ante cœlos, elementa, & totum hoc aspectabile universum; ille enim ante hoc universum fuit in mente divina futurus, per quem Deus fecit & sæcula: atqui per Christum, etiam ut homo est, Deus fecit & sæcula: ergo, &c.

Resp. 1. multos Interpretes, & in primis Chrysostomum, cui plures Græci subscribunt, contendere, vocem hanc, *prædestinatus*, reddi debere per hanc aliam, *manifestatus*: idque juxta Scripturæ consuetudinem, quæ sæpius dicit fieri ac prædestinari, quæ incipiunt hominibus apparere: in ea autem suppositione plane corruit Naclanti argumentum; nimirùm Paulinæ sententiæ is erit sensus: ille idem, qui factus est ex semine David secundùm carnem, quem proinde constat esse verum hominem, etiam declaratus est ac certissimis argumentis comprobatus esse filium Dei: Ea autem argumenta sunt 1. *Ex virtute*, id est, per potentiam miraculorum. 2. *Secundùm spiritum sanctificationis*, seu, ut habetur in Græco, *sanctitatis*; hoc est, per Spiritum sanctum, quem credentibus in se, per evidentia signa multiplicter impertitus est. 3. *Ex resurrectione mortuorum*, sive, *à mortuis*; nempe quia, sicut prædixerat, semetipsum a morte ad vitam suscitavit. His præmissis, ad argumentum Naclanti respondemus in forma, negando Christum fuisse prædestinatum filium Dei, antequam ex semine David nasceretur; nempe non ante suam nativitatem secundùm carnem, manifestatus est filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum.

Resp. 2. multos alios Patres hæc verba, *Prædestinatus est filius Dei*, intelligere de prædestinatione ad divinam filiationem; sed contendunt propositionis subjectum, quod per relativum, *Qui*, exprimitur, sumi pro Christo homine: ita ut sensus sit, ab æterno præordinatum esse, ut homo, qui dicitur Christus, esset Filius Dei. Quamvis enim (inquiunt) propter unitatem personæ Ecclesia Catholica contra Nestorium doceat, hunc hominem semper & ab æterno fuisse Dei filium; non tamen ab æterno verum fuit dicere, Hic homo est Filius Dei; nam unio Verbi cum carne facta est in tempore. Hoc igitur, inquit Estius, quod in tempore factum est, effectus fuit divinæ prædestinationis; ideoque prædestinatum rectè dicitur. Ea autem facta suppositione, ad idem argumentum Naclanti sic in forma respondetur: Christus prædestinatus est Filius Dei, antequam in tempore fieret ex semine David, conc. ant. Nimirum homo ille, qui Christus dicitur, cum in tempore verè fuerit Filius Dei, ab æterno ad eam filiationem prædestinatus est; neque enim Deus aliquid efficit in tempore, quod ab æterno non prædestinarit, seu prædefinierit, hoc est, se effecturum statuerit. Christus prædestinatus est Filius Dei, antequam ab æterno prædestinatus sit, ut fieret ex semine David, neg. ant. neque enim Christus prædestinatus est Filius Dei, nisi in signo rationis præcedenti prædestinatus fuerit, ut ex semine David nasceretur; ac proinde Christus non fuit futurus independenter a prævisione peccati, cum non fuerit futurus nisi ex semine David, quod haud dubiè prævidebatur in Adamo jam corruptum.

Ad argumenti confirmationem non aliud respondendum est, quam quòd respondet Thomassinus noster, *Theologicorum Dogmatum de Incarnatione Verbi*, *lib. 2. cap. 6* scilicet, Apostolum in epist. ad Hebræos de Christo, cum sit homo Deus, loqui modò secundùm ea, quæ illi ut Deo conveniunt, modò verò secundùm ea, quæ illi, ut homo est, propria sunt. Mirum igitur non est, quòd dicat Deum novissime nobis locutum fuisse in filio carne vestito; quòd per eundem filium, non jam ut carne vestitum, sed prout Verbum, ipsa etiam sæcula fecerit: unde negatur hæc propositio, quam ut veram Naclantus supponit: Per filium prout humanitate vestitum, prout hæredem universorum, Deus fecit sæcula.

Objicies 4. Ille futurus fuit, Adamo non peccante, qui est caput Adami innocentis; caput enim morale est, futurum ante membra, quæ ab illo pendent: atqui Christus est caput Adami innocentis, cùm, ex Apostolo, constitutus sit caput ipsorum etiam Angelorum, *Caput hominum & Angelorum*. Confirmatur argumentum ex eodem Apostolo, qui ad Colossenses 1. sic de Christo loquitur: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ*: ergo est etiam caput hominum in statu innocentiæ existentium.

Resp. dist. min. Christus est Adami innocentis caput dignitate, conc. min. influxu, neg. min. Ratio est, quia licèt Christus infinite quoad dignitatem & sanctitatem Adamum innocentem, & Angelos omnes superet; illius tamen meritorum intuitu, nec Adamo innocenti, nec sanctis Angelis data fuit gratia, sive actualis, sive habitualis. Nempè dona quæ primis parentibus ante lapsum, & Angelis sanctis, dum essent in via, concessa sunt, erant dona Dei creatoris, non autem Christi redemptoris. Unde hæc verba, Joannis 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, de hominibus lapsis, non autem de Adamo & Eva innocentibus, aut de Angelis sanctis, intelligi debent. Ad confirmationem verò dicendum est, Christum esse caput Ecclesiæ, quæ constat ex hominibus lapsis, non autem Ecclesiæ, quæ, Adamo non peccante, ex hominibus sanis ac integris coaluisset.

Objicies 5. Ille futurus fuit, homine non peccante, qui in Adami & Evæ adhuc innocentium matrimonio adumbratus est: atqui Christus eo fuit adumbratus; non enim de solo hominis lapsi matrimonio intelligi debent hæc Apostoli ad Ephesios 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.*

Confirmatur argumentum ex S. Thoma, qui 2. 2. quæst. 2. art. 7. in Corpore sic loquitur: Nam antè statum peccati homo habuit explicitam fidem de Christi Incarnatione, secundùm quod ordinabatur ad consummationem gloriæ, non autem secundùm quod ordinabatur ad liberationem a peccato per passionem & resurrectionem, quia homo non fuit præscius peccati futuri: videtur autem Incarnationis Christi præscius fuisse per hoc, quod dixit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, ut habetur Gen. 2. Et hoc Apostolus ad Ephes. 5. dicit sacramentum magnum esse in Christo & Ecclesia, quod quidem sacramentum non est credibile primum hominem ignorasse. Hactenùs S. Doctor.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Adamo & Eva stantibus in gratia, jam futura erat Incarnatio ex vi decreti, quod de ea, prævisο primorum parentum peccato, Deus tulerat: mirum igitur non est, quod matrimonio, quo Deus Adamum & Evam innocentes conjunxerat, adumbrata fuerit unio Verbi cum Ecclesia: quam quidem unionem primi parentes adhuc innocentes non noverant, nisi prout erat ordinata ad extrinsecæ divinæ gloriæ consummationem, licet ea solo intuitu divinæ gloriæ, tanquam finis proximi, futura non esset.

Objicies 6. Ille fuit venturus, homine non peccante, qui fuit exemplar, ad quod exacta fuit formatio corporis Adami; causa enim efficiens, ad quam (ut Philosophi docent) exemplaris reducitur, prior est effectu suo: atqui Christus, seu corpus Christi, fuit exemplar, ad quod exacta est formatio corporis Adami. *Recogita* (inquit Tertullianus lib. de resurrectione carnis) *totum illic Deum occupatum & deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, providentia, & ipsa imprimis adfectione, qua lineamenta dictabat. Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus: & Sermo caro, & quod terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad Filium, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus, id utique quod finxit. Ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus:* ergo, &c.

Resp. conc. maj. disting. min. Christi jam prædefiniti corpus fuit exemplar, ad cujus normam exacta est formatio corporis Adami, conc. min. Christi nondum prædefiniti, neg. min. Christus fuit quidem futurus, antequam Deus in tempore primum hominem plasmaverit, non verò antequam decreverit illius futuritionem. Hincque patet, Christum jam prædefinitum in remedium peccati, potuisse (ut vult Tertullianus) esse exemplar, ad cujus similitudinem Adami corpus effectum sit. Usus est verò ea loquendi ratione Tertullianus, ut carnem, quam Marcion deprimebat, extolleret, ostenderetque, in ea condenda & efformanda Deum peccati futuri præscium, suam de homine redimendo & carne per hypostaticam cum Verbo unionem glorificanda, quasi oppignerasse fidem.

Objicies 7. Si Christus tantum post prævisionem peccati prædefinitus fuerit, Maria Virgo non fuit immunis a debito contrahendi peccatum originale; siquidem Deus prævidendo peccatum Adami, prævidit quoque illud propagandum esse in omnes, qui ex Adami corrupti semine nascituri erant, nisi eo, ex speciali per Christum privilegio, liberarentur: atqui Maria Virgo, fuit immunis a debito contrahendi peccatum originale: ergo, &c.

Resp. neg. min. Ratio est, quia licèt plures doceant, Virginem Deiparam nunquam actu contraxisse peccatum originale, pauci tamen sunt, qui contendant illam a debito contrahendi ejusmodi peccatum immunem fuisse. Virginem Deiparam contraxisse peccatum originale Theologis, post Summorum Pontificum bullas ubique promulgatas, docere non licet; sed nullo unquam Ecclesiæ præcepto vetiti sunt, ne docerent illam incurrisse debitum contrahendi ejusmodi peccatum. Vide, quæ harum Institutionum parte 1. Dissert. 4. Art. 19. §. 2. Sect. 5. dicta sunt.

Objicies 8. Summum bonum est essentialiter & perfectissimo modo sui ipsius communicativum: atqui Deus est summum bonum: ergo perfectissimo modo est sui ipsius communicativum: Sed communicatio per unionem hypostaticam est modus perfectissimus: ergo Deus per se ipsum, ac independenter a peccato, debuit incarnari.

Resp. dist. maj. Summum bonum est essentialiter & modo perfectissimo sui ipsius communicativum ad intra, conc. maj. ad extra, neg. maj. Ratio est, quia summum bonum, sive quoad perfectionem, sive quoad beatitudinem, est omninò independens a rebus, quæ sunt ad extra; ac proinde ab ipsa etiam Incarnatione, quæ est opus ad extra, cum sit actio, per quam persona Verbi humanæ naturæ communicatur. Vide, quæ superiùs diximus agentes de Incarnationis necessitate.

Objicies 9. Si Verbum ita propter peccatum induerit carnem, ut sublato peccato eam non induturum fuisset, multa sequerentur absurda: Sequeretur enim 1. tantum bonum, quantum est Incarnatio, fuisse bonum concessum per accidens, per occasionem. Sequeretur 2. lætari nos posse de primorum parentum peccato, quod tanto bono, quantum est Incarnatio, occasionem præbuit. Sequeretur 3. nobilius, Christum dico, ordinatum ac relatum fuisse ad ignobilibus, scilicet ad humani generis redemptionem: quod quidem per absurdum est, cum is, qui, ut Deus, ordinatè semper agit, nobilius ad ignobilius referre non debeat.

Resp. ad 1. disting. ant. Sequeretur, tantum bonum fuisse bonum per accidens & per occasionem ex parte naturæ humanæ, conc. ant. ex parte Dei, neg. ant. Ratio est, quia Deus prævisο peccato, a quo primi parentes temperare potuerunt, positivè voluit incarnationem, ut, ubi abundarat delictum, abundaret & gratia: quæ autem, prævisa aliqua re, decernuntur, non dicuntur fieri per accidens ex parte illius, a quo decernuntur ac prædefiniuntur.

Resp. ad 2. neg. ant. Ratio est, quia peccatum primorum parentum non fuit causa necessaria Incarnationis; Deus enim primos parentes relinquere potuit in perditionis statu, in quem inciderant: sed unica causa Incarnationis est summa Dei in homines charitas: *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret:* unde horum verborum, quæ canit Ecclesia in consecratione Cerei Paschalis: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem*, sensus, est, quòd culpa, per quam homo mortis æternæ reatum incurrerat, et, ex summa Dei in homines benignitate, feliciter cesserit.

Resp. ad 3. disting. ant. Sequeretur, nobilius relatum fuisse ad ignobilius, tanquam ad finem *Cui*, conc. ant. tanquam ad finem *Cujus gratia*, neg. ant. Incarnatio a Deo quidem relata fuit ac ordinata in generis humani redemptionem, tanquam ad finem *Cui*; cessit nimirum in bonum hominis; non verò tanquam ad finem *cujus gratia*: hoc est, Deus voluit, ut humani generis per Incarnationem redemptio, medium esset, per quod summam sibi extrinsecam gloriam compararet; ita tamen ut eam per illud medium comparaturus non fuisset, si primi parentes in statu gratiæ sanctificantis stetissent.

CAPUT III.

Utrum Incarnatio potius propter peccatum originale, quàm propter actuale peracta fuit.

CONCL. 1. Fide Catholica certum est, Christum venisse, tum propter originale, tum propter actualia peccata.

Probatur. Id fide Catholica certum est, quod expressè legitur in Scripturis; atqui Christum venisse, tum propter peccatum originale, tum propter actualia, expressè legitur in Scripturis: *Vulneratus est* (ait Isaias cap. 53.) *propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*. Matthæi 1. *Ipse salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* 1. Joannis 1. *Sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato*. Cap. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*. Cap. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Apocal. 1. *Lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*.

CONCLUSIO 2. Incarnatio magis præcipuè facta est propter peccatum originale.

Probatur. Incarnatio magis præcipuè facta est propter peccatum, quod gravius infert humano generi detrimentum: atqui peccatum originale revera illud infert; scilicet actuale peccatum eam tantùm inficit personam, cujus voluntate committitur; cum è contra peccatum originale, totum humanum genus infecerit.

Quæres 1. Utrum Christus venturus fuisset etiamsi nulla peccata actualia subsecutura fuissent originale?

Resp. affirmativè. Ratio est 1. quia peccatum originale fuit, ut mox dictum est, præcipuum motivum Incarnationis. 2. Posito solo originali sine redemptione, omnia individua humanæ naturæ exclusa fuissent à beatitudine, ad quam fuerunt creata; sicque, in aliquo sensu, diabolus Deo potentior fuisset, quod dictu impium est.

Quæres 2. An Deus in instanti rationis, ante decretum de Verbi Incarnatione, viderit omnia peccata actualia, quæ ex originali subsecutura erant?

Resp. affirmative. Ratio est, quia licet Deus præcipuè carnem induerit propter peccatum originale, induit tamen quoque propter omnia peccata actualia: ergo prævidit actualia omnia in instanti rationis ante decretum de Incarnatione Verbi.

DISSERTATIO QUINTA.

De Essentia Incarnationis.

Not. INcarnationis essentia, ex dictis superiùs posita est in actione, per quam natura Divina, & humana in una Verbi persona uniuntur. Ut autem explicemus ea omnia, quæ ad illam actionem pertinent, dicemus 1. de persona, quæ naturam humanam assumpsit; 2. De natura assumpta; 3 De unione, quæ vinculum est, quo duo extrema, Verbi persona & humana natura, conjuncta sunt.

QUÆSTIO I.

De persona assumente.

Not. HAc in quæstione expendemus 1. An sola Filii persona humanitatem assumpserit. 2. Utrum divina natura, seclusis personalitatibus, humanitatem potuerit assumere. 3. Utrum una persona plures naturas assumere potuerit. Licèt duæ ultimæ difficultates sint Metaphysicæ; hic tamen omitti non debent, eò quòd non parum conferant ad explicandum mysterium, de quo agimus in hac quarta nostrarum Institutionum parte.

CAPUT I.

Utrum sola persona Filii humanitatem assumpserit.

Not. SAbellius (ut his Institut. dictum est) unicam in Deo personam admisit. Eam verò personam asseruit vocari Patrem, quod Filius, & Spiritus sanctus, quos pro veris personis Catholica Fides agnoscit, non aliud, ex ipso, sint, quam quædam Dei functiones temporariæ. Ex eo autem principio consequens erat, Patrem incarnatum fuisse in sinu Virginis, eum per idiomatum communicationem esse mortuum, ac passum in cruce. Propter illud consequens Sabelliani à veteribus Patripassiani dicti sunt: *Olim quippe illos* (ait Ferrandus Diaconus in Epistola ad Severum) *veritas confutavit hereticos, qui sic unum Deum Trinitatem dicere voluerunt, ut quem Patrem fatebantur, ipsum sibi filium, ipsum fingerent Spiritum sanctum, Deum scilicet, qui manens in cœlestibus creatura totius Pater fuit, protensus in virginem etiam nascendo inter homines filius fieret; rursusque dispensationis humanæ consummato mysterio super Apostolos in linguis igneis veniens, Spiritus sanctus vocaretur. Hoc errore compulsi, non filium Dei Patris, sed Patrem credidere crucifixum. Unde eos etiam Patripassianos appellari vetustas ostendit.*

Not. 2. Licet Catholici fateantur, solam Filii personam humanitatem assumpsisse; docent tamen Patrem & Spiritum sanctum esse in humanitate Christi, sed dissident circa id, per quod in ea sunt. Alvarez cum quibusdam aliis contendunt id oriri ex Dei immensitate, alii verò ex concomitantia. Id igitur expendendum est, ubi fidem Catholicam asseruerimus.

CONCLUSIO. Sola Filii persona naturam humanam assumpsit.

Probatur 1. tum ex Scriptura, tum ex Traditione. Scriptura docemur 1. Deum Patrem nobis per Incarnationem Filium suum dedisse: *Sic*, inquit Joannes, *Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Docemur 2. eum solum, qui Patrem habet, ratione assumptæ humanitatis, esse eodem Patre minorem: *Pater major me est*. 3. De Verbo tantùm, non autem de cæteris personis, dicitur, quòd carnem induerit: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Idem dogma Traditione continetur. Symbola omnia, ut videre est in Apostolico, Nicæno & Constantinopolitano, soli Filio tribuunt assumptionem humanæ naturæ: *Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine*. Tandem damnati sunt olim Patripassiani, quòd ex eorum de Trinitate principiis sequeretur, Patrem pro nobis incarnatum ac passum fuisse.

Probatur 2. ratione. Conveniens fuit, ut sola Filii persona naturam humanam assumeret. Nam 1. par erat, ut qui ab æterno erat Dei Filius, in tempore fieret filius hominis; nec erat consentaneum, ut is, qui ab æterno pater est, in tempore filius fieret. 2. Æquum fuit, ut Dei Patris opus per eandem sapientiam reficeretur, per quam olim conditum fuerat. 3. Decuit, ut homines fierent filii adoptivi per eum, qui Dei filius est naturalis. 4. Rationi fuit consentaneum, ut accidentalis imago Dei, per substantialem illius imaginem ad prototypi sui similitudinem rediret. Congruentiam sapiunt illa argumenta, sed vera ac unica ratio, cur solus Filius carnem induerit, fuit suprema ac sola Dei voluntas.

Objicies 1. Una persona non potuit sine alia incarnari: ergo non sola filii persona humanam naturam as-

sum-

sumpsit. Probatur ant. Una persona non potest sine alia incarnari, si una persona sine alia non possit agere ad extra; incarnatio enim est opus Dei ad extra, cum per eam Deus aliqua ratione extra se ipsum exierit: atqui una persona non potest sine alia agere ad extra: ergo nec incarnari.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. maj. Ad 3. dist. ant. Incarnatio est opus ad extra, quod actionem simul & terminum importat, conc. ant. quod solam actionem, neg. ant. Incarnatio, duo dicit, actionem, per quam assumpta fuit humana natura, & terminum illius assumptionis. Prius seu actio, est communis toti Trinitati, quia emanat tanquam à causa efficiente; posterius verò, hoc est, terminus, singulare est Filio, quia emanat non tanquam à causa efficiente, hoc est, tanquam a natura, quæ communis est, sed tanquam a causa subsistente & relativa, quæ singularis est personæ Verbi: *Cum* (inquit Concilium Toletanum VI. capite 1.) *tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in unitate divinæ naturæ*, id est, *in eo quod proprium est filii, non quod commune Trinitati*. Qua autem ratione id fieri potuerit, declarat Augustinus Serm. 3. de tempore, ubi sic loquitur: *Ars dictat, manus tangit cytharam, corda resonat: cum chorda autem ars pariter & manus operantur. Sic non Pater, non Spiritus sanctus susceperunt carnem, & tamen cum Filio pariter operantur.*

Objicies 2. Una persona videri non potest à beatis sine alia: ergo neque potest sine aliis incarnari.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia tres personæ sunt realiter idem cum essentia divina, quæ primarium est objectum visionis beatificæ; tres autem personæ a se invicem realiter distinguuntur; ac proinde mirum non est, quòd uni tribuatur effectus relativus, qui cæteris minimè convenit.

CONCLUSIO 2. Licèt nec Pater nec Spiritus sanctus humanitatem assumpserint, sunt tamen per concomitantiam in humanitate, quam solum Verbum assumpsit.

Probatur. Esse per concomitantiam, est esse ratione alicujus, cum quo vel est identitas, vel unio: atqui hac ratione Pater & Spiritus sanctus sunt in humanitate Christi; scilicet persona Filii, quæ in ea est, idem est realiter cum natura divina, quæ tribus personis communis est: ergo, &c.

Hinc autem patet ratio, cur Christus Joannis 8. sic loquatur: *Solus non sum, sed ego & qui misit me Pater*, Et cap. 14. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est?* Eòdem spectant, quæ leguntur ad Coloss. 2. *In ipso* (Christo) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Huc etiam spectat hæc Cyrilli Alexandrini sententia, in Concilio Ephesino, Tom. 6. c. 17. *Erat Deus Pater cum Filio, hoc est, cum incarnato, inhumanatoque Verbo, prout is à filio separari nequaquam potest.*

Objicies 1. Si Pater & Spiritus sanctus essent in humanitate per concomitantiam, in ea essent vi incarnationis, sicut ideò sunt in Eucharistia per concomitantiam, quòd in ea sint vi consecrationis: atqui sic non sunt in humanitate Christi, alioquin enim dicerentur incarnati, saltem mediate; scilicet essent secundarius terminus Incarnationis: quemadmodum natura filii, quæ ob id secundariò dicitur incarnata.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. 3. 4. neg. ant. Ratio disparitatis est, quia natura Filii non ideò est terminus secundarius Incarnationis, quòd sit natura divina simpliciter, sed præcisè, quòd sit natura filii, seu natura, quæ per Verbi hypostasim terminatur.

Objicies 2. Pater & Spiritus sanctus dici non possunt esse in filio per concomitantiam: ergo neque in humanitate Christi. Probatur ant. Dici non potest, quòd tota Trinitas sit in Filio per concomitantiam: ergo neque dici potest, quod Pater & Spiritus per concomitantiam sint in Filio.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia per hanc propositionem: *Tota Trinitas est in Filio*, significatur, personam Filii esse quartam personam a Trinitate distinctam, quod est falsum, ut patet ex cap. *Damnamus, de summa Trinit.* At verò per hanc propositionem, *Pater & Spiritus sanctus sunt in Filio*, non significatur quaternitas, sed tantùm trinitas personarum: non significatur pariter per hanc aliam *Pater Filius & Spiritus sanctus sunt in Christo*, quia vox, *Christo*, in ea propositione supponit pro humanitate: ita ut sensus sit, tres personas esse in humanitate, Filium quidem directè & primariò, alias verò personas indirectè & secundariò, nimirum ratione alterius, id est, quòd sint idem cum natura, quæ in Filio reperitur.

CAPUT II.

Utrum naturæ; an verò personæ tantùm, conveniat assumere.

Not. **A**Ssumptio duobus modis potest considerari, vel ratione principii activi, vel ratione termini.

Iterum assumptio sumi potest propriè, vel impropriè. Hic igitur quæri potest 1. Utrum assumere, aliquo modo naturæ divinæ conveniat. 2. Utrum seclusis personis, natura divina substantialiter uniri potuerit humanæ naturæ.

CONCLUSIO 1. Assumptio aliquo modo convenit naturæ divinæ.

Probatur. Quod naturæ divinæ convenit tanquam principio activo, ei aliquo modo convenit: atqui assumere convenit naturæ divinæ tanquam principio activo; scilicèt natura divina est principium effectivum *Quo* unionis hypostaticæ, seu est principium efficiens actionis, per quam Verbum humanitati fuit hypostaticè conjunctum.

CONCLUSIO 2. Assumptio propriè sumpta non convenit naturæ divinæ.

Probatur. Assumptio propriè sumpta dicit per se & primariò rationem termini: atqui ratio termini non convenit naturæ divinæ, sed personæ tantùm; persona nimirum est, quæ naturam reddit incommunicabilem; ac proindè, quæ eam terminat, hoc est, efficit, ut natura alteri non communicetur.

Objicies 1. Ex sanctis Athanasio & Cyrillo natura divina dicitur incarnata; unde sic arguitur: Assumptio ei propriè convenit, quod dicitur incarnatum: atqui natura divina dicitur incarnata: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Assumptio ei propriè convenit, quod dicitur incarnatum primariò & per se, conc. maj. secundariò & tantùm ratione alterius, neg. maj. Non illo, sed isto tantùm modo, natura divina dicitur incarnata: sic enim dicitur ratione personæ Verbi, quæ humanæ naturæ immediatè communicata fuit: *Et ideò* (inquit S. Thomas 3. p. quæst. 3. in Corpore) *primò quidem & propriissimè persona dicitur assumere; secundariò autem potest dici, quòd etiam natura assumpsit naturam ad suam personam. Et secundùm etiam hunc modum dicitur natura incarnata, non quòd sit in carnem conversa, sed quia naturam carnis assumpsit. Unde Damascenus dicit: Dicimus naturam Dei incarnatam esse secundùm beatos Athanasium & Cyrillum.*

CONCLUSIO 3. Si per impossibile natura divina esset sine relationibus, paternitate nimirùm, filiatione & spiratione passiva, posset humanam naturam assumere.

Probatur. Ad assumendum requiruntur tria, omnipo-

nipotentia, persona assumens, natura assumenda: atqui in suppositione, de qua agitur, tria illa reperirentur. Et quidem 1. omnipotentia, cum sit idem cum natura, quæ (ut supponitur) remaneret: 2. Reperiretur persona; Deus enim in eo casu tanquam res subsistens conciperetur, & esset sui juris: 3. denique reperiretur natura assumenda, humana nimirum, aut quævis alia: ergo natura divina concepta sine relationibus, posset humanam naturam assumere.

Objicies. Assumptio est actio, per quam natura creata unitur divinæ personæ; atqui in suppositione, de qua agitur, impossibilis esset ejusmodi actio; siquidem in Deo non esset persona: scilicet personæ in divinis per relationes constituuntur: atqui nullæ in Deo forent relationes: ergo neque aliqua persona.

Resp. dist. ant. In Deo non esset persona ejusdem generis, ac est modò, conc. ant. alterius generis, neg. ant. Persona in illo casu esset in Deo, quemadmodum est in creatis, aliquid absolutum.

CONCLUSIO 4. Natura divina, conjuncta, ut est reverà, relationibus personalibus, non posset creatam naturam assumere, non communicando ei aliquam personalem relationem.

Probatur. Ut natura divina creatam assumat, necesse est, ut ei subsistentiam divinam communicet, alioquin enim esset tantùm assumptio accidentalis, per authoritatem nimirum, amorem & gratiam: atqui in suppositione, de qua est quæstio, natura divina nullam creatæ naturæ subsistentiam communicaret; neque enim (ut superiùs diximus) natura divina habet aliquam subsistentiam absolutam, quæ tribus personis communis sit; sed quæcumque est in ea, subsistentia, est omninò relativa.

Objicies. Repugnat conclusio S. Thomæ: sic enim loquitur 3. p. q. 3. art. 3. in Corp. *Et secundùm hoc abstracta personalitate per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam assumentem*: ergo, &c.

Resp. dist. textum S. Thomæ: Possumus adhuc intelligere naturam assumentem, in alio statu, in quo tres non sunt, conc. ant. in statu, in quo tres sunt, neg. ant. S. Doctor non loquitur de Deo secundùm statum realem, in quo est modò, hoc est secundùm statum, in quo tres habet subsistentias relativas; sed loquitur de eo secundùm statum, in quo reverà non est, seu in quo intellectus eum concipit, sicut & Judæi eum concipiunt, contendentes, unam esse in divinitate personam, quemadmodum una est tantùm natura. Vide ejusdem S. Doctoris responsionem ad tertium argumentum.

CAPUT III.

Utrum tres personæ divinæ potuerint eandem humanitatem assumere.

Not. Scotistæ passim contendunt, tres personas non potuisse simul eandem humanitatem assumere; affirmant è contra Thomistæ post Angelicum Doctorem 3. p. q. 3. art. 6. Quæri etiam solet, utrum una persona duas diversas naturas assumere potuerit. Nostram iis de rebus mentem subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Tres personæ SS. Trinitatis potuerunt eandem humanitatem simul assumere.

Probatur. Non implicat, neque ex parte divinarum personarum, neque ex parte humanitatis, neque ex parte assumptionis: ergo fieri potuit. Probatur ant. per partes. Non implicat 1. ex parte divinarum personarum: si enim implicaret, id oriretur ex eo, quod tres divinæ personæ sese invicem ab eadem natura excludant; at ex eo non oritur, cum ex mysterio SS. Trinitatis constet, eandem divinam naturam esse in tribus personis realiter distinctis, & tres illas personas eandem divinam naturam terminare. Non implicat 2. ex parte humanitatis: cum enim per potentiam divinam fiat capax personalitatis Verbi, quæ est infinita, non repugnat quin per eandem potentiam fiat capax personalitatis Patris & Spiritus sancti. Tandem 3. non implicat ex parte assumptionis; quia (ut jam supra dictum est) assumptio considerata in ordine ad principium activum, a quo oritur, communis est tribus personis SS. Trinitatis.

Objicies 1. Unus effectus pendere non potest a pluribus causis totalibus; essent enim totales ex suppositione, & non essent totales, quia admitterent aliarum consortium: atqui si tres personæ assumerent eandem humanitatem, unus effectus penderet a pluribus causis totalibus; siquidem idem humanæ naturæ terminus, esset a tribus personis, itaut quælibet reverà eam adæquatè terminaret: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia consortium alterius causæ impedit tantùm, ne alia causa sit totalis, cum impedit, ne totum effectum producat. Verùm in suppositione, de qua agitur, id nulla divina persona impediret: nam per subsistentiam Patris v. g. humanitas ita subsisteret, ut ea sublata, subsisteret adhuc per aliam subsistentiam, Filii nimirum, aut Spiritus sancti.

Objicies 2. Divina persona non potest assumere humanitatem propria subsistentia terminatam: ergo neque terminatam aliqua divina subsistentia.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia humanitas, quæ propriam habet subsistentiam, per se subsistit; quæ verò alienam, per se non subsistit, sed in alio: humanitas autem, quæ per se subsistit, capax non est alterius subsistentiæ, quia per propriam subsistentiam fit proprii juris; in hoc enim positus est formalis (ut loquuntur) effectus subsistentiæ; ac proindè non potest fieri alieni juris; alioquin esset simul & non esset juris proprii. E contra humanitas, quæ subsistit in alio, potest esse duplici titulo juris alieni, per duplicem nimirum alienam subsistentiam, seu per conjunctionem cum duplici persona, quæ natura assumpta superior sit.

Objicies 3. Si tres personæ eandem humanitatem assumerent, de eadem humanitate dici posset, 1. quòd esset simul Pater, Filius & Spiritus sanctus, ac proindè ingenitum & genitum de ea dici possent; 2. quòd Pater esset Filius, sicut dicitur, quod homo sit Verbum, eo quod in persona Verbi subsistat: atqui hæc absurda sunt: ergo, &c.

Resp. Non fore absurdum in casu, de quo agitur, dicere, quòd idem homo esset simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ratio est, quia in hac propositione, *Eadem humanitas esset simul Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, subjectum, *Humanitas*, supponeret pro natura, prædicata verò, *Pater, Filius & Spiritus sanctus*, pro personis; unde sensus esset, quòd eadem natura tribus subsistentiis, Patris nimirum, Filii & Spiritus sancti subsisteret. Econtra verò in hac propositione, *Pater est Filius*, subjectum, *Pater*, prædicatum, *Filius*, pro personis supponunt; ac proinde falsa est, cum certum sit, personam Patris esse realiter distinctam a persona Filii. Vide S. Thomam, hîc in resp. ad 3.

CONCLUSIO 2. Una persona potest assumere plures naturas simul.

Probatur. Id non implicat neque ex parte personæ, quæ infinitam habet vim terminativam, quæ proindè non exhauritur per sui cum una natura creata unionem: Non implicat quoque ex parte naturarum, cum nulla omninò sit natura, quæ propria subsistentia spoliari non possit, ac proindè, quæ per divinam terminari non valeat: ergo, &c.

Objicies. In ea suppositione dici posset, quod Deus esset plures homines, nempè multiplicatur denomina-

tio,

tio, quoties natura multiplicatur: sed id videtur absurdum, quia secundum receptum loquendi modum, voces istæ, *plures homines*, significant pluralitatem, tum naturarum, tum suppositorum.

Respondet S. Thomas negando maj. & ejus probationem: *Nusquam* (inquit 3. p. q. 3. art. 7. ad 2.) *nomen ab aliqua forma impositum, pluraliter dicitur*, nisi *propter pluralitatem suppositorum*. Ex eo principio S. Doctor colligit, quod si persona divina assumeret duas naturas humanas, propter unitatem suppositi diceretur unus homo, habens duas naturas humanas.

QUÆSTIO II.

De natura assumpta.

Not. QUæremus hic 1. Quam naturam Verbum assumpserit; 2. An humanam existentiam; 3. Utrum personam; 4. Utrum corpus ab eo assumptum, fuerit verum, è cœlis delatum, corruptibile, sanctum, commendatum venustate formæ; 5. Utrum Verbum assumpserit animam humanam; 6. An in anima assumpta fuerint intellectus & voluntas; 7. Denique utrum in anima assumpta aliquæ passiones extiterint.

CAPUT I.

Quam naturam Verbum assumpserit.

Not. IN natura, quam Verbum assumpsit, considerari possunt species, abstractio ab individuis, existentia in omnibus individuis: hic igitur quærendum est 1. Cujus speciei fuerit natura, quam Verbum assumpsit; 2. Utrum assumpserit naturam ab omnibus individuis abstractam; 3. Denique an naturam in omnibus individuis existentem.

CONCLUSIO 1. Natura cujuscumque sit speciei potuit assumi a Verbo.

Probatur 1. Verbum potuit assumere naturam Angelicam, id enim supponit Apostolus, cum divinæ in homines clementiæ tribuit, quòd Deus non Angelos, sed Abrahæ semen apprehenderit. 2. Uniri potuit creaturæ irrationali, tum quòd in triduo mortis Christi, Verbum hypostaticè remanserit unitum cum corpore, quod jacebat in sepulchro, tum etiam quod id supposuerint Patres, cum adversùs Arianos disputarunt. Isti contendebant, Verbum assumpsisse corpus anima destitutum: illi verò, efficaci alioquin hoc argumento, quod Verbum cum natura irrationali hypostatice conjungi non potuerit, usi non sunt. 3. Ut natura possit assumi à Verbo, satis est, ut spoliari possit propria subsistentia, & terminari divina; atqui natura, cujuscumque sit speciei, id potest; non enim propria subsistentia magis est essentialis alicui naturæ, quàm humanæ; ac proindè, cum, ut fides docet, humana possit propria subsistentia spoliari, ita & quælibet alia creata, cujuscumque sit speciei. Addendum est subsistentiam Verbi non minoris esse virtutis respectu naturarum, quæ sunt speciei ab humana diversæ, quam respectu naturæ humanæ; proindeque non minùs potest supplere subsistentias aliarum naturarum, quàm naturæ humanæ.

CONCLUSIO 2. *Verbum* nec Angelum, nec aliam ab humana naturam ulquam assumpsit.

Probatur ex Scriptura, quæ excludit Angelos ab hypostatica cum Verbo unione: *Non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit*. 2. Tertulliani tempore nonnulli somniarant, Verbum assumpsisse naturam Angelicam: *Sed* (verba sunt Tertulliani lib. de carne Christi, novatorum illorum somnium referentis) *Angelum, ajunt, gestavit Christus. Qua ratione? Qua & hominem.* Eos autem sic idem Tertullianus urget: *Homo perierat, hominem restitui oportuerat. Ut Angelum gestaret Christus, nihil tale de causa est. Nam etsi Angelis perditio reputatur, in ignem præparatum diabolo & Angelis ejus, nunquam tamen illis restitutio repromissa est. Nullum mandatum de salute Angelorum suscepit Christus à Patre.* 3. Cum unio Verbi cum aliqua natura creata, sit opus, Dei respectu liberum, est enim ad extra; asseri non debet, si nec Scriptura, nec Traditione contineatur; atqui neutra continetur Verbi cum Angelica natura unio hypostatica; nempè ambo illi Theologiæ fontes, cum de Verbi exinanitione loquuntur, hominis solius meminerunt: *Verbum caro factum est. Venit Filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat.*

Objicies. Nonnulli sunt Patres, qui asseruerunt, Verbum Angelos assumpsisse. 1. Hæc habet Origenes Com. in Joan. *Factus est omnibus omnia, ut omnes lucrifaceret vel perficeret: & manifestè homo hominibus, Angelus Angelis factus est.* 2. Eam naturam, Dei filius assumpsit, pro qua mortuus est; atqui mortuus est pro Angelis: hunc enim Apostoli locum in Epistola ad Hebræos, *Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem*, sic post Theodoretum Oecumenius exponit: *Ita* (inquit) *hoc accipiendum est, quod sine Deo, seu excepto Deo, pro omnibus aliis mortuus sit Christus.* Origenes docuit, Christum nondum quidem pro Angelis passum esse, sed contendit passurum aliquando: *Ad extremum* (inquit Hieronymus in Epistola ad Avitum, ubi recenset errores, qui Origenianis libris Periarchon continentur) *intulit, quod & cogitasse sacrilegium est, pro salute dæmonum Christum etiam in aere, & in supernis locis esse passurum*: ergo, &c.

Resp. ad 1. Origenem, si ea docuerit, turpiter errasse, sicut & in multis aliis capitibus erravit; ac proinde nullam authoritatis illius hac in re haberi debere rationem. Resp. ad 2. Theodoretum, & Oecumenium ab Origine differre, quòd non asseruerint, Christum, aut mortuum esse aut aliquando moriturum esse pro salute dæmonum. Quantùm verò ad Beatos Angelos, docuerunt, mortuum esse pro eis Christum, non quidem quantum, aut ad gratiam, quam receperunt in via, aut quantum ad gloriam essentialem, qua fruuntur in cœlis, sed tantùm quantum ad gloriam accidentalem, gaudium nimirùm, quòd ex hominum per Christi mortem reparatione perceperunt: nonnulla enim, saltem impropriè dicta, tristitia affecti fuerant ex eorum lapsu, ut hisce verbis declarat Theodoretus, & post eum nonnulli alii Patres: *Hoc etiam dicit in Epistola ad Hebræos: Ut sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Sola autem divina natura ab egestate aliena est, omnis verò creatura opus habebat incarnationis medicamento. Elementa enim, quæ propter usum hominum facta sunt, correptioni obnoxia fecit, quandoquidem hunc etiam mortalem factura erat trasgressio. Invisibiles autem potestates ægrè ferebant, ut est verisimile, dum improbitatem viderent grassantem inter homines. Si enim lætantur propter unum peccatorem pœnitentiam agentem, sicut dicit Dominus, clarum est, eos ægrè ferre, dum vident contraria.*

CONCLUSIO 3. Conveniens fuit, ut Verbum naturam humanam, non autem aliquam aliam assumeret.

Probatur variis argumentis. 1. Par fuit (ut observat Augustinus lib. 13. de Trinitate, cap. 18.) ut diabolus in eadem, quam vicerat, natura vinceretur. 2. Conveniens fuit, ut natura, quæ peccaverat, ipsa cum Verbo hypostaticè conjuncta satisfaceret. 3. Dei potentia in eo maximè elucet, quòd per corruptam ac infirmam naturam, tantùm dignitatis homini contulerit.

Dices, ea argumenta nimis probare: probant nimirum Verbum debuisse assumere ipsam, quæ peccaverat Adami naturam.

Sed facile præcluditur illud effugium; siquidem

opor-

oportuit eum, qui venerat, ut tolleret peccata, esse immunem a peccato: neque enim par erat, ut liberaturus liberatione indigeret.

Quæres, an Verbum unitum carni potuisset dæmones liberare, nisi Pater irrevocabili decreto eos pœnis æternis damnasset?

Respondent nonnulli negativè, quia (inquiunt) Angeli non sunt capaces pœnitentiæ, eò quòd (addunt) sic a natura comparati sint, ut ubi unum objectum elegerint, ipsi immobiliter inhæreant. Respondent alii affirmativè: Unde (inquiunt) quod Christus pro dæmonum salute passus non sit, id factum est, quod Pater eos liberari noluerit.

Jam verò si quis urgeat, quare Pater homines, non autem Angelos liberari voluerit; respondendum erit 1. non aliam certam causam, quam ipsam Dei voluntatem assignari posse. Respondendum erit 2. multas ejusmodi consilii à S. Doctoribus causas afferri. Id factum est (ait Augustinus Tract. 110. in Evang. Joannis) quod Angelorum culpa, nostra multùm gravior fuerit: *Tantò enim minus, quàm nos peccare debuerunt, quantò meliores nobis fuerunt*. Id contingit (ait idem Sanctus Doctor lib. 3. de libero arbitrio, cap. ult.) quòd homo fuerit imitator superbiæ, diabolus verò illius author. Sic se Deus gessit, quòd omnes Angeli in uno non peccassent, cum econtra homines in uno Adamo rei facti sint: *Angeli* (inquit Anselmus lib. 2. cur Deus homo cap. 21.) *sunt omnes pariter creati, non ab uno Angelo, sicut homines ab uno homine nati. Ideo si Christus ab uno Angelo naturam Angelicam sumeret, illum redimeret, alii extra redemptionem remanerent.*

CONCLUSIO 4. Verbum non debuit assumere naturam humanam ab omnibus individuis abstractam, nec naturam in omnibus individuis existentem.

Probatur prior pars. Natura ab omnibus individuis abstracta, est natura, quæ existit tantùm in intellectu hominis cogitantis, non autem a parte rei; at æquum fuit, ut Verbum assumeret veram & realem naturam, quò eam vere & realiter sanaret; non enim sanavit, nisi id quod assumpsit.

Probatur altera pars. Si Verbum omnes in individuo naturas humanas assumpsisset, nullus foret inter Deum & homines mediator: scilicet propter unitatem suppositi, unus tantùm esset homo, qui plures haberet naturas. Præterea per assumptionem unius naturæ, abundè consultum fuit humanæ saluti: ergo superfluum fuisset plures, & a fortiori omnes omnino naturas assumere.

CAPUT II.

Utrum natura, quam Verbum assumpsit, propriam habeat existentiam.

Not. PLures ex Thomistis contenderunt, naturam humanam, quam Verbum assumpsit, carere propria existentia, asseruerūtque, quod sicut subsistit per subsistentiam Verbi, ita etiam existat per ejusdem Verbi existentiam. Econtra alii Scholastici passim docent, naturam humanam, quam Verbum assumpsit, propriam habere existentiam, sicut & propriam essentiam.

Probatur 1. Natura humana, quam Verbum assumpsit, est ens verum ac reale: atqui ens verum & reale habet existentiam sibi propriam, siquidem ens verum & reale, id habet, quod necessario ex idea entis veri & realis sequitur: sed existentia propria ex ea sequitur; ens enim verum & reale differt a non ente, quod cùm istud existentiam non habeat, seu sit in nihilo, illud econtra habeat existentiam, seu in nihilo minime jaceat.

Probatur 2. ex comparatione, quam Patres nunquam inter Trinitatem & Incarnationem instituerunt. Asseruerunt, quod cùm in Trinitate, quæ absoluta sunt, minime multiplicentur; econtra in Incarnatione multiplicia sint: atqui existentia est aliquid absolutum; non enim *ad aliud* dicitur, sicut subsistentia, hypostasis, persona, sed *ad se*: ergo multiplicatur in Incarnatione; ac proinde sive divina, sive humana natura, propriam in ea existentiam habent.

Confirmatur authoritate Cyrilli Alexandrini. Is in primo adversùs Nestorium opponit existentiam Verbi existentiæ humanæ naturæ: nimirùm ubi asseruit, quod illa nullum habere possit initium: *Impium est* (inqui) *vel opinari solum, Verbum, quod ex Patre prodiit, ad novum initium, ut esse inciperet, vocatum fuisse, aut existentiæ propriæ velut radicem quandam, cepisse sanctissimæ Virginis carnem*: Ubi (inquam) id asseruit, docet econtra, existentiam humanæ naturæ, initium accepisse in Virginis sinu: *Nec* (ait) *existentia carnalis initium viam alteram* (quam per generationem & nativitatem) *habere possit.*

Objicies 1. Sophronius Jerosolymitanus Patriarcha in epistola Synodica, quam misit ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, quæque probata est à sexta generali Synodo, ut patet ex Actione 2. sic loquitur de humana Christi natura: *In ipso* enim (Verbo) *& non per seipsam, existentiam habuit*. S. Joannes Damascenus lib. 3. cap. 12. scribit, *carnis extantiam in ipso Verbo habere*; ergo tum Sophronio, tum Joanni Damasceno persuasum fuit, humanam naturam in Christo non habere propriam existentiam.

Resp. ad 1. dist. ant. Ex Sophronio, natura humana non per seipsam, hoc est, ante suam unionem cum Verbo, existentiam habuit, conc. ant. Non per seipsam, hoc est, non propriam ac ex ipsa natura fluentem existentiam habuit, neg. ant. Solutionis veritatem probant tum, quæ in Sophronio præcedunt verba, quæ nobis objecta sunt, tum quæ ipsa immediate consequuntur; sic enim habet textus: *Simul enim caro; simul Dei Verbi caro; simul animata rationalis; simul Dei Verbi caro animata rationalis. In ipso enim, & non per se ipsam, existentiam habuit. Quippe simul cum Verbo concepta, corpus & anima ad consistendum ista producta sunt, & unita sunt ipsi secundum hypostasim, simul atque ad consistendum producta sunt*. Nec obest, quod in veteri interpretatione Latina legeretur: *In illo itaque, & non per se ipsam habuit existentiam unam*: Siquidem vox, *unam*, deest in Græco textu; unde in interpretatione recentiore meritò prætermissa fuit.

Resp. ad 2. dist. ant. Ex Damasceno natura humana habet extantiam in Verbo, sibi propriam, conc. ant. non sibi propriam, neg. ant. Naturam humanam habere extantiam in Verbo, & habere extantiam propriam, non sunt duo, quæ se invicem excludant. Damascenus ea loquendi ratione non aliud voluit, quam quod Ecclesia contra Nestorianos docuit, naturam humanam ne momento quidem extitisse ante suam cum Verbo unionem: scribit enim, *assumptionem carnis, hujus extantiam & deificationem à Deo Verbo eodem momento fuisse.*

CAPUT III.

An Verbum personam humanam assumpserit.

Not. NEstorius, de quo jam aliqua diximus P. 1. Dissert. 4. art. 3. §. 1. & de quo etiam multo plura dicemus agentes de unione Verbi cum natura humana, docuit, Verbum non humanam tantùm naturam, sed etiam personam assumpsisse: indeque conclusit, in Christo duas esse personas, divinam & humanam, duos esse filios, Filium Dei & filium Mariæ Virginis; moralem tantùm, non autem substantialem Verbum inter & humanam

manam naturam unionem reperiri, positam nimirum in authoritate, sanctitate, ac donis accidentalibus humanitati concessis; neque enim alia, quam morali & accidentali unione duæ personæ a se invicem realiter distinctæ copulari possunt.

Not. 2. Eutyches, de quo nonnulla diximus parte 1. dissert. 4. art. 4. §. 1. & de quo redibit sermo, cùm agemus de unionis proprietatibus, docuit quoque, Verbum assumpsisse personam humanam. Uterque, Nestorius & Eutyches, hoc utebantur principio, quòd natura & persona essent unum & idem, ac proinde ab invicem separari non possent.

Not. 3. Licet quoad illud caput Nestorius & Eutyches convenirent, discrepabant tamen in conclusione, quam ex eo capite inferebant. Scilicet Nestorius supponens, post unionem duas in Christo naturas remansisse, docebat duas quoque remansisse personas. Econtra Eutyches supponens, unam tantùm personam post unionem in Christo remansisse, contendebat, unam quoque tantùm naturam remansisse.

CONCLUSIO. Verbum non assumpsit personam humanam.

Probatur. Verbum non assumpsit id, quod post unionem non remansit in Christo, tum quod Verbum nunquam dimiserit, quod semel assumpsit; tum etiam quòd (ut inferiùs contra Eutychem ostendemus) per unionem nulla facta sit in assumptis confusio: atqui humana persona post unionem non remansit in Christo. Nam 1. id apertè contra Nestorium in Concilio Ephesino 1. definitum est. 2. Id pariter expressè fuit assertum in Concilio Calcedonensi, quod quidem Actione 5. in definitione fidei pronuntiat, *Utriusque naturæ proprietates salvas manere, & in unam personam, atque unam hypostasim concurrere*. 3. Nulla inter humanam naturam & Verbum divinum admitti deberet communicatio idiomatum, si duæ essent in Christo personæ: non enim alio principio nititur idiomatum communicatio, quam quod unum sit in Christo suppositum, una persona, in qua duæ naturæ subsistunt: at admitti debere eam idiomatum communicationem, apertè Scriptura & traditio docent, ut fusè suo loco dicetur: ergo, &c.

Objicies 1. Si Verbum non assumpsit humanam personam, humanam subsistentiam, non assumpsit quoque humanam substantiam: sed impium est consequens: ergo, &c. Probatur maj. Substantia humana in suo conceptu essentiali includit personam, includit subsistentiam: Siquidem essentialis substantiæ conceptus, in eo positus est, quòd sit aliquid per se subsistens; & in hoc differt ab accidente, quod necessariò in alio subsistit; ac proinde si Verbum non assumpsit humanam subsistentiam, humanam quoque substantiam non assumpsit.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. neg. ant. Ad 3. dist. ant. Quod sit aliquid per se subsistens in exigentia, conc. ant. actu, neg. ant. Equidem essentiale est cuilibet substantiæ, ut exigat *per se* subsistere, & in hoc differt ab accidente, quod accidens per se indigeat alio, in quo subsistat; sed non est essentiale, ut actu *per se* subsistat. Unde licèt humanitas in Christo per se non subsistat actu, exigit tamen per se subsistere, & revera si a Verbo separaretur, *per se* subsisteret; cum econtra accidens a subjecto separatum subsistere minime possit.

Objicies 2. Si Verbum naturam humanam assumpsit, non assumpta humana persona, assumpsit mancam ac imperfectam naturam: illa nimirum natura manca est ac imperfecta, cui deest congruum illi complementum, modus existendi quem naturaliter exigit: atqui naturæ humanæ a Verbo assumptæ deesset congruum illud complementum, modus existendi, quem naturaliter exigit: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Assumpsit mancam & imperfectam accidentaliter naturam, conc. maj. mancam & imperfectam substantialiter, neg. maj. Subsistentia est modus existendi accidentalis substantiæ, non autem substantialis; substantia enim in ratione substantiæ, non aliud dicit, quam ens quod exigit per se, hoc est, independenter ab alio, subsistere; & in hoc (ut jam observatum est) differt ab accidente, quod ex natura sua exigit esse in alio.

Objicies 3. Individuum est idem cum persona: atqui Verbum assumpsit individuum humanum: ergo & personam.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia individuum prout individuum, non aliud est, quàm aliquid singulare; nempè opponitur communi: at id omne, quod est singulare, non est persona: siquidem singulare excludit tantùm id, quod est commune multis, persona verò excludit prætereà conjunctionem cum ente superiore, a quo pendeat; scilicet persona in suo conceptu dicit rem, quæ sui sit juris: amittitur verò jus illud per conjunctionem cum ente superiore, quippe quòd ens superius spoliet proprio jure naturam inferiorem, quam ad se sumit, eamque sibi ita vindicat, ut illius actus enti superiori tribuantur.

Instabis. In humanitate Petri v. g. est persona humana: ergo etiam & in humanitate Christi.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia est negatio communicationis in humanitate Petri, quæ non reperitur in humanitate Christi; scilicet humanitas Christi communicata est Verbo, ac proinde jam non sui juris est, sed Verbi, cum Verbum infinita virtute ac dignitate humanitatem superet: econtra humanitas Petri non est communicata alteri personæ superiori; & consequenter non alieni, sed proprii est juris: nempe essentia personæ in eo posita est, quòd ens, cujus est persona, proprii sit juris, non autem alieni.

Quæres, an verbum substantialiter assumere potuerit humanam personam?

Resp. negativè. Ratio est, quia persona humana dicit negationem communicationis naturæ superioris, a qua pendeat: at si Verbum humanam personam assumeret, tolleretur hujusmodi negatio communicationis, ac proindè ipsa etiam persona tolleretur.

Confirmatur responsio ex Patribus, qui Nestorium impugnarunt. Humana natura (inquiebant) cùm sit unita Verbo, non potest subsistere eo modo, quo, non posita ejusmodi unione, subsistisset: ergo propriam non habet subsistentiam. Ita ratiocinantur Cyrillus & alii, qui in Ephesina Synodo Nestorium damnarunt.

CAPUT IV.

An Verbum assumpserit verum corpus.

Not. 1. Ecclesia adhuc erat in incunabulis, cùm veritas carnis Christi ab hæreticis impugnari cœpit. *Multi* (inquit Joannes in prima epist. Canon. cap. 4.) *Pseudoprophetæ exierunt in mundum. In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit Jesum* (vel ut Græce scriptum est) *qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo non est, & hic est Anti Christus.*

Not. 2. Hæreticorum, qui negarunt Christi carnis veritatem, agmen ducit Simon Magus, Augustino teste lib. de hæresibus. Simonis blasphemiam probarunt, eodem Augustino teste, Saturninus, Basilides & Marcus. Iis (ut Tertullianus refert libro de præscriptionibus, cap 51.) adhæsit Cerdo, qui ex Syria Romam venit Hygini Papæ temporibus: adhæsit quoque Marcion Ponticus genere, ut videre est apud eumdem Tertullianum lib. de Carne Christi, cap. 1. & 5. lib. contra Marcionem, cap. 9. Manes, a quo Manichæi, circa annum

num Christi 277. in eandem hæresim impegit. *Dicit* (ait de eo Augustinus libro de hæresibus, cap. 46.) *Christum nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus prætulisse: ubi non solùm mortem, verùm etiam resurrectionem similiter mentiretur.* Manichæis subscripserunt Priscillianistæ: de iis enim hæc habet Leo Magnus, epist. 93. *Christum Dominum in vera hominis natura natum esse non credunt.*

CONCLUSIO. Verbum assumpsit verum ac reale corpus.

Probatur 1. Scriptura Christo verum corpus tribuit; sic enim ipsemet loquitur apud Isajam, cap. 10. *Corpus meum dedi percutientibus*: sic etiam Joannis 2. *Solvite templum hoc*; quæ quidem verba sic ibidem explicantur: *Ille autem dicebat de templo corporis sui*. Apostolus hæc habet ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*. Joan. 8. Christus seipsum dicit hominem: *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem locutus sum vobis*: Matth. 20. asserit se vere passurum: *Ecce ascendimus Jerosolymam, & filius hominis tradetur, & occidetur, & tertia die resurget*. Post resurrectionem seipsum suis Apostolis palpandum tradidit: *Videte* (inquit Lucæ ult.) *manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum*. Tandem post resurrectionem eum Apostolis non semel manducavit, ut probaret se non esse phantasma, quemadmodum Apostoli suspicati fuerant, cùm eum primum post resurrectionem viderunt. Ex iis autem locis sic argumentum conficitur: Ille verum habuit corpus, qui sibi ipsi tribuit corpus, qui communicavit carni & sanguini sicut alii homines, qui vere mortuus est, ac vere resurrexit, qui se videndum ac palpandum non semel discipulis tradidit: atqui Christus, &c. ergo, &c.

Respondent Phantasiastæ, nomine corporis, de quo in testibus mox laudatis fit mentio, intelligi debere corpus fictum & apparens tantùm, non autem corpus verum ac reale.

Verùm quam falsa sit illa responsio, variis momentis ostenditur. 1. Si Christus asserere voluisset se verum habere corpus, non aliis terminis uti potuisset, quam iis, quibus usus est. 2. Si post resurrectionem suam probare voluisset se verum habere corpus, non aliis argumentis uti potuisset; Apostolis enim singulatim, ac deinde congregatis se ostendit, voluit ut palparent ejus corpus, cum iis sæpiùs manducavit. 3. Si Christus non habuit verum corpus, natus est ac passus est tantùm specie tenus, ac proinde apparenter tantùm, non autem realiter & vere genus humanum redemit. 4. Si non habuit verum corpus: ergo vere non resurrexit, proindeque (ut ait Apostolus) inanis est spes nostra; siquidem Christus in suæ divinæ missionis testimonium ac confirmationem, suam ex mortuis resurrectionem pollicitus fuerat: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus readificabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui*. Tandem 5. Christus est ipsamet veritas, ipsamet bonitas; igitur nec ipse falli, nec cæteros per ementitum corpus fallere potuit.

Probatur 2. iis omnibus locis, in quibus tum Scriptura tum Patres testantur, Verbum factum fuisse carnem, verum fuisse hominem: *Aliter* (inquit Tertullianus in libro de Carne Christi) *non diceretur homo Christus sine carne, nec hominis filius sine aliquo parente homine. Quid dimidias eum mendacio Christum? totus veritas fuit.*

Probatur 3. argumento, quo Tertullianus utitur contra Marcionem. Ille verum habuit corpus, qui ex matre, avis, proavis progenitus est: Sed Christus progenitus est ex vera matre, veris avis, veris proavis; hos enim ab Abrahamo ad ipsum Christum usque recenset Matthæus cap. 1. imo eorum ab ipso Adamo Lucas catalogum texit: ergo, &c.

Respondebant olim Phantasiastæ, primum Matthæi caput, in quo Christi genealogia describitur, non esse genuinum ipsius Matthæi textum.

Sed quantùm errarent, facile potest ostendi; nempè primum Matthæi caput esse genuinum iisdem argumentis demonstratur, quibus in Proleg. aliorum capitum, imo & librorum novi Testamenti veritatem demonstravimus.

Objicies 1. Paulus ad Philippenses 2. loquendi modo utitur, quo veritas carnis a Christo videtur ablegari; *In similitudinem* (inquit) *hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Ad Rom. 8. *Misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati*. 2. ad Corinth. 5. *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus*; hoc est, licet olim putaremus, Christum habuisse verum corpus, nunc doctiores facti, id non credimus; ergo, &c.

Resp. ad 1. dist. ant. Factus in similitudinem hominum quoad statum, in quo sunt homines, conc. ant. quoad substantiam, neg. ant. Hoc est, licet non fuerit homo purus & peccator, exteriùs tamen visus est, *in similitudinem*, (ut ait Apostolus ad Rom. 8.) *carnis peccati*. Sed factus non est in similitudinem, seu externam tantùm speciem hominum quoad substantiam; verè enim & substantialiter fuit homo. Ita Græci locum illum passim interpretantur. Ad eundem textum responderi potest iterum, factus est in similitudinem veram & realem, conc. ant. apparentem tantùm, neg. ant. Id est, Christus vere fuit similis aliis hominibus, ac proinde verus fuit homo, sicut verus est Deus, quia factus est æqualis Deo.

Instabis. Christus dicitur *habitu inventus ut homo*: habitus verò externam speciem significat cum exclusione substantiæ, idque innuit particula *ut*; unde sensus est, Christus in externa hominis specie visus est, seu apparuit exteriùs ut homo, quamvis tamen non esset realiter homo: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Habitus significat figuram, unde in Græco textu loco *habitu*, *figura* legitur: figura autem, seu externa species, per se realitatem non excludit a subjecto, in quo reperitur: sic, ut vulgò dicitur, licet nihil magis sit simile quam ovum ovo, non sequitur, ovum non esse realiter ovum. Particula *Ut*, eò loci veritatis, non autem meræ similitudinis est nota: quod & Theophylactus annotavit, adducens locum, ubi Joannes dicit: *Vidimus gloriam ejus quasi unigeniti*, cum verè Christus sit unigenitus, sicut ibidem dicitur: *Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Resp. ad 2. similitudinem referri non ad carnem, sed ad peccatum, ita ut sensus sit, Verbum induisse carnem, quæ licet realiter summe sancta esset, in speciem tamen caro peccatrix videbatur; cum iisdem miseriis externis obnoxia esset, fami nimirum, siti & dolori, quibus obnoxia est aliorum hominum caro.

Resp. ad 3. hunc esse verborum, de quibus agitur, sensum: *Et si cognovimus secundum carnem Christum*, id est, licet olim pluris fecerimus gentilem & consanguineum esse Christi secundùm carnem: *Sed nunc jam non novimus*, hoc est, ita mortui sumus vitæ veteris affectibus, ut censeamus, in hujusmodi re gloriandum non esse. Hinc patet, Paulum eò loci carpere Pseudo-Apostolos, qui (ut constat ex capite 9. Epistolæ ad Romanos) eo imprimis gloriabantur, quòd Christo carne & sanguine conjuncti essent. Apostolus ejusmodi prærogativam non multi faciendam esse didicerat ab ipsomet Christo, quandoquidem nonnullis sibi nuntiantibus suæ matris & consanguineorum adventum, Lucæ 8. respondit: *Mater mea & fratres mei sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt*. Ea expositio confirmari potest ex Epistola ad Philippenses; scilicet Paulus capite 3. adversùs eosdem Pseudo-Apostolos *in carne fiduciam habentes*

agens, scribit, se quidem etiam habere, unde in carne confidere possit; sed universam illam in carne gloriandi materiam æstimasse propter Christum ut detrimenta & stercora.

Inde verò evidenter colligitur, locum, qui nobis objectus est, nullo modo favere Manichæis: imò in eos sic cum Augustino lib. 11. contra Faustum cap 7. interqueri potest: Si Christus nunquam fuit secundum carnem, mentitus est Paulus, cum ait: *Cognovimus eum secundum carnem*: siquidem nemo cognoscit, quod non est; nempè Paulus non dixit, *putavimus*, quod est opinantis verè aut falsò, sed, *cognovimus*. Præterea (alterum est argumentum Augustini) si Christus ideò non habuit carnem, quia dicit Apostolus, *se nunc* eum non novisse secundum carnem; igitur nec illi carnem habuerunt, de quibus versu præcedente dixit, *Ex hoc neminem novimus secundum carnem*.

Addendum est cum Estio, dici non posse, Paulum his verbis: *Sed nunc jam non novimus*, correxisse priorem suam de carnis veritate sententiam; nempe in aliis Epistolis, quæ post Epistolas ad Corinthios scriptæ sunt, eam multoties repetit ac confirmat: *Memor esto* (inquit 2. ad Timoth. 2.) *Jesum Christum resurrexisse à mortuis ex semine David secundùm Evangelium meum*.

Objicies 2. Humana caro est Deo prorsùs indigna, tum quòd ab eo distet infinitè, tum quod adversùs spiritum concupiscat, tum denique, quod sit a principio nequam. Ita Manichæi quondam ratiocinabantur: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Nempè 1. Deum ipsum non dedecet, quod propriis manibus, & quidem ex consilio SS. Trinitatis effectum est. 2. Caro, quæ in Adamo in varia membra disponebatur, ipsummet futurum Christum adumbrabat. 3. Deus carnem multis beneficiis cumulavit; animam nimirum, quæ Dei ipsius est imago, illi inseruit; Christus eam redemit; illi Sacramentorum receptio debetur; in carne virginitas multæque aliæ virtutes exercentur. Vide Tertul. lib. de resurrect. carnis.

Nec valent Phantasiastarum instantiæ. Nam 1. ex infinita carnis a Deo distantia non colligitur carnis indignitas, sed summus Dei in hominem amor; nimirùm amoris est, amantem, quantumcumque emineat, ad objectum amatum deprimere. 2. Caro, quæ hominis peccato fuit commaculata, concupiscit quidem adversùs spiritum, non autem caro virgo, & sanctissima, quam Verbum assumpsit. 3. Fictitium est nequam illud mali principium, quod Manichæi supposuerunt; scilicet aliud non est, quam iniqua voluntas hominis, quam Deus finit abuti arbitrio, quod illi concessum est.

Objicies 3. Ex multis Patribus Græcis, Verbum carne indutum antiquis Patriarchis apparuit, coram eis ambulavit, peregitque alia, quæ realem cum carne unionem arguebant, & tamen phantasticum erat illud corpus: ergo ex eo, quòd Christus hominibus visus sit, quòd cum eis biberit, ac manducarit, colligi non debet, ipsum habuisse verum ac reale corpus.

Resp. neg. conseq. Ratio est 1. quia vera non est aliquorum veterum sententia, qui contenderunt, apparitiones, de quibus agitur, factas fuisse in persona Verbi: nempè harum Institutionum Parte III. cum Augustino probavimus, eas apparitiones factas fuisse per Angelos, qui Deum sedicebant, quod tunc illius partes agerent. 2. Veteres illi, quibus placuit, apparitiones, de quibus agitur, factas fuisse in persona Verbi, docuerunt corpus, in quo Verbum sese Patriarchis videndum præbebat, fuisse non fictitium, sed verum & reale corpus, quo licet nondum nato, Verbum utebatur, ut homines ad veri, nati, ac passuri corporis fidem disponeret.

CAPUT V.

An Verbum corpus terrenum assumpserit.

Not. Valentinus (Irenæo teste lib. 3. de hæresibus cap. 4.) ex Ægypto Romam, Hygino Pontifice, venit. Sub Pio celebrem fuisse & ad Anicetum usque mansisse, idem Author scribit. Ex Hesiodi Theogonia plurium Deorum fabulam in Ecclesiam Christianam transferre conatus est: nempè Deos triginta constituit, quos Æonas nominavit. Docuit, *Unigenam* ex illis Æonibus unum, procreasse Christum & Spiritum sanctum; Jesum autem ab Æonibus simul omnibus veluti ea collatitia stirpe procreatum fuisse. *Hunc* (verba sunt Epiphanii hæresi 31.) *è cœlo detulisse corpus ac per Mariam Virginem, velut aquam per canalem, transisse, nec ex ejus utero quidquam sumpsisse*.

CONCLUSIO. Verbum non detulit è cœlo carnem, cui unitum est, sed eam ex Maria sumpsit.

Probatur 1. iis omnibus Scripturæ locis, in quibus Christus dicitur filius hominis: at filius hominis non est, nisi, qui sit ex alterius hominis substantia. 2. Matthæi capite primo Christus dicitur natus non in Maria, sed de Maria: *De qua natus est Jesus, qui vocatur Christus*: Eam verò loquendi rationem adhibuit Evangelium, quod Christus ex Mariæ substantia efformatus sit: ideò nimirùm aqua, quæ per hortum vehitur, non dicitur ea horto nasci, quòd ex horti substantia non generetur. 3. Idem ostenditur iis omnibus locis, quibus Christus asseritur genitus ex semine David. 4. Eandem veritatem demonstrat Christi genealogia, quam per avos & atavos Matthæus ad Abrahamum usque deducit; Lucas verò usque ad Adamum. Tandem 5. articulum, de quo agitur, probant argumenta omnia, quibus superius ostensum est, conveniens fuisse, ut Verbum carnem humanam indueret.

Objicies 1. Paulus primæ ad Corinht. 15. in eo Christum opponit Adamo, quòd cum Adamus terrenum corpus habuerit, Christus è contra habuerit cœlestem: *Primus homo* (ait) *de terra terrenus; secundus homo de cœlo cœlestis*: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Apostolus in eo Christum opponit Adamo, quòd habuerit corpus cœleste post resurrectionem, conc. ant. ante resurrectionem, neg. ant. Ratio est, quia Apostolus opponit statum, in quo nunc est corpus Christi, statui, in quo erat Adami corpus, dum viveret: hoc est, cum mortale ac passibile fuerit Adami corpus, eò quòd de terra confectum esset, & post peccatum careret gratia, per quam erat immortale, è contra corpus Christi nunc post resurrectionem sit impassibile ac immortale, non tantùm ratione beneficii gratuiti, quod Deus omnibus justorum corporibus aliquando concessurus est; sed etiam ratione personæ, cui unitum est, & ratione cujus personæ Christus de cœlo sit, hoc est, cœlestem in sinu Patris originem habeat.

Objicies 2. Si Christus in terra carnem sumpsisset, deterioris conditionis fuisset, quam Angeli: at non fuit deterioris conditionis; alioquin enim humanitas Christi supra Choros Angelorum, post illius mortem exaltari non debuisset, quod tamen factum est.

Resp. dist. maj. Christus, qua homo, deterioris fuisset conditionis, quam Angeli, conc. maj. de eo enim secundùm humanitatem considerato, intelliguntur hæc Psalmi verba, *Minorasti eum paulò minùs ab Angelis*: qua Deus, neg. ant. Ad 2. dicendum est, Christi humanitatem fuisse supra Choros Angelorum, quòd merita humanitatis Christi, ea unione hypostatica, infinitè superaverint merita, quibus Angeli viatores se commendarunt.

CA-

CAPUT VI.

Utrum Christi Corpus fuerit corruptibile.

Not. INter Julianum Halicarnassi Episcopum, & Severum Monachum, non ultimos Eutychetis sectarios, agitata quondam fuit hæc quæstio: *An Christi caro ante resurrectionem corruptibilis fuerit, an verò incorruptibilis ex sua cum Verbo unione.* Julianus censebat, fuisse incorruptibilem, ita ut (inquiebat) secundum Eutychetis principia, sicut natura humana per suam cum Verbo unionem in ipso penitùs absorpta fuerat, ita & proprietates, quæ ex carne, sive substantia, sive statu necessariò sequebantur. Severusècontra quamvis cum Eutychete naturas confunderet, distinguebat tamen earum proprietates; ac proindè concludebat, carnem Christi degentis in terra fuisse corruptibilem.

CONCLUSIO. Caro Christi ante resurrectionem fuit corruptibilis.

Probatur 1. ex Scripturis. Christus ipse hæc ait de carne, quam cum cæteris hominibus communem habuit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Apostolus de Christo: *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Vetus Testamentum prædixerat, quod Novum refert accidisse: *Homo* (inquit Isaias) *in plaga existens, & sciens ferre infirmitatem.*

Probatur 2. Ea caro fuit corruptibilis, in qua Christus verè passus est; nimirum caro non est occasio doloris, nisi ratione alterationis, quæ in ea fit, alteratio autem est principium corruptionis: atqui Christus verè passus est in carne; si enim tantùm specie tenus dolores in carne sustinuerit, nullo argumento contra Manichæos, aliosque Phantasiastas, probari poterit, Christum veram & non phantasticam carnem habuisse: siquidem dici poterit, quòd sicut tantùm specie tenus passus est, ita etiam tantùm specie tenus corpus gestaverit.

Respondebat Julianus cum aliis Incorrupticolis, Christum vere quidem in carne passum esse, hoc est, sustinuisse dolores, quos alii homines occasione carnis experiuntur; sed id non accidisse naturaliter, sed divinitùs, nimirùm ex divina dispensatione.

Verùm inanis est illa responsio. Nam 1. frustra carni per suam cum Verbo unionem concessa fuisset incorruptibilitas, si præcipuo incorruptibilitatis privilegio, immunitate nimirum a passione, mox ita spolianda fuisset, ut Christi inter homines vita non aliud fuerit, quam passionum continuata series, nullo aut vix ullo interrupta interstitio. 2. Deus non solet patrare miraculum, ut rei naturam immutet, & statim aliud miraculum operari, quo illi rei per suam omnipotentiam mutatæ proprias ac naturales operationes conservet. 3. Æquius fuisset impedire, ne caro ex sua cum Verbo unione incorruptibilitatem contraheret, quam post contractam illam incorruptibilitatem efficere, ut caro perinde se haberet, ac si reipsa foret corruptibilis. Vide Leontium Bysantinum libro 1. adversùs Nestorium & Eutychetem.

Probatur 3. nostra conclusio authoritate Patrum, qui (ut videre est apud Augustinum lib. 2. de peccatorum meritis cap. 29.) docent, Verbum, excepto peccato, omnes humanæ carnis miserias assumpsisse: unde non assumpsit carnem, qualem Deus in Adamo innocente plasmaverat; sed qualem, excepto peccato, ipsum Adami peccatum effecerat.

Objicies 1. Christus Psal. 15. sic Deum Patrem alloquitur: *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* ergo David prædixit, Christi carnem incorruptibilem fore.

Resp. dist. conseq. Fore incorruptibilem post Christi mortem, conc. conseq. ante Christi mortem, neg. conseq. *Christus ergo* (ait Fulgentius Epistola ad Reginum, cap. 4.) *non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem. Hoc autem non ejusdem carnis incorruptibilitas, sed resurrectionis celeritas fecit.*

Objicies 2. Christus, ex Scriptura, est novus Adam: ergo prioris, hoc est, Adami innocentis, carnem gestavit: atqui caro Adami innocentis fuit incorruptibilis, hoc est, non erat Adamo occasio doloris: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Verbum eam carnem assumpsit, quam sanavit; non sanavit verò carnem Adami innocentis: ergo eam non assumpsit.

Objicies 3. Dionysius Alexandrinus, qui tertio Ecclesiæ sæculo vixit, in Epistola adversùs Paulum Samosatenum conscripta, illum tanquam hæreticum insectatur, quòd dixisset, Christi sanguinem fuisse corruptibilem: *Surrexit itaque primùm Samosatensis loquens iniqua, qui diceret esse corruptibilem sanguinem Jesu, qui est Deus Israel, & Jesus, & qui omnem corruptionem & passionem & mortem solvit, qui redemit nos a servitute corruptionis. Sanguinem mortalis & patibilis hominis dicit, quia dixit Dominus gloriæ discipulis, Accipite & dividite: Novum testamentum est in meo sanguine: & quia dicit idem, Qui pro vobis effunditur:* ergo Dionysius censuit corpus Christi fuisse incorruptibile; idem enim ferri debet judicium de corpore Christi, ac de illius sanguine.

Resp. dist. ant. Dionysius Paulum Samosatenũ insectatur tanquam hæreticũ, quòd dixisset sanguinem Christi esse corruptibilem post resurrectionẽ, conc. ant. ante resurrectionem neg. ant. Contẽdebat Samosatenus, Christi sanguinẽ, etiam secundùm statũ in quo Christus est modò, esse corruptibilem; voluit enim eum esse corruptioni obnoxium in mystico poculo, quem Ecclesia ex ipsius Christi mandato cõsecrat: *Sanguinem mortalis & patibilis hominis dicit, quia dixit Dominus gloriæ discipulis: Accipite & dividite,* &c. Duobus autem argumentis utebatur, ut errorem illum adstrueret. 1. Contendebat Christum esse purum hominem; ac proindè nihil esse divinum in Christi sanguine, quod illius corruptionem impediret. Contendebat 2. verba ista, *Dividite, Qui pro vobis effunditur,* in sensu literali sumi debere, hoc est, pro divisione & effusione, quæ non tantùm in signo, seu in vini specie, sed etiam in ipso Christi sanguine fiat: *Quia* (inquiebat) *dixit Dominus gloriæ discipulis: Accipite & dividite .... Et quia dicit idem, Qui pro vobis effunditur.*

Calvinistæ, apud quos Christi corpus & sanguis non nisi in figura, in Eucharistia continentur, observent velim, qua ratione in Pauli Samosateni mentem venire potuisset sententia de corruptibilitate sanguinis Christi in Eucharistia, si illi persuasum non fuisset, Christi corpus & sanguinem ea realiter ac substantialiter non contineri. Observent iterum, Dionysium hoc argumento, *Quod Christi sanguis non realiter, sed in figura tantùm Eucharistia continetur,* usurum fuisse adversùs Samosatensem, si credidisset, eum ipsa realiter ac substantialiter non contineri: eo tamen usus non est, proindèque persuasum illi fuit, Christum esse corporaliter præsentem in Eucharistia.

Objicies 4. Ille non habuit corpus corruptibile, qui mortem obiit non necessitate, sed potestate, hoc est, non vi cruciatuum, sed ex plena ac perfecta voluntate: atqui Christus non necessitate, sed potestate mortem obiit: *Plus mirati sunt* (inquit Augustinus Tractatu 31. in Joannem) *istam potestatem morientis, quàm potentiam miracula facientis.* Id verò probat S. Doctor ex eo, quòd Salvator paulò ante mortem, cum omnes illius vires exhaustæ viderentur, prævalida voce (ut narrat Evangelium) exclamarit, *Consummatum est:* ergo, &c.

Resp. dist. maj. Qui mortem obiit non necessitate, sed potestate, quæ erat in carne, conc. maj. quæ erat in Verbo tantum, neg. maj. Equidem Christus potestate mortuus est, sed ea potestas ea illius carnis conditione reperiri non debuit: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*: sed tantùm ea infinita virtute Verbi, quod carni substantialiter erat unitum: *Quando Christus* (quæstio est, quàm sibi proponit Augustinus Tractatu 47. in Joannem) *animam posuit? Quando Verbum voluit: Principatus enim in Verbo erat, ibi potestas erat, quando poneret animam, & quando sumeret.*

Objicies 5. Cyrillus lib. 9. de adoratione in spiritu & veritate, apertè profitetur, corpus Christi propter suam cum Verbo unionem fuisse prorsus incorruptibile: *Incorruptibile namque est Christi corpus* (inquit) *& divinam in seipso naturam habet. Verbum caro factum, & habitavit in nobis. Primitiæ porrò nostra atque radix nostri generis Christus est: quod genus hoc ipso, quod Deo junctum est, ad incorruption[illegible] recreatur*; ergo, &c.

Resp. dist. ant. Cyrillus profitetur, corpus Christi fuisse prorsus incorruptibile, sumendo incorruptibilitatem pro resolutione in prima elementa, conc. ant. sumendo incorruptibilitatem pro privatione læsionis aut alicujus alterationis, neg. ant. Cyrillus multoties docet, Christum verè esuriisse, passum fuisse dolores, quos occasione corporis experiri solemus; ac proindè non omnem incorruptibilitatem ablegavit à Christi corpore, sed tantùm, quæ in sua idea resolutionem in prima elementa complectitur: nec immeritò; nempe, Verbum quod semper unitum remansit corpori, quod assumpserat, ejusmodi corruptionem impedit, ut demonstrant ipsa Cyrilli verba: *Incorruptibile namque est Christi corpus, & divinam in seipso naturam habet.*

CAPUT VII.

De sanctitate corporis, quod Verbum assumpsit.

Not. Commaculatam fuisse Christi carnem blasphemarunt Ebion, nonnullique alii hæretici prioris sæculi: nempè docuerunt Christum ex Josephi cum Maria congressu, proindeque ea libidine, genitum fuisse. Idem affirmarunt veteres Judæi, & affirmant hodierni. Ut igitur carni Christi sanctitas asseratur contra Judæos & hæreticos, ostendendum est, Christum genitum fuisse ea puella, quæ partum cum virginitate conjunxerit.

CONCLUSIO. Christus genitus est ex puella, quæ partum cum virginitate conjunxit.

Probatur 1. Isaias cap. 7. prædixerat, Messiam nasciturum esse ex puella, quæ partum cum virginitate conjungeret: ergo Messias, quem supra ostendimus non alium esse, quàm Jesum Nazarenum, reverà genitus est ex puella quæ partum cum virginitate conjunxit. Probatur ant. ea capite 7. Isaiæ, ubi hæc habentur: *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus David; numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Ergo Isaias prædixerat, Messiam nasciturum esse ea puella, quæ partum cum virginitate conjungeret.

Respondent Judæi 1. apud Isaiam non legi *Bethulah*, quæ propriè *virgo est*, sed econtra legi *habbalmah*; quod non virginem, seu conditionem, sed puellam, hoc est ætatem significat: unde is est (inquiunt) propheticæ sensus. *Adolescentula concipiet, & pariet filium.*

Verùm nullius est ponderis ea responsio. 1. Falsum est, vocem *habbalmah*, teneram tantum puellæ ætatem significare; significat enim præterea, puellam, quæ virum passa non fuerit, scilicet significat puellam *absconditam*, seu, puellam, quæ ad virginitatem custodiendam abstinuerit publico, ac intima domo conclusa fuerit; sic Rebecca, de qua Genesis 24. versu 16. Vulgata sic loquitur: *Puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro*, in Hebræo textu *habbalmah* dicitur. Sic etiam Maria soror Moysis, de qua hæc habentur Exodi 2. versu 8. *Perrexit puella, & vocavit matrem suam*, dicitur *habbalmah*. Addendum est, Judæos ne unum quidem exemplum proferre posse, quo probent, vocem de qua agitur, in Scripturis aliquando sumi ad significandam adolescentulam tantùm, hoc est, pro muliere, quæ cum ætate tenera virginitatem non conjunxerit.

Quæ hucusque dicta sunt, desumpta sunt ea Hieronymo, qui in Traditionibus Hebraicis sic loquitur: *Almah, quæ interpretatur abscondita, id est, virgo nimia diligentia custodita, majoris mihi videtur esse laudis, quàm virgo. Virgo quippè juxta Apostolum, potest esse corpore, non spiritu. Abscondita verò, quæ virgo est*, epitasin, *virginitatis habet ut virgo sit, & abscondita; & quæ abscondita est, juxta idioma linguæ Hebrææ, consequenter & virgo est; quæ autem virgo, non statim sequitur, ut abscondita sit.* His præmissis, sic S. Doctor concludit: *Ostendant igitur Judæi in Scripturis alicubi positum* Alma, *ubi adolescentulam tantùm, & non virginem sonet, & concedimus eis illud, quod in Isaia apud nos dicitur, Ecce virgo concipiet, & pariet, non absconditam virginem, sed adolescentulam significare jam nuptam.*

Respondent 2. ex Judæis alii, vocem *habbalmah*, apud Isajam significare quidem virginem, quæ virum passa non fuerit usque ad conceptum, non autem, quæ in ipso conceptu virginitatem servaverit; unde concludunt, hunc esse Isajæ sensum, Virgo, quæ prius abscondita fuerat, tradetur nuptui & filium pariet.

Sed facilè demonstratur, quam vanum sit responsum illud. Isajas inauditum prodigium, rem maximè extraordinariam, Regi Achaz prædicit. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra ...... Propter hoc dabit vobis Dominus ipse signum: Ecce virgo concipiet.* Signum illud Jeremias, *Novum appellavit: Creavit* (inquit capite 31.) *Dominus novum super terram: femina circumdabit virum.* Atqui si valeat Judæorum, quos confutamus, responsum, signum, quod Isajas pollicetur, non foret inauditum prodigium, res extraordinaria, res aliqua nova; quid enim frequentiùs accidit, quam partus ex virgine, quæ nuptui tradita fuerit? Unde jam olim Justinus in dialogo cum Tryphone, Tertullianus libro adversùs Judæos, aliique veteres illud Judæorum effugium meritò irriserunt.

Respondent 3. alii Judæi, verba, de quibus est quæstio: *Ecce virgo concipiet*, dicta esse de uxore Regis Achaz & de ejus filio Ezechia, quem brevi erat paritura. Verùm illa responsio cum historia stare minimè potest. Edita enim est hæc prophetia, regnante jam Achaz (argumentum est Hieronymi in caput 7. Isajæ) ad eum enim tanquam Regem dirigebatur. Supponamus, editam fuisse anno, quo regnare cœpit; at jam tunc Ezechias novem ut minimum annos natus erat: nempe regnavit Achaz sexdecim annos, ut patet ex libr. 4. Regum, cap. 6. Eo mortuo, statim regnavit filius ejus Ezechias: Erat autem (ut constat ex libr. 4. Regum, cap. 16.) vigintiquinque annorum, cum regnare cœpit.

Respondent denique 4. nonnulli alii, prophetiam, *Ecce virgo concipiet*, intelligi non posse de partu Messiæ, sive is sit Jesus Nazarenus, sive aliquis alius; neque enim (inquiunt) Achaz dari debuit signum, quod ipse videre non posset, cum nonnisi octingentis post annis esset eventurum.

Quænam ad illud argumentum adhibenda sit responsio,

ponsio,

ponsio, tradit Chrysostomus in Commentario ad locum, de quo est quæstio: nempe docet, signum non dari Achaz, sed domui David, quæ non solum usque ad Christum permansura, sed & quæ ipsum paritura erat. Principio quidem Isaias regi Achaz conditionem obtulerat petendi signum, ex quo intelligeret, Deum sibi contra regem Assyriorum adfuturum: *Pete tibi signum à domino Deo tuo*. Quod quidem cum ex contemptu petere noluisset, commutata oratione, Propheta aliud multus signum, quam quod petere non auderet, pollicetur; prædicit enim Deum daturum esse non jam regi Achaz, sed domui David, majoris liberationis argumentum: *Audite Domus David, numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis, & Deo meo? Propterea ecce Dominus ipse dabit vobis signum: Ecce virgo concipiet*, &c. Quasi dicat (inquit Maldonatus in hunc locum) quia vos petere negligitis, ipse ultrò dabit, non jam quale Regi obtuli, fore ut Deus populum suum a Rege Assyriorum liberet; sed longè majus, fore ut liberet à peccatis, a diaboli tyrannide. Itaque a majore probat minus.

Probatur 2. nostra conclusio ex novo Testamento. Matthæi capite 1. hæc habentur: *Christi autem generatio sic erat: Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto ..... Hoc autem factum est, ut adimpleretur, quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel*. Hæc quoque leguntur Lucæ 1. *Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum ..... Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei*. Aperte igitur Novi Testamenti Scripturæ declarant, Mariam virginitatem cum partu composuisse, & in ea completam fuisse Isaiæ prophetiam: *Ecce virgo concipiet*, &c. Unde mirum non est, quòd omnia fidei symbola, quæ ab Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora condita sunt, expressè articulum illum tradant, quòd Christus ex Maria virgine prodierit.

Objicies cum impiis Ebionitis. Paulus ad Galatas 4. sic de Christo loquitur: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere*; atqui mulier est nomen feminæ corruptæ: ergo, &c.

Respondet Tertullianus, de virginibus velandis, cap. 4. vocem, *Mulier*, significare sexum, non verò conditionem, aut qualitatem sexus, seu, nomen esse, quod sumitur pro femina, sive sit virgo, sive non sit: id autem probat ex eo, quòd Eva statim a sua creatione, & antequam a viro cognita fuisset, mulier appellata sit.

Quæres 1. Utrum caro Christi, quæ fuit in Mariæ progenitoribus, in ipsis ante Mariæ ortum mundata fuerit?

Respondeo negativè. Ratio est, quia alii omnes ante Mariam, & peccato originali, & peccato actuali inquinati fuerunt, proindeque caro Christi in solo Mariæ sinu, quæ nusquam peccavit, actu mundata fuit.

Dices, si Christi caro in Mariæ Avis mundata non fuerit, cur (ut habetur ad Hebræos 7.) decimato Levi, Christus, qui in eo erat, non fuit decimatus?

Respondet his verbis Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 25. *Secundùm rationem seminalem fuit ibi Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem, secundum quam rationem non ibi erat Christi caro quamvis secundùm ipsam ibi fuerit Mariæ caro ...... Levi in lumbis fuit Abrahæ secundùm concupiscentiam carnalem, Christus autem secundùm substantiam corporalem*.

CAPUT VIII.

De pulchritudine corporis, quod Verbum assumpsit.

Not. Circa quæstionem, an Christi corpus venustate formæ floruerit, triplex est antiquorum Patrum sententia. Clemens Alexandrinus sensisse videtur, vilem fuisse formam, de qua agitur: *Non sine causa* (ait Stromatum, lib. 6.) *Dominus habere voluit vilem corporis formam*. Alii contendunt, elegantem admodum fuisse formam corporis, quòd Verbum assumpsit. Tertii docent, formam illam nec multùm vilem, nec multùm elegantem fuisse, ita ut Christus nec deformitate, nec pulchritudine, hominum oculos aut abalienaverit, aut illexerit.

CONCLUSIO 1. Christus formæ venustate non floruit.

Probatur. Maximè congruum fuit 1. ut Christus externa oris forma, ac temporali pulchritudine, mortalium oculos ad se non alliceret. 2. Incarnatio est Verbi exinanitio: par igitur fuit, ut Christus omnem, etiam, quæ ex ore petitur, humanam gloriam abdicaret. 3. Ut quid Christus eo se commendasset, quod cuique hominum despectui esse debet?

Objicies 1. Scriptura Psalm. 44. sic de Christo loquitur: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*: ergo, &c.

Resp. dist. conseq. Ergo Christus fuit speciosus forma interna præ filiis hominum, conc. conseq. forma externa, neg. conseq. *Hic autem* (inquit Chrysostomus in Psalm. 44) *speciosus forma præ filiis hominum, significant gratiam, sapientiam, doctrinam, miracula*. Eadem est Theodoreti sententia; hanc enim ex aliis ejusdem Psalmi verbis conclusionem infert: *Manifestè per hæc docent, veritatem, & mansuetudinem, & justitiam, ejus esse pulchritudinem, & potentiam & arma & victoriam*.

Objicies 2. Hieronymus in Epistola ad Principiam virginem asserit, nonnihil sidereum emicuisse in vultu Christi. Idem quoque docet in caput 9. Matthæi, ubi sic loquitur: *Arguit in hoc loco Porphyrius, & Julianus Augustus, vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum, qui statim secuti sunt Salvatorem, quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sint secuti .... Certè fulgor ipse, & majestas divinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu*: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Hieronymus asserit, nonnihil sidereum aliquando emicuisse in Christi vultu conc. ant. emicuisse semper; nego ant. Nemini dubium esse debet, quin majestas, gravitas, sidereum aliquid, emicuerit in Christi vultu aliquibus in circumstantiis, v. g. cùm ad se discipulos vocavit, cùm terrefecit milites, cùm quæstuarios ejecit è Templo: Verùm eam oris majestatem, id sidereum, in Christo semper emicuisse negamus.

CONCLUSIO 2. Christus deformi non fuit facie.

Probatur 1. Oris deformitas Christo nusquam exprobata fuit, quæ tamen, si deformi fuisset facie, proculdubio exprobata fuisset ab eis, qui non semel subobscuros parentes illi verterunt contumeliæ: *Nonne est hic faber, & fabri filius?* 2. Quemadmodum Christus eleganti forma non debuit (ut conclusione 1. dictum est) hominum oculos ad se convertere, ita nec deformi abalienare: nempe decuit, ut eo in capite auream mediocritatem servaret.

Objicies 1. Isaiæ cap. 53. hæc de Christo leguntur: *Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum*: ergo, &c.

Resp.

Resp. dist. ant. Non est species ei, neque decor, tempore passionis, conc. ant. extra tempus passionis, neg. ant. Christus Isaiæ visus est, qualis futurus erat suæ passionis tempore. *Despectus erat & ignobilis* (inquit Hieronymus in Isaiæ caput 43.) *quando pendebat in cruce, & factus est pro nobis maledictum, peccata nostra portabat, & loquebatur Patri: Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Eadem est Augustini sententia, sic enim loquitur Serm. 22. de verbis Apostoli: *Pendebat ergo in cruce deformis, sed deformitas illius, pulchritudo nostra erat. In hac ergo vita deformem Christum tenemus. Quid est deformem Christum? Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Objicies 2. Origenes in suis contra Celsum operibus, refert quidem Celsi hominis Gentilis convitia in Christum, petita ex deformitate, quam in Christo fuisse supponebat, ea tamen convitia Origenes non confutat: igitur videtur iis favisse, qui Christum ore deformi extitisse censuerunt.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio est, quia Patres soliti non sunt ea Gentilium argumenta solvere, quæ nullam fidei labem inferunt. Satis fuit Patribus, Christo dum in terris degerit, divinam a Patre missionem, omnium virtutum cumulum adversùs Gentiles vindicare, nec ipsis curæ fuit de externa oris corporisque forma.

CAPUT IX.

An Verbum, hominis animam assumpserit.

Not. 1. Athanasius libro de adventu Christi adversùs Apollinarium, Epiphanius hæresi 60. Augustinus libro de hæresibus ad Quodvultdeum, nonnullique alii veteres scripserunt, Arium, ejusque discipulos docuisse, Christum anima humana fuisse destitutum, ejusque vices Verbum corpori substantivè conjunctum implevisse. In eam opinionem Arius ejusque sectatores abierunt, ut Verbi divinitati faciliùs insidiarentur. Nempe dum Verbo adscribebant affectiones, dolores, aliasque passiones, quæ in Christo visæ sunt, necesse erat, ut illius cum Patre consubstantialitatem inficiarentur: neque enim is potest esse Deus, cui affectiones, solis creaturis propriæ, conveniunt.

Not. 2. Quamvis error ille maximi sit momenti, uno tamen excepto Athanasio, & Epiphanio, vix alios Patres reperire est, qui eum in Ario, ejusque sectatoribus impugnaverint. *In eo autem* (ait Augustinus) *quòd Christum sine anima solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt; nec adversùs eos ab aliquo inveni de hac re fuisse certatum.* Nec id mirum est: siquidem Patribus in more positum est, ut vel omittant, vel saltem leviùs pertractent ea, quæ sunt aliorum capitum consectaria & appendicula quædam. Veteres omninò intenti in asserenda adversùs Arium Verbi consubstantialitate, dissimularunt, quod circa Incarnationem blasphemaverat. Econtra cum in Apollinario (ut infra dicetur) error de non assumpta a Verbo humana mente palmarius esset, eum dedita opera in Apollinario ejusque discipulis impugnarunt.

CONCLUSIO. Verbum humanam animam assumpsit.

Probatur 1. ex Scriptura. Joannis 10. sic Christus ipse loquitur: *Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam.* In iis Christi verbis anima ponenda & sumenda expressè distinguitur a persona, quæ eam ponat & assumat: ergo Verbum in Christo non est idem cum anima.

Probatur 2. ex Traditione. 1. Id Verbum assumpsit, quod ab eo sanatum est: *Cavendum est* (inquit Augustinus lib. de fide & operibus, c. 4.) *ne cùm crediderit aliquid nostrum non pertinere ad istam susceptionem, non pertineat ad salutem:* atqui anima a Christo sanata est; imò ad animæ salutem magis præcipuè, quam ad carnis salutem Verbum Incarnatum est: ergo, &c. 2. Deus id assumpsit, in quo dat auxilium; nempè non dat auxilium, nisi in eo, in quo tentatus est: *In quo enim passus est, ipse & tentatus* (ait Fulgentius de Incarnat. ad Trasimundum, cap. 15.) *potens est his, qui tentantur, auxiliari. Si ergo in eo, quod tentatus est, tentatis auxilium donat, profectò in quo tentatus non est, tentatis auxilium non ministrat:* atqui Deus dat auxilium tentatis in anima; hanc enim præcipuam hominis partem tentationes impetunt; ipsa est, cui per Dei gratiam victoria tentationum tribuitur: ergo Deus animam humanam assumpsit. 3. Totus homo alienatione a Deo perierat: totus ergo copulatione cum Deo salvari debuit. 4. Si Deus animam non suscepisset, non esset Pontifex: neque enim illo munere fungi potest, nisi ratione animæ humanæ, per quam res nostras agat apud Deum Patrem; ipsumque pro nobis oret: scilicet Verbum, ut Verbum est, non est inferius Patre, ac proinde sub illo respectu non potest Deum orare, cum oratio soli naturæ inferiori conveniat.

Probatur 3. ratione. Scriptura & Traditio explicitè docent, Christum esse verum hominem: atqui verus homo non est, qui humana caret anima; homo enim est compositum, quod essentialiter ex anima & corpore constat: ergo, &c.

Objicies 1. Eam tantùm hominis partem Verbum assumpsit, cujus Joannes meminit Evangelii cap. 1. ubi recenset Incarnationis mysterium: atqui non meminit animæ, sed carnis tantùm: ergo Verbum carnem, non autem animam, assumpsit.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Joannes per synecdochen locutus est, hoc est, partem pro toto sumpsit. Is autem loquendi modus non est in Scripturis inusitatus, ut videre est apud ipsummet Joannem, ubi Christus carnem pro toto homine sumit: *Sicut* (inquit) *dedisti ei potestatem omnis carnis.* Præterea animæ nomine sæpiùs totus homo intelligitur, ut cum dicitur Jacob descendisse in Ægyptum *cum septuaginta animabus*, aut cum dicitur de Joseph, quod *ferrum pertransiit animam ejus.* Si quis verò roget, cur Joannes carnis potiùs, quam animæ meminerit, dicendum erit, id factum fuisse, ut magis commendaretur Dei in nos charitas, qui, ut nobis mederetur, non dedignatus est viliorem nostri partem assumere: *More suo* (inquit Augustinus ep. 120.) *Scriptura ut Christi humilitatem magis ostenderet, ne carnis nomen quasi indignum aliquid refugisse videretur, carnem pro homine posuit. Nec enim quia scriptum est, Videbit omnis caro salutare Dei, animæ ibi non sunt intelligendæ.*

Objicies 2. Si anima humana fuisset in Christo, fuissent etiam humanæ cogitationes; ergo fuisset quoque peccatum, cum ex humanis cogitationibus tanquam ex iniqua radice profluat.

Resp. dist. ant. Fuissent humanæ cogitationes, quales fuerunt in Adamo innocente, conc. ant. in Adamo lapso, neg. ant. Concupiscentia, seu propensio ad malum, non fuit in anima Adami antequam per peccatum lapsus esset: at Verbum animam assumpsit ei similem, quæ Adamo ante peccatum infusa fuerat.

Objicies 3. Ideò tantùm Verbum carnem induit, ut per eam cum hominibus congressum iniret, eosque sub sensibili forma viam salutis doceret: atqui ad id satis fuit, caro, nec adhiberi debuit anima, cùm spiritualis

fit,

sit, ac proindè sub sensum minime cadat.

Resp. neg. maj. Ratio est, quia Verbum carnem induit ut animæ saluti consuleret; proindeque conveniens fuit, uti ipsam inet animam assumeret, quia (ut jam observavimus) Verbum non sanavit, nisi quod assumpsit.

CAPUT X.

An Verbum intellectum humanum assumpserit;

Not. SAnctus Augustinus in libro de hæresibus scribit, Apollinaristas initio idem docuisse, quod anteà Ariani docuerant, nempe Verbum assumpsisse carnem sine anima; verum postea Scripturæ textibus victos, sic priorem sententiam emollisse, ut contenderint, assumptam quidem fuisse animam secundum eam partem, qua vivimus, sentimus, ac præstamus communia cum animantibus officia; non verò secundum eam partem, qua rationales sumus, id est, secundum mentem: unde omnes effectus, qui ab anima, ut est mente prædita, nascuntur, Verbo tribuerint: *Appollinaristas* (ait Augustinus) *Apollinarius instituit, qui de anima Christi à Catholica dissenserunt, dicentes sicut Ariani, Deum Christum carnem sine anima suscepisse. In quæstione testimoniis victi, mentem, qua rationalis est anima hominis, non fuisse in anima Christi, sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse, dixerunt.* Idem de Apollinaristis scripsit Epiphanius, hæresis 77.

CONCLUSIO. Verbum assumpsit animam mente præditam.

Probatur. 1. Verbum assumpsit animam, quæ sit principium & subjectum voluntarium quarumdam passionum, ut in Christo fuerunt metus & tristitia; atqui ea anima non alia est, quam quæ mente prædita sit; tum quia, ut supponitur, eæ passiones voluntariæ fuerunt in Christo, ac proinde excitatæ a facultatæ, quæ libera fuerit, tum etiam quia eæ passiones non aliud sunt, quam affectus, qui ex perceptione mali imminentis oriuntur. ergo, &c.

Dices, Verbum in Christo supplevisse vices animæ prout rationalis est; ac proinde fuisse tum principium, tum subjectum ejusmodi passionum.

Sed contra est, quia sequeretur, Verbum non esse Deum: scilicet cum diversæ passiones, diversæ sint mutationes subjecti, in quo recipiuntur, dicendum esset in Apollinaristarum sistemate Verbum esse mutabile; quod quidem asserere, non aliud est, quam cum Arianis dicere, Verbum non esse Deum.

Probatur 2. iis omnibus argumentis, quibus hujusce quæstionis capite nono adversus Arianos ostendimus, Verbum humanam animam assumpsisse, non sanasse nisi, quod assumpsit; Christum fuisse verum ac perfectum hominem; id quod assumptum est à Verbo, fuisse non brutum animal, sed hominem.

Quæres 1. Quis esset Apollinarius. 2. Ubi & à quibus expresse damnata sit illius hæresis?

Resp. ad 1. duos fuisse Apollinarios, patrem, & filium: ille (teste Socrate hist. lib. 2. cap. ult.) Alexandrinus genere, professione grammaticus, cum Beryti aliquandiu literas docuisset, Laodiceam se contulit, ubi, uxore ducta, filium suscepit cognominem, qui humanis literis totum se dedit. Ambo in Clerum cooptati sunt; pater quidem Presbyter consecratus fuit, filius verò donatus est Episcopatu, ut patet ex epistola synodica Concilii, quod Alexandriæ habitum est anno 362. Theodoretus hist. lib. 5. cap. 3. scribit eum Antiochiæ Episcopum sedisse, cum, eodem titulo, in ea urbe sederent Meletius, Paulinus, Euzojus. Verum licet Apollinarius Vitalem suæ partis Episcopum Antiochiæ constituerit, nusquam tamen ipse in ea urbe Episcopatum gessit, sed Laodiceæ tantum: id enim aperte testantur Ruffinus historiæ lib. 1. cap. 20. Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, & Liberatus in Breviario cap. 3.

Resp. ad 2. Apollinaristarum hæresim, primùm tacito auctoris nomine, damnatam fuisse in Concilio, quod Alexandriæ post Constantii obitum, anno 362. ab Athanasio celebratum est. Nempe (ut patet ex epistola synodica ad Antiochenses) definitum est, *Salvatorem non habuisse corpus inanimum, nec sensus, aut mentis expers.* Damnata fuit iterum in altero Concilio, quod, mortuo Imperatore Juliano, Alexandriæ coactum est ab Athanasio, anno 363. in eo nimirum edita est fidei formula, quam Athanasius Imperatori Joviniano obtulit, & in qua prioris Concilii Alexandrini decretum de Incarnatione confirmatum est. Aliquibus post annis Romæ proscripta fuit a Damaso, qui tum in Apollinarium, tum in ejus discipulum Timotheum, tulit excommunicationis sententiam. In eam pariter dictum est anathema in Concilio Constantinopolitano primo, quod anno Christi 381. habitum est, ut in Synodica Concilii ad Damasum missa videre est. Tandem unanimi Patrum consensu rejecta est in aliis omnibus synodis, quæ postea, etiam propter alias causas, celebratæ sunt.

Quæres 2. Cur Athanasius, Basilius, non paucique alii veteres maxime Catholici, cum Apollinario impii dogmatis auctore communicaverint?

Resp. Apollinarium optimè quidem de iis Patribus meritum fuisse, quandiù conceptam hæresim in mente retinuit; sed ubi eam prodidit, eos ubique adversarios passus est, ut videre est tum in Conciliis, quæ jamjam relata sunt, tum in Basilii Epistolis 74. & 82.

Quæres, quinam præcipui fuerint Apollinarii discipuli?

Resp. duos fuisse præcipuos, Timotheum, in quem (ut mox observatum est) Damasus tulit excommunicationis decretum, & Vitalem, qui Apollinaristis Antiochiæ ab ipso Apollinario præfectus fuerat. Is cum apud Damasum in hæreseos suspicionem venisset, Romam profectus est, ubi oblata summo Pontifici subdola fidei confessione, in communionem catholicam admissus est. Verùm postea Damasus, detecta illius fraude, eum a fidelium communione segregavit, damnavitque ambiguam fidei confessionem, quam Vitalis priùs obtulerat. De eo facto vide Gregorium Nazianzenum Epistola secunda ad Cledonium.

CAPUT XI.

An Verbum humanam voluntatem assumpserit.

Not. QUæstioni, *An Verbum humanam voluntatem assumpserit*, hæretici, qui Monothelitæ dicti sunt, occasioni fuere. Ut eam cum methodo pertractemus, quæremus 1. quis fuerit auctor hæresis Monothelitarum. 2. Quinam ejusdem hæreseos præcipui fautores extiterint. 3. Quinam fuerint præcipui Monothelitarum impugnatores. 4. In quo præcisè posita fuerit eorum hæresis: 5. denique, quibus argumentis catholica veritas adversus eos asseri, confirmarique possit.

Not. 2. Harum institutionum Proleg. Dissert. 4. q. 3. c. 2. art. 6. §. 1. appellavimus hæresis Monothelitarum authores, fautores, impugnatores: satis est igitur, ut hic tum facti, tum juris veritatem expendamus, seu ut quæramus 1. In quo ejusmodi hæresis posita fuerit: 2. Quibus argumentis adversus eam catholica veritas confirmari possit: 3. Quotuplicis generis operationes in Christo fuerint.

AR-

ARTICULUS I.

In quo posita fuerit hæresis Monothelitarum.

CONCL. IN eo posita fuit Monothelitarum hæresis, quòd contenderent, unicam in Christo esse voluntatem, divinam nimirùm, unicamque operationem, quam *Theandricam*, seu, Dei virilem appellabant.

Probatur prior conclusionis pars. Primò, Theodorus Pharanites, sectæ Author, in Epistola ad Sergium Arsenoitam, apertè profitetur unicam in Christo fuisse tum voluntatem, tum operationem. *Omnia* (inquit) *qua velut de Deo, aut humanè de ipso dicuntur, una est operatio Verbi divinitatis..... una est voluntas, eaque divina*. 2. Pyrrhus in disputatione, quam cum Maximo Monacho suscepit in Africa, expresse tuetur, *unam esse voluntatem divinitatis, humanitatisque Christi*. 3. Macarius Antiochenus in fidei professione, quam legere est in Actione 8. synodi sextæ, asserit, Verbum per humanam naturam omnia, quæ carni propria sunt, explevisse, *unica, & sola voluntate divina*. 4. In Ecthesi, quam Heraclius Imperator ex Monothelitarum consilio promulgavit, hæc habentur: *Unde Sanctos Patres in omnibus, & in hoc sequentes, unam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur*. Vide quæ in Proleg. Dissert. 4. quæst. 3. cap. 2. art. 6. §. 1. dicta sunt.

Probatur altera pars, seu Monothelitas unicam operationem, eamque divinam, in Christo agnovisse. Primò, Sergius Constantinopolitanus Patriarcha ab Heraclio Imperatore consultus, an *Unica esset operatio in Christo*, respondit, unicam esse, ut patet ex ejus ad Imperatorem Epistola, quæ sexti generalis Concilii Actione 13. legitur. 2. Cyrus in Concilio, quòd Alexandriæ anno 633. celebravit, postquam professus est duas in Christo naturas, realiter a se invicem distinctas, anathematismo sep imo definit, in duabus naturis *Christum unum, & filium, tam illa, qua Deo conveniunt, quam humana, operari unica operatione Theandrica*. 3. Qui contra Monothelitas, tum ante Concilium sextum Oecumenicum, tum in ipso Concilio manus conseruerunt, aperte declarant, eos reos fuisse, quod contenderent unicam tantùm, non voluntatem modò, sed etiam operationem, in Christo fuisse.

Objicies. Monothelitæ apertè quidem professi sunt, unam tantùm in Christo esse voluntatem, sed non ita clare docuerunt, unicam tantùm in eo operationem fuisse. Nam, illi non docuerunt unicam tantùm operationem esse in Christo, qui expressè prohibuerunt, ne una aut duplex operatio diceretur: atqui Monothelitæ id expressè prohibuerunt.

Et quidem 1. Ecthesis Heraclii, quæ legitur in Secretario quarto Synodi Lateranensis sub Martino primo celebratæ, nullo modo concedit *alicui ex omnibus unam, vel duas dicere, sive docere operationes in divina Domini Incarnatione; sed magis sicut sancta & universales tradiderunt Synodi, unum eumdemque Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum confiteri operari divina & humana*.

2. Typus Constantis apertè pariter prohibet, ne quis unam, aut duas operationes in Christo dicat, imò nec unam, aut duas voluntates: *Ut qui sunt Catholica, & Apostolica Ecclesia* (verba sunt Typi, seu Edicti, quod ab Imperatore Constante latum est) *non habeant licentiam invicem à præsenti de una voluntate, aut una operatione, aut duarum voluntatum, aut duarum operationum qualemcumque proferre altercationem, aut contentionem, aut rixam*.

3. Sergius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad Honorium Papam, asserit se, cum a Cyro Alexandrino, & a Sophronio, qui ex Monacho nuper inauguratus fuerat Episcopus Hierosolymitanus, consultus fuisset, *An una, an verò duplex in Christo operatio dici deberet*, utrique suasisse, ut ab unius, aut duarum operationum appellatione desisterent, quòd prior, etsi ab aliquibus Patribus usurpata legitur, nonnullis tamen sit offendiculo, tanquam, quæ duarum in Christo naturarum distinctionem tollat; posterior verò, præterquam quod nullus e veteribus illius meminerit, inducere videatur in Christo *duas voluntates invicem contrarias, ex quo volentes duos, ne quidem contraria, colliguntur; quod est impium; cum impossibile sit, in uno eodemque subjecto duas simul voluntates subsistere*. Ex iis testibus consequens esse videtur, Monothelitas non negasse duplicem in Christo operationem, sed œconomiæ causa, tantùm prohibuisse, ne una, aut duplex operatio diceretur.

Resp. neg. maj. Nimirum Monothelitæ subdolè prohibuerunt, ne una, aut duplex operatio diceretur; ita enim sese gesserunt, ut a Catholicis tolleretur facultas impugnandi operationis unitatem, quam in Christo esse contendebant. Petitur ea responsio 1. ex eo, quòd antequam controversia, de qua agitur, orbem commovisset, Sergius ab Heraclio de hac re quæsitus, expressè responderit, unam esse *energiam* seu operationem in Christo, ut patet ex Epistola Cyri ad Sergium, quæ in sexta Synodo Actione 13. recitata est. 2. Cyrus ubi primùm Alexandriæ sedit, Synodum (ut jam observavimus) habuit, in qua definiit, unam tantùm operationem in Christo dici debere. 3. Monothelitæ ex duplici operatione contendebant, sequi duas esse voluntates in Christo: at aperte negarunt, duas esse voluntates in Christo, ut patet ex Epistola Sergii ad Honorium: ergo pariter negabant, duas operationes dici debere.

Addendum est, hæreseos initio Monothelitas non minus apertè duas operationes negasse, quam duas voluntates: sed cum viderent errorem suum sine maxima fidelium offensione promulgari non posse, tempori servientes, prohibuerunt, ne una aut duplex operatio diceretur.

ARTICULUS II.

Quid fides Catholica doceat de voluntate, & operatione Christi.

CONCL. IN Christo non una, sed duplex est voluntas; non una, sed duplex est operatio.

Probatur prior pars. Matthæi 26. Christus sic Patrem alloquitur; *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*. Lucæ 22. *Non mea, sed tua voluntas fiat*. Joannis 6. *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me*. Paulus docet, Christum Deo Patri obedientem fuisse usque ad mortem: Sed ii textus demonstrant, humanam voluntatem in Christo fuisse; demonstrant nimirùm voluntatem a voluntate Patris distinctam: *Non mea, sed tua voluntas fiat*; ac proindè voluntatem distinctam à voluntate Verbi, cum Patris & Verbi voluntas, sint una ac eadem voluntas; atqui voluntas, quæ in Christo distinguitur à voluntate Patris, est humana voluntas: ergo, &c.

Probatur altera pars. In eo duplex fuit operatio, in quo duplex fuit natura: Scilicet natura quælibet propriam habet operationem; per eam enim propriam operationem cognoscitur differre ab aliis naturis specie diversis: *Quorum operatio una est* (inquit Basilius adversus Eunomium) *horum essentia una est*: E contra *quorum natura diversa* (ait Damascenus de fide orth. lib. 3. cap. 15.) *illorum diversa actio*; atqui (ut adversus Eutychetem inferius ostendetur, & ut, saltem oretenus, Monothelitæ satebantur) duplex fuit in Christo natura, etiam post unionem: ergo etiam & duplex operatio.

Con-

Confirmatur 1. Nonnullæ fuerunt actiones in Christo, quæ divinæ voluntati tribui non possunt. Et quidem 1. eæ omnes, quibus corpus est occasio, ut sunt turbari, tristari, hilarescere, esurire, sitire, & alia ejusmodi. 2. Eæ etiam, quibus corpus non est occasio, si inferioritatem arguunt, ut est oratio: ergo humanæ voluntati adscribi debent. Fuerunt etiam aliæ actiones, quæ a sola humana voluntate esse non potuerunt, ut excitatio Lazari e mortuis, aliaque miracula, quæ a Christo patrata sunt: ergo non una, sed duplex in Christo, divina nimirùm & humana, fuit operatio.

Confirmatur 2. Si una tantùm esset operatio in Christo, divina nimirùm, corruerent argumenta omnia, quibus Patres usi sunt, ut adversùs Phantasiastas, Arianos, Apollinaristas probarent, eum habuisse verum corpus, veram animam, animam mente præditam: siquidem ideò id asseruerunt, quod in Christo visæ sint operationes, quæ corpus, animam, mentem, arguunt: atqui argumenta ex eo capite desumpta corruerent in systemate Monothelitarum: nempè quæ in Christo visæ sunt operationes, non essent humanæ, sed divinæ; ac proinde divinam quidem naturam arguerent, sed non humanam. Vide plura alia argumenta tum in Concilio Lateranensi, quod sub Martino Papa celebratum est, tum in Actis sexti Concilii generalis.

Objicies 1. Unitas, aut multiplicitas, sive voluntatis, sive operationis, desumuntur ex unitate vel multiplicitate suppositi: scilicet (ut fert ipsa ratione confirmatum axioma) actiones sunt suppositorum, non autem essentiæ, aut naturæ: atqui in Christo unum est suppositum, divinum nempè, quod est Verbum, ut docet fides adversùs Nestorium: ergo pariter unica est voluntas, unicaque operatio, eaque non humana, sed divina.

Resp. neg. maj. Unitas, aut multiplicitas operantium sumuntur quidem ex unitate, aut multiplicitate suppositi, unde in Christo unus tantùm est operans, quia unicum est suppositum: at verò unitas, aut multiplicitas operationum petuntur ab unitate, aut multiplicitate naturarum. Ratio est, quia principium operationum est ipsamet rei substantia, non autem illius subsistentia, seu personalitas; siquidem subsistentia seu personalitas, est modus existendi, substantia verò est res ipsa, quæ existit: at modus existendi non est principium operationis, sed res ipsa, quæ existit: sic sessio in Petro non est in eo alicujus operationis principium, sed ipsa Petri natura: ac proinde cum in Christo duplex sit natura, duplex est etiam operatio, quamvis unicus in eo sit existendi modus. Confirmatur illa responsio ex mysterio SS. Trinitatis, in quo licèt sint tres personæ; quia tamen est una tantùm natura, ideò non multiplex ad extra, sed una tantum est operatio.

Objicies 2. Causæ principalis & causæ instrumentalis una est, ac eadem operatio; asciæ v. g. & manus, quæ asciam movet, non multiplex, sed una est actio: atqui natura humana in Christo, fuit causa instrumentalis respectu Verbi, & Verbum fuit respectu humanitatis, causa principalis: *Deus* (inquit Athanasius Orat. 4.) *existens proprium corpus habuit, & hoc usus instrumento, homo propter nos factus est*. Eodem modo loquitur Cyrillus Alexandrinus in dialogo de Incarnatione: *Usus* (ait) *tanquam instrumento propria quidem carne ad opera carnis .... anima itidem propria ad humanas: & expertes vitii actiones*: ergo, &c.

Resp. 1. dist. maj. Causæ principalis, & causæ instrumentalis una est ac eadem operatio, si causa principalis & causa instrumentalis ejusdem sint naturæ, conc. maj. Propter eam rationem actio, quæ in cerebro nervis imprimitur ad pingendum, & actio, per quam manus pingit, sunt una & eadem actio. Si causa pincipalis & instrumentalis sint diversæ naturæ, neg. maj. nam ob id actio, per quam ignis comburit subjectum, cui applicatur, diversa est ab actione, per quam applicatur subjecto. Hinc patet, actionem humanæ naturæ in Christo, esse aliam actionem ab ea, per quam Verbum humana natura usum est ad operandam hominis salutem: siquidem Verbum, quod fuit causa principalis, fuit diversæ omnino naturæ a natura humana, quæ fuit causa instrumentalis.

Resp. 2. conc. maj. dist. min. Natura humana in Christo fuit instrumentum Verbi ad operandam hominis salutem, conc. min. ad actus sibi proprios, neg. min. dist. pariter consequens: ergo Verbi & humanæ naturæ una fuit actio respectu salutis efficiendæ, conc. conseq. respectu actuum, qui proprii sunt humanæ naturæ, neg. conseq. Desumptum est illud responsum ex S. Thoma, qui 3. p. q. 19. art. 1. sic loquitur: *Actio instrumenti inquantum est instrumentum, non est alia ab actione principalis agentis: potest tamen habere aliam operationem, prout est res quædam. Sic igitur operatio, quæ est humanæ naturæ in Christo in quantum est instrumentum divinitatis, non est alia ab operatione divinitatis; non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi & divinitas ejus. Habet tamen humana natura in Christo, in quantùm est natura quædam, quamdam propriam operationem præter divinam.*

Objicies 3. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Evang. Joannis pag. 361. expressè asserit, unam tantùm fuisse Verbi, ac humanæ naturæ operationem; sic enim loquitur: *Cum principis synagogæ filiam suscitavit, dicens, filia, surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est: cum nempè omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursùs tactu sanctæ carnis vivificando, unam & congeneam per hæc ambo ostendit operationem*: ergo, &c.

Resp. 1. dist. ant. Cyrillus asserit, unam tantùm fuisse Verbi, ac humanæ naturæ operationem respectu effectuum extraordinariorum, ut sunt miracula, transeat ant. respectu functionum, quæ naturæ humanæ naturaliter conveniunt, ut intelligere & velle, neg. ant. Non in eo Monothelitæ fuerunt hæretici, quod in rebus extraordinariis & miraculosis humanitati Christi non tribuerent actionem distinctam ab actione Verbi, sed quòd in functionibus, quæ humanitati naturaliter conveniunt, ut intelligere & velle, quamcumque ipsi actionem detraherent.

Resp. 2. dist. ant. Cyrillus asserit, unam fuisse operationem, divinitatis ipsius, conc. ant. duarum naturarum, neg. ant. Hoc est, Cyrillus docet Verbum carnem factum, divinam operationem, qualem, antequam homo fieret, habebat cum Patre communem, explicuisse per carnem in extraordinariis operibus ac miraculis faciendis.

Resp. 3. dist. ant. Cyrillus asserit, unam fuisse operationem unitate impropriè dicta, conc. ant. unitate propriè dicta, neg. ant. Illa unitas, est unitas numerica; ista è contra est ea, quæ petitur ex arctissima conjunctione duorum inter se: hoc, non autem illo modo, operatio est una in duabus Christi naturis, id est, utrique propter intimam earum in uno supposito conjunctionem tribuitur, quamvis utraque ad effectus extraordinarios, de quibus Cyrillus loquitur, modo sibi conveniente concurrat, divina quidem jubendo, humana verò per suum contactum exequendo. Vide Maximi cum Pyrrho disputationem Actione 13. Concilii sexti generalis insertam.

Objicies 4. Id admitti non debet in Christo, quod Honorius Papa primus docuit admitti non debere; scilicet decreta Romanorum Pontificum sunt (ut parte 1. dictum est) loci Theologici, seu loci, ex quibus pro fide vel moribus argumenta petuntur; atqui Honorius Papa docuit, unam tantùm esse voluntatem in Christo, unicam tantùm operationem: ergo, &c. Minor proposi-

tio subsequentibus momentis ostenditur.

Primò, Honorius in Epistola ad Sergium, quæ lecta est Actione 12. sexti Concilii generalis, laudat eundem Sergium, quòd Cyro Alexandriæ Episcopo, qui in Alexandrina synodo definierat unam tantùm in Christo esse operationem, & Sophronio tunc quidem Monacho, & postea Hierosolymitano Episcopo, qui duas operationes & esse in Christo & dici debere contenderat, author fuisset, ut sive ab unius, sive a duplicis operationis vocabulo abstinerent; *Invenientes satis provide, circumspectèque fraternitatem vestram scripsisse, laudamus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare.*

Secundò, docet, nec Scripturam, nec Patres unquam meminisse unius aut duplicis operationis in Christo: *Ut unam vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare, quas neque Evangelicæ, vel Apostolicæ litteræ, neque synodalis examinatio super his habita, visa sunt terminasse.*

Tertiò, contendit, quæstionem de intelligenda aut dicenda in Christo una vel duplici operatione, ad Theologos minime pertinere, sed ad grammaticos tantùm: *Utrum autem propter opera divinitatis & humanitatis, una, an geminæ operationes debeant derivatæ dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare.*

Quartò, vetat, ne quis unam, vel duas operationes dicat; ne si unam, audiat tanquam Euthychianus; aut si duas, Nestorio faveat. *Et nos quidem secundùm sanctiones divinorum eloquiorum oportet sapere, vel spirare, illa videlicet refutantes, quæ quidem nova voces noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare, ne parvuli aut duarum operationum vocabulo offensi, sectantes Nestorianos, nos vesana sapere arbitrentur: aut certè, si rursus unam operationem Domini nostri Jesu Christi fatendam esse censuerimus, stultam Eutychianistarum attonitis auribus dementiam fateri putemur.*

Quintò, aperte definit, unam tantùm, non autem multiplicem voluntatem & esse & dici debere in Christo: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*; ideoque probat 1. ex eo, quòd alioquin sequeretur (ut Sergius ad eum scribens sequi contenderat) in Christo fore duas contrarias voluntates; id enim innuunt hæc illius verba: *Quia perfectè à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiosa.* Probat 2. ex eo quòd putet, non propriè, sed metaphorice tantùm accipi debere Evangelii verba, quibus passim ostenditur humanam voluntatem vere ac proprie in Christo & esse nunc in cœlis, & fuisse dum in terris viveret: *Et si quidem scriptum est* (ait) *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me Patris. Et: Non quod ego volo, sed quod tu vis Pater, & alia hujusmodi, non sunt hæc diversæ voluntatis, sed dispensationis humanitatis assumptæ. Ista enim propter nos dicta sunt, quibus dedit exemplum, ut sequamur vestigia ejus, pius magister discipulos imbuens, ut non suam unusquisque nostrum, sed potius Domini in omnibus præferat voluntatem.* Ex iis verò Honorii textibus patet ipsum docuisse, unam tantùm in Christo esse voluntatem, unam tantùm & esse & dici debere operationem.

Resp. non unam fuisse de Honorii Epistola ad Sergium antiquorum sententiam. Joannes Papa IV. qui non multò post Honorii mortem Romanam sedem tenuit, ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium litteras dedit, in quibus conatur ostendere, Honorii Epistola ad Sergium sensum catholicum contineri. Docuit nimirum 1. ipsum prohibuisse quidem, ne quis duplicis operationis vocabulum adhiberet, non verò ne quis crederet dogma, quod eodem vocabulo significatur. Docuit 2. Honorium, cum dixit unam esse in Christo voluntatem, locutum fuisse de Christo, prout est homo, non verò prout est Deus & homo simul.

Nonnullos hisce temporibus Theologos reperire est, qui eandem, quam Joannes IV. inierunt viam. Itaque ad argumentum, quod adversùs nostram conclusionem objectum est, in forma respondent, concessa majore, neg. min.

Ad cujus priorem probationem dist. ant. Honorius laudat Sergium, quòd Cyro & Sophronio author fuisset, ut sive ab unius, sive à duplicis operationis vocabulo abstinerent, & credidit, Sergium suasisse, ut non res ipsa, sed nomen tantùm aboleretur, conc. ant. & credidit, Sergium suasisse, ut res & nomen abolerentur, neg. ant.

Ad alteram ejusdem minoris probationem, distinguunt pariter antecedens. Honorius docet nec Scripturam, nec Patres unquam meminisse unius aut duplicis operationis secundùm nomen, conc. ant. secundùm rem, quæ iis vocibus significatur, neg. ant.

Ad tertiam probationem, distinguunt etiam antecedens. Honorius contendit, quæstionem de una aut duplici operatione pertinere ad grammaticos, si sumatur secundùm terminos *unius aut duplicis operationis*, conc. ant. si sumatur secundùm sensum, qui iis nominibus significatur, neg. ant.

Ad quartam probationem, eadem ratione respondent: Honorius vetat, ne aut duplex aut una operatio dicatur secundùm terminos, concedunt ant. secundùm rem iis terminis significatam, negant. ant. Hoc est (inquiunt) Honorius non vetuit, ne duplex operatio crederetur in Christo, sed tantùm ne quis voces unius aut duplicis operationis adhiberet, quia voces illæ nonnullis erant offendiculo, quòd proferentes adducerent in suspicionem aut Nestorianæ, aut Eutychianæ hæreseos: sed nequaquam prohibuit, ne duplex operatio crederetur.

Ad quintam probationem, distinguunt pariter antecedens. Honorius definiit, unam tantùm esse voluntatem Christi, prout est homo, conc. ant. prout est Deus simul & homo, neg. ant. In quolibet homine, qui ex virili semine progenitus sit, duplex est voluntas, una, per quam caro concupiscit adversus spiritum, quæ & concupiscentiæ nomine passim appellatur, quæque ad peccatum inclinat, alia verò, per quam homo vult, quæ recta sunt, seu, quæ sunt conformia rectæ rationi. In Christo (inquiunt illi Authores) est prior voluntas, non autem posterior. Hanc (addunt) Honorius docuit in Christo locum non habuisse; idque probari potest 1. ex eo quòd Honorius id tantùm improbet, quod Sergius in suis epistolis dixerat se improbare in Sophronio: At dixerat se istud tantùm improbare in Sophronio, nimirùm in Christo, hoc est, in humanitate Christi, non esse, sicut sunt in nobis, duæ voluntates contrariæ: *Ex iis* (hoc est, duabus operationibus) *consequens fit* (verba sunt Sergii ad Honorium scribentis) *duas agnoscere voluntates inter se contrarias.* Probari potest 2. ratione, qua Honorius suam de una in Christo voluntate sententiam confirmat: *Unam* (inquit) *voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi, quia profectò à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa; illa profectò, quæ ante peccatum creata est, non quæ post prævaricationem vitiata.*

Nec adversùs quintam responsionem, quæ mox tradita est, potest objici sextum Concilium generale, in quo Honorius cum Pirrho, Sergio, & aliis Monothelitis damnatus est. Nam (inquiunt responsionis, de qua agitur, defensores) non ideò damnatus est Honorius, quòd illius ad Sergium Epistola contineret Monothelitarum hæresim, sed quod illius fautor esse videretur, tum quia prohibuit, ne dogma catholicum de duplici voluntate, & de duplici operatione prædicaretur,

tum

tum quia terminis usus est, quibus ad hæresim suam exprimendam Monothelitæ utebantur.

E contra, sextum Concilium generale, quòd post Joannem Papam IV. celebratum est, quodque a Leone II. confirmatum fuit, & cui adhæserunt Patres septimi & octavi Concilii generalis, judicavit, Epistolam Honorii ad Sergium, in sensu obvio, seu quem verba præ se ferunt, abstrahendo ab Honorii mente, continere Monothelitarum hæresim: *Retractantes* (verba sunt Concilii actione 13.) *dogmaticas Epistolas, quæ tanquam à Sergio quondam Patriarcha hujus à Deo conservandæ regiæ urbis scriptæ sunt, tam ad Cyrum, quam ad Honorium; similiter autem & Epistolam ab Honorio rescriptam ad eumdem Sergium, hasque invenientes omninò alienas existere ab Apostolicis dogmatibus, & à definitionibus Sanctorum Conciliorum & cunctorum probabilium Patrum, sequi verò falsas doctrinas hæreticorum, eas omninò abjicimus, & tanquam animæ noxias exsecramur.* Paulò post ea verba sic idem sextum generale Concilium prosequitur: *Cum his vero simul projici à Sancta Dei Catholica Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus, & Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.*

Non pauci sunt Theologi, qui idem, quod sexti Concilii Patres, de Honorii Epistola judicium ferunt; unde contendunt, non videri veram eorum Authorum explicationem, qui asserunt Honorium nomina tantùm unius, aut duplicis operationis, non autem rem ipsam prohibuisse. Nam 1. Honorius non solùm asserit, duas operationes dici non debere, sed addit, nec debere in Christo *intelligi*. 2. Scribit, se idem cum Sergio sentire, ac prædicare: *Hæc nobiscum fraternitas vestra prædicet, sicut & nos ea vobiscum unanimiter prædicamus*; atqui Sergius non tantùm aboleri voluit nomen duplicis operationis, sed & rem eo nomine significatam. 3. Ideò docuit, non debere dici duas operationes in Christo, quòd hinc sequeretur, duas esse voluntates in Christo, quas tamen Honorius negat in eo esse: *Unde* (ait) *unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi.*

Nec audiendi sunt (addunt illi Theologi) Authores, qui reponunt, unam ab Honorio dictam fuisse voluntatem humanitatis, non autem duplicis naturæ, quæ in Christo post unionem remansit. Nam 1. in eo sensu Honorius dicere potuisset, unam in Christo fuisse naturam, subintelligendo, (ut illi Authores eum in hac propositione *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*, subintellexisse volunt) in Christo ut homo est. 2. Honorius in ea propositione loquitur ad mentem Sergii, ad quem rescribit, & cujus probat Epistolam ad Cyrum & Sophronium: atqui Sergius asserens unam in Christo voluntatem, humanam exclusit: ergo & Honorius. 3. Satis non fuit Honorio dicere, unam esse in Christo voluntatem; sed præterea enervavit argumentum, quo Patres adversùs Monothelitas probarunt, præter divinam voluntatem, esse humanam; scilicet asseruit, hæc Christi verba: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus, qui misit me Patris: Non quod ego volo, sed quod tu vis*, non propriè, sed metaphoricè debere intelligi. 4. Nè apex quidem est in Honorii Epistola, quo probetur, illum docuisse duplicem esse in Christo sive voluntatem, sive operationem. Siquidem levis est ponderis, quòd a nonnullis reponitur; nempè hæc verba, *quia profectò à divinitate assumpta est nostra natura, non culpa*, quæ ab Honorio istis subjiciuntur, *Unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi*, probare, laudatum Pontificem de voluntate tantùm humana, quæ divinæ contraria esset, locutum fuisse. Nam Honorius potuit non attendere ad duplicem voluntatem, quæ in homine etiam per peccatum lapso reperitur, sicque defectu ejusmodi attentionis, præoccupatus Sergii Epistolis, judicare potuit, ex dogmate de duplici operatione, de duplici voluntate, sequi futuras fuisse in Christo contrarias voluntates. 5. Aut Honorii Epistola hæresim continet, aut illius expertes sunt Epistolæ Sergii ad Cyrum, ad Sophronium, ad Honorium, iisdem nempè terminis constant, idem est in utrisque loquendi modus: at nemo hucusque dixit, erroris expertes esse Epistolas Sergii ad Cyrum, ad Sophronium, ad Honorium: ergo, &c.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, patet apertè non constare, quinam sit sensus obvius Epistolæ Honorii ad Sergium: judicarunt nempè nonnulli Pontifices, Catholicum esse sensum illum: judicavit è contra sextum Concilium generale, non esse catholicum: hincque concludimus, nullius esse ponderis argumentum, quod ex ea Epistola contra Christi duplicem tum voluntatem, tum operationem petitur. Vide quæ harum Institutionum in Proleg. Dissert. 4. quæst. 3. c. 1. art. 4. dicta sunt. Sed corrige, si lubet, erratum, quod in eas paginas irrepsit; scilicet ubi diximus, Honorium prohibuisse, ne una vel duplex *voluntas* in Christo diceretur, lege, prohibuisse, ne una vel duplex *operatio* diceretur.

ARTICULUS III.

Quotuplicis generis operationes fuerint in Christo.

Not. SUperiore articulo demonstratum est adversùs Monothelitas, non unam, sed duplicem esse operationem in Christo, divinam nimirum, quæ a natura divina, & humanam, quæ a natura humana, secum invicem unitis in persona Verbi oriuntur. Operæ pretium est, ut hìc expendamus 1. Cujusmodi sit duplex illa pro numero naturarum operatio. 2. Utrum sint aliquæ regulæ, quæ ad explicandas Christi operationum conditiones conferant.

CONCLUSIO 1. Christi operationes triplicis sunt generis.

Probatur. Ex operationibus Christi nonnullæ sunt divinæ, seu quæ emanant a Christo, ut Deus est, hoc est, absque ullo ad humanam naturam respectu: hujusmodi sunt animarum mente prædicarum, hujusce aspectabilis universi creatio. Aliæ sunt humanæ, & definiuntur eæ, quæ naturæ humanæ propriæ sunt, velut edere, bibere, flere, pati. Aliæ denique sunt mixtæ, eæ nimirùm, in quibus agit utraque natura, ut cum Christus suo contactu curabat ægrotos; in ea enim curatione agebat natura divina per suam omnipotentiam, humana verò per suum contactum.

Triplicis ejusmodi operationum generia meminit Cyrillus Alexandrinus in Epistola ad Acacium Melitinensem Episcopum, ubi sic loquitur: *Aliæ sunt voces, quæ divinæ*, naturæ, *maximè conveniunt; aliæ quæ in humanam naturam congruunt; aliæ medium quemdam ordinem tenent, ac Dei filium pariter & hominem simul, & eadem significatione comprehendunt.* Prioris operationum generis exemplum petit ex his Christi verbis: *Ego in Patre, & Pater in me est*; alterius exemplum desumit ex his aliis: *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum*; tertii tandem, ex hac Apostoli sententia: *Jesus Christus heri, & hodie, & ipse in sæcula.*

Quæres 1. quo nomine apud Patres appellentur operationes mixtæ, seu quæ tum à natura divina, tum a natura humana, per modum causæ efficientis proficiscuntur?

Resp. operationes mixtas, à Græcis vocari, *Theandricas*, à Latinis verò, Dei viriles. *Cæterum* (ait Dionysius Epist. 4. ad Cajum) *neque divina ut Deus gerebat, neque humana ut homo, sed in humanato Deo, novam quan-*

dem Θεανδρικὴν, latinè *Dei virilem, operationem nobiscum conversando exhibebat.*

Quæres 2. utrum operatio Theandrica, seu Dei virilis, sit una vel multiplex?

Resp. 1. Monothelitas existimasse, unam tantùm, non verò multiplicem fuisse operationem Theandricam, hoc est, censuerunt, eam operationem non esse mixtam ex divina & humana; voluerunt enim eam esse mere divinam, seu a natura divina ut causa efficiente elicitam. Facti illius veritas ostenditur ex eo, quòd Monothelitæ, ut suum de una in Christo operatione dogma confirmarent, textum Dionysii laudarent, ac pro *novam* operatione, fraudulenter *unam* substituere auderent. Crimen illud temeratæ Dionysii sententiæ exprobrarat illis Martinus Papa in Synodo Lateranensi Consultatione 3. ubi hæc habet: *B. Dionysio asserente, novam quandam Dei virilem operationem inter nos conversatum: utrque eorum apertissimè contra Patrem mentitus est. Et Cyrus quidem in suo septimo capitulo novam immutando, & unam pro nova asserendo...... Sergius autem immutationem nova cum illo consirmans, & non solum hoc, sed & Dei virilem amputans penitùs vocem, & unam absolutè in Christo Dei dogmatizans operationem.*

Resp. 2. apud Catholicos operationem Theandricam non unam esse, sed duplicem, est enim compositum quid ex divina & humana operatione, quæ tamen remaneant a se invicem realiter distinctæ, licet non sint divisæ. Ratio petitur 1. ex ipso nomine operationis Theandricæ, quod quidem, sicut Deum atque hominem connectit, non confundit: ita & operationem humanam atque divinam arctissimè copulatus declarat. Petitur 2. ex Martino Papa, qui in Concilio Lateranensi consultatione III. sic adversùs Monothelitas discurrit: Si una est operatio, quæ Theandrica dicitur, eaque sit divina; vel simplex est, & sic Patri Deo competet, quod tamen dici non potest, cum inde sequatur Patrem (quod & voluit Sabellius) carnem humanam induisse; vel est composita, & sic operatio Verbi, quæ priùs erat simplex, per incarnationem facta est composita; ac proinde (quod tamen repugnat) mutationem passa est.

Quæres 3. utrum omnes Christi operationes fuerint Theandricæ?

Resp. quod licèt omnes operationes elicitæ ab humanitate Christi summam in eo dignitatem habuerint a persona Verbi, cui natura humana semper fuit unita, & licèt eodem Verbo dirigente ac movente prodierint; non omnes tamen Theandricæ fuerint, sed eæ tantùm, quæ mixtæ fuerunt ex operatione Verbi tanquam causæ efficientis, & ex operatione naturæ humanæ agentis quoque per modum causæ efficientis. Ratio est, quia ita senserunt veteres: *Illam miscellaneam operationem solum, Dei virilem appellavit* (inquit Maximus Martyr, Scholiis in epistolam quartam Dionysii) *siquidem ut Deus tantùm, operabatur, quando absens Centurionis filium sanabat: in quantum verò homo tantum, etsi Deus erat, quando comedebat & tristabatur: mixtim autem operabatur miracula, cæcis oculos illinendo restituens, hemorroissæ fluxum solo tactu sistens.* Sophronius, a quo ad Honorium Papam delata est primùm Monothelitarum hæresis, idem, quod Maximus, docet in epistola, quæ inserta est Actioni II. sextæ synodi generalis.

CONCLUSIO 2. Certæ regulæ statui possunt ad explicandas Christi operationes.

Probatur earum regularum enumeratione. *Prima regula.* Christi operationes, quarum aliæ sunt humanæ, aliæ divinæ, sunt unius ac ejusdem operantis. Ratio est, quia unitas aut multiplicitas operantis sumuntur ab unitate, aut multiplicitate personæ: atqui (ut Ecclesia adversùs Nestorianos docet) unica est in Christo persona, Verbi nimirùm: ergo omnes Christi actiones, sive divinæ, sive humanæ, unius tantum sunt operantis.

Secunda regula. Quamvis in Christo sit unus tantùm operans, sunt tamen duæ & diversæ operationes: scilicet (ut ait Leo Magnus ep. 10. c. 4.) Verbum operatur quod Verbi est, seu quod naturæ divinæ est proprium, & caro exequitur quod carnis est, hoc est, quod humanæ naturæ convenit.

Tertia regula. Una natura nusquam divisim, sed semper cum altera conjunctim operatur. Ratio est, quia natura humana semper est divinæ hypostatice conjuncta, ac proinde nusquam divisim operatur: *Agit* (ait Leo Magnus) *utraque natura cum alterius communione, quod suum est.*

Quarta regula. Omnes actiones humanæ in Christo, etiam naturales, ex nutu divinitatis gubernatæ fuerunt: hinc colligitur, motus, qui nobis sunt naturales, hoc est, necessarii, in Christo fuisse liberos: *Turbaris in nolens* (verba sunt Augustini Tractatu 49. in Joannem) *turbatus est Christus, qui voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit. Dormivit Jesus, verum est, sed quia voluit. Mortuus est Jesus, verum est, sed quia voluit. In illius potestate erat sic affici, vel non affici.* Eodem fere modo loquitur Sophronius in epistola synodica, quam legere est in sexta synodo Actione II.

Quinta regula. Caro humana Christi, naturæ divinæ fuit instrumentum, per quod natura divina operabatur tum ea, quæ humanum modum excedebant, tum etiam ea, quæ naturæ quidem humanæ conveniebant, sed ad salutem nostram referebantur: *Usus* (inquit Cyrillus in Dialogo de Incarnatione) *tanquam instrumento, propria quidem carne ad opera carnis, & ad naturales ægritudines, & ejusmodi alia: animo verò itidem proprio, ad humanas, & expertes vitii passiones: nam & esuriisse dicitur, & longinquarum peregrinationum labores pertulisse.* In quo autem posita fuerit ea instrumenti ratio, exposuimus solventes, quæ adversùs duas operationes a Monothelitis objiciuntur.

Sexta regula. Verbum non egit omnia per naturam humanam tanquam per instrumentum sibi hypostatice conjunctum, sed ea tantùm, quæ ad salutem nostram, & ad mediatoris officium pertinebant. Hinc patet, Verbum non conservare mundum, aut producere Spiritum sanctum per humanitatem, cui hypostaticè conjunctum est.

CAPUT XIII.

An Verbum, corporis defectus assumpserit.

Not. CORPORIS defectus sunt duplicis generis: nonnulli enim communes sunt humanæ speciei, ut est corruptibilitas; alii verò aliquibus tantùm individuis conveniunt, ratione scilicet aliquarum particularium causarum, ut febris, lepra, & alia hujusmodi.

CONCLUSIO 1. Corporis defectus toti speciei communes, fuerunt in Christo.

Probatur 1. Corpus Christi (ut adversùs Incorrupticolas superiùs ostensum est) fuit corruptibile. 2. Motus corporis in Christo fuerunt occasio variarum sensationum, quæ defectum arguunt, sitis nimirùm, famis, doloris. 3. Corpus Christi obnoxium fuit morti: verè enim (ut ajunt symbola) pro nobis passus, ac mortuus est.

Quæres 1. cur Verbum corpus assumpserit communibus defectibus obnoxium?

Resp. plures rationes movisse Verbum, ut communes corporis defectus assumeret. 1. Ii defectus videntur fuisse necessarii, ut per eos filius debitam Patri satisfactionem persolveret. 2. Ut carnis assumptæ veritas adversus futuros illius hostes assereretur. 3. Ut essent ma-

teries

ter¡es p. tientiæ, humilitatis, cæterarumque virtutum, quibus Deus incarnatus præire nobis debuit. 4. Ut tanquam caput, in omnibus, excepto peccato, nobis ejus membris assimilaretur.

Quæres 2. utrum corporei defectus, in Christo necessarii fuerint?

Resp. 1. eos defectus non fuisse necessarios quantum ad assumptionem; scilicet Verbum potuit assumere corpus ei simile, quod Deus in Adamo plasmaverat. Resp. 2. eos defectus etiam assumptos, non fuisse necessarios quoad illorum actus: nempè humanitas Verbo hypostaticè conjuncta potuisset actus illorum defectuum impedire, sic potuisset impedire, ne orirentur sensationes famis, sitis, doloris, aliorumque defectuum, quos experimur. Resp. 3. eos defectus fuisse necessarios, spectata conditione naturæ, quam Verbum assumpserat, seu, si natura assumpta sibi relicta esset, ea eas necessario consequi debuissent.

Objicies. Hilarius lib. 10. de Trinitate, negat in Christo locum habuisse dolores, quibus certæ corporis modificationes esse solent occasioni; docet enim ictibus laceratum quidem fuisse corpus Jesu, sed hinc animæ nihil doloris illatum fuisse: scilicet animam Christi comparat cum aqua, cum igne, cum aere, quæ telum aliquod pervaserit: ergo quemadmodum in eo casu nec aqua, nec ignis, nec aer aliquid doloris sentiunt; ita nec anima Christi ad corporis, cui unita erat, divisionem: *Unigenitus Deus* (ait S. Doctor) *hominem verum, non deficiens à se Deo sumpsit: in quem quamvis aut ictus inciderent, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut telum aliquod aquam perforans:* ergo, &c.

Resp. 1. Claudianum Mamertum in Tractatu de statu animæ, nonnullosque alios censere, Hilarium, in iis, quæ objecta sunt, humanum aliquid passum fuisse: Sed contradicit Hieronymus epistola ad Lætam, ubi hæc habet: *Cypriani opuscula semper in manu teneat, Athanasii epistolas, & Hilarii libros inoffenso decurrat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingeniis, in quorum libris pietas fides non vacillet. Cæteros sic legat, ut magis judicet, quàm sequatur.*

Resp. 2. ad primum, dist. ant. Hilarius negat in Christo locum habuisse dolores, quantùm ad modum; secundùm quem sunt in nobis, conc. ant. quantùm ad rei veritatem, neg. ant. *Hilarius* (inquit S. Thomas 3. p. q. 15. art. 5. ad 1.) *à carne Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit*. Ad 2. dist. ant. Hilarius comparat animam Christi cum aqua, quæ telo perforatur, quantùm ad actum primum, conc. ant. quantum ad actum secundum, neg. ant. Hoc est, Hilarius non dicit, quòd anima Christi actu non senserit dolorem, sed tantum, quod potuerit ipsum non magis sentire, quam aqua, quod telum aliquod pervaserit.

Resp. 3. dist. ant. Hilarius negat, dolores in Christo, prout Verbum est, habuisse locum, conc. ant. prout homo, neg. ant. Ratio solutionis petitur ex scopo, quem eò loci Hilarius sibi proponit: intendit autem solvere Arianorum argumentum, qui ex eo quòd fames, sitis, dolor, esset erant in Christo, concludebant, Verbum non esse Deum: nimirùm afferebant, Verbum in Christo animæ humanæ vices supplevisse.

CONCLUSIO 2. Verbum non assumpsit corporis defectus, qui ex humanæ naturæ specie non consequuntur.

Probatur. Verbum eos defectus non assumpsit, qui oriuntur aut ex culpa, aut ex vitio hominis, aut ex imbecillitate virtutis formatricis: atqui defectus, de quibus agitur in conclusione, ex illis capitibus oriuntur: ergo, &c.

Objicies. Christi corpus per febrim, pestem, aliasque externas causas mori potuisset: ergo Christus eos etiam defectus assumpsit, qui ex causis, quibusdam particularibus oriuntur; non autem eos tantùm, qui naturam humanam sumptam secundum speciem consequuntur.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia tanta fuit virtus, quæ Christi corpus formavit, ut illud reddiderit aptum ad resistendum impressioni causarum secundarum, quæ illius temperiem invertere potuissent.

CAPUT XIV.

An Verbum assumpserit animæ humanæ defectus.

Not. AD animæ defectus reduci possunt passiones, ignorantia, peccatum. Quæreodum est igitur, an in humana Christi anima locum habuerint?

ARTICULUS I.

Utrum passiones fuerint in Christo.

CONCL. IN Christi anima passiones locum habuerunt.

Probatur. Passiones sunt quidam motus, qui in anima oriuntur ex alicujus objecti apprehensione: atqui motus hujusmodi locum habuerunt in anima Christi.

Et quidem 1. dolor, seu læsio sensu tactus percepta, juxta illud Isaiæ 53. *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.*

2. Fuisse in eo tristitiam, suadent hæc apud Lucam verba: *Cœpit contristari & mœstus esse.* Confirmatur ex eo, quòd tristitia oriatur ex apprehensione mali, quod aut apprehendenti, aut alteri noceat: atqui in Christo sit ejusmodi mali apprehensio, sive cum futuram passionem apprehendit, sive cum attendit ad discipulorum fugam, aut ad gravitatem peccati, quod Judæi in illius occisione perpetraturi erant.

3. Fuit quoque timor: scilicet Christus apprehendit malum futurum sibi certò impendens, ac proinde in ipso natura humana, quæ de corporis integritate solicita est, illud timere debuit, ut & revera timuit, cum tanti mali dispensationem à Patre petiit: *Si possibile est, transeat à me Calix iste.*

4. Fuit etiam ira: *Circumspiciens eos* (inquit Scriptura, Marci 3.) *cum ira*, &c. Confirmatur ex eo quòd ira sit appetitus vindictæ: atqui Christus vindictam appetiit, & quidem secundùm ordinem justitiæ: ergo, &c.

Objicies 1. Hieronymus in caput 26. Matthæi, scribit, Christum nullas passiones expertum fuisse, sed propassiones tantùm, id est, externam passionum similitudinem in eo nonnunquam visam fuisse, ita ut vultum composuerit perinde, ac si interius motum aliquem passus fuisset: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Hieronymus scribit, passiones nostris quoad modum similes non fuisse in Christo, conc. ant. similes quoad substantiam & veritatem, neg. ant. Hoc est, S. Doctor non ablegavit à Christo passiones ipsas, sed modum tantum, quo in nobis sunt: & quidem meritò; neque enim Christus motus aliquos invitus persensit, nec excitati rationem in eo perturbarunt, ut tamen in nobis passim contigit. *Illud* (ait Hieronymus ipse) *quod supra diximus de passione propassione, etiam in præsenti capitulo ostenditur, quod Dominus, ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus sit, sed ne passio in animo illius dominaretur, per propassionem cœperit contristari.*

Objicies 2. Hilarius libro 10. de Trinit. à Christo removet metum mortis quatuor argumentis 1. Quòd ipse Christus ab Apostolis omnem mortis timorem abegerit:

vit: *Interrogo* (inquit) *an ratione subsistat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis terrorem mortis propellens, ad gloriam eos sit martyrii cohortatus*. 2. Quòd Christus infirmior non fuerit iis martyribus, quibus mors in votis fuit: *Quod si illi, fidei calore, & Beati martyrii gloria timere nesciunt, qua timentur? Christus ...... per crucem mansurus Deus & mundum judicaturus, & rex æternorum sæculorum futurus, tristis metu crucis esset?* 3. Quod mori, aut non mori, in illius esset potestate: *Non est terror mortis in potestate moriendi*. 4. Quòd ipse cæteris, militibus nimirum, a quibus comprehensus est, timorem incusserit: *Anne metuit, qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit? Et in corpore ejus, infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderant?* ergo, &c.

Resp. 1. Hilarium loqui de timore, qui in Christo, prout est Verbum, extiterit. Nimirum (ut jam superiùs observatum est) agebat adversùs Arianos, qui contendentes, Verbum in Christo supplevisse vices animæ, ex metu reliquisve passionibus concludebant, illud non esse Deum. Resp. 2. dici posse, S. Doctorem loqui de timore ei simili, qui in nobis propter malum impendens reperitur, hoc est, de timore, qui necessarius sit, non verò liber: illum abegit a Christo, non autem istum: *Hilarius* (inquit S. Thomas 3. p. q. 15. art. 7. ad 2.) *eo modo à Christo excludit timorem, quo excludit tristitiam, scilicet, quoad necessitatem timendi*.

Objicies 3. In eo non fuit tristitia, qui a primo suæ conceptionis instanti verâ beatitudine fruitus est; nempe tristitia cum sit quoddam malum, stare non potest cum beatitudine, quæ definitur status omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui Christus a primo suæ conceptionis instanti vera beatitudine fruitus est: ergo, &c.

Resp. dist. maj. In eo non fuit tristitia, qui verâ beatitudine, tum quoad essentiam, tum quoad effectum fruitus est, conc. maj. qui fruitus est quidem vera beatitudine secundum essentiam, non autem secundùm effectum, neg. maj. Christus fruitus est quidem vera beatitudine sumpta secundùm essentiam, quæ in clara Dei visione, & amore perfecto consistit; at verò non fruitus est semper vera beatitudine sumpta secundùm omnes illius effectus: scilicet aliqui, ex dispensatione quadam in eo impediti sunt: nec id mirum est, cum Deus pro libito cujuslibet causæ efficientis vires cohibere valeat.

ARTICULUS II.

Utrum in Christo fuerit ignorantia.

CONCL. IN Christo nulla fuit ignorantia.

Probatur. In eo non fuit ignorantia, in quo fuit plenitudo scientiæ; sicut enim plenitudo sanctitatis excludit omne peccatum, ita plenitudo scientiæ omnem ignorantiam excludit: sed in Christo (Apostolo teste) fuit plenitudo scientiæ: ergo, &c.

Objicies 1. Christus non novit peccatum: scilicet hæc scribit Apostolus 2. ad Corinth. 5. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*: ergò, &c.

Resp. dist. ant. Christus non novit peccatum per experientiam, conc. ant. neque enim unquam peccavit; per simplicem cognitionem, neg. ant. scilicet id cognovit, ad quod tollendum mortem passus est in cruce.

Objicies 2. Christus, saltem dum esset infans, ignorantia laboravit: de eo enim sic loquitur Isaias cap. 8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam auferetur fortitudo Damasci*: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Christus, saltem dum esset infans, laboravit ignorantia, quæ dicit privationem scientiæ experimentalis, & acquisitæ, conc. ant. privationem scientiæ simpliciter, neg. ant. Prophetæ sensus est 1. quòd auferetur fortitudo Damasci, antequam puer acquisierit cognitionem humanam eorum, qui sibi patris ac matris sunt loco. 2. Antequam sciat, hoc est, possit ore humano vocare patrem & matrem, seu vulgari, & humano modo dicere, *Pater mi*; sic enim habent Hebræa: *Antequam sciat puer vocare, Pater mi, & mater mea*. 3. Antequam natus sit, populum suum sola invocatione a fortitudine Damasci, hoc est, dæmonis servitute, liberabit.

Objicies 3. In Christo fuit admiratio; ait enim Evangelium Matthæi, 8. *Audiens Jesus*, verba Centurionis, *miratus est*: atqui admiratio præsupponit ignorantiam; est enim illius effectus: nempe ex hoc causatur (inquiunt Philosophi) quod aliquis videt effectum, & ignorat causam: ergo, &c.

Resp. dist. ant. In Christo fuit admiratio metaphoricè sumpta, conc. ant. propriè sumpta, neg. ant. Admiratio priori modo sumpta, non est admiratio, sed illius effectus, certa nimirum vultus compositio; sumpta verò posteriore modo, est animi motus, qui nascitur ex aliquo novo & insolito: Illa fuit in Christo, audiens enim Centurionis fidem, eadem ratione faciem suam composuit, qua solent homines, qui mirantur: sic verò se gessit exteriùs, ut auditores moveret ad ponderandum, quanta esset Centurionis fides.

Quæres, ad quæ objecta se extenderit Christi scientia, quæ ignorantiæ opponitur?

Resp. quæstionem illam pertinere ad ea, quæ inferius de Christi dotibus dicentur.

ARTICULUS III.

Utrum peccatum fuerit in Christo.

Not. HIc tria expendemus: 1. an reverà peccatum aliquod in Christo fuerit: 2. an potuerit peccare: 3. unde sumeretur illius impeccabilitas.

CONCLUSIO. 1. Nullum in Christo fuit peccatum.

Probatur 1. ex Scriptura. Christus ad Hebræos 4. dicitur: *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato*. Ejusdem Epistolæ c. 7 hæc habentur: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus*. Ipse Salvator in Evangelio hæc habet de se ipso: *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Probatur 2. ex Traditione. Concilium Ephesinum can. 10. hæc ait: *Non eguit oblatione, qui peccatum omninò nescivit*. Concilium sextum Oecumenicum, actione 8. multis probat, in Christo non fuisse peccatum, quamvis in eo fuerit humana voluntas; contra quod tamen Monotholitæ docebant, contendentes voluntatem humanam, si fuisset in Christo, futuram fuisse voluntatem Deo contrariam, ac proindè peccato vitiatam. Huc referri debent loca Patrum, quibus hujusce articuli conclusione 2. Christo impeccabilitas assereтur.

Probatur 3 rationibus. 1. Si Christus peccasset, ipse indiguisset redemptore: 2. Id egisset, quod legibus vetasset suis: 3. Nullum fuisset inter eum, & reliquos Sacerdotes discrimen; cum eis enim primò pro se ipso, & postea pro populo orare debuisset: quod quidem dictu impium est.

Objicies. David Psal. 21. hæc habet in Christi persona: *Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum*. Secundæ ad Corinth. 5. Paulus scribit, Christum pro nobis factum fuisse peccatum: *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit*.

Resp. ad primum, Christum aliena delicta vocasse propria delicta, quòd propter ea Deo Patri fidejussorem sese exhibuerit. Resp. ad secundùm peccatum a Paulo sumi pro victima, seu hostia, idque juxta Scripturæ

morem

morem, quæ facrificia, peccati nomine nonnunquam appellat: *Peccata populi mei comedent*, Oseæ 4.

CONCLUSIO 2. Christus, etiam prout homo, fuit impeccabilis.

Probatur 1. authoritate Patrum: *In cujus* (inquit Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, capite 13.) *non tantum divinitate, sed nec in anima, nec in carne, ullum potuit esse peccatum*. Id autem S. Doctor capite 14 probat verbis Pauli ad Hebræos 1. *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens*, atque iis verbis non solùm probari, quod Christus non peccaverit, sed & quod peccare non potuerit. Libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. sic idem Augustinus de Christo loquitur: *An ideò in illo libera voluntas non erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato servire non poterat?* Vide alios Patres, quos ad tertiæ conclusionis probationem adducemus.

Probatur 2. ratione. Si Christus, etiam prout est homo, peccare potuisset, idem de Verbo dici potuisset; siquidem ea omnia, quæ dicuntur de natura tanquam principio *Quo*, prædicantur quoque de supposito tanquam de principio *Quod*: ideò enim veræ sunt hæ propositiones, Deus passus est, Deus mortuus est, quòd passio, quòd mors, naturæ, cui Verbum est substantialiter unitum, tribuantur tanquam principio *Quo*: atqui suppositum humanæ naturæ in Christo non aliud est, quam Verbum: ergo, &c.

Objicies 1. Ille potuit peccare, in quo fuit potentia, qua peccatur: atqui in Christo fuit potentia qua peccatur, scilicet liberum arbitrium: ergo, &c.

Resp. dist. maj. In quo potentia, qua peccatur, fuit non impedita, conc. maj. impedita, neg. maj. Equidem in Christo fuit potentia, seu facultas naturalis, qua peccatur; sed illa potentia, seu facultas, impedita erat in Christo, tum (ut dicetur infra) per Verbum, cui erat hypostatice conjuncta, tum per visionem beatificam, qua anima Christi a primo suæ conceptionis instanti fruita est.

Objicies 2. Persona Verbi nihil prorsùs immutavit in operationibus humanæ naturæ: ergo, si seclusa unione, humanitas peccare potuerit, ita & posita unione.

Resp. dist. ant. Nihil physicum immutavit, conc. ant. nihil morale, neg. ant. Nimirum persona Verbi, quæ in omnibus humanam naturam dirigit, ac gubernat, effecit, ut semper ejus voluntas non operaretur, nisi servato ordine finis.

Objicies 3. Mors non minùs Deo repugnat, quàm peccatum, quippè Deus non minùs est vivens per essentiam, quam sit sanctus per essentiam: atqui mors Deo non repugnat, prout in humana natura subsistit: ergo neque peccatum repugnat humanæ naturæ, quæ subsistit in Verbo.

Resp. neg. maj. Ratio disparitatis est, quia mors est malum pœnæ, cujus Deus ipse potest author esse; unde mirum non est, quòd illi, prout in natura creata subsistit, per idiomatum communicationem, mors tribuatur. Econtra Deus nec directè, nec indirectè potest esse author peccati, cum peccatum sit essentialiter aliquid inordinatum: ac proindè peccatum magis repugnat sanctitati per essentiam, quam mors repugnet vitæ per essentiam, in aliena natura subsistenti.

Objicies 4. Ille potuit peccare, qui potuit non obedire præcepto, quo Pater mortem imperavit; peccatum enim in transgressione, ac in inobservatione præcepti, seu legis, positum est: atqui Christus potuit non obedire præcepto, quo Pater mortem imperavit; siquidem ille potuit non obedire ejusmodi præcepto, qui potuit non mori: sed Christus potuit non mori; liberè nimirum & non necessariò mortuus est, juxta illud Scripturæ: *Oblatus est, quia ipse voluit*; ergo, &c.

Resp. ad primum, conc. maj. neg. min. Ad secundum, dist. maj. Ille potuit non obedire ejusmodi præcepto, qui potuit non mori privativè, conc. min. non mori negative, neg. min. Non mors negativè sumpta, est non mors considerata absque respectu, ac ordine ad aliquod præceptum: Non mors econtra privativè sumpta, est non mors, prout comparatur cum præcepto. Non mortem illo modo, non autem isto, consideratam, Christus velle potuit; idque (ut dicetur inferiùs) ad libertatem sufficit; scilicet ad libertatem non requiritur indifferentia specificationis moralis, sed physicæ tantùm, hoc est, non requiritur, ut voluntas possit eligere objectum honestum ut honestum est, aut non eligere; sed satis est, ut objectum physicè sumptum eligere possit aut non eligere.

CONCLUSIO 3. Impeccabilitas in Christo oritur ex hypostatica naturæ humanæ conjunctione cum Verbo.

Probatur 1. auctoritate Patrum. Dionysius Alexandrinus in Epistola Synodica ad Paulum Samosatenum, sic loquitur: *Nisi Christus idem esset Deus Verbum, non poterat a peccato immunis esse*. Censet igitur S. Præsul, causam impeccabilitatis in Christo esse, quòd sit Deus Verbum: atqui non est Deus Verbum, nisi ratione unionis hypostaticæ, quam natura humana habet cum Verbo.

Athanasius expressè docet, in humanam naturam invehi non potuisse impeccabilitatem, nisi per suam cum Deo conjunctionem: *Impossibile erat* (inquit in libro de Incarnatione Verbi, veteris editionis pag. 461.) *alio modo integritatem & impeccantiam in humanam recipi naturam, nisi Deus in carne crederetur esse*.

Cyrillus Alexandrinus libro sexto Commentariorum in Joannem pag. 564. agens de his Christi verbis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* seu quærens causam, cur Christus peccare non potuerit, hanc profert rationem: *Quòd prorsus fieri nequeat, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus*: igitur humanæ Christi naturæ impeccabilitatem Cyrillus adscribit illius divinitati, ac proindè unioni hypostaticæ, per quam Christus est Deus. Hæc etiam habet Hilarius lib. 2. de Trinitate: *Nec est* (Jesus) *in vitiosa hominis infirmitate, quia Christus est*: atqui Jesus est Christus per hypostaticam unionem: ergo per eam quoque est impeccabilis.

S. Augustinus in eandem, in quam cæteri Patres, radicem refundit humanæ in Christo naturæ impeccabilitatem: *Neque enim* (ait in libro de Corrept. & Gratia cap. XI.) *metuendum erat, ne ista ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cum ista susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret*. Tandem Patres asseruerunt, naturam humanam ideò esse impeccabilem, quòd facta sit natura propria Dei, ita ut quidquid in eam caderet, caderet & in Verbum; quod quodammodo deificata sit; quòd vivifica Verbi virtute donata fuerit: atqui ideò facta est natura propria Dei, ideò fuit deificata, ideò donata vivifica Verbi virtute, quod hypostaticè cum Verbo conjuncta sit: ergo Patres humanæ in Christo naturæ impeccabilitatem refuderunt in illius hypostaticam cum Verbo conjunctionem.

Probatur iterùm conclusio ratione. Verbum divinum ratione unionis hoc sibi debet, ut in omnibus omninò actibus humanitatem regat, ac gubernet. Nam quoties duo sunt perfectè conjuncta, superioris est inferiorem regere: siquidem defectus causæ, quæ subordinata est alteri, refunduntur in superiorem, cui subjicitur, ut in corpore respectu animæ videre est. Rationem illam tradit sexta Synodus generalis, Actione octava ubi hæc habentur: *Quemadmodum corpus nostrum regitur*,

gitur,

gitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima nostra: ita in homine Christo tota humana ejus conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper & in omnibus mota, Deo mobilis fuit: atqui si humana Christi natura semper in omnibus a Verbo, ratione unionis, regi ac moveri debuit, necesse fuit, ut eadem humana Christi natura ratione ejusdem unionis fuerit prorsus impeccabilis.

Objicies. Verbum humanam naturam non reddit impeccabilem, qua Verbum est, seu quatenùs est persona, quæ a Patre & Filio distincta sit: nempe personæ, ut est persona, effectus, non est absolutus, (ut est tamen humanæ naturæ sanctificatio) sed relativus tantùm. Non reddit quoque naturam impeccabilem ratione naturæ divinæ, alioquin enim humanitatis impeccabilitas, tam a Patre & Spiritu sancto, quam a Verbo oriretur, cum opera ad extra, toti Trinitati communia sint; ac proinde humanitas Christi non fuisset impeccabilis ratione unionis hypostaticæ.

Resp. dist. maj. Verbum qua Verbum est, non reddit naturam humanam impeccabilem per modum causæ efficientis, conc. maj. Quæ enim sunt ab una persona per modum causæ efficientis, cæteris quoque personis communia sunt. Per modum causæ formalis, & exigentis, ut Deus per suam omnipotentiam efficiat, ne humanitas peccare possit, neg. maj. Cum tres SS. Trinitatis personæ contulerint auxilia ac dona, quibus humana natura in Christo fuit impeccabilis, tres personæ fuerunt causa efficiens impeccabilitatis ejusmodi; at verò persona Verbi, ut Verbum est, ratione unionis fuit causa, quæ exegit, ut aliæ personæ impeccabilitatem conferrent: hincque patet, radicem impeccabilitatis in Christi humanitate, fuisse hypostaticam illius cum Verbo conjunctionem.

QUÆSTIO III.

De Unione, qua Verbum inter & humanam naturam reperitur.

Not. IN unione, quæ naturam humanam cum persona Verbi conjungit, perpendi possunt essentia, propietates, consequentia; unde quærendum est hic 1. quid sit unio, quæ naturam humanam cum persona Verbi conjungit; 2. quænam sint illius proprietates, hoc est, an fuerit substantialis, universalis, indissolubilis; 3. quænam ex illa unione consequantur, id est, an ex ea secuta sit naturarum confusio, an ex ea idiomatum communicatio necessariò colligatur.

CAPUT I.

In quo posita sit Unionis essentia.

Not. DE essentia unionis, per quam humana natura cum Verbo copulatur, Scholastici multa vocant in controversiam. Nos quæ ad eam spectant, ad quatuor tantùm reducemus: quæremus nimirùm 1. utrum unio sit aliquid distinctum a productione humanitatis Christi: 2. an sit modus realiter distinctus ab extremis: 3. qua ratione hæc quatuor, unio, unitio, assumptio, incarnatio differant: 4. tandem, quæ sit positiva ac germana ejusdem unionis idea.

CONCLUSIO 1. Unio Verbi cum humana natura realiter distinguitur a productione humanitatis Christi.

Probatur. Illud distinguitur realiter à productione humanitatis Christi, quod supponit humanitatem jam productam in priori naturæ; propter eam rationem lux distinguitur a sole: atqui unio Verbi cum humanitate, supponit humanitatem jam productam in priori naturæ: scilicet vinculum supponit existere (saltem in priori naturæ) duo extrema, quæ conjungit, ut patet in corpore & anima, quæ quidem in instanti naturæ supponuntur existere, antequam uniri possint.

Objicies. Leo Magnus epist. 11. asserit, humanitatem Christi fuisse creatam ipsa sui assumptione. *Natura nostra non sic assumpta est* (inquit) *ut prius creata, postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur*: ergo unio Verbi cum humana natura non distinguitur ab ipsa humanitatis assumptione.

Resp. dist. ant. Natura nostra non sic assumpta est, ut priùs prioritate temporis creata assumeretur, conc. ant. priùs prioritate naturæ, neg. ant. Illud, non autem istud, voluit Leo Magnus, idque contra Nestorium, qui contendebat, humanitatem Christi aliquo tempore realiter extitisse sine unione cum Verbo, indeque concludebat Virginem esse quidem Christiparam, non autem Deiparam.

Objicies 2. Humanitas Christi per unionem cum Verbo accepit existentiam: ergo unio non distinguitur a creatione humanitatis. Probatur ant. ex Sophronio qui sic loquitur in sexta generali Synodo: *Humanitas in Verbo, non in semetipsa, habuit existentiam unam*: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. nempè superiùs à nobis ostensum est, naturam humanam a Verbo assumptam fuisse cum propria existentia. Ad 2. respondeo, Sophronium nomine existentiæ intellexisse subsistentiam, ut patet ex his, quæ subjungit: *Christus est unum & duo; unum secundum subsistentiam, duo secundùm naturam.*

Objicies 3. Ea non distinguuntur, quæ habent unum ac eundem terminum: atqui unio & actio productiva, in Christo habent eundem terminum; nimirùm unio hypostatica habet pro termino subsistentiam humanitatis in Verbo: sed actio productiva humanitatis habet quoque pro termino eandem humanitatis subsistentiam; siquidem creatio non terminatur, nisi ad rem subsistentem: non minùs enim respectu termini, quam respectu causæ efficientis, locum habet hoc Philosophorum axioma: *Actiones sunt suppositorum.*

Resp. ad 1. & 2. neg. min. Scilicet actio creativa abstrahit a supposito; siquidem substantia sive per se ipsam, sive per alium subsistat, est adæquatus terminus creationis. Unde verum non est, quòd termino creationis applicari possit laudatum ex Philosophis axioma. Nec urgent qui reponunt, inde consequi rem aliquam posse creari sine subsistentia. Non urgent (inquam) nam res illa, quæ creatur, vel eo instanti temporis, quo producitur, communicatur alteri, vel non communicatur. Si primum, non habet propriam subsistentiam, cum (ut dicetur infra) propria rei subsistentia posita sit in negatione communicabilitatis. Si secundum, sui juris est, ac proinde in se subsistit. Hinc verò patet, creationem esse, ad subsistentiam propriam aut alienam, prorsùs indifferentem.

CONCLUSIO 2. Unio in Christo non est modus ab extremis realiter distinctus.

Probatur. Ille modus a Verbo, ut supponitur, distinctus, esset aliquid creatum: ergo non posset humanitatem immediate cum Verbo conjungere; non enim magis esset proportionatus cum Verbo, quam ipsa humanitas, ac proindè, cum ex Adversariis, humanitas ideò immediatè non uniatur Verbo, quòd ei sit improportionata, ita nec ille modus cum eo uniri posset. 2. Concipi non potest, quomodo unio illa, (ut dictum fuit) esset creatura, reciperetur in Verbo, ut tamen recipi debet, ut ipsum cum humanitate conjungat. 3. Frustra supponitur ille nexus medius, cùm Verbi subsistentia satis sit, ut per se ac immediatè complexat humanitatem, eamque juri suo indicent; seu ut efficiat, ne humanitas sit juris proprii, sed alieni.

Objicies

Objicies 1. Humanitas intrinfecè mutatur per fui cum Verbo unionem: ergo aliquid intrinfecè recipit per quod mutetur; non enim in fubjecto fit nova intrinfeca mutatio, nifi fubjectum, quod mutatur, novam ac intrinfecam formam fibi accidentalem recipiat: Sed id, quod humanitas Chrifti recipit per fui cum Verbo unionem, non aliud eft, quam modus diftinctus a Verbo: ergo, &c.

Refp. neg. fubfumptum. Nimirùm humanitas intrinfecè & phyficè mutatur per fubfiftentiam Verbi, quam intrifecè ac phyficè recipit, ut hujufce Inftitutionum noftrarum partis differtatione 1. dictum eft.

Objicies 2. Humanitatem effe unitam Verbo, eft aliquid reale de novo pofitum in rerum natura; juxta illud Cyrilli: *Anathema iis, qui non dixerint unionem illam effe phyficam*, id eft, realem & veram. Sed illud reale de novo pofitum in rerum natura, non eft fola humanitas, nec fola Verbi fubfiftentia; nam utraque poteft exiftere fine unione: ergo eft modus ab utraque natura phyficè diftinctus.

Refp. conc. maj. dift. min. Non eft fola humanitas, nec fola Verbi fubfiftentia feorfim fumptæ, conc. min. conjunctim fumptæ, neg. min. Unio eft ipfamet humanitas, cui Verbi fubfiftentia communicatur; undè fubfiftentia Verbi, reduplicativè prout communicata, eft ipfa unio, de qua hic agitur.

CONCLUSIO 3. Unio fecundùm diverfos refpectus differt ab unitione, incarnatione, afsumptione, terminatione.

Probatur. Unio eft vinculum extrema conjungens; unitio verò eft actio, ex qua unio tanquam terminus refultat. 2. Incarnatio effectivè fumpta eft omninò idem cum unitione, accepta verò formaliter, idem eft cum unione, feu vinculo extrema conjungente. 3. Afsumptio, quæ eft quafi ad fe, feu ad proprium efse, fumptio, differt ab Incarnatione, quod ifta dicat relationem Verbi ad carnem, illa verò relationem carnis ad Verbum. 4. Terminatio folum defignat effectum formalem, aut quafi formalem fubfiftentiæ Verbi refpectu humanitatis.

Ex iis, quæ mox dicta funt, colligitur 1. unitionem, & incarnationem entitativè fumptam, efse effectum tribus perfonis SS. Trinitatis communem. Ratio eft, quia procedunt a natura divina, ut natura eft, non autem prout eft in perfonas diftincta; unitio enim, & Incarnatio effectivè fumptæ, funt opus ad extra. Colligitur 2. afsumptionem & terminationem efse proprias Verbo, ut Verbum eft: Nam aliæ a Verbo perfonæ humanam naturam nec afsumpferunt, nec terminarunt.

CONCLUSIO 4. Unio hypoftatica Verbi cum humanitate nihil aliud eft, quam communicatio efse divini facta humanitati.

Probatur. Primò, fuppofita illa communicatione, intelligitur 1. quomodo natura humana in Chrifto non fit perfona humana, fed divina. Nam ratio propriæ perfonæ pofita eft in eo, quòd natura aliqua fit juris proprii, non autem alieni; quòd fe ipfam regere ac gubernare poffit: atqui communicatione efse divini facta humanitati fuppofita, rectè intelligitur, quomodo natura humana non fit juris proprii, fed alieni, quomodo non a fe ipfa regi ac gubernari poffit. Scilicet quoties natura inferior accedit ad fuperiorem, tunc inferior definit efse juris proprii, natura inferior regitur ac gubernatur a fuperiore natura. Id videre eft in corpore humano refpectu animæ rationalis; nam ideò corpus hominis non habet perfonam, a perfona animæ diftinctam, quod per modum naturæ inferioris accedat ad animam, quæ natura eft fuperior; quod non a feipfo, fed ab anima regatur ac gubernetur, illique tribuantur ea omnia, quæ fiunt a corpore: *Anima* (ait Cyrillus in Scholiis pag 782.) *omnia, quæ funt corporis, fua facit, licet per naturam propriam expers fit paffionum corporis ..... Et fua quidem facit Deus Verbum ea, quæ funt fuæ carnis propria, quia ipfius eft corpus & non alterius.* Ea de caufa Patres afseruerunt humanitatem & Verbum unam efse perfonam, ficut una funt perfona anima & corpus humanum: *Filius hominis* (inquit Auguftinus tractatu 19. in Joannem) *habet animam, habet corpus. Filius Dei quod eft Verbum Dei, habet hominem, tanquam anima corpus. Sicut anima habens corpus, non facit duas perfonas, fed unum hominem; fic Verbum habens hominem, non facit duas perfonas, fed unum Chriftum. Quid eft homo? Anima rationalis habens corpus. Quid eft Chriftus? Verbum Dei habens hominem.*

Hinc colligitur 1. unionem, quæ reperitur inter Verbum & naturam humanam, non efse unionem tantum moralem, per gratiam & alia dona, ut docebat Neftorius; fed realem, phyficam ac fubftantialem: Oritur nimirùm illa unio ex intima ipfiufmet divinæ fubftantiæ communicatione facta humanitati, quemadmodum unio corporis humani cum anima rationali ideò non eft moralis, fed phyfica & fubftantialis, quod ex intima ipfius animæ communicatione corpori facta nafcatur: *Piè rectèque afseveramus* (inquit Cyrillus lib. de recta fide, pag. 144.) *dum magnus ille Paulus omnem divinitatis plenitudinem in ipfa inhabitaffe fcribit, non quidem per alicujus doni participationem, aut habitudinem, aut gratiæ communicationem; fed corporaliter, hoc eft, effentialiter, ficut in homine dicitur inhabitare fpiritus ejus, non alias exiftens præter ipfum.*

Colligitur 2. omnes humanitatis actiones, per idiomatum communicationem, tribui debere Verbo, ficut corporis actiones, animæ rationali, cui conjunctum eft, tribuuntur: *Quamvis igitur* (ait Cyrillus epiftola fecunda ad Succenfum) *in Emmanuel, hominis naturam ac divinitatis dicant; ipfa tamen humanitas, propria facta eft Verbi, unufque cum ipfa filius intelligitur. Cum verò Scriptura divina dicat ipfum carne paffum, fatius eft nos quoque fic dicere, quam in natura humanitatis.* Sed his lux addetur maxima ex iis, quæ fubfequentibus Capitibus dicentur.

CAPUT II.

Utrum unio Verbi cum humanitate fit fubftantialis.

Not. 1. NEftorius primum monachus, poftea Sacerdotio functus apud Antiochenos, & tandem anno 428. ad Epifcopatum Conftantinopolitanum evectus, afferuit, unionem Verbi cum humana natura effe folùm accidentalem, per dona nimirùm ab ipfo Dei Verbo realiter diftincta.

Ex eo autem principio collegit 1. Verbum non alia fecundùm fpeciem, licèt diverfa fecundum gradum, ratione humanitatem inhabitaffe, quàm ea, qua homines juftos cum cæteris SS. Trinitatis perfonis inhabitet. Collegit 2. aut faltem ex ejus principiis confequens fuit, licèt id nufquam apertè profeffus fit, duplicem effe in Chrifto perfonam, inhabitatam quidem, feu humanam, & inhabitantem, hoc eft, divinam. Collegit 3. Mariam Virginem non effe *Theotocon*, fed tantum *Chriftotocon*, id eft, non Deiparam, fed Chriftiparam, quod nempè Deum ipfum non genuiffet, fed merum hominem, qui fua eximia virtute poftea meruiffet ita fingularem & authoritatis & gratiæ cum Deo conjunctionem, ut Deus appellatus fit, ac adorationis cultu dignatus. Collegit tandem 4. admitti non debere realem idiomatum communicationem, feu contendit, veras non effe propofitiones, in quibus perfonæ Verbi tribuuntur, quæ uni humanæ naturæ conveniunt, aut in quibus

quibus ea, quæ personæ Verbi propria sunt, humanæ naturæ adscribuntur, proindeque hasce enuntiationes; *Deus mortuus est*, *Homo est immortalis*, impias esse censuit.

Not. 2. Nestorio præiverant Paulus Samosatenus, Photinus, & alii, qui Christi divinitatem negaverant; cum hoc tamen discrimine, quòd Nestorius, saltem voce tenus, Christum diceret Deum, unum Filium, unam personam; sed ut dicetur infra, œconomicè tantùm sic loquebatur, ne scilicet audiret tanquam Paulianista, & Photinianus: revera enim ex illius principiis sequebatur, Christum non alio modo esse Deum, quam homines, quos sive propter dignitatem, sive propter eminentem aliquam dotem Scriptura nonnunquam Deos appellat; non alia unitate esse unum Filium, unam personam, quam unitate morali, quæ in consensione, & concordia posita est.

Not. 3. Etsi inter Paulianistarum, Photinianorum & Nestorii dogmata, maxima fuerit similitudo, ab iis tamen Nestorius suam hæresim non hausit, sed à Diodoro Tarsi in Cilicia Episcopo, quem Theodorus Mopsuestiæ antistes (Theodoreto teste, lib. 5 hist. cap. 39.) una cum S. Joanne Chrysostomo magistrum audiit. Illi (Diodorum dico) Cyrillus Alexandrinus in Epistola priore ad Succensum, hunc errorem tribuit, quòd senserit, alterum esse Filium, qui natus est ex Virgine, alterum, qui è sinu Patris ab æterno prodiit. Illius verò, hoc est, Theodori Mopsuesteni, scripta damnavit quinta generalis Synodus, tanquam hæresi, quæ deinceps à Nestorio promulgata est, consentanea.

Not. 4. Nestorii hæresis cum Pelagiana multùm affinis fuit; unde Pelagiani, licèt toto in Occidente damnati, à Nestorio benignè excepti sunt in Oriente: ab illius partibus constanter steterunt in conciliabulo, quod Joannes Antiochenus Episcopus celebravit adversùs Cyrillum, & Concilium Ephesinum, in quo Nestorius proscriptus fuerat. Utriusque affinitatem hisce versibus describit S. Prosper: *Nestoriana lues successi Pelagiana, Quæ tamen est utero progenerata meo. Infelix misera genitrix, & filia natæ, Prodivi ex ipso germine, quod peperi. Nam fundare arces meritis prior ausa superbis, In capite ad corpus ducere opus volui. Nam Christum pietate operum, & mercede volentes, Esse Deum, in capitis fœdere non stetimus: Sperantesque animi de libertate coronam, Perdidimus, quam dat, gratia justitiam.* Inter Pelagianos verò, qui expressè Nestorianam hæresim professi sunt, emicuit Leporius monachus. Is antequam Nestorius suum impium dogma promulgaret, illud jam Leporius evulgaverat; sed postea agnitum errorem ejuravit, ut videre est in emendationis libello, quem Aurelio Carthaginensi, & Augustino Hypponensi Episcopis porrexit.

Not. 5. Ut quæ ad Nestorianam causam spectant, ex integro pertractentur, quærendum esset 1. Utrum Nestorius revera negarit personalem, ac substantialem Verbi cum humana natura conjunctionem: 2. An Anathematismi, quos Cyrillus in eum intorsit, a quolibet errore sint immunes: 3. An Concilium Ephesinum I, in quo damnatus est Nestorius, vere fuerit œcumenicum: 4. Utrum Theodorus Mopsuestenus, & Diodorus Tarsensis Nestorio præluserint; 5. An Theodoretus, qui impugnavit Cyrilli adversùs Nestorium anathematismos, Nestoriano errori faverit: 6. Utrum Joannes Antiochenus, aliique Orientales Episcopi, qui Cyrillum, & celebratam ab eo Synodum Ephesinam damnarunt, rei fuerint hæreseos Nestorianæ: 7. Denique quibus argumentis Catholica veritas adversùs Nestorium confirmari possit.

Not. 6. Ex iis, quæ mox proposita sunt, Capitibus, nonnulla jam Parte 1. pertractata sunt; scilicet Dissert. 4 q. 3. cap. 2. art. 3. §. 3. probavimus, Concilium Ephesinum I. esse Concilium verè œcumenicum. Dissert. 4. q. 3. c. 2. art. 5. § 2. prolata sunt, quæ in quinta generali Synodo de Theodori Mopsuesteni, & Theodoreti scriptis adversùs Cyrillum definita sunt. Dissert. 4. q. 3. cap. 2. art. 3. §. 3. dictum est de Joanne Antiocheno, aliisque Orientalibus Episcopis, qui illi contra Cyrillum & Ephesinum primum Concilium adhæserunt. Igitur superest, ut hic tria tantùm expendamus: 1. An Nestorius negaverit substantialem Verbi cum humana natura unionem: 2. An Cyrillus Nestorium impugnans, opposito errori, Eutychiano nimirùm, faverit: 3. Denique quibus argumentis fides catholica contra Nestorium confirmari possit.

ARTICULUS I.

An Nestorius negaverit substantialem Verbi cum humana natura unionem.

Not. Nonnulli censent, Nestorium reverà non negavisse substantialem Verbi cum humana natura conjunctionem, sed nonnulla tantùm, quæ ea ea sequuntur, scilicet Virginem esse *Theotocon*, seu Deiparam, nec non idiomatum communicationem, per quam quæ Verbo proprie conveniunt, humanæ naturæ tribuuntur, & vicissim, quæ propria sunt humanæ naturæ, Verbo adscribuntur. E contra omnibus ferè, tum antiquis, tum recentioribus, visum est Nestorium, moralem tantùm, non autem realem ac substantialem, admisisse Verbum inter, & humanam naturam unionem.

CONCLUSIO. Nestorius non admisit realem, ac substantialem Verbi cum humana natura unionem.

Probatur. Nestorius apertè negavit, Christum esse verè ac substantialiter Deum. Nam 1. sic loquitur Anathematismo primo inter eos, quos Cyrillianis opposuit: *Si quis eum, qui est Emmanuel, Deum verum esse dixeris, & non potiùs nobiscum Deum....... anathema sit.* 2. Quaternione 27. libri à Nestorio conscripti, quem legere est actione 1 Concilii Ephesini, docet, Christum eadem ratione dici Deum, Filium Dei, Sanctum, qua nonnulli homines, quorum Scriptura meminit, appellati sunt Dii, Filii Dei, Sancti. *Verbum* (inquit) *ut rerum omnium opificem Deum appellamus, & Mosen rursum Deum, ait enim: Constitui te Deum Pharaonis, & Israel filium Dei. Nam filius* (inquit) *meus primogenitus Israel est, & sicut Saul appellatur Christus: non enim* (inquit) *injiciam manum meam in eum, quia Christus Domini est: Et de Cyro similiter dictum est: Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro; Et Babylonios sanctos: Ego enim* (ait) *præcipiam eis; sanctificati enim sunt, & ego ducam eos: ita quoque Christum dominum, & Deum, & Filium, & sanctum, & Christum appellamus.* 3. Variis in locis docet, eum, qui conceptus est in sinu Virginis, eum, qui ex ea natus est, nec esse, nec dici debere Deum: *Non per seipsum Deus est* (inquit) *quod in utero figuratum est.* Quaternione 21. hæc etiam habet: *Divina proinde Scriptura Deum ex Christipara Virgine genitum esse nusquam affirmat, sed Jesum Christum & Filium, & Dominum.* 4. Constanter semper asseruit, se Deum bimestrem, aut trimestrem non adorare: *Deum* (inquit Actione prima Ephesini Concilii) *bimestrem, aut trimestrem non adoro.* Docuit 5. eum, qui jacuit in sepulchro, non esse Deum: *Non per se* (inquit Quaternione 16.) *& secundùm se Deus est, quod in monumento conditum est.* Docuit 6. (ut patet ex Quaternione 18.) eos, qui ad sacram synaxim accedunt, manducare quidem Christi carnem & bibere ejus sanguinem, non autem deitatem, abstractum subdole pro concreto ponens.

Ex iis autem textibus sic in forma conficitur argumentum: Ille non admisit realem, ac substantialem Verbi cum natura humana unionem, qui apertè negavit,

vit, Christum esse realiter ac substantialiter Deum, siquidem cùm duæ naturæ substantialiter uniuntur, vere ac realiter prædicantur de composito, in quo reperiuntur: propter eam rationem anima, & corpus de homine verè ac realiter prædicantur. Atqui Nestorius apertè negavit, Christum esse realiter, ac substantialiter Deum: Non enim alio modo voluit eum esse Deum, quam Moyses; asseruit eum, qui conceptus est in Virgine, qui ex ea natus est, qui bimestris ac trimestris fuit, qui jacuit in Sepulchro, qui manducatur in Eucharistia, nec esse, nec dici debere Deum: ergo, &c.

Probatur iterum nostra conclusio. Nestorius non aliam Verbum inter & humanam naturam unionem admisit, quàm quæ reperitur inter templum, & inhabitatorem templi, inter rem gestatam, & personam gerentem, inter duos, qui ejusdem dignitatis, ac honoris communione fruuntur: sic enim loquitur in Epistola ad Cyrillum, quam legere est cap. 9. part. 1. Concilii Ephesini: *Quasi vero, quæ in Dei Verbum naturaliter conveniunt, ea templi conjunctione abolita sint: aut parvi, apud homines fieri debeat, templum illud nullo unquam peccato consarcinatum, & à divina natura inseparabile, peccatorum nostrorum causa, & natum & mortuum esse.* Hæc etiam ait Quaternione 16. *Propter gestantem gestatum veneror, propter latentem adoro apparentem....... naturas separo, sed adorationem conjungo.* Libro 3. apud Cyrillum pag. 90. asserit, se in Christo discernere quidem naturas: *Sunt enim* (ait) *naturæ duplices*; sed si quæ sit unitas, ex auctoritate repeti debere: *Sed* (inquit) *dignitate singulares: Siquidem naturarum auctoritas, propter conjunctionem est una, naturis in ordine suo perpetuo manentibus, dignitate verò conjunctæ, ut dixi, in singularem auctoritatem.* Atqui is, qui non aliam unionem, Verbũ inter, & naturam humanam admisit, quàm quæ reperitur inter templum, & inhabitatorem templi, inter rem gestatam, & personam gerentem, inter duos, qui sola dignitatis & honoris communione fruuntur, non admisit realem ac substantialem unionem: ergo, &c.

Probatur 3. Ille non admisit in Christo substantialem unionem Verbi cum humana natura, qui indirectè saltem, docuit, duas esse in Christo personas; nempè unio substantialis non in natura, (ut superiùs dictum est) sed in sola persona fieri potest: atqui Nestorius docuit, duas esse in Christo personas; nam ille docuit duas esse in Christo personas, qui scripsit, non esse unum Filium post assumptionem; eum, qui formatus est in sinu Virginis, non esse unigenitum Filium Patris; eum, quẽ Pontifex est confessionis nostræ, non esse Dei Verbum; atqui Nestorius id scripsit: *Si quis* (inquit anathematismo 5.) *unum esse post assumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere; cum sit Emmanuel* (hoc est, Nobiscum Deus) *anathema sit. Si quis* (ait anathematismo 7.) *hominem, qui in Virgine creatus est, hunc esse unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus est...... anathema sit. Si quis* (ait anathematismo 10.) *illum in principio Verbum, Pontificem, & Apostolum confessionis nostræ factum esse, seque ipsum obtulisse pro nobis dicat...... anathema sit.* Ergo Nestorius, indirectè saltem, docuit, duas esse in Christo personas; ac proinde non admisit substantialem unionem Verbi cum humana natura.

Probatur 4. Ille non admisit substantialem unionem Verbi cum humana natura, qui disertè negavit ea omnia, quæ necessariò sequuntur ex illa substantiali unione; qui enim omnes omninò causæ alicujus effectus negat, censeri debet negare causam ipsam; atqui Nestorius disertè negavit ea omnia, quæ necessariò sequuntur ex substantiali unione cum humana natura.

Et quidem 1. negavit Virginem esse ac debere dici Deiparam; nimirùm, Cyrillo teste in Epistola ad Cœlestinum, illo in Cathedra Constantinopolitanæ Ecclesiæ sedente, ac probante, Dorotheus Episcopus magna elataque voce inclamare ausus est: *Si quis Mariam Deiparam dixerit, anathema sit.* Ipse Nestorius, in Epistola ad Cœlestinum, sic mentem aperit suam: *Sed & Virginem Christotocon ausi* (Catholici) *cum modo quodam Theotocon dicere.* Eum verò, quem arguit, loquendi ac sentiendi modum, declarat adversari Nicænis Patribus, additque, nusquam à Scripturis adhibitum fuisse: *Et tacco Scripturas, quæ ubique Virginem matrem Christi, non Dei Verbi, & per Angelos, & per Apostolos prædicarunt.* Idem, etiam cum anathemate, confirmat anathematismo primo ex iis, quos Cyrillianis opposuit: *Si quis Mariam, matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel est, nuncupaverit..... anathema sit.* 2. Idem Nestorius negavit ea, quæ carni propria sunt, Verbo per communicationem idiomatum tribui debere: *Si quis* (ait anathematismo 4.) *eas voces, quæ tam in Evangelist, quam in Epistolis Apostolicis de Christo, qui est ex utraque, scripta sunt, accipiat tamquam de una natura; ipsisque Dei Verbo tentet passiones tribuere, tam secundum carnem, quam secundum deitatem, anathema sit.* Atqui tamen ex substantiali unione Verbi cum humana natura necessariò sequitur, Virginem non esse tantùm Christum, sed etiam Deiparam, sequitur, ea, quæ carni propria sunt, tribui debere Verbo: siquidem ratione unionis substantialis, quæ inter corpus & animam reperitur, quæ corpori tantùm conveniunt, per idiomatum communicationem animæ tribuuntur.

Quæres, num censura aliqua debeatur sententiæ, qua asseritur Nestorium admisisse realem, ac substantialem unionem Verbi cum humana natura?

Resp. sententiæ, de qua agitur, inuri debere non falsitatis tantùm, sed & temeritatis notam.

Ratio est 1. quia repugnat Cyrillo, cui haud dubiè perspecta esse debuit, Nestorii sententia, cum & ejus scripta, & responsiones ad objecta sibi argumenta, præ manibus habuerit. Repugnat 2. judicio tum Romanæ Sedis, tum concilii Ephesini I. ubi Nestorius tanquam hæreseos reus, & Constantinopolitano Pontificatu, & fidelium communione dejectus est. Repugnat denique 3. Leoni Magno Epist. 97. Vincentio Lirinensi Commonitorio 1. cap. 17. Cassiano lib. 1. de Incarn. cap. 1. Evagrio lib. 1. Hist. Eccles. cap. 2. Liberato in Breviario causæ Nestorianæ, & Eutychianæ, cap. 4. Facundo Hermianensi, lib. 1. & tandem omnibus fere scriptoribus, qui ab ipso Nestorio ad elapsum proxime sæculum scripsere.

Solvuntur quæ pro Nestorio objiciuntur.

Objicies 1. Non alio nomine reus fuit Nestorius, quàm quòd credens cum Catholicis Mariam genuisse hominem Verbo substantialiter unitum, eam tamen Deiparam non vocaret, nec vocandam censeret, ne initium æterno Verbo cum Arianis tribueretur: ergo, &c.

Antecedens colligitur 1. ex Socrate, qui lib. 7. Hist. Eccles. cap. 32. sic loquitur: *Ego verò dum ejus* (Nestorii) *libros lustro, hominem imperitum reperio.... nec tamen mihi videtur imitari Paulum Samosatenum, aut Photinum, & Dominum omnino simplicem hominem dicere; sed solam Deiparæ vocem tanquam larvam reformidare.*

Colligitur 2. ex Joanne Antiocheno, cui, utpotè Nestorii amicissimo, & acerrimo adversùs Cyrillum, & Synodum Ephesinam, defensori, doctrina haud dubiè perspecta fuit. Is Epistola ad Nestorium, quæ legitur 1. par. Concilii Ephesini, cap. 25 sic eum hortatur, ut Deiparæ vocem adhibeat: *Neque id nunc apud se cogitet, turpe esse sibi pugnantia docere. Si enim mens tua eadem sapit & sentit, quæ Sancti Patres, Ecclesiæque Doctores sentiunt, & sapiunt:* (*nam hoc, Domine mi, & ex multis,*

& ex communibus amicis de te accepimus) quorsum vereris pium sensum convenienti voce publicare?.... Quis laudibus non efferat, si nomen cujus sensum pietas tua, ut cognovimus, possides, propter publicam quietem, communemque orbis pacem admittat? ..... Ego verè non ad probrosum aliquam orationis correctionem, neque ad puerilem palinodiam, ut sic loquar, pietatem tuam invito; sed quia multi, ut intellige, non infrequenter ex te audierunt, quòd ipsam solam vocem, non piam quoque ipsius vocis notionem, averseris; si qui verè celebrioris famæ Ecclesiastici authores sibi fuerint, ut ipso quoque nomine admisso, sacram Virginem Mariam deiparam appellis, te illud nequaquam recusaturum esse, hanc ob rem te moneo, &c.

Colligitur 3. ex Theodoreto, qui in Epistola ad Alexandrum Hieropolitanum, conqueritur quòd Joannes Antiochenus, pacem cum Cyrillo iniens, & abdicationi Nestorii consentiens, obiquè ejus sanam doctrinam damnasset: *Id ipsum* (inquit) *sentiens, indiscretè atque iniquè damnavit eam, qui nihil præter doctrinam sanam novi aliquid & docuit.* Hæc addit idem Theodoretus; *Jam tuæ sanctitati prædixi, quia si domini mei venerabilis & sanctissimi Episcopi Nestorii fuerit dogma damnatum, nec ego cum his, qui hoc faciunt, communicabo.* Ergo Nestorius non alio nomine reus fuit, quam quòd vocem, *Deipara*, cujus sensum tenebat, adhibere pertinaciter detrectarit.

Resp. neg. ant. Ad cujus priorem probationem dicendum est, Socratem non assecutum fuisse Nestorii mentem: nimirùm cum ex Nestorii scriptis, tum ex veteribus ferè omnibus, constat Nestorium, licèt à Paulo Samosateno quoad ea, quæ ad Trinitatem spectant, dissenserit, in iis tamen capitibus, quæ pertinent ad Incarnationem, ejusdem fuisse cum ipso dogmatis, seu, credidisse Christum non fuisse verè Deum, sed purum ac simplicem hominem; donis tamen præditum, quæ excellentiora fuerint iis, quæ aliis hominibus concessa fuerunt, aut in posterum concedentur.

Ad alteram ejusdem antecedentis probationem, dicendum est, Joannem Antiochenum, cum hæc scriberet ad Nestorium, nondum penitùs detexisse hæreticum dogma, quod Nestorius omittens ac condemnans vocem *Deipara*, propugnare voluerat: at postea, quando nempè cum Cyrillo pacem iniit, detexit hæresim, quam idem Nestorius Orbi propalare contenderat.

Ad tertiam probationem, respondendum est, Theodoretum, amicitia in Nestorium, antiquisve pro illo præjudiciis excæcatum, statim non advertisse impium dogma, quod latebat sub verbis æquivocis: verùm detecta postmodum fraude, hanc fidei professionem edidit in Epist. ad Dioscorum, *Si quis sanctam Virginem Deiparam non dicit, aut purum hominem vocat Dominum nostrum Jesum Christum, vel in duos filios dividit unum Unigenitum ac Primogenitum omnis creaturæ à spe in Christum excidat; & dicet omnis populus, fiat, fiat.* Hinc etiam factum est, ut eum Nestorium in hæreticorum catalogum retulerit lib. 4. Hæreticarum fabularum, cap. 12.

Objicies 2. Nestorius unum tantum Filium agnovit in Christo: *Christus* (inquit Serm. 11.) *secundum quod est Christus, indivisus est, & Filius secundum quòd est Filius, indivisus est: Non enim habemus duos Christos, vel duos Filios.* 2. Conceptis terminis confessus est, unam esse in eo personam: nimirùm laudavit Cyrillum, quòd duas naturas in una persona conjunctas prædicaret: *In te autem laudo* (inquit in Epistola ad eundem Cyrillum, quæ legitur 1. parte Concilii Ephesini c. 9.) *quod distinctionem naturarum, secundum divinitatis & humanitatis rationem, harumque in una persona conjunctionem prædicas.* 3. Non semel scripsit, se admittere vocem, *Deipara*, modò non dicatur, Virginem esse Deam: *Dixi jam sæpius* (ait Sermone 6.) *si quis inter vos simpliciter voce Theotocos gaudet, apud me nulla est de voce invidia; tantum ne Virginem deam.* Idem in Epistola ad Cœlestinum Papam hisce verbis confirmat: *Ferri tamen potest hoc vocabulum* Sermone 12. scribit, se non in alio, quam in Apollinaris & Arii sensu damnare vocem, de qua agitur: *Damno* (inquit) *eos qui dicunt secundum Apollinaris & Arii sensum, Dei genetricem, & ego unà tecum clamo, Theotochon.* Rationem reddit, cur in ea suppositione vocabulum adhibiturus sit: *Filius Dei natus est, Deus Verbum & homo: ergo, quæ peperit, propter unitatem dicatur Dei genetrix, Theotoces.*

Ex iis autem textibus sic arguitur. Ille admisit substantialem unionem Verbi cum humana natura, qui unum tantum Filium, unam tantùm personam agnovit in Christo; qui scripsit, Virginem dici posse Deiparam, qui asseruit se, cum negavit, Virginem dici debere Deiparam, non aliud in eo vocabulo damnasse, quam Apollinaris & Arii sensum, qui docuerunt, Verbum vices animæ rationalis in Christo supplevisse: Atqui Nestorius 1. unum tantùm Filium: 2. unam tantùm personam agnovit in Christo: 3. asseruit, se in solo Apollinaris & Arii sensu damnare vocem *Theotecos*: 4. scripsit, Mariam propter Verbi, & hominis unitatem revera esse Dei genitricem, *Theotecon*: 5. ipsam etiam idiomatum communicationem admisit, dicens, Filium Dei natum, esse Verbum simul & hominem: Ergo Nestorius admisit substantialem unionem Verbi cum humana natura.

Resp. ad 1. dist. ant. Nestorius agnovit, in Christo Filium unum unitate morali, conc. ant. unum unitate physica, neg. ant. Prior unitas (ut jam superiùs observatum est) posita est in ejusdem honoris ac dignitatis consortio, posterior in communicatione reali propriæ hypostasis: illam non autem istam, Nestorius agnovit in Christo; ait enim apud Cyrillum lib. 2. contra Nestorium pag. 44. *Nec duos habere nos Christos, vel filios duos, sed unum & eundem esse dignitate, non natura.*

Resp. ad 2. dist. ant. Nestorius unam in Christo personam agnovit fictione juris, conc. ant. à parte rei, neg, ant. Qui eodem aut dignitatis aut potestatis consortio gaudent, in jure una tantùm persona dicuntur, licet à parte rei sint plures personæ: sic duo conjuges, pater & filius, sunt una tantùm persona, quia una est amborum potestas.

Resp. ad 3. dist. ant. Nestorius admisit vocem *Deipara*, modò Maria non diceretur dea, modò sensus Apollinaris & Arii excluderetur: Et existimavit, Mariam in sensu Cyrilli fore deam, ac sensum Catholicorum esse ipsum sensum Apollinaris & Arii, conc. ant. Et id non existimavit, neg. ant. Nestorius non semel asseruit, ex Cyrilli doctrina sequi Mariam fore deam, quia (inquiebat) generans & genitum debent esse ejusdem substantiæ. Sæpè Cyrillum calumniatus est, quòd Apollinaria & Arii hæresim per hanc vocem, *Theotecon*, in Ecclesiam inveheret; ac proindè eum professus est se admissurum esse vocabulum illud, modò Maria non diceretur dea, modò excluderetur Apollinaris & Arii sensus, non aliud voluit, quam Mariam non esse deiparam in sensu Catholicorum, hoc est, prout genuit hominem subsistentem in Verbo.

Responsio nostra confirmari potest 1. ex his Nestorii verbis in Epistola ad Cœlestinum: *Si quis autem hoc nomen, Theotecon, propter unitam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parentem proponet, dicimus quidem, hoc vocabulum in ea, quæ peperit, non esse conveniens; oportet enim veram matrem de eadem esse essentia, qua ex se natum.*

Confirmari potest 2. ex Epistola ejusdem Nestorii ad Cyrillum, quæ legitur 1. part. Conc. Ephes. cap. 9. scilicet in ea Epistola apertè declarat, Cyrilli de incarnatione sententiam ab Apollinaris & Arii doctrina non

discre-

discrepare: *Verùm* (inquit) *propter hanc appropiationem, divinæ verbo adscribere nativitatem, passionem, mortem, cæterasque carnis proprietates, id demum, mi frater, mentis est aut ethnicorum more vere errantis, aut certè insani Apollinaris & Arii, aliorumque hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis*. Ea persuasione ductus, quod sensus quem Cyrillus in voce *Theotocos* subintelligebat, esset sensus Apollinaris aut Arii, aut saltem illi indirectè faveret, idem Nestorius ad Cœlestinum scripsit se multa certamina adiisse, ut doctrinam Ario, & Apollinario plurimum affinem, ex quorumdam animis evelleret: *Unde* (inquit) *& nos non modicam corruptionem orthodoxiæ apud quosdam hic reperientes, & ira & lenitate circa ægros quotidiè utimur: est enim ægritudo non parva, sed affinis putredini Apollinaris & Arii*.

Confirmari potest 3. ex eo, quod ipse Nestorius explicuerit, quo sensu voluerit Mariam posse *Theotocon* appellari: nempè Mariam sic dici voluit, quòd hominem genuisset, non Deum, sed Deo moraliter conjunctum, per sanctitatem, dignitatem, potestatem, unitum Deo sicut templum unitur inhabitanti: *Ferri tamen potest* (ait in Epistola ad Cœlestinum) *hoc vocabulum propter ipsam considerationem, & quod solùm nominetur de Virgine hoc Verbum, propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa, non quia ipsa mater sit Dei Verbi; nemo enim antiquiorem se parit*.

ARTICULUS II.

Utrum Cyrilli contra Nestorium capitula sapiant Apollinaristarum hæresim.

Not. 1. Tres à Cyrillo ad Nestorium datæ sunt Epistolæ: Prior continet purgationem illius, quam Cyrillus scripserat ad Ægypti monachos, in quorum manus venerant nonnulla de Incarnatione scripta. Altera confutat errores Nestorii, exponitque Catholicam de Incarnatione fidem. Tertia, non est Cyrilli solius, sed totius Alexandriæ Synodi, quæ Nestorii doctrinam damnaverat: huic duodecim capitula, seu, duodecim anathematismi, subjecta sunt, quibus Nestorius subscribere jubebatur, ut excommunicationis & depositionis sententiam declinaret.

Not. 2. Nestorius duodecim capitulis a Cyrillo & Alexandrina Synodo conscriptis, opposuit alia duodecim. In ea pariter insurrexit Concilium Orientalium, quod sub Joanne Antiocheno contra Synodum Ephesinam convenerat. Andreæ Samosatensium, & Theodoreto Corensium Episcopis ab eo Concilio datum est in mandatis, ut anathematismos illos scriptis impugnarent; quod & illi executi sunt, contenderuntque probare, Cyrillum, dum Nestorium configere visus fuerat, impegisse in errorem, quem Ecclesia Catholica in Apollinare proscripserat.

CONCLUSIO. Duodecim Cyrilli, seu, anathematismi, seu capitula, immunia sunt à quolibet errore.

Probatur. Primò, capitula, de quibus agitur, probata sunt a tota Ægyptiorum Ecclesia, quæ sub Cyrillo ad Concilium convenerat. 2. Ea capitula non aliam doctrinam continent, quam eam quam Cyrillus in suis, tum ad Nestorium, tum ad Cœlestinum, tum ad Ægypti monachos Epistolis tradiderat: at ea doctrina probata est a Cœlestino: *Nefariam doctrinam suam anathematizet*, (verba sunt Cœlestini ad Cyrillum de Nestorio rescribentis) *eamque de Christi Dei nostri generatione fidem in posterum confessurum se spondeat, quam & Romana, & tua sanctitatis Ecclesia, & universa denique religio Christiana prædicat*. Idem ad Nestorium rescripsit laudatus Pontifex: *Alexandrina Ecclesia sacerdotis* (inquit) *fidem & probavimus & probamus*. Eædem Cyrilli ad Nestorium literæ, probatæ sunt pariter a Concilio Ephesino: *Lectæ deinde sunt literæ* (inquiunt Ephesini Patres in relatione ad Cœlestinum post Actionem quintam) *quas sanctissimus, Deoque dilectissimus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus Cyrillus ad eum scripserat, quas sancta Synodus approbavit, ut rectè inculpatèque exaratas*. Solemniter quoque probatæ sunt in Concilio Chalcedonensi: *Epistolas Synodicas* (inquit laudatum Concilium actione 5.) *beatissimi Cyrilli Alexandrinæ Ecclesiæ Præsulis ad Nestorium, & ad Orientales, congruenter habentes suscepit*. Tandem quintum Generale Concilium eo nomine capitula Theodoreti damnavit, quòd adversarentur doctrinæ a Cyrillo traditæ: *Si quis* (inquit can. 3.) *defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Ephesinam synodum, & sanctum Cyrillum, & duodecim ejus capitula exposuit ...... anathema sit*.

Objicies 1. Orientales, qui sub Joanne Antiocheno convenerant ad Concilium, damnarunt duodecim Cyrilli capitula, tanquam, quæ erroribus jam damnatis, ac præsertim Apollinarismo faverent. In ea pariter insurrexerunt Theodoretus, in suis (ut vocat) reprehensionibus, Ibas Edessenus in Epistola ad Marim Persam, Gennadius, qui Anatalio in sede Constantinopolitana successit, & tandem Isidorus Pelusiota, ut patet ex illius ad Cyrillum Epistola, quæ numero est 370. ergo ea capitula non sunt ab omni errore immunia.

Confirmatur 1. ex eo, quod Theodoretum tanquam maximè Catholicum, Concilium Chalcedonense admiserit, quamvis Cyrilli capitula scriptis suis impugnasset. Confirmatur 2. ex eo, quod nec Joannes Antiochenus, nec celebrati ab eo Concilii Patres unquam pro hæreticis habiti sint, quamvis eadem capitula damnaverint.

Resp. dist. ant. Orientales, Theodoretus, Ibas, Gennadius, Isidorus, duodecim Cyrilli capitula damnarunt, errore facti, conc. ant. errore juris, neg. ant. Hoc est, Episcopi, de quibus agitur, eandem quidem de Incarnatione doctrinam cum Cyrillo profitebantur, sed ex cæco in Nestorium amore, privataque in Cyrillum simultate excæcati, S. Præsulis in duodecim capitulis mentem minimè assecuti sunt, *Fatendum est* (inquit Facundus Hermianensis lib. 6 pag. 242.) *hanc Epistolam satis ostendere, quod reverendissimus Ibas, cum Orientalibus, aliarumque provinciarum Episcopis, intentionem dictorum beati Cyrilli minùs intelligens, & suspicatus, quod negaret in Christo differentiam naturarum, consequens judicavit, quia in Apollinaris dogma incidisset, qui non assumptione humanæ naturæ Deum Verbum credebat hominem factum, sed partem substantiæ ipsius Dei Verbi putabat in carnem esse conversam*.

Ad argumenti verò confirmationem, sive priorem, sive posteriorem, dicendum est, Concilium Chalcedonense admisisse, quidem ipsum Theodoretum pro Catholico, postquam Nestorio, impiisque ejus dogmatis, anathema dixisset; sed nusquam probasse aut editas ab eo capitulorum Cyrillianorum reprehensiones, aut Epistolam Ibæ ad Marim Persam. Scilicet Theodoreti confessio fidei edita in Concilio Chalcedonensi, fuit tacita revocatio, aut saltem explicatio reprehensionum, quæ in sensu obvio, seu in sensu, quem verba præ se ferunt, errori Nestoriano patrocinabantur: unde postea in illo sensu obvio, & non in sensu, quem Theodoretus sibi in mente proposuerat, reprehensiones illæ in quinta generali Synodo damnatæ sunt.

Objicies 2. Ea capitula non sunt a quolibet errore immunia, quorum doctrinam Cyrillus, cum Joanne Antiocheno, aliisque Orientalibus Episcopis pacem iniens, revocare coactus est: atqui Cyrillus capitulorum suorum doctrinam tunc revocare coactus est. Nam 1.

subscripsit confessioni fidei, quam Orientales ad eum per Paulum Emisenum Episcopum miserant: 2. Ab Orientalibus non exegit, ut suis capitulis subscriberent: 3. Theodoretus post initam cum Cyrillo pacem, hæc scripsit Epistola 112. quæ est ad Domnum Antiochenum Patriarcham: *Nec priùs illi* (de Cyrillo loquitur) *qui hæc* (capitula) *scripserat, communicavimus, quàm iis quæ exposueramus, assentiens, consonam his doctrinam accommodavit, nullam capitum illorum faciens mentionem:* 4. Concilium Chalcedonense, cum Theodoretum a prædatoria Ephesina Synodo sub Dioscoro dejectum admisit, non postulavit ab ipso, ut suas Cyrillianorum capitulorum reprehensiones revocaret, sed tantùm ut Nestorio, impiisque illius dogmatis anathema diceret.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus primam probationem, dist. ant. Cyrillus confessioni fidei ab Orientalibus editæ subscripsit, & illa fidei confessio, consona erat doctrinæ capitulorum Cyrillianorum, conc. ant. & non erat consona, neg. ant. Licèt fidei confessio ab Orientalibus oblata Cyrillo, non iisdem constaret terminis, quibus capitula constabant, eundem tamen præ se ferebat sensum. Nam 1. articulum de Vergine Deipara expresse complectebatur: *Secundùm hunc inconfusæ unitatis intellectum, sanctam Virginem Deiparam esse confitemur, propterea quod Deus Verbum incarnatum & homo factum, & ex ipsa concepta templum ex illa sumptum sibi univerit.* 2. Unicum tantùm in Christo filium ratione factæ unionis agnoscebat: *Siquidem duarum naturarum facta est unio: propter quod unum Christum, unum Filium, unum Dominum confitemur.* 3. Admittebat idiomatum communicationem ratione unitatis personæ, quæ in Christo reperitur: *Evangelicas autem & Apostolicas de Domino voces, scimus graves Theologos alios quidem communes facere, tanquam ad unam personam pertinentes, alios verò propter naturarum diversitatem, divisim nuncupare: & illas quidem, quæ Deo conveniant, ad Christi divinitatem, humiles verò, ad ejusdem humanitatem referre solere.* Eadem idiomatum communicatione nititur vox Deipara, quam (ut observavimus) illa Orientalium confessio admittebat. 4. Damnato ipso Nestorio, tum ejus doctrina, loquendi modum, quem in Ecclesiam invehere conatus fuerat, apertè proscribebat: *Placuit nobis Nestorium quondam Constantinopolitanum Episcopum pro deposito habere, tum pravas illius, profanasque vocum novitates anathematizare:* Atqui ad articulos de Virgine Deipara, unitate Filii in Christo, idiomatum reali ac vera communicatione, proscriptione novarum ac profanarum Nestorii vocum, reducebantur duodecim Cyrilli capitula: ergo confessio fidei ab Orientalibus oblata Cyrillo, quoad substantiam & sensum à Cyrilli capitulis minimè discrepabat; ac proindè Cyrillus subscribens Orientalium confessioni fidei, suorum capitulorum doctrinam minimè revocavit.

Confirmatur responsio ex ejusdem Cyrilli Epistola ad Acacium Melitenæ Episcopum, in qua sic loquitur: *Scribi ad me curarunt* (Orientales) *conventionis modum, id est, sanctarum Ecclesiarum pacis, nisi eo modo, quem ipsi præscriberent, fieri non debere. Erat autem ea petitio gravis ac molesta. Volebant enim ea omnia aboleri, quæ vel epistolis, vel tomis, vel libris evulgaveram, & soli fidei, quæ à sanctis Patribus nostris Nicææ edita fuerat, consentire. Ego verò ad ista ita rescripsi: Expositioni fidei, quam Nicæni Patres ediderunt, adhæremus omnes ...... Quæ verò rectè contra Nestorii blasphemias scripsimus, ea ejusmodi esse, ut nulla nobis ratione persuaderi possit, ut rectè scripta esse negemus.*

Ad alteram minoris propositionis à nobis negatæ probationem, resp. dist. ant. Cyrillus duodecim capitulorum subscriptionem ab Orientalibus non exegit, œconomiæ, ac pacis causa, conc. ant. erroris alicujus in illis capitulis contenti causa, neg. ant. Ea est hominum Ecclesiasticæ pacis amantissimorum consuetudo, ut ab iis, qui ad unitatem redire satagunt, non exigant ea omnia, quæ, stricto jure spectato, possent exigere: Sat nimirum eis est, ut, qui redeunt, apertè damnent errores, quibus favere visi fuerant, ac veritates confiteantur, quas aut verè, aut saltem in speciem, ambiguis quibusdam verbis impugnaverant.

Ad tertiam ejusdem minoris probationem, resp. dist. ant. Theodoretus existimavit, Cyrillum recantasse edita a se capitula, & in hoc Theodoretus erravit errore facti, conc. ant. & non erravit errore facti, neg. ant. Theodoretus, cùm hæc ad Domnum scriberet, nondum erat liber antiquis suis in Cyrilli capitula præjudiciis: *At scito, domine,* (inquiebat in eadem ad Domnum epistola) *neminem eorum, qui in infitam in his hæresim norunt adductum iri, ut ea recipiat, quamvis duplè plures decernant.* Erroris autem facti, quo tunc Theodoretus laborabat, duplex fuit causa: 1. Recantationi adscribebat omissionem, quæ dum pax inita est, solius charitatis causa facta fuerat a Cyrillo; nempè (ut jam observatum est) Orientalium confessio eandem, quam Cyrilli capitula, doctrinam complectebatur: 2. Ita comparati sunt homines, ut quando pacem ineunt cum iis quibuscum habuere simultates, sibi semper primas tribuant; ac proindè mirum non est, quòd Theodoretus, qui (ut dictum est) adversùs Cyrilli capitula, reprehensionum tomum ediderat, crediderit Cyrillum, cum pax inita est, iis reprehensionibus deterritum fuisse, ne in pace sancienda suorum capitulorum subscriptionem ab Orientalibus exposceret.

Ad quartam probationem, eadem, quæ ad secundam adhiberi debet responsio, scilicet dist. ant. Concil. Calcedonense, cum Theodoretum admisit, ab illo reprehensionum suarum recantationem non postulavit œconomiæ causa, conc. ant. stricto jure, neg. ant. Par fuit, ut sacra Synodus eadem uteretur dispensatione, quam Cyrillus adhibuerat, cùm ipse cum Theodoreto pacem iniit: *Respondemus* (inquit Leo Byzantinus lib. de Sedis Actione 6. ubi solvit argumentum quod Acephali contra Concilium Calcedonense movebant) *ob id non tam accusandam Synodum, quàm Cyrillum hominem sanctum. Nam is communione cum Orientalibus, & cum ipso Theodoreto constituta, non postulavit ab eo, ut anathemate scripta sua, quæ contra duodecim capitula facta fuissent, execraretur. Quod igitur ipse Cyrillus vir sanctus non fecit, ob ejus intermissionem an Synodus culpari meretur?*

Objicies 3. Cyrilli capitula secundùm verborum tenorem considerata, reprehensioni obnoxia sunt. Et sane primum capitulum sic habet: *Si quis non confitetur Emmanuelem verè Deum esse, & ob id sanctam Virginem deiparam (genuit enim illa carnaliter incarnatum Dei Patris Verbum) anathema sit:* at in eo capitulo reprehensioni obnoxia est, vox *carnaliter*; pugnare nimirùm videtur cum intemerata Mariæ virginitate.

Alterum capitulum, quod anathemate damnat eum, *qui non confitetur Dei Patris Verbum carni secundùm hypostasim unitum*, in eo deficit, quòd Verbi conjunctionem cum humana natura vocet *unionem secundùm hypostasim*; is enim loquendi modus apud antiquos non legitur. In tertio capitulo, quo damnatur is, *qui in uno Christo post unionem dividit hypostases, ipsasque ea tantum conjunctione inter se connectit, quæ est secundùm dignitatem, & non eo potiùs concursu, qui est secundùm naturalem unionem*, reprehendit Theodoretus 1. hæc verba: *Unionem naturalem*, quia (inquit) vox *naturalis* necessarium significat, quòd sane Incarnationi non convenit. Reprehendit 2. hæc alia: *Dividit hypostases*, eo quod (ait) cum eò loci hypostasis nomine, naturæ significentur; qui eas connectit, necessariò supponit eas esse a se invicem discretas, cum unio nonnisi in discretis locum

habeat.

habeat. In quarto capitulo, quo anathemate feriuntur, *qui eas voces, quæ de Christo in Scripturis, aut à Sanctis dictæ sunt, soli Patris Verbo adaptat*, arguit Theodoretus, inde sequi soli Patris Verbo adaptari debere hanc Christi orationem: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste: Et horam illam nemo novit, neque filius hominis*. In quinto capitulo Cyrillus ferit anathemate eos, qui dicere ausi fuerint *Christum hominem Deiferum*: Sed id arguitur ab eodem Theodoreto, eò quòd is loquendi modus a Basilio in Sermone de Spiritu sancto ad Amphilochium adhibitus sit. Capitulum sextum, quo rejiciuntur ii, qui dixerint *Dei Patris Verbum, Christi Deum, vel dominum esse*, reprehendit Theodoretus, eò quòd Isaiæ 49. Christus nominetur Patris servus. Capitulum septimum, quòd sic habet: *Si quis Jesum Christum, ut hominem à Dei Verbo operante motum fuisse dixerit, anathema sit*, pugnare videtur cum his Apostoli verbis ad Ephes. 1. *Secundùm operationem potentiæ virtutis, quam operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis*. Octavum capitulum, quo damnantur, qui dixerint Christum à *Spiritu clarificatum, & vim accepisse, qua contra immundos spiritus operaretur*, non cohæret cum his Christi verbis: *Si in Spiritu Dei ejicio dæmonia*. Contra nonum capitulum, quod sic habet: *Si quis dixerit, Pontificem & Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum ...... anathema sit*, objici possunt hæc Apostoli verba: *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, secundum similitudinem, absque peccato*: & ista: *Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*: nec non hæc alia: *Exauditus est pro sua reverentia*: neque enim ea, quæ Pontifici nostro conveniunt, Dei Verbo tribui possunt. Decimum capitulum, quod sic habet: *Si quis non confitetur, Dei Verbum carne passum, & crucifixum esse, mortemque carne gustasse, &c.* reprehendi potest, quod Verbo passionem, ac mortem adscribat, cùm e contra soli carni Verbo unitæ adscribi debeat. Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, quæque in Concilio Ephesino, parte tertia, fusius pertractata legi possunt, colligitur, Cyrilli capitula non esse ab errore quolibet immunia.

Resp. ad 1. vocem *carnaliter*, pro eodem sumi, ac *secundum carnem*: ita ut sensus sit, Mariam genuisse Verbum, non quidem secundùm divinitatem, cum sub eo respectu expers sit cujuslibet initii, sed secundùm carnem.

Ad 2. respondet Cyrillus, per unionem secundùm hypostasim, se intellexisse unionem secundùm naturam; idque contra Nestorium, qui non aliam Verbum inter, & humanam naturam admittebat, quam moralem. Addit, se nova hæresi coactum fuisse, ut novo nomine uteretur.

Ad 3. idem Cyrillus reponit, verbum hoc, *Naturalem*, sumi pro his aliis, *realem ac verum*, idque juxta Apostolum, qui sic loquitur: *Eramus natura*, hoc est, revera, *filii iræ*. Addit, se per hypostases intellexisse naturas, quæ reipsa post unionem distinctæ sunt, licet minime divisæ, cùm subsistant in una Verbi persona.

Ad 4. respondet idem Sanctus Doctor, omnes voces, quæ de Christo in Scripturis dicuntur, convenire quidem & adscribi Verbo, sed ratione distinctarum naturarum, quæ in eo uno subsistunt.

Ad 5. dicendum est, Cyrillum negavisse Christum dici debere *Deiferum*, non quidem in sensu Basilii, hoc est, prout vox illa significat Christum habere unitam sibi totam Filii deitatem; sed in sensu Nestorii, qui contenderat, humanam naturam in Christo gestasse divinitatem, sicut bajulus onus suum gestat, sicut templum continet inhabitatorem suum.

Ad 6. respondet Cyrillus, Christum dici quidem Patris servum, ratione scilicet humanæ naturæ, quæ subsistit in Verbo, quod quidem persona est a persona Patris distincta; sed non posse dici servum sui ipsius, eò quòd vox ista *Sui-ipsius* personam importet, ac proinde servitutem excludat.

Ad 7. respondet idem S. Doctor, se excludere Verbi in humana natura operationem in sensu Nestorii, hoc est, tanquam in altero a se distincto & in propria persona subsistente.

Ad 8. reponit, se per *Spiritum sanctum*, intellexisse vim alienam, & non ipsi Christo propriam: ita ut senserit, Christum ejecisse quidem dæmones per virtutem Spiritus sancti, sed quæ propria esset Christo, cum Deus sit; non autem alienà ac extranea Christo, ut Nestorius contenderat.

Ad 9. respondet, Verbum eo modo dici Pontificem, quo dicitur homo, *Verbum caro factum est*: ac proinde cùm dicatur homo ratione humanæ naturæ, quæ in eo subsistit, Pontifex quoque dici debet ratione ejusdem naturæ: Sub eo autem respectu, hoc est, ratione humanæ naturæ, Patri ac sibi ipsi offert sacrificium.

Ad 10. reponit, Verbum non dici passum simpliciter, sed cum hoc addito, *Carne*; unde concludit, passionem ac mortem tribui Dei Verbo, non ratione sui, sed ratione humanæ naturæ, quæ in eo subsistit. Is verò, aliique similes loquendi modi ad Scripturæ normam exacti sunt: nempe Scriptura passim Verbo tribuit, quæ propria sunt humanæ naturæ, & vicissim naturæ humanæ tribuit, quæ soli Verbo conveniunt. Vide Cyrilli Apologeticum, nec non Cyrilli defensiones, quæ 3. parte Concilii Ephesini de verbo ad verbum descriptæ leguntur. Vide quæ ad alia ejusdem Cyrilli loca dicemus, cùm expendemus, utrum ex unione substantiali Verbi cum humana natura sequatur naturarum (ut voluit Eutyches) confusio.

ARTICULUS III.

An demonstrari possit substantialis unio Verbi cum humana natura.

Not. 1. UT demonstretur substantialis unio Verbi cùm humana natura, necesse est, ut probemus Christum esse verè, ac substantialiter Deum: non enim potest esse Deus, nisi quia Verbum non moraliter tantùm, per dona nimirum, sed realiter ac substantialiter, unitum sit humanæ naturæ.

Not. 2. Christi divinitatem negarunt olim Ebion, Cerinthus, Paulus Samosatensis, Photinus, Nestorius; eam quoque hisce temporibus negant Judæi, Mahumetani, Sociniani.

Not. 3. Cum (ut tom. 1. diximus) non sola Scriptura sit locus Theologicus, sed etiam Patrum traditio, post assertam Scripturis Christi divinitatem, eam deinceps authoritate Patrum confirmabimus. Traditioni adjungemus duplex aliud argumentum, quod Præscriptionis & Unitatis argumentum vocabimus. Quærendum est igitur 1. utrum divinitas Christi tum adversus Judæos, tum adversùs Mahumetanos ostendi possit; 2. an tum ex Scripturis, tum ex traditione, tum ex præscriptione adversùs hæreticos demonstretur.

Not. 4. Argumenta, quæ ex Scripturis petuntur, reduci possunt ad loca, in quibus Dei nomina, attributa, opera, cultus, Christo adscribuntur.

§. I.

Utrum divinitas Christi contra Judaeos & Mahumetanos ostendi possit.

CONCLUSIO 1. Divinitas Christi potest adversùs Judæos ex Veteri Testamento demonstrari.

Probatur. Christus (ut hacce Parte demonstravimus) est Messias Lege promissus: atqui ex Veteri Testamento demonstrari potest, Messiam Lege promissum, esse realiter ac substantialiter Deum: ergo ex eodem Veteri Testamento divinitas Christi potest adversùs Judæos demonstrari. Minor propositio subsequentibus locis ostenditur.

Secundus Psalmus, fatentibus etiam Rabbinis, de Messia intelligitur: atqui Psalmus ille docet, Messiam esse Deum. Nam 1. Deus Pater eum sic alloquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* Si Filius est, quod sit a Patre genitus, ergo ejusdem est essentiæ cum Patre; siquidem generatio non fit nisi ex substantia generantis: 2. Ibidem prædicitur, Filium a Patre genitum, ab omnibus regibus adorandum esse: *Et nunc reges intelligite, apprehendite disciplinam*; quorum quidem verborum loco, hæc in hebræo textu leguntur: *Osculamini Filium*, hoc est, in signum adorationis & subjectionis, osculamini illius sive manum, sive pedem. 3. præcipitur in eum fiducia: *Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo:* at ultima nostra fiducia poni non debet in creatura, juxta illud Scripturæ: *Maledictus, qui confidit in homine.*

Isaiæ 35. hæc leguntur: *Deus ipse veniet, & salvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & soluta erit lingua mutorum.* Locus ille de solo Messia intelligitur: cum enim, quæ hic prædicantur, ab aliquo Veteris Testamenti Propheta nusquam acta fuerint, sequitur, ea soli Messiæ convenire: atqui is, cui illa miracula tribuuntur, Deus est: *Deus ipse veniet & salvabit nos:* ergo, &c.

Isaiæ 45. hæc leguntur: *Hæc dicit Dominus: viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teque deprecabuntur: tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus: verè tu es Deus absconditus: Deus Israel Salvator.* In eo Isaiæ loco is, qui loquitur, Deus est, *Hæc dicit Dominus:* Is, ad quem loquitur, est etiam Deus, tum quod adoratio illi exhibenda sit & ad ipsum dirigenda oratio. *Te adorabunt, teque deprecabuntur*, tum quod sub Dei nomine exorandus sit; nimirùm hæc verba: *Tantum in te est Deus*, &c. sunt verba eorum, qui oraturi prædicuntur: atqui is, quem Deus alloquitur, non alius est quam Messias; neque enim in aliquo alio locum habere possunt, quæ eo loci prænuntiantur: ergo, &c. Vide Hieronymum in hunc locum.

Baruch, capite 3. hæc habentur: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum: hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit eam Jacob dilecto suo: post hæc in terra visus est, & cum hominibus conversatus est.* Is, quem Propheta Deum vocat, prædicitur videndus in terris, & cum hominibus conversaturus: at is non alius esse potest, quam Messias; siquidem alius ab ipso, dici non potest Deus, æqualis Deo, tradidisse Israeliticis disciplinam, sive Legem: ergo Messias est verè ac substantialiter Deus. Vide Augustinum libro 18. de Civitate Dei, capite 33.

Zachariæ, capite 2. hæc habentur: *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliaverunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Ecce ego levo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui serviebant sibi: & cognoscetis, quia Dominus exercituum misit me.* Is, quem Propheta prædicit ad gentes mittendum, Messias est: tum quia Prophetæ Veteris Testamenti non mittebantur ad gentes, tum etiam quia dicitur, gentes futuras esse in populum ejus, qui mittendus est, *Et erunt mihi in populum*; atqui is, qui mittendus prædicitur, est verè ac substantialiter Deus; eo enim nomine se ipsum appellat; scilicet hæc verba: *Misit me ad gentes*, sunt Dei ipsius loquentis: *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes:* ergo Messias est Deus: *Ecce* (inquit Augustinus lib. 20. de Civit. Dei, cap. 30.) *dicit Dominus omnipotens, a Domino omnipotente se missum. Quis hic audeat intelligere, nisi Christum loquentem; scilicet ovibus, quæ perierunt domus Israel, quas hic comparat pupillæ oculi Dei, propter excellentissimum dilectionis affectum?*

Zachariæ 12. hæc habentur: *Effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me, quem confixerunt.* Is, qui in eo textu loquitur, Deus est Israel: at Messias, est ille Deus Israel; ille enim, qui loquitur, futurus est spes Israelitarum, postquam eum confixerint: *Aspicient ad me, quem confixerunt:* at id nulli alteri, quam Christo Messiæ convenit; unde S. Joannes cap. 19. observat illud vaticinium impletum fuisse, cum Judæi cruci Christum affixerunt: ergo, &c.

CONCLUSIO 2. Divinitas Christi potest adversùs Mahumetanos demonstrari.

Probatur. Christus est verè ac substantialiter Deus, si dixerit se esse verè ac substantialiter Deum, si idem Apostoli prædicaverint: atqui Christus dixit se esse verè ac substantialiter Deum, idem quoque Apostoli prædicarunt: ergo Christus est verè ac substantialiter Deus. Minor propositio proximè sequente paragrapho contra Socinianos demonstrabitur. Itaque probatur major. Christus in confirmationem eorum, quæ de se ipso dixit, vera patravit miracula, patrata sunt quoque ab Apostolis in confirmationem eorum, quæ prædicarunt; ut parte 1. demonstravimus agentes de veritate librorum Canonicorum: ergo quod Christus de se ipso testatus est, quod de illo prædicarunt Apostoli, verissimum est; neque enim (ut ibidem jam observavimus) miracula, cum sint solius Dei opus, in mendacii, & quidem tanti momenti, quanti foret illud, de quo agitur, confirmationem edi possunt: ergo Christus est verè ac substantialiter Deus.

§. II.

Utrum divinitas Christi possit adversus Hæreticos Scripturis demonstrari.

CONCLUSIO. Divinitas Christi potest adversùs Hæreticos Scripturis demonstrari.

Probatur. Illius divinitas potest Scripturis demonstrari, cui Scripturæ tribuunt Dei nomen, attributa, operationes, æqualitatem cum ente supremo, adorationem soli Deo debitam: atqui Scripturæ Christo tribuunt Dei nomen, attributa, operationes, æqualitatem cum ente supremo, adorationem soli Deo debitam: ergo divinitas Christi potest Scripturis demonstrari. Major argumenti propositio videtur evidens: nam si is Deus non sit, cui Scripturæ tribuunt ea omnia, de quibus in argumento, ipsæ nos in errorem ac idololatriam inducerent; scilicet ideam soli Deo propriam, characterem soli Deo convenientem, id, per quod ipse Deus discerni voluit a

Crea-

Creaturis homini puro, meræ creaturæ, enti ereato tribuunt; idque eò validioris est roboris, quòd tū Lex ipsa, tum Prophetæ, tum Evangelium, nihil frequentius ac majori cum cura prædicent, quam unum esse Deum, a quo alia omnia entia pendeant: *Non habebis Deos alienes coram me.* Itaque minor propositio per partes ostendenda est.

Proferuntur textus, in quibus Dei nomen Christo tribuitur.

Primò, Isajæ 9. Christus simpliciter & absolutè appellatur Deus: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis, princeps pacis.* Joannis 20. Thomas hisce post resurrectionem verbis eum affatur: *Dominus meus, & Deus meus.* Actorum 20. Sanguis Christi dicitur sanguis Dei: *Attendite vobis* (ait Paulus) *& universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ad Romanos 9. Christus, etiamsi antea nulla facta fuerit mentio Dei, sine ulla restrictione, ac ad aliud relatione, dicitur Deus: *Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.* Primæ Joannis 3. anima seu vita Christi, dicitur anima Dei: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.*

Secundò, Christus non tantùm dicitur Deus, sed Filius Dei, ac proindè ejusdem cum Deo essentiæ. Matthæi 16. sic eum Petrus alloquitur: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Vox illa *Vivi* demonstrat, Petrum intellexisse filiationem, non adoptivam, sed naturalem: scilicet viventium proprium est generare sibi simile in natura, hoc est, generare naturam, quæ ejusdem sit cum generante speciei. Præterea Petrus in mercedem illius confessionis: *Tu es Christus filius Dei vivi*, accepit Ecclesiæ claves: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cœlorum*, at tantam mercedem Christus Petro non rependisset, si Petrus non aliam in Christo quam adoptivam filiationem agnovisset: nimirùm ejus generis filiationem non Apostoli tantùm, sed etiam plures ex Judæis, in Christo esse fatebantur.

Confirmatur illud argumentum ex aliis locis, in quibus nomina, quæ conjunguntur huic voci *Filius*, quam Petrus Christo tribuit, demonstrant Petri verba intelligi non debere de filio adoptivo. Joannis c. 3. Christus dicitur: *Filius unigenitus.* Ad Romanos 8. *Filius proprius.* Primæ Joannis 5. *Filius verus.* Ad Hebræos, cap. 1. Christus dicitur Dei Filius per oppositionem ad Angelos: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Ergo, Christi filiatio, alia est a filiatione, quæ convenit Angelis; ac proinde cum ista sit adoptiva, necessariò sequitur, illam esse naturalem. Joannis 19. coram Judæis accusatus est, quòd se Dei filium prædicasset: *Nos* (inquiunt ibidem Judæi) *legem habemus, & secundùm legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit*: Igitur Judæi judicarunt, Christum, seipsum dixisse filium Dei naturalem, non adoptivum; neque enim Judæi Christo vertissent crimini, quòd se adoptivum Dei filium prædicasset, cùm & ipsi (ut habetur Joan. 8.) eo nomine gloriarentur: *Unum Patrem habemus Deum.* Idque manifeste patet ex alio Joannis loco, in quo Judæi Christum accusant, quòd se æqualem Deo jactaret: *Magis quærebant eum Judæi interficere* (Joan. 5.) *quia non solum solvebat sabbatum, sed etiam patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.*

Ad ea Scripturæ loca respondent Adversarii 1. hæc Thomæ post Christi resurrectionem verba, *Dominus meus, & Deus meus*, non referri ad Christum, sed ad Deum Patrem; nempè Thomas Christo apparente stupefactus, per exclamationem dixit, *Dominus meus & Deus meus!*

Sed admitti non potest ea responsio. Ratio est 1. quia in græco textu præponitur articulus, non autem signum exclamationis. 2. Verba, de quibus agitur, ad eum referuntur, cum quo Thomas loquebatur; at non loquebatur cum Patre, sed cum Christo. 3. Immediatè ante illa Thomæ verba: *Dominus meus, & Deus meus*, ista in Evangelio leguntur: Respondit Thomas, & dixit ei: *Dominus meus & Deus meus*; ac proinde, *Dominus meus, & Deus meus*, referuntur ad eum, de quo asseritur, *Dixit ei.*

Respondent 2. in hac sententia, quæ ex capite 9. Epistolæ ad Romanos laudata fuit: *Qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*, vocem, *Deus*, non esse Scripturæ, sed insertam fuisse aut à commentatoribus, aut ab amanuensibus: siquidem locus ille sine illa voce, *Deus*, a Cypriano lib. 2. contra Judæos cap. 6. & Hilario in Psalm. 122. laudatur.

Verùm nullius est momenti responsum illud. Nam 1. vox, *Deus*, ab omnibus ferè Patribus legitur etiam antiquioribus, ut videre est apud Tertullianum lib. de Trinitate. 2. Pamelius testatur eam reperiri in duobus manuscriptis, quibus usus est in adornanda sua Cypriani editione. 3. Ipse Cypriani contextus convincit, Cyprianum legisse vocem illam; si enim in Cypriano deesset, textus Apostoli, quem Cyprianus laudat, nihil ad ejusdem Cypriani scopum conferret; nam capite sexto libri secundi adversùs Judæos intendit probare, Christum esse Deum, cum caput illud sic inscribat: *Quod Deus Christus.* 4. Mirum non est, quòd Hilarius in Psal. 122. vocabulum illud non legat, nempe eo loci non refert integrum textum: sed eum cum illo laudat lib. quarto de Trinit. 5 Etiamsi vox, *Deus*, deesset in Scripturæ textu, subintelligi deberet; soli nimirùm Deo convenit, quòd (ut Apostolus de Christo dicit) sit super omnia benedictus.

Respondent 3. Adversarii, equidem Christum non semel se dixisse Deum ac Filium Dei; sed, (inquiunt) id intelligi debet metaphorice, nimirùm pro eo, qui divinitatem habet, sed participatam, hoc est, pro eo, cui auctoritas a Deo concessa est, præsertim si eminens sit ejusmodi dignitas. Probant responsionem illam ex capite decimo Joannis, ubi Christus, cum Judæi vellent eum lapidare eò quòd se Dei Filium faceret, respondit, se non alio sensu Deum esse, quam ii, qui in dignitate constituti jus cæteris dicunt. *Responderunt ei Judæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Respondit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra, Quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum?*

Verùm rejici debet illa responsio. Nam 1. innumeris in locis Christus sese dixit & Deum & Dei Filium simpliciter, seu absque ulla restrictione, absque ulla expositione, & quidem coram iis, qui ea, quæ Joannis cap. 10. leguntur, nusquam aut audierant, aut audituri erant; igitur iis locis Dei nomen propriè sibi tribuit; ac proinde voluit, ut auditores eum pro vero Deo haberent. 2. Quod Joannis cap. decimo legitur, non est (ut supponunt Adversarii) explicatio locorum, in quibus Christus se Deum & Dei Filium vocaverat; scilicet argumentum est, quod vocant a minori ad majus, & cujus hic est sensus: Ii, quibus Deus nonnihil suæ authoritatis concessit in Scripturis Dii dicuntur: ergo non jam appellativo nomine, quod pluribus commune est (ac proindè participatam divinitatem significat,) sed proprio nomine, quod singulare est, & consequenter totam divinitatem significans, Deus appellari debet is, quem Pater sanctificavit, per divinæ suæ essentiæ in persona Verbi communicationem.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, patet 1. Christum sæpius sese Deum, & Dei Filium appellasse. Patet 2. eodem nomine ab Apostolis in suis scriptis canonicis appellatum fuisse, & quidem in numero singulari. Patet 3. nec Christum, nec Apostolos ullam unquam nominis illius expositionem tradidisse, quæ illud ad aliam quam veræ ac proprie dictæ divinitatis ideam determinet. Patet 4. sive Christum, sive Apostolos cum illo nomine *Deus*, ea conjunxisse, quæ auditorum mentes ad Dei veri & proprie dicti ideam determinent: Ergo Christus sive cum se Deum dixit, sive Apostoli, cum eum Deum appellavere, docere voluerunt, Christum revera & substantialiter esse Deum. Vide, quæ post cæteras è Scripturis petitas rationes inferiùs dicentur.

Proferuntur Scripturæ textus, in quibus Dei attributa Christo tribuuntur.

I. Æternitas unum est ex præcipuis Dei attributis, nempe Genesis 21. hæc habentur: *Invocavit ibi nomen Dei æterni*; Ad Rom. 16. *Secundùm præceptum æterni Dei*: Primæ ad Tim. 6. *Qui solus habet immortalitatem*: Atqui Scripturæ Christo tribuunt æternitatem. Joannis 8. Christus sic de seipso loquitur: *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Nec audiendi sunt, qui respondent, Christum fuisse ante Abrahamum tantum in typo, & variis promissionibus de ipso mittendo: siquidem eo loci Christus solvit objectionem Judæorum: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti*, reponitque: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, ac proinde ejus responsio debet intelligi de existentia reali, quemadmodum de ea intelligitur objectio Judæorum. Joannis 17. Christus sic Deum Patrem orat: *Clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te*. Rectè Bellarminus in hunc locum observat, Scripturam hoc loquendi modo: *Priusquam mundus esset apud te*, designare æternitatem; idque colligit ex Joannis c. 17. ubi Christus hæc ait: *Dilexisti me ante constitutionem mundi*; nec non ex his primæ Petri, cap. 1. *Præcogniti ante mundi constitutionem*. Ad Hebræos cap. 13. Christi æternitatem hisce verbis tradit Apostolus: *Christus heri, & hodie, & in sæcula*.

II. Omnipotentia titulus est, qui Deo soli convenit, juxta illud Scripturæ 1. ad Timot. 6. *Qui solus est potens*; atqui titulus ille Christo in Scripturis tribuitur: Apocalypsis 4. de Christo hæc habentur: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, qui venturus est*.

III. Deo tanquam specialis character adscribitur vis scrutandi corda: *Pravum est cor hominis* (ait Scriptura, Hieremiæ 17.) *& inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes*: atqui vim eandem Scripturæ adscribunt Christo: nempe Joannis capite 21. sic Petrus eum alloquitur: *Tu scis, quia amo te*.

Respondent Adversarii 1. Petri quidem esse sententiam illam, sed tamen quam Christus ipse non probarit.

Sed contra est: vel Petrus verum dixit, vel falsum. Si primum, habetur intentum, scilicet Christum nosse intima cordis arcana: Si secundum, Petrus reus fuit ingentis blasphemiæ, cum homini puro tribuerit, quod convenit Deo soli: Christus ipse ejusdem sceleris particeps esset, quippe quia creatura pati non debet, ut sibi tribuatur, quod Dei character est singulare.

Respondent 2. Christum, per seipsum ac immediatè non cognovisse cordium secreta, sed tantùm aliena virtute, revelatione nimirùm a Deo accepta, quam & Deus nonnunquam aliis a Christo concessisse legitur.

Verùm stare non potest illa responsio. Nam 1. qui vindicat sibi titulum, propter quem venit in suspicionem usurpatæ potestatis, tenetur exponere sententiam, per quam visus fuerat eam potestatem sibi tribuere: at Christus nusquam exposuit eos textus, in quibus sive ipse sibi, sive Apostoli vim adscripserunt scrutandi hominum corda, seu nusquam dixit, se virtutem illam non a se, sed ab alio habere. 2. Petrus vim, de qua agitur, non refundit in revelationem specialem, sed in infinitam, seu ad omnia sese extendentem, Christi cognitionem: *Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te*. 3. Qui non ex se ipso, sed ex revelatione tantùm novit cordium secreta, dici non potest absolute, ac sine restrictione scrutator cordium, eam ob causam nullus unquam Apostolus illud nomen sibi tribuit: at Christus simpliciter & absolute se ipsum dicit cordium scrutatorem: *Et scient* (ait Apocal. 2.) *omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda*.

IV. Sacri codices non semel affirmant, solum Deum esse principium & finem rerum omnium: *Ego Dominus* (Isaiæ 41.) *primus & novissimus ego sum*: atqui sacri Codices idem asserunt de Christo: *Ego sum alpha & omega, principium, & finis* (ait ipsemet Christus Apocalyp. 1.) *Dicit Dominus Deus, qui est, & qui erat, & qui venturus est, omnipotens*. Idem legitur cap. 22. vers. 13. *Ego sum alpha & omega, primus & novissimus, principium & finis*. Ne quis autem alteri, quam Christo, verba illa tribuat, obstant, quæ post aliquot versus sequuntur: *Ego Jesus misi Angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesiis*.

Ex iis textibus patet, novum testamentum adscribere Christo omnes ferè titulos, quos Prophetæ in veteri testamento uni Deo verò tribuerunt; æternitatem nimirum, omnipotentiam, scrutandorum cordium virtutem, rationem primi & ultimi finis. Inde verò facilè colligitur, novi testamenti Scriptoribus propositum fuisse docere populos, Christum esse vere, ac substantialiter Deum: alioquin enim, si error est, si piaculum est, Christum pro Deo vero habere, error ille, piaculum illud in Apostolos refundi deberet, qui cum de Christo locuti sunt, usi sunt iisdem terminis, quibus in veteri Testamento Prophetæ Deum verum expresserant.

Proferuntur textus, quibus Dei opera Christo tribuuntur.

Primò, præcipuum Dei opus est hujusce aspectabilis orbis creatio: *Ego sum Dominus* (ait Deus ipse, Isaiæ 44.) *faciens omnia, extendens Cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum*; atqui Scriptura rerum creationem, & earum conservationem adscribit Christo. Primæ ad Corinth. 8. hæc ait Apostolus: *Unus Deus Pater, ex quo omnia: Unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia*. Ad Hebræos. 1. *Per quem fecit & sæcula*. Ibidem: *Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cæli*.

II. Rerum creatarum conservatio, Dei quoque character est, juxta illud Actorum 17. *In ipso vivimus, movemur & sumus*. Atqui sacri Codices opus illud Christo tribuunt. Ad Hebræos 1. *Qui portans omnia verbo virtutis suæ*: ad Colossenses 1. *Omnia in ipso constant*, hoc est (ut Chrysostomus exponit) omnia in ipso habent subsistentiam: Joannis 5. Christus ipse sibi ipsi tribuit non creationem modò, non conservationem tantùm, sed omnia opera, quæ à Patre fiunt: *Quæcumque* (ait) *Pater facit, hæc & Filius similiter facit. Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Deus in Scripturis sæpiùs appellatur Redemptor, sub ea idea Prophetæ illum Judæis non semel proposuerunt: *Hæc dicit Dominus* (Isaiæ 44.) *rex Israel, & Redemptor ejus ...... Hæc dicit Dominus Redemptor tuus, & formator tuus ex utero*: Oseæ 13. *Ego sum Dominus Deus, & Salvator non est præter me*: atqui eædem Scripturæ Sacræ Christum sub Salvatoris idea exhibent sæpissimè: Matthæi 1. *Vocabis nomen ejus Jesus, ipse enim salvum faciet populum*: Cap. 18. *Venit enim*

filius

filius hominis salvare, quod perierat.

III. Patrare miracula authoritate propria, opus est Deo soli conveniens, Psal. 135. *Qui facit mirabilia magna solus*: sed Scriptura id concedit Christo; siquidem ex Evangelio constat, eum omnis generis miracula patrasse: *Quis est hic, quia venti & mare obediunt ei?* Solo verbo, solo voluntatis nutu, ægris sanitatem restituit, ut videre est Matth. 8. ubi absens Centurionis puerum sanavit. Imò ad Christi invocationem Apostoli miracula patrarunt: *In nomine Jesu Christi Nazareni* (ait Petrus Actor. 3.) *surge, & ambula.*

Ex his evidenter constat, Scripturam sacram Christo tribuere opera, quæ Deo soli propria sunt; rerum nimirùm creationem, conservationem, hominum redemptionem, miracula, & quidem authoritate propria facienda: ergo Scriptura nos docere intendit, Christum esse verè ac substantialiter Deum.

Proferuntur textus, in quibus Scriptura adorationem Christo tribuit.

Nemo revocat in dubium, quin adoratio, seu latriæ cultus, Deo soli exhiberi debeat. Nam 1. id expressè docetur Matthæi 4. *Scriptum est* (ait Christus) *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* 2. Curarunt Apostoli, ne vel externa adorationis signa sibi exhiberentur: *Et factum est* (ait Lucas Actorum 10.) *cum introisset Petrus, obvius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes ejus, adoravit. Petrus verò elevavit eum, dicens: Surge: & ego ipse homo sum.* 3. Angeli sedulò curarunt, ne homines eadem externa adorationis signa exhiberent sibi: *Postquam vidissem & audissem* (inquit Joannes Apocalyp. cap. 22.) *cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostenderat. Et dixit mihi: Vide ne feceris: conservus enim tuus sum ..... Deum adora.* 4. Perpetuo Gentium omnium usu mos invaluit, ut adoratio haberetur pro cultu, qui Deo soli exhibendus est. Ideo Gentiles fuerunt idololatræ, quod creaturis adorationis cultum exhibuerint.

Atqui Scripturæ testantur, adorationem exhibitam fuisse Christo: infans a Magis adoratus est: *Et procidentes* (ait Evangelium Matthæi 1.) *adoraverunt eum.* Præceptum est Angelis, ut eum ejusmodi cultu prosequerentur: *Et cum iterum* (ait Paulus, ad Hebr. 1.) *introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Passim in Evangelio legitur, quod ab hominibus adoratus sit: *Et ecce leprosus veniens* (ait Scriptura Matth. 8.) *adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* Nusquam legimus, quòd Christus prohibuerit, ne sibi cultus ille exhiberetur, quemadmodum prohibuerunt Apostoli, ut jamjam ostendimus in Petro, Centurionis respectu; nec non in Joanne, respectu Angeli, a quo tot tantaque didicerat. Ergo &c.

Respondent Adversarii, Christo exhibitam quidem fuisse adorationem, sed relativam, non autem absolutam: hoc est, in Christo adoratus est Deus, cujus vices Christus in terris agebat.

Verùm falsa est illa responsio. Nam 1. Scriptura nullibi præbet fundamentum asserendi, relativam tantùm adorationem exhibitam fuisse Christo, imò, cum supremi Dei & nomen, & dotes, & opera sibi, ex Scriptura, vindicaverit, evidens est, eum absolutam quoque adorationem vindicasse, quemadmodum absolutum regium honorem sibi vindicare censeretur regis legatus, qui regis nomen & insignia sumeret, qui vellet monetam excudi proprio suo nomine, qui (ut ferunt aliquorum regnorum consuetudines) præciperet, ut populi flexis genibus sibi ministrarent, qui ipso Majestatis titulo vellet insigniri. 2. Christus, dum in terris ageret, triplicem ab hominibus adorationem expetiit, adorationem mentis, adorationem oris, adorationem operis.

Et quidem adorationem mentis & oris: voluit enim, ut homines eandem de se ipso, quam de supremo Deo ideam haberent, ut idem quod de Deo supremo cogitarent, ut cùm de ipso loquuntur, iisdem vocibus utantur, ac cùm de supremo Deo loquuntur. Expetiit quoque adorationem operis: præcepit nimirum, ut illius ergo id operemur, quod pro solo Deo supremo licitum ac præceptum est operari: quippe quod velit, ut eum super omnia diligamus: *Si quis* (ait ipse Lucæ 5.) *venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Præcepit quoque, ut ipsi offeramus sacrificium, non taurorum aut hædorum, sed propriæ mentis: *Si quis* (ait Marci 8.) *vult me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Exegit a nobis propriæ vitæ temporalis sacrificium, seu voluit, ut illius ergo eam profundamus: *Qui enim* (inquit ibidem) *voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam faciet eam.*

Confirmatur ex eo, quod licèt Apostoli fuerint Dei ministri: *Sic nos existimet homo, ut Dei ministros, & dispensatores mysteriorum Dei*, licet Dei ipsius nomine egerint, dum essent in vivis, nusquam tamen aut eo modo locuti sint de se ipsis, quo Christus de se ipso locutus est, aut expetierunt, quod Christus expetiit; imò quæ Christus sibi tribuit, quæ ab hominibus expetiit, soli Deo supremo tribuerunt, ac tribuendum esse dixerunt.

Constat igitur ex dictis 1. adorationem soli supremo Deo, ex Scriptura, deberi, ac exhiberi posse. Constat 2. adorationem exhibitam fuisse Christo. Constat 3. adorationem, quæ Christo, dum in terris ageret, exhibita est, non fuisse relativam, sed absolutam. Constat 4. quod tantùm abest, ut Christus (quod nonnunquam fecerunt Apostoli) vetuerit, ne sibi adoratio exhiberetur, quin potiùs adorationem, sive mentis, sive oris, sive operis, omnibus suis discipulis, sub periculo damnationis æternæ præceperit. Constat denique 5. Deum ipsum Angelis, ac proindè creaturis omnibus præcepisse, quod Christus postea ab hominibus sibi reddi voluit: *Et adorent eum omnes Angeli ejus*; ac proindè certò etiam constare debet, Christum non metaphoricè, sed verè ac substantialiter esse Deum.

Proferuntur textus, in quibus Scriptura Christo æqualitatem cum Deo Patre tribuit.

Deus in Veteri testamento non semel prohibet, ne quis ipsi creaturam coæquare audeat: *Quis* (ait ipse apud Isaiam cap. 44.) *similis mei?* ergo si Christus seipsum dixerit æqualem Deo, si Apostoli idem dixerint, Christus revera est Deus: Atqui Christus se ipsum dixit æqualem Deo, Apostoli idem dixerunt: ac proindè Christus revera est Deus.

Primò, Joannis 5. hæc habentur: *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.*

Nec in hoc Judæi Christo imposuerunt. Nam 1. æqualitatem illam (quæ, si Christus revera non esset Deus, maximum fuisset blasphemiæ crimen) Christus non negavit, imò confirmavit argumentis: *Quæcumque ille* (Pater) *fecerit, hæc & Filius similiter facit..... Sicut enim Pater suscitat mortuos & vivificat: sic & Filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Æqualitatem illam Joannis 10. confirmavit argumento a minori ad majus: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis:*

Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? 3. Christus paulò antequam neci traderetur, idem confessus est, seu, æqualem se Deo dixit: *Rursum* (verba sunt Scripturæ, Marc. 14.) *summus sacerdos interrogabat eum, & aixit ei: Tu es Christus filius Dei benedicti: Jesus autem dixit illi: Ego sum.* Illud autem Christi responsum Judæi de vera ac naturali filiatione, ac proindè de vera, non autem metaphorica tantùm æqualitate, interpretati sunt: ob id enim contenderunt, eum esse reum blasphemiæ: *Audistis blasphemiam: quid vobis videtur?* ob id eum damnarunt morte: *Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.*

II. Paulus post Christi mortem, eandem ipsi æqualitatem tribuit; sed iis terminis, qui demonstrant, de æqualitate substantiali ac reali intelligi debere æqualitatem, quam Christus coram Judæis sibi tribuerat; *Hoc enim* (ait Apostolus ad Philippenses 2.) *sentite in vobis, quod & in Christo Jesu. Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

In eam sententiam observare est 1. proferri eam ab homine, cui perspecta erant Scripturæ loca, in quibus Deus ipse dixerat, neminem sibi æqualem esse: *Quis similis mei?* 2. Sententiæ author noverat, Christum apud Judæos audisse tanquam blasphemum, quòd se Deo æqualem fecisset: *Æqualem se faciens Deo.* 3. Prævidere poterat, ac debebat, eum loquendi modum (qui alicquin, si Christus vere non sit Deus, apertè repugnat modo, quo Deus de se ipso loquitur; *Quis similis mei?*) pluribus fore scandalo, sicut & fuerat Judæis, seu futuris Christianis præbiturum occasionem judicandi, Christum vere ac substantialiter esse Deum. 4. Non simpliciter æqualitatem Christo tribuit, sed contestatur justè id fieri, hoc est, Christum, non rem alienam, sed propriam vindicasse sibi, dum se ipsum dixit æqualem Deo: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* 5. Rationem reddit, cur æqualitas illa Christo debita sit, asseritque repeti debere ex eo, quod Christus habeat Dei formam, seu essentiam divinam: *Qui cum in forma Dei esset.* 6. De illa æqualitate loquitur, ut Verbi per Incarnationem factam exinanitionem commendet, seu ut ostendat, quantum sese depresserit, cum in sinu Virginis factum est homo: *Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.*

Eæ in Apostolicam sententiam observationes demonstrant, Apostolum locutum fuisse de æqualitate naturæ, substantiæ, essentiæ. Siquidem 1. æqualitas improprie dicta, quæ in aliqua tantùm unius rei cum alia, similitudine posita est, non dicitur æqualitas simpliciter: sic nemo, nisi impius, absolutè dixerit hominem esse Deo æqualem, eò quòd inter Deum & ipsum sit quædam relatio similitudinis in eo positæ, quod sicut Deus, mente præditus sit. 2. Si metaphorica tantum fuit ea æqualitas, necesse fuit, ut Apostolus eam metaphoram explicuerit, ne impietatem adstrueret, quam Deus apertè prohibet in Scripturis: *Qui similis mei?* 3. Ex charitate, quam Apostolus Judæis & Christianis debebat, tenebatur tollere blasphemiæ ac idolatriæ occasionem, quam (ut prævidere potuit ac debuit) præbitura erat illa æqualitas, si ad literam sumeretur. 4. Si vera ac propriè dicta, non fuit illa æqualitas, cur Paulus eam ex Dei natura, tanquam ex Christi causa formali, repetit? *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam,* &c. 5. Impropriè dicta æqualitas non conferebat ad Apostoli scopum: scilicet Apostolo propositum erat ostendere, quanta Christi Jesu depressio per incarnationem facta fuisset: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens:* at non magna foret ea depressio, si Christus non haberet Dei formam, si essentiam Dei non haberet: *Cùm in forma Dei esset*; nam mirum non est, quòd purus homo, ut esset Christus in Adversariorum suppositione, sub forma servi visus esset, cùm servitus cuilibet creaturæ sit essentialis: nempe creatura quælibet est essentialiter a Deo dependens.

Proferuntur argumenta ex absurdis petita.

Ex doctrina Nestorianorum ac Socinianorum, qui negant Christi divinitatem, gravissima sequuntur absurda. Sequitur nimirùm 1. Judæos jure ac meritò damnasse Christum tanquam blasphemiæ reum. Sequitur 2. Christum & Apostolos dedita opera homines in errorem induxisse. Sequitur 3. non stare sublimitatem, quam Scriptura fidei nostræ mysteriis tribuit. Sequitur 4. nullius esse momenti titulos, quibus Christus in Scripturis commendatur. Sequitur 5. Scripturæ loquendi modum esse falsum, impium, & blasphemum. Sequitur 6. Apostolos in suis commentariis nusquam assecutos fuisse, sive Legis Mosaicæ, sive Prophetarum sensum.

Primò, Judæi justè damnarunt eum, qui, cùm purus esset homo, Deum se dixit, pro Deo haberi voluit; scilicet homo ille reus esset blasphemiæ, homines alios in Idolatriam pertraheret: atqui in suppositione Nestorianorum & Socinianorum, Judæi eum damnassent, qui cùm purus esset homo, se Deum dixit, pro Deo haberi voluit: Ille nimirùm se Deum dixit, & pro Deo haberi voluit, qui Dei nomen sumpsit, qui præcipua illius attributa sibi tribuit; qui adorationem sibi exhiberi voluit, qui Deo se æqualem prædicavit, qui mortem passus est, ut Dei titulum, quem sibi tribuerat, servaret sibi: atqui Christus (ut probatum est) egit ea omnia: ergo Judæi jure ac meritò, in Adversariorum systemate, Christum morte damnarunt.

II. Illi dedita opera homines in errorem pertraxerunt, qui loquentes de puro homine, absolute usi sunt terminis, qui in Scripturis consecrati erant ad solum Deum verum significandum, qui ex usu apud homines ubique recepto solius Dei veri ideam excitant: atqui sive Christus, sive Apostoli, loquentes de puro homine, absolutè usi sunt ejusmodi terminis, ut suo loco demonstratum est: ergo, &c.

III. Sublimitas mysterii Incarnationis posita est in infinita charitate, qua Deus eo in mysterio homines prosecutus est: *Sic* (ait Evangelium) *Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* posita est in conjunctione Dei cum homine: *Et manifestè* (inquit Apostol. 1. ad Corinth. 3.) *magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria;* posita est in eo, quòd humanæ mentis captum superet, unde Judæis fuit scandalum, & gentibus stultitia. Atqui, si Christus non sit Deus, immeritò Dei in nos charitas commendatur ex dono filii; siquidem, quantumcumque filius ille supponatur justus & sanctus, nusquam erit majoris pretii, quam sint omnes simul prædestinati, præsertim cùm in cœlis perfectè Deum diligent. Si Christus non sit Deus, magnum non erit pietatis sacramentum; scilicet in hoc tantùm positum erit, quòd Deus hominem suæ sanctitatis, & auctoritatis participem fecerit: id autem extraordinarium non est, plura enim ejus rei, antequam Christus prodiret in lucem, visa fuerant argumenta. Si Christus non sit Deus, nihil erit creditu difficile in mysterio incarnationis; siquidem facile captu est hominibus, Deum homini puro posse conferre perfectam, sed finitam, sanctitatem; sublimem, sed, quæ creaturam ex conditione creaturarum non eximat, dignitatem; gravissimi momenti, sed, quæ Deo soli propria non sint, officia committere. Ergo ex Adversariorum doctrina sequitur, nihil esse sublime; nihil mentis creatæ captū superare in mysterio, ad cujus intuitum exclamat Apostolus: *Et manifestè magnum est pietatis sacramentum.*

IV. Inter

IV. Inter Christi dotes eminent Filiatio, dignitas Salvatoris atqui ambæ illæ dotes infinitè ab Adversariis deprimuntur. Nam 1. Christus per adoptionem tantùm, sicut cæteri homines, filius erit, sicque evanescent tituli, quibus Scriptura filiationem Christi commendat, cum eum vocat: *Filium proprium, verum, unigenitum, qui est in sinu Patris*. 2. Christus Salvatoris dignitatem haberet communem cum Martyribus; nempè non foret Salvator, quòd pro nobis Deo Patri satisfecerit: neque enim pretium obtulisset, quod nostra erga Deum debita exæquet. In eo tantùm mors illius nobis prodesset, quod traditam ab eo doctrinam confirmarit; quod patientiæ ac humilitatis exemplum præbuerit: at non esset, cur iis titulis commendaretur, cum idem effectum sit Martyrum morte, quippè quæ traditam ab eis doctrinam obsignarit, nobisque tum patientiæ, tum humilitatis exemplo fuerit.

V. Inter varios modos, quibus utitur Scriptura, cum de Christo loquitur, recenseri possunt ii, quos adhibet, cùm de Christi origine, præexistentia, ac divinitate sermonem instituit: Atqui ii loquendi modi carent sensu, imò impii sunt, si Christus vere Deus non sit. Nam quo sensu Christus asserere potuit se de cœlo descendisse? *Ego sum* (ait ipse Joannis 6.) *panis vivus, qui de cœlo descendi. Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Iis verbis tribui non potest sensus aliquis metaphoricus, seu dici non potest, quod descenderit de cœlo, quia corpus habet immediate efformatum a Deo; alioquin enim Adamus dicere quoque potuisset se de cœlo descendisse: Non etiam, quia dona, quibus præeminet, terrena non sunt, sed cœlestia, cum (Scriptura teste) omne, etiam aliorum hominum, donum desursum sit, ac descendens a Patre luminum: Non denique quia suam a Deo missionem habet; nimirùm si res ita sit, Prophetæ, quos Deus immediatè misit, dicere possent se de cœlo descendisse. Præterea in Scripturis, descensui è cœlis, quem sibi Christus tribuit, conjunguntur alia, quæ impediunt, ne descensus ille sit metaphoricus, seu ratione donorum, ac titulorum, qui a Deo sint: *Si ergo* (ait Christus) *videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius*: Ascensus eo in loco est realis ac verus; ergo & descensus.

Nec audiendi sunt Sociniani, cum reponunt Christum reipsa in cœlum ante mortem suam ascendisse: Siquidem ne apex quidem est in Scriptura, quo ascensus ille nitatur. Credibile non est Evangelistas, qui res, quæ minoris momenti videntur, accuratè narrarunt, hanc omissuros fuisse, quæ est de Christi in cœlum ascensione, quæque ex Adversariis necessaria est, ne populi ex illo descensu concludant, Christum esse verè ac substantialiter Deum.

VI. In Socinianorum systemate explicari non potest, quo sensu Christo, antequam ea Virgine nasceretur, Scripturæ præexistentiam tribuant: *Amen, amen dico vobis* (ait Christus ipse Joannis 8.) *antequam Abraham fieret, ego sum*: siquidem perabsurda est expositio Socini, qui contendit, Christum esse antequam Abraham per fidem fieret pater credentium; nempe id non Christo peculiare fuit, sed Judæis omnibus, qui vivebant Christi tempore; tunc enim tantùm Abraham per suam fidem factus est pater gentium credentium, cùm Evangelium gentibus prædicatum est. Non majoris est soliditatis, quod a nonnullis aliis Socini discipulis in medium profertur, Christum extitisse in decreto divino, in Dei prædestinatione, antequam Abrahamus in humanas auras prodiisset: Eo nimirùm sensu præextiterunt Abrahamo Prophetæ, Apostoli, imò & quotquot ad sæculorum consummationem futuri sunt homines.

VII. Ex doctrina, qua statuitur, Christum non esse verè ac substantialiter Deum, sequitur, Apostolos non assecutos fuisse sensum Veteris Testamenti, quod quidem sæpiùs in suis scriptis laudarunt. Sequitur nimirùm 1. Matthæum non intellexisse hanc Prophetiam, quæ Isaiæ 40. legitur: *Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri*: nempe nominibus istis, *Domini, Dei nostri*, Isaias Deum rerum omnium authorem intellexit, cùm econtra Matthæus intellexerit Christum, qui, ex Socinianis, purus est homo: *Hic est enim* (loquit cap. 3. ubi de Joanne Baptista loquitur) *qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus*. Sequitur præterea, Zachariam, qui tamen, ut legitur Lucæ primo, repletus Spiritu sancto prophetavit, non intellexisse quoque quid, *Domini, Dei nostri*, nominibus Isaias intelligi voluerit: Zacharias enim ea de Christo, puro, ut Sociniani docent, homine, intellexit, cum econtra apud Isaiam solum DEUM significent: *Et tu, puer* (ait Zacharias, Joannem filium suum alloquens) *propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. 2. Si stet Socinianorum dogma, consequens erit, Paulum non intellexisse hæc Psalmi 101. verba, quæ ab eo in epistola ad Hebræos laudantur: *Initio tu, Domine, terram fundasti & opera manuum tuarum sunt Cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent: Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Ratio est, quia Psalmi author iis verbis intelligit eum, qui vere Deus est: Paulus econtra purum hominem, Christum nimirùm, intelligit: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ: dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit, &c. Ad filium autem, Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi..... Dilexisti justitiam Et tu in principio Domine terram fundasti*. 3. Revelatio gloriæ divinæ, quæ Isaiæ facta est capite sexto, haud dubiè de solius Dei veri gloria intelligitur. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum..... Seraphim stabant super illud..... Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, Deus exercituum*: Joannes tamen Evangelii cap. 12. revelationem illam de gloria Christi intelligit; ac proindè, aut Christus est omninò idem cum Deo vero, cujus gloria Isaiæ revelata est, aut si non est idem, Joannes Prophetiæ sensum minimè assecutus est, cum, ubi hæc scripsit: *Excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur & sanem eos*, immediatè post, hæc ait: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & locutus est ad eos*.

Nec audiendi sunt Sociniani, cum respondent Apostolos per accommodationem tantùm locutos fuisse, cum dixerunt, nonnullas Veteris Testamenti Prophetias habuisse locum in iis, quæ ad Christum spectant. Et sanè licet nonnunquam ea loquendi ratione usi sint, dici tamen non potest, quod eam iis in locis, quæ hucusque a nobis laudata sunt, adhibuerint. Nam Apostoli iis locis probare voluerunt, aut divinam Christi missionem, aut illius præ creaturis, ipsis etiam Angelis, excellentiam; aut docere voluerunt, quænam cultus species ei exhiberi debeat: aut tandem tollere scandalum, quod ex incredulitate Judæorum natum est, ubi Christus Evangelium prædicavit: atqui ad ea non confert modus loquendi per accommodationem; siquidem ea, quæ per accommodationem dicuntur, non continent sensum necessarium sententiarum, quæ per accommodationem tantùm de aliquo subjecto, aut eventu novo dicuntur, sed arbitrarium tantum; unde sensus per accommodationem potiùs dici debet sensus loquentis, quam sensus, qui ab authore sententiæ accommodatæ intentus fuerit.

Sol:

Solvuntur argumenta Socinianorum.

Not. Quæ à Socinianis objiciuntur, petuntur 1. ex Scripturarum de Christi divinitate silentio; 2. ex capite 17. Joannis; 3. ex ratione naturali. Proferunt & aliqui Scriptores, Scripturarum textus, qui probare videntur, Verbum non esse Deum. Sed ii Scriptores probant, se multùm in Socinianorum systemate peregrinos esse: Sociniani enim contendunt, Verbum non esse personam a Patre distinctam; docent, Christum ex duabus naturis minimè constare, ipsum ex nulla sui parte habuisse existentiam realem, antequam e Virginis sinu prodieret. Qui tamen scire voluerit quis sit sensus textuum, quibus Verbi divinitas impugnari videtur, consulat secundam harum Institutionum Partem iis in locis, ubi de Verbi cum Patre consubstantialitate diximus.

Objicies 1. Scriptura silet omninò de Christi divinitate: ergo Christus non est Deus. Consequens videtur evidens: cùm enim articulus de Christi divinitate maximi sit momenti, certo certius est eum, si reipsa revelatus esset, in pluribus Scripturarum locis reperiri debere. Itaque probatur ant. 1. Christi divinitas non reperitur *explicitè* in aliquo Scripturæ loco; deberet tamen explicite in ea reperiri, cùm ex doctrina Ecclesiæ Romanæ, fides de Christi divinitate sit ad salutem necessaria, neque enim sine eo articulo credi potest Incarnatio. 2. Non reperitur etiam *implicitè*: siquidem Scripturæ loca, ex quibus Theologi, qui sunt ex communione Ecclesiæ Romanæ, inferunt Christi divinitatem, facile solvi possunt. Scilicet Dei nomen, quod Christo nonnunquam tribuitur, nomen est appellativum, quod in Scriptura aliis a Deo entibus tribuitur, ut cùm Moyses dicitur Deus Pharaonis. Dei attributa, quæ illi aliquoties adscribuntur, sunt attributa per participationem, sicut dignitas regis, quæ licet in Scripturis Deo tribuatur, sæpiùs etiam hominibus conceditur. Opera Dei dicuntur quidem a Christo fieri, sed virtute, quæ ipsi a Deo vero communicata sit, juxta illud Joannis 5. *Non potest Filius à se facere quidquam*; nec non & illa Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.*

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dico 1. Christi divinitatem *expressè* reperiri in Scripturis: siquidem (ut superiùs observatum est) ipsum Dei nomen non semel illi tribuitur. Dico 2. eam quoque *implicitè* Scripturis contineri, scilicet attributa, quæ Deo soli conveniunt, opera, quæ a solo Deo esse possunt, cultus, qui uni Deo potest exhiberi, Christo in Scripturis adscribitur. Nec opus est longo syllogismorum anfractu, ut tum ex Dei nomine, tum attributis, tum operationibus, tum cultu concludatur, Christum esse Deum; sed sola fere opus est terminorum explicatione. Ad 3. dicendum est, nomen, *Deus*, cum additione, seu restrictione prolatum, nonnunquam tribui Creaturis, ut cùm Moyses dicitur Deus Pharaonis; sed simpliciter, & absolutè prolatum, nusquam nisi soli Deo vero tribuitur. Ad 4. dicendum est falsum esse Dei attributa, quæ Christo tribuuntur, aliquando tribui Creaturis. Ubi enim legitur creaturam esse æternam, omnipotentem, æqualem Deo? Ubi attributa, quæ in veteri Testamento dicuntur de Deo vero, tanquam characteres, qui eum a Creaturis distinguunt, alicui aut Angelo, aut hominis concessa leguntur? Ubinam legitur, Creaturas operari quæcumque Deus operatur, eas cœlos & terram creasse, quemadmodum de Christo legitur? Ad 5. dicendum est, Filium recepisse, & nunc etiam recipere esse a Patre, cum (ut in tractatu de Trinitate diximus) Filius a Patre procedat; recipiendo autem esse, recepit scientiam, omnipotentiam, æqualitatem, & alia attributa; cùm (ut constat ex tractatu de Attributis) in Deo, esse, attributa, operari, sint unum & idem.

Objicies 2. Joannis 17. Christus sic Patrem alloquitur: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: unde sic arguitur: Christus eo in loco nobis Patrem exhibet tanquam solum Deum verum: ergo solus Pater est Deus verus: ac proinde Christus excluditur a divinitate.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia verborum, quæ ex Joanne laudata sunt, triplex potest esse contextus: Nam 1. dici potest, hunc esse illorum ordinem: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te esse solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Dici potest 2. eadem verba posse disponi: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te esse illum Deum, qui solus est verus Deus, & quem misisti Jesum Christum.* Dici potest 3. sic costrui posse: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, esse solum Deum verum.* Quocumque ex tribus illis modis disponantur verba, de quibus agitur, nihil officiunt divinitati Christi.

Et quidem 1. si prior constructio locum habeat, evidens est, Patrem non dici Deum cum exclusione Filii, manifestum est ècontra divinitatem utrique tribui: in utroque enim propositionis membro, *Solum*, est prædicatum, non autem subjectum; scilicet non minus in secundo membro, quam in primo, subintelliguntur hæc verba, *esse solum Deum*, sicut in his Christi verbis, *Manete in me, & ego in vobis*, subintelligitur verbum *manebo in vobis*. Si altera constructio locum habeat, nihil erit quoque in sententia, de qua agitur, quod Socinianis faveat; nimirùm in ultimo propositionis membro subintelligi debebunt istæ voces, *esse solum Deum verum*, ita ut sensus sit: *Ut cognoscant te esse illum Deum, qui solus est verus Deus, & quem misisti Jesum Christum, esse illum Deum, qui solus verus est Deus.* Tertia tandem constructio aperte favet Catholicorum sententiæ: *Ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum, esse solum Deum verum.*

Jam verò si quis roget, quænam ex tribus illis constructionibus alteri præponenda sit, dicendum erit 1. priorem traditam fuisse ab Augustino: *Quasi* (ait) *is sit ordo verborum: Hæc est vita æterna ut te, & quem misisti Jesum Christum, agnoscant solum Deum verum.* Tradita quoque fuit ab Authore libri de Trinit. qui inter Tertulliani opera legitur: *Si noluisset se* (ait cap. 24.) *etiam Deum intelligi, cur addit: Et quem misisti Jesum Christum, nisi quoniam & Deum accipi voluit? quoniam si se Deum nollet intelligi, addidisset: Et quem misisti hominem Jesum Christum: nunc autem nec addidit, nec se nobis hominem tantummodo Christus tradidit, sed Deo junxit, ut & Deum per hanc conjunctionem, sicut est, intelligi vellet.* Dicendum erit 2. alteram constructionem videri magis convenire cum textu Græco, in quo pronomen, *Illum* præponitur adjectivo, *Solum*, hoc modo, *Ut cognoscant te illum solum Deum verum*, hoc est, *Ut cognoscant te, qui es ille Deus, qui solus verus est.* Confirmatur ex eo, quod Christus eò loci de Patre loquatur per oppositionem ad Idola Gentilium, quæ non erant dii veri, sed fictitii, indeque sumat argumentum ostendendi, quàm immeritò Gentiles spem suam, ac fiduciam in Idolis collocarent. Ita passim Græci Patres ratiocinantur.

Objicies 3. Equidem in Scripturis Christo tribuuntur Dei nomen, attributa, operationes: sed eæ Scripturæ, non ad literam, sed metaphoricè exponendæ sunt; scilicet tunc Scripturæ non ad literam, sed metaphoricè debent exponi, cùm sensus literalis est aut præter, aut contra rationem; siquidem licet ratio non sit formale motivum fidei, illi tamen præsupponitur: atqui Scripturæ loca, quæ Christo, Dei nomen, attributa, operationes adscribunt, si sumantur in sensu literali, sunt præter, imò contra rationem: Nam 1. nullus creatus intellectus capit, qua ratione homo possit esse verè, ac substantialiter Deus: 2. repugnat quòd homo sit Deus,

eò

eò quòd id in Deo mutabilitatem arguat : ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. neg. priorem majoris propositionis partem, seu, nego Scripturas exponi debere in sensu metaphorico, quoties id quod, significatur per sensum literalem, est præter captum mentis captum. Ratio est, quia potentia Dei est infinita, econtra finitus est humanæ mentis captus; ac proinde Deus plura potest operari, quæ ratio, etiam quæ per peccatum corrupta non fuerit, concipere non potest. Præterea si id tantùm credi debeat, quod ratio concipit, sequitur revelationem exigi debere ad rationis normam, non verò rationem ad revelationem, seu ad authoritatem Dei revelantis. Sequitur iterum, Paulum hæc immerito scripsisse 1. ad Corinth. 1. *Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Rursùs sequitur, fidem non fore de obscuris, sed de iis, quæ creata mens intellexerit. Sequitur tandem, fidem non magis fore Dei donum, quam sit consensus, quem intellectus geometricis demonstrationibus præbuerit. Resp. iterum ad 2. neg. secundam partem minoris propositionis, seu nego, Scripturæ loca, quæ Christo divinitatem tribuunt, si ad literam sumantur, pugnare contra rectam rationem; neque enim quidquam aut ex essentia divina, aut ex illius attributis detrahunt, ut harum Institutionum, par. 4. dissert. 1. fuse probatum est.

§. III.

Utrum divinitas Christi possit ex Traditione demonstrari.

Not. Non erit quæstio de Patribus, qui post Ephesinam Synodum scripserunt, certo nimirum certius est, eos ad Socinum usque, unanimi consensu ubique gentium docuisse, Christum esse vere ac substantialiter Deum: sed erit quæstio de iis tantùm Authoribus, qui ante Nestorii tempora & ante Ephesinam primam Synodum vixere.

CONCLUSIO. Patres, qui à Christo ad Nestorium usque vixere, docuerunt, Christum esse verè ac substantialiter Deum.

Probatur enumeratione. Ignatius, qui labente priore sæculo scripsit, epistolam ad Smyrnenses hisce verbis incipit: *Glorifico Jesum Christum Deum, qui sic vos sapientes fecit.* In salutione epistolæ ad Ephesios, electos dicit esse prædestinatos *ex voluntate Patris, & Jesu Christi Dei nostri.* In ipsa verò epistola apertè distinguit duplicem Christi nativitatem, duplicem naturam: *Unus est medicus carnalis & spiritualis; factus & non factus in carne Deus, in morte, vita vera, & ex Maria & ex Deo.*

Polycarpus (Eusebio teste hist. Eccles. lib. 4. cap. 15.) eandem gloriam Christo, quam Deo Patri tribuit in oratione, quam fudit subiturus martyrium: *Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per supremum pontificem Jesum Christum, dilectum filium tuum, per quem tibi unà cum ipso, in Spiritu sancto, gloria nunc & in sæcula sæculorum, Amen.* Sed quæ fuerit Polycarpi de Christi divinitate sententia, fusius ostendunt ea, quæ de Irenæo dicentur; is enim Polycarpum per multos annos audiit.

Justinus in dialogo cum Tryphone, Judæos arguit, quòd negarent, *Christum Deum esse, utpote singularis & ingeniti, ineffabilisque Dei Filium.* Idem Author ibidem multoties scribit, Christum in Veteri Testamento sæpiùs vocatum fuisse Deum & Dominum; Dominum virtutum, Israelis Deum; illum esse, qui Abrahamo, Moysi, & Patriarchis apparuit. Imò & quæ in eodem Veteri Testamento de summo omnium Deo dicuntur, probat ea Christo convenire: sic citato Davidis loco, Psal. 45. *Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi,* asserit (quod & antea Paulus in epistola ad Hebræos) prophetiam illam ad Christum pertinere, indeque concludit, eum esse *adorandum & Deum.*

Irenæus lib. 4. capite 11. postquam probavit eum, qui olim Patriarchis apparuit, quique in Scripturis Deus dicitur, esse Christum, sic concludit: *Ipse igitur Christus cum Patre, vivorum est Deus, qui & locutus est Moysi, qui & Patribus manifestatus est.* Libro 3. capite 18. probaturus adversus hæreticos, *non alium Jesum, alterum Christum fuisse, sed unum & eundem Deum esse,* laudat Apostoli epistolam ad Romanos, in qua Christus expresse Deus dicitur: *Et iterum* (ait Irenæus) *ad Romanos scribens,* (Apostolus) *de Israel dicit: Quorum Patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnes benedictus in sæcula.*

Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentes, non longe ab initio, hisce verbis Gentes hortatur, ut in Christum credant: *Crede, homo, homini & Deo: crede homo ei, qui passus est, & ei, qui adoratur, Deo viventi: credite omnes homines ei, qui solus Deus est omnium hominum.* Ibidem Christus à Clemente dicitur: *Verbum divinum, qui est manifestissimè verus Deus, qui est universorum Domino exæquatus.* In Pædagog. lib. 1. cap. 7. de Christo Pædagogo hæc scribit: *Noster autem Pædagogus, sanctus Deus Jesus, Verbum quod est omnis humanæ naturæ dux, ipse hominum amator Deus est pædagogus.*

Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, cap. 6. expresse dicit, Christum & spiritum & substantiam esse creatoris. Libro de Carne Christi, disertè duplicem in Christo naturam agnoscit, humanam & divinam: *Itaque* (inquit cap. 5.) *utriusque substantiæ census hominem & Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum; hinc infirmum, inde præfortem.* Lib. 4. contra Marcionem, cap. 25. asserit, Deum Patrem omnia tradidisse Christo *non minori se.*

Origenes lib. 1. contra Celsum, de Magis, qui (ut ait Matthæus cap. 2.) Christum adorarunt, sic loquitur: *Ferentes dona ei, qui componebatur (ut sic loquar) ex Deo & homine mortali, symbola obtulerunt, aurum tanquam Regi, ut morituro myrrham, ut Deo thus.* Libro 3. objicienti Christianis Celso, quòd *Jesum mortali corpore constantem credant esse Deum,* sic respondet: *Sciant ipsi criminatores, hunc Jesum, quem ab initio Deum, Deique filium esse credimus, ipsum esse Verbum, ipsam veritatem, ipsam sapientiam; cæterum mortale ejus corpus, & humanum in eo animam illius Verbi non solum communicatione, sed etiam unione & permixtione, maxima quæque dicimus accepisse, & divinitatem ipsius participantia in Deum evasisse.*

Cyprianus lib. 2. Testimoniorum adversus Judæos cap. 5. & 6. nomina & characteres, quibus Prophetæ Deum designant, docet de Christo intelligi debere. Ejusdem libri capite 9. ex professo probare contendit: *Quòd homo, & Deus Christus, ex utroque genere concretus, ut mediator esse inter nos & Patrem posset.* Epistola 63. quæ est ad Cæcilium, Christum appellat *Dominum & Deum nostrum.* In libro de Idolorum vanitate sic loquitur: *Hic* (Sermo, seu Verbum) *in Virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induitur, Deus cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est.* In Epistola ad Jubajanum hoc argumento probat, irritum esse datum ab hæreticis baptisma: *Si baptizari quis apud hæreticos potuit, utique & remissam peccatorum consequi potuit. Si peccatorum remissam consecutus est, & sanctificatus est, & templum Dei factus est. Quæro: Cujus Dei? Si creatoris, non potuit, qui in eum non credidit. Si Christi, nec hujus fieri potest templum, qui negat Deum Christum. Si Spiritus sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus sanctus ei placatus esse potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?*

Dio-

Dionysius Alexandrinus in Epistola, quam non multò ante mortem scripsit adversus Paulum Samosatenum, Christum disertè dicit: *Increatum & Creatorem .... illum, qui natura Dominus est, & Verbum Patris, quem sancti Patres consubstantialem Patri dixerunt.* Addit, immutabilem esse Christum, *quatenus est Dei Verbum.* Sic paulò post iterum loquitur: *Qui super omnia Deus est, Dominus & Deus Israel, Jesus Christus.* Hæc rursus ait: *Deus enim Israelis est Jesus ille, qui est Verbum sæcula antecedens, nec non & Spiritus sanctus.*

Patribus Concilii Nicæni I. idem persuasum fuit; scilicet in Symbolo profitentur, eum, qui Deus est ab æterno, in tempore per Incarnationem factum fuisse hominis Filium. *Qui* (unigenitus Dei Filius Patri consubstantialis) *descendit de cœlis, & incarnatus est, & homo factus est.*

Athanasius, acerrimus ille adversus Arianos divinitatis Verbi defensor, in epistola ad Epictetum sic loquitur: *Quomodo autem quidam, qui inter Christianos censentur, in quæstionem vocare audent; dominusne, quem Maria in lucem edidit, natura quidem & essentia Dei Filius existat, secundum carnem verò ex semine David, & sanctæ Mariæ carne ortum ducat? Quidam verò in eam temeritatem prolapsi sunt, ut dicere audeant Christum, qui carne passus & crucifixus est, nec Deum esse, nec Dominum, nec Salvatorem, nec Patris filium.*

Augustinus Enchiridii cap. 5. *Proindè* (inquit) *Christus Jesus, Dei Filius, Deus & homo est, Deus, quia Dei Verbum, homo autem, quia in unitatem personæ accessit Verbo anima rationalis & caro.* Hæc etiam habet capite 46. *Quid enim natura humana in homine Christo meruit, ut in unitatem personæ unici filii Dei singulariter esset assumpta?*

Concilium Ephesinum I. totum est in asserenda contra Nestorium Verbi divinitate. Profert varia tum Scripturæ, tum Traditionis loca, quibus eam veritatem confirmat. Cyrillus in epistola prima ad Nestorium supponit, ipsimet Nestorio persuasum esse, omnes ubique fideles ante illius tempora, simpliciter & absolute Christum solitos esse vocare Deum. *Eò namque* (ait) *malum hoc paulatim serpendo pervenit, ut Christum nonnulli Deum appellari ferè non patiantur, sed potiùs divinitatis organum & instrumentum, hominemque deiferum, & alia his ineptiora.* In epistola ad Cælestinum scribit, omnes Orientis, imò & terrarum Orbis Ecclesias credere Christi divinitatem: *Scias nihilominus & hoc quoque pietas tua, idem sentire cunctos etiam Orientales Episcopos..... Et quia hoc Nestorius non ignorat, se omnibus sapientiorem existimat, se solum divinæ Scripturæ scopum attigisse, se solum Christi mysterium cognovisse opinatur. Atqui quomodo non magis oportuit illud pro certo habere, cum omnes per terrarum Orbem sparsi orthodoxi Episcopi, & laici, Christum Deum, Virginem verò, quæ illum genuit, Deiparam esse confiteantur*, &c.

Solvuntur Nestorianorum argumenta.

Objicies 1. Se habet in Christo Verbum respectu humanitatis, sicut se habet hospes respectu domus, quam inhabitat. Nam 1. Christus de suo corpore loquens, hæc ait: *Solvite templum hoc.* 2. Non pauci sunt Patres, qui asseruerunt, humanitatem in Christo fuisse divinitatis templum; atqui inter hospitem & templum non est unio substantialis, sed moralis tantùm: ergo, &c.

Resp. ad 1. dist. maj. Se habet &c. quantum ad aliqua, conc. maj. quantum ad omnia, neg. maj. In eo valet similitudo, de qua agitur, quod quemadmodum hospes est verè in domo, cujus est hospes; ita Verbum verè est in humanitate: sed non valet quantùm ad modum existendi, quia hospes impropriè tantum & moraliter unitur domo, cujus est hospes, cum ècontra Verbum propriè & substantialiter cum humanitate conjunctum sit. Ad 2. dist. ant. Christus de sua humanitate loquens, dixit, *Solvite templum hoc;* & illud templum quoad unionem se habet respectu Verbi, sicut corpus humanum respectu animæ rationalis, conc. ant. quemadmodum enim est unio substantialis inter corpus humanum & animam rationalem, ita etiam inter Verbum & humanitatem: Se habet quoad unionem sicut domus respectu hospitis, neg. ant.

Objicies 2. In Christo se habet humanitas respectu Verbi, sicut vestimentum respectu vestiti, juxta illud Pauli ad Philippenses 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo:* ergo quemadmodum inter vestem & vestitum non est unio substantialis; ita nec inter Verbum & humanitatem.

Resp. in Græco textu loco hujus vocis, *habitu*, qua nititur Adversariorum argumentum, legi hanc aliam, *figura*: figura autem seu externa species realitatem non excludit, unde Apostoli sensus est, eum, qui erat in forma Dei, inventum fuisse, seu realiter fuisse hominem. Vide quæ in hunc locum diximus supra hac eadem Parte. His positis, ad argumentum in forma respondendum est neg. maj.

Objicies 3. Ex unione substantiali Verbi cum humanitate, plura sequuntur absurda. Nam 1. sequitur, Dei nomen absolute ac sine addito, tribui posse ei, qui passus ac mortuus est: 2. Mariam, quæ vocatur Deipara, genuisse antiquiorem se: atqui hæc absurda sunt: ergo, &c. Ita contra Cyrilli anathematismos Theodoretus argumentatur.

Resp. conc. maj. neg. min. Siquidem 1. loquendi modus, quem arguunt Adversarii, expressè legitur in Scripturis: *In hoc* (inquit Joannes primæ Epist. cap. 3.) *cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit.* 2. Maria non genuit antiquiorem se secundùm id, quod in Christo erat antiquius, sed secundùm humanitatem, quæ substantialiter erat unita antiquiori, Verbo nimirum.

CAPUT III.

Utrum unio Verbi cum humanitate fuerit universalis.

Not. CErtum est, unionem Verbi cum humanitate, eo sensu esse universalem, quòd Verbum, aut mediatè aut immediatè, omnes omninò humanæ naturæ partes assumpserit: sed quæstio est, quænam immediatè assumptæ fuerint, quæ verò mediatè tantum.

CONCLUSIO 1. Verbum immediatè corpus, animam, animæ potentias, intellectum & voluntatem, assumpsit.

Probatur. Verbum id assumpsit immediatè, quod est essentiale humanitati, aut quod ex ea necessariò sequitur; atqui corpus & anima sunt essentialia humanitati, & potentiæ animæ, intellectus nimirum & voluntas, ex humanitate necessariò consequuntur; imò juxta veriorem Philosophorum sententiam, ab anima realiter non distinguuntur: ergo, &c.

CONCLUSIO 2. Verbum assumpsit immediatè manus, pedes, aliasque integrantes corporis partes.

Probatur. Verbum assumpsit immediatè corpus, quod esset completum ac integrum: ergo & manus & pedes, reliquasque integrantes corporis partes.

CONCLUSIO 3. Verbum assumpsit immediatè sanguinem.

Pro-

Probatur 1. Verbum (ex dictis) id assumpsit immediate, quod est pars integrans humani corporis: atqui sanguis est hujusmodi. Nam 1. Levitici 17. *Anima, animalis, in sanguine est.* 2. Medium est, quo anima omnes vitales operationes exercet, quodque ad carnis ipsius consistentiam necessarium est. 3. Connexionem habet necessariam cum corpore; ea enim de causa Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. definiit, Christi sanguinem esse per concomitantiam sub speciebus panis consecrati, & corpus sub speciebus vini. 4. Non obest, quòd sanguis carni non sit unitus; nec enim requiritur unio, sed satis est continuitas, ut corporis partem integrantem constituat.

Probatur 2. Christus eo modo sanguinem assumpsit, quo carnem: *Quia* (ait Apostolus ad Hebr. 2.) *pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit ejusdem*; atqui Verbum immediatè carnem assumpsit: ergo & sanguinem. Confirmatur ex canone quinto Concilii Ephesini, quo anathema ei dicitur, qui negaverit, Verbum caro factum non communicavisse similiter ut nos, carni & sanguini.

Probatur 3. Si Verbum immediatè sanguinem non assumpserit, sequitur, ipsum non fuisse assumptum, nisi quia assumptum est corpus, in quo continetur; atqui ea tantùm ratione assumptus non est sanguis; siquidem si ea tantùm ratione fuit assumptus, sequitur non habere precium aliquod ratione sui, sed tantùm ratione personæ, a qua oblatus est: contrarium tamen innuunt Scripturæ: *In quo* (ait Apostolus ad Ephesios 1.) *habemus redemptionem per sanguinem ejus.* Ad Romanos 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Ad Hebræos 9. *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.* Eo principio nixus Clemens VI. in Extravag. *Unigenitus*, asserit post antiquos Patres, unam sanguinis Christi guttulam fuisse sufficiens nostræ redemptionis precium.

Objicies. Si sanguis immediatè fuit unitus Verbo, sanguis per communicationem idiomatum dici posset Deus, & vicissim Deus dici posset sanguis: Et quemadmodum ratione corporis, quod a Cruce depositum est, Deus dicitur depositus fuisse de Cruce; ita ratione sanguinis, qui in passione effusus est, Deus dici posset effusus, quod est absurdum.

Respondet Sylvius negando sequelam, eò quòd (inquit) sanguis non dicat naturam completam, sed incompletam, & ad aliud ordinatam. Sicut ergo Verbum assumens animam, caput, pedes, non dicitur esse anima, caput, vel pes; ita nec debet dici sanguis; & quemadmodum illæ partes non sunt Deus, sed Dei habentis illas; ita & sanguis. Neque enim hinc sequitur dici posse, quòd Deus fuerit sparsus, effusus, terræ commixtus, sicut dicitur descendisse ad inferos; scilicet ratione unius partis; nam spargi, effundi, misceri, conveniunt sanguini, quatenus est pars a toto distincta: quæ verò talia sunt, non possunt prædicari, vel de toto, vel de supposito. Descensus autem ipsi etiam supposito convenit, ideoque potest supposito tribui, nam quæ indifferenter denominant partem vel totum, possunt dici de supposito. Hactenus Sylvius in 3. part. quæst. 5. art. 2.

CONCLUSIO 4. Probabile est, Verbum immediatè assumpsisse partes, quæ ad corporis ornatum pertinent, ut sunt ungues & capilli: non autem partes excrementitias, ut sunt sudores & lacrymæ.

Probatur prior pars. Partes, quæ ad ornatum, & ad meliorem corporis conditionem pertinent, anima informantur, vivuntque vita totius compositi: par igitur fuit, ut in Christo subsisterint subsistentia, per quam subsistit totum compositum. Altera pars est certa: nempè partes excrementitiæ propriè non pertinent ad corpus, ut patet in lacrimis & sudore, quæ ob eam rationem in Beatis minimè permansura sunt; unde si reverà Christi sint lacrymæ, quæ in aliquibus locis religiose servantur, non alium cultum merentur, quam relativum, de quo quidem cultu, ad hujusce quartæ partis calcem plurima dicentur.

CAPUT IV.

Utrum unio Verbi cum humanitate fuerit indissolubilis.

CONCL. UNio Verbi cum humanitate fuit indissolubilis.

Probatur. Unio Verbi cum humanitate dissoluta non fuit in triduo mortis Christi, 1. non ratione animæ, alioquin enim dici non posset, quòd Deus ad inferos descenderit; 2. nec ratione carnis: nempè ratione corporis, quod in Sepulchro jacuit, dicitur in symbolis omnibus, quod Dei filius sepultus fuerit; 3. eandem nec ratione sanguinis: quippè quod sanguis tunc esset pars corporis Christi, utpote in resurrectione iterum cum ipso corpore unicodus: ergo, &c.

Confirmantur ea omnia trito hoc axiomate, quod plures Scholastici tanquam ex Joanne Damasceno laudant: *Quod semel Verbum assumpsit, nusquam dimisit*; atqui Verbum (ut ex dictis patet) assumpsit animam, carnem, & sanguinem: ergo ea nusquam dimisit.

Objicies. In Provincia apud S. Maximinum, Vesuntione in Sudario, Parisiis in Spina, quæ servatur in Sacello regio, Romæ in ferro lanceæ, nec non in aliis Dominicæ passionis instrumentis, guttulæ sanguinis Christi remanserunt. 2. Effusus est sanguis in circumcisione, & tamen cum illis particulis effusis Verbum non remansit unitum, sicut nec cum spiritibus animalibus, quos per defatigationem Christus amisit: ergo unio Verbi cum humanitate non fuit indissolubilis.

Resp. dato antecedente, quod quidem hic nolumus in examen adducere, dist. conseq. Ergo unio Verbi cum humanitate non fuit indissolubilis respectu partium, quæ in resurrectione non erant conjungendæ cum corpore, conc. conseq. cum iis, quæ erant conjungendæ, neg. consequentiam. Unio Verbi fuit indissolubilis tantùm cum partibus, quæ iterum corpori conjungendæ erant in resurrectione, quia illæ tantùm ad corporis integritatem pertinebant: de iis autem, non autem de aliis intelligi debet axioma, quod Scholastici laudant ex Damasceno.

Quæres, utrum aliqua censura inuri debeat sententiæ, quæ negat, Verbum in triduo mortis remansisse unitum cum effuso Christi sanguine?

Resp. negativè: id autem probatur authoritate Pii Papæ II. qui quæstionem illam inter Dominicanos & Franciscanos circa annum 1462. motam, sic solvit, ut utrisque prohibuerit, ne ob id sibi notam aliquam Theologicam inurerent.

CAPUT V.

An ex unione Verbi cum humana natura secuta sit naturarum confusio.

Not. EUtyches, medio sæculo quinto, Monasterii, quod Constantinopoli celeberrimum erat, Archimandrita, docuit, naturam divinam & humanam ita per unionem hypostaticam permixtas fuisse, ut mutuam a se invicem distinctionem non retinuerint; sed ècontra una, divina nimirum, aliam absorpserit. Ut, quæ ad eam hæresim pertinent, cum methodo pertractentur, hocce quintum caput in tres articulos partie-

mur: In priore, hæreseos initium, progressum, variasque sectas exponemus; in altero quærenus, in quo præcisè positus fuerit Eutychianus error, in tertio denique, Ecclesiæ Catholicæ fidem ejusmodi errori contrariam adstruemus multiplici argumentorum genere.

ARTICULUS I.

Eutychianæ hæreseos historia describitur.

Not. QUÆ in hoc articulo dicentur, ad quædam capita revocanda sunt.

I. Eutyches adhuc diaconus in Concilio Ephesino strenuè contra Nestorium pro Catholica fide decertaverat. A sacra Synodo (ut videre est parte 2. Actione 3.) tradita est ei Epistola ad Imperatores communi Patrum nomine perferenda. Is ex odio Nestorianæ hæresis, ac ex malè intellectis quibusdam Cyrilli sententiis, in errorem Nestoriano penitùs oppositum lapsus est. Nempè (ut articulo secundo dicetur) docuit unam tantùm in Christo, non personam tantùm (uti definierat Concilium Ephesinum I.) sed etiam naturam post unionem remansisse.

Ab Eusebio Dorylæi in Phrygia Episcopo delatus est ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum, à quo in Synodo, quæ in ea urbe tunc pro causis quibusdam ecclesiasticis celebrabatur, impium illius dogma damnatum est; ipse etiam, quòd pertinax esset, ex sacerdotio, præfectura monasterii, fidelium communione segregatus fuit. Verùm non multò post in Ephesina secunda synodo a Dioscoro Alexandriæ Episcopo probatum est ejusdem Eutychetis dogma, ipseque fidelium communionem, monasterii præfecturam, Sacerdotii dignitatem recuperavit. Paucis post annis in Concilio Chalcedonensi rescissa sua omnia, quæ a Dioscoro in sua prædatoria Synodo tentata fuerant, confirmataque fuerunt, quæ Flavianus adversùs Eutichen & ejus errorem Constantinopoli peregerat. Vide, quæ de eo argumento harum Institutionum in Prolog. Dissert. 4. q. 3. c. 2. art. 4. §. 1. a nobis dicta sunt.

II. Post Concilium Chalcedonense, Proterius vir maximè Catholicus, Alexandriæ in Dioscori locum suffectus est: Verùm post Imperatoris Marciani mortem, quæ contigit anno 457. factione Timothei Æluri, hæreseos Eutychianæ propugnatoris acerrimi, qui sedem Alexandrinam invaserat, neci traditus est. Hunc Chersonam Leo, qui Marciano successerat, in exilium deportari jussit: ejus autem loco (ut scribit Evagrius Hist. lib. 2. cap. 10.) substitutus est Thimotheus Solofaciolus, Catholicus Episcopus.

III. Anno 463. turbas adversùs Concilium Chalcedonense excitavit in Oriente Petrus Cnapheus, sive, Fullo. Absente Martyrio Antiochiæ Episcopo, Eutychis veneno Orientales infecit, ac Sedem Antiochenam, cui Martyrius publicè renuntiarat, invasit. Sed Leonis Imperatoris decreto damnatus exilio, antequam in Oasim deportaretur, clanculùm aufugit.

IV. Basiliscus, qui anno Christi 475. post Leonis obitum, Zenone imperante, tyrannum agebat Constantinopoli, Timotheum Ælurum ab exilio revocavit. Is Alexandriam reversus cum Petro Moggo, ejecit Timotheum Solofaciolum & Synodum Calcedonensem proscripsit: verùm anno proximè sequente, Zeno, victo Basilisco, rerum summa potitus, restitui curavit Solofaciolum, Ælurumque damnavit exilio, in quo non multò post diem ultimam clausit. Huic ab hæreticis suffectus est Petrus Moggus, qui ob Imperatoris metum per triennium Alexandriæ delituit: sed mortuo Solofaciolo, agente Acacio, restitutus est, expulso à Zenone Joanne Talaja viro maximè Catholico.

V. Anno 482. Zeno, suadente Acacio Episcopo Constantinopolitano, qui clanculùm Eutychianis favebat, promulgavit decretum, quod *Henoticon* (seu *Conciliatorium*, appellavit, quòd (ut illi videbatur) Catholicos & Eutychianos inter se conciliaret. In eo laudatæ fuerunt Ephesina & Chalcedonensis Synodi, rejecti quoque Nestorius & Eutyches, sed & de una & de duabus naturis, ne alicui parti præjudicium fieret, altum erat silentium. *Henoticon* admisit Petrus Moggus, & ob id Acacius se cum eo communione conjunxit. E contra Felix Papa III. *Henoticon* ejusmodi Romæ damnavit anno 484. ipsumque Acacium & Sacerdotio & communione privavit. Is ea parvi pendens, perseveravit in hæreticorum communione, ac insuper Felicis ipsius nomen abrasit è sacris diptychis. Quo ex tempore Apostolica sedes a Constantinopolitanæ communione divulsa est, nec nisi post annos triginta quinque, Hormisdæ Papæ opera, Iustino primo imperante, anno nimirum 519. redintegrata concordia est. Idem Acacius Petrum Cnapheum, qui tunc agebat Constantinopoli, ejecto Catholico Calendione, quem ipse ordinaverat, Antiochiam misit. Cnapheus verò recuperata sede, rejecto, *Henotico*, Concilium Chalcedonense palam damnavit, & ad Trisagii finem, clausulam addidit: *Qui passus es pro nobis, miserere nobis.*

VI. Alexandriæ inter Eutychianos dissidium ortum est occasione *Henotici*, quod Petrus Moggus promulgaverat. Plures ægrè ferentes, quòd Concilio Chalcedonensi anathema non dixisset, sese ab illius communione segregarunt; ac propterea (ait Leontius Bysantinus) nominati sunt Acephali, quòd a capite, id est, Patriarcha suo disjuncti, seorsim congregabantur; nec in Petri Moggi communionem redire voluerunt, etiam cum Petrus postea Concilium Chalcedonense damnavit.

VII. Ex Acephalorum secta prodiit Severus, primùm monachus, deinde opera Anastasii Imperatoris, ejecto Flaviano, antistite Catholico, consecratus Episcopus Antiochenus. Is *Henoticon* admisit, ac prætereà dicto in Calcedonense Concilium anathemate, è sedibus expulit Episcopos omnes, qui ejusmodi anathemati subscribere detrectarent. Mortuo Anastasio, Iustinus Imperator Catholicus Severum damnavit morte, sed iste fuga supplicium anteverteus, Alexandriam una cum Iuliano Halicarnassensi Episcopo ejusdem secum opinionis se contulit. Præerat tunc Alexandrinæ Ecclesiæ Timotheus hæreticus, qui profugos illos libenter excepit.

VIII. Inter Severum & Iulianum non multò post Alexandriæ nata est quæstio, an corruptibile, an verò incorruptibile fuisset Christi corpus. Severus contendebat, corruptibile fuisse, Iulianus verò incorruptibile, eo quòd (inquiebat) si corruptibile fuerit, admittendæ erunt duæ naturæ in Christo, una, quæ corrupta fuerit, scilicet humana, & altera, quæ fuerit expers corruptionis, divina nimirùm, quod tamen omnes Eutychiani negabant. Hinc nata est secta duplex inter ipsos Eutychianos. Qui Severo adhærebant dicti sunt *Corrupticolæ & Theodosiani*, quòd Theodosius inter Severi sectatores emineret; qui autem Iuliano, *Incorrupticolæ*, & nonnunquam etiam *Gajanitæ*, eò quòd Gajanus inter Incorrupticolas primo esse loco videretur.

IX. Inter *Corrupticolas*, Themistius Diaconus Agnoetarum sectæ locum dedit. Persuasus, Timotheum Alexandrinum Severo contra Julianum favere, sciscitatus est ab eo, an sicut Christus corruptioni obnoxius fuerat, ita etiam aliquorum ignorantia laboraset. Negante illo, Themistius ab ejus communione recedens, ignorantiam Christo perseveravit adscribere, & Agnoetarum sectam condidit, quæ ab authore Themistiana dicta est.

X. Ex Monophysitarum, hoc est, unam in Christo natu-

naturam confitentium secta orti sunt Theopaschitæ, id est ii, qui contra Sabellianos cum Catholicis fatentes tres esse in Trinitate personas, docebant, non solum Filium, sed & Patrem & Spiritum sanctum passos fuisse. Horum author fuit Petrus Cnapheus Antiochenorum Episcopus, qui (ut jam observavimus) clausulam hanc: *Qui passus es pro nobis, miserere nobis*, ad Trisagium hymnum adjecerat. Ex eadem Monophysitarum secta orti sunt quoque Tritheistæ, hoc est ii, qui sicut tres personas in Trinitate confitebantur, ita etiam tres naturas confessi sunt. Tritheistarum author fuit Joannes Grammaticus, cognomento Philoponus. Scribit nimirùm Leontius Byzantinus, eum, cum Alexandriæ adversùs Concilium Calcedonense disputaret, argumentorum vi coactum, eo devenisse, ut contenderit, quod sicut tres sunt hypostases in Trinitate, ita etiam tres sint naturæ.

XI. Ex eisdem Monophysitis orti sunt Jacobitæ, authore Jacobo, qui genere Syrus, ac Eutychis, Petri Cnaphei, Severi, Theopaschitarum, erroribus imbutus, eis populares suos infecit. Qui Catholicum dogma in Syria propugnabant, *Melchitæ*, seu *Imperatorii*, vulgò dicti sunt, eo quod quartæ generali Synodo, ab Imperatore Marciano convocatæ adhærerent: è contra qui Synodum illam detestabantur, Jacobitæ passim appellati sunt: Impiis Jacobitarum dogmatis Armeni præ ceteris depravati sunt, adeò ut apud eos ad Concilii Florentini tempora permanserint, & nunc etiam plurimi sint, qui eis pertinaciter inhæreant. De argumento, quod huc usque pertractatum est, vide Nicephorum Calistum lib. 15. Breviculum Eutychianæ hæresis, Evagrium lib. 3. Baronium ad annum 460. & sequentes alios, Petavium Theologicorum dogmatum de Incarnatione lib. 1. cap. 16. & 17.

ARTICULUS II.

In quo præcisè positus sit Eutychianorum error.

CONCL. Eutyches docuit 1. Christi corpus non fuisse corpus nostro consubstantiale. Docuit 2. ante unionem Verbi cum humanitate, duas naturas in Christo fuisse. Docuit 3. post ejusdem Verbi unionem cum humanitate, unam tantum remansisse naturam.

Probatur prior pars. Primò, certum est, Eutychem, antequam in jus vocatus fuisset a Concilio Constantinopolitano, quod sub Flaviano celebratum est, nusquam asseruisse, Christum secundum carnem esse nobis consubstantialem: *Santissimus archiepiscopus dixit*: (verba sunt Actorum ejusdem Concilii, quæ inserta sunt Actioni primæ Synodi Chalcedonensis) *Non dicis consubstantialem Patri secundum divinitatem, & consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem? Eutyches presbyter dixit: Usque ad hodiernum diem non dixi corpus Domini & Dei nostri consubstantiale nobis: sanctam autem Virginem confiteor nobis esse consubstantialem, & quoniam ex ipsa incarnatus est Deus noster.*

Certum est 2. Eutychem in ipso Concilio confessum fuisse, se deinceps admissurum esse cum loquendi modum, quo Christi corpus dicitur nobis consubstantiale: *Si autem* (inquit iterum a Synodo interrogatus) *oportet, ut dicatur ex Virgine & consubstantiale nobis, & hoc dico ... Ante quidem non dicebam; dico quidem modò tibi, quod puto, in exordio non dixi: nunc autem, quia vestra sanctitas hoc dicit, dico.*

Certum est 3. Eutychem, cum urgeretur, ut damnaret eos, qui non dixerint, Christum esse nobis consubstantialem secundum humanitatem, noluisse, ut jubebatur, eis anathema dicere: *Sancta Synodus dixit, oportet te clarè confiteri, & anathematizare omne dogma, quod contrarium est huic, quæ modo lecta sunt. Eutyches presbyter dixit: Dixi sanctitati vestræ, quoniam ante hoc non dicebam: nunc autem, quoniam hoc docet sanctitas vestra, dico & sequor Patres. Neque autem in Scripturis inveni manifestè hoc, neque omnes Patres dixerunt. Si verò anathematizavero, væ mihi est, quòd Patres meos anathematizo.*

Ex iis monumentis sic arguitur: Ille docuit Christi corpus non esse consubstantiale nostro, qui ante Concilium Constantinopolitanum nunquam asseruerat esse consubstantiale; qui postea in ipso Concilio, id quidem confessus est, sed non tanquam articulum fidei; atqui Eutyches ante Concilium Constantinopolitanum nusquam asseruerat, Christi corpus esse nostro consubstantiale; id postea in Concilio confessus est quidem, sed non tanquam articulum fidei, siquidem jussus anathematizare eos, qui contrarium censerent, noluit anathematizare: ergo revera docuit, Christi corpus non esse consubstantiale nostro.

Probantur duæ aliæ conclusionis partes ex ipsiusmet Eutychis confessione. Magnificentissimus & gloriosissimus Florentinus patricius dixit: *Consubstantialem & ex duabus naturis post Incarnationem Dominum nostrum, qui ex Virgine est, dicis, an non? Eutyches presbyter dixit: Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem* (& in hoc cum Nestorio consentiens erat) *post adunationem verò unam naturam confiteor.* Idem, iterum interrogatus, respondit, sed cum hoc addito: *Ego legi scripta beati Cyrilli, & sanctorum Patrum, & sancti Athanasii, quoniam ex duabus quidem naturis dixerunt ante adunationem; post adunationem autem & incarnationem, non jam duas naturas, sed unam naturam dixerunt.*

Quæres 1. An Eutyches, qui negavit, Christi corpus esse nostro consubstantiale, eandem ipsi, quam Valentinus, originem adscripserit, hoc est, utrum putaverit, illud è Cœlis a Verbo in Mariæ sinum delatum fuisse?

Resp. Eutychem non sensisse idem cum Valentino circa originem carnis Christi: nam 1. in Synodo Constantinopolitana sub Flaviano, eam a se calumniam depulit, expressè professus, se nunquam dixisse: *Deum Verbum carnem è Cœlo detulisse*. 2. Conceptis terminis asseruit in eadem synodo, se credidisse semper Verbum ex Virgine carnem assumpsisse: *Confiteor autem* (ait in fidei professione, quam in Concilio recitavit) *factum ejus in carne præsentiam ex carne sanctæ Virginis, & incorporatum eum perfectè propter nostram salutem.*

Quæres 2. Quomodo Eutyches explicuerit naturas, quæ ante unionem distinctæ erant, imò & secundùm ipsum, separatæ (neque enim voluit humanitatem in primo suæ conceptionis instanti, cum Verbo hypostaticè conjunctam fuisse) in unam tamen, post factam unionem, naturam coaluisse?

Resp. id ab ipso Eutyche explicatum non fuisse; scilicet ejusmodi expositionis ne apex quidem est in fidei confessione, quam obtulit Concilio Constantinopolitano; imò cum a Flaviano Concilii præside urgeretur, sic respondit: *Quoniam confiteor Deum meum, Dominum cœli & terræ, hactenus de ejus natura disputare non mihi persuadebam*, (aut, ut fert alia lectio) *non permittebam*.

Verum quod Eutyches ipse non explicuit, explicatum est deinceps ab ejus sectatoribus. Nonnulli contenderunt, Deum factum fuisse carnem per conversionem, hoc est, per mutationem divinitatis in carnem, sicut panis in Eucharistia per sui mutationem fit Christi corpus. Docuerunt è contra alii, carnem fuisse conversam in divinitatem; sic autem conversam dicebant *Absorptam à Divinitate*. Apud Theodoretum in Dialogo secundo, Eranistes, seu Eutychianus, sciscitanti Catholico, *Quomodo post unitionem, unicam naturam agnosceret*, respon-

det, *Ego divinitatem ejus mansisse : ab hac verò absorptam esse humanitatem*. Alii tandem, sed Semi eutychiani, asserebant, divinitatem ita cum humanitate permixtam fuisse, ut ex utraque illa natura coaluerit tertia, quæ nec Deus esset, nec homo, quemadmodum ex elementorum permistione exurgit tertia natura, quæ compositum dicitur. Hinc ad intercludenda Eutychianorum effugia, Catholici in condendis fidei formulis hunc loquendi modum passim adhibebant: *Ex duabus & in duabus perfectis naturis Christum sine ulla confusione subsistere*. Ita vero seu loquendi, seu sentiendi occasionem Eutychiani sumpserunt ex nonnullis, sed perperam intellectis, Cyrilli sententiis, ac præsertim ex ista, quæ in Epistola ejusdem Cyrilli ad Acacium Melitinensem Episcopum legitur: *Post unionem in Christo, unam tantummodo Verbi Incarnati esse naturam*, seu (ut in aliis locis habetur) *Una est incarnata Dei natura*.

ARTICULUS III.

Defenditur adversùs Eutychem Ecclesiæ doctrina.

Nu. ECclesia Catholica adversùs Eutychem docet 1. in Christo duas esse naturas: 2. humanam nullo instanti temporis extitisse sine unione cum Verbo: 3. humanitatem a Verbo assumptam, nostræ consubstantialem esse; sed ut ea Ecclesiæ fides methodice asseratur, hic nonnullas conclusiones statuemus.

CONCLUSIO 1. In Christo duæ sunt naturæ a se invicem, etiam post unionem, distinctæ.

Probatur. Primò, in Christo esse naturam divinam, certum est ex iis omnibus, quibus superius adversùs Ebionem, Photinum, Nestorium, Socinum, ostendimus, Christum esse vere ac substantialiter Deum. 2. In eo quoque humanam naturam reperiri demonstrant ea omnia, quæ contra Manichæos, aliosque Phantasiastas dicta sunt iis locis, ubi de veritate humanitatis assumptæ disseruimus. 3. Utramque illam naturam post unionem in Christo permansisse demonstrant Scripturæ: *De filio suo* (ait Apostolus ad Rom. 1.) *qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute*. Huc etiam referri debent alia Scripturæ, ac Patrum loca, in quibus Christus dicitur esse Deus & homo simul.

Probatur iterum conclusio rationibus Theologicis. Quatuor tantùm modis fieri potuit ut post unionem una tantùm in Christo natura permanserit; vel per conversionem divinitatis in carnem, aut carnis in divinitatem; vel ita ut duæ in unam coaluerint, vel tandem ita ut ex duabus in sua specie remanentibus, tertia, quæ sit heterogenea, resultaverit; atqui nullus ex iis modis admitti debet: Non quidem prior & alter; neque enim mutabilis est Dei natura. Non etiam tertius, siquidem duæ naturæ in unam coalescere non possunt, nisi per sui mutationem in tertiam illam naturæ speciem, in quam coalescunt. Non etiam quartus, quia cùm tertia natura, quæ heterogenea sit, resultat ex duabus naturis in sua specie remanentibus, necesse est, ut illæ duæ naturæ se habeant per modum partis respectu tertiæ naturæ, quæ ex eis resultat, ut videre est in natura humana, quæ resultat ex unione animæ cum corpore; atqui natura divina in Christo non esse habet per modum partis; nempè pars essentialiter imperfectionem importat: ergo nulla ratione fieri potest, ut in Christo post unionem una tantùm sit natura.

Sed quidquid sit de quarto illo modo explicandi Eutychianam hæresim, observandum est illum ab ipso Eutyche, aut præcipuis ejus sectatoribus, nusquam propositum fuisse. Et sane si aut Eutyches aut Eutychiani non aliud sensissent, seu si credidissent, post unionem hypostaticam duas naturas in sua specie sine confusione remanere, quemadmodum anima, & corpus post mutuam secum invicem unionem in homine remanent, inter eos & Catholicos mera fuisset quæstio de nomine: nempe quæstio fuisset, utrum Christus, seu compositum, quod ex unione substantiali Verbi cum humana natura resultat, debeat dici una natura, an verò duplex; ac proinde nec Concilium Constantinopolitanum, nec Calcedonense, nec Leo Magnus hæresim in Eutychianis damnassent, sed tantùm minùs proprium, & ad regulas philosophiæ minus exactum loquendi modum: Quod tamen falsum est. Hincque patet, quantùm a vero Gabriel Vasquez aberret, cùm asserit, in eo positam fuisse Eutychis hæresim, quod contenderit, duabus naturis, divina & humana, post unionem in propria specie remanentibus, Christum debere dici unius tantùm naturæ.

CONCLUSIO 2. *Humana natura nullo unquam instanti reali temporis extitit sine unione cum Verbo.*

Probatur omnibus argumentis, quibus adversùs Nestorium ostendimus, Mariam concepisse ac genuisse Deum; eam verè esse Deiparam; nusquam in Christo duos extitisse filios, naturas, licet semper distinctæ fuerint, nusquam tamen a se invicem fuisse separatas. *Hinc* verò patet, quam immeritò Eutyches asseruerit, duas in Christo ante unionem fuisse naturas, nempe (ut jam observavimus) is loquendi modus supponit, extitisse aliquando naturas sine mutua secum invicem unione.

CONCLUSIO 3. Humanitas a Verbo assumpta, nostræ humanitati consubstantialis est.

Probatur. Si humanitas Christi non esset consubstantialis nostræ, etiam post sui unionem cum Verbo, non esset, ejusdem cum nostra humanitate speciei; unitas nimirùm speciei petitur a forma, quæ entibus sub illa specie constitutis, communis sit: at humanitas Christi est ejusdem speciei cum nostra, cùm Christus sit homo, per omnia (ut ait Apostolus) similis nobis, absque peccato. 2. Is est consubstantialis nobis, quia carnem habet ex Virgine, quæ nobis consubstantialis est: atqui Christus (ut contra Valentinum ostendimus) carnem habet ex Virgine, quæ nobis consubstantialis est: ergo, &c. Concilii Constantinopolitani sub Flaviano est illud argumentum. *Eutyches presbyter dixit* (verba sunt Concilii, de quo agitur:) *Dixi quia virgo est consubstantialis nobis. Basilius reverendissimus Episcopus dixit: Si mater est nobis consubstantialis, & ipse: Quoniam filius hominis vocatus est. Si ergo mater ejus consubstantialis est nobis, & ipse secundùm carnem consubstantialis est nobis.*

Objicies 1. Qui factus est caro, non remansit in propria sua specie; ideo enim aqua, quæ in nuptiis Cana facta est vinum, non remansit in propria specie, quod Evangelio teste, facta sit vinum: atqui Verbum, cùm humanam carnem induit, factum est caro (dicente Scriptura Joannis 1.) *Verbum caro factum est*: ergo Verbum in propria sua specie non remansit, sed mutatum est in carnem.

Resp. 1. argumentum illud non favere iis Eutychianis, qui contendebant, humanam naturam per sui unionem cum Verbo sic in divina absorptam fuisse, ut omninò evanuerit, ac loco illius alia, sed phantastica tantùm, vita sit: unde consequens erat, Christum aut in specie tantùm, ut fingebant Manichæi, passum fuisse, aut divinitatem ipsam eos dolores fuisse passam, qui Christo secundùm humanam naturam spectato tribuuntur.

Resp. 2. dist. maj. Qui per conversionem factus est caro, non remansit in propria specie, conc. maj. nam propter eam rationem aqua, quæ in nuptiis Cana facta fuit vinum, in propria aquæ specie, sive natura, non remansit: Qui factus est caro per unionem, neg. maj. Verbum isto, non autem illo modo factum est caro;

to; ac proindè & Verbum & caro etiam post unionem, in propria specie seu natura remanserunt: nam unitio (ut docet Gelasius libro contra Eutychem) *est duarum naturarum, non cujuslibet alterius abolitio*. Confirmatur ex eo quòd Evangelium verbis illis: *Verbum caro factum est*, haec alia, *Et habitavit in nobis*, subjiciat, ut doceamur, nullam confusionem aut mutationem in Verbo contigisse, cum factum est caro: *Quid enim* (ait Chrysostomus hom. 11. in Ioannem.) *subjecit? Et habitavit in nobis, tanquam sic te alloqueretur: Vide ne quid absurdi suspiceris ex illa voce. Non enim mutationem illam immutabilis illius naturae significavi, sed habitationem & commorationem. Porro id, quod habitat, non est idem cum eo, quod habitatur, sed diversum.*

Objicies 2. Cyrillus in epistola 1. ad Successum, conceptis terminis asserit, non duplicem, sed unam tantùm in Christo reperiri naturam: *Post unitionem* (inquit) *non dividimus naturas à se mutuò, neque in duos secamus filios illum, qui unus est & individuus. Sed unum dicimus Filium: & quemadmodum locuti sunt Patres, unam naturam Dei Verbi incarnatam*: ergo post unionem, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. ant. Unam dicimus naturam Dei Verbi incarnatam, & vox illa *Natura*, pro hypostasi, seu persona sumitur, conc. ant. sumitur pro ipsa natura, prout virtualiter ab hypostasi distincta, neg. ant. Ratio est, quia ea loquendi ratione Cyrillus utitur, ut contra Nestorium probet, in Christo non esse duos filios: scopum assequitur suum asserens, unicam in Christo hypostasim esse: siquidem unitas filiationis non ex natura, sed ex hypostasi, seu persona sumitur.

Resp. 2. dist. ant. Una est unitate suppositi, natura Dei Verbi incarnata, conc. ant. Una est unitate substantiae, neg. ant. Contendebat Nestorius, duas esse in Christo naturas, quarum quaelibet divisa esset ab alia, ac per se subsisteret: ejusmodi errori Cyrillus hanc sententiam opponit: *Una est Dei Verbi incarnata natura*, quasi dixisset: quaelibet natura per se non subsistit, nulla est inter utramque divisio, cum una sit incarnata, hoc est, una carni substantialiter unita sit. Confirmatur responsio ea solutione, quam Cyrillus adhibuit ad objectionem, quam illius Adversarii sumpserunt postea ex sententia, de qua agitur; ejusmodi autem est objectio illa: *Si post unitionem natura est una incarnata, sequitur Verbum ipsum in sua natura esse passum*: huic autem objectioni ita Cyrillus occurrit, ut nulla ratione innuat unam esse naturam ex duabus compositam, sed duas omninò distinctas, non tamen separatas constitui: siquidem vocabulum *Incarnatam*, quod istis vocibus addidit, *Una est Dei Verbi*, alteram naturam designat, in qua Verbum pati potuit, & revera passum est. Ex quo sic in secunda epistola ad Successum Cyrillus concludit: *Quaenam ergo necessitas coget dicere, ipsum propria in natura esse passum, cum post unitionem natura una Filii incarnata ponitur?*

Instabis. Cyrillus in eadem ad Successum Epistola scribit, duas in Christo naturas post unitionem sola cogitatione distingui: *Sed ignorant* (inquit de Nestorianis agens) *quaecumque non sola mentis consideratione distingui solent, ea prorsus etiam in diversitatem distinctam, omnifariam ac privatim à se mutuò segregari*. Unde sic arguitur: Quae sola cogitatione distinguuntur, non sunt diversa: atqui ex Cyrillo, natura divina & natura humana in Christo post unionem sola cogitatione distinguuntur: ergo non sunt diversae naturae, sed una & eadem.

Resp. dist. maj. Quae sola cogitatione distinguuntur, non sunt diversa, sumendo haec verba, *Sola cogitatione*, prout opponuntur realitati, conc. maj. prout non opponuntur realitati, neg. maj. Cyrillus non eo sensu supponit, divinam & humanam naturam sola cogitatione distingui, quòd putet, ea realiter a se invicem post unionem in Christo non distingui; sed quòd a se invicem minimè separentur, ac per se subsistant. Ratio est, quia Cyrillus in exemplum distinctionis, quam asserit sola fieri cogitatione, profert unius ac ejusdem hominis corpus & animam, quae quidem haud dubiè non eo sensu sola cogitatione distinguuntur, quòd realiter & a parte rei sint unum & idem; sed tantùm quòd a se invicem separata ac per se sua subsistentia non sint: *Sit* (inquit) *rursus nobis in exemplum homo nostri similis: duas namque in eo naturas intelligimus, unam animae, alteram corporis. Sed cum sola discreverimus intelligentia, & differentiam subtili contemplatione, seu mentis imaginatione ceperimus, non tamen seorsim ponimus naturas, neque illis in totum per divisionem virtutem immittimus, sed unius hominis esse intelligimus, ita ut illa duae jam non sint duae, sed utraque animal unum absolvatur.*

Objicies 3. In eo non sunt duae naturae à se invicem distinctae, in quo duae naturae secum invicem permixtae sunt; scilicet mixtio confusionem parit, & tollit distinctionem: atqui duae naturae, divina & humana, secum invicem permixtae sunt in Christo, siquidem Patres cùm agunt de Incarnatione, non raró mixtionis nomen usurpant: *Nescitur* (ait Tertullianus Apolog. c. 21.) *homo Deo mixtus*. Augustinus in epistola ad Volusianum scribit, Christi personam *mixturam esse Dei & hominis*: ergo, &c.

Resp. dist. maj. In eo non sunt duae naturae a se invicem distinctae, in quo naturae sunt mixtae per mutationem unius in alteram; conc. maj. per unionem tantum, neg. maj. De hujusce, non autem illius generis permixtione intelligendi sunt Patres, qui cùm agunt de Incarnatione, mixturae nomen usurparunt: *Ea voce* (inquit Cyrillus lib. 1. contra Nestorium, cap. 3.) *cum summam unionem ostenderent*. Confirmatur responsio ea eo, quòd plerumque Patres, de quibus agitur, unionem animae cum corpore protulerint ad explicandam naturarum permixtionem, quam in Christo reperiri contendebant: *Sicut* (ait Augustinus in epistola ad Volusianum) *in unitate personae anima unitur corpori ut homo sit; ita in unitate personae Deus unitur homini ut Christus sit. In illa ergo persona mixtura est animae & corporis; in hac persona mixtura est Dei & hominis*. Removet & idem S. Doctor ideam permixtionis, quae in corporibus fieri solet: *Si tamen* (addit) *recedat auditor à consuetudine corporum, qua solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam.*

Objicies 4. Justinus in Apologia secunda Incarnationem cum Eucharistia comparat, atque Verbum factum fuisse carnem eo modo, quo panis in Eucharistia fit corpus Christi: *Quemadmodum* (inquit) *per Verbum Dei caro factum Jesus Christus Servator noster & carnem & sanguinem salutis nostrae causa habuit; ad eundem modum etiam eum, in qua per preces Verbi ejus ab ipso perfecti gratiae sunt actae, alimoniam ...... Incarnati illius Jesu carnem & sanguinem esse docti sumus*: atqui panis in Eucharistia fit corpus Christi per conversionem: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Justinus Incarnationem comparat cum Eucharistia quantum ad aliqua, conc. maj. quantum ad omnia, neg. maj. In eo valet allata ex Justino paritas, quòd sicut Verbum per Incarnationem realiter factum est caro, ita panis in Eucharistia fit realiter corpus Christi: non valet autem ea paritas quoad modum, quo panis fit corpus Christi, hoc est, Justinus non asserit Verbum factum fuisse carnem per sui mutationem in carnem, quemadmodum panis in Eucharistia per sui mutationem fit corpus Christi.

Quaeres, utrum ad explicandam naturarum post unionem, distinctionem, potior sit formula, qua asseritur, Christum *Ex* duabus esse naturis, an quae dicit, eum *In* duabus esse naturis?

Resp. quaestionem illam magna animorum contentione motam fuisse in Concilio Chalcedonensi. Orien-

Orientales Episcopi asserebant, dicendum esse Christum *In* duabus esse naturis; Ægyptii verò contendebant, dici debere Christum *Ex* duabus esse naturis. Sedis Romanæ legati effecerunt tandem, ut in definitione fidei obtineret fidei formula, quæ dicit, Christum *In* duabus esse naturis. Sic enim habet definitio fidei in Concilio Chalcedonensi Actione quinta: *Unum eundemque Christum Filium, Dominum, unigenitum in duabus naturis, inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum.* Licet utriusque formulæ idem sit sensus, prior tamen, agentibus Sedis Apostolicæ legatis, obtinuit, quod Leo Magnus in epistola ad Flavianum, eum loquendi modum adhibuisset: *Paschasinus & Lucentius reverendissimi Episcopi, & Bonifacius presbyter, vicarii Sedis Apostolicæ Romæ, dixerunt: Si non consentiunt epistolæ apostolici & beatissimi viri Papæ Leonis, jubete nobis conscripta dari, ut revertamur, & ibi Synodus celebretur.* Verba sunt, quæ legere est Actione quinta Concilii Chalcedonensis.

Si quis verò roget, quid ejusmodi controversiæ dederit occasionem, respondendum erit, dissidium illud ortum fuisse ex eo, quod Orientales, qui Nestorio adversùs Cyrillum favere visi fuerunt, dixissent, Christum in duabus esse naturis; cum econtra Cyrillus, eum ex duabus esse naturis prædicasset.

CAPUT IX.

Utrum ex unione substantiali cum humanitate sequatur in Christo idiomatum communicatio.

Not. IDioma & proprietas idem sunt; hincque concluditur, idiomatum communicationem idem esse ac mutuam proprietatum communicationem. De ea verò proprietatum communicatione quæremus 1. utrum admittenda sit in Christo. 2. in quo ejusmodi communicatio posita sit. 3. quænam sint regulæ, ad quas mutua proprietatum communicatio exigi debeat. 4. quænam propositiones vi communicationis idiomatum admitti debeant, quænam verò rejiciendæ sint.

ARTICULUS I.

Utrum in Christo admitti debeat idiomatum communicatio.

Not. NEstorio neganti hypostaticam Verbi cum humanitate unionem, nihil magis invisum fuit, quam idiomatum communicatio inter divinam & humanam Christi naturam: *Rectum* (inquit in Epistola ad Cyrillum) *& Evangelicæ traditioni consentaneum est, ut Christi corpus divinitatis templum esse fateamur.... Verum propter illud communicationis nomen, nativitatem, passionem, mortem, cæterasque carnis proprietates divino Verbo adscribere, id demum mentis est Ethnicorum more errantis, aut certè insani Apollinarii, & Arii, aliorumque hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis.* Econtra quotquot admittunt hypostaticam unionem Verbi cum humana natura, admittunt quoque realem idiomatum communicationem inter divinam & humanam Christi naturam.

CONCLUSIO. In Christo admitti debet realis idiomatum communicatio.

Probatur: Ex observatis, idiomatum communicatio est mutua attributio proprietatum, quæ duabus naturis secum invicem conjunctis conveniunt; atqui admitti debet ejusmodi attributio; idque tum Scriptura, tum Traditione demonstrari potest: ergo, &c.

Primò, Scriptura Deo sanguinem tribuit, qui tamen soli humanitati proprius est: *Attendite vobis* (inquit Apostolus Actorum 20.) *& universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Primæ Joannis cap. tertio, anima seu vita temporalis, quæ nonnisi humanitati convenit, ipsi Deo adscribitur: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille* (Deus) *animam suam pro nobis posuit.*

Eadem Scriptura, quæ Deo (ut mox observatum est) tribuit, quæ homini propria sunt, homini pariter adscribit, quæ soli Deo propriè conveniunt. Descensus e cœlis, existentia in cœlis, dum Christus in terris ageret, Deo propria sunt: utrumque tamen hominis filio tribuitur; *Nemo* (ait Christus) *ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis, qui est in cœlo.* Æternitas quoque homini tribuitur, Joannis 8. *Antequam* (inquit Christus) *Abraham fieret, ego sum.*

Secundò, Traditio probat eandem mutuam proprietatum attributionem. Symbolum Nicænum Verbo tribuit nativitatem ex Virgine, mortem, passionem, quæ tamen soli humanitati propria sunt: *Sacra namque & magna illa Synodus* (verba sunt Cyrilli in Epist. secunda ad Nestorium) *tradit, ipsum unigenitum Dei Filium naturaliter ex Deo Patre natum, Deum verum de Deo vero, lumen de lumine, per quem Pater omnia condidit, descendisse, incarnatum, & hominem factum, passum esse, tertia die resurrexisse, & ad cœlos ascendisse.*

Hilarius lib. 4. de Trinitate, sic loquitur: *Qui erat, nascitur; qui indemutabilis est, crescit ætate; qui impassibilis, patitur.* Augustinus libro contra sermonem Arianorum cap. 7. hæc habet: *Quis est ille, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualis Deo? Respondetur voce apostolica, Christus Jesus. Ergo & illa divinitas hujus humanitatis nomen accepit. Item si quæramus, quisnam sit factus obediens usque ad mortem crucis? Rectissimè respondetur, ille qui cum in forma Dei esset. Ergo & ista humanitas illius divinitatis nomen accepit.*

Cyrillus, in suis adversùs Nestorium anathematismis, totus est in statuenda idiomatum, de quibus agitur, communicatione: *Si quis* (ait anathematismo quarto) *duabus personis vel hypostasibus eas voces attribuit, quæ in Evangelicis & apostolicis Scripturis passim occurrunt, quæve tanquam a sanctis de Christo, aut ab ipso quoque Christo de seipso dicta sunt, & alias quidem homini seorsim a Dei Verbo considerato adscribit, alias verò tanquam in divinam majestatem convenientes, soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accommodat, anathema sit.* Uni igitur hypostasi, non verò duplici, tribui debent, quæ Christo & ratione divinitatis, & ratione humanitatis conveniunt; ac proindè ratione unitatis hypostasis, mutua est in Christo idiomatum communicatio. Sed hæc ex responsione ad subsequens argumentum clariora fient. Tandem non alio principio, quam reali idiomatum communicatione nititur vox *Deipara*, pro qua tanquam pro religionis capite Cyrillus contra Nestorium Ecclesiæ nomine pugnavit.

Objicies. Si idiomatum communicatio deberet admitti, admitti quoque deberet hæc propositio, *Unus de Trinitate passus est.* Scilicet Unigenito Dei Filio per idiomatum communicationem tribui deberent, quæ humanitati, cui conjunctus est hypostaticè, propria sunt; ac proinde cum Unigenitus ille Dei Filius sit unus de Trinitate, in rigore theologico dici posset, *Unus de Trinitate passus est:* Atqui propositio illa non debet admitti. Siquidem anno 483. eam in Petro Cnapheo, seu Fullone, Episcopo Antiocheno, damnavit Felix Papa III. ut patet ex illius ad eundem Petrum Fullonem Epistola: ergo, &c.

Resp. conc. maj. dist. min. Eam Felix Papa damnavit in sensu Petri Cnaphei, conc. min. in sensu obvio seu quem verba præ se ferunt, neg. min. Propositio, de qua agitur, a Cnapheo prolata fuerat in sensu Eutychianorum,

chianorum, quorum fectæ nomen dederat: fcilieet ut illi hæretici exprimerent fuum de Incarnatione errorem in eo pofitum, quod poft unionem fola natura divina humana penitùs abforpta, remanfiffet, afferuerunt, *Unum de Trinitate fuiffe paffum*. Verùm Felix eam non damnavit in fenfu obvio; nam habita ratione folorum verborum, ex quibus conftat, non aliud fignificat, quam iftud, fcilicet unam de Trinitate perfonam fuiffe paffam in carne. Confirmatur ea refponfio auctoritate Joannis Papæ II qui in Epiftola ad Avienum, aliofque Senatores, docet, catholicæ regulæ confentaneum effe, five dicatur, *unum de Trinitate paffum effe*, five, *unam de Trinitate perfonam paffam fuiffe*.

Inftabis. Circa annum 519. Monachi quidam Scythæ afferebant, præter Chalcedonenfis Synodi profeffionem dicendum effe, *unum de Trinitate effe crucifixum*. Ejus verò loquendi generis approbationem, Vitaliani Magiftri militum opera, conati funt extorquere à Legatis ad Imperatorem ab Hormifda miffis, ut Orientalis Ecclefiæ cum Romana reconciliationem tentarent: fed fpe fua dejecti, Romam ad Hormifdam ipfum profecti funt, a quo (ut patet ex Hormifdæ ad Poffefsorem Epifcopum Africanum Epiftola) damnati funt; atqui propofitio, de qua agitur, tunc damnata non fuit in fenfu Eutychianorum: neque enim monachi Scythæ eo errore laborabant: ergo profcripta fuit in fenfu obvio, feu in fenfu, quem verba præ fe ferunt.

Refp. 1. neg. min. Ad 2. nonnulli refpondent Monachos Scythas, de quibus eft quæftio, revera Eutychiana hærefi infectos fuiffe; ac proinde Hormifdam Papam non alio fenfu propofitionem illam damnaffe, quam quo Felix Papa III. pluribus ante annis damnaverat. Refpondent alii, Catholicos quidem fuiffe Monachos Scythas, fed temerarios, quippè qui contenderent mancam fore Synodi Chalcedonenfis profeffionem, nifi hæc illi adderetur claufula: *Unus de Trinitate crucifixus eft*: Scilicet Hormifdas Papa in Epiftola ad Poffeforem Africanum Epifcopum, nullam aliam Scythis, à quibus prolata fuerat in medium, notam inurit, præter notam temeritatis, novitatis, ac fuperbiæ; fic enim loquitur: *Contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quæftionum, folam putantes fcientiæ rectam viam, qualibet conceptum facilitate fententiam. Eò ufque tumoris elati, ut ad arbitrium fuum utriufque orbis putent inclinandum effe judicium: nec in nomen fidelium deputantes fequaces traditionis paternæ, fi fuæ viderint credere nolle fententia*. Itaque non ob aliud tunc ab Hormifda profcripta fuit illa propofitio, quam quod effet nova, ac afferetur neceffaria, ne manca foret, ac imperfecta fidei profeffio, quam Chalcedonenfe Concilium promulgaverat.

Quæres 1, utrum impropriè tantùm, feu metaphoricè, fit mutua inter Verbum & humanitatem idiomatum communicatio?

Refp. communicationem, de qua agitur, non effe metaphoricam. Ratio eft 1. quia Neftorius profcriptus eft ab Ephefina Synodo, quamvis metaphoricam communicationem admitteret, qualis eft inter veftem & veftitum, inter templum & habitatorem templi: *Corpus* (inquit ad Cyrillum refcribens) *divinitatis templum effe fatemur, illudque nexu adeò fublimi, divino, & admirabili ipfi conjunctum effe ftatuimus, ut divina natura ea fibi vindicet, quæ corporis alioqui funt propria*. 2. ea communicatio non eft metaphorica, quæ nititur unione fubftantiali ac perfonali duorum extremorum: fic de homine, quod perfona fit, quæ ex corporis, & animæ unione fubftantiali refultat, propriè dicuntur ea, quæ tum animæ, tum corpori conveniunt; v.g. dicitur, quod fit mortalis & immortalis fimul, ratione nimirum duarum partium, animæ & corporis, ex quibus effentialiter conftat.

Quæres 2. quibus principiis nitatur vera, ac propria idiomatum communicatio, quæ locum habet in Chrifto?

Refp. communicationem illam niti variis principiis. Nititur enim 1. unitate hypoftafis, quæ in Chrifto reperitur: fcilicet ratione unitatis ejufmodi efficitur, ut uni Verbo, feu prout Verbum, feu prout incarnatum eft, omnia tribuantur: *Uni igitur perfonæ* (inquit Cyrillus in Evangelium Joannis pag. 667.) *attribuendæ funt Evangelicæ voces, hypoftafi nimirum Verbi incarnati. Dominus enim unus Jefus Chriftus fecundum voces*. Nititur 2. altero principio, quod tamen fluit ex alio, quod mox prolatum eft; nempè humanitas ratione unionis hypoftaticæ, facta eft humanitas propria Verbi; ubi enim cum eo conjuncta fuit, defiit effe juris proprii; ac proindè mirum non eft, quòd quæ humanitati conveniunt, Verbo propriè tribuantur: *Verbum enim* (ait Athanafius Orat. 4. contra Arianos) *caro factum eft, neceffe eft, paffiones carnis ejus quoque dici, cujus eft illa caro*. Nititur 3. immeatione naturæ alterius in alteram: *Commifcuit fe nobis Deus Verbum* (verba funt Cyrilli, Thefauri pag. 235.) *commixtus nobis, factufque homo omnes infirmitates noftras geftavit, & ipfe paffus effe cenfetur, cum omnes templi, quod inhabitavit, proprietates fibi vindicaffet*.

ARTICULUS II.

In quo pofita fit Idiomatum communicatio.

Not. 1. LUtherani contendunt, in eo pofitam effe communicationem idiomatum, quod attributa unius naturæ, in Chrifto communicentur alteri naturæ, non tantùm in concreto confideratæ, fed etiam in abftracto; hincque concludunt, non folum hanc propofitionem, quæ dicit formam & fubjectum fimul, *Chriftus eft ubique*, fed etiam hanc aliam, quæ dicit formam abftractam a fubjecto, *Humanitas Chrifti eft ubique*, veram effe. Ratio eorum eft, quod immenfitas, quæ eft attributum divinum, ratione unionis hypoftaticæ communicetur humanitati. Ob id Lutherani, qui fic opinantur, *Ubiquiftæ*, aut *Ubiquetarii*, vulgò nuncupati funt. E contra Catholici omnes concludunt, attributa unius naturæ in Chrifto non communicari alteri in abftracto confideratæ, hoc eft, fine fuppofito, aut perfona, in qua fubfiftit: hincque concludunt, immenfitatem prædicari non poffe de humanitate in abftracto confiderata, ac proinde ulterius inferunt, Chrifti humanitatem non effe ubique.

Not. 2. Unio hypoftatica poteft confiderari, vel fecundùm effentiam, vel fecundùm confequentiam. Hic igitur quærendum eft 1. utrum ratione unionis hypoftaticæ confideratæ fecundùm effentiam, attributa unius naturæ in Chrifto, cõmunicentur alteri: 2. utrum ea attributorum communicatio, fit aliquid, quod faltem confequatur unionem hypoftaticam: 3. in fpecie, utrum immenfitas communicetur humanitati.

CONCLUSIO 1. Ratione unionis hypoftaticæ confideratæ præcise fecondùm effentiam, in Chrifto attributa unius naturæ non communicantur alteri.

Probatur. Unio hypoftatica fumpta præcisè fecundùm effentiam, dicit communicationem folius perfonæ Verbi factam humanitati; per eam nimirum communicationem natura humana defiit effe proprii juris, defiit effe perfona humana, factaque eft (ut de unione agentes diximus) juris ipfiufmet Verbi, ita ut non alia fit perfona, quam perfona Verbi: atqui ratione communicationis, folius perfonæ Verbi, attributa divina non communicantur humanitati; fiquidem id ratione communicationis, folius perfonæ Verbi non communicatur humanitati, quod à perfona Verbi virtualiter diftinguitur:

tur: nempè propter distinctionem virtualem, licèt Pater æternus Verbo per generationem communicet naturam divinam, non communicat tamen paternitatem, quæ idem est actu cum natura divina: Sed attributa (ut Part. 1. dictum est) virtualiter à persona Verbi distinguuntur: ergo ratione communicationis solius personæ Verbi, attributa divina in Christo non communicantur humanitati.

CONCLUSIO 2. In Christo communicatio attributorum humanitati in abstracto consideratæ, non est quid consequens unionem hypostaticam.

Probatur. Si communicatio attributorum humanitati in abstracto consideratæ, esset quid consequens unionem hypostaticam; id esset, vel quòd attributa ratione unionis hypostaticæ communicentur humanitati tanquam formæ assistentes, aut tanquam formæ essentiales: atqui neutrum dici potest. Non primum: siquidem formæ assistentes sunt extrinsecæ subjecto, cui communicantur; unde nec de illis, nec de toto, quod ex eis & subjecto simul sumptis resultat, verè prædicari possunt; sic de Angelo, à quo corpus aliquod movetur, dici non potest, quod sit corpus motum, aut quòd corpus motum & Angelus, unum totum perfectum efficiant. Non etiam secundum, quia formæ essentiales unum quid efficiunt cum subjecto, in quo recipiuntur; at videre est in anima & corpore, quæ simul unita, unum hominem efficiunt: at humanitas Christi abstracta ab hypostasi, & attributa Dei non efficiunt quid unum: ergo attributa Dei nec tanquam formæ assistentes, nec tanquam formæ essentiales, humanitati abstractæ ab hypostasi communicantur. Confirmatur argumentum ex textibus omnibus, quibus superiùs probatum est naturas, proprietates, operationes remanere distinctas & cuique naturæ proprias, etiam post duarum naturarum unionem.

CONCLUSIO 3. Communicatio immensitatis humanitati in abstracto consideratæ, non est quid consequens hypostaticam unionem, hoc est, non sequitur ex unione hypostatica.

Probatur 1. ex iis Scripturæ locis, in quibus asseritur, humanitatem Christi non esse ubique Joannis 11. *Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* Ioannis 16. *Cùm vidisset turba, quia Jesus non esset ibi.* Matthæi ultimo: *Non est hic, sed surrexit.*

Nec audiendi sunt Adversarii, cùm reponunt non aliud iis textibus significari, quam quòd humanitas Christi non esset modo sensibili in locis, in quibus illi textus enunciant non fuisse. Non sunt (inquam) audiendi: Siquidem cùm substantia est alicubi aliquo modo reali, sive modus ille sit sensibilis, sive non sit sensibilis, absolutè ac sine explicatione dici non potest, quòd in eo loco non sit; sic dici non potest, quòd Christus non sit in Eucharistia, licèt in ea non sit localiter; sic etiam nemo dixerit, Deum in hoc orbe non esse eò quòd in eo non sit modo corporeo & sensibili.

Confirmatur argumentum 1. iis Scripturæ textibus, qui immensitatem Deo tribuunt tanquam characterem, quo a Creaturis distinguatur: Jeremiæ 23. *Cælum & terram ego impleo*. Hinc Patres (ut videre est apud Augustinum lib. 3. contra Maximinum, cap. 21.) probant, Spiritum sanctum esse Deum, ex eo quòd Scripturæ fidem faciant eum esse ubique.

Nec responderi potest, solam immensitatem essentialem, esse Deo propriam, non autem, quæ participata sit, ut est (inquiunt) immensitas, quam humanitas Christi consequitur ex unione cum Verbo. Nam 1. si quæ possit esse immensitas participata, immeritò Scripturæ Deum a Creaturis discernunt per immensitatem, non explicando, cujusmodi sit immensitas illa. 2. In illa suppositione corruit argumentum Ecclesiæ adversùs Arianos, & Macedonianos: nempè hæretici illi respondere potuissent, Spiritum sanctum habere quidem immensitatem, cùm Scriptura testetur eum esse ubique, sed immensitatem non essentialem, sed participatam tantùm.

Confirmatur 2. ex Symbolo, nempè articuli de conceptione, de nativitate, morte, sepultura, descensu ad inferos, resurrectione, ascensione, & discensu ad judicium, evidenter supponunt, humanitatem Christi aliquando fuisse tantùm in utero Virginis, in vico Bethleemiti co, in tumulo &c.

Prabatur 2. authoritate Patrum. Ambrosius lib. 2. de Fide, capite 4. in hæc Christi verba: *Surgite, eamus*, sic loquitur: *In eo ergo vadit & venit, quod est commune nobiscum.* Chrysostomus in hæc Evangelii verba: *Filius hominis, qui est in cælo*, hæc ait: *Non de carne loquitur, sed à summa substantia seipsum denominat*. Augustinus in epistola ad Dardanum, litem dedita opera dirimit: *Una enim* (inquit) *persona Deus & homo est, & utrumque unus Christus, ubique per id, quod Deus est, in cœlo autem per id, quod homo.* Cyrillus Alexandrinus lib. 11. in Ioannem, cap. 21. *Quare* (ait) *cùm Deus & homo Christus verè sit, oportuit* (Apostolos) *intellexisse, ineffabili Dei potestate unà cum eis semper futurum, etiamsi carne abesset.* Leo Magnus Serm. 2. de Ascensione: *Ineffabili* (ait) *modo per ascensionem cœpit esse divinitate præsentior, qui factus est humanitate longinquior.*

Objicies 1. Christus ut homo, exaltatus est ad dexteram Dei, Matthæi 26. Actorum 2. ad Ephesios 1. ad Hebræos 1. atqui dextera Dei est ubique, non enim est dextera corporalis, quæ certo loco definiri possit: ergo Christus ut est homo, existit ubique.

Resp. dist. maj. Christus ut homo, exultatus est ad dexteram Dei, ratione suppositi, conc. maj. ratione humanitatis, neg. ant. Dextera eò loci (ut passim asseritur à Patribus) metaphoricè sumi debet, nimirùm pro æqualitate honoris, dignitatis, potestatis: unde sensus est, Christum eodem honore, eadem dignitate, eadem potestate frui, qua Deus Pater, eò quòd ratione suppositi non minùs sit Deus, quam ipse Pater. Confirmatur responsio 1. ex Matthæi cap. 22. ubi Christus ipse hunc Psalmi textum, *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis*, adhibet, ut suam divinitatem, omnimodamque cum Patre æqualitatem probet. Confirmatur 2. ex Apostolo, qui ad Hebræos 1. eodem textu: *Dixit Dominus Domino meo*, &c. utitur, ut Christo divinitatem asserat: *Sedet* (inquit) *ad dexteram majestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit: Cui enim Angelorum dixit aliquando, Sede à dextris meis?*

Objicies 2. Christo ut homini, data est omnis potestas: *Data est mihi* (ait ipse Matth. ultimo) *omnis potestas in cœlo & in terra.* Verùm si Christo data est omnipotentia, dari & potuit immensitas: non enim potior est ratio de uno, quàm de alio.

Resp. argumentum esse de non supponente: supponit enim potestatem, quæ Christo ut homini tradita est, esse omnipotentiam, quam Scriptura Deo tribuit tanquam characterem Deo proprium. Verùm non est ejusmodi: non enim aliud est, quam potestas, quæ Christo tanquam Ecclesiæ capiti in res omnes creatas à Patre tradita est, quamque exercere potest, etiamsi ubique non sit.

Objicies 3. Christus non in uno tantùm est loco, cum ipse dicat Matthæi 28 se futurum nobiscum usque ad consummationem sæculi. 2. Apostolus ad Ephesios quarto hæc ait: *Ascendit super omnes cælos, ut impleret omnia*: ergo, &c.

Resp. ad 1. dist. ant. Christus dicit se, usque ad consummationem sæculi, futurum nobiscum auxilio & virtute, conc. ant. præsentia, quæ corpori conveniat, neg. ant. Eadem adhiberi debet solutio ad hæc alia Christi verba

verba: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: Evidens enim est, eo in loco Christum polliceri auxilium, per quod Apostoli eorumque successores & veritatem cognoscant, & difficultates superent, quæ occurrunt in Evangelii prædicatione.

Ad 2. nonnulli respondent, Christum eo sensu implevisse omnia, quòd ejus in Cœlos ascensio complementum fuerit oraculorum omnium, quæ de eo a Prophetis edita fuerant. Alii contendunt verba, de quibus agitur: *Ut impleret omnia*, intelligi de repletione locorum, sed successivè, ita ut sensus sit, Christum ubi in terris suam vim ac potestatem miraculis probasset, conscendisse Cœlos, ut sua gloria & majestate eos impleret.

Objicies 4. Vera est hæc propositio: *Christus est ubique*: ergo etiam ista: *Humanitas Christi est ubique*. Confirmatur. Quando duæ res sunt sibi invicem inseparabili nexu conjunctæ, ubi est una, ibi debet esse & altera: atqui persona Verbi, quæ est inseparabili nexu conjuncta humanitati, est ubique: ergo ubique pariter esse debet humanitas.

Resp. ad 1. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia subjectum hujus propositionis *Christus est ubique*, supponit pro duabus naturis, ac proinde prædicatum *Ubique*, cadit in Christum, prout est habens naturam divinam: econtra subjectum hujus propositionis, *Humanitas est ubique*, supponit pro sola natura humana, cui, cùm creata sit, repugnat, ut existat ubique. Ad 2. dist. maj. Quando duæ res sunt sibi invicem unitæ adæquatè & totaliter, conc. maj. inadæquatè tantùm, & non totaliter, neg. maj. Hac, non autem illa ratione Verbum est unitum humanitati; proindeque mirum non est, quod sit alicubi, ubi non est humanitas: sic licèt anima sit unita pedi, pes tamen non est in aliis corporis partibus, in quibus est anima.

ARTICULUS III.

De regulis, ad quas exigi debet idiomatum communicatio.

CONCL. PLures sunt regulæ, ad quas exigi debet idiomatum communicatio.

Probatur enumeratione, quam Silvius 3. part. q. 16. art. 4. hisce verbis tradit.

Regula I. Quæ conveniunt Filio hominis, non possunt prædicari de divina natura abstractim expressa; & ea, quæ conveniunt Filio Dei, non possunt prædicari de natura humana abstractim expressa. Propter eam regulam, falsæ sunt hæ propositiones: *Divinitas est nata de Virgine, est mortalis, est passa, est mortua. Humanitas est Deus, est creator, est omnipotens.*

Regula II. Abstracta unius naturæ non possunt prædicari vel de illa natura, vel de alterius naturæ proprietatibus, sive in concreto, sive in abstracto; sic dici non potest: *Homo est divinitas, Deus est humanitas, Humanitas est divinitas, Divinitas est humanitas, Homo est æternitas, Deus est mortalitas, Mortalitas est immortalitas*. Ratio hujus regulæ petitur ex eo, quod ea, quæ sunt uni propria, non possint affirmari, nisi de eo, quod est idem cum illo. In mysterio autem Incarnationis, quamvis duæ naturæ, divina & humana, conveniant in eandem hypostasim, ipsæ tamen manent inter se distinctæ, sic ut una non sit alia; & similiter earum naturarum proprietates: ergo nec natura una, nec ejus proprietates, possunt in abstracto affirmari de altera, vel de alterius concretis, neque concreta unius de abstractis alterius, quia abstracta (cum significent ipsam naturam, seu formam abstractim, seu simpliciter) neque supponunt hypostasim, in quam conveniant, neque significant naturarum conjunctionem in illa.

Regula III. Communicatio idiomatum facienda est solùm in concretis. Ratio est, quia sola concreta supponunt hypostasim, in quam duæ naturæ conveniunt: communicatio autem idiomatum fit propter convenientiam naturarum in unam hypostasim. Cum enim sit eadem hypostasis utriusque naturæ, eadem hypostasis supponitur nomine utriusque naturæ. Sive ergo dicatur homo, sive Deus, supponitur hypostasis & divinæ & humanæ naturæ; & ideò dici possunt de homine ea, quæ sunt divinæ naturæ, tanquam de hypostasi divinæ naturæ; & de Deo dici possunt ea, quæ sunt humanæ naturæ, tanquam de hypostasi humanæ naturæ.

Regula IV. Quidquid dicitur essentialiter de Deo, de Verbo autem essentialiter vel personaliter, simpliciter potest in concreto prædicari de hoc homine, id est, de Christo; & propterea hæc propositio: *Hic homo est æternus, omnipotens, immensus, naturalis Dei Filius*, vera est omninò. Ratio est 1. quia huic homini in Scripturis tribuuntur ea, quæ tum Deo, tum Dei Verbo conveniunt. 2. Hic homo est verè Deus & Verbum: ergo revera illi conveniunt absoluta Dei attributa, non autem relativa aliarum personarum, quia hic homo neque est Pater, neque Spiritus sanctus.

Regula V. Quidquid essentialiter dicitur de homine, vel absolutè de hoc homine Christo, prædicari potest de Deo & Dei Filio: unde veræ sunt hæ propositiones, *Deus & Dei Filius est animal rationale prædatum, est natus ex Virgine, mortuus*, &c. Ea regula nititur 1. catholica veritate, qua asseritur, Deum & Dei Filium per incarnationem verè esse hominem. Nititur 2. Scripturis, in qua Deo tribuuntur, quæ humanæ naturæ propria sunt: *Posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Regula VI. Quamvis ea, quæ prædicantur de Christo, non distinguantur quantùm ad id, de quo prædicantur, id est, quantùm ad suppositum; distinguuntur tamen secundùm id, secundùm quod prædicantur. Nam ea, quæ sunt divinæ naturæ, prædicantur de Christo secundùm divinam naturam; ea autem, quæ sunt humanæ naturæ, prædicantur de eo secundum humanam naturam.

Cavendum est igitur, ne id, quod convenit supposito ratione unius naturæ, denotetur convenire ratione alterius; & propterea quando de Christo dicuntur prædicata, seu attributa divina, non est addenda reduplicatio supra humanitatem; neque supra deitatem, quando humana attributa prædicantur de Deo: non est v. g. dicendum, *Christus quatenus homo, est æternus*: *Christus quatenus Deus, passus est*. Ratio est, quia per ejusmodi reduplicationem significatur, quod attributa conveniunt subjecto alia ratione, quam revera convenire possint.

Cavendum præterea, ne prædicatio importet attributum requirens, aut involvens suppositum creatum: cùm enim fide constet, illud non fuisse in Christo, consequens est, talem propositionem futuram falsam; velut si dicas, *Christus est persona creata, Christus est purus homo, est Filius Dei adoptivus.*

Regula VII. Attributa, quæ non sunt merè humana, nec mere divina, sed Christo conveniunt ratione utriusque naturæ simul, si absolutè prædicentur, regulariter possunt prædicari de Christo, & de hoc homine, & de Verbo, seu Dei Filio: Sic verò dicimus, *Christus est Redemptor, & mediator noster, Verbum nos redemit, ac satisfecit Patri ex rigore justitiæ*. Dico, *regulariter*, quoniam potest fieri, quod assumantur prædicata, quæ hoc subjectum, *Christus*, determinent pro composito in quantum est tale, ut, esse compositum, esse terminum resultantem ex unione hypostatica; & tunc attributum non potest absolutè prædicari de Verbo, vel Dei Filio.

Si verò hujusmodi attributa prædicentur non absolutè, sed cum reduplicatione, illa reduplicatio non debet cadere super solam unam naturam, sive divinam, sive humanam; neque super solum suppositum, sed super utrumque. Non est dicendum v. g. quod Christus est Redemptor, vel mediator noster, vel quod ex rigore satisfecit solùm quatenus homo, vel solùm quatenus Deus, sed quatenus Deus homo. Vide Sylvium, ex quo quæ huc usque dicta sunt, de verbo ad verbum exscripsimus.

ARTICULUS IV.

De quibusdam in specie propositionibus, vel admittendis, vel rejiciendis.

Not. Hic cum Sancto Thoma expendi potest utrum hæ propositiones admitti debeant: *Deus factus est homo: Homo factus est Deus: Christus est creatura: Iste homo,* demonstrando Christum, *incœpit esse: Christus, secundùm quòd est homo, est Deus: Christus, secundum quod est homo, est persona: Christus est homo Dominicus.*

CONCLUSIO 1. Hæc propositio, *Deus factus est homo*, vera est in sensu proprio & literali.

Probatur. Primò, conceptis terminis in Evangelio legitur: *Verbum caro factum est.* Legitur quoque ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* 2. Illud vere ac propriè fieri dicitur, quod præextitit ei, quod de ipso de novo prædicatur: atqui Deus sive Verbum, præextitit humanitati, quæ de illo de novo prædicatur: ergo, &c.

Objicies: Hæc propositio: *Homo factus est Deus*, in proprio sensu falsa est: ergo & ista: *Deus factus est homo:* non enim videtur esse potior ratio de una, quam de altera.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia ut res fiat alia, necesse est, ut illi præexistat; at humanitas Christi nusquam præextitit suæ cum Deo unioni: è contra Verbum realiter extitit, antequam cum Verbo uniretur. Si tamen propositio, de qua agitur, impropriè sumatur, hoc nimirum sensu: *Factum est, ut homo fieret Deus*, admitti poterit.

CONCLUSIO 2. Hæc propositio: *Christus est creatura*, simpliciter accepta, seu absque additione aliqua, vitari debet, & est falsa.

Probatur prior pars. Ea propositio favere videtur Arianis, qui contenderunt, Verbum, ac proindè Christum, esse creaturam: ergo vitandi scandali causa, usurpari non debet. Altera pars sic ostenditur: Ea propositio est falsa, in qua creatura prædicatur de hypostasi Christi; nimirum hypostasis Christi est ipsummet Verbum: atqui in propositione, de qua est quæstio, creatura prædicatur de hypostasi Christi; siquidem nomen *Christus*, pro hypostasi supponit. Confirmatur ex eo, quod alioquin dici posset simpliciter: *Christus incœpit esse, Christus non semper fuit.*

Verùm licet absolute ac simpliciter dici non possit, *Christus est creatura*, potest tamen cum additione humanitatis: sic vera est hæc propositio: *Christus, prout homo, est creatura.* Ratio est, quia additio, *Prout homo*, efficit, ut subjectum pro natura Christi humana, non autem pro illius hypostasi supponat: unde Augustinus Epist. 57. sic loquitur: *Quod ad Verbum attinet, creator est Christus: quod ad hominem, creatura est.*

Objicies. Hæc propositio, *Christus mortuus est*, simpliciter prolata, est vera: ergo & ista: *Christus est creatura.*

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia mori est proprietas naturæ, non autem suppositi; ac proinde in propositione, de qua agitur, mors cadit supra humanam Christi naturam, non autem supra Verbum: è contra in ista, *Christus est creatura*, prædicatum cadit in hypostasim, quia creatura dicit etiã subsistens.

CONCLUSIO 3. Hæc propositio: *Iste homo*, demonstrato Christo, *incœpit esse*, admitti non debet.

Probatur. Vox hæc, *incœpit*, dicit negationem existentiæ æternæ: at ea negatio dici non potest de Christo, cum fide certum sit, illum hominem, demonstrato Christo, esse Deum, ac proinde habere existentiam æternam. Sed eadem propositio vera est, si addatur reduplicatio: *Iste homo, secundum esse hominis, incœpit esse.*

CONCLUSIO 4. Hæc propositio, *Christus secundùm, quod est homo, est Deus*, admitti non debet.

Probatur. Reduplicatio, *secundùm quod est homo*, determinat subjectum *Christum* ad naturam humanam; atqui Deus de natura humana prædicari non potest. E contra in hac propositione: *Christus, in quantum iste homo, est Deus*, prædicatum *Deus*, dicitur de Christo, ut habente hypostasim: siquidem pronomen *Iste*, determinat vocem *Homo*, ad hypostasim.

CONCLUSIO 5. Hæc propositio: *Christus, secundùm quod homo, est persona*, admitti potest.

Probatur. Sensus obvius propositionis, de qua agitur, est iste, *Christus, quatenus est suppositum humanæ naturæ, est persona*: atqui sensus ille verus est: ergo & propositio.

CONCLUSIO 6. Admitti non debet hæc propositio: *Christus est homo Dominicus.*

Probatur. Dominicus denominativè dicitur à Domino; ac proinde distinguitur a Domino, sicut denominans a denominato; atqui Christus à Domino non distinguitur, cum ipse sit Deus.

Objicies. Nonnulli Patres Christum vocarunt hominem Dominicum, ut videre est apud Athanasium in expositione fidei, Chrysostomum, hom. de Cruce, Augustinum in Psal. 2. ergo admitti potest hæc propositio, *Christus est homo Dominicus.*

Resp. dist. conseq. Admitti potest aliqua ratione, conc. conseq. simpliciter & absolutè, neg. conseq. Ea loquendi ratione nonnulli Patres usi sunt, quod apud eos vox, *homo*, pro natura humana supposuerit: ita ut voluerit, naturam humanam esse Dominicam, quemadmodum caro in Synodo sexta dicitur deificata: sicut ergo natura humana dicitur deificata, eo quod per unionem in persona Verbi, facta sit natura Dei, caro Dei ita etiam dicitur Dominica, quòd cum Domino unita sit. Confirmatur ex Augustino, qui ubi lib. 1. retract. cap. 19. revocavit, quæ scripserat in Psal. 2. hæc addit: *Quamvis nonnulla possit ratione defendi.*

Quæres, an Christus dici possit *homo Deifer*, sicut dicitur, *Deum esse carniferum?*

Resp. negative. Ratio est, quia in 1. propositione, vel vox, *Homo*, sumitur pro natura humana, vel pro hypostasi humana, vel pro hypostasi divina: atqui quoquo modo sumatur, homo non est deifer. Nam 1. humana natura in Christo non sustentat Deum, sed e contra Deus sustentat humanam naturam, cùm non subsistat nisi per Verbi subsistentiam. 2. in Christo non est hypostasis humana, ut docet fides adversùs Nestorium. 3. Verbum non fert deitatem, cùm ipsemet sit Deus. E contra in propositione, qua dicitur, *Deum esse carniferum*, Deus sumitur pro persona Verbi, quæ sustentat humanam naturam, quæque ab ea realiter distinguitur. Confirmatur responsio ex S. Cyrillo, qui anathematismo quinto sic loquitur: *Si quis dicere audet, Christum esse hominem deiferum, & non potiùs Deum, utpotè unum, naturalemque Filium, quatenus nimirum Verbum caro factum, carni & sanguini perindè, ac nos, communicavit, anathema sit.* Quo verò sensu Basilius usus sit ea loquendi ratione ante exortam Nestorianorum hæresim, di-

ximus

ximus supra, ubi de Cyrilli anathematismis actum est. De iis, similibusve loquendi modis, vide S. Thomam, qui 3. p. qu. 16. pluribus articulis eos expendit.

CAPUT VII.

Utrum ex unione substantiali Verbi cum humanitate sequatur, personam Christi esse personam compositam.

Not. Circa quæstionem, an persona Christi sit ac dici debeat persona composita, triplex est Scholasticorum sententia. S. Bonaventura, Scotus & plures alii contendunt, personam Christi nec esse, nec dici debere compositam. Econtra Sanctus Thomas 3. part. quæst. 2. art. 4. docet, eam & esse & dici debere compositam. Typhanius distinguens Christum ab hypostasi, scribit, hanc esse planè simplicem, illum verò compositum. Quid nos de ea scholastica quæstione sentiamus, subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Persona Christi & est verè, & rectè dicitur persona composita.

Probatur 1. authoritate Patrum. Quintæ generalis Synodi Patres can. 4. sic loquuntur: *Sed non confitentur* (Nestoriani) *unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, secundum compositionem, sive secundum subsistentiam factam esse, sicut sancti Patres docuerant; & ideò unam ejus subsistentiam compositam, qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de sancta Trinitate*, &c. Sexti Concilii generalis Patres Actione II. eadem ratione loquuntur: *Unam ejus* (inquiunt) *subsistentiam compositam dicimus*. Augustinus Enchiridii cap. 35. hæc habet: *Cùm enim esset unicus Dei Filius non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis Filius; idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus*. Damascenus lib. 3. cap. 4. sic mentem aperit suam: *In Domino duas quidem naturas, at unam dumtaxat personam, ex utrisque compositam, agnoscimus*. Ex iis textibus evidens est, Patribus persuasum fuisse Christum & verè esse, & rectè dici personam compositam.

Confirmatur argumentum ex modo loquendi Patrum, qui ubi Christum definierunt, asseruerunt, eum esse Dei & hominis mixturam. Textus Patrum retulimus solventes argumenta, quibus Eutychiani probare nituntur, naturas post unionem ita permixtas fuisse, ut mutuam a se invicem distinctionem minimè retinuerint. Huc etiam referri potest definitio, quam de Christo iidem Patres tradiderunt, scilicet asseruerunt, Christum esse personam, quæ habet naturam humanam. *Quid est Christus?* quæstio est, quam sibi proponit Augustinus tractatu 19. in Joannem) *Verbum Dei habens humanitatem*.

Probatur 2. conclusio rationibus. Primò, Ea persona est composita, in qua duæ naturæ subsistunt, sicut truncus est compositus, cui duplicis speciei rami inserti sunt; atqui duæ naturæ in una Christi persona subsistunt, ut contra tum Nestorianos, tum Eutychianos, fides Catholica docet: ergo est persona composita. 2. Illud est compositum, in quo sunt plura secum invicem unita; ob id enim homo est compositus: atqui plura, humanitas nimirùm & divinitas, conjuncta sunt in persona Christi: ergo, &c.

Objicies 1. Si persona Christi sit composita, sequitur, eam esse perfectiorem natura divina, seorsim sumpta; siquidem compositum perfectius est rebus, ex quibus constat; atqui persona Christi non est perfectior natura divina; nempè idem est realiter cum ea: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Compositum est perfectius rebus, ex quibus constat, si res illæ se habeant per modum partium, conc. maj. si per modum numeri, neg. maj. Natura divina in Christo non se habet per modum partis, quia pars se habet per modum rei imperfectæ; unde Augustinus lib. 3. contra Maximinum cap. 11. hæc ait: *Christus una persona est gemina substantia, quia & Deus & homo est: nec tamen Deus, pars hujus personæ dici potest*: sed natura divina & humana se habent in Christo per modum rerum, quæ constituentes numerum, in una persona conjunguntur. Nec obstant nonnulli Patrum textus, quibus asseritur, divinam & humanam naturam esse Christi partes. Siquidem partis nomen latè sumunt, pro eo nimirum omni, quod ad aliquod totum efficiendum concurrit, sive se habeat per modum partis propriè sumptæ, sive per modum numeri tantùm.

Objicies 2. Componentia, sive se habeant per modum partis, sive se habeant per modum numeri, sunt priora composito, quod ex eis resultat: atqui natura divina in Christo non est prior persona Christi, cum sint unum & idem: ergo persona Christi non est composita.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, quia persona Christi non dicit personam Verbi in se sumptam tantùm, præterea enim dicit personam Verbi, prout terminat humanam naturam: at persona Verbi hoc modo spectata, posterior est persona Verbi, in se & absolutè sumpta, seu cum ordine ad naturam divinam, non autem ad humanam.

Objicies 3. Istæ propositiones: *Filius Dei est compositus, Verbum divinum est persona composita*, admitti non debent: ergo nec ista: *Persona Christi est composita*.

Resp. conc. ant. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia in duabus propositionibus, de quibus agitur, subjectum, *Filius Dei, Verbum divinum*, supponunt pro persona, quæ unam tantùm naturam terminat, divinam nimirùm: cum ècontra in hac propositione, *Persona Christi est composita*, subjectum, *Persona Christi*, supponat pro persona, quæ & naturam divinam & naturam humanam terminat.

Objicies 4. Persona Christi est persona divina: sed persona divina non est composita; quidquid enim est in Deo, est omninò simplex: ergo persona Christi non est composita.

Resp. conc. maj. dist. min. Persona divina, in se sumpta, non est composita, conc. min. sumpta & in se & in ordine ad humanitatem, neg. min. sic enim accepta duplicem naturam conjungit.

Objicies 5. Si Christus est persona composita ex deitate & humanitate, hæc propositio: *Duæ naturæ, divinitas & humanitas, sunt unus Christus*, erit vera: atqui ea propositio non est vera; scilicet in Concilio Constantiensi sess. 15. cum aliis articulis Joannis Hus proscripta est.

Respondent nonnulli concessa maj. dist. min. Ea propositio non est vera in sensu Joannis Hus, concedunt min. in sensu obvio, seu quem verba præ se ferunt, negant min. Joannes Hus contendebat, propositionem, de qua agitur, esse veram in sensu diviso, hoc est, humanitatem seorsim sumptam, divinitatem seorsim sumptam, esse unum Christum: at id hæreticum est; nam Christus dicit naturam divinam & humanam simul conjunctas in persona Verbi. Jam verò, quòd ea esset mens Joannis Hus, evincitur ex eo, quod se ipsum Wicleffi discipulum profiteretur: at Wicleffus eam propositionem (teste Thoma Waldensi lib. 1. cap. 42.) admittebat in sensu diviso.

Respondent alii cum Sylvio, negando maj. Ratio est (inquiunt) quia vox hæc, *Christus*, plus dicit, quam natura divina & humana significent; ipsam videlicet personam Verbi, de qua humanitatis non abstracta

quidem, sed concreta tantùm prædicari possunt. Nec obstant (ajunt) hæc Augustini verba, Enchiridii cap. 38. *Utraque substantia, divina scilicet atque humana, Filius est unicus*: siquidem aut intelliguntur in sensu causali, hoc est, ita ut natura divina & natura humana sint causæ intrinsecæ Christi, seu res, ex quibus intrinsece constat; aut intelliguntur de natura divina & humana in concreto, hoc est, prout cum persona Verbi unitis, non autem in abstracto, sive conceptis sine unione cum persona Verbi. Idem pariter est sensus hujus Augustini sententiæ tractatu 78. in Joannem: *Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua æqualis est Patri, humanam, qua major est Pater; utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus.*

DISSERTATIO SEXTA.

De Termino Incarnationis.

Not. Terminus Incarnationis sumptæ pro actione, per quam humana natura & divina conjunguntur in persona Verbi, est compositum illud mirabile, quod Christum nuncupamus. In Christo autem præter ea, quæ superioribus quinque dissertationibus jam dicta sunt, possunt perpendi Scientia, Sanctitas, Libertas, Meritum, Subjectio, Adoptio, Prædestinatio, Dignitas Capitis, Sacerdotis, Regis, Redemptoris, Mediatoris, Oratio ab eo fusa, Adoratio debita ipsi, & tandem Fides in eum: Ea autem omnia erunt hujus sextæ dissertationis argumentum.

QUÆSTIO I.

De Christi Scientia.

Not. Non est hìc quæstio de increata Christi scientia; de ea nimirùm harum Institutionum in Prolog. multis egimus: sed quæstio est de creata seu humana scientia; de qua quæremus 1. utrum in Christo admitti debeat; 2. quotuplex sit; 3. ad quæ objecta sese extendat?

CONCL. 1. Fide Catholica certum est, aliquam in Christo fuisse scientiam creatam.

Probatur 1. iis omnibus argumentis, quibus superiùs ostensum est, esse in Christo naturam humanam perfectionibus & dotibus sibi naturalibus instructam; ac præsertim adversùs Apollinarium, animam mente præditam. 2. Idem ostenditur rationibus, quibus adversùs Monothelitas probatum fuit, functiones carnis, & animæ in Christo distinctas fuisse a functionibus divinitatis. 3. Eandem veritatem demonstrat effatum, quo Patres asserunt, Christum esse perfectum Deum & perfectum hominem, ob idque, consentanee duabus naturis, eum habere duplicia, quæ iis naturalia sunt.

CONCL. 2. In Christo triplex fuit scientia creata, Indita, seu Infusa, Beata, & Acquisita.

Probatur prior pars. Verbum assumpsit humanitatem perfectam: atqui humanitas perfecta, prædita est scientia, seu cognitione perfecta; ea autem perfecta cognitio, proprio Christi labore acquisita non fuit, cum ea in primo suæ conceptionis instanti fuerit instructus; ergo fuit indita, infusa, seu (ut alii loquuntur) ipsi congenita.

CONCL. 3. In Christo à primo suæ conceptionis instanti fuit scientia beata.

Probatur. Scientia beata est ea, quæ petitur ex intuitiva Dei visione: atqui in Christo fuit ejusmodi scientia; nimirum a primo instanti suæ conceptionis anima Christi potita est visione beatifica.

I. Eam veritatem non obscurè innuit Scriptura. Joannis 1. hæc habentur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre*: Ea autem verba ex istis sequuntur; *Verbum caro factus est, & habitavit in nobis*; ac proinde Joannes asserit, gloriam animæ Christi, seu visionem beatificam, ex ipsa incarnatione sequi: ergo Christus ea visione fruitus est a primo suæ conceptionis instanti, cum nullum fuerit instans, quo illius anima Verbo hypostatice conjuncta non fuerit. Eodem capite Joannes ait, humanitatem Christi plenam fuisse gratiæ & veritatis: *Plenum* (inquit) *gratia & veritatis*: illa enim verba de Christo ut sensibus subjecto intelliguntur, *Vidimus eam*; ac proinde de Christo, ut homo est: atqui in Christo ut homine plenitudo gratiæ & veritatis oritur ex visione beatifica: ergo, &c. Eodem capite hæc iterum habentur: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis*. Qui autem est in sinu Patris, fruitur visione beatifica. Joannis 3. Christus hæc ait: *Si dixero, quoniam nescio eum* (Patrem) *ero similis vobis mendax, sed scio eum & sermonem ejus servo.* Christus eo in loco loquitur de se ipso ut homo est, ut probant hæc verba: *Sermonem ejus servo*: Sed asserit se ut homo est, scire Patrem; scire autem est rem clarè & absque ænigmate cognoscere: ergo, &c.

II. Eadem veritas probari potest ex Augustino. S. Doctor lib. o de octoginta tribus quæstionibus, quæstione 65. exponens allegoricam significationem Lazari à Domino suscitati, scribit 1. linteaminibus, quibus involutus erat, dum in sepulchro jaceret, significari abstractivam Dei cognitionem, quam de Deo viatores habent: *Post hanc vitam* (inquit) *auferentur omnia velamenta, ut facie ad faciem videamus*. Scribit 2. hoc esse inter nos & Christum discrimen, quòd nos post mortem tantùm fruituri simus intuitiva Dei cognitione, cum ècontra Christus, etiam ante mortem, ea potitus sit: *Quantum, autem interfit inter hominem, quem Dei sapientia gestabat, per quem liberati sumus, & cæteros homines, hinc intelligitur, quod Lazarus, nisi exiens de monumento, non solvitur, id est etiam renata anima, nisi resolutione corporis, libera ab omni peccato & ignorantia esse non potest, quamdiu per speculum & in ænigmate videt Dominum. Illius autem linteamina & sudarium, qui peccatum non fecit, & nihil ignoravit, in monumento inventa sunt.* Scribit 3. Christus, etiam in carne, & absque velamine, Deum cognovisse, & nihil illum fugisse: *Ipse solus in carne, non tantùm in monumento non est oppressus, ut aliquod peccatum in eo inveniretur; sed nec linteis implicatus, ut eum aliquid lateret, aut ab itinere retardaret.*

III. Laudari potest Eusebius Cæsariensis, qui lib. decimo de Demonstratione Evangelica cap. 21. exponens hæc verba Psalmi 21. *In te projectus sum ex utero: de ventre matris meæ, Deus meus es tu*, sic Christum loquentem inducit: *Cum enim adhuc in penetrali gestantis me genitricis essem, te Deum meum intuebar*. Cujus quidem privilegii hanc rationem reddit, quòd licèt anima Christi conjuncta esset carni, sese tamen haberet, quasi ejus vinculis planè libera fuisset: *Tanquam in cunctâ carnis communione manens impermixtus & sincerus, sive potius vel tunc incorporeus existens, & vinculis solutus omnibus.*

IV. Idem demonstratur ex omnium Catholicorum scriptorum consensu. Scilicet nemo Catholicus scriptor negavit, Christum, ex quo vivere cœpit, divino aspectu caruisse: nullus est modò, sive inter peritos, sive inter idiotas, qui id inficietur; ex quo concludi potest, Ecclesiam caput, de quo agitur, habere ex Apostolica traditione.

Quæres, an censoria quædam nota inuri deberet sententiæ, quæ negaret, Christum a primo suæ conceptionis instanti fruitum fuisse intuitiva Dei visione?

Resp. erroneam saltem dici debere sententiam hujusmodi. Ratio est, quia unanimi sive theologorum sive Christianorum omnium consensui repugnat.

CON-

CONCLUSIO 3. In Christo fuit scientia acquisita.

Probatur. Scientia acquisita, est habitus, qui propriis actibus comparatur; atqui in Christo fuit habitus hujusmodi. Nam 1. intellectus Christi per vires sibi proprias cognovit, quæ sunt ordinis naturalis: scilicet is cognoscendi modus perfectio est, quæ naturalem intelligendi facultatem sequitur: sic Christus ex primis principiis collegit conclusiones, sive proximas, sive remotas, quæ ex eis sequuntur: Ii autem actus sæpius iterati generant habitum scientiæ acquisitæ: ergo scientia acquisita fuit in Christo. 2. Christus per sensuum operationes, multa expertus est: ea autem experientia in eo, sicut & in aliis hominibus, generavit habitum acquisitum: ergo, &c. 3. Conclusioni nostræ favere videtur Apostolus ad Hebræos capite 5. *Cum esset* (inquit) *Filius Dei, didicit ex his, quæ passus est, obedientiam*.

Quæres, utrum censura aliqua debeatur sententiæ, quæ negat, in Christo locum habuisse habitum scientiæ acquisitæ?

Resp. nullam Theologicam censuram inuri debere sententiæ, de qua agitur. Ratio est 1. quia nec Scriptura, nec ex Patribus certò colligitur, habitum scientiæ acquisitæ locum habuisse in Christo: 2. Primi ordinis Theologi maxime Catholici, post S. Bonaventuram, Scotum, Durandum, imò & S. Thomam, dum scriberet in Sententias, fatentur quidem, Christum per naturales ingenii vires multa cognovisse, sed negant ex actibus repetitis generatum fuisse habitum acquisitæ scientiæ, eo quod (inquiunt) habitus ejusmodi generationem impediret habitus scientiæ infusæ, per quam Christus cognoscebat ea omnia, quorum cognitionem successu temporis, proprio marte comparare potuisset.

Dices. Sententia, quæ negat, scientiam acquisitam in Christo fuisse, pugnat cum his Evangelii verbis Lucæ 2. *Et Jesus proficiebat sapientia, & ætate & gratia apud Deum & homines*: siquidem non proficiebat sapientia aut divina, aut beata, aut infusa: ergo acquisita tantùm.

Resp. dist. ant. Proficiebat demonstratione externa, sapientia, conc. ant. reipsa, neg. ant. hoc est, Christus in dies plura, & plura dedit sapientiæ, qua præditus erat, argumenta: ita locum illum interpretantur Athanasius Serm. 4. contra Arianos, Epiphanius in Ancorato, Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ sacramento, cap. 7. Cyrillus lib. de recta fide ad Reginas.

Nec illi expositioni obstat 1. quod Jesus non solum apud homines, sed etiam apud Deum, sapientia & gratia profecisse dicatur. Nam quamvis voces istæ, *Apud Deum*, secundum vim phrasis hebraicæ, idem significent, ac adverbium *verè* ut cum Zacharias, & Elisabeth justi *apud Deum* fuisse dicuntur; tamen non semper significant realitatem, quæ sit ex parte objecti, sed aliquando realitatem, quæ fit ex parte solius cognoscentis: unde sensus est, quod Jesus hominibus verè visus sit, apud Deum sapientia profecisse.

Non obstat quoque 2. quòd Jesus eodem modo dicatur sapientia profecisse, quo dicitur profecisse ætate; ætate autem non sola hominum opinione, sed verè ac reipsa profecerit. Siquidem Scripturæ mos est plura conjungere, quæ non eodem modo sumi debeant, ut patet in hac Christi sententia, Joannis 20. *Ascendo ad Patrem meum & patrem vestrum*; nec non in hac alia, Matthæi 8. *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos*.

Non obstat denique 3. quod hæc quæ Joannis c. 1. de Joanne Baptista dicuntur: *Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu*, debeant intelligi de vero, ac reali incremento. Scilicet Scriptura idem de Josepho, & Maria dixit, nam utrumque Christi parentem appellavit: tamen non sequitur, aut Josephum eodem modo, quo Mariam, aut Mariam non alio modo, quam Josephum, fuisse Christi parentem.

CONCLUSIO 4. Objectum scientiæ infusæ, fuerunt in Christo res omnes necessariæ, species omnium entium existentium, artes omnes, omnis generis disciplinæ.

Probatur. Humanitas Christi habuit perfectionem omnem naturalem, quam potest habere res creata: ergo cognovit res omnes necessarias, species rerum omnium existentium, artes & disciplinas, cujuscumque sint generis; scilicet objectorum illorum cognitio confert ad creatæ mentis perfectionem; atqui humanitas Christi non cognovit objecta illa per scientiam acquisitam: ergo per infusam.

Quæres, utrum scientia infusa Christo, fuerit perfectior ea, quæ infusa fuit Adamo innocenti: 2. an fuerit quoque perfectior ea, quæ Angelis indita fuit, cùm primùm educti sunt ex nihilo?

Resp. scientiam infusam Christo, fuisse perfectiorem ea, quæ Adamo innocenti infusa est, tum extensive, ad plura nimirùm objecta extendit sese; tum etiam intensive, eò quod objectorum illorum inditæ species, minus abstractæ, ac proindè clariores fuerint. Resp. ad 2. affirmative: eam enim majorem perfectionem exigebat subjecti recipientis dignitas. De argumento illo vide S. Thomam 3. p. q. 11.

CONCLUSIO 5. Christus per scientiam beatam non cognovit omnia possibilia, sed cognovit existentia omnia, in quacumque temporis differentia concipiantur.

Probatur prior pars. Cognitio omnium possibilium est cognitio comprehensiva divinæ omnipotentiæ, nempe cognitio est omnium rerum, ad quas omnipotentia sese potest extendere: atqui Christus per scientiam beatam non habuit cognitionem comprehensivam omnipotentiæ divinæ; neque enim, cum finita fuerit, utpote recepta in mente finita, objectum infinitum comprehendere potuit. Altera pars sic ostenditur: Christus per scientiam beatam cognovit ea omnia, quæ ad statum illius ac dignitatem spectabant; docent enim Theologi, beatos in Verbo videre, quæcumque ad illos spectant; atqui res existentes, in quacumque temporis differentia concipiantur, pertinent ad Christi statum, ac dignitatem, scilicet a Patre constitutus est rerum omnium dominus, hominum, & Angelorum judex.

Objicies. Tempus, quo futurus est extremus judicii dies, pertinet ad Christi, hominum, & Angelorum judicis statum; atqui Christus, dum in terris ageret, tempus illud non noverat: *De die autem illa, vel hora* (inquit ipse Marci cap. 13.) *nemo scit, neque Angeli in cælo, neque filius hominis, nisi Pater*: ergo, &c.

Resp. 1. certum esse fide Catholica, Christum absolutè loquendo, scivisse, quo præcisè tempore futurus esset extremus judicii dies. Ratio est, quia Christus, absolutè ac simpliciter dicit duplicē naturā humanam nimirum, & divinam, subsistentes in persona verbi; at divinam in Christo naturam nihil omninò latere potuit. Hinc Ecclesia quondam Agnoetas damnavit, quod docentes cum Eutychianis, quorum ramus erant, ex divinæ, & humanæ naturæ permixtione in Christo tertiam naturam resultasse, ignorantiam in eo locum habuisse contenderent.

Resp. 2. nonnullos ex veteribus, quos in hunc Evangelii locum interpretes laudant, ut se tuerentur adversus Arianos, qui Christo, ut Verbum est, ignorantiam adscribebant, contendisse, Christum dum protulit verba, de quibus agitur, tanquam hominem locutum fuisse, non autem, ut Patris Verbum; ac proinde non Verbum ipsum, sed humanitatem tantùm, latuisse extremam judicii diem. Verum cum ea responsio cum nostra conclusione non cohæreat, aliam quæramus oportet.

Respondendum est igitur, disting. ant. Christus atte-

afferit Filium hominis, impropriè ac metaphoricè loquendo, nescire extremam judicii diem conc. ant. propriè & non metaphoricè loquendo, neg. ant. Christus metaphoricè dicitur nescisse diem judicii, eò quod Apostolos non fecerit illius scientes, hoc est, eo quod eam Apostolis non manifestarit: unde sententiæ apud Marcum laudatæ is est sensus: *Nemo scit, neque filius hominis, sed ea scientia, qua aliis communicari debeat:* nec enim quidquam a Filio manifestari debuit, præter id, quod Filius manifestandum a Patre didicerat. Apostoli jam observarant, Christum sæpiùs similem adhibuisse loquendi modum; unde facilè supplebant, quod in sententia, de qua est quæstio, subintelligebatur. Nimirum Joannis 13. in his Christi vocibus: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quacumque audivi a Patre meo;* suppleverant vocem, *manifestanda;* in his aliis de Spiritu sancto, cap. 16. *Quacumque audiet, loquetur*, suppleverant quoque vocem, *manifestanda;* ita ut sic Christi sententiam intellexerint: *Quacumque manifestanda audiet, loquetur*. Vide Augustinum lib. 1. de Trinitate, cap. 12. lib. octoginta trium quæstionum, quæst. 60. Ambrosium lib. 5. de fide ad Gratianum, c. 7. Hilarium lib. 9. de Trinitate, post medium.

QUÆSTIO II.

De Christi sanctitate.

Not. QUæremus hìc 1. utrum sanctitas fuerit in Christo: 2. quotuplex sanctitas in eo fuerit: 3. cur humanitati Christi perfecta sanctitas concessa fuerit.

CONCLUSIO 1. In Christo vera fuit sanctitas.

Probatur. Danielis 9. Christus dicitur: *Sanctus sanctorum*. Lucæ 1. Gabriel Archangelus sic Christi sanctitatem Mariæ prædicit: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ipsi etiam dæmones Marci 1. Christi sanctitatem agnoverunt: *Scio quis sit, Sanctus Dei*. Tandem omnis Scriptura Christi sanctitatem prædicat: *Non verba de Scripturis Evangelium sumpsit, sed sensum* (inquit Hieronymus in hunc locum Matthæi 1. Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam: Quoniam Nazaræus vocabitur.) *Nazaræus quippe, sanctus interpretatur: Sanctum autem Dominum futurum, omnis Scriptura commemorat.*

CONCLUSIO 2. Duplex est in Christo sanctitas, substantialis nimirùm & accidentalis.

Probatur prima pars. Christus per unionem hypostaticam; quæ (ut ostendimus adversùs Nestorium) substantialis est, formaliter, ut vocant, sanctificatur, hoc est, persona Verbi est formalis causa sanctitatis Christi: Nam 1. per unionem hypostaticam Christus efficitur filius Dei naturalis; 2. per eam quoque non tantùm fit immunis a peccato, sed etiam a peccandi potestate. 3. Sanctitas & Dei unctio idem sunt, juxta illud Augustini Tract. 3. in caput 2. epist. 2. Joannis: *Unctio invisibilis, Spiritus sanctus: Unctio invisibilis, charitas illa est, qua in quocumque fuerit, tanquam radix illi erit, quamvis ardente sole arescere non potest;* atqui in Christo unctio humanitatis non aliud est, quam unio hypostatica: *Deus Pater* (ait Gregorius Nazianzenus ad calcem orat. 5.) *unxit Christum oleo exultationis præ consortibus suis, cum humanitatem divinitate unxit, ut ambo unum faceret.*

Quæres, an persona Verbi sanctificet humanitatem Christi, prout est persona, an verò prout est idem cum natura divina?

Resp. humanitatem Christi sanctificari a persona Verbi, non ut est persona; nam persona sumpta reduplicativè prout est persona, nullum alium effectum habet, quàm relativum, seu simpliciter terminat naturam, efficiens, ut juris sit alieni. Unde cum Patres asserunt, Verbum sanctificare Christi humanitatem, intelligendi sunt de Verbo sumpto non secundùm conceptum explicitum, quem importat, sed secundum implicitum, nempe secundùm divinam naturam. Verbum tamen, ut Verbum est, seu prout est persona, exigit, ut a Verbo ipso sumpto secundùm naturam divinam, humanitas, cui conjunctum est, sanctificetur.

Probatur altera conclusionis pars. 1. Sanctitas accidentalis, quæ oritur a dono, quod a subjecto, cui inest, distinguitur, quæque ob id est accidentalis subjecto, est perfectio, quæ non repugnat perfectioni naturæ, quæ in Verbo subsistit: ergo admitti debet in Christo. 2. Sanctitas accidentalis, sive sit actualis, sive sit habitualis, non aliud est, ut Theologi docent, cùm agunt de forma justificationis, quam charitas, quæ aut actu aut virtute in anima remanet: at charitas hujusmodi fuit in Christo, & quidem summè intensa: ergo etiam & sanctitas accidentalis.

Objicies 1. Sanctitas accidentalis hominem reddit adoptivum Dei Filium, quod tamen Christo repugnat. 2. Eminenter continetur in sanctitate substantiali, seu in unione hypostatica, ac proindè inutilis est in Christo. 3. Textus sive Scripturæ, sive Patrum, quibus Scholastici probant esse in Christo formalem sanctitatem a substantiali distinctam, facilè exponi possunt aut de efficaci charitate, seu gratia actuali, per quam humanitas ad suas operationes mota fuit ac determinata, aut de ipsa sanctitate substantiali, quæ (ut dictum est) non alia est, quam unio hypostatica: ergo sanctitas accidentalis locum non habet in Christo.

Resp. ad 1. Christum ratione unionis hypostaticæ incapacem esse filiationis adoptivæ; ac proinde mirum non est, quod sanctitas accidentalis, seu (ut loquuntur) gratia habitualis, adoptivam filiationem in Christo non operetur: neque enim forma producit suum effectum in subjecto, quod est incapax effectus hujusmodi. Resp. ad 2. humanitatem Christi per sanctitatem accidentalem compleri, ut modo connaturali, per principium nempè secum proportionatum, actus supernaturales eliciat. Resp. ad 3. propter allatam rationem, Vasquesium, Merarium, & plures alios Scholasticos censere, non esse de fide, quòd præter sanctitatem substantialem, sit in Christo sanctitas accidentalis, quæ saltem, sicut in nobis, illius humanitati per modum habitus, seu formæ habitualis, recepta fuerit.

Quæres 1. Utrum sanctitas accidentalis in Christo fuerit infinita?

Resp. 1. sanctitatem accidentalem physicè sumtam, in Christo esse finitam, cùm sit aliquid a sanctitate substantiali, hoc est, a Verbo & natura divina distinctum: 2. acceptam objective, esse infinitam; potest enim ad objecta infinita sese extendere, nempè ad omnium hominum possibilium redemptionem: 3. Sumptam in genere moris esse pariter infinitam; nimirum est principium, quo persona Verbi actus pretii infiniti operata est.

Quæres 2. de qua sanctitate, substantiali, an accidentali, intelligi debeat plenitudo gratiæ, quæ, dicente Scriptura, in Christo reperitur?

Resp. 1. Certum esse, gratiæ plenitudinem in Christo fuisse: Deus enim, qui (ut ait Apostolus ad Rom. 12.) unicuique divisit mensuram fidei, Christo tamen ad mensuram Spiritum sanctum minimè dedit: *Non enim* (ait Joannes Baptista Lucæ 3.) *ad mensuram dat Deus spiritum;* unde Apostolus ad Coloss. 2. scribit, in eo esse omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos. Resp. 2. eam plenitudinem gratiæ rectè intelligi posse de sanctitate substantiali: *In ipso enim* (ait Paulus) *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Resp. 3. pleni-

plenitudinem illam dici quoque posse de sanctitate accidentali, quæ quidem ideò dicitur plenitudo, ideò dicitur non data ad mensuram, quòd revera totam expleat humanitatis capacitatem.

CONCLUSIO 3. Necesse fuit, ut summa perfectaque sanctitas humanitati Christi tribueretur.

Probatur 1. Necesse fuit, ut is, qui naturalis est Filius Dei, summa perfectaque sanctitate donaretur. 2. Necessaria fuit ea sanctitas ob capitis dignitatem, qua Christus emicuit; de plenitudine enim ejus nos, qui sumus illius membra, recipere debuimus. 3. Tandem necessaria fuit ratione Sacerdotii, quo functus est: *Talis enim* (ait Apostolus ad Hebr. 7.) *decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, immaculatus, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus; qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodum sacerdotes, pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.*

QUÆSTIO III.

De Libertate Christi.

Not. 1. Certum est, Christum libertate non divina tantùm, sed etiam creata, præditum fuisse. Nam 1. Verbum humanitatem assumpsit instructam omnibus proprietatibus, quæ humanitati naturaliter conveniunt. 2. Ad merendum, ad satisfaciendum, ad obediendum vera libertas requiritur: at humanitas Christi meruit, satisfecit, obedivit.

Not. 2. Certum est, etiam humanam naturam in Christo fuisse liberam circa exercitium aliarum a charitate & obedientia virtutum: nempe circa earum virtutum exercitium fuit prorsus indifferens, ita eas exercuit, ut potuerit non exercere; sic v. g. cùm exercuit temperantiam, potuit eam non exercere, omittendo objectum specificum temperantiæ, & eligendo objectum alterius virtutis: sed gravis est difficultas, utrum humanitas in Christo fuerit libera circa exercitiū virtutum charitatis & obedientiæ. Ratio dubii petitur ex eo quod circa virtutum charitatis & obedientiæ prasim non fuit indifferens, hoc est, non ita Deum amavit, ut potuerit non amare, non ita obedivit, ut potuerit non obedire, alioquin enim peccare potuisset, quod quidem falsum esse superiùs ostendimus.

CAPUT I.

Utrum Christus fuerit liber ad amandum Deum.

Not. Circa quæstionem, an humanitas Christi fuerit libera in exercitio actuum charitatis, hoc est, in Dei dilectione, triplex est Authorum sententia. Thomassinus noster, Theologicorum dogmatum de Incarnatione, lib. 5. cap. 13. 14. & sequentibus aliis, docet, Christum verè fuisse liberum in exercitio charitatis in Deum, quamvis propter visionem beatificam, & ratione impeccabilitatis, quam habuit ex unione hypostatica cum Verbo, non potuerit non amare Deum. Ratio, qua nititur, hæc est, quòd nempe indifferentia seu contrarietatis, seu contradictionis aut exercitii, non sit de essentia libertatis genericè sumptæ; hoc est, prout Christo & aliis hominibus convenit; sed sola voluntas, modò sit deliberata, modò rationis advertentiam præsupponat, ut revera eam in Christo præsupposuit: neque enim humana Christi voluntas Deum amavit, nisi quòd priùs in instanti naturæ, sive per scientiam infusam, sive per scientiam beatam judicarit, eum esse summè amabilem.

Alii èccontra recentiores, nimirum Thomistæ, contendunt, Christum fuisse liberum circa Dei dilectionem, non quidem prout terminatam ad Dei bonitatem, sed tantum prout terminatam ad creaturas, aut ad alias a charitate virtutes: hoc est, docent, Christum non fuisse liberum circa actus elicitos a charitate, sed tantùm circa imperatos, seu prout amor Dei fuit motivum quod eum impulit ad exercitium aliarum virtutum, & ad amorem Creaturarum. Ratio eorum est, quòd Christus circa exercitium aliarum à charitate virtutum indifferens fuerit, non autem circa actus ab ipsa charitate elicitos.

Tertii tandem asserunt, Christum fuisse liberum circa Dei dilectionem, etiam prout ad divinam bonitatem terminatur. Ratio est (inquiunt) quia licet amor ille ex uno capite fuerit necessarius, ex scientia nimirum beata; non fuit tamen necessarius ex alio capite, seu prout sequebatur ex scientia infusa: verùm (addunt) cùm Christus simul fuerit comprehensor & viator, satis est quòd amor Dei non fuerit necessarius, prout sequebatur cognitionem, quæ viatori conveniret; non requirebatur verò ut esset indifferens, prout sequebatur ex scientia beata, quæ propria est solis comprehensoribus.

CONCL. 1. Christus non fuit liber in actibus elicitis a charitate.

Probatur. Ille non fuit liber in actibus elicitis à charitate, qui circa eos actus non fuit indifferens, seu qui ita eos exercuit, ut non potuerit non exercere: scilicet (ut harum Institutionum Part. 5. dicetur) indifferentia contradictionis est ad libertatem necessaria, hoc est, requiritur ad libertatem, ut quis cùm agit, possit non agere: atqui Christus non fuit indifferens circa actus elicitos a charitate; non enim ita Deum amavit ut eum potuerit non amare, eò quòd visio beatifica, qua primo suæ conceptionis instanti fruitus est, necessariò Dei amorem importet.

Confirmatur argumentum ex eo, quòd in hoc libertas arbitrii, de qua est hic quæstio, opponatur libertati voluntatis, quòd ista ultimum finem respiciat, illa verò, media quibus ultimus finis aut comparari aut amitti potest: quòd prior necessariò suo objecto inhæreat, posterior econtra ita adhæreat, ut possit non adhærere: *Liberum necessitati opponitur* (objectio est, quam Sanctus Thomas quæst. 24. de veritate articulo 1. sibi proponit adversùs conclusionem, qua statuerat hominem esse liberi arbitrii) *Sed respectu quorumdam, voluntas hominis necessitatem habet, de necessitate enim vult beatitudinem: ergo non habet respectu omnium, libertatem, & ita non est liberum arbitrium, quantùm ad omnia*: Eam autem objectionem solvens Sanctus Doctor asserit, voluntatem se habere respectu finis ultimi, sicut intellectus sine examine adhæret primis principiis, ita & voluntas ultimo fini; inde autem concludit, esse quidem in homine respectu finis ultimi libertatem voluntatis, sed non esse libertatem arbitrii, eò quòd ultimus finis, hominis electioni non subjaceat: *Unde* (verba sunt Sancti Doctoris) *sicut ex principiis non judicamus ea examinantes, sed naturaliter eis assentimur, & secundùm ea, omnia alia examinamus: ita & in appetibilibus de fine ultimo non judicamus judicio discussionis, vel examinationis; sed naturaliter approbamus, propter quod de eo non est electio, sed voluntas. Habemus ergo respectu ejus liberam voluntatem, cùm necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet secundùm Augustinum lib. 5. de Civitate Dei: non autem liberum judicium propriè loquendo, cùm non cadat sub electione*. Ergo cùm humanitas Christi Deo ultimo fine semper fruita sit, non habuit illius respectu libertatem arbitrii, sed voluntatis tantùm; ac proindè non liberè, sed necessariò per amorem ei adhæsit.

Objicies. Humanitas Christi per actus a virtute charitatis elicitos, & sibi gloriam, & nobis salutem promeruit: ergo verè fuit libera circa actus a virtute charitatis elicitos. Consequens est certum; meritum enim non comparatur, nisi per actum verè liberum: Itaque

pro:

probatur ant. Homo dum est in via, meretur per actus elicitos a charitate: ergo & per eos humanitas Christi meruit; neque enim propter sui cum Verbo unionem deterioris fuit conditionis, quam si revera nusquam cum Verbo conjuncta fuisset. 2. Humanitas Christi in iis actibus meruit, in quibus Deo Patri fuit obediens: atqui in actibus elicitis à charitate reverà fuit obediens Deo Patri, tum quòd non minùs ad eum, quam ad cæteros homines spectaret primum hoc, ac indispensabile legis naturalis mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*; tum etiam quia Deus Pater humanitati Christi præcepit non tantùm officia virtutum, sed etiam motivum, propter quod ab illo exerceri debuerunt; ac proinde præcepit illi charitatem in Deum: non enim aliud est ultimum virtutis alicujus motivum. 3. Humanitas Christi per id meruit, per quod meritum habuere cæterarum virtutum officia; nam (ut fert tritum axioma) *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: atqui aliarum virtutum officia meritum habuere, quòd ex charitatis motivo fierent: ergo, &c.

Resp. 1. concesso antecedente, dist. conseq. Ergo humanitas Christi fuit libera libertate voluntatis circa actus a virtute charitatis elicitos, conc. conseq. fuit libera libertate arbitrii, nego conseq. Libertas voluntatis (ut post S. Thomam observavimus) stat cum necessitate, non quidem naturali, quæ (ut patet in motibus primò primis) tum coactionem externam, tum rationis advertentiam excludit; sed stat cum necessitate, quam præcedit, saltem in instanti naturæ, rationis advertentia; quam ipsa mentis reflectio comitatur, ut in Beatis videre est: E contra libertas arbitrii, ex eodem S. Thoma, essentialiter includit indifferentiam, hoc est, licèt nonnunquam actum secundùm importet, supponit tamen ex parte operantis, potentiam ad non agendum. Ista, seu libertas arbitrii, in statu naturæ lapsæ requiritur quidem ad merendum, aut demerendum; hinc meritò tanquam hæretica proscripta est ab Innocentio Papa X. hæc propositio: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit immunitas à coactione*. Verùm hæc arbitrii libertas Christo, qui nec fuit, nec esse potuit in statu naturæ lapsæ, non fuit ad merendum necessaria: satis in eo fuit libertas voluntatis, idque eo quod simul esset comprehensor & viator: unde licet necessariò Deum amaverit, necessariò servarit primum Decalogi mandatum; per eam tamen dilectionem, per illam observationem Decalogi meruit, sibi quidem gloriam, nobis verò salutem. Ea responsio desumpta est ex S. Thoma: Nempe S. Doctor in 3. Sent. dist. 18. art. 2. ad 5. quærit, *Utrum Christus potuerit mereri?* Ubi asseruit ipsum potuisse mereri, quinto loco sibi hoc argumentum objicit: *Naturalibus non meremur, quia sunt determinata ad unum: sed liberum arbitrium in Christo erat determinatum ad unum: ergo ipse per liberum arbitrium mereri non potuit.* Ad illud autem argumentum S. Thomas respondet 1. liberum arbitrium Christi fuisse quidem determinatum ad unum genericè sumptum, seu ad bonum in genere, non verò ad hoc aut illud bonum in particulari; indeque concludit, fuisse in Christo liberum arbitrium respectu hujus aut illius boni in particulari: *Dicendum* (inquit) *quod liberum arbitrium Christi non erat determinatum ad unum secundum numerum, sed secundùm genus, scilicet ad bonum, quia in malum non potest.* Respondet 2. esse unum bonum in particulari, ad quod voluntas Christi erat determinata, amorem nimirum Dei; sed negat Sanctus Doctor, inde sequi, quod per eam determinationem ad unum, Christus libertatem, aut meritum amiterit: *Dicendum* (ait) *quòd etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest: tamen ex hoc non admitti libertatem* (voluntatis) *aut rationem laudis sive meriti: quia in illud non coactè, sed spontè tendit, & ita est actu sui dominus.*

Nec audiendi sunt, qui reponunt, hæc verba: *Quia in illud non coactè, sed sponte tendit*, intelligi de amore Dei prout ad creaturas terminato, seu prout divina bonitas amata, est ratio amandi creaturas. Nam 1. ne apex quidem est ejusmodi effugii in textu, quem ex S. Doctore laudavimus: nempè quod ajunt nonnulli, ideò voces istas, *In illud*, intelligi de amore Dei prout ad creaturas terminatur, quia iis vocibus istæ subjiciuntur: *Et ita est actus sui dominus*; voluntas verò Christi non sit domina actuum, qui circa finem versantur, sed tantùm circa eos, qui versantur circa media: Id (inquam) non est magni momenti; scilicet actus, qui versantur circa finem, verè sunt in potestate voluntatis; nunc enim quando voluntas vult eos fieri, nec revera fierent, si voluntas eos fieri nollet. 2. voces istæ, *In illud*, intelliguntur de bono, ad quod ut ad unum, Christi voluntas est determinata: *Etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, tamen ex hoc non amittit libertatem, quia id illud spontè tendit*: at Christi voluntas non est determinata, ut ad unum ad amandum creaturas: ergo voces illæ, *In illud*, non intelliguntur de amore Dei, prout est ratio amandi creaturas, sed prout ad Dei bonitatem in se sumptam terminatur. 3. Si valeret ea solutio, secunda S. Thomæ responsio coincideret in primam: nam in prima docet, ideò Christum in aliquibus esse liberum, quòd ad bonum tantùm in genere voluntas illius sit determinata, non autem ad bona particularia, quæ sub ratione boni in genere sumpti continentur: at idem & non aliud doceret in secunda responsione; nempè doceret, ideò Christum esse liberum, quòd ejus voluntas ad amorem Dei tanquam ad unum determinata, posset ex illius amoris motu ac imperio, agere hoc vel illud bonū in particulari: ille verò amoris motus ac imperium non aliud sunt, quam motus, & imperium boni in genere: nam bonum in genere, ad quod tanquam ad unum Christi voluntas est determinata, est amor ultimi finis, ac proindè amor Dei clara ac intuitiva cognitione possessi. 4. Ratio, propter quam, ex S. Thoma, Christus liber est (libertate voluntatis) respectu amoria divini, est, quia non coactè, sed spontè in illum amorem tendit: *Quia* (inquit) *in illud non coactè, sed spontè tendit*: at ad amorem Dei in se spectati, seu ad amorem prout terminatum ad Dei bonitatem, voluntas Christi non coacte tendit, sed spontè; non quidem spontaneitate illa naturali, quæ in nobis, ut videre est in motibus primò primis, prævenit rationis usum; sed spontanieta te, quam & antecedit, & comitatur perfectissima rationis advertentia.

Eadem ad argumentum, quod adversùs conclusionem nostram objectum est, responsio ex alio S. Thomæ teatu confirmari potest, seu potest ostendi, S. Doctorem censuisse, ad merendum in Christo satis fuisse libertatem voluntatis, quæ versatur circa actum necessarium, nec opus fuisse libertate arbitrii, quæ versatur circa actus, qui esse & non esse possunt. S. Thomas quæst. 29. de veritate art. 6. quærit: *Num Christus mereri potuerit?* Eam autem quæstionem in responsione ad 6. solvens, sic loquitur: *Quod charitas, quantum est de se, semper est nata esse merendi principium; sed quandoque non est merendi principium propter habentem, qui est extra merendi statum, sicut patet de Sanctis in patria. Christus autem non erat extra statum merendi, quia viator erat; & ideò charitate eadem fruebatur, & merebatur sicut eadem voluntate.* Ex eo verò teatu sic argumentum conficitur: Charitatis actus, in Christo fuit necessarius: atqui Christus meruit per actum charitatis: *Charitate eadem fruebatur, & merebatur*: ergo, &c.

Nec multi roboris est eorum solutio, qui contendunt,

dunt, S. Doctorem nō loqui de charitate prout ad Deum terminata, sed tantum de charitate prout ad Creaturas terminata, seu prout fuit ratio diligendi Creaturas. Nam 1. absque fundamento profertur ejusmodi responsio. 2. Cur S. Thomas, qui variis in locis loquitur de merito, quod Christus per charitatis actus comparavit, nusquam distinxit inter charitatem, prout est actus, qui immediatè ferebatur in Deum, & charitatem, prout erat ratio diligendi creaturas? 3. Unica ratio, cur charitas in beatis non sit meritoria, est, ex S. Thoma, quòd sint extra viam positi; è contra ratio, cur charitas in Christo, dum in terris ageret, esset meritoria, est, ex eodem S. Thoma, quòd Christus esset viator simul & comprehensor: ergo non est, quod charitas ad creaturas terminaretur, seu quod esset ratio diligendi creaturas.

Quæ hucusque tradita est responsio, eò tendit, ut probetur, quod licet Christus (ut dictum est in nostra conclusione) non fuerit liber libertate arbitrii circa actus elicitos a charitate, hoc est circa actus charitatis, prout ad Dei bonitatem terminatos, reverà tamen per eos, utpote liberos sola libertate voluntatis, & nobis & sibi meruerit, eo quod viator esset simul & comprehensor.

Sed licèt responsio illa, quæ (ut dictum est) asserit, Christum meruisse per actus necessarios, aliquorum sit Theologorum, & in primis Thomassini nostri in suo Tractatu de Incarnatione: tamen, cum passim non defendatur in Scholis, proferenda est alia, quæ in Thomistarum libris reperitur.

Resp. itaque 2. neg. ant. Ad cujus priorem probationem, neg. paritatem: Ratio disparitatis est, quia cum Dei bonitas perfectè a nobis viatoribus non cognoscatur, non ita dominatur voluntati nostræ, ut in creatura finem suum ultimum constituere non possi.: è contra verò perfectè cognoscitur a Beatis, perfectè cognita fuit a Christo es primo suæ conceptionis instanti; ac proinde ita sibi & beatos subjicit, & subjecit humanitatem Christi, ut aliò divertere nec Beati possint, nec Christus, licet in terris agens, potuerit.

Ad alteram probationem, resp. dist. maj. Humanitas Christi in iis actibus meruit, in quibus Deo Patri fuit obediens, si in illa obedientia humanitas fuerit libera, conc. ant. sin minùs, neg. ant. Amor Dei præcipitur beatis, præceptus est Christo viatori: in quocumque enim statu creatura rationalis concipiatur, tenetur primo Decalogi præcepto. Verùm executio ejusmodi mandati, cum ex parte exequentis libera non fuerit, non fuit quoque meritoria. Nec id arguit imperfectionem, sive in executione mandati, sive in exequente: siquidem privatio libertatis quoad caput illud, non oritur ex defectu operantis, sed potiùs ex illius perfectione, summa nimirùm illius conjunctione cum ultimo fine.

Tandem, ad tertiam probationem, neg. maj. Ratio est, quia licet motivum ultimum propter, quod Christus exercuit virtutum, quæ a charitate distinctæ sunt, officia, in se meritorium non fuerit, eò quòd (ut diximus) non fuerit liberum; illarum tamen virtutum officio pretium ac dignitatem contulit: quemadmodum licèt humanitas Christi nusquam meruerit unionem hypostaticam, unio tamen hypostatica operibus Christi, quandam contulit in genere moris infinitatem. Siquidem (ut hujusce Partis initio diximus) operis meritum, non tam ex illius entitate intrinseca desumitur, quàm ex personæ operantis dignitate.

CAPUT II.

Utrum Christus fuerit liber ad mortem subeundam.

CONCL. Christus fuit liber libertate arbitrii ad mortem subeundam.

Probatur. Libertas arbitrii posita est in indifferentia, hoc est, in potestate agendi & non agendi; atqui ea potestas fuit in Christo respectu mortis, quam subiit; nempè sic mortuus est, ut tamen potuerit non mori: id enim demonstrant ipsiusmet Christi verba, Joannis 10. *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam: nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso: & potestatem habeo iterum sumendi eam*: ergo, &c.

Objicies. Libertas circa mortem, conciliari non potest cum præcepto, quo Christus jussus est eam subire, cum debito agendi semper id, quod erat majoris perfectionis, cum efficaci motione, per quam ad illius executionem determinatus est: Siquidem libertas arbitrii posita est saltem in indifferentia activa, hoc est, in potestate agendi aut non agendi; atqui ea potestas conciliari non potest cum præcepto, quo Christus jussus est mori, cum debito semper agendi id, quod majoris est perfectionis: agere enim id, quod imperfectum est, arguit defectum charitatis; cum efficaci motione, per quam ad executionem præcepti determinatus est. Et sanè si in Christo fuit indifferentia respectu mortis præceptæ, humanitas Christi peccare potuit, potuit id omittere, quod majoris est perfectionis, potuit impedire effectum divinæ motionis, una enim mortis omissione, ea omnia reipsa contingunt: sed hæc absurda sunt; ergo, &c.

Respondent 1. nonnulli, nullum moriendi præceptum Christo impositum fuisse. Verùm stare non potest illa responsio. Nam 1. Christus Joannis decimo de sua morte loquens, hæc habet, quæ nonnisi de præcepto strictè sumpto intelligi possunt: *Hoc mandatum accepi a Patre meo*. 2. Apostolus ad Philippenses secundo, actum, quo Christus acceptum a Patre mandatum implevit, vocat obedientiam: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem*: at obedientia est correlativa cum præcepto strictè sumpto, hoc est, obedientia verè ac propriè sumpta non habet locum, nisi ubi mandatum præcessit. 3. Mori ex obedientia strictè sumpta perfectius est, quam mori ex electione, quam mandatum non præcesserit; scilicet virtuti, cujus officium exercetur per obedientiam, alia virtus additur: ergo Pater Filio præcepit mortem; id enim ex sua parte egit, quod majorem perfectionem Christi operibus allaturum erat. 4. Si Christo non fuisset impositum strictum moriendi præceptum, non fuisset, cur a Patre dispensationem peteret: *Pater si fieri potest, transeat a me calix iste*; neque enim inferiori opus est dispensatione, ubi nullum a superiore latum fuit præceptum. 5. Tantum abest, ut vel unicum sit in traditione fundamentum è verbis Christi: *Mandatum accepi a Patre*, excludendi sensum literalem, quin potiùs contrarium in omnibus, qui de illo tractarunt, Patribus inveniatur. Gregorius Magnus lib. primo in caput primum libri primi Regum sic loquitur: *Silo missus, sive missio interpretatur. Quid namque per hanc missionem, nisi summi Patris injunctum Unigenito præceptum obedientiæ designatur?* Chrysostomus Arianis ex exhibita Patri obedientia Christi divinitatem impugnantibus respondens, agnoscit latum a Patre præceptum, illudque confirmat ex eo, quod filii parentibus obedientes, ex filii dignitate non excidant: *Spontè* (inquit hom. 7. in Epistolam ad Philippenses) *Filius Patris obedivit, non quasi in servilem conditionem decidisset, sed hoc ipso maximè servans suspiciendam illam*

germani filii dignitatem, magnum, inquam, honorem Patri exhibenas.

Respondent 2. alii, Christo equidem moriendi præceptum impositum fuisse, sed quod penderet a prævisa illius acceptatione. Verùm falsa est illa responsio. Nam 1. prævisa acceptatio non tollit a lege rationem præcepti. 2. Si præceptum pependit ab acceptatione reali, ergo primus actus, quem Christus in utero matris elicuit, non fuit actus obedientiæ: contra quod tamen pugnant Scripturæ, scilicet in Psalmis Christus, in primo suæ conceptionis instanti, sic Patrem alloquitur: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. 3. Mandatum, quod ligat tantùm post acceptationem, non est verè ac propriè dictum mandatum; siquidem mandatum propriè sumptum, per se vim habet subditum ligandi; unde non diceretur præcipere subdito, qui sic eum alloqueretur: Impero tibi ut hoc negotium pertractes, si tamen pertractare velis. 4. Novum est illud ad Evangelii verba responsum, ac proinde non debet admitti.

Respondent 3. aliqui, Christo præceptam fuisse mortem, sed sub hac conditione, quòd penes ipsum esset petere dispensationem. Verùm ea solutio supponit 1. conditionem illam a Patre non fuisse præceptam, quod tamen falsum est, cum omnes omnino Christi actus fuerint actus, non solum virtutum, quarum erant officium, sed ipsius etiam virtutis obedientiæ, cum (ut jam monuimus) obedientiæ motivum multum afferat pretii actibus ab aliis virtutibus elicitis. 2. In suppositione, de qua agitur, inepta fuisset hæc Christi oratio: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*. Nam Christus judicare debuit, id esse maximè possibile, quo sciebat se eximendum, si dispensationem peteret. 3. Mandatum, quo quis potest se liberare per dispensationem, quam habet in sua potestate, non est verum ac strictum mandatum. 4. Christus ibidem profitetur, voluntatem esse Patris, ut moriatur: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: igitur Pater penes filium non reliquerat potestatem petendi dispensationem: 5. Auctores, qui sic Scripturam interpretantur, proferant vel unum ex antiquis, ex quo suum illum commentarium hauserint.

Respondent 4. plures alii, Christo liberam non fuisse mortem sumptam secundùm substantiam, sed tantùm secundùm circumstantias loci, temporis, motivi: scilicet, inquiunt, Pater imperavit quidem mortem, sed illius circumstantias non imperavit.

Sed ea responsio variis momentis confutari potest. Nam 1. sequeretur, Christum non meruisse, ac proinde nec redemisse genus humanum ex eo præcisè, quòd mortuus sit; quod tamen Scripturæ repugnat, quæ Christi morti, nulla facta circumstantiarum mentione, nostram adscribit redemptionem; unde dicitur, quòd suo sanguine sibi Ecclesiam acquisiverit. Præterea idem ferri deberet judicium de aliis omnibus virtutum officiis, quæ Christus executus est: nempè nullum vel leve fuit opus, nullum fuit alicujus virtutis officium, quod ex obedientiæ motivo non peregerit; cum, ut jam observatum est, motivum illud multum dignitatis cuique virtutis officio conferat; ac proindè dicendum esset, Christum non liberè, sed necessariò in deserto per multiplicationem panum pavisse quinque hominum millia; ipsum liberè non orasse; liberè non instituisse sacramenta: quod quidem quam absurdum sit, nemo non videt. 2. Christus in eo fuit liber, cui sacri codices adscribunt illius exaltationem, neque enim præmium, ut est exaltatio, est sine præcedente merito: atqui sacri codices Christi exaltationem; adscribunt morti secundùm substantiam acceptæ, & prout distinctæ a circumstantiis, quæ eam comitari potuerint: *Humiliavit semetipsum* (ait Apostolus ad Philipp. 2.) *usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen*. 3. Quæ data est responsio, supponit, mortis circumstantias, ac varia illius motiva non fuisse Christo a Patre præcepta; sed id falsum est: nam Scripturæ testantur, ipsum moriendi tempus Christo præfixum fuisse, unde ipse sæpius ait in Evangelio: *Nondum venit hora mea*. 4 Supplicii genus, præfixum quoque fuit, unde ad Philippenses secundo, Christus mortuus dicitur ex obedientia non solum secundùm substantiam, hoc est, prout mors dicit animæ separationem a corpore; sed etiam habita ratione speciei supplicii: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis*. 5. Exigebat unio hypostatica, ut humanitas Christi nihil, vel levissimum, ageret, quod Verbum non dirigeret ac præciperet: alioquin si quid ex eis, quæ ad nostram salutem spectant, humanitas Christi egisset, præcepto non præcedente, esset aliquid ad nostram salutem spectans, quod voluntati humanæ prius deberemus, quam æternæ Dei ordinationi, decreto, ac præcepto. 6. Tandem, cum Christus id semper agere debuerit, quod erat perfectius, par fuit, ut non tantùm mortem ex charitatis motivo pateretur, sed etiam ex motivo obedientiæ: at obedientia non habet locum, ubi præceptum minimè præcessit.

Respondent 5. alii, quibus subscribimus, ac fatentur, strictum præceptum de morte subeunda Christo, etiam quoad motiva, ac circumstantias omnes, fuisse impositum. Fatentur 2. humanitatem Christi potuisse non agere id, quod perfectum esset. Fatentur denique 3. humanam Christi voluntatem ad unum, seu ad mortem, seu ad illius circumstantias, determinatam fuisse ex duplici capite, ex præcepto nimirùm Patris, & ex efficacissima Dei motione, sed tamen contendunt, ista ipsa cum arbitrii libertate conciliari.

Et sane (ajunt) Primo, ea tantum pugnant cum arbitrii libertate, quæ sunt circa finem ultimum, non autem media, quæ sunt in ordine ad illum: at mors Christi in se aut secundum circumstantias sumpta, non est finis ultimus, sed tantùm medium, quod in illum ex solo Dei decreto ordinatum est; ac proinde humana Christi voluntas non necessariò, sed liberè, sese circa mortem habuit. 2. Potestas peccandi tantùm abest ut sit de essentia libertatis, quin potiùs maxima sit illius imperfectio; unde Augustinus Pelagianos contrarium sentientes hisce verbis impugnat lib. de Prædestinat. sanctorum cap. 15. *An ideò, quia peccare non poterat* (humana Christi voluntas) *non libera voluntas erat, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato servire non poterat?* Hincque colligitur, ad servandam Christo libertatem non fuisse necessarium, ut humana Christi voluntas posset non mortem cum paterno mortis præcepto conjungere, quia sic eam conjungere, est posse peccare. 3. Determinatio ad unum tanquam ad medium, quod oritur ex efficaci Dei motione, non tollit indifferentiam judicii, quemadmodum tollitur per determinationem, quæ oritur ab ultimo fine; hoc est, non impedit, quin intellectus judicet medium illud sub alia ratione posse non eligi a voluntate: hincque colligitur, motionem divinam ad unum, quod habet tantùm rationem medii, non tollere a voluntate potestatem omittendi illud medium, eò quòd medium illud (ut dictum est) non habeat rationem finis ultimi.

His præmissis, sic in forma respondemus ad argumentum, quod adversus nostram conclusionem objectum est. Una mortis omissione, ea omnia contingunt, seu, humanitas Christi potuit peccare, potuit, quod minùs esset perfectum, eligere, si omissio mortis consideretur prout conjuncta cum præcepto moriendi, conc. ant. si in se tantùm & physicè consideretur, neg. ant. Humanitas Christi potuit omittere mortem hoc ultimo modo spectatam, quia merè sic accepta, nullam habet connexionem necessariam cum ultimo fine; at verò non

potuit

potuit omittere mortem prout conjunctam cum præcepto: nec id necesse fuit, ut esset libera: siquidem ad libertatem non requiritur, ut facultas id possit, quod malum est: nempe libertas non aliud est, quam voluntas mediorum servato ordine finis; at ordo ille non servatur ab eo, qui peccat, cum peccatum ex se, ab ultimo fine operantem avertat.

Quæ mox tradita est distinctio mortis in se spectatæ, & mortis conjunctæ cum præcepto, aliis quidem terminis, sed eundem sensum habentibus, a plerisque sancti Thomæ discipulis explicatur. Scilicet hanc propositionem: *Christus potuit actum præceptum omittere*, sic distinguunt: Potuit omittere actum *materialiter, & in se sumptum*, concedunt, *formaliter sumptum*, seu, *prout subjacet præcepto*, negant. 2. Potuit omittere actum præceptum, negativè, concedunt, privativè negant: 3. Potuit omittere actum præceptum, *potentia antecedente præceptum*, concedunt, *potentia consequente*, negant. 4. Potuit actum præceptum omittere, *in sensu diviso*, seu potentia divisa ab actu, concedunt, *in sensu composito*, seu potentia conjuncta cum actu, negant. Vide distinctiones illas fuse explicatas apud doctissimum Antonium Massoulie ex Ordine Prædicatorum Part. 1. dissertatione 2. quæst. 8. art. 3. libri, quem inscripsit: *Divus Thomas sui interpres, de divina motione & libertate creata.*

QUÆSTIO VI.

De merito Christi.

Not. Quæ spectant ad Christi meritum, reduci possunt ad has quæstiones; utrum, per quos actus, quibus subjectis, & quid Christus meruerit.

CONCLUSIO 1. De fide est, Christum verè & propriè meruisse.

Probatur 1. iis Scripturæ locis, in quibus dicitur, quod Christus sua morte genus humanum redemerit: *Mementote* (verba sunt Petri) *quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati*; 2. ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi definitur, Christum esse nostræ justificationis causam meritoriam; 3. ex eo, quòd in Christo fuerint omnes conditiones, quæ ad meritum requiruntur; sanctitas nimirum, libertas, status viatoris, actiones bonæ cum ex objecto, tum ex fine, & tandem promissio divina, juxta illud Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur.*

Quæres, quo tempore Christus mereri cœperit, & utrum nunc aliquid mereatur?

Resp. ad 1. Christum meruisse a primo suæ conceptionis instanti. Ratio est, quia per actum charitatis obtulit sese Deo Patri hostiam pro generis humani redemptione; juxta illud Apostoli ad Hebræos 1. *Ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam.*

Resp. ad secundum negativè. Ratio est, quia ad merendum, ex ordinatione divina, status viæ requiritur. Id, ut docent interpretes, Christus significatum voluit Joannis 9. ubi sic loquitur: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.*

CONCLUSIO 2. Christus meruerit per solas actiones humanitati proprias, non autem per eas, quæ soli divinitati propriæ fuerunt.

Probatur. Ut quis mereatur, debet habere superiorem, a quo meriti mercedem recipiat; atqui Christus in solis actionibus humanitati propriis superiorem habuit, a quo mercedem reciperet: ergo, &c.

Quæres, per quos in specie actus humanitati proprios Christus meruerit?

Resp. omnes actus, qui liberè ex humanitate manarunt, fuisse meritorios. Ratio est, quia nullus in Christo fuit actus liber, qui non fuerit aut elicitus aut imperatus a charitate: sed (ut superiùs ostensum est) Christus meruit per actus charitatis, sive eliciti, sive imperati fuerint: *Nec tamen* (ait sanctus Thomas 3. p. q. q. 19. art. 3. ad 1.) *per charitatem meruit, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.*

CONCLUSIO 3. Christus sibi meruit gloriam corporis, & nominis exaltationem, non verò aut primam gratiam actualem, aut gratiam habitualem, aut visionem beatificam.

Probatur prior pars ex Apostolo, qui gloriam, qua nunc Christus in Cœlis fruitur, adscribit illius morti tanquam causæ meritoriæ: *Humiliavit* (inquit ad Philippenses) *semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ad Hebræos 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.* Hinc sanctus Augustinus Tractatu 104. in illud Joannis cap. 17. *Pater, clarifica filium tuum*, sic loquitur: *Ut Christus resurrectione glorificaretur, prius humiliatus est passione. Humilitas, claritatis est meritum: claritas, humilitatis est præmium.*

Probatur altera pars. Principium meriti non cadit sub meritum; atqui prima gratia actualis fuit in Christo principium meriti; quamvis enim unio hypostatica, Christi actionibus meritum contulerit, elicitæ tamen non fuerunt, nisi ex motu auxilii supernaturalis, quo humana illius voluntas ad suos actus physicè determinata fuit.

Probatur tertia pars. Christus in primo suæ conceptionis instanti donatus fuit gratia habituali & visione beatifica. Nec mirum; nam utraque debebatur unioni hypostaticæ connaturalitatis titulo. Potuisset tamen utrumque illud donum mereri: scilicet per unionem hypostaticam erat infinite sanctus, ac proindè sine gratia illa, quam Theologi habitualem vocant, potuisset actiones operari, quibus, utpote infinite gratis propter dignitatem operantis, debitæ fuissent, tanquam vera merces, gratia habitualis & gratia visionis, si Deus non impedivisset, ne ex unione effluerent; quemadmodum impedivit, ne ex eadem unione, debita alioquin, corporis gloria manaret.

CONCLUSIO 4. Christus meruit nobis & salutem, & ea omnia, quæ ad illam ordinem dicunt.

Probatur. Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 3. expressè definit, Christum nobis gratiam sanctificantem meruisse: *Nisi* (inquit) *in Christo homines renascerentur, nunquam justificarentur, cum ea renascentia per meritum passionis ejus, gratia, qua justi fiunt, illis tribuatur.* Cap. 16. definitur, justum ex Christi meritis mereri augmentum gratiæ: *Cùm enim* (ait) *ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, &c.* Eadem Synodus de dispositionibus gratiæ sanctificanti prærequisitis, sic loquitur sess. 6. capite 5. *Declarat præterea, ipsius justificationis exordium in adultis Deo per Christum præveniente gratia sumendum esse.* Tandem Apostolus ad Ephes. 1. apertè docet, gratias omnes etiam, ut loquuntur, gratis datas, esse ex Christi meritis: *Qui benedixit nos* (ait) *in omni benedictione spirituali, in cœlestibus in Christo Jesu.*

Quæres 1. utrum Christi meritis tribui debeat,

quòd parvulis quibusdam baptismus ante mortem conferatur : 2. utrum Christus nobis bona temporalia promeritus sit ?

Resp. ad primum affirmativè. Ratio est, quia baptismus in parvulis unicum est & necessarium medium ad parvulorum justificationem. Resp. ad secundum negativè, si bona temporalia ad salutem non ordinentur : aperte nimirum Christus in Evangelio profitetur, regnum sibi datum a Patre non esse de hoc mundo.

Quæres 2. utrum Angeli & Adamus innocens gratiam ex Christi meritis habuerint ?

Resp. negative. Ratio est, quia Christus, ut suo loco dictum est, non fuit futurus, nisi post prævisionem peccati originalis : ergo in justificationem, sive Angelorum, sive Adami innocentis, influere non potuit: neque enim quod posterius est tum in intentione divina, tum in executione, potest influ re in id, quod prius est. Præterea id aperte Scriptura demonstrat : *Si unus pro omnibus mortuus est* (ait Apostolus 2. ad Corinthios 5.) *ergo omnes mortui sunt* : hoc est, non nisi pro lapsis in peccatum lethale, quod mors est animæ, Christus mortuus est. Ad Hebræos 2. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnes, propter quod non confunditur fratres eos vocare, dicens : Narrabo nomen tuum fratribus meis:* at Angeli & Christus non ex uno prodierunt, Angeli non fuerunt Christi fratres : ergo gratiam, aut gloriam ex Christi meritis non habuerunt.

Nec obstat Apostolus, cùm dicit, Deum instaurasse *omnia in Christo, quæ in cœlis & in terra sunt*. Neque enim eo sensu instaurata sunt in Christo, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, quod Christus pro Angelis mortuus sit, sed quòd Angelorum, qui lapsi sunt, ruinæ per Christum reparatæ sint; in quantùm scilicet suis meritis effecit, ut homines, eorum loco substituerentur: *Non pro Angelis mortuus est* (ait Augustinus Enchiridii cap. 16.) *sed idem etiam pro Angelis fit quidquid hominum per ejus mortem redimitur, & liberatur à malo; quoniam cum eis quodammodo redit in gratiam post inimicitias, quas inter homines & Sanctos Angeles peccata fecerunt, & ex ipsa hominum redemptione, ruinæ illius Angelicæ detrimenta reparantur.*

QUÆSTIO V.

De subjectione Christi.

Not. 1. Idea, quæ subjectionis nomini convenit, tria complectitur, inæqualitatem, dependentiam, debitum obediendi. Nemo revocat in dubium, quin Christus, prout est homo, ea triplici ratione æterno Patri subjectus fuerit. Scilicet Joannis 14. ipse suam inæqualitatem prædicat: *Pater major me est*. Quæ de quolibet ente creato scribuntur Sapientæ 16. *Creatura tibi factori deserviens*, conveniunt humanitati Christi, quæ licet unita Verbo, ex nihilo tamen educta est. Non semel in Evangelio Christus meminit perfectæ obedientiæ, quam exhibuit Patri, Non semel ait se nihil operatum esse, quam id, quod a Patre præceptum fuisset : *A me ipso* (Joannis 8.) *facio nihil*.

Not. 2. Subjectio, quæ attenditur ex obedientiæ debito, considerari potest, vel in ordine ad præcepta legis naturalis, vel in ordine ad ea, quæ sunt juris positivi, sive divini, ut erat lex Mosaica; aut humani, ut sunt edicta Principum, rerumplublicarum constitutiones sanciuæ in bonum societatis civilis, cui præsunt. Certum est Christum, ut homo est, stricto jure obligatum fuisse ad servanda legis naturalis præcepta; neque enim Deus quempiam ab eorum observatione eximere potest. Parentibus tamen non obedit ex debito; quia quartum Decalogi præceptum, iis tantum filiis obedientiam respectu parentum præcepit, qui parentibus inferiores fuerint; ut proinde, cùm Christus ut homo per potestatem, quam *excellentiæ* vocant, dominus esset parentum, eis obtemperare non tenebatur. Certum est iterum, Christum, ut homo est, liberum fuisse a præceptis Mosaicis, erat enim legislator Mose superior; unde Matthæi 12. se etiam sabbati dominum prædicat. Certum est tandem, nullum in eo fuisse debitum parendi legislatoribus humanis; nam licet regnum illius de mundo non esset, tamen cum humanitas in eo esset conjuncta personæ Verbi, potestate pollebat, quæ humana præstantior erat. Nec obstat, quod Joannis 19. videatur agnoscere, Pilatum aliquam in ipsum potestatem habuisse: nec enim agnoscit eam quasi de jure fuisset, sed quæ esset de facto tantùm, seu quòd eam in Christum exercere permitteretur; unde (ut ipse ait Luc. 22.) Pilati in Christum potestas, erat potestas tenebrarum, dicebatur tamen a Deo tradita : *Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi traditum esset desuper* : quòd illius exercitium in Pilato toleraretur.

Not. 3. Quamvis ratum sit, naturam, quæ assumpta fuit a Verbo, esse naturam servam, juxta illud ad Philippeoses 2. *Formam*, hoc est, naturam, *servi accipiens*; dubium tamen est, an Christus saltem cum hac additione, *prout homo*, sit, ac dici debeat servus Patris. Circa eam quæstionem duplex est Authorum, etiam Catholicorum, sententia. Prima docet, in rigore veram esse hanc propositionem : *Christus, prout homo, est servus Patris*. Altera e contra contendit, propositionem illam admitti non debere. Illi Sylvius, & pluresalii patrocinantur, isti verò Thomassinus noster, cui non pauci subscribunt.

CONCLUSIO. Christus etiam prout est homo, nec est, nec dici debet servus Patris.

Probatur 1. Ille nec est, nec dici debet servus Patris, qui nusquam sibi nomen illud tribuit, qui Patrem nusquam appellavit dominum, qui ab Apostolis eo nomine nusquam vocatus est : scilicet modus, quo tum Christus ipse de se ipso locutus est, tum is, quem postea adhibuerunt Apostoli, regula est, ad quam, & nostra fides, & modus loquendi exigi debent: atqui Christus nusquam se dixit Patris servum, nusquam Patrem vocavit dominum, nusquam sic quoque, aut ipse, aut Pater ab Apostolis vocati sunt : ergo Christus nec est, nec dici debet Patris servus. Minor propositio variis momentis ostendi potest.

Et sanè nec in Evangeliis, nec in Epistolis canonicis, vel unum locum reperire est, in quo legatur modus loquendi, de quo agitur. Augustini est observatio illa : *Neque in ipso Evangelio* (ait quæst. super Genesim, cap. 59.) *facile invenimus à Christo Deum patrem, Dominum appellatum, quod ejus dominus esset, quamvis Deum inveniamus in illo loco, ubi ait : Vade ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.*

Tempus quo Christus inter duos latrones medius pendebat in Cruce, cùm orabat in horto, ut ab eo transiret Calix passionis, aptum fuisse videtur, ut & sibi nomen servi, & patri nomen domini tribueret : at id ne tunc quidem præstitit : *Enim vero* (verba sunt Hadriani Papæ I. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ contra Fœlicem & Elipandum conscripta) *etiam in ipso articulo passionis, in quo servilis forma pati parata erat, ubi omnis humanæ conditionis infirmitas monstrabatur, non eum Dominum appellavit, sed Patrem; Pater* (inquit) *si fieri potest, transeat à me Calix iste.*

Pater ipse non semel in Evangeliis Christo locutus est : at eum filium vocavit semper, nusquam verò servum : *Nusquam* (ait mox laudatus Papa) *eum vocatum à Patre servum legimus, sed filium & dilectum suum.*

Apostoli Christum vocarunt quidem dominum suum, sed nusquam Patris servum : *Nullus Evangelistarum, nemo Apostolorum* (ait Hadrianus) *servum eum commemo-*

memorat; sed Dominum & Salvatorem. Nam Thomas cùm exploraret vestigia vulnerum, quę clavi & lancea intulerant, exclamavit, dicens: Dominus meus, & Deus meus. Petrus ait: Domine, tu mihi lavas pedes? Discipuli omnes: Domine, adauge nobis fidem. Paulus clarissima mundi tuba, semper eum Dominum & ipse confitetur, & omnem linguam confiteri perdocet.

Probatur 2. Tantùm abest, ut aut Evangelium aut Epistolæ canonicæ Christum, etiam ut homo est, servum appellaverint, quin potiùs non obscurè innuant eum sic appellari non debere.

Christus apud Matthæum sic Patrem alloquitur: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terra, quia abscondisti hæc, &c.* Ea in sententia Christus creaturas a se ipso distinguit, creaturas Deo tanquam domino subjicit; seipsum verò Deo, non ut Domino, sed ut Patri subjecit: *Eam differentiam ipse docuit* (ait Athanasius or. 3. contra Arianos) *pulcherrima interpunctione dicens, Confiteor tibi Pater, deinde, Domine cæli & terra. Ubi illum & Patrem suum dixit, & rerum creatarum Dominum.*

Paulus in epistola ad Hebræos, in eo Christum opponit Moysi, quòd iste, Dei servus fuerit in domo Dei, ille verò, Filius: *Moyses quidem tanquam famulus fidelis fuit in tota domo ejus, Christus autem tanquam filius in domo sua:* Ea verò sibi dignitas, quæ in Christo resultat, excludebat servi conditionem; alioquin enim Apostolus frustra eam dignitatem servili Moysis conditioni opposuisset: immeritò eam oppositionem protulisset, ut suam hanc propositionem: *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus*, assereret. Ita ratiocinatur Synodus Francofordiensis in epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Quomodo* (ait) *amplioris gloria, si servus, sicut & Moyses? si vel ex servo adoptivus?* Quæcumque Moyses egit, sapiunt servitutem; econtra, quæ Christus præstitit, longiùs servitutem abjiciunt: ille enim reis minas intentavit, iste econtra reos absolvit: *Per servum lex data est* (inquiunt Patres Concilii Francofurdiensis) *& reos fecit: per Imperatorem indulgentia data est, & reos liberavit. Lex per Moysen data est, non sibi aliquid amplius servus assignet, quam quod per illum factum est. Electus ad ministerium, tanquam fidelis in domo; sed tamen servus, agere secundum legem potest, solvere à reatu legis non potest.*

Probatur 3. authoritate Patrum. Dionysius Alexandrinus in epistola ad Paulum Samosatenum, & in responsione ad quæstionem septimam ejusdem, expressè negat, Christum, *qui natura Dominus erat, fuisse naturę servum*. Objicit sibi Apostolicum textum: *Formam servi accipiens*, respondent verò, formam eo in loco significare non quidem intrinsecam naturam servi, sed apparentem tantùm: *Neque verò* (ait) *forma servi servus est. Ut si famulum suum herus jubeat pellem ovis induere, &c.*

Theodoretus ad calcem secundi Dialogi, Apollinario vertit crimini, quòd corpus Christi nominasset stolam & creaturam & instrumentum, eumque vocasset servum: *Quod* (inquit) *nullus nostrum antea ausus erat dicere*. In confutatione anathematismi sexti Cyrilliani, expressè scribit, naturam assumptam, quæ in instanti rationis ante unionem ab Apostolo dicta fuit forma servi post unionem sic appellari non debere: *Non jam* (inquit) *locum habet, unitione facta, servitutis vocabulum*. Augustinus, ut referunt Patres Concilii Francofordiensis in epistola Synodica, hom. 39. sic loquitur: *Dominus noster etiam in forma servi, non servus; sed in forma etiam servi dominus fuit.*

Hadrianus Papa I. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, sic Fœlicem & Elipandum in Hispaniis Episcopos alloquitur: *Adoptivum eum filium quasi purum hominem, calamitati humanæ subjectum, (& quod pudet dicere) servum eum impii, & ingrati tantis beneficiis, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce susurrare.* Solvit idem Pontifex argumenta omnia, quibus Adversarii nostri post Fœlicem & Elipandum utuntur, ut Christo, prout est homo, servitutem afferant.

Concilium Francofordiense docet, servi nomen in Scripturis nusquam Christo tribui, contenditque, veteris Testamenti textus, qui prænuntiant Christum futurum esse servum, non propriè, sed per accomodationem tantum intelligi debere. Refert Pauli sententias ad Hebræos; profert antiquorum auctoritates: varia colligit argumenta, quibus a Christo, etiam prout est homo, servitutem abegit: *Si Deus verus est* (ait in epistola Synodica) *qui de Virgine natus est, quomodo potest tunc adoptivus esse, vel servus? Deum enim nequaquam audetis confiteri servum, vel adoptivum*. Contendebant Fœlix & Elipandus, Christum ideò & esse & dici debere filium adoptivum, quòd & esset & dici deberet servus: econtra Patres Francofordienses contendunt, ideò nec esse nec dici debere filium adoptivum, quòd nec sit nec dici debeat Dei servus: hincque patet, verum non esse commentarium eorum, qui ut vim argumenti declinent, respondere solent, Concilium Francofordiense rejicere servi nomen, non quidem (ajunt) absolutè, sed tantùm prout ex adoptione a Fœlice & Elipando colligebatur. Præterea, si Concilium existimasset Christum posse aliquo sensu dici servum Patris, non negasset simpliciter eum nec esse nec dici debere Patris servum, sed restrictionem adhibuisset, ne indefinitus terminus, universaliter intelligeretur; nec ita solvisset Fœlicis & Elipandi argumenta, ut ea eriperet auctoribus, qui ut sibi videntur, Christum alio sensu, quam Fœlix & Elipandus servum & esse & dici posse contendunt. Vide ipsam Hadriani epistolam ad Hispaniarum Episcopos. Vide pariter epistolam Synodicam Concilii Francofordiensis, nimirùm necessaria est ea lectio, ut Theologus de controversia, de qua est hìc quæstio, certum judicium ferre possit.

Joannes Damascenus lib. 3. de fide orthodoxa c. 21. fatetur, Verbum assumpsisse quidem naturam, quæ ex se ignorans esset & serva: *Sciendum est ignorantem & servam illum naturam assumpsisse: Etenim serva est conditoris sui natura hominis*; contendit tamen inde non sequi humanitatem in Christo post unionem servam esse aut ignorantem. Hanc autem assertionis suæ rationem profert, quòd servi nomen non in naturam, sed in personam cadat. *Sciendum est* (inquit) *ne servum quidem posse nos illam nominare: siquidem servitutis & dominationis vocabula, non naturæ sunt indicia, sed ex eorum genere, quæ sunt ad aliud: quemadmodum paternitatis & filiationis nomina.* Ea Damasceni ratio planè perimit eos, qui Christum alio, ut sibi videntur, sensu, quam Fœlix & Elipandus, servum & esse & dici debere contendunt.

Solvuntur argumenta, quæ tum pro Fœlice & Elipando, tum pro quibusdam alioquin Catholicis objiciuntur.

Objicies 1. Isajæ capite 42. hæc leguntur: *Ecce servus meus, suscipiam eum, electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet:* Ea autem verba de Christo Jesu intelligi debere fidem facit Matthæus, cap. 12. ubi enim retulit Christum a se sanatis prohibuisse, ne manifestum eum facerent, sic loquitur: *Ut adimpleretur quod dictum est per Isajam Prophetam, dicentem: Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ:* Ergo Christus, & est & vocari potest servus Patris.

Resp. 1. Locum illum, si valeat textus, qui apud Septuaginta legitur, Adversariis non favere; sic enim habet: *Jacob puer meus, assumam eum; Israel electus meus,*

meus, suscepit eum anima mea. 2. Non favet quoque habita ratione dictionis Graecæ *παῖς*: vox enim illa & pro servo & pro filio sumi potest; unde Cyrillus in laudatis ex Isaia verbis, filium potiùs, quam servum intellexit. 3. Et amsi supponatur textum Hebraicum, qui legit *servus*, anteponi debere Septuaginta versioni, & dictionem Græcam *παῖς*, eo loci sumi pro servo, tamen textus ille adversariis non favebit. Ratio est, quia in ea suppositione, metaphoricè, non verò propriè sumi debebit; hoc est, in quantum vox *servus*, non conditionem, sed servitutis exercitium significat: ita ratiocinantur Patres Francofordienses in epistola ad Episcopos Hispanos: *Etsi* (inquiunt) *eum Propheta servum nominasset, non tamen ex conditione servitutis, sed ex humilitatis obedientia, qua factus est Patri obediens usque ad mortem*. Itaque in forma respondeo, dist. conseq. Ergo Christus improprie & metaphoricè vocari potest servus Patris, seu in quantum ejus charitas eum ad officia servi impulit, conc. conseq. propriè & non metaphoricè, seu in quantum vox, *servus*, significat conditionem operantis, neg. conseq.

Objicies. 2. Isaiæ cap 49. Christus sic loquens inducitur: *Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi...... parum est ut sis mihi servus*. In Psalmis ipsemet Christus se Patris servum prædicat: *O Domine, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ*: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Christus apud Isaiam, & in Psalmis dicitur servus in persona aliena, conc. ant. in persona propria, neg. ant. Hoc est, ideò Christus dicitur servus, quod aut ab Israele, aut a Davide, aut aliquibus aliis Prophetis, qui servi erant, in officiis, quibus postea perfunctus est, adumbraretur. Confirmatur ea responsio. 1. ex eo, quòd Isaias eodem in loco textum suum ad Israelem restringat: *Et dixit mihi* (ait immediatè post verba, quæ nobis objecta sunt) *servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor*. Confirmatur 2. auctoritate Hadriani Papæ I. qui in sua Epistola ad Episcopos Hispaniæ expresè ait eum, qui per alium adumbratur, non posse, proprie loquendo, illius nomine vocari. *Hoc nos* (inquit, agens de hisce Domini ad Jobum verbis: Considerasti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra) *cum B. Gregorio intelligimus, & secundum historiam de sancto Job, & allegoricè de Christo dictum. Numquid propterea servi ei nomen imponere debemus, quia sub persona Job, Scriptura eum typicè designabat?*

Objicies 3. Ille & est & dici debet servus, quem Apostolus asserit servi formam accepisse, sicut ille & est & dici debet Deus, quem idem Apostolus scribit in forma Dei esse: atqui Apostolus scribit, Christum servi formam accepisse: *Qui cum* (inquit ad Philippenses 2.) *in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Ille est servus, quem Apostolus asserit servi formam accepisse, quoad conditionem, conc. maj. quoad officia tantùm, neg. maj. Equidem ad officia servi sese Christus demisit, sed nusquam servi conditionem suscepit, sic licèt rex operosissima & maximè ignobilia subditis exhiberet officia, servi tamen conditionem accepisse non diceretur.

Instabis. Christus non officia tantum, sed & conditionem servi suscepit: eam enim servi conditionem Apostolus per servi formam expressit: *Formam servi accipiens*: siquidem servilis conditio non aliud est, quam natura creata, natura dependens: ac proinde cum Apostolus per hæc verba: *Formam servi*, naturam creatam ac dependentem intellexerit, sequitur, Christum non tantùm officia servi, sed & ipsam servi conditionem suscepisse.

Resp. hanc propositionem, *Servilis conditio non aliud est, quam natura creata ac dependens*, esse falsam: licèt enim ad servitutem sumptam secundum officia, satis sit natura creata ac dependens, satis tamen non est ad conditionem servilem: nempe requiritur præterea persona, quæ sui juris non sit, sed alieni; proindeque cum ejusmodi persona non sit in Christo, non potest dici servus, etiam prout est homo

Confirmatur responsio 1. ex sancto Joanne Damasceno, qui (ut superius ostensum est) expresè profitetur, conditionem servilem non in naturam, sed in personam cadere, eo quod servilis conditio non sit aliquid absolutum, sed relativum tantùm; quemadmodum paternitatis & filietatis nomina, quæ non *substantiam*, sed *habitudinem* significant.

Confirmatur 2. ex Patribus Concilii Francofordiensis, qui confessi in Christo servi formam fuisse, negarunt tamen, inde sequi Christum etiam ut est homo, dici posse servum; idque ex Leone Magno & Augustino confirmant: *Præfato* (inquiunt in epist. ad Episcopos Hispaniæ) *Papa Leone dicente in homilia secunda de Nativitate Christi: Assumpta est de matre Domini, natura, non culpa: creata est forma servi sine conditione servili, Item sanctus Augustinus dicit: Dominus noster etiam in forma servi, non servus, sed in forma etiam servi, dominus fuit*.

Instabis. Ubi est causa necessaria, ibi & effectus esse debet; atqui natura creata, est causa servitutis & servilis conditionis: ergo cum, Apostolo teste, ejusmodi natura in Christo reperiatur, *formam servi accipiens*, debet pariter in eo esse effectus ejusmodi causæ, seu servitus, ac servilis conditio.

Resp. dist. maj. Si effectus causæ necessariæ non impediatur ab extrinseco, conc. maj. si impediatur, neg. maj. Quælibet natura creata, est quidem causa servitutis, seu ex se nata est servilem conditionem parere: verum ne effectus ille ex humana in Christo natura sequeretur, impedimento fuit illius cum persona Verbi conjunctio: *Beatus Paulus* (ait Theodoretus in responsione Anathematismi sexti Cyrilliani) *servi formam appellavit naturam assumptam: non ultra locum habet, unione facta, servitutis nomen*. Id verò hac ratione idem Theodoretus confirmat: *Nam* (ait) *si idem Apostolus scribens his, qui in illum crediderant, dicebat: Itaque jam non est servus, sed filius: & Dominus discipulis: Jam non dicam vos servos, sed amicos: multò magis primitiæ nostræ naturæ, per quem & nos adoptionis nomen consecuti sumus, servi cognominatione liberatus est*.

Objicies 4. Qui Patri fuit obediens usque ad mortem crucis, qui tenebatur legis naturalis præcepta servare, ille dici potest Patris servus; atqui Christus, prout est homo, fuit obediens Patri, &c. Præterea, qui cultu latriæ Patrem olim adoravit, & nunc adorat, verè fuit, & est modò Patris servus; cultus enim latriæ, cultus est servitutis; atqui Christus, prout est homo, Patrem olim adoravit, & nunc adorat latriæ cultu; unde se Judæis in Evangelio conjungens, ait: *Nos adoramus, quod scimus*.

Resp. ad 1. dist. maj. Qui Patri fuit obediens, timore ac necessitate constrictus, dici potest Patris servus, conc. maj. qui ex charitate & liberè, neg. maj. Pater filium, quidem pro nobis in mortem tradidit, sed & ipse filius *dilexit me* (ait Apostolus) *& tradidit seipsum pro me*. Apertè innuit ipse, se ex amore in Patrem servasse lata ab eo præcepta: *Diligo Patrem* (ait) *& sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Confirmatur responsio 1. ex eo, quod licet quisque natus patris sui præceptis teneatur, non ob id tamen servus est, aut dici potest, sed filius; illudque nomen eò magis merebitur, quo patri sese magis obedientem exhibuerit. Confirmatur 2. ex eo, quod petitum ab obedientia argumentum, ipsummet sit, quod Fœlix & Elipandus objiciebant Catholicis; unde Alcuinus, qui horum nomine respondit, sic

lib. 5.

lib. 5. loquitur: *Non conditione debitæ servitutis, sed implendæ paternæ voluntatis in salute humana voluntaria obedientia: nam in Christo quidquid gestum est, totum voluntatis fuit, non necessitatis.*

Resp. ad 2. neg. maj. Ratio est, quia licèt adoratio sit officium servi, tamen adoratio non constituit servum: sicut in humanis obsequium servile, quod filius exhibet Patri, Filium non constituit servum. *Nam & filius* (verba sunt Tertulliani lib. de carne Christi) *à Domino vineæ mittitur ad cultores, sicut & famuli, de fructibus petitum: Sed non propterea unus ex famulis deputabitur filius, quia famulorum successit officio.* Præterea Christus, etiam ut homo, non servili, sed maximè nobili modo Patrem adoravit: scilicet adoravit dignè Deo; unde Apostolus ait: *Exauditus est* (a Patre) *pro sua reverentia.*

Objicies 5. Plures ex antiquis Patribus scripserunt, Christum, prout est homo, & esse & dici posse Patris servum. Primò, objicientibus Arianis Isaiæ verba: *Hæc dicit Dominus, qui finxit me ex utero servum sibi*, responderunt, ea non de Verbo, sed de Deo homine intelligi debere: *Ex utero servum se dixit* (inquit Ambrosius in Psal. 35.) *Audi, Ariane, ex quo utero? paululum supra recurre: Ex utero, inquit, matris meæ vocavit Dominus nomen meum ..... Ex utero virginis idem & servus exivit, & Dominus.* 2. Iisdem Arianis contra Verbi divinitatem objicientibus Scripturam, in qua Dei Sapientia se à Domino creatam prædicat, responderunt, de Sapientia incarnata, hoc est de Christo, ut est homo, intelligi debere: *De eo tempore* (ait Athanasius Oratione 3. contra Arianos) *proverbialiter dictum est, Creavit me, cum creaturam induebat carnem*: At qui dominum habet, servus est. 3. Conceptis verbis Christus a Patribus dictus est servus: *Habens* (inquit Hilarius lib. 11. de Trinitate) *Deum suum in dispensatione, cum servus est, & Patrem in claritate, cum Deus sit.* 4. Patres exponunt Prophetarum oracula, in quibus servitutis fit mentio, de Christo: *Quocirca* (ait Cyrillus in defensione Anathematismi tertii adversùs Theodoretum) *si quis dicat, eum appellatum esse servum per vocem Sanctorum Prophetarum, nullo modo offendi decet.* Ergo ex Patribus, Christus, prout homo, & est, & dici debet Patris servus.

Resp. ad 1. dist. ant. Respondent, ea non de Verbo, sed de Deo homine intelligi debere metaphorice, nempè in quantùm ii, de quibus ad litteram loquebantur, aut Isaias, aut David, aut alii Prophetæ, erant typus Christi, conc. ant. proprie, hoc est, de ipso Christo, neg. ant. Ita respondet Adrianus Papa in Epistola ad Episcopos Hispaniæ. Ad 2. Christus prout homo, ex Patribus, Deum vocat Dominum suum, ratione formæ servi, quam Verbum assumpsit, conc. ant. ratione conditionis servilis, neg. ant. *Eum* (ait Athanasius post verba, quæ ex eo in objectione laudata sunt) *non patrem suum, sed dominum appellat. Non quia servus, sed quia servi formam assumpserat.* Ad 3. dist. ant. Patres Christum vocarunt servum impropriè, conc. ant. propriè, neg. ant. hoc est, servum vocarunt propter naturam servi, quæ in eo erat; sed non propter conditionem servilem, quæ ex ea natura fluxisset, si permansisset sui juris, nec Verbum eam sibi hypostatice conjunxisset: *Denominativè igitur* (ait Damascenus lib. de fide orthodoxa cap. 2.) *dicitur servus, non quòd ipse sanè hoc existat, sed quod propter nos formam servi accepit, & servus nobiscum vocatus est.*

Quæres, utrum Christus, prout est homo, possit dici servus sui ipsius, ut Verbum est?

Resp. 1. eos, qui docent Christum, prout est homo, dici posse servum Patris, fateri quoque posse eum appellari servum sui ipsius, ut Verbum est. E contra, qui prius negant, negant & posterius: nituntur autem auctoritate Cyrilli, qui anathematismo sexto damnat eum, *qui dicit Deum, vel Dominum esse Christi, Dei Patris Verbum.* Idem confirmat in ejusdem anathematismi defensione adversùs Theodoretum, aitque, ex eo loquendi modo sequi, duas esse in Christo personas: *Non igitur* (ait) *dici potest sui ipsius Deus & Dominus Emmanuel, siquidem Deus, idem est & homo.*

QUÆSTIO VI.

De adoptione Christi.

Not. 1. Circa annum Domini 783. Elipandus Archiepiscopus Toletanus per literas a Fœlice Urgelitano Episcopo quæsiit, quid de humanitate Christi sentiret. Respondit Fœlix, Christum & esse & dici debere adoptivum Patris filium: momenta, quibus usus fuerat in suo responso, Elipandum in ejus sententiam pertraxere. Beatus apud Asturitenses Presbyter, Heterius Episcopus Uxumensis, doctrinam, quam Elipandus in Hispania, & Fœlix in Gallia etiam & Germania, pro viribus disseminare conabantur, conscriptis libris impugnarunt. Delata res est ad Hadrianum Papam primum, qui amplissimas de ea controversia literas dedit ad Hispaniarum Episcopos: delata quoque fuit ad Carolum Magnum, qui causam in Francofordiensi Concilio judicari curavit. Fœlix non semel errorem ejuravit suum, sed Elipandus in eo ad mortem usque constans perstitit.

Not. 2. Licet certum sit apud omnes, Fœlicem, & Elipandum asseruisse, Christum esse filium adoptivum Patris; non conveniunt tamen, an dum asseruerunt Christum esse filium adoptione, negaverint eum esse filium natura. Lis est pariter inter eos, utrum Felix, & Elipandus absolutè ac sine additamento asseruerint Christum esse filium adoptione, an verò cum hac restrictione & hoc additamento, *Prout est homo.*

Not. 3. Scotus in 1. Sent. distinct. 10. quæst. 1. in reportatis eadem distinctione, quæstione 1. docet Christum dici posse filium adoptione: addit, vitari tamen debere eum loquendi modum, propter hæreticos, qui eo abutuntur. Cum autem illius discipulis objicitur, Scotum Fœlicis & Elipandi in eo capite sententiam propugnasse, respondent, non propugnasse in sensu Fœlicis & Elipandi, quod inquiunt, Fœlix & Elipandus contenderent, Christum esse filium adoptivum in sensu Nestorii, qui Verbum inter & humanitatem admittens solam unionem moralem, quæ adoptionem constituit, negabat unionem personalem, qua filiatio naturalis constituitur. Durandus, ac post eum plures alii, docent, Christum absolutè quidem dici non posse filium adoptivum, sed dici posse cum additamento, *Secundum humanitatem*, vel, *Prout est homo*. Cum verò Durandus urgetur textibus Patrum, qui Fœlicem, & Elipandum damnarunt, respondet, in hoc uno positum fuisse illorum errorem, quod assererent, Christum sine additamento, *Prout est homo*, dici posse filium adoptivum. E contra Sanctus Tomas, cui tota ferè schola subscribit, docet, Christum, nec absolutè, nec cum additamento dici posse filium adoptione. Licet S. Doctor in Summa 3. p. quæstione 23. ubi agit de Christi adoptione, nec Hadriani literarum ad Episcopos Hispaniæ, nec definitionis factæ a Francofordiensi Concilio meminerit (unde rectè colligi potest, monumenta illa ad illius notitiam non pervenisse) ejus tamen discipuli utraque illa auctoritate utuntur, ut probent traditam à S. Thoma doctrinam, passimque contendunt, & Hadrianum, & Francofordienses Patres damnasse adoptionem in Christo, etiamsi supposita unione hypostatica admittatur, quamvis nonnisi cum additamento, *Prout est homo*, Christo tribuatur.

Not. 4.

Not. 4. Ut, quæ ad causam, de qua agitur spectant, cum methodo pertractemus, quæremus hic 1. utrum Fœlix & Elipandus, dum admiserunt in Christo filiationem adoptivam, naturalem excluserint: 2. utrum absolute, an verò cum additamento tantùm, *prout est homo*, vel, *secundum humanitatem*, asseruerint, Christum esse Patris filium adoptione; 3. quibus argumentis adoptiva filiatio a Christo excludi possit.

CAPUT I.

An Felix & Elipandus agnoverint in Christo filiationem naturalem.

CONCL. FOelix & Elipandus, dum adoptivam in Christo filiationem admiserunt, non excluserunt naturalem.

Probatur. Illi non excluserunt a Christo filiationem naturalem, qui (contra quod Nesturius senserat) admiserunt substantialem unionem Verbi cum humana natura; scilicet ex unione substantiali, seu, quæ facta sit in persona Verbi, necessariò sequitur, Christum esse Patris filium natura; is enim filius est natura, qui subsistit in persona, quæ Patris filius est natura: atqui Fœlix & Elipandus admiserunt substantialem unionem Verbi cum humana natura: ergo non excluserunt a Christo filiationem naturalem. Minor argumenti propositio variis momentis ostendi potest.

1. Elipandus persuasus, sanam esse suam de Christi adoptione doctrinam, & ècontra hæreticam esse Beatianam & Hetherianam (sic enim vocabat Beati & Heterii sententiam) a Carolo Magno, ut patet ex fragmentis, quæ idem Carolus inseruit Epistolæ, quam ad Elipandum rescripsit, enixè petiit, ut convocato Episcoporum Concilio, Beatus & Heterius tanquam hæretici damnasentur: at id petiisset nunquam, si cum Nestorio solam unionem moralem, per affectum nimirùm, Verbum inter & humanam naturam admisisset, negassetve personalem conjunctionem: unde enim in mentem illi venire potuisset, Gallos & Germanos antistites, qui semper audierant tanquam maximè Catholici, hæresi jamdiu in Nestorio damnatæ consensuros esse, ac damnaturos doctrinam, quam Ecclesia Catholica in Ephesino Concilio proscripserat?

2. Patres Concilii Francofordiensis, in quo diremta fuit lis, de qua est hic quæstio, inducunt Fœlicem & Elipandum, sic Catholicum hominem interrogantes: *Cur times adoptivum Christum Dominum nominare?* at inepta fuisset ea interrogatio, si Fœlix & Elipandus solam unionem moralem, cum personalis unionis exclusione, inter Verbum & humanitatem admisissent: quasi verò prævidere non potuissent, Catholicum responsurum esse, se ideò Christum non nominare filium adoptivum, quòd jamdiu definitum esset, illum esse filium natura? Non minùs quoque inepta fuisset Concilii ad Fœlicis & Elipandi interrogationem responsio: neque enim reponit prædamnatam esse in Nestorio hæresim illam, sed hoc unum respondet, recenter audiri in Ecclesia illum loquendi morem; ac proindè a Catholicis admitti nequaquam posse: *Ideò dico tibi* (verba sunt Concilii ad Fœlicis & Elipandi quæsitum respondentis in Epistola ad Episcopos Hispaniæ) *quia nec Apostoli eam sic vocaverant, nec sancta Dei Catholica Ecclesia consuetudinem habet sic eum nominandi, imo nec credere eum adoptivum esse.*

3. Nec Hadrianus Papa, nec Francofordiense Concilium, nec Beatus, nec Hetbertus, nec Alcuinus (qui ex Anglia a Carolo Magno evocatus fuerat in Gallias) eum Fœlicem & Elipandum impugnarunt, protulerunt testimonia, pro unione substantiali Verbum inter humanam naturam; sed supponentes, unionem illam ab eis admitti, probarunt ex adoptionis doctrina, quam recenter in Ecclesiam invehebant, stare non posse unionem illam, imò sequi admittendam esse moralem tantùm; ac proindè multiplicitatem non solùm naturarum, sed etiam personarum.

4. Fœlix & Elipandus docuerunt, admitti debere realem ac propriè dictam idiomatum communicationem inter Verbum & humanam naturam: *Quem*, æternum Dei Filium, *Scriptura sacra*, (ait Elipandus in fidei confessione, quam ante Francofordiense Concilium misit ad Carolum Magnum) *testatur pro salute humani generis, Deitate exinanita, hominem factum, circumcisum, baptizatum, flagellatum, crucifixum, mortuum, sepultum, servum, peregrinum, leprosum, & (quod deterius est) non solum ab Angelis, sed etiam ab hominibus minoratum, vermem esse dictum*: atqui idiomatum communicatio supponit in Christo unionem hypostaticam; imò ex ea ita pendet, ut sine ea stare minimè possit.

5. Illi substantialem unionem admiserunt in Christo, qui conceptis terminis professi sunt, se unam tantùm in eo personam agnoscere: scilicet unio, quæ tantùm est moralis, duplicem importat personam in iis, qui morali illa unione, utpote in solo affectu posita, conjunguntur: atqui Fœlix & Elipandus unam tantùm in Christo personam agnoverunt: *Cujus gloriam* (ait Elipandus in sua confessione) *secundum divinitatem stupeat cœlestia, & magnitudinem contremiscunt terrena: & qui dicit, gloriam meam alteri non dabo, homo interior in una eademque Dei, & hominis persona deglomeratus*, &c.

Objicies 1. Jonas Aurelianensis, Fœlici & Elipando coætaneus scriptor, libro 1. de cultu imaginum, narrat, Episcopos illos in Francofordiensi Concilio cum sui erroris primo auctore Nestorio damnatos fuisse: ergo ex Jona Aurelianensi, idem cum Nestorio senserunt. 2. Ipsum Concilium Francofordordiense, in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, sic Fœlicem & Elipandum alloquitur: *Nonne olim eadem hæresis vestra in Nestorio ab universali sancta Ecclesia refutata est, etiam & damnata?* 3. In libro Sacrosyllabo, qui conscriptus a Paulino Aquilejensi, in Francofordiensi Synodo probatus est, hæc habentur: *Dei ergo filius, qua ratione credi potest adoptivus, qui inseparabiliter assumpto homine, in una persona coeunte utraque natura, non duo filii, alius Dei & alius hominis, vel (sicut illi errando æstimant) adoptivus sit filius hominis?* ergo sive Concilio Francofordiensi, sive authori Sacrosyllabi persuasum fuit, Fœlicem & Elipandum non admisisse substantialem unionem Verbi cum humana natura.

Resp. concessis singulis partibus antecedentis, dist. conseq. Ergo sive Jonæ Aurelianensi, sive Francofordiensi Synodo; sive authori Sacrosyllabi persuasum fuit errorem Fœlicis & Elipandi damnatum fuisse implicitè & virtualiter in Nestorio; conc. conseq. explicitè & expressè, neg. conseq. Equidem Fœlicis & Elipandi error implicitè damnatus fuerat in Nestorio, scilicet contra Nestorium definitum fuerat, unam esse in Christo personam: at ex unitate personæ necessariò sequitur (licèt Fœlix & Elipandus id negarent) unitas filiationis, naturalis nimirùm, eo quòd filiatio, quæcumque sit, non in naturam, sed in personam cadat: verùm error ille explicitè damnatus non fuerat in Nestorio, nec enim expressum aliquid de quæstione, de qua agitur, reperire est in Cyrillo, aut in Concilio Ephesino primo, aut in aliis Authoribus, qui sæculo quinto Nestorium impugnarunt. Eodem modo & Jonas Aurelianensis, & Patres Concilii Francofordiensis intelligendi sunt, cum dicunt, errorem Fœlicis & Elipandi in Nestorio prædamnatum fuisse, quo intelligendi essent Authores, qui inter argumentandum dicerent, Durandum, quòd afferat, Christum dici posse hominem Dominicum, in Ne-

storio

ftorio fuiffe prædamnatum. Ergo quemadmodum is, qui fic Durandum impeteret, non habsret in animo fignificandi, Durandum cum Neftorio negaffe unitatem perfonæ in Chrifto, fed tantum ex illius fententia, velit nolitve, fequi duas effe in Chrifto perfonas: ita nec Jonas Aurelianenfis, nec Concilium Francofordienfe fignificare voluerunt, Fœlicem & Elipandum negaffe unitatem perfonæ in Chrifto, fed tantum adoptione, quam tuebantur, vellent nollentve, ejufmodi unitatem labefactari. Addendum eft, hæc verba, quæ ex Sacrofyllabo relata funt, *ficut illi errando æftimant*, non referri ad hæc, quæ præcedunt, *non duo filii, alius Dei & alius hominis*; fed ad ifta, quæ immediatè fequuntur, *Adoptivus fit filius hominis*: unde is eft Sacrofyllabi fenfus: Non poffunt effe duo filii in Chrifto, ita ut filius hominis dici poffit adoptivus, ficut illi, Fœlix & Elipandus, arbitrantur.

CAPUT II.

Utrum Fœlix & Elipandus, Chrifto tantum cum additamento, prout eft homo, *adoptionem tribuerint*.

CONCL. FOelix & Elipandus non fimpliciter & abfolute docuerunt Chriftum, adoptivum effe filium, fed cum additamento, *fecundum humanitatem*, vel, *prout eft homo*.

Probatur. Jonas Aurelianenfis lib. 1 de cultu imaginum fic de Fœlice loquitur: *Quoniam juncto fuo fceleratiffimo errori Elipando Toletanæ urbis Epifcopo, Chriftum fecundum humanitatem non effe proprium filium Dei, fed adoptivum*. Addit Auctor ille eam, quæ mox relata eft, fententiam, tempore Caroli Magni in Concilio fuiffe damnatam.

Annonius libro quinto de Geftis Francorum cap. 83. fcribit, Elipandum à Fœlice in hæc verba per litteras quæfiiffe: *Quid*, non de ipfo Chrifto fimpliciter, fed *de humanitate Chrifti fentiret*; refpondiffe verò Fœlicem *effe adoptivum*: uterque igitur, Fœlix & Elipandus, cum Chriftum prædicarunt adoptivum, ufi funt additamento, *fecundum humanitatem*, vel, *prout eft homo*.

Eodem modo Fœlicis errorem refert Ado Viennenfis in Chronico ad annum 793. hæc enim habet: *In hac Synodo*, Francofordienfi, *hærefis cujufdam Epifcopi, Fœlicis nomine, damnata eft, qui Chriftum, fecundum quod homo eft, adoptivum Dei filium dicebat*.

Hadrianus Papa I. in Epiftola ad Epifcopos Hifpaniæ, recenfens Fœlicis & Elipandi errorem, docet, in eo pofitum fuiffe, quòd Chriftum fecundùm carnem, adoptivum filium effe prædicarent: *Materia autem caufalis perfidiæ*(ait)*inter cætera rejicienda de adoptione Jefu Chrifti filio Dei fecundum carnem, falfis argumentationibus digefta perfidorum verborum ibi ftramina, incompofito calamo legebantur. Hæc, Catholica Ecclefia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam malè credentibus affenfum præbuit*.

Concilium Francofordienfe in Epiftola ad Epifcopos Hifpaniæ, folvens argumentum, quod Fœlix ad Elipandum refcribens, ex Auguftino defumpferat, fic loquitur: *Quum adoptionem praviffimo fenfu, qui fcripfit Epiftolam*, ad Elipandum, *ad Chrifti voluit transferre humanitatem*.

Fidei profeffio, quam Elipandus mifit ad Carolum Magnum, quæque haud dubiè in Concilio Francofordienfi perfecta eft, cum de adoptione loquitur, eam non abfolutè prædicat de Chrifto, fed cum additamento, *fecundum humanitatem*; hæc enim in ea leguntur: *Homo interior in una eademque Dei & hominis perfona deglomeratus .... filius adoptivus humanitate, & non adoptivus divinitate, mundum redemit*. Ex monumentis, quæ hucufque prolata funt, evidens eft Fœlicem & Elipandum Chrifto adoptionem abfolute non tribuiffe, fed cum additamento tantùm, *fecundum humanitatem*, vel, *prout eft homo*. Hincque etiam evidens eft, five Durandi, five Scoti fententiam fuperiùs relatam, eandem effe omninò cum doctrina Fœlicis & Elipandi, quæ (ut mox dicetur) tum ab Hadriano Papa, tum à Concilio Francofordienfi profcripta eft.

Quæres, an hæc facti quæftio, *Utrum Fœlix & Elipandus abfolutè, aut cum additamento, Chrifto tribuerint adoptionem*, nonnihil ad fidem conferat?

Refpondeo, quæftionem illam nonnullis Scholafticis videri non levis effe momenti: fcilicet (ajunt) fi abfque additamento Fœlix & Elipandus adoptionem Chrifto tribuerint, nec Hadrianus Papa, nec Concilium Francofordienfe damnarunt adoptionem, quæ cum additamento defenditur. Si ècontra Fœlix & Elipandus additamentum adhibuerint, & Hadrianus & Concilium Francofordienfe adoptionem, etiam afiertam cum additamento, damnarunt.

Sed eorum Scholafticorum pace dixerim, parvi ad rem conficiendam referre, an Fœlix & Elipandus cum additamento, aut fine additamento, adoptionem Chrifto tribuerint: perinde enim eft five exprimatur, five non exprimatur additamentum: fcilicet, ex legibus de idiomatum communicatione, quæ cum additamento de aliqua natura enuntiantur, de compofito in concreto abfolutè prædicantur: fic, licet paffio Chrifto tantum, prout eft homo, conveniat, abfolute tamen de Chrifto in concreto prædicatur; veræ enim funt hæ propofitiones: *Chriftus paffus eft, Chriftus mortuus eft*.

CAPUT III.

Quibus argumentis omnis adoptiva filiatio à Chrifto excludatur.

CONCL. DOctrina Fœlicis & Elipandi de Chrifti adoptione, Scripturæ, Patribus, & rationibus Theologicis adverfatur.

Probatur prior pars. Ille, etiam fecundùm humanitatem, non eft adoptivus, quem, etiam fecundùm humanitatem, Scriptura vocat proprium Dei filium; neque enim idem fecundùm idem poteft effe fimul filius adoptivus & proprius: atqui Scriptura Chriftum, etiam fecundùm humanitatem, vocat proprium filium Dei: *Qui* (ait Apoftolus ad Rom. 8.) *proprio filio fuo non pepercit, fed pro nobis omnibus tradidit illum*, nimirùm fecundùm humanitatem traditus eft: *Scimus enim* (inquit Hadrianus in epiftola ad Epifcopos Hifpaniæ) *quia non eft traditus fecundum divinitatem, fed fecundum id quod homo erat*.

Joannis capite 3. fic de Dei filio Joannes Baptifta loquitur: *Non enim ad menfuram dat Deus fpiritum. Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manu ejus*: atqui filius, de quo Baptifta loquitur, non eft adoptivus; fiquidem 1. vocatur filius fimpliciter, ac proinde cum exclufione adoptionis 2. Vocatur filius, cui Pater dedit omnia; at is, cui Pater dedit omnia, filius eft, non adoptione, fed natura. 3. Loquitur de filio, prout eft homo; hæc enim fubfequuntur: *Quem enim mifit Deus, verba Dei loquitur. Qui credit in filium, habet vitam æternam*. Auguftini eft argumentum, quod ex Joannis Baptiftæ fententia depromfimus: *Pater* (inquit Tractatu 14. in Joannem) *diligit filium, fed quomodo Pater filium, non quomodo Dominus fervum, quomodo natum, non quomodo adoptatum*.

Apud eundem Joannem cap. 20. Chriftus fic loquitur: *Afcendo ad Patrem meum, & Patrem veftrum*; in quæ quidem verba notandum eft 1. Chriftum non dixiffe Pa-

se *Patrem nostrum*: notandum est 2. ipsum, cum præcepit ut oraremus, in mandatis dedisse, ut sic Deum Patrem alloqueremur: *Sic autem orabitis: Pater noster, qui es in Cœlis*; atqui si Christus, etiam prout est homo, filius esset adoptivus, dixisset: *Ascendo ad Patrem nostrum*; nec tam accuratè distinxisset inter Patrem suum & Patrem nostrum: tunc enim de seipso, non ut est Verbum, sed ut homo, loquebatur; nempè ut Deus ad Patrem non ascendit, sed ut homo tantum: *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum*. Sed placet in eum locum Augustinum audire tractatu 21. in Joannem, *Cui dicimus Pater noster? Patri Christi. Qui ergo Patri Christi dicit, Pater noster, quid dicit Christo, nisi, Frater noster? non tamen sicut Christi Pater, ita & Pater noster. Nunquam enim Christus nos conjunxit ut nullam distinctionem faceret inter nos & se. Ille enim, filius æqualis Patri .....nos, adoptati per unicum.*

Si Christus Deum speciali ratione Patrem suum vocavit, speciali quoque ratione Pater de Christo locutus est: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite*. In quæ quidem verba sic loquitur Ambrosius lib. 1. de fide, capite 5. *Non Moyses filius, non Helias filius, sed hic filius*; quasi dixisset, Moyses & Helias sunt filii adoptione; hic autem, filius est natura. Eò referri possunt innumera alia loca, in quibus aut Christus Deum, Patrem *suum*, aut Pater Christum vocat filium *suum*, ut sunt hæc apud Joannem: *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te*. Vide plura ejusmodi loca, tum in Epistola Hadriani ad Episcopos Hispaniæ, tum in Epistola Synodica Concilii Francofordiensis ad eosdem Hispaniæ Episcopos.

Probatur altera conclusionis pars, seu, sententiam, quæ Christum dicit adoptivum, repugnare sanctis Patribus. Augustinus tract. 2. in Joannem cap. 1. in illud: *Quotquot autem*, sic loquitur: *Non enim nos nati sumus de Deo, quomodo ille unigenitus, sed adoptati per gratiam ipsius*. Gregorius Magnus lib. 1. Moralium, cap. 6. *Omnes homines tantummodò homines sunt, ipse autem, Oriens, Deus & homo rectè dicitur. Omnes, qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non ut cæteros adoptio, sed natura illum divinitatis exaltat*. Hilarius lib. 6. de Trinitate, paulò ante finem, quamlibet adoptionem excludit a Christo; in ea enim verba Apostoli ad Romanos 8. *Qui proprio filio suo non pepercit*, quæ haud dubie de filio, ut est homo, intelliguntur, hæc habet: *Numquidnam etiamnunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen?*

Ildefonsus Archiepiscopus Toletanus, qui vixit paucis ante Elipandum annis, libro de virginitate S. Mariæ, hæc scribit: *Ideò non est adoptivus filius, sed adoptator, ut ita dicam, cæterorum*. Iis, pluribusque aliis Patrum textibus nixus Hadrianus Papa, & post eum, Concilium Francofordiense, definierunt, Christum nec esse, nec dici debere filium adoptione, sed natura tantùm. Vide ejusdem Hadriani ac Concilii Epistolas ad Episcopos Hispaniæ.

Probatur tertia pars conclusionis, seu, adoptionem in Christo repugnare rationi.

Primò, vel humanitas Christi adoptata fuisset ante unionem hypostaticam, vel post unionem hypostaticam; sed neutrum dici potest: Non primum; siquidem (ut fides docet adversùs Nestorium) humanitas Christi ne vel brevissimo quidem instanti fuit sine hypostatica unione cum Verbo. Non secundum, quia humanitas Christi per unionem cum Verbo jus habet ad hæreditatem, quia, ut superiùs dictum est, per eam unionem fit infinite sancta: at is, qui jam habet jus ad hæreditatem, adoptari non potest: *Gratis* (inquit liber Sacrosyllabus) *adoptio tribuitur, quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodò, adoptio præstatur*. Confirmatur argumentum: Humanitas post unionem non fuit extranea, sed propria Verbi: sed, qui extraneus non est, sed proprius, adoptari non potest; propter eam enim rationem filius adoptari non potest a patre: *Hoc ideò posuimus* (ait liber Sacrosyllabus de adoptione Moysis in filium filiæ Pharaonis) *ut patenter daretur intelligi, eum dici adoptivum, qui nondum prius fuerat proprius filius adoptantis. Unde in Dei filium non cadit nomen adoptionis, quia semper verus filius, semper Dominus, ac per hoc & post assumptum hominem, veri filii vocabulum non amisit, qui nunquam verus desiit esse filius.*

Secundò, filiatio (argumentum est S. Thomæ) propriè convenit personæ, non naturæ; neque enim natura, sed persona dicitur filius: atqui filiatio adoptiva convenire non potest personæ Christi, cum jam habeat filiationem naturalem: ergo adoptio nec est in Christo, nec de eo dici debet.

Tertiò, ille, qui adoptatur in filium, non secundùm naturam, sed solo affectu conjungitur adoptanti; id enim ipsa vox, *adoptio*, significare videtur, nempe desiderantis est, & nondum habentis; quare adoptare aliquem in filium, nihil aliud est, quam desiderio & voluntate, loco filii naturalis aliquem sibi subrogare, & perinde est sibi adoptare filium, atque desiderare habere pro filio eum, qui alioquin secundum naturam sibi conjunctus non est: Atqui humanitas Christi non fuit conjuncta Deo solo affectu, verùm reipsa: ergo non potuit adoptari. Quæ nos prolata est ratio, desumpta est ex libro Sacrosyllabo cujus in hac quæstione sæpè meminimus: *Omnis* (inquit) *adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem, quanquam etymologia sua non videatur trahere similitudinem. Habet namque ex utraque parte,* Utinam, *adverbium eleganter insitum, ut si dicas, Utinam sis mihi in filium adoptivum, & econtra, Utinam merear à te in filium adoptari: ex affectu, quidem dilectionis pars subrepit parti, ut in utraque conveniat dilectionis affectus.* Itaque cum Christus nunquam fuerit sine filiatione naturali, cum nusquam extraneus Deo fuerit, cum humanitas non solo affectu conjuncta fuerit Verbo, necessariò sequitur, Christum, etiam cum additamento, *prout est homo*, nec esse, nec dici posse adoptivum Dei filium.

Quæres, an censoria aliqua nota affici deberet propositio, quæ assereret, Christum esse, ac dici posse filium Dei adoptivum?

Resp. 1. hæreticam fore propositionem, si proferretur cum exclusione filiationis naturalis. Ratio est, quia excluderet substantialem Verbi cum humana natura unionem, quam contra Nestorium Concilium Ephesinum primum expresse definiit. Resp. 2. eandem propositionem esse temerariam, sive proferatur sine additamento, *prout est homo*, sive cum additamento. Ratio est, quia nec Prophetæ, nec Apostoli, nec Patres sive cum additamento, sive sine additamento unquam asseruerunt, Christum esse filium adoptivum: *Tu verò* (ait Concilium Francofordiense in epistola Synodica ad Episcopos Hispaniæ) *quisquis es, qui Christum prædicas adoptivum, unde iste tibi sensus venisset, voluisse scire: Patriarchæ nescierunt; Tractatores hoc nomen tacuerunt; Doctores fidei nostræ non docuerunt.* Resp. 3 eandem propositionem sive cum additamento, sive sine eo prolatam, esse erroneam; scilicet unanimi ferè consensu Theologi judicant, eam sive Scripturæ, sive Patribus adversari, ex eaque sequi pluralitatem personarum in Christo. Resp. 4. eam, etiamsi contra Nestorium præsupponat unionem personalem Verbi cum humana natura, etiamsi cum additamento aut exprimatur, aut saltem subintelligatur, hæreticam fore, si certò constaret, ab Hadriano & Concilio Francofordiensi fuisse damnatam, præsertim cum & Hadriano & Concilio, Ecclesiarum consensus accesserit. Verum cum id apertè

non

non constet, imò ab aliquibus, alioquin Catholicis Theologis negetur, ab inurenda hæreseos nota temperamus.

CAPUT IV.

Solvuntur argumenta Fœlicis, & Elipandi.

Not. QUæ à Fœlice, & Elipando objiciebantur olim, reducuntur ad quædam Patrum loca, nonnullasque rationes Theologicas: sed ea tum Patrum loca, tum rationes Theologicas solidè simul ac clarè solvit Concilium Francofordiense in Epistola Synodica ad Episcopos Hispaniæ.

Objicies 1. Iræneus lib. 3. adversùs hæreses cap. 21. sic loquitur: *Propter hoc enim, Verbum Dei homo, & qui filius Dei est, filius hominis factus est, immixtus Verbo Dei ut adoptionem percipiens, fit filius Dei*: ergo, &c.

Resp. neg. conseq. Ratio est, quia hæc verba: *Ut adoptionem percipiens, fit filius Dei*, non referuntur ad ista: *Qui filius Dei est, filius hominis factus est*, hoc est, non referuntur ad Christum, sed ad quemcumque hominem, qui justificationis gratiam consecutus sit: unde Irenæi sensus est, Dei filium factum fuisse hominem, ut homo per ejus merita justificatus, per adoptionem fiat Dei filius. Hincque patet, immeritò Vasquesium in tertiam partem, disput. 89. cap. 5. docere, Irenæum doctrinam defendisse aliam ab ea, quam cum Hadrianus Papa, cum Concilium Francofordiense docuerunt.

Objicies 2. Marius Victorinus lib. 1. contra Candidum Arianum hæc habet: *Nos adoptione filii, ille natura etiam & quadam adoptione filius, & Christus; sed secundùm carnem*; ergo, ex Mario Victorino, Christus absolute est filius Dei natura; cum addicamento verò, *secundùm carnem*, est filius adoptivus.

Resp. conc. ant. dist. conseq. Est filius adoptivus secundùm carnem, impropriè, conc. conseq. propriè, nego conseq. In eo sensu, ex Mario Victorino, Christus secundùm carnem est adoptivus, quod nullis præcedentibus meritis, illius humanitas electa fuerit, ut ad Dei naturalem filiationem per hypostaticam unionem eveheretur; sed ejusmodi adoptio, est adoptio maximè impropria, unde Marius Victorinus non asserit simpliciter Christum, etiam secundum carnem, esse filium adoptivum, sed cum hoc addito, *quadam adoptione*.

Objicies 3. Hilarius lib. 2. de Trinitate, post medium, sic de Christi nativitate loquitur: *Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*: ergo caro, seu humanitas Christi fuit adoptata: quæ autem fuit adoptata, est ac dici debeat filius adoptivus.

Resp. Hilarium impropriè, non autem propriè locutum fuisse, hoc est adoptionem sumpsisse pro collatione doni, quod humanitas Christi nulla ratione meruerat. Respondent præterea nonnulli Theologi, mendum in Hilarii textum irrepsisse, ac loco, *adoptatur*, legendum esse, *adoratur*. Confirmant ex eo, quod hæc verba, *Dum carnis humilitas adoratur*, proferantur tanquam causa, cur dignitas potestatis in Christi nativitate non amittatur; is enim est (ajunt) Hilarii contextus: *Aliud intelligitur, aliud videtur. Parit Virgo, partus à Deo est, infans vagit, laudantes Angeli audiunt, panni sordent, Deus adoratur: ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoratur.*

Objicies 4. Ildephonsus & Julianus Archiepiscopi Toletani ante Elipandum, sic in missa de Cœna Domini legebant: *Qui per adoptivi hominis passionem, dum sua indulsit corpori*, &c. & in Missa de Ascensione: *Hodie Salvator noster post adoptionem carnis, sedem repetivit Deitatis*: ergo, ex iis Episcopis, Christus dici potest filius adoptivus.

Resp. 1. dato antecedente, neg. conseq. Ratio est, quia eam Ildephonsi & Juliani orandi formulam nusquam Ecclesia Catholica probavit, imò rejecit usu contrario. *Et melius est* (ait Concilium Francofordiense in Epistola Synodica) *testimonio Dei Patris credere de suo filio, quam Hildephonsi vestri, qui tales vobis composuit preces in missarum solemniis, quales universalis & sancta Dei non habet Ecclesia. Et si Hildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptivum nominavit, noster verò Gregorius Pontifex Romanæ sedis, clarissimus toto orbe Doctor in suis orationibus semper eum Unigenitum nominare non dubitavit*. Resp. 2. nonnullos suspicari, factum illud fuisse supposititium; sed cùm responsionis ejusmodi nullum sit fundamentum, eam probare minimè possumus. Præterea qui fieri potuit, ut Fœlix & Elipandus factum laudaverint, cujus falsitatem Patres Francofordienses ostendere facilè potuissent ac debuissent?

Objicies 5. Ille dici debet filius adoptivus, qui habet in se formam adoptionis; nimirùm forma, quæ necessariò operatur, semper suum effectum producit; atqui humanitas Christi habet formam adoptionis, quæ quidem non alia est, quam gratia habitualis, quam in Christo esse omnes Theologi confitentur: ergo, &c. Præterea Christus, in quantum est homo, non est Dei filius naturalis; neque enim, prout est homo, genitus est filius Dei: sed qui non est filius per generationem, non est filius natura, sed adoptione: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad cujus probationem, dist. ant. forma, quæ necessariò operatur, semper producit suum effectum, si subjectum sit capax effectus hujusmodi, conc. ant. si non sit capax, neg. ant. Cùm humanitas Christi in primo suæ existentiæ instanti fuerit unita personæ Verbi, ac proindè natura Dei filius, incapax fuit adoptionis adoptivæ, quæ (ut observatum est) necessariò debet esse personæ extraneæ, respectu adoptantis, quæque excludit unionem per affectum tantùm; in qua tamen posita est (ut probatum est) adoptionis essentia.

Resp. ad 2. dist. min. Qui non est filius, nec per generationem, nec per unionem substantialem, non est filius natura, conc. ant. si non sit quidem per generationem, sed sit per unionem substantialem, neg. ant. Christus, etiam prout est homo, est filius per unionem substantialem, quia (ut dictum est) in primo suæ conceptionis instanti hypostaticè conjunctus fuit cum Verbo; non est tamen, prout homo, filius per generationem, quia prout homo, non processit a Patre in similitudinem naturæ. Hinc autem colligitur, Christum futurum fuisse Dei filium natura, etiamsi Spiritus sanctus, loco Verbi, illius humanitati conjunctus fuisset hypostaticè.

QUÆSTIO VII.

De Prædestinatione Christi.

Not. OCcasione hujus Apostolicæ sententiæ ad Romanos 1. *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri*, magna inter Scholasticos orta est de Christi prædestinatione controversia, scilicet dubium est, quid in Christo possit esse prædestinationis subjectum, an natura humana, an verò persona Verbi: dubium est quoque, quinam sit prædestinationis terminus, an filiatio divina, an visio beatifica.

Not. 2. Quæ mox relata est Apostoli sententia, nullam controversiæ occasionem præbet, si ad Græcorum Patrum mentem exponatur: volunt enim, vocis *Prædestinatus*, loco, in Græco textu legi, *Declaratus*; ita ut is sit Apostolicæ sententiæ sensus: Idem ille, qui factus est ex semine David secundùm carnem, quem proindè

constat verum hominem fuisse, etiam declaratus est, & certissimis argumentis comprobatus, esse filius Dei. Ea autem argumenta sunt; 1. *Ex virtute*, hoc est, per miracula; 2. *Secundum spiritum sanctificationis*, id est, per spiritum sanctum, quem in se credentibus, per evidentia signa multipliciter impertitus est; 3. *Ex resurrectione mortuorum*, sive a mortuis: seipsum enim, prout prædixerat, a mortuis suscitavit. Verùm cum Latini Patres in Apostoli textu legant, *prædestinatus*, non autem *manifestatus*, necesse est, ut hic quæramus; 1. utrum Christus sit prædestinatus; 2. an prædestinatus sit prout homo; 3. an illius prædestinatio sit exemplar & causa nostræ prædestinationis?

CONCLUSIO 1. Christus & est, & verè dicitur prædestinatus.

Probatur. Ille & est, & verè dicitur prædestinatus, de quo decretum fuit ab æterno, ut esset in tempore, nam prædestinatio est rerum, quæ fiunt in tempore; præordinatio in mente divina; atqui decretum fuit ab æterno, ut Christus esset in tempore; siquidem (ut harum Institutionum part. 1. dictum est) nihil fit in tempore, quod ab æterno prædefinitum ac præordinatum non fuerit, ut existeret in tempore: ergo Christus & est, & vere dicitur prædestinatus.

Objicies. Ut in aliquo locum habeat prædestinatio, tria requiruntur, subjectum, in quod prædestinatio cadat; terminus, ad quem subjectum prædestinetur, hoc est, ad quem ante suam existentiam ordinetur; & tandem gratia, id est, ut subjectum non ex meritis, sed ea gratia, ad terminum præordinetur; atqui ex iis capitibus, nullum habuit locum in Christo. Nam 1. subjectum prædestinationis, non potuit esse persona Verbi; nihil enim titulo gratiæ potuit ei concedi, cum sit æqualis Patri. Non est quoque humana natura: siquidem, cum prædestinatio sit quædam præordinatio, seu prædirectio ad finem, supposito, non autem naturæ, proprie convenit. 2. Terminus prædestinationis non potuit esse filiatio divina, quia persona Verbi non cœpit in tempore esse Dei filius; nec humana natura (ut jam dictum est) ad eam præordinari potuit: ergo Christus nec est, nec vere dici potest prædestinatus.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dico, subjectum prædestinationis in Christo, esse personam Verbi, terminum verò esse filiationem divinam. Ad id autem, quod in contrarium objicitur, dist. primam partem antecedentis: Personæ Verbi, prout in se subsistit, nihil concedi potuit titulo gratiæ, conc. ant. prout subsistit in natura humana, neg. ant. scilicet prout subsistenti in natura humana, id debetur tantùm, quod ipsi naturæ humanæ secundùm se spectatæ deberetur; ac proinde, cum unio hypostatica humanæ naturæ non debeatur, rectè dicitur non deberi Verbo prout subsistenti in humana natura. Disting. pariter alteram partem ejusdem antecedentis: Persona Verbi non cœpit in tempore esse filius Dei, in se & absolute, conc. ant. in natura humana, neg. ant. Nimirùm, qui in se erat ab æterno filius Dei, in cœpit esse filius Dei in humana natura, quia in tempore illi hypostatice conjungi cœpit. Distinguo pariter tertiam ejusdem antecedentis partem: Idem secundùm idem non potest esse subjectum & terminus prædestinationis, conc. ant. secundùm diversa, neg. ant. Verbum, prout in humana natura subsistit, est (ut jam observatum fuit) subjectum prædestinationis; at verò in se spectatum, est illius terminus; nempe Verbum tendit in humana natura, ut sit naturalis filius Dei; ad hoc enim ei conjungitur, ut in ea filiationem naturalem habeat.

CONCLUSIO 2. Christus, in quantùm est homo, prædestinatus fuit, ut esset filius Dei.

Probatur. Vera est (ut ex præcedenti conclusione patet) absoluta hæc propositio, *Christus prædestinatus est filius Dei*: ergo a fortiori vera est ista, *Christus, in quantum est homo, prædestinatus fuit, ut esset filius Dei*; siquidem ideò prior est vera, quod illius sensus sit, Verbum prout in natura humana subsistit, prædestinatum esse ad Dei filiationem.

Objicies. Terminus prædestinationis debet esse posterior subjecto prædestinationis; atqui si admitteretur hæc propositio: *Verbum, in quantum subsistit in humana natura, prædestinatum fuit, ut esset filius Dei*; terminus, nempe filiatio divina, non esset posterior subjecto prædestinationis; nam Verbum, prout in humana natura subsistit, est Dei filius naturalis: ergo, &c.

Resp dist. ant. Terminus prædestinationis debet esse posterior vel realiter, vel per mentem, subjecto prædestinationis, conc. ant. realiter semper, neg. ant. Ratio est, quia prædestinatio est actus intellectus, intellectus autem potest concipere unum ante aliud, licet reipsa ante ipsum non existat; ac proinde ipsum ad aliud ordinare. Verbum, in quantùm subsistit in natura humana, est quidem simul realiter cum divina filiatione; sed tamen subsistentia illius in natura humana prior est, secundum nostrum concipiendi modum, divina filiatione in natura humana: ea nimirùm filiatio resultat ex eo, quod Verbum in natura humana subsistat.

CONCLUSIO 3. Christus prædestinatus fuit ad visionem beatificam.

Probatur. Ille fuit prædestinatus ad visionem, qui prædestinatus fuit ad id, ex quo sequitur visio beatifica; atqui Christus ad id prædestinatus est; scilicet visio beatifica sequitur ex divina filiatione, ad quam (ut dictum est) Christus prædestinatus fuit; par nimirùm est, ut is Deo fruatur, qui Dei filius est natura: Hincque patet, terminum præcipuum prædestinationis Christi esse divinam filiationem: *Qui prædestinatus est* (ait Apostolus) *filius Dei in virtute*; secundarium verò, visionem beatificam.

Objicies. In hac propositione, *Christus prædestinatus est ad visionem beatificam*, nomen, *Christus*, supponit pro persona; atqui Christus supponens pro persona, prædestinari non potuit ad visionem beatificam; nempè prædestinatio eorum est tantum, quæ in tempore de novo esse incipiunt: sed Christus, ut persona, de novo in tempore non cœpit frui visione beatifica; nam ab æterno Verbum seipso & aliis personis fruitum est: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. conc. maj. dist. min. Persona Christi, prout in seipsa subsistens, non incœpit frui visione beatifica, conc. min. prout subsistens in natura humana, neg. min. Solutio patet ex iis, quæ dicta sunt in responsione ad argumentum, quod objectum est adversùs secundam conclusionem.

Quæres, utrum sicut Christus dicitur prædestinatus ad filiationem divinam, humanitas quoque dici possit ad eam prædestinata?

Resp. 1. dici posse humanitatem fuisse prædestinatam ad unionem hypostaticam; nam 1. ita loquitur Augustinus: *Profectò* (ait Enchiridii cap. 40.) *modus iste, quo natus est Christus de Spiritu sancto, insinuat nobis gratiam, qua homo, nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei*. In ea nimirùm Augustini sententia, vox *homo*, non sumitur in concreto, pro natura nimirum, quæ personam includat; homo enim in concreto, in Christo supponit unionem hypostaticam; ergo sumitur in abstracto, seu pro natura humana. Nec id mirum est: quippè, quod Augustinus in materia, de qua agitur, concreta pro abstractis accipiat; unde cap. 15. de Prædestinatione Sanctorum, loco istius vocis, *Homo*, utitur hac alia, *Natura humana*; hæc enim habet: *Qui ut hoc esset* (Deus) *quibus tandem suis vel operum vel fidei præceden-*

tibus

tibus meritis, natura humana, quę in illo est, comparavit?

Resp. 2. dici non posse, quòd humanitas prædestinata fuerit ad filiationem divinam. Ratio est, quia natura humana non potest esse filius, siquidem filiatio cadit in personam: at humana natura in abstracto non dicit personam, sed ab illa abstrahit. Confirmatur responsio ex S. Thoma, qui 3. p. q. 24. art. 1. in Corp. sic loquitur: *Esse filium Dei non convenit humanę naturę: est enim hęc falsa, Humana natura est filius Dei, nisi fortè, quis velit sic exponere unitatem personę: Qui prędestinatus est, ut humana natura uniretur filio Dei in persona.*

CONCLUSIO 4. Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis.

Probatur. Ea prædestinatio est exemplar nostræ prædestinationis, cujus modum Deus servavit in hominum prædestinatione; atqui Deus in hominum prædestinatione servavit modum prædestinationis Christi: scilicet quemadmodum nullis præcedentibus meritis homo ille electus est ad naturalem Dei filiationem, & ad visionem beatificam; ita etiam homines in statu naturæ lapsæ, sine præcedentibus meritis, prædestinantur ad gratiam, & ad gloriam. *Est etiam* (inquit Augustinus lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15.) *præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso, ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personę assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque præcessit?*

CONCLUSIO 5. Prædestinatio Christi est causa prædestinationis hominum.

Probatur. Illius prædestinatio est causa prædestinationis hominum, quæ est causa efficiens moralis, seu meritoria, omnium auxiliorum & donorum, quæ ad hominum salutem conferunt: atqui prædestinatio Christi est ejusmodi, teste Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. teste etiam Apostolo, qui ad Ephesios I. sic de Deo Patre loquitur: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. .... Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.*

Quæres, quinam secundùm nostrum concipiendi modum fuerit in mente divina ordo inter prædestinationem Christi, & prædestinationem nostram?

Resp. 1. uno eodemque actu reali Deum nos simul cum Christo prædestinasse. At verò secundum nostrum concipiendi modum, Deus statuit 1. permittere Adami ac proinde posterorum illius lapsum; 2. Decrevit nonnullos indeterminate ex massa corruptionis liberare; 3. Prædestinavit Christum, ac ex illius prævisis in tempore meritis, hos & illos in specie, ad gloriam primum, ac postea ad gratiam elegit; hincque patet, quòd licet in Deo fuerit voluntas nonnullos homines indeterminate salvandi, antequam Christi futuritio decerneretur, non fuerit tamen voluntas aliquos in particulari eligendi, non modò ad gratiam, sed nec ad gloriam, sine prævisis futuris Christi meritis. Quæ mox dicta sunt, S. Thomas docuisse videtur 3. p. q. 24. art. 4. *Respondeo, dicendum* (ait in Corpore articuli) *quòd si consideretur prędestinatio secundum ipsum prædestinationis actum, prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis; cum uno & eodem actu Deus prædestinaverit ipsum & nos. Si autem consideretur prædestinatio secundùm terminum prædestinationis, sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Sic enim Deus præordinavit nostram salutem, ab æterno prædestinando, ut per Jesum Christum compleretur.*

QUÆSTIO VIII.

De dignitate capitis in Christo.

CONCL. 1. Christus est caput hominum & Angelorum.

Probatur. Primo, Christum esse caput hominum, expresse asseritur ad Ephesios I. *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*: Eum quoque esse caput Angelorum, docet Apostolus ad Coloss. 2. *Qui est caput omnis principatus & potestatis*. Utraque ea pars conclusionis demonstratur ex eo, quòd perfectiones ad capitis dignitatem requisitæ, in Christo reperiantur. Nam 1. omnibus omninò creaturis supereminet, & ratione unionis hypostaticæ, & ratione plenitudinis gratiæ. 2. Nulla, ne tenuis quidem, gratia hominibus conceditur, quæ a Christo non dimanet, unde totius gratiæ fons est & origo, in ipso inhabitat omnes plenitudo. De plenitudine ejus (ut ait Ioannes Evangelii cap. 1.) nos omnes accepimus; & licet Angelis nec gratiam (ut superius dictum est) nec gloriam essentialem meruerit, meruit tamen gloriam accidentalem, ingens nimirùm gaudium, quod percipiunt ex hominum electione ad sedes, ex quibus Angeli Apostatæ dejecti fuerunt. 3. Christum inter & Ecclesiam intima (ut inter caput & membra reperiri debet) est conjunctio, ita ut ipsa Ecclesia Christus nonnunquam appelletur: *Sicut enim* (ait Apostolus ad Rom. 12.) *corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ità & Christus*. Mirum igitur non est, quòd ipse in Ecclesia loquatur, hoc est, ut ea, quæ Ecclesiæ contingunt, sibi ipsi tribuat: *Ergo* (ait Augustinus in Psal. 142.) *ipse Dominus Jesus Christus caput & corpus. Velut etiam loqui in nobis, qui dignatus est mori pro nobis: membra sua nos fecit. Aliquando itaque ex persona membrorum suorum loquitur, aliquando ex persona sua tanquam capitis nostri*. 4. Capite quarto Epistolæ ad Ephesios sic Apostolus loquitur: *Veritatem autem facientes, in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificatione sui in charitate*: hoc est, quemadmodum (ajunt Chrysostomus & Theodoretus) corporis membra sibi invicem sic inserta sunt, ut spiritus vitales & animales per universa, etiam tenuissima, diffundantur, eisque vitam, robur, ac incrementum conferant; ita Christi corpus ex suis membris constat, quæ quidem sic sibi invicem & cum Christo per fidem & charitatem conjuncta sunt, ut a Christo capite omnia ac singula vivificentur.

Quæres 1. quorum hominum Christus sit caput?

Resp. Christum esse caput 1. justorum, ab eo quippè spiritualem vitam recipiunt: perfectam quidem si perfecta sit eorum charitas; imperfectam verò si charitas in eis imperfecta sit, ut est revera in iis omnibus, qui adhuc in humanis agunt: neque enim nisi in cœlis charitas potest esse perfecta, cum in cœlis tantùm nulla sit cupiditas. Est quoque caput fidelium impiorum; ex illius enim meritis fidem habent, suntque absolute ac simpliciter Ecclesiæ membra, licèt mortua, propter charitatis defectum. Est etiam caput infidelium, qui aliquando habituri sunt fidem, non quidem actu, sed in potentia; scilicet nonnisi ex illius meritis vocandi sunt ad Ecclesiam: infidelium verò, qui nihil unquam audient de Evangelio, aut qui fidem nusquam habituri sint, non est caput, cum ad rationem capitis requiratur, ut cum suis membris conjunctum sit, eisque vitæ saltem initium conferat; sed licèt non sit caput, est tamen eorum rex ac dominus.

Quæ-

Quæres 2. Per quam gratiam Christus in ratione capitis constituatur?

Resp. Christum non esse caput præcisè per gratiam unionis, cum unio secundùm conceptum explicitum nihil aliud efficiat, quam terminare humanitatem. Dicendum est igitur, Christum esse caput per sanctitatem, quam Dei essentia, cui humanitas est conjuncta in persona *Verbi*, in eadem humanitate efficit, ac operatur. Ratio est, quia sanctitas illa connotans gratiam unionis, est principium, per quod Christus dona omnia supernaturalia nobis promeritus est.

Quæres 3. an Christus sit caput Ecclesiæ prout est homo?

Respondeo, Christum esse quidem caput Ecclesiæ prout est homo, sed prout est homo subsistens in persona Verbi. Ratio primæ partis est, quia Ecclesiæ, cum sit visibilis, debetur caput visibile; unde Paulus docet, Christum constitutum fuisse caput secundùm eam rationem, secundùm quam suscitatus fuit a mortuis: *Suscitans eum à mortuis* (inquit ad Ephesios 1.) *& constituens ad dexteram suam in cælestibus ...... ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*. Ratio alterius partis petitur ex eo, quod merita, quæ Christus, prout caput, membris suis communicat, dignitatem ac pretium habeant ex hypostatica naturæ humanæ cum Verbo conjunctione.

QUÆSTIO IX.

De Regia Christi dignitate.

Not. Quæremus hic 1. utrum Christus dum in humanis egit, fuerit Rex; 2. an fuerit Judex; 3. utrum utramque illa dignitas Christo, ut Deus est, an verò, ut homo, tribui debeat.

CONCLUSIO. 2. Christus, dum in humanis egit, vere fuit rex.

Probatur. Psalmo 61. de Christo tanquam de vero rege propheta loquitur: *Deus judicium tuum regi da*. Psalmo 2. hæc de se ipso Christus habet: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*. Danielis 2. Christo promittitur regnum, quod nusquam dissipari debeat. Hieremiæ cap. 23. *Et regnabit rex, & sapiens erit*. Zachariæ 9. *Ecce rex tuus veniet tibi justus*. Non in antiquo tantum, sed etiam in novo Testamento Christus, Rex appellatur, & quidem rex Judæorum, rex Israel, ut Lucæ 23. videre est. Ipse Dominus Matthæi 27. de regia sua dignitate interrogatus à Pilato, *Ergo rex es tu?* respondit, se regem esse, *Tu dicis, quia rex sum ego*.

Quæres 1. an Christi regnum, temporale fuerit, an spirituale?

Resp. 1. homini Christo per communicationem idiomatum tribui posse, & temporale, & spirituale regnum; siquidem utrumque regnum Verbo, ut Verbum est, proprie convenit: at in Christo, quæ propria sunt Verbo, de homine in Verbo subsistente possunt (ut suo loco dictum est) per communicationem idiomatum prædicari.

Resp. 2. regnum Christi, ut est homo, non fuisse temporale, sed spirituale tantùm, saltem quamdiu inter homines vixit. Ratio est 1. quia id ipse Christus coram Pilato testatus est: *Regnum meum non est de hoc mundo*: Unde Augustinus Tractatu 115. in Joannem sic ipsummet Christum loquentem inducit: *Audite ergo Judæi, & gentes ......Non impedio dominationem vestram in hoc mundo: regnum meum non est de hoc mundo....... Quid vultis amplius? Venite ad regnum, quod non est de hoc mundo, venite credendo, & nolite metuere sæviendo*. Ratio est 2. quia Christus de jure non fuit temporalis rex Judæorum: nam quamvis ex Davide per Mariam progenitus esset, non erat tamen ex familia, in qua sceptrum esset; sicut licet omnes Levitæ essent ex Tribu *Levi*, Sacerdotium tamen non erat in omnibus Levi familiis, sed in Aaronica tantùm. Non fuit quoque rex aliarum a Judaica nationum: Non quidem successione, utpotè Hebræus; nec belli jure, cum non aliud gesserit bellum, quam spirituale adversùs dæmonem, & peccata: Non etiam electione; neque enim pati voluit, ut Judæi in deserto illum eligerent in regem: Nec denique titulo donationis a Deo factæ; id siquidem nulla auctoritate potest ostendi: hincque concludendum est, hæc Psalmi 2. verba, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*, intelligi debere de regno spirituali, quòd Christus exercet in Ecclesiam sibi subditam; unde Augustinus in hæc ejusdem Psalmi secundi verba: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus*, sic loquitur: *Sed Sion ille, & mons ille, non est de hoc mundo. Quid est enim ejus regnum, nisi credentes in eum?* Videri possunt, quæ de eodem argumento scribit S. Doctor libro 12. contra Faustum cap. 42.

Quæres 2. in quo positum sit spirituale Christi regnum?

Resp. Christi regnum his prærogativis decoratum esse. Penes Christum fuerunt institutio, dispensatio, administratio, ac dispositio rerum omnium, quæ ad salutem ordinem dicunt; unde potuit 1. Sacramenta instituere; 2. creare magistratus Ecclesiasticos; 3. condere leges, ac tandem omnes homines ad suarum legum observationem obligare. Præterea in Christo fuerunt dotes omnes, quæ ad Ecclesiæ regimen spectant: scilicet est (ut ait Apostolus 1. ad Cor. 1.) *Dei virtus, & sapientia*: Eodem Apostolo teste ad Coloss. 2. *In eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*.

CONCLUSIO 2. Christus judex est vivorum, & mortuorum.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ docet, Christo omnium potestatem datam esse: *Data est mihi* (inquit ipse) *omnis potestas in cælo & in terra*. Actorum 10. de eo dicitur: *Hic est, qui constitutus est à Deo judex vivorum, & mortuorum*. Hæc etiam habentur Joannis 5. *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio*. Nec immeritò judiciaria potestate Christus fruitur; nam in illo reperiuntur dotes omnes, quæ in judice requiruntur; vitæ nimirùm integritas ac sanctitas, juxta illud primæ Petri cap. 2. *Qui peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus*; singularis sapientia, cum sit ipsa Patris sapientia: hinc de illo prædixerat Isaias cap. 11. *Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ*. Omnia fidei symbola eam, de qua agitur, potestatem Christo tribuunt: *Inde* (inquiunt) *venturus est judicare vivos, & mortuos*.

CONCLUSIO 3. Regis ac judicis dignitas Christo convenit, etiam prout est homo.

Probatur prior pars, ex eo, quod textus omnes, quos pro asserenda Christo regia dignitate protulimus, de Christo, prout est homo, intelligantur. Altera verò pars eodem argumento demonstratur. Præterea id ipsum expressè asseritur Joannis 5. *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est*. Asseritur ab Apostolo, qui in Areopago, Actorum 17. de Christo sic loquitur: *Et quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro* (Christo) *in quo statuit, fidem præbens omnibus*. Hinc Matthæi cap. 24. visibilis futuri judicii apparatus & forma describuntur.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

De Christi Sacerdotio.

Not. QUæ ad hanc quæstionem spectant, ad plura capita reducemus: quæremus nimirùm 1. utrum Christus verè ac propriè sit ac dici debeat Sacerdos: 2. utrum sit Sacerdos, prout est homo, an verò prout est Verbum: 3. utrum sit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: 4. an Christi sacerdotium sit perpetuum: 5. denique, quinam sint effectus Sacerdotii Christi.

CONCLUSIO 1. Christus verè, ac propriè & est & dici debet Sacerdos.

Probatur 1. ex Apostolo, qui ad Hebræos cap. 5. hæc verba Psalmi 109. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, de Christo dicta esse contendit. *Sic & Christus* (inquit) *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret: sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te; quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: ergo, &c.

Probatur 2. ille fuit, & est modò Sacerdos, qui quondam preces & sacrificium pro nobis, & obtulit, & nunc etiam offert: sed id præstitit olim, & nunc etiam præstat Christus; seipsum nimirum alias obtulit in cruce, & cruento quidem modo, nunc autem incruento tum in cœlis, tum in Eucharistia: *Sacerdos* (ait August. in Psal. 26.) *quia pro nobis interpellat. Et quidem solus ille Sacerdos, talis extitit, ut ipse esset etiam sacrificium, obtulit Deo non aliud, quam seipsum.*

Quæres, quo tempore Christus inauguratus fuerit Sacerdos?

Resp. Christum inauguratum fuisse Sacerdotem in primo suæ conceptionis instanti in Virginis utero: nempe tunc missus est a Patre ad offerendum cruentum in cruce sacrificium, & incruentum sub panis, ac vini speciebus. Confirmatur responsio. Tunc Christus inauguratus est Sacerdos, cum Pater eum sic allocutus est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*; id enim inquunt, quæ in prima conclusionis probatione ex Epistola ad Hebræos laudata sunt; atqui ea ratione Pater allocutus est Christum in primo conceptionis instanti, eo enim primo instanti Christus verè fuit Filius Dei natura, ut suo loco contra Nestorium ostensum est.

Nec obstat auctoritas Petri Damiani, qui in opusculo sexto capite quarto sic loquitur: *Ipse cum sacramento Baptismatis, & veri Sacerdotii jura suscepit ....quia baptizatus mox prædicare, discipulos eligere, novisque cœpit miraculis coruscare.* Non obstat (inquam) nam ea Petri Damiani sententia non intelligitur de ipsa Sacerdotii substantia, sed de ejus officiis tantùm, hoc est, voluit Petrus Damiani, Christum in suo per Joannem baptismate receptæ antea Sacerdotalis dignitatis ministerium & executionem suscepisse.

CONCLUSIO 2. Christus non est Sacerdos prout est Verbum, sed prout est homo, hypostaticè conjunctus Verbo.

Probatur prior pars. Pontifex, est inferior respectu illius, ad quem est Pontifex: scilicet eum, ad quem est Pontifex, orat, ipsique offert sacrificium; quæ duo (ut patet) inferioritatem arguunt; atqui Christus reduplicativè prout est Verbum, non est inferior Patre, cum sub ea ratione illi (ut de Trinitate differentes ostendimus) sit consubstantialis: ergo Christus non est Pontifex prout est Verbum.

Probatur altera pars 1. Apostolus expressè asserit non esse Pontificem, nisi eum, qui ex hominibus assumptus sit: *Omnis Pontifex* (inquit ad Hebræos 5.) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur*, &c. Sed qui assumptus est ex hominibus, homo est: ergo Christus prout homo, est Pontifex. Præterea sub ea ratione tantum Christus est inferior Patre: ergo, &c.

Probatur tertia pars. Humanitas in Christo nusquam fuit, ne momento quidem, absque substantiali unione cum Verbo: ergo Christus non fuit Sacerdos, nisi prout homo Verbo substantialiter conjunctus. Confirmatur ex eo, quod ex illa humanitatis cum Verbo unione, Christi Pontificatus eam habeat dignitatem, per quam oblatum ab ipso sacrificium tanti fuit pretii, ut satis fuerit ad exhaurienda omnium hominum peccata. Confirmatur iterum ex Cyrillo, qui Anathematismo decimo contra Nestorium, sic inquitur: *Si quis ergo Pontificem, & Apostolum nostrum alium dixerit esse factum, præterquam ipsum Dei Verbum, quando factum est caro, & secundùm nos homo; sed quasi alterum præter ipsum specialiter hominem, ex muliere ....., anathema sit.*

Objicies. Eusebius Cæsariensis in libro primo contra Sabellium, de Christo ad baptismum accedente sic loquitur: *Qui enim videbatur, erat agnus Dei; qui autem occultabatur, Sacerdos Dei*: Sed is, qui occultabatur, erat Dei Verbum: ergo ex Eusebio, Christus fuit Sacerdos, non, prout homo, qui videbatur, sed prout Verbum, quod occultabatur.

Resp. Eusebium Cæsariensem Arianismi fuligine tinctum fuisse, ut de Trinitatis mysterio differentes ostendimus; unde mirum non est, quòd Verbo, quòd cum Arianis fatebatur Patre inferius esse, Pontificatum Dei Patris respectu tribuerit.

CONCLUSIO 3. Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Probatur 1. auctoritate Scripturæ: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. 2. Christus sub panis, & vini speciebus, quibus olim Melchisedech in suo sacrificio usus fuerat, suum corpus, & suum sanguinem incruento modo obtulit in ultima cœna, quam cum discipulis habuit. 3. Sicut Melchisedech ex successione suum Sacerdotium non habuit, ut innuit Scriptura, cum in Epistola ad Hebræos asserit, eum sine genealogia fuisse: ita Christus non est Sacerdos ex successione, sicut filii Levi, sed per extraordinariam, & immediatam missionem suum a Deo Sacerdotium recepit. 4. Quemadmodum Sacerdotium Melchisedecis præstantius fuit Levitico (id enim tunc adumbratum fuit, cum Melchisedech ab Abrahamo, in cujus lumbis erant Levitæ omnes, decimas accepit:) ita Christi Sacerdotium longè dignius est Aaronico.

CONCLUSIO 4. Christi Sacerdotium est perpetuum, hoc est, in æternum perdurabit.

Probatur. Tandiu perdurabit Christi Sacerdotium, quamdiu stabit hypostatica unio Verbi cum humana natura; nempè ex illa unione emanat Christi Sacerdotium, juxta illud Augustini in Psalmum 26. *Unctus est ille ut rex, & Sacerdos*: atqui unio hypostatica Verbi cum humana natura stabit in æternum; scilicet fidei symbola docent Christi, seu hominis Dei, regnum fore perpetuum: *Et regni ejus non erit finis*. Idem confirmatur ex Apostolo, qui hæc Psalmi verba: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, de Christo dicta fuisse prædicat.

Objicies. Post extremam judicii diem homines non indigebunt sacrificio, neque enim tunc erunt peccata, quæ expiari debeant: ergo inutile tunc erit Christi Sacerdotium; ac proindè stare non poterit.

Resp. dist. ant. Post extremam judicii diem homines non indigebunt sacrificio, quo expientur, conc. ant. quo consummentur, nego ant. Tunc Christus seipsum Ecclesiæ caput, & Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, Deo Patri in perpetuum sacrificium offeret.

CONCLUSIO 5. Effectus Sacerdotii Christi est expiatio peccatorum. Pro-

Probatur 1. ex Apostolo, qui ad Hebræos 9. sic loquitur: *Sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi:* atqui conscientiam emundare ab operibus mortuis per sanguinis Christi oblationem, est expiare peccata: ergo expiatio peccatorum est effectus sacerdotii Christi. Confirmatur argumento S. Thomæ. Ad perfectam peccatorum expiationem duo requiruntur, ut nempè deleatur culpæ macula, & reatus pœnæ tollatur: atqui utrumque efficitur à Christi sacerdotio; & quidem primò deletur culpæ macula per gratiam, quæ ex Christi meritis impium justificat, juxta illud ad Romanos 3. *Justificati gratias per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.* Secundò, tollitur quoque reatus pœnæ, quia Christus per suam mortem, aliosque dolores, æquale peccato pretium persolvit.

Objicies 1. Eadem ratio, quæ probat, peccata per sacrificia veteris legis expiata non fuisse, probat quoque, non expiata fuisse per sacrificium oblatum à Christo: nam ideò dicitur peccata veteribus sacrificiis expiata non fuisse, quòd illa sacrificia iterari debuerint, juxta illud Apostoli ad Hebræos 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessassent offerri: ideo quod non haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati: sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.* Atqui iteratur quoque oblatum a Christo sacrificium, nempè singulis diebus offertur in Ecclesia missæ sacrificium, quod quidem idem est cum sacrificio crucis: ergo per sacrificium in cruce oblatum a Christo, peccata expiata non fuerunt.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dist. maj. Ideò dicitur peccata veteribus sacrificiis expiata non fuisse, quòd iterari debuerint, adhibitis victimis, quæ jam oblatis succederent, conc. maj. non adhibitis aliis victimis, neg. maj. Scilicet eadem numero victima non sæpiùs, sed semel tantùm offerebatur in antiqua lege, ac proindè satis non erat ad expianda peccata, præsertim cùm alia offerri deberet, nulla facta mentione novi peccati a Judæis commissi; sive enim Israelitæ de novo peccarent, sive non, singulis annis aliæ numero victimæ, quæ anno priore oblatis succederent, offerri jubebantur, Levitici cap. 16. ad quod alludit illud Apostoli ad Hebræos 10. *Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata.* Econtra in Ecclesia Christiana idem numero, & sola offerendi ratione diversum, sacrificium offertur, quod oblatum est in cruce, seu potius idem Christus, qui modo cruento seipsum in cruce obtulit Deo Patri, seipsum quoque per ministrorum manus, sed incruento modo, offert in Eucharistia, juxta illud Augustini libro 12. De Civitate Dei, cap. 20. *Sacerdos ipse Christus offerens, ipse & oblatio, cujus rei sacramentum, quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium.* Hincque patet, uni & eidem sacrificio, crucis nimirùm in nova lege tribui remissionem peccatorum; ac proindè stat discrimen, quod Apostolus in epistola ad Hebræos, constituit inter Mosaicæ legis sacrificia, & sacrificium novæ legis. Nec quidquam illius virtuti detrahit, quòd incruento modo sæpiùs offeratur: non enim ob aliud sæpius incruento modo offertur, quàm ut ejusdem cruenti sacrificii virtus nobis applicetur.

Quæ mox tradita est responsio, desumpta est ex Chrysostomo, qui hom. 17. in epistolam ad Hæbreos, sic loquitur: *Etenim quotidie defuncta erant, ut pro omni populo semper offerrentur, ad vesperum & interdiu. Quare accusatio peccatorum, non solutio fuit, quod tum gerebatur; accusatio (inquam) imbecillitatis, non virtutis ostensio. Nam, quia primum sacrificium nihil poterat, secundum offerebatur: Et quia nihil istud quidem effectum habuerat, alterum adhibebatur, ut nonnisi peccatorum esset illa convictio. Siquidem hoc ipsum offerri sacrificium, peccatorum erat manifesta convictio: quod autem semper offerebatur, convictio erat imbecillitatis. Contra autem in Christo accidit: semel hic oblatus est, & in perpetuum sufficiens fuit.*

QUÆSTIO XI.

De Oratione Christi.

Not. CHristi sacerdotio conjungi debet oratio ab illo fusa; siquidem nemo fungi potest sacerdotio, nisi oret: nempe oblatio sacrificii, quæ sacerdotio essentialis est, non aliud est, quam quædam orationis species. De Christi autem oratione quæri potest 1. utrum Christo conveniat orare; 2. utrum omnis illius oratio fuerit exaudita.

CONCLUSIO 1. Christo convenit orare.

Probatur. Primò, Christus de facto oravit, dum in humanis ageret, juxta illud Lucæ 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* 2. In cœlis pariter existens orat, tum quòd etiam nunc se pro nobis advocatum gerat: *Filioli mei* (ait Joannes in prima sua canonica, cap. 2.) *hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum justum.* Tum etiam, quòd pro nobis interpellet: *Semper vivens* (ait Apostolus ad Hebræos 7.) *ad interpellandum pro nobis.* Licèt autem duplicem illam sive Joannis, sive Pauli sententiam nonnulli, post Rupertum lib. 5. de divinis officiis, de sola exhibitione eorum, quæ Christus passus est, non autem de oratione propriè dicta, interpretari videantur: tamen unanimis est ferè Patrum consensus, exponi debere de oratione propriè dicta, per quam Christus a Patre petit applicationem meritorum, quæ per suam mortem consecutus est. Sed audiendus est Augustinus, qui epistola 59. sic loquitur: *Nam & de ipso Domino Jesu Christo dictum est, quod interpellet pro nobis. Numquid interpellat, & non etiam postulat? imo verò, quia postulat, pro eo positum est, interpellat: evidenter quippè alibi de eo dicitur: Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Prætereà nihil est, quo probetur, orationem Christum in cœlis minimè decere; non quidem unio hypostatica cum natura divina: si enim id efficeret, sequeretur, orationem Christum nec decuisse, dum in terris ageret; Non etiam visio beatifica, nempè ea fruitus est, dum nobiscum versaretur; Non denique beatitudo, qua fruitur, alioquin nec Sancti in cœlis pro nobis orarent. 3. Illi propriè convenit oratio, cujus voluntas per se non est effectiva ejus, quod desiderat: atqui humana Christi voluntas per se non est effectiva ejus, quod desiderat, sed est effectiva tantum per virtutem, propriam quidem personæ, in qua subsistit, sed in se receptam ac datam: ac proindè humanæ Christi voluntati propriè convenit orare.

Objicies 1. Nonnulli Patres negant, Christum propriè in cœlis pro nobis orare. 2. Apostolo teste, una oblatione consummavit in æternum sanctificatos: ergo, &c.

Resp. ad 1. Patres illos loqui de oratione, cujus effectus, ut in nobis viatoribus contingit, incertus fuerit. Resp. ad 2. dist. ant. Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos, quoad meritum, conc. ant. una nimirum oblatione, hoc est, uno crucis sacrificio, Christus ea omnia meritus est, quæ ad sanctificatorum consummationem necessaria sunt; unde jam nihil, quemcumque actum eliciat, addit merito, quod, dum viveret, consecutus est; Quoad applicationem, neg. ant. Solutio patet ex iis, quæ superius de Christi sacerdotio dicta sunt.

Quæres

Quæres, utrum Christus oraverit olim & nunc etiam oret prout Verbum, an verò prout est homo. 2. An non solum pro hominibus, sed etiam pro seipso oraverit?

Resp. ad 1. Christum nec olim orasse, nec orare modò, prout est Patris Verbum. Ratio est, quia orare est, ab alio virtutem operandi postulare: at Christus, prout Verbum est, non postulat a Patre virtutem operandi; cum enim sub ea ratione sit Patri consubstantialis, habet omnem operandi ad extra virtutem, quæ Patri convenit: hincque patet, quam immerito olim Ariani ex oratione Christi colligerent, Christum, etiam ut Verbum est, non esse consubstantialem Patri. Dicendum est igitur, Christum orasse prout est homo, qui non in propria persona, sed in divina, Verbi nimirum, subsisteret. Ratio est, quia Christus, prout est homo, non habet (ut jam post S. Thomam observatum est) voluntatem, quæ per se operativa sit ejus, quod desiderat.

Resp. ad 2. Christum & sibi & nobis orasse: sibi quidem cum corporis sui naturalis gloriam, & divinæ suæ missionis confirmationem a Patre petiit; unde ipse sic Joannis 17. loquitur: *Pater, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.*

CONCLUSIO 2. Oratio Christi semper a Patre fuit exaudita.

Probatur. Illius oratio semper fuit exaudita, cujus absoluta ac simplex voluntas semper fuit adimpleta; nimirum oratio est interpretativa absolutæ, ac simplicis voluntatis; atqui Christi absoluta & simplex voluntas semper fuit adimpleta; non enim aliud voluit, quam quod certò scivit Patrem velle, alioquin peccasset id absolutè desiderando, quod scivisset Patrem nolle: ergo, &c. Ex S. Thoma desumptum est illud argumentum: sic enim loquitur 3. part. quæst. 21. art. 4. *Secundùm autem voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle. Et ideò omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quia fuit Deo conformis, & per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita.* Confirmatur ex eo, quòd in oratione Christi fuerint omnes conditiones ad obtinendum postulata requisitæ: nam 1. in orante perfecta erat sanctitas: 2. in postulatis summa æquitas, cum (ut jam observatum est) non aliud simpliciter & absolutè petierit, quam quæ certò scivit Patrem velle concedere: 3. in orandi modo emicuerunt maxima pietas & requisita perseverantia: hinc mirum non est, quod ipse Christus Joannis 11. sic Patrem alloquatur: *Sciebam, quia semper me audis.*

Objicies 1. Christus petiit removeri a se calicem passionis; hæc enim leguntur Matthæi 26. *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu:* Atqui Christus non obtinuit a Patre dispensationem a calice passionis: ergo omnis illius oratio non fuit exaudita.

Resp. dist. ant. Christus petiit conditionatè removeri a se calicem passionis, conc. maj. petiit absolutè, nego maj. & concessa minore, disting. conseq. Ergo omnis oratio Christi conditionata, non fuit exaudita, conc. conseq. simplex & absoluta, neg. conseq. Ratio est, quia oratio conditionata pendet a conditione, sub qua funditur; ac proindè cum conditio, sub qua Christus orabat, ut a morte dispensaretur, posita non fuerit, mirum non est, quòd dispensationem non obtinuerit. Jam verò si quis roget, cur Christus oravit sub conditione, quam certò sciebat nusquam ponendam esse, dicendum erit, eum sic se gessisse, ut demonstraret naturalem non moriendi voluntatem; quam tamen impleri ratio absolutè & efficaciter noluit: *Si vero intelligitur* (ait Sanctus Thomas) *petiisse, quod non biberet calicem mortis & passionis, vel quod non biberet ipsum a Judæis, non quidem ipsa est, quod petiit, quia ratio, qua petitionem proposuit, nolebat, ut hoc impleretur: sed ad instructionem nostram volebat demonstrare nobis suam voluntatem naturalem, & motum sensualitatis, quem sicut homo habebat.*

Objicies 2. Christus Lucæ 23. petiit, ut peccatum suis Crucifixoribus dimitteretur: *Jesus autem dicebat, Pater dimitte illis;* sed quoad illud caput exaudita non fuit oratio Christi; scilicet Deus per Titum Imperatorem postea sævit in Judæos, qui mortem Christi a Pilato petierant: ergo omnis, etiam absoluta, Christi oratio exaudita non fuit.

Resp. dist. ant. Christus petiit, ut peccatum *aliquibus* è suis Crucifixoribus dimitteretur, conc. ant. petiit, ut dimitteretur *omnibus* suis Crucifixoribus, neg. ant. Ratio est, quia peccatum non dimittitur, nisi præsupposita cordis conversione, quæ fit per gratiam efficacem: at Christus pro omnibus Crucifixoribus suis non petiit actualem cordis conversionem; non enim pro omnibus petiit auxilium efficax, quod necessarium est, ut impius actu convertatur, petiit verò tantum pro aliquibus, qui revera postea conversi sunt, ut refert Lucas Actorum 4. *His autem auditis* (Judæi) *compuncti sunt corde......& appositæ sunt die illa animæ circiter tria millia.* Confirmatur solutio ex S. Thoma, qui 3. part. quæstion. 21. ad ipsummet argumentum, quod adversùs conclusionem nostram objectum est, sic respondet: *Ad secundum dicendum, quod Dominus non oravit pro omnibus Crucifixoribus: neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, ut per ipsum vitam consequerentur æternam.* Quo autem sensu Christus pro iis mortuus sit, quorum conversionem absoluta voluntate non petiit, in subsequenti quæstione dicetur.

QUÆSTIO XII.

De redemptione per Christum.

Not. DE redemptione per Christum, quæremus 1. utrum Christus revera sit omnium hominum redemptor: 2. an homines redemerit pro illis satisfaciendo: 3. denique, utrum satisfactio ab eo exhibita fuerit ex rigore justitiæ?

CAPUT PRIMUM.

An Christus sit omnium hominum redemptor.

Not. NUllus inter Christianos dubitat, quin Christus sit *hominum* redemptor: ea nimirùm veritas apertè Scripturis continetur. Matthæi 20. filius hominis venisse dicitur, *dare animam suam redemptionem pro multis.* Ad Rom. 3. dicimur, *justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Ad Galatas 4. Dei filius dicitur venisse, *ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* Ad Coloss. 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus remissionem peccatorum.* Apocalypsis 5. Electi sic Christum alloquuntur: *Redemisti nos, Deus, in sanguine tuo.* Primæ Petri 1. *Scientes, quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati.*

Not. 2. Conveniunt pariter omnes Christiani, Christum esse redemptorem *omnium* hominum; scilicet non minùs expressè sacris litteris definitum est, eum esse redemptorem *omnium* hominum, quam hominum simpliciter: *Unus enim Deus* (inquit Apostolus 1. ad Timoth. 2.) *unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Præterea primæ Joannis 1. Christus dicitur hostia propitiatoria Dei Patris pro peccatis totius mundi:

di: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Secundæ ad Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.*

Not. 3. Licèt omnes Christiani conveniant Christum esse omnium hominum redemptorem, non omnes tamen conveniunt, quinam termino illo universali, *Omnium*, intelligi debeant. Calvinus aliique hæretici, qui elapso proximè sæculo vexarunt Ecclesiam, docent, termino, *Omnium*, intelligi solos prædestinatos, ita ut omnes reprobi a redemptione, ea etiam, quæ fit per gratiam habitualem, & per actus, qui ad eam præparant, omninò excludantur: Ratio (inquiunt) est, quia justificatio in eo posita est, quod Deus non imputet peccata: at peccata semper ac quovis tempore Deus reprobis imputat, nusquam verò quantumcumque gravia sint, ea, ex Christi meritis, imputat electis; ac proindè Christus electorum tantum est redemptor, pro iis duntaxat mortuus est, ac sanguinem fudit.

Not. 4. Catholici omnes consentiunt quidem, per vocem, *Omnium*, non intelligi eos tantum, qui in Scripturis electi, prædestinati dicuntur; sed etiam eos ex reprobis, qui in tempore aliquam actualem, aut habitualem gratiam recipiunt; hincque contra Calvinistas concludunt, Christū mortuum esse ac fudisse sanguinem non pro electis tantum, sed etiam pro iis reprobis, qui in baptismo, aut in Sacramento pœnitentiæ justificati, labuntur postea in peccatum mortale, in eoque tandem moriuntur. Nec mirum (inquiunt) pro iis enim mortuus est Christus, qui aliquod ex illius morte beneficium recipiunt: at recipiunt aliquid ii omnes, qui baptismo, aut pœnitentia justificantur, quamvis ad finem usque non perseverent.

Not. 5. Nonnulli ex Catholicis, inter quos Ludovicus Molina, contendunt, Christum pro omnibus in individuo hominibus *æqualiter* mortuum esse; hoc est, æquè efficaciter, quantum in ipso fuit, pro reprobis, ac pro electis, æternam salutem, & auxilia ad illius comparationem necessaria petiisse; reprobos tamen salutem non consequi, quod uti nolint auxiliis, quibus electi sive ad conversionem, sive ad perseverantiam utuntur. Econtra Thomistæ passim asserunt, Christum pro omnibus in individuo hominibus *æqualiter* mortuum non esse, seu contendunt, Christum absoluta, efficaci, & consequente voluntate non petiisse æternam salutem reproborum, ac proinde nec auxilia specialia, quæ reprobis, licet in baptismo justificatis, necessaria sunt, ut actu in justitia perseverent. Addunt, non petiisse quoque efficaciter, ut parvulis, qui in infantia ante baptismum moriuntur, aut infidelibus, qui nihil audierunt de Evangelio, aut quibusdam peccatoribus obcæcatis & induratis, actu & realiter conferantur auxilia, quibus parvuli, de quibus agitur, possint salutem consequi, aut infideles possint credere, aut indurati ad pœnitentiam converti valeant. Neque enim (ut suo loco dicetur) gratia sufficiens ad salutem, omnibus infidelibus, singulis obcæcatis & induratis, confertur: at conferretur tamen, si Christus voluntate consequente, quæ (ut superiùs ex S. Thoma dictum est) semper est efficax, seu habet effectum, quem desiderat, eam gratiam a Patre petiisset.

Not. 6. Thomistæ, quibus (ut observatum est) placet, Christum habita ratione voluntatis, quam moriens habuit, *æqualiter* pro omnibus in individuo hominibus mortuum non esse, docent, eum pro omnibus in individuo mortuum fuisse ratione pretii, quod Patri persolvit: Nempè (ajunt) mors, quam Christus Patri obtulit in cruce, meriti fuit infiniti; ac proindè pretium, quod oblatum est, satis fuit ad omnium in individuo salutem. Addunt iidem Angelici Doctoris discipuli, & in Christo moriente fuisse sinceram voluntatem, non absolutam quidem & consequentem, sed inefficacem & antecedentem, qua omnium in individuo hominum salutem, auxiliaque ad eam comparandam necessaria voluerit. Quid de quæstione, de qua varias Scriptorum sententias hactenus retulimus, nobis probetur, subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO I. Christus non est mortuus tantùm pro iis, quos Scriptura electos, prædestinatos, appellat; ac proindè in hac Apostoli propositione, *Unus pro omnibus mortuus est*, vox *Omnibus*, non intelligitur tantùm de prædestinatis.

Probatur. Pro iis tantùm Christus non est mortuus, præter quos sunt qui ex Christi morte aliquem fructum recipiunt; atqui præter eos, quos Scriptura electos, prædestinatos, appellat, sunt, qui ex Christi morte aliquem fructum recipiunt; ii nimirùm, qui (ut in Tractatu de justificatione dicetur) aut in baptismo, aut in sacramento pœnitentiæ justificationem consequuntur, quamvis in ea ad finem usque non perseverent: neque enim aut justificatio, aut prærequisitæ ad eam dispositiones, aut donum aliquod ad salutem pertinens, in statu naturæ lapsæ confertur alicui, nisi ex meritis, quæ Christus per mortem comparavit; ergo, &c.

Hinc verò patet, quodnam judicium de hac propositione, quæ numero est quinta inter eas, quæ damnatæ sunt, Innocentii Papæ X. Constitutione, data Romæ anno Incarnationis Dominicæ 1653. pridie Kalendas Junii: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Scilicet (ut declaravit idem Innocentius, cujus definitioni omnes Orbis Ecclesiæ unanimi consensu subscripserunt) falsa est, temeraria, scandalosa: Et intellecta eo sensu, *ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit*, est impia, blasphema, contumeliosa, Divinæ pietati derogans & hæretica.

Illi Constitutioni ab Alexandro Papa VII. confirmatæ, cuilibet Catholico est firmiter inhærendum: cohæret nimirùm cum Scriptura, & Traditione: econtra propositio damnata in eorumdem Summorum Pontificum Constitutionibus, Scripturæ, Traditioni & generalibus Conciliis opponitur. Vide quæ pluribus hujusce capitis conclusionibus statuta sunt a nobis: in iis enim conclusionibus SS. Patrum, de Christi morte pro omnibus hominibus oblata, doctrina fusè explicatur. Conciliantur etiam cum Concil. Trid. quæ de eodem argumento tradidit nono sæculo Ecclesia Lugdunensis in libro de tenenda Scripturarum veritate: Conciliatur, quoque Synodi Valentinæ in Galliis eodem tempore habitæ eadem de re definitio: claréque explicatur vera & sincera voluntas antecedens, quam de omnium salute Christus moriens habuit.

Objicies. Christus pro solis suis ovibus mortuus est; ipse enim Joan. 10. sic loquitur: *Animam meam pono pro ovibus meis*: Atqui ovium nomine soli prædestinati intelliguntur; nempè de ovibus, de quibus vers. 15. Christus dixerat, *Animam meam pono pro ovibus meis*, versu 17. 18. 19. sic loquitur: *Oves meæ vocem meam audiunt; & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternū, & non rapiet eas, quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, majus omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei*: Ergo Christus mortuus est pro solis prædestinatis.

Resp. dist. maj. Christus pro solis suis ovibus mortuus est, quantùm ad efficacem, perfectam & integram liberationem a massa perditionis, conc. maj. quantum ad inefficacem, imperfectam & inchoatam liberationem a massa perditionis, neg. maj. Efficax, perfecta & integra liberatio a massa perditionis, posita est in tribus donis simul sumptis, vocatione nimirum, justificatione & perseverantia usque in finem: inefficax verò, imperfecta & inchoata, posita est in vocatione tantùm, aut in voca-

tione

none fimul cum juftificatione. Mortem, quantum ad inefficacem, imperfectam & inchoatam a maffa perditionis liberationem, CHRISTUS paffus non eft pro folis electis, cum (ut jam obfervatum eft) multi fint reprobi, qui imperfectam illam liberationem in tempore ex CHRISTI morte confequantur; cum è contra prædeftinati ex ea perfectam adipifcantur; de his enim, non autem de illis, dicitur: *Ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quifquam de manu mea.*

Confirmatur argumento, quod petitur ex Augustino. Ecclefia Chrifti non ex folis electis conftat, fed etiam ex iis reprobis, qui baptizati, fidem catholicam exterius profitentur, & cum legitimis paftoribus communione conjunguntur; fcilicet Auguftinus caput illud olim contra Donatiftas pluribus propugnavit, atqui ex eodem S. Doctore, Chriftus pro tota fua Ecclefia mortuus eft: *Quid eft hoc?* (ait Tractatu 1. in Epiftolam Joannis) *Certè invenimus eam,* Ecclefiam, *in campis faltuum, invenimus Ecclefiam in omnibus gentibus. Ecce Chriftus propitiatio eft peccatorum noftrorum, fed & totius mundi. Ecce habes Ecclefiam per totum mundum: Noli fequi falfos juftificatores, & veros præcipitatores. In illo monte efto, qui implevit orbem terrarum, quia Chriftus propitiatio eft peccatorum noftrorum, non tantum noftrorum, fed & totius mundi, quem fuo fanguine comparavit.*

CONCLUSIO 2. Chriftus, habita ratione pretii, quod obtulit Patri, pro omnibus in individuo hominibus, five prædeftinatis, five reprobis, fufficienter mortuus eft.

Probatur. Ille, habita ratione pretii, fufficienter pro omnibus mortuus eft, qui pretium obtulit Patri, quod ex fe, fi applicetur, fatis eft ad omnium in individuo hominum vocationem, juftificationem, perfeverantiam ufque in finem; atqui Chriftus ejufmodi pretium obtulit Patri; nempe obtulit vitam propriam, quæ cum fuerit vita fubfiftens in Verbo, meriti fuit infiniti, ac proindè quæ per fe fatis fuerit ad omnium in individuo hominum integram & perfectam redemptionem.

Confirmatur argumentum ex S. Profpero, qui in refponfione ad primam objectionem Vincentianam, exponens, quo fenfu Chriftus pro omnibus hominibus mortuus fit, fic loquitur: *Quod ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet caufam generis humani, fanguis Chrifti redemptio eft totius mundi.* Paulò poft hæc iterum habet: *Poculum quippè univerfalitatis, quod confectum eft de infirmitate noftra & virtute divina, habet quidem in fe, ut omnibus profit, fed fi non bibitur* (hoc eft, fi non applicetur) *non medetur.*

Nec adverfus expofitionem ex Profpero relatam valet eorum argumentum, qui contendunt ex ea fequi, Chriftum etiam pro dæmonibus fufficienter mortuum fuiffe: fcilicet, ajunt, pretium, quod Chriftus obtulit, cum ex fe meriti fit infiniti, fufficiens eft ea fe ad ipforum etiam dæmonum redemptionem.

Non valet, inquam, argumentum illud: fiquidem licet ex parte pretii, quod Chriftus obtulit Patri, eadem fit pro dæmonibus, quæ pro hominibus, ratio, difpar eft tamen ex parte fubjecti: nempè quamdiu homines funt in via, Chrifto uniuntur aut actu, per fidem nimirum, fpem, charitatem; aut potentia, ut ii infideles, qui nihil unquam audierunt de Evangelio: dæmones è contra, cum irreparabilis fit eorum lapfus, & in via non fint, fed in termino, nec actu, nec potentia Chrifto conjunguntur; unde licet nullus fit homo viator, cui merita Chrifti applicari non poffint, dæmonibus tamen, five ex irrevocabili Dei decreto, five ex eorum (ut Theologi loquuntur) inconvertibilitate, nulla ratione applicari poffunt. Vide S. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. in corp.

CONCLUSIO 3. Chriftus, habita ratione fuæ humanæ voluntatis, mortuus non eft *æqualiter* pro omnibus in individuo hominibus. Ita Thomiftæ omnes contra Molinæ difcipulos.

Probatur. Ille non eft mortuus *æqualiter* pro omnibus in individuo hominibus, qui eadem ac æque efficaci voluntate non voluit omnium in individuo hominum falutem: atqui Chriftus eadem ac æque efficaci voluntate non voluit omnium in individuo hominum falutem; nam eorum, quos Scriptura electos, prædeftinatos, appellat, falutem voluit voluntate confequente; reproborum verò falutem non voluit voluntate confequente: nempè 1. Si Chriftus voluntate confequente voluiffet reproborum falutem, eam revera obtinuiffet à Patre; quæ enim ea voluntate petiit, obtinuit femper, juxta illud Scripturæ, *Sciebam, quia femper me audis,* nec non juxta hanc Apoftoli fententiam ad Hebræos quinto, *Exanditus eft pro fua reverentia.* 2. Ea voluntate Chriftus non voluit reproborum falutem, quia fciebat Patrem æternum eam non velle; in omnibus enim abfoluta illius ac fimplex voluntas, quæ idem eft cum confequente, conformis fuit cum voluntate confequente æterni Patris: atqui (ut harum Inftitutionum Part. 1. fusè ex S. Thoma probatum eft) Pater æternus nec vult modò, nec voluit unquam voluntate confequente reproborum falutem: ergo nec Chriftus eam ejufmodi voluntate voluit, dum in cruce penderet.

CONCLUSIO 4. Chriftus, habita ratione voluntatis antecedentis, pro omnibus in individuo hominibus mortuus eft, & quidem æqualiter.

Probatur prior pars. Ille habita ratione voluntatis antecedentis, pro iis omnibus mortuus eft, quorum falutem voluit voluntate antecedente: atqui Chriftus omnium in individuo hominum falutem voluit voluntate antecedente; nam 1. Pater æternus eo modo, hoc eft voluntate antecedente, vult omnium in individuo hominum falutem, ut Part. I. dictum eft ad hæc Apoftoli verba, *Deus vult omnes homines falvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire:* ergo Chriftus dum in cruce penderet, eadem voluntate voluit omnium in individuo hominum falutem; nam ficut debuit habere voluntatem confequentem, quæ conformis effet voluntati confequenti Patris: ita etiam habere debuit voluntatem antecedentem, quæ conformis effet voluntati antecedenti Patris. 2. Id Chriftus voluit voluntate antecedente, quod in fe fpectatum, bonum eft; nempe (ut Part. I. dictum eft) bonum confideratum in fe, & abftractum a circumftantiis particularibus, eft objectum voluntatis antecedentis, ficut bonum confideratum cum circumftantiis, quæ illud comitantur, eft objectum voluntatis confequentis: atqui in fe bonum eft, ut omnes in individuo homines falventur: ergo Chriftus voluit voluntate antecedente omnes omnino homines falvari.

Objicies 1. Si Chriftus, dum penderet in cruce, voluiffet voluntate etiam antecedente omnium in individuo hominum falutem, omnes in individuo homines auxilia ad falutem, faltem fufficientia, reciperent; atqui juxta doctrinam in Schola Thomiftarum receptiffimam, omnes in individuo homines non recipiunt auxilia ad falutem fufficientia; negantur enim primò parvulis, qui in utero materno fine parentum negligentia moriuntur; 2. infidelibus, qui nihil unquam de Evangelio audire potuerunt; 3. tandem quibufdam peccatoribus, quos Scriptura & Patres dicunt obcæcatos, & induratos: ergo, &c.

Refp. neg. maj. Ratio eft, quia (ut Part. 1. de antecedente voluntate Dei agentes diximus) voluntas antecedens non eft efficax; ac proindè non eft operativa effectus, quem vult; unde mirum non eft, quod licet humanitas Chrifti velit voluntate antecedente omnium in individuo hominum falutem, Deus omnibus in individuo hominibus non conferat auxilia, quæ ad eam comparandam requiruntur. Vide illud argumentum

fusiùs pertractatum harum Institutionum parte 5. iis locis, ubi de gratia sufficiente disseruimus. Vide etiam conclusionem, quæ hic proximè sequitur.

CONCLUSIO 5. Licet Christus, habita ratione tum pretii, quod oblatum est, tum voluntatis antecedentis, pro omnibus omninò hominibus mortuus sit; meritum tamen mortis, quam passus est, omnibus hominibus non applicatur.

Probatur. Primò, meritum mortis Christi omnibus non applicatur per sacramenta ab ipso Christo instituta, & quæ Concilium Tridentinum vocat instrumentales justificationis nostræ causas; neque enim omnes aut recipiunt, aut recipere possunt baptismum & pœnitentiam; 2. Non applicatur quoque omnibus per auxilia actualia, quæ ad salutem sufficiant: scilicet (ut suo loco dicetur) gratiæ ad salutem sufficientes omnibus in individuo hominibus non conferuntur.

Confirmatur 1. ex Concilio Tridentino, quod quidem sess. 6. sic loquitur: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus sit, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt; sed ii tantum, quibus meritum passionis illius communicatur.*

Idem, quod Synodus Tridentina, & non aliud, sensit olim Ecclesiæ Lugdunensis. Libro enim, quem nono sæculo inscripsit, *De tenenda Scripturarum veritate*, quemque legere est Tomo secundo Bibliothecæ Patrum primæ editionis, sic loquitur: *Catholica fides tenet, & Scripturæ sanctæ veritas docet, quòd omnibus credentibus, & per gratiam baptismi ex aqua & Spiritu sancto regeneratis, & Ecclesiæ incorporatis verè Dominus & Salvator noster sit passus. De infidelibus verò eadem constantia definit: Cesset hæc nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum etiam impiorum, & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non fuerit: cum pro solis his assumptis passionem sustinuerit, qui eum, dum in corpore viverent, fideliter venturum crediderunt. Hoc itaque est catholicum, hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum.*

Eadem pariter, & non alia, fuit mens Synodi Valentinæ ex tribus provinciis, Lugdunensi, Viennensi, & Arelatensi, nono sæculo, præside sancto Remigio Lugdunensium Archiepiscopo, coactæ; nec non alterius Synodi, quæ apud Lingonas paulò post Valentinam celebrata est. *Item* (inquit cap. 4.) *de redemptione sanguinis Christi, propter nimium errorem, qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant, contra illud propheticum: Ero mors tua, ô mors: Ero morsus tuus, inferne. Illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem quod pro illis datum pretium teneamus, quibus ipse Dominus noster dicit: Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui crediderit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

CAPUT II.

Utrum Christus propriè homines redemerit.

Not. SOciniani fatentur quidem, Christum, impropriè ac metaphoricè loquendo, homines per mortem ac passionem suam redemisse: nempe docent, mortem ac passionem Christi eo sensu ad hominum redemptionem contulisse, quòd admirabili patientiæ exemplo confirmaverint veritatis viam, quam Christus verbo prædicaverat: sed contendunt, Christum, verè ac propriè loquendo, homines per mortem & passionem suam non redemisse; neque enim (ajunt) eo fine Christus passus est, ut pro hominibus satisfaceret, hoc est, ut pœnæ, quas passus est, essent veluti pretium, in quod debitæ hominibus pœnæ commutarentur, aut quo pœnæ hominibus debitæ compensarentur; unde inferunt, Patrem æternum ex mera misericordia & absque ullo respectu ad Christi passionem tanquam pretium sibi oblatum, pœnam peccato debitam iis remittere, qui credunt in eum, qui impium justificat. Econtra quotquot ab Ecclesiæ incunabulis ad Socinum usque vixerunt Christiani, crediderunt ac docuerunt semper, Christum, verè ac propriè loquendo, homines a pœnis, peccato alioquin infligendis, redemisse.

Not. 2. Redemptio propriè sumpta, tria complectitur; supponit nimirum 1. Patrem æternum pœnas peccato debitas in Filium suum incarnatum conjecisse; 2. Filium incarnatum pœnas ejusmodi in seipso suscepisse, ut iis homines liberaret; 3. pœnas, peccatis alioquin infligendas, mutatas fuisse in eas, quas Christus voluntariè, licet ex mandato Patris, in se suscepit. Ut igitur adversus Socinianos asseramus, Christum verè ac propriè homines redemisse, operæ pretium est, ut tria illa demonstremus.

CONCL. 1. Pater æternus pœnas peccato debitas in filium suum incarnatum conjecit.

Probatur. Hæc habentur ad Rom. 4. ℣. 25. *Qui traditus est propter delicta nostra*: in mortem verò ab ipso Patre traditum esse, expressè asseritur ejusdem Epistolæ cap. 7. versu 32. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Isaiæ cap. 53. versu 6. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*: quo autem sensu id factum sit, dicitur versu 5. *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra.* Secundæ ad Cor. 5. ℣. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, hoc est, Deus Pater, de quo ℣. 20. Apostolus dixerat, *Reconciliamini Deo*, Christum fecit, pro nobis hostiam, pro peccatis offerendam; nimirum in Scripturis hostia, pro peccatis expiandis offerenda, vocatur peccatum: unde Oseæ 4. de sacerdotibus dicitur: *Peccata populi mei comedent*, id est, obl... pro peccatis; vel (ut Augustinus interpretatur Enchiridii cap. 21.) fecit eum obnoxium pœnis, quæ peccato debentur. Ad Galatas cap. 3. versu 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Vox, *maledictum*, eo loci significat *execrabilem*, unde sensus est Christum, in quo (ut ait Isaias) posuit Deus iniquitatem omnium nostrum, factum fuisse execrabilem, non quidem intrinsecè, sed quoad effectum, quatenus Pater in eum tanquam in virum propter peccata nostra execrabilem, debita ipsis peccatis pœna sævit: eum verò tanquam execrabilem a Patre habitum fuisse, probat Apostolus ex capite 21. Deuteronomii, ubi reus, qui patibulo suspensus fuit, ita execrabilis haberi debet, ut ejus cadaver eodem, quo suspensus est die, viventium oculis, tanquam eorum conspectu prorsus indignum, subdici debeat: *Quia scriptum est* (ait Apostolus) *maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Ex iis igitur textibus patet, Deum Patrem in filium suum incarnatum conjecisse hominum peccata, hoc est, exegisse ab eo pœnas, quæ alioquin reis hominibus deberentur.

Confirmatur argumentum ex typis, quibus Deus in antiqua lege Christum adumbrari voluit; nimirùm adumbratus est 1. agno Paschale, cujus mentio fit Exodi 12. Adumbratus est 2. hirco emissario, de quo Scriptura loquitur Levitici capite 16. Adumbratus est 3. hirco & ariete, qui (ut habetur Levitici 16.) a summo Sacerdote, solemnis expiationis die, pro sacerdotis & populi peccatis immolari debebant: atqui sive in agnum Paschalem, sive in hircum emissarium, sive in victimam solemnis expiationis, peccata populi conjiciebantur, hoc est, agnus Paschalis, solemnis expiationis victima, pœnam patiebantur, quæ alioquin reis hominibus debita

bica

bita fuisset ; ergo & Deus Pater in Christum illis imaginibus adumbratum conjici voluit omnium hominum peccata: idque evidentissimè præsignatum fuisse in hirco emissario, demonstrant, quæ de hirco illo leguntur Levitici capite 16. *Postquam Summus Sacerdos emundaverit Sanctuarium, & tabernaculum & altare, tunc offerat hircum viventem: & posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta, atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, & dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron*, &c.

CONCLUSIO 2. Christus pœnas, peccato alioquin infligendas, in se suscepit, ut iis liberaret hominem reum.

Probatur. Ad Hebræos c. 2. Christus dicitur pro omnibus gustasse mortem. Joannis cap. 11. versu 50. prænuntiatur moriturus pro gente. Primæ Petri 2. versu 21. dicitur passus pro nobis: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*, &c. Secundæ ad Corinth. 5. *Unus pro omnibus mortuus est*. Ex iis autem locis sic arguitur: Ille pœnas, peccato alioquin infligendas, in se suscepit, ut iis liberaret hominem reum, qui pro homine reo mortuus est; siquidem is pœnas, peccato alioquin infligendas, suscepit, ut iis hominem reum liberaret, qui seipsum in hominis rei locum subrogavit: at id præstitit, qui pro homine reo mortuus est; scilicet, pro aliquo sic agere aut pati quidpiam, est id illius vice aut agere aut pati; ac proinde est illius loco subrogari. Atqui Christus (ut testantur allati ex Scripturis textus) mortuus est pro homine reo: ergo pœnas, peccato alioquin infligendas, ideò in se suscepit, ut iis hominem reum liberaret.

Confirmatur ex usu Scripturæ sacræ: in ea nimirum præpositio, *Pro*, aut rei aut personæ in alterius rei aut personæ locum subrogationem significat, ut videre est primæ Petri 3. *Malum pro malo*; Matth. 5. *Oculum pro oculo, dentem pro dente*; Lucæ 11. *Pro pisce serpentem*; Matth. 2. Archelaum in Juda regnasse dicitur *pro Herode patre suo*, hoc est, ipsi in regnum successisse.

Respondent adversarii, præpositionem, *Pro*, non semel in Scripturis sumi pro eo, quod est utile, nec semper pro subrogatione in alterius locum: unde quia mors Christi homini reo utilis fuit, sive ad confirmationem veritatum, quæ eum ad salutem perducere possunt, sive ad insigne patientiæ exemplum: primæ Petri 2. sic idem Petrus loquitur: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*.

Sed nullius planè ponderis est ea responsio. Nam 1. Subrogatio in alterius locum, cum agitur de pœna perferenda, non pugnat cum utili; siquidem utile est alteri, ut quis ejus loco, cum agitur de pœna perferenda, subrogetur; ac proinde licet detur, quòd præpositio, *Pro*, in aliquibus locis sumatur pro eo, quod est utile non sequitur eam sumi debere pro utili in genere, in locis, de quibus est quæstio, sed pro utili specificè sumpto, hoc est, prout dicit utilitatem ex subrogatione desumptam. 2. Si mors Christi, pro nobis esset tantùm, quòd conferat ad veritatis confirmationem, præbeatque patientiæ exemplum, dici posset, Apostolos, aut sanctos martyres, pro nobis mortuos esse: eorum enim mors plurimùm contulit ad veritatis, quam prædicaverant, confirmationem, eximio fuit patientiæ exemplo, scilicet nonnullorum martyrum cruciatus, & diuturniores, & saltem in speciem, acerbiores fuisse videntur iis, quos Christus passus est; atqui tamen dici non potest, Apostolos aut sanctos martyres, pro nobis crucifixos, passos, mortuos fuisse, quemadmodum non semel de Christo dicitur; unde Paulus, qui sæpiùs scribit se tot tantaque pro Ecclesia passum fuisse, nusquam dicit se pro Ecclesia aut mortuum aut crucifixum esse, imò vetat, ne id aut credatur aut dicatur, ut uni tribuatur Christo: *Numquid* (ait 1. ad Corinth. 1.) *Paulus crucifixus est pro vobis?* 3. In Caiphæ prophetia præpositio, *Pro*, in sensu aut confirmandæ veritatis, aut hominum ad patientiam informandorum, sumi non potest, sed pro subrogatione unius in alterius locum: *Nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo, pro populo, & non tota gens pereat*. Siquidem (ut patet ex illius verbis) fingebat ille inevitabile exitium Judæorum, si Christus vivere permitteretur; è contra si Christus occideretur, incolumitatem certam ob hoc ipsum obtinendam: ac proindè mortem Christi, excidio alioquin imminenti, substituere voluit. 4. Non obest sententia, quæ ex Petro laudata fuit: siquidem in ea Christi subrogatio apertè distinguitur ab exemplo patientiæ, quod Petrus commendat: non enim dicit simpliciter (ut tamen dicere debuisset, si solum patientiæ exemplum voluisse proponere) *Christus passus est, vobis relinquens exemplum*; sed dicit: *Christus passus est* PRO NOBIS, *vobis relinquens exemplum*. Non est igitur, cur Sociniani Christi mortem pro nobis, in sensum metaphoricum detorqueant.

CONCLUSIO 3. Pœnæ peccatis alioquin infligendæ, revera mutatæ sunt in eas, quas Christus, pro nobis in se suscepit.

Probatur. Scripturæ docent, Christum morte sua placasse Deum Patrem, hoc est, effecisse, ut Deus Pater nobis iratus esse desineret; seu (ut propriè loquamur) Scripturæ docent, Christum sua morte avertisse pœnas nobis infligendas: Deus enim desinit iratus esse nobis, cùm sævire desinit. Primæ Joannis 2. dicitur ipsummet, pro peccatis placamen: *Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*. Ejusdem epistolæ cap. 4. ob id missus dicitur, ut esset placamen pro peccatis: *Misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris*. Ad Romanos c. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*; hoc est, Christus in suo sanguine propitiatio est; cujus quidem propitiationis, per fidem efficimur participes. Eædem Scripturæ testantur, nos in Christi sanguine, cruce, Deo reconciliatos esse. Ad Ephesios 2. reconciliatio hominum cum hominibus refertur tanquam ad causam, ad eorumdem hominum reconciliationem cum Deo: *Et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso*: versu 13. ejusdem sanguinis virtuti unio nostra cum Deo tribuitur: *Facti estis propè in sanguine Christi*. Ad Rom. 5. *Reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus*. Eædem Scripturæ fidem faciunt, nos Christi sanguine redemptos esse, hoc est, à pœna commerita liberatos esse. Ad Galatas cap. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis*, seu, pœnis prævaricatoribus infligendis. Ad Ephesios 1. versu 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*. Ad Rom. 3. versu 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*. Ad Hebræos 9. versu 12. *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. Redimere verò, habita ratione tum vis vocis, tum Scripturarum usus, importat pretii cum re redempta commutationem, juxta illud Matthæi 20 *Venit enim filius hominis dare animam suam redemptionem*, hoc est, redemptionis pretium, *pro multis*.

Ex textibus, quos hucusque retulimus, sic contra Socinum arguitur. Pœnæ nobis propter peccatum infligendæ, mutatæ sunt in id, quod fuit placamen, seu, propitiatio pro peccatis nostris; in id, per quod Deo reconciliati sumus; in id, quo redempti fuimus: atqui pœnæ, quas Christus in se suscepit, hoc est, illius mors & passio, fuerunt placamen, seu propitiatio pro peccatis nostris; per illius mortem, per illius sanguinem reconciliati

ciliati sumus Deo; per eandem mortem, per eundem sanguinem redempti fuimus a peccatis; ergo pœnæ, alioquin peccatis nostris infligendæ, in eas mutatæ sunt, quas Christus in se pro nobis suscepit.

Ex iis Scripturæ locis patet, Christum nos redemisse, exhibita Deo Patri satisfactione propriè dicta. Et sanè satisfactio proprie dicta trix complectitur, pœnæ impositionem a superiore, ejusdem pœnæ voluntariam susceptionem in inferiore, & tandem commutationem pœnæ, reo alioquin infligendæ, in eam, quam pro eodem reo inferior ex mandato superioris susceperit: atqui Christo a superiore, nimirum Deo Patre, imposita est pœna pro peccatis hominum perferenda, Christus impositam eam pœnam in seipso voluntariè suscepit, in eam pœnam voluntariè susceptam mutata est pœna, reo alioquin infligenda, ut tribus præcedentibus conclusionibus probatum est: ergo Christus nos redemit, exhibita Deo Patri satisfactione proprie dicta.

Eadem veritas ex traditione demonstrari potest, hoc est, Christum homines verè ac propriè redemisse, exhibuisse Patri veram ac proprie dictam satisfactionem.

Justinus Martyr ad Diognetum, hæc scribit: *Proprium ipse filium pretium redemptionis nostræ pro nobis dedit. O dulcem permutationem!* In brevissima illa Justini sententia continentur ea omnia, quæ quatuor præcedentibus conclusionibus asserta sunt. Docetur nimirùm primò, DEUM Patrem pœnam peccato nostro debitam in suum proprium filium conjecisse: *Proprium filium suum pro nobis dedit*: 2. Patrem non gratuitò, sed accepto pretio pepercisse nobis: *Pretium redemptionis nostræ*: 3. Pœnas nostro peccato debitas, non simpliciter, sed per veram commutationem nobis esse dimissas: *O dulcem permutationem!*

Tertullianus scribit, opportuisse ut Christus pro nobis sacrificium fieret: *Christus* (inquit adversùs Judæos, cap. 13.) *oportebat pro omnibus gentibus fieri sacrificium, qui tanquam ovis ad victimam ductus est, & velut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum*: unde sic arguitur: Ille propriè nos morte sua redemit, qui redemit nos per vitam, quam velut sacrificii victimam obtulit; qui enim sic redimit, offert pretium pro re, quam redimit: qui suscepit in se pœnam, mortem nimirum, quæ alioquin deberetur redempto: atqui Christus, ex Tertulliano, sic nos redemit: ergo, &c.

Origenes Hom. 3. in Leviticum, sub initio, hæc de Christo scribit: *Quia peccata nostra portavit, vitulum immaculatum, hoc est, carnem incontaminatam, obtulit hostiam Deo.* Hom. 4. in Numeros, sic loquitur: *Quoniam intravit peccatum in hunc mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit nisi per hostiam, necessarium fuit provideri hostiam pro peccato.* Tractatu II. in caput XVI. Matth. hæc habet: *Homo quidem non potest dare aliquam commutationem pro anima sua: Deus autem pro animabus omnium, dedit commutationem pretiosum sanguinem filii sui. Nec enim empti sumus corruptibili argento, vel auro, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Ex iis autem Origenis textibus sic conficitur argumentum: Ille verè ac proprie, seu per satisfactionem propriè dictam, nos redemit, qui redemit nos per sui ipsius, tanquam hostiæ, oblationem; per veram ac realem commutationem; per pretium, quo nostras animas emit: atqui ex Origene Christus sic nos redemit: ergo, &c.

Cyprianus epistola 8. *Orabat* (inquit) *ille pro nobis, cum peccator ipse non esset, sed nostra peccata portaret.* Eusebius Cæsariensis lib. 10. de Demonstratione Evangelica, capite 2. *Utpote* (ait) *qui pro nobis & mortem subierit, & verbera & probra & contumelias, quibus nos digni eramus, in se transtulerit, & execratus pro nobis factus, execrationem, quam nos ferre damnati eramus, ad seipsum attraxerit. Et quid verè ille, quàm pro animis nostris pretium?*

Athanasius libro 1. de Incarnatione Verbi Dei, hæc scribit: *Pro omnibus sacrificium obtulit, pro omnibus templum suum tradens, quo omnes immunes & liberos a veteri transgressione efficeret.* Cyrillus Jerosolymitanus Catechesi 13. *Si Phinees* (inquit) *ægrè ferens turpe patrantem, iram Dei placavit, Jesus, non alium perdens, sed seipsum in redemptionis pretium offerens, nonne illam adversùs homines iram dissolvit?* Basilius in Psal. 48. eodem modo loquitur: *Unum inventum est rebus omnibus præstantius, quod in pretium redemptionis animæ nostræ datum est, sanctus nimirum & pretiosus Domini nostri Jesu Christi sanguis.*

Ambrosius libro de Joseph Patriarcha, cap. 4. *Pretio igitur nostro debitum non suo ære contraxit: Chirographum sustulit, fœneratorem removit, exuit debitorem, unus exsolvit, quod ab omnibus debebatur.* Chrysostomus procemio Comment. in Isaiam: *Sanguinem filii sui dat in pretium.* Hieronymus in Isaiæ cap. 53. *Quando* (inquit) *pendebat in cruce, & factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat, & loquebatur Patri: Deus meus, quare me dereliquisti?*

Augustinus innumeris in locis idem docet, ac Patres, qui hucusque laudati sunt. Libro 13. de Trinitate, cap. 14. sic loquitur: *Pergis inde ad passionem, ut pro debitoribus nobis, quod ipse non debebat, exsolveres.* Enarratione in Psalm. 95. *Tenebantur homines captivi sub diabolo, & dæmonibus serviebant, sed redempti sunt a captivitate; vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit redemptor, & dedit pretium, fudit sanguinem suum, & emit Orbem terrarum. Quæritis, quid emerit: Videte, quid dederit, & invenite, quia emerit. Sanguis Christi pretium est*: &c. Gregorius Magnus lib. 3. Moralium, cap. 13. *Mediator noster pro se ipso puniri non debuit, quia nullum culpæ contagium perpetravit: Sed si ipse indebitam mortem non susciperet, nunquam nos a debita morte liberaret.*

Tandem, qui a Gregorii Magni temporibus ad Socinum usque vixere Patres, tùm in Oriente, tum in Occidente, eodem modo locuti sunt; unde sic adversùs eundem Socinum arguitur: Iis persuasum fuit, Christum vere ac proprie nos redemisse, seu, exhibendo satisfactionem propriè dictam, qui asseruerunt, Christum se Deo Patri obtulisse hostiam ad delenda hominum peccata; qui docuerunt, Christi sanguinem pretium esse, quod pro peccatis nostris Deo Patri persolutum est; qui dixerunt, Christum proprio suo sanguine tanquam pretio nos emisse: Sed, qui a Christo ad Socinum usque vixerunt, id asseruerunt, id docuerunt, id dixerunt: ergo persuasum eis fuit Christum verè ac proprie nos redemisse, hoc est, exhibendo Patri veram ac proprie dictam satisfactionem.

Solvuntur argumenta Socinianorum.

Objicies 1. Dici non potest, quænam sint causæ redemptionis proprie sumptæ, seu satisfactionis æterno Patri a Christo exhibitæ: ergo revera Christus propriè homines non redemit: ergo, proprie loquendo, pro eis minimè satisfecit.

Resp. neg. ant. Scilicet prima causa efficiens satisfactionis exhibitæ a Christo, est Deus ipse; nam ad Rom 8. *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Causa, quæ Deum movit, ut filio satisfaciendi onus imponeret, non alia fuit, quam summa illius in homines misericordia: *Sic Deus dilexit mundum* (Joannis 3.) *ut filium suum unigenitum daret.*

Altera causa efficiens est humanitas Christi hypostaticè conjuncta Verbo: *Ego pono animam meam* (Joannis 10.) *Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso,*

& po-

& potestatem habeo ponendi eam. Causa, quæ Christum movit, fuit ipsius in homines amor: *In fide vivo filii Dei* (ait Apostolus ad Galatas cap. 2.) *qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Ad Ephesios 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis...... Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.*

Causa alia, quæ & Deum ut filium traderet, & Christum ut traderet semetipsum, impulit, fuerunt hominum peccata. Ad Rom. 4. *Traditus est propter delicta nostra*; quoties enim præpositio, *propter*, cùm accusativo conjungitur, causam impulsivam significant: *Propter hæc* (ad Ephesios 5.) *venit ira Dei in filios diffidentiæ*. Levitici cap. 26.) *Propter ista abominanda Dominus Deus ejecit eos à conspectu suo*. Idem quoque dicendum est de præpositione, *Pro*, cùm rem significat cum perpessionibus conjunctam. *Christus* (1. ad Corinth. 15.) *mortuus est pro peccatis nostris*. Ad Hebræos cap. 10. *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.*

Causa materialis, exhibitæ à Christo satisfactionis, fuerunt tum corporei cruciatus, qui Christi mortem præcesserunt, quique primæ Petri 5. *Livor* appellantur tum animi dolores, quos Evangelistæ, vocibus *pavere*, *mœstum esse*, appellarunt; tum denique mors ipsa: *Nunc autem* (ad Colossenses 1.) *reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem*. Ea verò mors cum duabus præcipuè qualitatibus in Scripturis describitur, ut cruenta nimirum & ignominiosa. Qualitas illa, mortis cruentæ, voce, *sanguinis* denotatur: *Hic est sanguis meus novi testamenti*. Matth. 28. *qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Primæ Petri cap. 1. *In obedientiam, & aspersionem sanguinis Jesu Christi*. Ad Ephesios 1. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*. Qualitas autem altera, mortis nimirùm ignominiosæ, notatur tum ipsa *Crucis* voce (inest enim illi supplicii generi ignominia maxima;) unde dictum est ad Hebræos 12. *Sustinuit crucem, confusione contempta*; tum etiam voce *contemptus*, quam Isaias usurpat capite 53.

Tandem forma satisfactionis exhibitæ à Christo, est pœnarum pro peccatis nostris persolutio: nempe (ut fusè superiùs observatum est) Christus in Scripturis dicitur portasse hominum peccata: at portare alterius peccatum, non aliud in iisdem Scripturis significat, quam pœnas peccatis debitas luere. Levitici quinto: *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis ...... nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam*. Levitici capite vigesimo: *Frater, & soror, qui coierint, portabunt iniquitatem suam*: Primæ Petri secundo: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*; quæ quidem vox *pertulit*, non significat (ut vult Socinus) *abstulit*, sed *patienter tulit*; tum quod eo loci propositum sit Petro, insigne patientiæ exemplum in Christo demonstrare: *Qui* (inquit immediatè ante verba, de quibus est quæstio) *cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem se judicanti injustè*, tum etiam quod immediatè post scribat, nos Christi cruciatibus a pœna peccato debita liberatos fuisse: *Cujus livore sanati sumus.*

Objicies 2. Redemptio propriè sumpta dicit & redimentem, & redemptum, & eum, ex quo fit redemptio: atqui dici non potest, quis sit is, ex quo Christus humanum genus redemerit; neque enim responderi potest, quod Deus sit: nempe Deus erat pars offensa, erat creditor: at offensor propriè non redimitur ex parte offensa aut ex creditore, scilicet pars offensa reduplicativè, ut est pars offensa; creditor reduplicativè, prout est creditor, jus non habent exigendi pœnam, sed restitutionem tantùm & indemnitatem a persona, quæ læsit. Præterea dici quoque non potest, cujus speciei fuerit actus, quo propter exhibitam à Christo satisfactionem, Deus condonaverit pœnam peccato alioquin debitam.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dicendum est, Deo non ut parti læsæ, aut creditori, exhibitam fuisse a Christo satisfactionem, sed Deo tanquam supremo rerum omnium moderatori: scilicet supremus rerum omnium moderator, ut æquitati consulat, jus habet exigendi pœnam ab eo, qui legem sive naturalem, sive politicam infregit. Ad 3. dicendum est, actum, quo pœna æterna, peccato alioquin debita, commutata fuit in eam, quam Christus in se suscepit, fuisse actum jurisdictionis; neque enim pœna peccato naturaliter debita mutari potest in aliam, nisi a superiore, ac proinde ab eo, qui jurisdictionem habeat.

Objicies 3. Scripturæ loca, in quibus Christus dicitur redemisse genus humanum; pro peccatis hominum Deo Patri satisfecisse; metaphoricè, non autem ad litteram sumenda sunt: nempe toties Scriptura metaphoricè sumenda est, quoties sumpta in sensu litterali, probare videtur factum quod est contra æquitatem: atqui Scripturæ loca, quæ probare videntur redemptionem a Christo exhibitam fuisse, satisfactionem ab eo oblatam esse Patri, ad litteram sumpta, probare videntur factum, quod est contra æquitatem: siquidem injustum est, Christum, alioquin innocentem, rei loco castigari.

Resp. ad primum, neg. min. Ad secundum dico 1. certum esse, non esse contra æquitatem, quod justi, & innocentes in hac vita crucientur: nimirum, Deo sic providente, ea est Sanctorum hominum conditio, ut dum in humanis agunt, multa patiantur. Dico 2. non esse quoque injustum, quòd pœna pro peccato alieno infligatur: nempè contrarium in Scripturis docetur. Exodi cap. 20. Deus ipse sic loquitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me*. Genesis 9. ob factum Chami, Canaan execrationi subjicitur. Libro 2. Regum capite 24. ob Davidis peccatum perierunt septuaginta hominum millia; ad quorum interitum David exclamavit: *Ego sum, qui peccavi: Ego iniquè egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei*. Nec obstant hæc verba, Ezechielis cap. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: Justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum*: Nõ obstant (inquam) iis enim verbis Deus non quid necessariò & jure immutabili faciendum sit docet, sed quid facere liberè decreverit, hoc est, Judæis pollicetur, se deinceps non castigaturum in filiis iniqua parentum facta, si filii similia non perpetraverint.

CAPUT III.

An Christus homines redemerit per satisfactionem, quæ sit ex rigore justitiæ.

Not. 1. AD satisfactionem ex justitia strictè sumpta plures conditiones requiruntur. Necesse enim est: 1. ut sit ad alterum; nempè nemo, propriè loquendo, potest esse suipsius creditor, & debitor: Necesse est 2. ut actus, quo satisfactio exhibetur, sit voluntarius; siquidem debet esse meritorius, seu mereri debet remissionẽ debiti, quo quis erga creditorem tenebatur: at actus non est meritorius, nisi sit voluntarius: Necesse est 3. ut res, quæ per satisfactionem redditur, sit æquivalens debitæ; neque enim justitia servatur ab eo, qui pro decem duplionibus, quos debet creditori, novem tantùm solvit: Necesse est 4. ut sit ex bonis, quæ satisfacienti propria sint, seu, quorum satisfaciens dominium habeat; scilicet ob eam rationem servus non potest ex rigore justitiæ domino suo satisfacere; quæcumque enim servus habet, sunt sub heri dominio: Necesse est

5. ut

5. ut satisfactio sit ex bonis alias indebitis, id est, ex iis, quæ alio justitiæ titulo creditori non debeantur. Dictum est ex alio *justitiæ* titulo, eò quòd bona, quæ alio, quam justitiæ titulo debentur, gratitudinis v. g. aut obedientiæ, nihil de justitiæ perfectione, ac rigore detrahant: Necesse est denique 6. ut creditor acceptare teneatur satisfactionem, quam debitor exhibuerit; nimirùm si eam ex justitia acceptare non teneatur, gratia erit, quòd accipiat; ac proinde satisfactio non ex justitiæ rigore, sed ex liberalitate creditoris, debitum exhauriet.

Not. 2. Scotus in 3. Sentent. dist. 19. contendit, plures ex iis conditionibus, quæ mox relatæ sunt, deesse in satisfactione, quam Patri Christus exhibuit; hincque concludit, eam non fuisse ex rigore justitiæ. Thomistæ e contra passim asserunt, nullam ex conditionibus illis defuisse satisfactioni Christi; hincque colligunt, eam fuisse ex stricta ac perfecta justitia. Quid de Scholastica illa quæstione sentiamus, subsequentes conclusiones aperient.

CONCLUSIO 1. Christi satisfactio fuit ad alterum.

Probatur. Primò, satisfactio Christi fuit ad alterum, si consideretur prout exhibita Patri, & Spiritui sancto; siquidem Pater & Spiritus sanctus sunt personæ realiter a Christi persona distinctæ: 2. Fuit quoque ad alterum, si consideretur prout exhibita Verbo; nam Verbum in seipso subsistens, virtualiter a se ipso, prout in humanitate subsistit, distinguitur. Hinc Augustinus lib. 10. de Civit. Dei, cap. 20. scribit, Christum in forma Dei sacrificium cum Patre sumere, licet in forma servi ipsummet sit sacrificium: *Cùm* (inquit) *in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & unus Deus est; tamen in forma servi sacrificium maluit esse, quam sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & Sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio.* 3. Satisfactio Christi fuit ad alterum, non quidem supposito distinctum, sed natura; quod quidem satis est ad perfectam justitiam, quia compositum, quod pluribus ac distinctis naturis constat, plura & distincta habet jura, plures ac distinctas operationes, plures ac distinctas voluntates. Ex iis autem sic conficitur argumentum: Ea satisfactio fuit ad alterum, quæ fuit ad creditorem supposito, vel natura saltem, distinctum a debitore: atqui satisfactio Christi fuit ad alterum supposito, vel natura saltem, distinctum; supposito quidem, si consideretur in ordine ad Patrem aut Spiritum sanctum; natura verò, si in ordine ad Filium consideretur.

Objicies 1. Satisfactio filii respectu patris, servi respectu domini, non est propriè ad alterum, quia pater & filius, servus & dominus, unam tantùm, moralem saltem, personam constituunt: atqui satisfactio Christi fuit filii respectu Patris; nam Christus, etiam prout est homo, est Dei Patris filius; & quidem naturalis, non autem adoptivus, ut passim contra Fœlicem & Elipandum Theologi docent: fuit quoque satisfactio servi ad dominum; nam Christi humanitas essentialiter à Deo pendet: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. maj. Ad 2. dist. ant. Pater & filius, servus & dominus, unam tantùm, saltem moralem, personam constituunt, si non habeant diversa dominia, conc. ant. si habeant, neg. ant. At Christus, prout est homo, dominium & jus habet planè (ut infra dicetur) distinctum a dominio & jure Patris, Verbi & Spiritus sancti; ac proinde licet unam physicè cum Verbo personam habeat, unam tamen, moraliter loquendo, cum Verbo non constituit; unde exhibita ab ipso satisfactio, proprie est ad alterum.

Objicies 2. Unius ad se ipsum satisfactio, non est ad alterum: atqui satisfactio Christi fuit unius ad seipsum: idem enim fuit offensus, qui satisfaciens.

Resp. dist. maj. Unius ad seipsum, si non sit virtualiter multiplex, non est satisfactio ad alterum, conc. maj. si sit virtualiter multiplex, neg. maj. Christus tum in genere entis, tum in genere moris, propter distinctas naturas, ex quibus constat, est virtualiter multiplex; proindeque illius ad seipsum satisfactio, verè ac propriè fuit satisfactio ad alterum.

CONCLUSIO 2. Actus, quo exhibita fuit Christi satisfactio, fuit perfectè voluntarius.

Probatur. Actus, quo exhibita fuit Christi satisfactio, est mors, quam passus est: atqui (ut agentes de Christi libertate, superiùs dictum est) mors Christi perfecte fuit voluntaria, imò & libera: ergo, &c.

CONCLUSIO 3. Pretium, quod per Christi satisfactionem exhibitum est, debito per homines erga Deum contracto fuit omninò æquivalens.

Probatur. Pretium in Christi satisfactione exhibitum, fuit vita propria, quam pro nobis obtulit, sanguis, quem pro nobis fudit: debitum verò, quod per homines erga Deum contractum est, fuit pœna æterna: atqui Christi vita, sanguis ab eo fusus, fuerunt prorsùs æquivalentia pœnæ æternæ peccato debitæ: nempe Christi vita, sanguis illius, propter unionem hypostaticam cum Verbo, meriti fuerunt infiniti; meritum enim operis sumitur a dignitate operantis.

Confirmatur argumentum 1. ex Scriptura. Docet, copiosam esse nostram per Christum redemptionem: *Copiosa est* (ait Psal. 12.) *apud eum redemptio*; eam superasse peccati gravitatem: *Non sicut delictum* (inquit Apostolus ad Romanos 5.) *ita & donum: ubi abundavit delictum, superabundavit gratia*: illius virtutem satis fuisse ad delenda omnium hominum peccata: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (ait Joannes 1. Epist. cap. 2.) *non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi*; per eam Christum expoliasse principatus, & potestates: *Expolians* (ait Apostolus ad Coloss. 2.) *Principatus & Potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.*

Confirmatur 2. ex Patribus; ii enim docuerunt, Christum per justitiam ipsum dæmonem superasse. Vide, quæ de illo argumento dicta sunt superius. Docuerunt etiam, vel unam sanguinis Christi guttulam satis fuisse ad totius humani generis redemptionem: *Non guttam sanguinis modicam* (ait Clemens Papa VI. in Extrav. *Unigenitus*, de pœnit. & remissionibus) *quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione generis humani suffecisset, sed copiosè, velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Eadem fere ratione loquuntur Augustinus Enchiridii cap. 108. Leo Magnus Serm. 1. de Nativit.

Objicies 1. Qui pro culpa infinita satisfacit per actionem finitam, non satisfacit æquivalenter: atqui Christus pro culpa infinita satisfecit per actionem finitam, nimirùm per actionem suæ humanitati propriam: quæ, cum sit a principio finito, non potest esse, quin non sit finita.

Resp. ad 1. neg. min. Ad 2. dist. ant. Actio humanitati propria, cum sit à principio finito, non potest esse, quin sit finita physice, conc. ant. quin sit finita moraliter, neg. ant. Ratio est, quia finitas, aut infinitas moralis non sumuntur sicut finitas, aut infinitas physica, a principio efficiente, a quo actio, quam efficiunt, emanat; sed sumuntur a persona, quæ per principium efficiens operatur, sicut finitas, aut infinitas malitiæ, quæ sunt in actu aliquo, non sumuntur ex illius entitate physica, aut ex illius principio efficiente, sed ex dignitate personæ, quæ læditur; ac proinde, cum in Christo persona, quæ per actiones humanitati proprias satisfecit, fuerit infinitæ dignitatis, actiones, quæ immediate emanarunt ex humanitate, pretii fuerunt infiniti.

Insta-

Instabis. Persona Verbi nullo modo influit in dignitatem actionum, quæ propriæ fuerunt humanitati Christi: hoc enim unum in ea effecit, ut nimirum humanam naturam terminaret, quam revera, si adfuisset humana persona, terminasset: ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. nego, personam humanam non aliud effecturam fuisse, quam humanitatem sustentare: scilicet humana persona, quò dignior est, vel minùs digna, eò majorem, vel minorem dignitatem confert actionibus, quæ a natura, quam sustentat, emanant: propter eam rationem satisfactio exhibita a rege, majoris est dignitatis, majoris est pretii, quam, quæ a plebejo peracta fuerit.

Objicies 2. Quando effectus producitur à duabus causis, quarum una est finita, & alia infinita, effectus est finitus, non autem infinitus; ob id enim visio beatifica est finita, quamvis Deus, qui causa est infinita, ad illam concurrat: ergo Christi satisfactio, cùm fuerit a causa finita, humanitate nimirùm, verè finita fuit, quamvis aliunde fuerit a persona Verbi, quæ est causa infinita.

Resp. dist. maj. Si ambæ causæ sint tantum causæ physicæ, conc. ant. si una sit physica & alia moralis, neg. ant. Scilicet par est, ut quælibet causa suo modo influat in actum; physica quidem conferendo esse physicum finitum, si ipsa finita sit; moralis verò conferendo esse morale, quod sit infinitum in causa morali, ut fuit in Christo respectu illius operationum, sit infinita.

CONCLUSIO 4. Satisfactio, quam Christus exhibuit, fuit ex propriis illius bonis.

Probatur. Satisfactio, quam Christus exhibuit, fuit ex actionibus, quæ immediatè emanarunt ab humanitate: atqui actiones illæ fuerunt propriæ Christo; & quidem primò, si Christus secundum personam consideretur; secundò, etiam si consideretur secundum humanitatem. Nam illæ actiones fuerunt propriæ Christo considerato etiam secundum humanitatem, de quibus ad libitum, servato ordine finis, humanitas disponere potuit: atqui sic humanitas Christi disponere potuit de actionibus, per quas Deo satisfecit: potuit enim illas ad alium finem, quàm ad exhibendam satisfactionem, referre, v. g. ad exorandam divinam misericordiam, ad persolvendum dignum Deo cultum, ad excercendas varias virtutum species: ergo propriæ fuerunt humanitati Christi, hoc est, humanitas Christi verum ac strictum in illas dominium habuit.

Objicies. Actiones, per quas Christus satisfecit, fuerunt actiones creatæ, cum a causa creata, humanitate nimirùm, prodierint: atqui actiones creatæ non fuerunt sub dominio humanitatis Christi, siquidem non potuerunt esse simul sub dominio Dei, & sub dominio causæ creatæ: fuissent tamen sub utroque illo dominio, si humanitas Christi in eas dominium habuisset; nempè nihil est creatum, in quod Deus summum dominium non habeat: ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. neg. maj. Ratio est, quia Dei in res creatas dominium, est dominium universale; dominium verò humanitatis Christi, fuit dominium particulare: at Dei dominium universale non tollit a causa creata libera dominium particulare in suos actus; scilicet de eis, ut jam observatum est, potest pro libito disponere; idque exigit essentia liber- tas, qua fruitur.

CONCLUSIO 5. Licèt actus, per quos Christus satisfecit, alias Deo debiti fuerint, hinc tamen nihil detractum est ex stricta ejusdem satisfactionis justitia.

Probatur prior pars. Illi actus alias debiti fuerunt, qui præter titulum satisfactionis, debiti fuerunt titulo religionis, obedientiæ, gratitudinis: atqui actus, per quos Christus satisfecit, Deo debiti fuerunt titulo religionis, obedientiæ, gratitudinis; nempè humanitas Christi, quæ conjuncta Verbo, satisfecit, jure naturali virtutibus religionis, obedientiæ, gratitudinis erga Deum tenebatur: ergo actus, per quos Christus satisfecit, Deo debiti fuerunt alio, quam satisfactionis titulo.

Probatur altera pars. Per id nihil detractum est ex rigorosa Christi satisfactione, quod omnes titulos, cujuscumque speciei fuerint, explere potuit: atqui actus, per quos Christus satisfecit, explere potuerunt titulos omnes, cujuscumque speciei fuerint: scilicet actus illi, quòd a principio hypostaticè conjuncto personæ Verbi emanarint, infiniti (ut superiùs dictum est) pretii fuerunt, omnes titulos, cujuscumque speciei fuerint, explere potuerunt; ac proinde quamvis alio, quam satisfactionis titulo jam debiti essent, ipsum justitiæ titulum explere potuerunt; sicque per alios præcedentes titulos nihil ex justitiæ rigorosa satisfactione detractum est.

Probatur iterum eadem conclusionis pars. Per eos titulos nihil detractum fuit ex rigorosa satisfactione, per quos multiplicata non fuerunt debita: ideò enim, qui urgente necessitate pecuniam mutuò acceptam reddit creditori, & charitatis & justitiæ actum elicit, seu adimplet utrumque illum titulum, quòd illi tituli debita a parte rei non multiplicent: atqui alii a satisfactione tituli debitum in Christo non multiplicarunt; scilicet non effecerunt, ut alii actus præter eos, quos Christus elicuit, Deo debiti fuerint: ergo per eos nihil detractum fuit ex rigorosa Christi satisfactione, seu non impedierunt, quin exhibita à Christo satisfactio, fuerit ex stricta, rigorosa, ac perfecta justitia.

CONCLUSIO 6. Deus non potuit non acceptare exhibitam a Christo satisfactionem.

Probatur. Deus non potuit non exaudire unigenitum suum filium; exigit nimirùm infinita dignitas ejus, qui filius est natura, ut semper a Patre exaudiatur; idque non obscurè innuunt hæc Apostoli verba ad Hebræos 6. *Exauditus est pro sua reverentia*: ergo ex suppositione, quòd unigenitus Dei filius satisfactionem in sua humanitate exhibuerit, Deus Pater non potuit eam non acceptare.

Objicies. Ille potuit non acceptare exhibitam à Christo satisfactionem, qui eam acceptavit tantùm propter pactum, quod de eâ acceptanda liberè sancitum est: atqui Deus Pater exhibitam a Christo satisfactionem acceptavit tantùm propter pactum, quod de ea acceptanda liberè inter ipsum & Christum sancitum fuerat: illius enim pacti non semel sacri codices meminerunt: *Postula à me* (ait Deus Pater, Christum alloquens Psalm. 2.) *& dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Hæc etiam habentur Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*, ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem, concesso ant. neg. conseq. Quamvis enim de acceptanda satisfactione Deum inter & Christum pactum intercesserit, ejusque vis acceptata fuerit; tamen non ob id solùm acceptata est, sed etiam propter ipsiusmet satisfactionis dignitatem: unde, secluso pacto, Deus nihilominùs exhibitam a Christo satisfactionem acceptasset, nimirum ex suppositione, quòd oblata fuerit, Deus Pater non potuit eam non acceptare. Hincque patet, Christi satisfactionem acceptatam non fuisse ex gratia personæ offensæ, sed propter ipsiusmet satisfactionis meritum & dignitatem.

Objicies 2. Christi satisfactio fuit ex gratia personæ offensæ, ex unione nimirum hypostatica, quæ nullo titulo humanitati Christi debeatur: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Fuit præsuppositivè ex gratia personæ offensæ, conc. ant. fuit intrinsece, & (ut loquuntur) formaliter, neg. ant. hoc est, gratia unionis, præ-

supposita quidem fuit merito operum, per quæ exhibita est satisfactio, sed non fuit pars, quæ eadem opera componeret: at gratia, quæ præsuppositive tantum se habet ad opus satisfactorium, non opponitur rigori justitiæ, ut patet in homine, qui creditorem solvit per pecuniam, quam sua industria lucratus est ex auro, quod ab eodem creditore mutuatus fuerit.

QUÆSTIO XIII.

De Christi Mediatione.

Not. BEllarminus hic observat, Mediatoris nomine intelligi eum, qui inter aliquos dissidentes, aut saltem non conjunctos, medium se interponit, ut eos redigat ad concordiam, vel novo fœdere conjungat. Ea mediatoris idea præsupposita, quærendum est hic 1. utrum Christus inter Deum & hominem sit mediator; 2. utrum sit mediator, prout homo, an verò prout est Deus; 3. an invocatio Sanctorum in Cœlis regnantium opposita sit mediationi, quæ Christo in Scripturis tribuitur.

CAPUT I.

Utrum Christus sit mediator Deum inter & hominem.

Not. DUobus modis potest esse quis mediator, per substantiam nimirùm, & per operationem; nempè duos potest conjungere, vel per unionem substantialem, quæ fit inter eos, qui a se invicem distent; vel per operationem, qua efficiatur, ut dissidentes mutuam inter se pacem ineant: hic igitur expendendum est, utrum Christus utroque illo modo Deum cum homine conjunxerit, seu an utraque illa ratione mediator sit Deum inter & hominem.

CONCLUSIO 1. Christus inter Deum & hominem mediator est per mediationem substantialem.

Probatur. Ille Deum inter & hominem mediator est per mediationem substantialem, in quo Deus & homo substantialiter uniuntur; atqui in Christo Deus & homo substantialiter uniuntur: siquidem uniuntur unione non affectiva tantùm & morali (ut docuit Nestorius) sed, ut profitetur Ecclesia Catholica, unione personali; una enim est Christi persona, Verbi nimirum: at (ut disputantes contra Nestorium, observavimus) unio personalis, est substantialis: ergo, &c.

CONCLUSIO 2. Christus inter Deum & hominem mediator est per operationem.

Probatur. Ille Deum inter & hominem mediator est per operationem, qui mediator est per discretionem & judicium; per modum internuntii; per orationem & supplicationem; per solutionem & satisfactionem: atqui sic Christus Deum inter & hominem mediator est. Nam 1. scribit Ambrosius in caput secundum primæ Epistolæ ad Timotheum, Christum a Deo constitutum arbitrum, judicasse pacem fieri posse, si Deus primùm ignosceret, & homo deinceps in Dei fide permaneret. 2. Christum internuntii munere functum esse, colligitur ex eo, quod sancitas a Deo leges hominibus annuntiarit; unde Malachiæ tertio dicitur, *Angelus testamenti*, & ad Hebræos nono, *Mediator novi Testamenti*, quemadmodum Moyses veteris olim mediator fuerat, juxta illud Apostoli ad Galatas tertio, *Data est lex per Angelos in manu mediatoris*. 3. Eundem Christum fuisse mediatorem per orationem & supplicationem, docet Apostolus ad Romanos 8. ubi asserit, quod pro nobis interpellet; docet quoque Joannes primæ Epistulæ capite 2. ubi scribit eum pro nobis fungi advocati munere. 4. Mediator fuit solvendo & satisfaciendo; scilicet propitiatio est pro peccatis nostris, unde Apostolus, postquam primæ ad Timotheum secundo hæc scripsit: *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, statim causam, cur sit mediator, hisce verbis tradit: *Qui dedit semetipsum redemptionem pro multis*. Triplici priore modo Moyses Deum inter & homines mediator fuerat, idque innuunt hæc ejusdem Moysis verba, Deuteronomii quinto: *Ego medius & sequester fui inter Deum & vos in illo tempore*: at quarto modo solus Christus mediator est noster; nempe solus solvit debitum pro peccatis pretium, solus nos per suum sanguinem redemit, solus pro nobis satisfecit, ac mortuus est.

Quæres, quæ beneficia homines ex Christi mediatione consecuti fuerint?

Resp. per Christi mediationem homines Deo reconciliatos fuisse: *Omnia* (inquit Apostolus 2. ad Corinthios 5.) *ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis: quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis*. Ad Ephesios 2. *In Christo Jesu vos, qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua: legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso.*

Non cum Deo tantùm Christus hominem reconciliavit, sed etiam cum seipso, nempè dedit ei pacem; imperfectam, quidem in hac vita, in qua concupiscentia remanet; perfectam verò dabit in altera, in qua concupiscentia planè destruetur: *Pacem* (inquit Augustinus Tractatu 77. in Joannem) *nobis relinquit, in qua manentes hostem vincimus: pacem suam nobis dabit, quando sine hoste regnabimus ...... Est ergo nobis pax aliqua, quoniam condelectamur legi Dei secundum interiorem hominem: sed non est plena; quia videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ.*

Christi mediatione effectum est quoque, ut homines pacem inter seipsos inirent, juxta illud vaticinium Isaiæ 2. *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*. Id ad litteram adimpletum est sub Augusto, quo imperante Christus in lucem prodiit: nam antequam Christus advenisset, *& usque ad vicesimum octavum annum Cæsaris Augusti, cujus quadragesimo secundo anno Christus natus est in Judæa* (ait Hieronymus in Comment. ad caput 2. Isaiæ) *in toto Orbe terrarum fuisse discordiam, & singulas nationes contra vicinas gentes arsisse studio præliandi, ita ut caderent & cæderentur: Orto autem Domino Salvatore, quando sub præside Syriæ Cyreno prima est in Orbe terrarum facta descriptio, & Evangelicæ doctrinæ pax Romani Imperii præparata, tunc omnia bella cessaverunt.*

Ea terrena pace, qua, dum Christus in lucem prodiit, homines fruebantur, adumbratum est, quid per se possit Evangelica doctrina, hoc est, significata est cordis & animarum concordia, quam Christi lex per se potest efficere; scilicet ea est illius vis, ut qui eam amplexi fuerint, ad ejusque præscriptum mores composuerint suos, positis odiis, ac bellis, pacem inter se, amicitiamque foveant. Et in hoc positum est aliquod novæ legis a vetere discrimen: Ista enim, odia quoad effectum adversus gentes quasdam præscribebat, juxta illud Matthæi 5. *Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*; cui quidem sententiæ adjungi debet talionis lex, quæ *oculum pro oculo, dentemque pro dente* rependi jubebat. Illa e contra odii ac discordiæ fomites restinguit, cum & odium etiam inimici

pro-

prohibeat, vetetque ne quis illatam sibi injuriam altera injuria ulciscatur.

Ea Evangelii virtute, ea novæ legis sanctitate utitur Augustinus, ut adversus Gentiles demonstret, quantum ad pacem, etiam in republica conservandam, novum Testamentum per se conferat: *Proinde* (inquit Epistola quinta ad Marcellinum) *qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicæ, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites jussit: dent tales provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales judices, tales denique debitorum redditores & exactores ipsius fidei, quales esse præcepit doctrina Christiana; & audeant eam dicere adversam esse reipublicæ, imò verò dubitent, eam confiteri magnam, si obtemperatur, salutem esse reipublicæ.*

CAPUT II.

Utrum Christus sit mediator, prout homo, an verò prout Deus.

Not. 1. Quidam ex veteribus docuerunt, Dei filium, etiam ante Incarnationem, Deum inter & homines mediatorem fuisse: scribit enim Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap 27. *Item semper egisse in Dei Patris nomine, & cum Patribus, & Prophetis conversatum, & congressum esse:* adeò ut quoties in sacris litteris vel Deus locutus esse, aut egisse, quidpiam legitur, vel Angelus missus, ac legatione functus, hoc a Dei filio sub Angeli persona, & aspectabili, externaque specie, administratum esse complures existimaverint.

Not. 2. Triplex extitit opinio de ratione, sub qua Christus post susceptam a Verbo humanitatem mediator est Deum inter, & homines. Franciscus Stancarus Mantuanus, in Academia Regiomontana Lutheranæ Theologiæ Professor, sæculo decimosexto jam adulto, docuit Christum ita sub ratione solius humanitatis mediatorem fuisse, ut ad mediationem illam divinum suppositum, seu persona Verbi, nihil omninò contulerit. Calvinus adversus Stancarum duas Epistolas scripsit ad Polonos: in utraque autem illa Epistola contendit, Christum secundum utramque naturam, divinam, & humanam, mediatoris officiis perfunctum fuisse. Catholici econtra docent, Christum esse mediatorem prout est homo, qui tamen Verbo substantialiter conjunctus sit: ita ut humanitas Christi fuerit principium *quo* operationum, quibus mediatoris officio perfunctus est: Verbum vero fuerit earumdem operationum principium *quod*, ab eoque suam dignitatem, suumque pretium desumpserit.

CONCLUSIO 1. Dei Filius ante Incarnationem non fuit mediator inter Deum, & homines.

Probatur. Ille non fuit mediator inter Deum & homines, qui nullo ex officiis, quæ mediatori propria sunt, perfunctus est; atqui Dei Filius ante Incarnationem revera nullo perfunctus est. Nam 1. non fuit Dei Patris ad homines nuntius, cùm (ut de Verbi consubstantialitate contra Arianos disserentes ostendimus) ii, qui in veteri Testamento Dei nomine locuti sunt, ejusque dignitatem sibi tribuerunt, Angeli fuerint, non autem ipsummet Dei Verbum. 2. Verbum ante Incarnationem pro hominibus orare non potuit, cum oratio inferioritatem arguat in orante. 3. Non potuit quoque esse pro iisdem hominibus propitiatio, sive, pro eis nec solvere, nec satisfacere potuit Deo Patri; nempe solutio, satisfactio, hostiam supponunt, quæ offerri potuerit: at ante Incarnationem Verbum hostia non erat, quæ Patri offerretur.

CONCLUSIO 2. Christus non est mediator prout homo a persona Verbi præcisus.

Probatur 1. Si Christus sit mediator prout homo præcisus a persona Verbi, sola humana natura in Christo egit opera, quæ mediatori propria sunt; atqui id falsum est. Nam 1. humana natura per se substitisset; ac proindè non una, sed duplex in Christo fuisset persona. 2. Scriptura mediatoris opera non soli humanitati, sed & ipsimet Deo tribuit; scilicet Actorum vigesimo Deus dicitur; *Sanguine suo Ecclesiam acquisivisse.* Primæ ad Corinthios secundo, *Dominus gloriæ* dicitur *crucifixus.* Ad Philippenses secundo, *Qui in forma Dei erat æqualis Patri*, dicitur *humiliatus esse, & obediens factus usque ad mortem, mortem autem crucis.* 3. Unanimis est Patrum sententia, necessarium fuisse hominem Deum, qui mediatoris partes impleret: *Neque* (ait Augustinus Enchiridii cap. 108.) *per ipsum liberaremur, unum mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum, nisi esset & Deus;* atqui si Christus sit mediator, prout homo præcisus a persona Verbi, necessarius non fuisset mediator, qui Deus foret simul & homo. 4. In suppositione, quam hic impugnamus, imperfectissima foret Christi mediatio: nempè opera Christi mediatoris infinitam dignitatem, infinitum pretium hauriant ex persona Verbi, cum qua humanitas, a qua tanquam a causa efficiente eadem opera producuntur, conjuncta sit.

Objicies 1. Persona non influit in actiones, per quas Christus mediatoris partes egit: nihil enim aliud persona Verbi effecit in Christo, quam quod humana persona, si adfuisset, præstitisset; atqui persona humana nihil aliud præstitisset, quam, quod sustentasset ac terminasset humanam naturam: ergo, &c.

Resp. dist. ant. Persona non influit physicè, transeat ant. non influit moraliter, neg. ant. scilicet (ut jam non semel observatum est) personæ dignitas operibus, quæ emanant a principio efficiente, dignitatem ac pretium confert: hinc Apostolus dicit, Christum exauditum fuisse pro sua reverentia: hinc Patres docent, exhibitam a Christo satisfactionem, infiniti fuisse meriti, & ex strictioris justitiæ rigore.

Objicies 2. Nemo potest esse mediator sui ipsius; atqui si Christus non esset mediator prout homo præscisus a persona Verbi, idem esset sui ipsius mediator; nam persona Verbi est quid unum cum Patre & Spiritu Sancto: ergo, &c.

Resp dist. maj. Nemo in propria natura potest esse mediator sui ipsius, conc. maj. in alia natura, nego maj. Christus non est in natura divina mediator, sed in humana, quæ tamen cum Verbo conjuncta sit; unde ipse in humana natura existens, potest esse sui ipsius in natura divina existentis mediator, eo quod ubi sunt duæ naturæ, duo sint jura. Vide quæ superiùs de CHRISTI satisfactione dicta sunt.

Objicies 3. Si Christus prout Deus, est mediator, dici poterit, Deum orasse, mortuum ac passum fuisse pro nobis; ea enim sunt mediatoris officia; atqui ea dici non possunt; nempè in ipsam divinitatem caderent, quod est absurdum: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Dici poterit, Deum orasse, mortuum ac passum fuisse pro nobis in humana natura, conc. maj. in divina natura, neg. maj. Revera (ut superiùs ex Scripturarum usu probatum est) dicimus Deum orasse, mortuum ac passum fuisse; sed ea non cadunt in naturam divinam, sed in humanam tantùm, ita tamen ut propter idiomatum communicationem, quæ reperitur inter ea, quæ substantialiter conjuncta sunt, Deo simpliciter & absolutè tribuantur. Vide quæ suo loco de idiomatum communicatione diximus.

Objicies 4. Augustinus hæc habet in Psal. 103. *Christus mediator inter hominem, & Deum, non quia Deus, sed quia homo: non quia Deus æqualis Patri: sed si æqualis*

Patri, non mediator. Hæc etiam scribit Tractatu 72. in Joannem: *Mediator autem Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo, est Christus Jesus*. S. Thomas 3. part. quæst. 26. art. 2. eodem modo loquitur: *In mediatore duo discernenda sunt, ratio medii, & officium conjungendi*: atqui neutrum potest congruere Christo prout est Deus, sed secundùm quòd homo. Siquidem *de ratione medii est* (inquit) *quod distet ab utroque extremorum; conjungit autem per hoc, quod ea, quæ unius sunt, defert ad alterum*: Sed (prosequitur idem Sanctus Doctor) *secundum quod Deus non differt à Patre, & Spiritu sancto in natura & potestate dominii, nec etiam Pater, & Spiritus Sanctus aliquid habent, quod non sit Filii, ut sic possit id, quod est Patris, vel Spiritus sancti, quasi quod est alterum, ad alios deferre. Utrumque vero convenit ei, in quantum est homo*: ergo, &c.

Resp. ad 1. dist. ant. Ex Augustino, Christus mediator, non qua Deus in propria natura subsistens, est mediator, conc. ant. subsistens in natura humana, neg. ant. Hoc unum voluit Augustinus, filium Dei ante Incarnationem non egisse mediatoris partes, sed tantum post Incarnationem; nempe post Incarnationem tantum, incœpit subsistere in natura humana, quæ orare, mori, pati, satisfacere potuit.

Resp. ad 2. concessa maj. dist. min. Neutrum potest congruere Christo prout Deus est in divina natura subsistens, conc. min. in humana natura subsistens, neg. min. Nempè Deus prout in humana natura subsistens, differt a Patre & Spiritu Sancto, inter Deum, & homines medius est, & utrumque conjungit; quippe se toto distat ab ambobus, licèt non ex toto, seu (ut Scolæ loquuntur) totaliter: Nec est necesse, ut quod comparatur cum altero, ut ei apponitur, secundum omnes sui partes cum eo aut conveniat, aut ab eo discrepet.

CONCLUSIO 3. Christus non est mediator prout Deus præcisus ab humanitate.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ testatur, Christum, prout est homo, mediatorem esse. *Unus Deus* (inquit Apostolus 1. ad Timoth.) *unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*: At cur Apostolus addidit vocem *homo*, nisi ut significaret, Christum esse mediatorem in humana natura?

Nec valet solutio Adversariorum contendentium, ideò Apostolum addidisse vocem *homo*, ut significaret Verbum, non autem alias Trinitatis personas, egisse mediatoris partes. Non valet inquam, nam hæ voces: *Unus Deus*, non significant, aut personam Patris, aut personam Spiritus sancti cum exclusione personæ filii: non enim persona filii minus est Deus, quam Patris, ac Spiritus sancti personæ; sed excluduntur tantum Dii Gentium: ita ut sensus sit, unum (ut Christiani profitentur) esse Deum, non autem (ut volunt Gentiles) plures esse Deos: at excluderetur persona Filii his vocibus *Unus Deus*, si vox *homo* designaret personam Verbi præcisam ab humanitate: siquidem Apostolus significasset, personam filii esse respectu sui ipsius mediatorem; dixisset enim, filium in se sumptum, esse mediatorem unius Dei, ac proinde & ipsiusmet filii in se subsistentis.

Confirmatur ex Augustino, qui docet, unum Deum significare totam Trinitatem, addirque Christum esse mediatorem inter totam Trinitatem & homines: *Qui iste* (inquit in Psalmum vigesimum nonum) *mediatorem esse inter Deum & homines? Non inter Patrem & homines, sed inter Deum & homines. Quid est Deus? Pater & Filius & Spiritus sanctus. Qui sunt homines? peccatores, impii mortales. Inter illam Trinitatem, & hominum infirmitatem & iniquitatem, mediator factus est homo non impius, sed tamen infirmus.*

Probatur 2. ex Patribus. Sub ea ratione Christus est mediator, qua Sacerdos: eisdem enim officiis sacerdos fungitur, quibus mediator: atqui Christus non est sacerdos prout Deus præcisus ab humanitate; nempè Christus ipsi, & Patri offert sacrificium: at sub eadem ratione non est offerens simul, & is, cui offertur. Desumptum est illud argumentum ex Cyrillo: *Quando factus est homo* (inquit agens adversus decimum capitulum Orientalium) *vocatus est Pontifex, non quòd major Deo offerat sacrificium, sed sibi ipsi & Patri*. Idem Cyrillus lib. 11. in Joannem, cap. 7. Deum, a quo bona cuncta procedunt, in Christo opponit mediatori & sacerdoti; ac proinde censet eum non esse mediatorem, qua Deus est, præcisus ab humanitate: *In quantum* (inquit) *filius & Deus est, una cum Patre nobis bona largitur; in quantum verè mediator est & Pontifex, nostras preces ad Patrem adducit*. Chrysostomus scribit, Christum non esse mediatorem prout Dominus ab humanitate præcisus. *Quid est mediator?* (ait explicans illud ad Hebræos 9. Ideò novi Testamenti mediator est) *Mediator non est Dominus rei, cujus est mediator, sed & alia quidem res*. atqui Christus prout Deus, est Dominus: ergo, &c. Augustinus expressè docet, Christum non esse mediatorem prout Deus, conceptus sine humanitate: *In quantum homo, in tantum mediator* (ait libro 10. Confessionum, cap. 43.) *in quantum autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo, & Deus apud Deum, & cum Patre & Spiritu sancto unus Deus.*

Probatur 3. rationibus. Primò, Christus reduplicative prout Deus seorsim consideratus, non est medius inter Deum & hominem. 2. Tres personæ essent mediatores. 3. Deus ab humanitate præcisus, orare non potest, nec sacrificare, nec satisfacere: ergo Christus prout Deus sine humanitate conceptus, non potest esse mediator.

Objicies 1. cum Calvino in epistola ad Polonos. Hæc verba: *Ego pono animam meam*, sunt verba mediatoris; atqui non sunt hominis, sed Dei solius; solus enim Deus est vitæ ac mortis arbiter; ergo, &c.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dist. ant. Solus Deus est vitæ ac mortis arbiter potestate non recepta ab alio, conc. ant. potestate ab alio recepta, neg. ant. Homo in Christo arbiter est vitæ ac mortis, sed potestate accepta a Verbo, cui substantialiter unitus est; *Caro* (inquit Augustinus Tractatu 47. in Joannem) *ponit animam suam, & caro iterum sumit eam; non tamen sua potestate...... sed potestate inhabitantis carnem.*

Objicies 2. Sub ea ratione Christus est mediator, sub qua nos reconciliavit, ac sancivit pacem: atqui Christus nos reconciliavit, prout Deus ab humanitate præcisus, juxta illud secundæ ad Corinthios 5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum.... Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*; nec non juxta hanc de Deo ad Colossenses 1. sententiam: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Sub ea ratione Christus est mediator, sub qua nos reconciliavit, sancivit pacem, orando, supplicando, satisfaciendo pro nobis, conc. maj. sub qua nos reconciliavit, exaudiendo, probando, acceptando, neg. maj. Hac postrema ratione, non autem priore, Deus nos reconciliavit sibi, pacem iniit nobiscum; ac proindè, qua homo unitus divinitati, mediator est, non autem, qua Deus seorsim ab humanitate conceptus.

Objicies 3. Patres asseruerunt, necesse fuisse Christum esse Deum, ut mediator esset: ita enim docent Irenæus libro 3. adversus hæreses cap. 20. Chrysostomus & Theophylactus in caput secundum prioris ad Timotheum, Augustinus Enchiridii cap. 18. ubi sic loquitur: *Nam neque liberaremur per unum mediatorem Dei & hominum, nisi esset & Deus*: ergo Patres docuerunt, Christum, qua Deus est, ac sine humanitate conceptus, esse mediatorem.

Resp.

Resp. dist. ant. Patres asseruerunt, necesse fuisse Christum esse Deum, ut mediator esset, hoc est, ut mediatoris operibus moralem dignitatem conferret, conc. ant. ut ipse eliceret & faceret mediatoris opera, neg. ant. & conseq. Ratio est, quia is, qui pretium ac dignitatem operibus confert, non est mediator, sed is tantum, qui opera eligit, per quæ impetrat reconciliationem, ac liberationem nostram: ea autem opera humanitas cum Verbo hypostaticè conjuncta elicuit; nimirum humanitati tantùm convenit orare, interpellare, pati, satisfacere pro nobis: unde Augustinus, postquam sic locutus est lib. 9. de Civit. Dei, cap. 15. *Quærendus est mediator, qui non solum homo, verum etiam Deus sit*, sic prosequitur: *Nec tamen ob hoc mediator, quia Verbum: maximè quippè immortale & maximè beatum Verbum longè est à mortalibus miseriis, sed mediator, per quod homo.*

Objicies 4. Ex Augustino Enchiridii cap. 33. renovare corda, dare Spiritum sanctum, docere, officia sunt mediatoris: atqui ea Deo soli, ut Deus est, conveniunt: ergo Christus mediator est solùm, qua Deus est.

Resp. dist. maj. Renovare corda, dare Spiritum sanctum, docere tanquam causa meritoria ac ministerialis, sunt officia mediatoris, conc. maj. tanquam causa principalis, neg. maj. Illo, non autem hoc modo, mediator corda renovat, docet, dat Spiritum sanctum; illo verò solus Deus ut Deus est.

Objicies 5. Plures Patres contendunt, Christum, etiam ante Adami lapsum, fuisse caput hominum, & Angelorum. Asserunt (ut videre est apud Chrysostomum & Hieronymum in commentario capitis tertii Epistolæ ad Galatas, ubi exponunt illud Apostoli: *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris*) Legem per Christum mediatorem datam fuisse: ergo centuerunt; Christum, qua Deus est præcisè, esse mediatorem: neque enim aut ante Adami lapsum, aut cùm lex Moisaica data est, humanitas erat conjuncta Verbo.

Resp. ad 1. Christum, qua Deus est præcisè, fuisse quidam caput hominum & Angelorum tum dignitate, tum influxu; sed non fuit mediator: alioquin enim & Pater & Spiritus sanctus fuissent quoque mediatores, cum ea, quæ sunt ad extra, toti Trinitati communia sint: unde Paulus, licet Christum vocet Angelorum caput, nusquam tamen eum Angelorum aut hominis innocentis mediatorem appellavit.

Resp. ad 2. dist. ant. Patres asserunt, legem datam fuisse per Christum mediatorem, non quatenus mediatorem, conc. ant. quatenus mediatorem, neg. ant. hoc est, asserunt, personam, in qua homo mediator subsistit, dedisse Moysi legem; seu (ut clariùs loquamur) asserunt, personam, quæ in assumpta humanitate futura erat mediatrix, legem dedisse: hincque Verbi divinitatem adversùs Arianos concludunt.

CONCLUSIO 4. Christus est mediator prout homo, sed qui Verbo conjunctus sit.

Probatur prior pars. Christus, tantùm prout est homo, potest elicere, ac facere opera, quæ mediatori propria sunt, hoc est, orare, interpellare, satisfacere, & alia hujusmodi: ea enim (ut sæpius observatum est) inferioritatem arguunt. Altera pars non minùs est evidens: siquidem opera illius, qui inter Deum & homines est mediator, debent esse dignitatis infinitæ, pretii infiniti: atqui merita hominis Christi non habent dignitatem infinitam, pretium infinitum, nisi quia homo Christus Verbo substantialiter conjunctus est: ergo, &c.

Quæres 1. qua ratione se habeat humanitas in mediatione Christi, & qua ratione se habeat Verbum?

Resp. humanitatem se habere per modum causæ efficientis & meritoriæ; ipsa enim est, quæ orat, interpellat, supplicat, satisfacit; Verbum verò per modum principii moralis, a quo in physicas humanitatis actiones pretium ac meritum dimanant: unde Verbum est in Christo principium *Quod* mediationis, humanitas verò principium *Quo*.

Quæres 2. utrum hæ propositiones simpliciter prolatæ, admitti debeant: *Christus prout homo, est mediator. Christus prout Deus, est mediator?*

Resp. 1. primam propositionem admitti debere, tum quia expressè reperitur in Patribus, tum quia non excludit unionem Verbi cum humana natura; tum etiam quia ad literam sumpta, significat hominem, seu humanitatem, esse in Christo principium efficiens, & immediatum actionum, per quas Christus mediatoris partes implevit. Resp. 2. alteram propositionem simpliciter, & absolutè prolatam, admitti non debere. Ratio est, quia in sensu obvio significat, Deum, seu Verbum, esse causam efficientem, & elicitivam operationum, per quas Christus mediatoris officio functus est; cum etiam quia principium *Quod*, non aliud confert officio, quam dignitatem; ipsumque principium, *Quod*, officii nomine simpliciter vocari non potest.

CAPUT III.

Utrum invocatio Sanctorum opposita sit Christi mediationi.

Not. 1. VIgilantius (ut patet ex libro, quem adversus eum labente sæculo quarto Hieronymus scripsit) primus inter Christianos docuit, Sanctos in cœlis cum Christo regnantes nullo modo pro viventibus orare; unde conclusit, eos invocari non debere.

Alphonsus a Castro in libro de hæresibus, verbo, *Sancti*, eundem errorem adscripsit Eustachio, qui ante Vigilantium vixit, sed (ut advertit Bellarminus) absque fundamento: quamvis enim (ut refert Socrates historiæ lib. 2. cap. 33.) martyrum Basilicas, & reliquias contempserit, nihil tamen de Sanctorum in cœlis cùm Christo regnantium invocatione protulit in medium.

Sæculo duodecimo (teste Sancto Bernardo Sermone 66. in cantica) Henriciani, seu Petrobusiani, & Apostolici, apertiùs Sanctorum invocationi bellum indixere: quippe qui docuerint, impium esse per preces ad Sanctos recurrere.

Apud nonnullos Authores VVicleffus audit tanquam hostis invocationis Sanctorum: sed is error illi immeritò tribuitur. Nam 1. non legitur inter articulos, quos in VVicleffo Concilium Constantiense damnavit: 2. Dialog. libro tertio cap. 30. fol. 96. apud fratres de VValenburg sic ipse VVicleffus loquitur: *Si ad acuendam devotionem nostram Beatos aliquos adoramus, videtur, quod relinquendo ambiguum, illos adorare debemus, quos Fides, Scriptura, & sic Dominus canonizat.*

Nonnulli asserunt, Joannem Huss bellum invocationi Sanctorum indixisse. Verùm (ut in Variationibus observavit doctissimus Meldensium Episcopus) absque fundamento id asseritur. Nam 1. in elucidatione confessionis suæ fidei, fol. 58. sic apud mox laudatos Antistites de VValenburg loquitur: *Sancti in patria juvant electos in militante Ecclesia, gaudentque de eorum pœnitentiis & vita meritoria.* 2. Ibidem tanquam calumniam à se depellit, quod damnaret Sanctorum invocationem: *Rogo* (inquit) *piissimum Jesum Christum, qui verè pœnitentibus non denegat gratiam, ut dignetur illis culpam dimittere, qui de me dicunt, vel dixerunt, vel privatim, vel publicè, quod ego negarem Sanctorum suffragia, respectu viventium, & respectu in gratia mortuorum.* 3. Idem Joannes Huss, quoad vixit, & quandiu potuit, missæ sacrificium diebus singulis obtulit (ut in nostro de Sacramentis commentario historico & dogmatico, agentes de erroribus circa præsentiam realem Christi in Eucharistia, demonstravimus) at non alia liturgia utebatur, quam

quàm ea, quæ tunc in Ecclesia Latina erat in usu: ac proinde cum in ea liturgia, Sancti cum Christo regnantes invocarentur, necessariò sequitur, Joannem Huss Sanctorum invocationem & dicto & facto probasse.

Not. 2. Seculo decimo sexto Lutherus, ut patet ex libris, quos ad VValdenses scripsit, Calvinus Institutionum libro 1. cap. 14. §. 12. quatuor de Sanctorum invocatione docuerunt. Contenderunt enim 1. ex divinis literis non haberi, quod Sancti in altera vita pro viventibus orent; 2. si Sancti orant, eos non orare, nisi in genere pro tota electorum Ecclesia, non autem specialiter hoc est, pro his, aut illis hominibus in particulari; 3. inutile & illicitum esse Sanctos in cœlis regnantes invocare, cum (ajunt) viventium preces minimè cognoscant; 4. denique per eam praxim non parum obscurari gloriam Christi, qui unicus est mediator noster, & intercessor.

Not. 3. Ecclesia Catholica de argumento, de quo agitur, docet 1. Sanctos in cœlis cum Christo regnantes, suas orationes Deo pro hominibus offerre. Docet 2. bonum ac utile esse eos invocare: *Mandat sancta Synodus omnibus Episcopis, & ceteris docendi munus, curamque sustinentibus* (verba sunt Concilii Tridentini sessione 15.) *ut fideles diligenter instruant, docentes eos, Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda à Deo per filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.*

Not. 3. Ut quæ mox ex Concilio Tridentino proposita est, Ecclesiæ catholicæ fides, cum methodo explicetur, expendendum est 1. utrum Sancti una cum Christo in cœlis regnantes pro viventibus orent: 2. utrum licita sit eorum invocatio: 3. an sit utilis: 4. utrum omnibus fidelibus, aut saltem aliquibus, sit præcepta.

ARTICULUS I.

Utrum Sancti in cœlis pro viventibus orent?

CONCL. SAncti una cum Christo in cœlis regnantes, orant pro Ecclesia militante in genere, & in specie pro pluribus illius membris.

Probatur prior pars. Primò, non minus pro Ecclesia Christiana militante Sancti nunc orant in genere, quam olim Moyses & Samuel pro Ecclesia Judaica; non minori enim charitate in Ecclesiam Christianam Sancti flagrant, quam flagrarint olim Moyses & Samuel in Judaicam: atqui Moyses, & Samuel orarunt olim pro Ecclesia Judaica; id enim apertè supponunt hæc Dei ipsius verba Jeremiæ cap. 15. *Dixit Dominus ad me: si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*: ergo Sancti orant pro Ecclesia christiana.

Respondent Adversarii 1. in eo loco non dici, quod Moyses & Samuel pro Ecclesia Judaica reipsa oraverint; ac proindè ex eo colligi non posse, Sanctos, qui mortui sunt, revera orare pro Ecclesia militante. Sed inanis est illa responsio: siquidem textus, de quo agitur, licet non dicat Moysem & Samuelem tunc orasse pro Judæis, eò quod intelligerent Deum in ea singulari circumstantia non exauditurum suas preces, supponunt tamen, eos pro illis posse ac solitos fuisse orare; alioquin enim Deus ipse ineptè locutus fuisset: sicut princeps ineptè loqueretur, qui rebellionis reo diceret: Si meus frater mortuus veniam deposcat, non concedam; vel, Si Cicero mihi persuadere conetur, ut tibi parcam, irritus erit Ciceronis conatus, inutilis illius eloquentia.

Respondent 2. laudatum ex Jeremia textum intelligi de conditione impossibili: *Si steterint Moyses, & Samuel*, &c. ut significetur, Deum nullo modo velle parcere Judæis. At responsum illud non cohæret cum verbis, ex quibus textus constat: neque enim legitur, *Si starent*; sed, *Si steterint*; proindeque verba illa non sunt de conditione impossibili.

Respondent 3. Scripturam eo in loco figuratè loqui; hoc est, non ipsosmet Moysem & Samuelem intelligi, sed viros pios, qui Moysi & Samueli virtute sint pares; ita ut sensus sit: quamvis viri, qui pietate Moysem & Samuelem referant, veniam pro Judæis deprecentur, eam tamen minimè concedam. Sed licet id detur, eadem erit vis argumenti. Præterea de vero Moyse, de ipsomet Samuele traditio textum illum exposuit, ut videre est apud Chrysostomum Hom. 1. in Epist. 1. ad Thessalon. Hieronymum in hunc locum, Gregorium lib. 9. Moral. cap. 12.

Libro 2. Machab. c. 15. Judas in visu vidit Oniam, *qui fuerat summus Sacerdos, orare pro omni populo Judæorum*: Ab eodem etiam Onia hæc audivit: *Hic est fratrum amator & populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei.*

Nec audiendi sunt Adversarii, cùm respondent libros Machabæorum non esse Canonicos. Nam 1. esse canonicos, probavimus harum Institutionum Parte prima. 2. Dato, quod non revera sint Canonici, dubitari tamen non potest, quin pro Canonicis à majori antiquarum & quidem insignium Ecclesiarum parte habiti sint; proindeque demonstrant, eas veteres Ecclesias credidisse, Sanctos, qui obierunt, pro viventibus orare. Imò cum ii libri ante natum Christum summo in pretio fuerint apud Judæos Hellenistas, seu, Græcè loquentes, probant, illis Judæis, qui cum Synagoga Jerosolymitana conjuncti erant communione, persuasum fuisse, Sanctos post hanc vitam pro viventibus hominibus orare.

Probatur altera conclusionis pars, seu, Sanctos post hanc vitam pro hominibus viventibus orare, non tantùm in genere, sed etiam in specie. 1. Onias Pontifex & Jeremias Propheta a Juda Machabæo visi sunt orare post mortem, non tantum pro populo Israelitico in genere, sed etiam specialiter pro urbe Hierosolymitana: *Qui multum orat pro populo & universa sancta Civitate.* 2. Angelus Zachariæ primo, specialiter pro Juda & Jerusalem orat: *Domine exercituum, ait, usquequo tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Iste jam septuagesimus annus est.* 3. Tobiæ capite duodecimo Angelus Raphael sic Tobiam alloquitur: *Quando orabas cum lacrymis ...... ego obtuli orationem tuam Domino*; non obtulit verò, ut eam Deo manifestaret, cum nihil omninò Deum lateat; ergo ut pro Tobia intercederet. 4. Deus Angelos præposuit, ut hominum curam gererent: *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*: proindeque pro ipsis specialiter Deum orant, ut pericula tum vitæ corporeæ, tum saluti imminentia avertat. Quæ mox prolata sunt ex Scripturis, à Patribus laudantur, ut Beatorum spirituum pro hominibus intercessionem afferant, ut videre est apud Hieronymum in primum Zachariæ caput, Augustinum in Epistola 128. Hilarium, ubi exponit illud Christi apud Matthæum, *Videte ne contemnatis unum de pusillis istis, qui in me credunt.*

Respondent Adversarii, Angelos equidem pro nobis specialiter orare: nec mirum (inquiunt) a Deo enim præpositi sunt, ut nostri curam gerant: at cum ejusmodi cura Sanctis hominibus cum Christo regnantibus commissa non sit, ex eo, quod Angeli speciales pro viventibus orationes fundant, non sequitur, idem post hanc vitam homines Sanctos præstare.

Verùm nullius est roboris illud responsum. Nam 1. Scriptura, qua docemur, Angelos pro viventibus spe-

cia-

cialiter orare, idem de ſanctis hominibus aſſerit, ut ex ſecundo libro Machabæorum probatum eſt. 2. Eadem eſt in viventes Sanctorum charitas, quæ & Angelorum: ergo non minùs Sanctos, quam Angelos movet, ut pro viventibus ſpecialiter orent. 3. Sancti, dum in humanis eſſent, propter charitatem, qua in homines ardebant, ſoliciti erant de illorum ſalute: ergo eadem ipſos impellente charitate, de ea quoque poſt hanc vitam ſunt ſoliciti; cum ex Apoſtolo charitas nunquam excidat.

Confirmatur argumentum ex Patribus; docent enim, non Angelos tantùm orare. Origenes Hom. tertia in Cantica, ſic loquitur: *Omnes Sancti, qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc charitatem erga eos, qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & juvare eos precibus ſuis, non erit inconveniens: Scriptum namque eſt in Machabæorum libris ita: Hic eſt Jeremias Propheta Dei, qui ſemper orat pro populo.* Cyprianus Epiſt. 59. hæc habet: *Si quis iſtinc noſtrum prior divinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeveret apud Dominum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam Patris non ceſſet oratio.*

Idem tum in Occidente, tum in Oriente, non interrupta ſerie, docuerunt Patres, qui a Cypriani & Origenis temporibus ad elapſi proximè ſæculi novatores ſcripſerunt. Ex Scriptura igitur & Patribus conſtat, Sanctos poſt hanc vitam pro viventibus non in genere tantum, ſicut fingunt heterodoxi, ut declinent vim argumenti, quod tum ex Scriptura, tum ex Patribus petitur; ſed etiam in ſpecie, hoc eſt, pro illis hominibus in particulari, preces Deo fundere.

ARTICULUS II.

An liceat Sanctos invocare.

CONCL. Licitum eſt Sanctos cum Chriſto regnantes invocare.

Probatur 1. ex eo, quòd invocatio Sanctorum nec per ſe mala ſit, nec prohibita: 2. ex eo quòd licita ſit Angelorum invocatio: 3. denique ex perpetuo totius Eccleſiæ uſu: ſed hæc ſigillatim exponenda ſunt.

Primò, ſi non liceret Sanctos cum Chriſto regnantes invocare, id oriretur, vel quòd ea invocatio in ſe ſit mala, vel quòd ſit prohibita: atqui neutrum dici poteſt. Non primum, ſi enim alicujus Sancti invocatio eſſet *per ſe* mala, non licuiſſet eos invocare, dum in humanis agebant, nempè, quæ *per ſe*, ſeu ab intrinſeco ſunt mala, nullo in tempore, nulla in circumſtantia poſſunt eſſe licita: at licuit tamen Sanctos cum Chriſto regnantes invocare, dum in humanis agerent. Libro primo Regum, cap. 7. dicunt filii Iſrael ad Samuelem: *Ne ceſſes clamare pro nobis ad Dominum Deum noſtrum, ut ſalvet nos de manu Philiſthinorum*. Job ultimo: *Ite ad ſervum meum Job, ille orabit pro vobis*. Ad Romanos 15. Paulus hæc ait: *Obſecro vos, fratres, ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum*. Secundum pariter dici non poteſt: nempè nulla lex eſt ſive in veteri, ſive in novo Teſtamento, quæ Sanctorum cum Chriſto regnantium invocationem prohibeat: ergo nec per ſe, nec per accidens, ſeu ratione alicujus præcepti poſitivi, illicita eſt invocatio Sanctorum cum Chriſto regnantium.

Secundò, licita eſt Angelorum invocatio: ergo licita eſt quoque invocatio hominum Sanctorum, qui cum Chriſto regnant in cœlis: nam ex Evangelio, Sancti, qui regnant in cœlis, æquales ſunt Angelis Dei. Probatur ant. Geneſis 19. ſic Angelus alloquitur Loth: *Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, ut non ſubvertam urbem, pro qua locutus es*. Si Angelus (ajunt Illuſtriſſimi Coepiſcopi, Fratres de Vvalemburch, de unitate Eccleſiæ libro 12.) ſuſcepit preces Loth, debuit Loth eas fudiſſe: & ſi Angelus promittit, ad preces Loth ſe non ſubverſurum urbem, petivit ab Angelo Loth, ut eam non ſubverteret: ea enim duo, ſunt correlativa, quæ ſe invicem includunt. Libro Judicum cap. 6. hæc habentur: *Apparuit* (Gedeoni) *Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortiſſime; dixitque ei Gedeon: Obſecro mi domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur*, &c. Eo in loco Gedeon expreſsè Angelum orat: *Obſecro, mi domine*. Oſeæ 9. hæc de Jacob leguntur: *In utero ſupplantavit fratrem ſuum, & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt, flevit & rogavit eum.*

Dices, legi quidem in veteri Teſtamento, Angelos à fidelibus invocatos fuiſſe; ſed id in novo nuſquam reperiri. Verum inanis eſt illa reſponſio. Nam 1. quod de capite, de quo agitur, in antiquo Teſtamento probatum eſt, novum Teſtamentum nuſquam prohibet; ac proinde Angelorum invocatio non minus licita eſt in novo Teſtamento, quam fuerit in antiquo. 2. Eadem invocatio reperitur quoque in novo: nempè Apocalypſis capite primo hæc habentur: *Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt*. Qui gratiam a ſeptem Angelis apprecatur fidelibus, haud dubie ſeptem Angelos invocat, ut pro obtinenda ejuſmodi gratia apud Deum intercedant.

Tertio, ubique gentium, quarto Eccleſiæ ſæculo, Chriſtiani Sanctos cum Chriſto in cœlis regnantes invocabant: ergo licita eſt eorum invocatio. Antecedens certiſſimum eſſe, ſubſequentia monumenta demonſtrant.

In Oriente, quarto Eccleſiæ ſæculo, Græci in celebrandis divinis myſteriis utebantur liturgiis aut Jacobi, aut Baſilii, aut Chryſoſtomi, in quibus ſæpius Sanctorum in cœlis regnantium auxilium invocatur; hæc nimirum habentur in liturgia, quæ Jacobo tribuitur: *Sanctiſſima, inviolatæ, glorioſiſſimæ, benedictæ Dominæ noſtræ, Dei genitricis, & ſemper Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum ac juſtorum memoriam faciamus, ut precibus & interceſſionibus ipſorum, omnes miſericordiam conſequamur.*

Eodem quoque ſæculo, in liturgia, ad quam Occidentales Euchariſtiæ ſacrificium exigebant, Sancti non minus quam apud Orientales invocabantur; ideòque (ait Auguſtinus Serm. 17. de verbis Apoſtoli cap. 1.) *habet Eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles noverunt, cum martyres recitantur ad altare Dei, ubi non pro ipſis oretur: injuria eſt enim, pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari.*

Quæ iis temporibus in liturgiis legebantur, Patres libris a ſe conſcriptis inſeruerant. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi quinta myſtagogica ſic loquitur: *Rogamus te omnes, & hoc tibi ſacrificium offerimus, ut meminerimus eorum, qui dormierunt. Primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, ut Deus illorum precibus & interceſſionibus preces noſtras ſuſcipiat*. Euſebius Cæſarienſis, qui adfuit Nicæno primo Concilio, hæc habet libro 13. præparationis Evangelicæ, cap. 7. *Hæc nos quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites ut Dei amicos honorantes, ad monumenta quoque illorum accedimus, votaque ipſis facimus tanquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum juvari profitemur*. Ambroſius libro de viduis, ultra medium, hæc ſcribit: *Obſecrandi ſunt Angeli, qui nobis ad præſidium dati ſunt: martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare.*

Qui poſt ſæculum quartum vixerunt, ad Lutheranos uſque praxim invocandi Sanctos ubique ſervarunt: antiquis enim liturgiis uſi ſunt; in ſuis ſcriptis ſæpius Sanctorum invocationem commendant; in ipſis etiam generalibus Conciliis uſum illum ſuo exemplo firmarunt. Cyrillus Alexandrinus in Concilio Epheſino pri-

no primo, cui præerat, hæc habet in oratione, quam habuit in ipso Concilio, in laudem S. Joannis Evang. *Mysterium hoc aperi, o Evangelista; affere etiam nunc, o Beate Joannes .... Ecce tantus hic pastorum cœtus ad te venit: remove nobis lapidem sicut S. Jacob pastoribus, resera nobis puteum vitæ; ad*, &c. In Concilio Chalcedonensi sic Patres, qui Eutychem & Dioscorum damnarunt, exclamavere: *Veritas sic habet: Omnes hæc ipsa dicimus, Flaviano æterna memoria, Flavianus post mortem vivit. Martyr pro nobis oret.*

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, certissimum est enthymema, quod in defensionem nostræ conclusionis protulimus, hoc est, evidenter patet, Ecclesiam antiquam Catholicam ubique gentium, quarto sæculo ac subsequentibus aliis, invocasse Sanctos, qui cum Christo in cœlis regnant: superest igitur, ut probemus ejusdem enthymematis consequens, seu licitam esse invocationem illam. Id verò variis argumentis demonstrari potest. Nam 1. Superbissimæ insaniæ est id damnare, quod ubique servat Ecclesia, quæ ex Evangelio, columna est, & firmamentum veritatis. 2. Si invocatio, quam Ecclesia ad usum reduxit, illicita foret, Ecclesia in re, quæ (ut fatentur heterodoxi) magni est momenti, per duodecim & amplius sæcula in errorem ubique lapsa fuisset; ac proindè desiisset esse vera Christi sponsa, quæ (ut ajunt Patres) ideò virgo est ac erit semper, quòd nullum unquam errorem docuerit, nec deinceps doctura sit. 3. Quæ ubique servat Ecclesia, & cujus initium neque in Conciliis, neque in Pastorum decretis invenitur (Augustino teste) traditionis est Apostolicæ: atqui praxis, qua Sancti invocantur, neque in Conciliis, neque in Pastorum decretis initium reperitur: ergo traditionis est Apostolicæ.

Respondent Adversarii, Patres quarti sæculi, qui Sanctos invocarunt, & quorum invocandorum praxim docuerunt fideles, novatores fuisse: usum eos invexisse in Ecclesiam, qui trium priorum sæculorum Patribus invisus ac incognitus erat.

Sed falsissimum est responsum istud. Nam 1. principia, quæ mox prolata sunt, evidenter demonstrant, praxim, de qua agitur, non fuisse novam quarto sæculo. 2. Patres, qui quarto sæculo praxim de Sanctis invocandis fideles docuerunt, non tanquam rem novam, sed quæ in usu communi recepta esset, eam tradiderunt. 3. Si tunc recenter invecta fuisset, eam omnes orbis Episcopi, omnes ubique gentium Ecclesiæ, omnes Doctores, omnes fideles, nullo contradicente, eam non admisissent, passique fuissent, ut usus, quem heterodoxi impium & illicitum prædicant, liturgiis insereretur: alii, qui ex sanctissimis illis Episcopis, qui Concilio Nicæno primo adfuerant (plures enim medio sæculo quarto supererant) obstitissent usui, quo (ut volunt Lutherani) obscuratur Christi gloria, cultus uni Deo debitus commaculatur. 4. Cyprianus, qui tertio sæculo floruit, Origenes, qui tunc etiam erat in humanis, fidem faciunt (ut ad primam conclusionem observatum est) Sanctos de sua salute jam securos, de nostra solicitos esse; ad eos confugiendum esse, ut a Deo per Christum impetremus auxilia, quibus opus est nobis. 5. Gregorius Nazianzenus oratione decima octava, narrat, quòd Justina virgo, cum Cyprianus magus pudicitiam illius suis diabolicis artibus tentaret, *Virginem Mariam supplex obsecravit, ut periclitanti virgini suppetias ferret*: Tunc igitur, hoc est, non multum provecto tertio sæculo, fideles in angustiis constituti ad Deiparam confugiebant.

Nec est, quòd factum illud à Gregorio relatum Adversarii falsitatis arguant: tum quia fingunt id absque fundamento, cum nullus antiquus scriptor Gregorii narrationi contradixerit: tum etiam, quòd Gregorio viro sapientissimo & accuratissimo, qui quarto sæculo scripsit, exploratum magis debuit esse factum, quod tertio sæculo contigisse fertur, quam Luthero, Calvino, aliisque, qui duodecimo post Gregorium sæculo vixerunt.

ARTICULUS III.

Utrum invocatio Sanctorum sit utilis & præcepta.

CONCL: 1. UTilis est invocatio Sanctorum cum Christo regnantium.

Probatur 1. Utilis est invocatio Sanctorum, qui adhuc in terris militant: ergo & eorum, qui in cœlis regnant. Antecedens certum est ex Scripturis, quibus docemur, Paulum sese Romanorum precibus commendasse; censuit igitur utiles sibi fore preces hujusmodi: itaque probatur ant. Ideò utilis est invocatio Sanctorum, qui adhuc in terris militant, quòd possint ac velint apud Deum pro nobis intercedere: atqui id quoque & volunt & possunt Sancti, qui regnant in cœlis; cum enim major sit, ac perfectior eorum charitas, quàm cum in terris versabantur, majoris quoque apud Deum pretii sunt eorum orationes, magis ac perfectius nos diligunt, ac proindè magis sunt de nostra salute soliciti: *De sua sorte securi* (ait Cyprianus libro de mortalitate) *sunt de nostra salute soliciti.*

Probatur 2. Usus ille est utilis, quem Ecclesia a primis sæculis ad hæc usque tempora ubique gentium servavit, commendavit fidelibus; cum enim a Spiritu sancto regatur, sicut errorem docere non potest, ita nec praxim inutilem commendare: atqui, ut ex conclusione tertia constat, Ecclesia a primis sæculis ad hæc usque tempora usum de invocatione Sanctorum ubique gentium servavit, commendavitque fidelibus: ergo, &c.

Probatur 3. Ille usus utilis est ac pius, quem Deus pluribus miraculis multoties confirmavit; quemadmodum enim Deus editis miraculis non potest impium dogma confirmare, cum id repugnet summæ illius sapientiæ, summæ illius bonitati; ita nec praxim, quæ pia ac utilis non sit: atqui Deus editis miraculis multoties confirmavit usum de Sanctorum invocatione. Legendus ea de re Augustinus libro 22. de Civit. Dei, capite 8. ubi plurima miracula narrat, quæ in Africa ad cultum & invocationem protomartyris Stephani edita sunt: ea, cum ipse Augustinus illorum testis fuerit oculatus, cum coram numerosa multitudine pleraque patrata sint, revocari non possunt in dubium, quin de rebus etiam certissimis dubitetur, factisque omnibus, licèt a viris fide dignissimis relata fuerint, fides detrahatur.

CONCLUSIO 2. Singuli Ecclesiæ fideles nullo divino aut Ecclesiastico præcepto tenentur Sanctos in cœlis cum Christo regnantes invocare.

Probatur. Præceptum, de quo in conclusione, nullibi aut in Scriptura, aut in traditione, aut in Ecclesiæ decretis legitur, ne in ipso quidem Concilio Tridentino; non enim aliud de Sanctorum invocatione definit, quam quòd pia sit ac utilis. Hinc patet, quam meritò Coepiscopi, ac fratres de Vvaldemburg hæc scribant, de unitate Ecclesiæ libro 12. *Notandum, non esse quæstionem fidei inter nos & Protestantes: An sit præceptum aut mandatum divinum invocandi Sanctos, licèt id fingat Molinæus. Imò ne quidem existit mandatum Ecclesiæ, omnes & singulos fidelium ad invocationem Sanctorum obligans.*

Argumenta, quæ ab heterodoxis adversus Sanctorum invocationem objiciuntur, reducuntur. 1. ad ea, quæ probant, invocationem illam non esse piam. 2. ad ea, quæ probant, eam non esse utilem. 3. ad nonnulla alia, quæ ostendunt, eam non semper fuisse in usu. 4. tandem ad ea, quæ petuntur ex abusibus, qui in illam invocationem irrepserunt.

Sol.

Solvuntur argumenta, quæ probant invocationem Sanctorum non esse piam.

Objicies 1. Impium est eum invocare, qui Deus non sit: neque enim invocari debet, nisi is, in quem credimus, juxta illud Apostoli ad Romanos: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* at is, in quem credimus, Deus est, juxta illud Symboli: *Credo in Deum*: ergo cum Sancti non sint Dii, impium est eos invocare.

Resp. 1. illud argumentum nimis probare: nempè si valet, probat, impium etiam esse invocare Sanctos, qui adhuc in terris militant: sic enim ad formam Academicam reduci poterit: Impium est invocare eum, in quem non credimus: atqui non credimus in Sanctos, qui adhuc in terris militant: ergo, &c.

Resp. 2. dist. maj. Impium est eum tanquam primum ac supremum authorem bonorum invocare, qui Deus non sit, conc. maj. tanquam intercessorem apud Deum, neg. maj. De illa invocationis specie, non autem de ista, intelligitur Apostoli locus, *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* siquidem immediatè ante locum illum hæc habentur: *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Nec obstat vox hæc, *invocare*; neque enim in Scripturis (ut Adversarii fingunt) ei tantùm orationi convenit, quæ ad Deum immediatè dirigitur: siquidem Jacob Genesis 48. filiis Joseph benedicens, sic loquitur: *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac.*

Resp. 3. neg maj. Ad cujus probationem dist. ant. Invocari non debet, nisi is, in quem credimus fide, quæ ei conveniat, conc. ant. quæ ei non conveniat, neg. ant. Fides, qua creditur, Deum esse bonorum omnium dominum ac largitorem, Deo soli convenit; fides verò, qua creditur, Sanctos aliquid apud Deum posse, creaturis tribui potest, juxta illud Apostoli ad Philemonem: *Gratias ago Deo meo, audiens charitatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jesu & in omnes Sanctos*: hæc verò fides, non autem illa, necessaria est, ut Sanctos invocemus.

Objicies 2. Impia est praxis, quæ Christo, apud Deum, mediatorem adjungit: *Unus enim Deus* (ait Apostolus 1. ad Timoth. 2.) *unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*: atqui praxis de invocatione Sanctorum Christo, apud Deum, mediatorem adjungit: nempe ii sunt mediatores, qui apud Deum pro nobis orant, ac intercedunt: ergo, &c.

Resp. 1. illud argumentum, si valeat, probaturum esse, impiam esse praxim invocandi Sanctos, qui adhuc in terris versantur: scilicet ideò invocantur, ut apud Deum pro nobis orent ac intercedant: quemadmodum igitur (fatentibus etiam Adversariis) invocatio Sanctorum, qui adhuc sunt in humanis, injuriosa non est Christo, seu nihil de illius apud Deum mediatione detrahit; ita nec invocatio Sanctorum, qui cœlesti beatitudine fruuntur.

Resp. 2. conc. maj neg. min. Ad cujus probationem dist. ant. Ii sunt mediatores, qui pro nobis orant, ac intercedunt, si illorum oratio, si illorum intercessio propriis, seu a nullo alio pendentibus, meritis nitatur, conc. ant. si alienis meritis, hoc est, ab alio pendentibus, nitatur, neg. ant. Christus ideo & est, & dicitur mediator noster, quòd ejus oratio, quòd ejus intercessio meritis illi propriis, & ab alio minimè dependentibus nitantur: neque enim ipse, ut placet Patrem, seu ut eum nobis propitium reddat, aliud offert, quàm merita sibi propria, & a quovis alio mediatore independentia: at verò Sancti cùm aut in terra, aut in cœlo pro nobis orant, offerunt ipsiusmet Christi merita; quæ enim ipsi compararunt, effectus sunt, & participatio meritorum Christi: unde mirum non est, quòd licèt pro nobis orent, ac intercedant, Dei tamen & hominum mediatores non appellentur. Neque tamen nos fugit, apud plures etiam maximè Catholicos, Sanctos in sensu, de quo in tertia responsione dicetur, & esse & appellari debere mediatores: verùm cùm is loquendi modus sit hæreticis scandalo, Theologi Catholici ab eo temperare possunt; scilicet (ut rectè advertit Coepiscopi frater de VV. lemburg) *non est de fide Catholica, quòd Sancti sint mediatores nostri*, quamvis ea fide certum sit, eos pro nobis orare ac intercedere.

Resp 3. dist. maj. Impia est praxis, quæ Christo mediatores primarios adjungit; conc. maj. quæ secundarios tantùm, neg. maj. Ratio est, quia primarius mediator est is, qui pro nobis mortuus est, qui pro nobis Deo satisfecit, qui nos dato pretio redemit, qui causa est meritoria omnium donorum & omnium gratiarum; Is autem haud dubiè solus est Christus, eumque tantùm loco, qui nobis objectus est, Apostolus intellexit: scilicet immediatè post hæc verba: *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus*, hæc alia subjicit, quæ illorum sensum exponunt: *Qui dedit redemptionem semetipsum pro multis*. Econtra secundarius mediator est ille, qui ex meritis mortis, quam primarius mediator passus est, in virtute gratiarum, quibus a primario donatus est, apud Deum causam agit nostram. Hac ratione, hoc sensu, impium non est Christo mediatores adjungere. Nam 1. tantum abest, ut obscurent ejus gloriam, quin potiùs eam commendent, cum nihil, quam ipsummet Christum, aut ejus dona, offerant Patri. 2. Quemadmodum mediatoris a rege inter se & populum constituti gloriam non obscuraret, qui regem oraret, ut propter merita mediatoris a se constituti, alicui reo ignosceret: ita nec Sancti injuriam inferunt unico mediatori Christo, cum ejus nomine, ejus virtute, Deum supplices orant, ut propter Christi merita reis hominibus veniam concedat, aut auxilia, quibus sive ad conversionem, sive ad perseverantiam indigent, largiatur.

Confirmatur responsio 1. ex eo, quòd Scriptura mediatoris (haud dubiè secundarii) nomen Moysi tribuerit: *Ego sequester* (sit Moyses Deuteronomii 5.) *& medius fui inter Deum & vos in tempore illo*. Apostolus ad Galatas 3. eum loquendi morem secutus est; ait enim, *legem ordinatam fuisse per Angelos in manu mediatoris*, hoc est: Moysis. 2. Patres duplicem eam mediatoris speciem, si non nomine tenus, reipsa tamen distinxerunt: *Joannes autem* (ait Augustinus Tractatu 1. in primam Joannis epistolam) *quid dixit? Et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum. Sed dicet aliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis: ergo Episcopi, vel Præpositi non petunt pro populo? Sed attendite Scripturas, & videte, quia & Præpositi commendant se populo: nam Apostolus dicit plebi: Orantes simul & pro nobis: orat Apostolus pro plebe; orat plebs pro Apostolo. Invicem pro se omnia membra orent; caput pro omnibus interpellet*. 3. Attributa, quæ Deo soli propria sunt, Scriptura nonnunquam hominibus tribuit, ex eo, quòd quadam ratione, valdè imperfecta, Dei proprietates participent; quid igitur mirum erit, si Ecclesia Sanctos appellet mediatores, eo quòd, licet perfectè sensum eo nomine significatum non impleant, aliquo mediatoris officio, intercessione nimirùm, quæ in unius mediatoris primarii meritis fundatur, pro nobis apud Deum fungantur?

Objicies 3. Impium est alios orare, quàm quos Christus orari voluit: atqui Christus solum Deum orari voluit; cum enim a discipulis rogatus esset: *Domine, doce nos orare*, sic Matthæi 6. respondit: *Sic ergo vos orabitis, Pater noster, qui es in cœlis*: ergo impium est Sanctos invocare.

Resp. 1. si valeat illud argumentum, sequi 1. nec huma-

humanitatem Christi invocari debere; neque enim in oratione Dominica nominatur; sequitur 2. impiè se gessisse Apostolum, cum sese fidelium precibus commendavit; nempè in oratione Dominica non fit aliqua fidelium mentio; sequitur 3. ipsos etiam Protestantes, qui ad exemplum Apostoli, a viventibus preces pro se deposcunt, fieri reos impietatis. Necesse est, ut Adversarii absurda illa concedant, si orationis Dominicæ formulà contra Sanctorum intercessionem uti voluerint.

Resp. 2. conc. maj. neg. min. Ad cujus probationem, dist. ant. Sic ergo vos orabitis, & iis verbis docetur, quid & quomodo orandum sit, conc. ant. quis orandus sit, neg. ant. Sciebant Apostoli solum Deum tanquam bonorum omnium authorem ac largitorem rogandum esse, sed nesciebant, quæ res, & quo ordine in oratione petendæ essent; Christus utrumque illos docet; nempè peti debere, quæ ad Dei gloriam, æternam nostram salutem, vitam etiam temporalem, pertinent; sed ita ut Dei gloria, æternaque nostra salus rebus temporalibus præponendæ sint, ac primum petendæ. Ratio est, quia Christus opponit orationem, quam præscribit, Ethnicorum orationi, qui non aliud petunt, quam quæ ad corpoream vitam pertinent; multisque verbis utuntur, ut egestatem suam Deos ipsos doceant: *Orantes autem* (ait Christus) *nolite multum loqui, sicut Ethnici; putant enim, quod in multiloquio suo exaudiantur: nolite ergo assimilari eis; scit enim Pater vester, quod opus sit vobis, antequam petatis eum.*

Salvantur argumenta, quæ probant, invocationem Sanctorum esse inutilem.

Not. Argumenta, de quibus agitur, petuntur 1. ex eo, quòd Sancti preces, quæ ad eos a viventibus diriguntur, minime cognoscant; 2. ex eo quòd immediatè possimus ad Christum ipsum accedere; 3. ex eo quòd ipse Christus expressè asseruerit, neminem posse ad Patrem ire, nisi per ipsummet Christum: necesse est igitur, ut argumenta, quæ ex iis capitibus desumuntur, sigillatim hic proponantur, ac solvantur.

Objicies 1. Invocatio Sanctorum, qui cum Christo regnant in cœlis, est prorsus inutilis: ergo frustra a fidelibus adhibetur. Probatur ant. Invocatio, quæ ignoratur ab iis, ad quos dirigitur, est prorsus inutilis; nimirùm similis est petitioni, quæ ad dormientem dirigitur: atqui quæ ad Sanctos demortuos dirigitur, a Sanctis ignoratur; neque enim aut Scriptura, aut traditione, aut ratione probari potest, invocationem, de qua est quæstio, Sanctis cognitam esse: ergo non nisi temerariò asseri potest, quòd ab eis cognoscatur.

Resp. neg. ant. Ad cujus probationem, dist. maj. Invocatio, quæ tum in genere, tum in specie, ignoratur ab iis, ad quos dirigitur, est prorsus inutilis, conc. maj. quæ ignoratur in specie, & cognoscitur in genere, neg. maj. Quamvis detur (quod mox ostendetur esse falsum) Sanctos ignorare in specie preces, quæ ad eos à viventibus diriguntur; eas tamen norunt in genere, hoc est, sciunt, fideles in Ecclesia solitos esse eorum opem exorare, qui cum Christo in cœlis regnant: ea autem cognitio satis est, ut iisdem fidelibus apud Deum opitulentur, quemadmodum nos in terris pro mortuis oramus, quamvis nec ubi sint, nec quid agant, nec utrum precibus nostris indigeant, cognoscamus. Augustini est ea ratio: nempè postquam in libro *De cura pro mortuis*, quæsiit, quomodo *opitulentur Martyres iis, quos certum est per eos adjuvari*; respondet id fieri posse: *Martyribus generaliter orantibus pro indigentia supplicantium, sicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præsentamur, nec ubi sint, nec quid agant, scimus.*

Resp. iterum ad primum, neg. ant. Ad 2. conc. maj. neg. min. seu nego invocationem non cognosci specialiter a Sanctis, ad quos à viventibus dirigitur. Ad 3. neg. ant. scilicet invocationem, de qua agitur, specialiter a Sanctis cognosci, & Scriptura & traditione potest ostendi. Liber secundus Paralippomenon, cap. 28. fidem facit, Heliam aliquot post suam translationem annis per epistolam corripuisse Joram Judæ regem; ad eum enim (ait Scriptura) *allatæ sunt litteræ ab Helia propheta.* Lucæ decimo sexto Abrahamus sic divitem Epulonem alloquitur: *Fili, recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala.* Abrahamo igitur mortuo cognitum erat, divitem illum abundasse bonis, & Lazarum calamitatibus fuisse oppressum. Apocalyp. 6. Martyres sic Deum alloquuntur: *Usquequo, Domine sanctus & verax, non judicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* Martyres igitur norunt sui sanguinis reos adhuc in terris impune versari.

Præterea idem ferri debet judicium de Sanctis post hanc vitam, ac de Angelis; sunt enim, ex Scriptura, eis in cœlo similes: atqui Angelis specialiter nota sunt, quæ in terris aguntur: *Domine exercituum* (ait Angelus Zachariæ 1.) *usquequò tu non misereberis Jerusalem & urbium Juda, quibus iratus es?* Apostolus primæ ad Corinthios 4. evidenter supponit, Angelos non latere, quæ a viventibus fiunt: *Spectaculum* (inquit) *facti sumus mundo & Angelis.* Lucæ 15. dicitur, quòd beati omnes ingenti gaudio ad impiorum pœnitentiam perfundantur: *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.*

Non ex Scriptura solùm, sed etiam ex traditione probari potest, invocationem, quæ a viventibus ad Sanctos in cœlis regnantes dirigitur, Sanctis specialiter cognitam esse. Ambrosius libro de viduis, ultra medium, sic loquitur: *Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præsules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum.* Augustinus libro *De cura pro mortuis*, pluribus locis idem, quod Ambrosius, asserit; imò (ut infra dicetur) explicat varios modos, quibus viventium acta Sanctis innotescere possunt.

Objicies 2. Plures sunt in Scriptura textus, quibus ostendi potest, ea, quæ in terris fiunt, a mortuis nullo modo cognosci. Job cap. 14. de homine mortuo hæc habet: *Sive nobiles fint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget.* Hæc quoque leguntur Ecclesiastes cap. 9. *Mortui nihil noverunt amplius.* Hæc etiam Isajæ 63. *Tu es enim pater noster, Abraham nescivit nos, & Israel non novit nos.* Libro 4. Regum, Deus Josiæ Regi dicit: *Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia, quæ introducturus sum in locum istum:* ergo Sancti cum Christo in cœlis regnantes, non noverunt speciales preces, quæ ad eos a viventibus diriguntur.

Resp. 1. neg. ant. Ad cujus probationem, dato antecedente, neg. conseq. Ratio est 1. quia textus, qui allati sunt in argumento, non intelliguntur de Sanctis, aut de precibus ad eos directis, sed tantùm de rebus quibusdam externis, quas fatemur a Sanctis non cognosci. Confirmatur ex Gregorio Magno, qui libro 12. Moralium, cap. 18. sic loquitur: *Sicut hi, qui adhuc viventes sunt, mortuorum animæ, quo loco habeantur, ignorant: ita mortui vitam in carne viventium, qui post eos inqualiter disponuntur, nesciunt: quia & vita spiritus longè est à spiritu carnis; & sicut corporea atque incorporea diversi sunt generis, ita etiam distincta cognitione. Quod tamen de animabus sanctis sentiendum non est, quia intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorant: sed carnales quique, quò amorem vitæ præcipuum filiis impendunt, hoc eos beatus Job nescire postmodum asserit, quod hic vehementer amaverunt, ut sive nobiles, sive ignobiles sint filii, nesciant, quorum eos cura semper fatigabat.*

Resp. 2. textum ex Isaja desumptum, non intelligi de qualibet cognitione, sed tantùm de cognitione approbationis: hoc est, significat, Abrahamum & Jaco-

bum, pro filiis non agnoscere Judæos, qui ad eorum exemplum mores suos minime componunt: *Nescit nos Abraham* (inquit Hieronymus in hunc locum) *& ignorat Israel, quia te offendimus. Nec cognoscunt filios, quos à Deo suo intelligunt non amari.* Quod spectat ad textum petitum ex libro quarto Regum, evidens est eum intelligi de cognitione experimentali; hoc est, significat, Deum ad se vocasse Josiam, ne pœnarum, quibus in Judæos animadversurus erat, particeps fieret.

Instabis 1. Explicari non potest, quomodo, & quo in medio Sancti, qui beatitudine fruuntur, cognoscant preces, quæ ad eos a viventibus diriguntur: ergo revera eas non noverunt.

Resp. 1. dato antecedente, neg. conseq. Ratio est, quia plura sunt certissima, quamvis modus, quo fiunt a creaturis, sive beatis, sive adhuc in vita degentibus, cognosci non possit: unde S. Augustinus libro *De cura pro mortuis*, asserit, Sanctis innotescere preces nostras, quamvis modus, quo id contingit, medium, in quo id vident, hominibus viatoribus certum non sit.

Resp. 2. neg. ant. Scilicet Sanctus Augustinus libro *De cura pro mortuis*, varios modo proponit, quibus res nostræ ad beatorum hominum notitiam venire possunt. Ubi Sanctus doctor eo in libro hanc sibi quæstionem proponit: *Quemadmodum opitulentur martyres iis, quos certum est per eos adjuvari*: respondet 1. SS. martyres res nostras cognoscere ex eorum relatione, qui a nobis ad eos per mortem migrant: *Proinde* (inquit) *fatendum est, nescire quidem mortuos, quid hic agatur, sed dum agitur; postea verò audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt; non quidem omnia, sed quæ sinuntur indicare, qui sinuntur etiam ista meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicant, oportet audire.* Respondet 2. Angelos nonnunquam aperire, quid hic a viventibus agatur: *Possunt & ab Angelis, qui rebus, quæ aguntur hic, præsto sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemque illorum audire debere judicat, cui omnia subjecta sunt.* Respondet 3. res nostras mortuis posse innotescere per specialem Dei ipsius revelationem: *Possunt etiam spiritus mortuorum aliqua, quæ hic aguntur, quæ necessarium est eos noscere, non solùm præterita vel præsentia, verùm etiam futura, spiritu Dei revelante, cognoscere: sicut non omnes homines, sed prophetæ, dum hic viverent, cognoscebant; nec ipsi omnia, sed quæ illis esse revelanda, Dei providentia cognoscebat.* Respondere præterea potest, beatos in Verbo videre, quæ hic in terris aguntur, ea præsertim, quæ ad eos specialiter spectant: *Quia* (ait Gregorius Magnus, libro 12. Moralium, capite 14.) *omnipotentis Dei claritatem videns, nullo modo credendum est, quia foris sit aliquid, quod ignorant.* Vide, quæ de ea Theologorum doctrina diximus Part. 1. ubi actum est de iis, quæ beati vident in Verbo.

Instabis 2. Sanctus Augustinus libro *De cura pro mortuis*, cap. 13. expressè asserit, ipsos nostros parentes post mortem nescire, quid in terris circa nos fiat: *Si* (inquit) *parentes non intersunt, qui sunt alii mortuorum, qui noverint, quod agamus, quodve patiamur?* Confirmat propria experientia, docetque, quòd si mortui viventium rebus interessent, mater cui cordi fuerat semper, et in somno, ubi sæpè visa est, locuturam fuisse: *Si* (inquit libro *De cura pro mortuis*, cap. 13.) *rebus viventium interessent animæ mortuorum, & ipsa nos, quando eas videmus, alloquerentur in somniis; ut de aliis taceam, me ipsum pia mater nulla nocte desereret, quæ terra, marique secuta est, ut mecum viveret: absit enim, ut facta sit vita feliciore crudelis, usque adeò, ut quando aliquid angit cor meum, nec tristem filium consoletur, quem dilexit unicè, quem nunquam voluit mœstum videre.*

Resp. dist. ant. Augustinus asserit, parentes nostros suis viribus relictos, post mortem nescire, quid in terris circa nos fiat, conc. ant. adjutos divina virtute, neg. ant. Illum, non autem istum res nostras cognoscendi modum Augustinus a beatis excludit: nempe (ut superiùs probatum est) varios modos, qui naturæ vires superant, explicat, quibus res nostræ in mortuorum notitiam venire possunt: *Sed ideò potius* (inquit) *intelligendum est, quòd per divinam potentiam martyres vivorum rebus intersint, quoniam defuncti, per naturam propriam vivorum rebus interesse non possunt.*

Quæres, an fide catholica certum sit, Sanctos in cœlis cum Christo regnantes cognoscere preces, quæ a viventibus ad illos specialiter diriguntur?

Resp. negative. Ratio est, quia illud non est certum fide catholica, quod neque in Scripturis, neque in Conciliis Oecumenicis, neque unanimi Patrum consensu expressè ac explicitè definitum est: atqui articulus, de quo agitur, nec in Scripturis, neque in Conciliis Oecumenicis, neque unanimi Patrum consensu expressè ac explicitè definitum est; ac proinde certus non est fide catholica; hoc est, ita certus non est, ut propositio, quæ assereret, Sanctos in cœlis cum Christo regnantes non cognoscere omnes preces, quæ ad eos a viventibus specialiter diriguntur, futura esset hæretica: hoc unum nempè Scripturis & Conciliis expressè definitum est, piam esse ac utilem Sanctorum cum Christo regnantium invocationem.

Confirmatur responsio authoritate ac judicio facultatis Theologicæ Duacensis, quæ (ut referunt Antistites de Vvademburg. Part. 1. controversiarum lib. 12. cap. 16.) quæsita, *Utrum sit credendum fide catholica, Sanctis innotescere omnes preces nostras ad eos directas, aut utrum hoc sit absolutè necessarium ad fidem & praxim invocationis Sanctorum, ut sit salutaris;* negative respondit die 12. Maij, anno 1635.

Objicies 3. Invocatio Sanctorum in cœlis regnantium est inutilis iis, quos Deus ipse paratissimus est audire; frustra enim quæruntur patroni apud regem, qui quemque libenter audit: atqui Deus ipse paratissimus est nos audire. Scilicet Lucæ 16. omnibus omninò fidelibus dicit: *Petite & accipietis*: & Joannis 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Confirmatur argumentum ex S. Joanne Chrysostomo, qui tantùm abest, ut credat prodesse apud Deum patronos, quin potiùs contendat nocere eos quammaximè: *Cæterum* (inquit in Hom. de profectu Evangelii) *non opus tibi Patronis apud Deum ..... neque enim tam facilè Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus, etiam plurimis plenissimi malis.*

Resp. dist. maj. Quos Deus paratissimus est audire, si non sit magis paratus audire, cum Sancti nobiscum orant, transeat major: si magis sit paratus, neg. maj. Deus equidem paratus est quemcumque audire, cum unicuique, qui debitè dispositus sit, dixerit: *Petite & accipietis. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis:* sed tamen magis paratus est audire, si Sancti nobiscum orent, quia Sancti Deo gratiores sunt, quam homines, quorum charitas, vel nulla est, vel plurimùm imperfecta: unde Apostolus suo exemplo nos docuit, ut nos fidelium precibus commendaremus: eam etiam ob causam capite ultimo libri Job Deus ipse dicit: *Ite ad servum meum Job, ut oret pro vobis.*

Ad confirmationem ex Chrysostomi testimonio desumptam, dicendum est, eum loqui 1. de patronis adhuc in vita degentibus, non autem de iis, qui jam cum Christo regnant in cœlis; hæc enim ibidem ait: *Non est opus multo discursu, ut blandiare aliis.* Dicendum est 2. Chrysostomum eos tantùm arguere, qui per se orare nolunt, sed, ut se eo labore eximant, pauperibus, qui pro ipsis orent, eleemosynas largiuntur: *Neque enim* (inquit) *tam facilè Deus annuit, cum alii pro nobis orant, ut cum ipsimet oramus.* Vide eumdem Sanctum Doctorem hom. 5. in Matth. nec non hom. 1. in priorem epistolam ad Thessalonicenses.

Solvitur argumentum, quod contra Sanctorum invocationem ex abusibus assumitur.

Not. Abusus, de quibus agitur, ad tria capita reduci possunt. 1. Qui ad Sanctos confugiunt, paulatim desinunt ad Christum confugere. 2. Tanta est multorum in Sanctis confidentia, ut sperent, se salutem consecuturos esse, quamvis ad eorum exemplum mores suos non componant. 3. A Sanctis ipsis dona expectant, seu credunt Sanctos eis bona, quæ petunt, concessuros esse. Ea argumenta sigillatim hic explicanda, ac solvenda sunt.

Objicies 1. Invocatio Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium causa est, quod fideles paulatim desinant Christum invocare; unde in plerisque fidelibus contingit, ut perrarò ad Christum confugiant, quamvis tamen nemo nisi per eum ire possit ad Patrem: *Nemo* (ait ipse) *venit ad Patrem, nisi per me*: ergo, propter illud periculum, aboleri debet praxis de Sanctorum invocatione.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia invocatio Sanctorum, ipsiusmet Christi invocationem includit: nempè fidelis, qui Sanctum invocat, precatur, ut Sanctus ille Christi nomine a Deo petat beneficia, quibus ipse fidelis indiget; precatur, ut Sanctus postulet a Deo, quatenus ex intuitu meritorum Christi concedere velit auxilia, quibus indiget is, qui ad Sanctum per preces confugit.

Confirmatur responsio 1. ex eo, quòd Ecclesia orationes omnes, quas ad Sanctos dirigit, semper hisce verbis claudat: *Per Christum Dominum nostrum.*

Præterea invocatio Sanctorum in cœlis regnantium non alterius est generis, quam invocatio piorum hominum in terris degentium: ac proinde, cum illa (ut Heterodoxi fatentur) includat invocationem Christi, ita & illa: hoc est, sicut a piis hominibus in terra degentibus nihil aliud petitur, quam ut orent Christum, quatenus per eum nobis ad Patrem aditus pateat: ita nec a Sanctis, qui cœlesti beatitudine fruuntur. Nec obesset, si imperiti quidam ea, qua dictum est, ratione Sanctos non invocarent: siquidem Ecclesia eo in capite usum illorum non probat; nempè Parochis, aliisque curam animarum habentibus injungit, ut fideles doceant, Sanctorum preces eo tantùm titulo a Deo exaudiri, quod Christi nomine fiant, quod ad obtinenda, quæ petierint, Deo Patri Christi meritum offerant. Ecclesia suos filios docuit semper ac docet modò, credere se tanquam articulum certissimum, sententiam, quam Augustinus in Psalmum 108. hisce verbis tradit: *Oratio, quæ non fit per Christum, non solùm non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum.*

Confirmatur 2. eadem responsio ex eo, quod si usus per se bonus, pius, ac utilis (ut est Sanctorum cū Christo regnantium invocatio) aboleri deberet propter quorumdam, aut imperitorum, aut iniquorum hominum, abusum; propter eandem rationem aboleri quoque deberet usus Scripturæ, Sacramentorum, pluriumque aliarum sanctissimarum rerum: scilicet non pauci sunt, qui aut præ ignorantia, aut præ iniquitate, & Scriptura, & Sacramentis, aliisque sanctissimis rebus abutuntur.

Objicies 2. Invocatio Sanctorum contraria est bonis moribus. Nam 1. favet eorum errori, qui ob cultum huic, aut illi Sancto impensum, sibi pollicentur se ex hac vitâ sine pœnitentia non migraturos. 2. Docent aliqui, omnia scelera conciliari posse cum devotione erga Sanctos, ac præcipue Deiparam. 3. Nonnulli putant, se Sanctos colere, quamvis Deum non colant. 4. Tandem plures fiduciam suam ponunt in signis quibusdam exterioribus institutis ad Sanctorum, ac præsertim Deiparæ, cultum: ergo propter eas, similesque rationes, aboleri debet invocatio Sanctorum.

Resp. Ecclesiam Romanam damnavisse semper, & nunc etiam damnare abusus, quorum meminit argumentum. De primo sic loquitur primum Concilium Cameracense, titulo *De Sanctis*, capite 6. *Doceatur itaque populus, preces Sanctorum admodum utiles esse ad impetranda dona, non modo corporalia & temporalia, sed & spiritualia & æterna; sed tamen abominandam esse eorum vanitatem ac superstitionem, qui certò pollicentur, non ex hac vita migraturos sine pœnitentia ac Sacramentis eos, qui hunc, illumve ex Divis coluerint; qui securitatem in rebus agendis, formæ certum aut optatum eventum eisdem promittunt: & si quæ alia hujusmodi proferantur & credantur. Veluti illud quoque reprobandum est, si qui, certo numero, præscriptaque Missarum forma aliqua, aut precum, affirmarant, designatasque animas è Purgatorio semper liberari.* Eadem ferme ratione locutæ sunt Synodi, quæ tum in Galliis, tum in aliis Orbis christiani partibus, invocationis Sanctorum post Concilium Tridentinum meminerunt.

Quod spectat ad secundum, enormis est calumnia, quam ex heterodoxis Calvinista Rivetus impegit Ecclesiæ Romanæ. Ecclesia Romana probat celebre hoc effatum Augustini, Sermone 30. inter eos, quos edidit Sirmondus: *Martyres honorare & non imitari, nihil aliud est, quàm mendaciter adulari.* Ecclesia hoc aliud ejusdem S. Doctoris effatum transfert ad Deiparæ, aliorumque Sanctorum invocationem & cultum. Quærit Augustinus libro primo de consensu Evangelistarum, cap. 18. *Cur Romani, qui omnium gentium Deos credebant colendos, Deum Judæorum non colerent?* Eam verò quæstionem solvit sententia Socratis: *Socratis sententia est* (inquit) *unumquemque Deum sic colere oportere, quomodo se ipse colendum esse præceperit. Proinde ipsis summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum, quia si alio modo eum colere vellent, quàm se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent. Si autem illo modo vellent, quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant, quos ille coli prohibebat. Ac per hoc respuerunt unius veri Dei cultum, ne multos falsos offenderent: magis arbitrantes sibi obfuturam fuisse istorum iracundiam, quàm illius benevolentiam profuturam.* Quo autem modo invocari se, ac coli præcipit Maria? eadem ratione, qua Paulus se præcipit coli: *Imitatores* (inquit) *mei estote, sicut & ego Christi*: Eadem ratione, qua idem Apostolus coli vult demortuos Ecclesiæ Præpositos: *Mementote* (ait) *Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem.* Ecclesia Romana profitetur, nec cum Dei verbo, nec cum sanctis Patribus cohærere sententiam, qua asseritur, nullum, qui externum Virgini cultum exhibuerit, excessurum e vita, quin pœnitentiam egerit: novit nimirum ex Scripturis Deum, etiam cum irrisione, acturum cum eo, qui de illius mandatorum observatione non curaverit: *Ego autem in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos.* Optat pia mater, ut sui filii præ oculis semper habeant præclaram hanc Augustini sententiam: *Pœnitentia* (inquit Serm. 57. de tempore) *quæ ab infirmo petitur, infirma est: quæ a moriente tantùm petitur, timeo ne & ipsa moriatur. Et ideò, dilectissimi, quicumque vult invenire misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, si sanus esse vult in futuro sæculo.*

Ex his, quæ modò dicta sunt, patet, quid ad tertium dicendum sit: nempe manifestum est eos, qui Sanctos imitari nolunt, revera Sanctos non colere; ac proinde, si non velint Dei mandata servare, hoc est, si Sanctos non invocent, ut pro se gratiam obtineant, qua Dei mandata custodiant, suisque iniquis habitibus liberentur, immeritò jactitant se cultores esse Sanctorum.

Jam vero, quod spectat ad quartum, plenè falsum est:

eſt: Scilicet externa devotionis in Virginem Deiparam, aut Sanctos cum Christo regnantes, ſymbola, quæcumque ſint ejuſmodi ſigna, non alio geſtantur fine, quam ut fideles excitentur ad imitationem eorum, quos iis exterioribus ſignis ſe pro patronis elegiſſe profitentur.

Ob eundem quoque & non alium finem, plerique ex fidelibus dant nomen ſocietatibus, quæ in honorem, ſive Virginis Deiparæ, ſive aliorum Sanctorum, erectæ ſunt in Eccleſia Catholica, hoc eſt, ideò ſodalitiis ejuſmodi inſcribi volunt, ut exercitiis, quæ in iis præſcribuntur, ad Sanctorum, quos ſe colere profitentur, imitationem promoveantur, & ad ſincerum Dei cultum, qui in ejus amore caſto poſitus eſt, adjuventur. In tantum enim veri ſunt ſodales Sanctorum, in quantum cum illis Dei gloriam quærunt: *Ita omnes homines* (inquit Auguſtinus de catechizandis rudibus, cap. 19.) *& omnes ſpiritus humiliter Dei gloriam quærentes, non ſuam, & cum pietate ſectantes, ad unam pertinent ſocietatem*.

Objicies 3. in Eccleſia Romana Sancti invocantur tanquam Authores beneficiorum, & collatores auxiliorum, quæ ab iis poſtulantur: ſcilicet in hymno, qui incipit: *Ave maris ſtella*, hiſce verbis Virgo Deipara invocatur: *Solve vincla reis, profer lumen cæcis, mala noſtra pelle*: imo in aliquarum Eccleſiarum precibus Chriſtus Mariæ ſubjicitur; hæc enim precum formula, *Roga Patrem, jube Natum, jure matris impera Redemptori*, apud Pelhartum De Temeſvvar legitur: ergo aboleri debet Sanctorum invocatio.

Reſp. neg. ant. Ad cujus priorem probationem, diſt. ant. Et illa verba, *Solve vincla reis*, &c. intelliguntur de ſolutione per modum cauſæ moralis, conc. ant. per modum cauſæ phyſicæ, neg. ant. Maria peccatorum vincula ſolvit per modum cauſæ moralis, quia Deum orat, ut propter Chriſti merita reis hominibus peccata dimittat: at verò ipſa non dimittit peccata. Idque confirmatur ex eo, quod verba, de quibus eſt quæſtio, immediatè poſt de ſolutione per orationem explicentur; hæc enim ſubjiciuntur: *Bona cuncta poſce. Sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit eſſe tuus*.

Ad alteram probationem dicendum eſt formulam, de qua agitur, nuſquam ab aliqua Eccleſia adhibitam fuiſſe. Nec alicujus eſt momenti teſtimonium Pelharti De Temeſvvar; illius enim opus continet multas aniles fabulas, quæ demonſtrant, Authorem nullam planè mereri fidem.

Præterea, etiamſi in aliqua particulari Eccleſia adhibita fuiſſet precum formula, quæ apud Pelhartum legitur, tribui tamen non deberet Eccleſiæ Catholicæ. Nempè nonnunquam per imperitiam & errorem aliqua in Eccleſiis particularibus fieri poſſunt, quæ ab Eccleſia Catholica rejiciuntur: idque jam alias Auguſtinus obſervavit; ſiquidem libro ſexto de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 26. Sedato a Tuborbo contendenti inſici Baptiſma, cum Sacerdos illud miniſtrans precibus utitur, quæ non probat Eccleſia, ſic reſpondet: *Reſpondetur, quia ſi non ſanctificatur aqua, cum aliqua erroris verba per imperitiam precator effundit, multi non ſolùm mali, ſed etiam boni fratres in ipſa Eccleſia, non ſanctificant aquam: multorum enim preces emendantur quotidie, ſi doctioribus fuerint recitatæ, & in eis multa reperiuntur contra Catholicam fidem*.

Ex iis Auguſtini verbis R. Pater Denehercaſſel primùm Congregationis Oratorii Presbyter, ac poſteà Caſtorienſis Epiſcopus, & apud Batavos Vicarius Apoſtolicus, in aureo ſuo de cultu B. Mariæ Virginis tractatu, colligit 1. nonnunquam in preces aliqua poſſe irrepere, quæ ſint contra Eccleſiæ fidem; 2. preces quotidie emendari cura Congregationis *de Ritibus*, cujus primarium officium eſt advigilare, ut emendanda corrigantur, & cavere, ne quid deinceps ſimile contingat.

QUÆSTIO XIV.

De Adoratione Chriſti.

Not. IN hac quæſtione agemus 1. de Adoratione, quæ Chriſto debetur: 2. de adoratione, quæ debetur Sanctis: 3. de ea, quæ exhibenda eſt Reliquiis: 4. tandem de ea, qua imagines tum Chriſti, tum Deiparæ, tum aliorum Sanctorum, colendæ ſunt.

CAPUT I.

De Adoratione, quæ debetur Chriſto.

Not. ADoratio latriæ, de qua eſt hic quæſtio, definitur, Honor Deo exhibitus in teſtimonium ſupremi illius dominii in res omnes creatas. Ii omnes, quibus perſuaſum eſt, Verbum eſſe Patri conſubſtantiale, ipſumque conſubſtantialiter humanitati conjunctum eſſe, profitentur adorationem latriæ deberi Chriſto, & quidem jure; nam adoratio latriæ debetur ei, qui vere Deus eſt; atqui Chriſtus (ut credunt ii, qui Verbi cum Patre conſubſtantialitatem, & illius ſubſtantialem cum humanitate conjunctionem profitentur) vere Deus eſt; ergo Chriſto adoratio latriæ debetur.

Not. 2. Certum eſt pariter apud omnes, rectè per communicationem idiomatum, huic homini (qui Chriſtus eſt) adorationem tribui: ſicut enim, ex legibus de idiomatum communicatione, de hoc homine, qui Chriſtus eſt, rectè dicitur, quòd ſit Deus; ita pariter rectè dicitur, quod adoretur. Verum cum idiomatum communicatio inter abſtracta locum non habeat; neque enim dicitur, quod divinitas mortua ſit, quamvis id verè de humanitate aſſeratur, controverſia eſt inter Theologos; 1. Utrum humanitas Chriſti in abſtracto conſiderata, hoc eſt, non ſupponens pro ſuppoſito, quod eſt perſona Verbi, ſit terminus adorationis latriæ; 2. An ſic conſideratæ, præter adorationem latriæ, exhiberi poſſit adoratio hyperduliæ.

Not. 3. Circa duplicem illam controverſiam multiplex eſt Authorum ſententia. Alexander De Hales 3. parte, quæſt. 30. Gabriel in 3. Diſt. 9. quæſt. 1. Antonius de Corduba, lib. 1. quæſt. 5. dubitatione 3. docent humanitatem Chriſti in abſtracto ſumptam adorari quidem adoratione latriæ, ſed quæ relativa ſit, non autem abſoluta, eique ſimilis, quæ Chriſti imaginibus exhibetur, hoc eſt, quæ ultimò ad humanitatem non terminetur. Nonnulli alii ſunt, qui licet fateantur, humanitatem Chriſti in abſtracto ſumptam adorari abſoluta adoratione latriæ, contendunt tamen ei, etiam unitæ Verbo, tribui debere adorationem hyperduliæ propter dotes eximias, ſanctitatem nimirùm, aliaſque virtutes, quibus excellit. Ita docent Scotus in 3. diſt. 9. quæſt. 1. Durandus quæſt. 3. numero 7. Paludanus quæſtione 2. Econtra alii paſſim Theologi poſt S. Thomam docent 1. humanitatem Chriſti, etiam in abſtracto ſumptam, coli debere abſoluta latriæ adoratione. Docent 2. eam in eo ſtatu conſideratam, coli non poſſe alia adoratione, quàm adoratione latriæ. Quid nos de iis controverſiis ſentiamus, ſubſequentes concluſiones aperient.

CONCLUSIO 1. Humanitas Chriſti, etiam in abſtracto conſiderata, coli debet abſoluta adoratione latriæ.

Probatur 1. ex Scriptura. Apoſtolus ad Hebræos capite 1. ſic loquitur: *Et cum iterum introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Is, quem Deus ab Angelis adorari voluit, eſt is, quem in mundum introduxit: ſed is, quem introduxit

in

in mundum introduxit: sed is, quem introduxit in mundum, est homo, seu humanitas conjuncta Verbo: ergo humanitas illa adorari debet absoluta adoratione latriæ, eam enim adorationis speciem Deus Angelis præcepit.

Confirmatur argumentum ex Chrysostomo, qui Hom. 3. in Epistolam ad Hebræos asserit, textum ex Apostolo laudatum non intelligi de Christo prout Verbum est, sed de Christo prout est homo: ac proindè de illius humanitate, quæ realiter est distincta a natura & persona Verbi: sic enim loquitur: *Non aliter introductus in mundum Dei filius dicitur, quàm in carne, cum in mundo jam esset (ut ait Joannes) & mundus per ipsum factus sit*. Idem Apostolus in Epistola ad Philippenses, cap. 2. hæc habet de Christo: *Propter quod* (seu propter obedientiam) *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum*. Is, quem Deus exaltavit, Christus est, non qua Verbum, sed qua homo, hoc est, non est divinitas Christi, sed illius humanitas: scilicet Apostolus de Christo loquitur ratione ejus, secundùm quod factus est obediens: at Christus non qua Verbum, sed quatenùs homo, fuit obediens. Præterea Paulus agit de eo, cui eximium nomen, singularisque gloria in meritorum mercem concessa sunt: is autem non est Christus prout est Verbum, sed tantùm prout est homo: ac proinde Christo, etiam ut est homo, seu, pro ut habet humanitatem distinctam a natura & persona Verbi, & consequenter humanitati Christi in abstracto, Deus exhiberi voluit a creaturis absolutam latriæ adorationem, quæ quidem genu incurvatione, cujus meminit Apostolus, significatur.

Probatur 2. ex Patribus. Athanasius in Epistolà ad Adelphium, expressè negat, adorationem carnis in Christo separari debere ab adoratione Verbi; docet e contra, duas in eo naturas eadem adoratione coli: *Neque* (ait) *corpus ejusmodi per se dividentes, per Verbum adoramus: neque Verbum adorare volentes, ipsum longe à carne disjungimus*. Unde sic arguitur: Qui vetat, ne Christum adorans, humanitatem a Verbo dividat, vult, ut humanitati eadem adorationis species exhibeatur, quæ exhibetur Verbo; si enim adorans adorationis speciem humanitati exhiberet aliam ab ea, quam exhibet Verbo, humanitatem, saltem in sua mente, a Verbo divideret; atqui divisionem illam vetat Athanasius: ergo vult, ut absoluta latriæ adoratio ipsimet humanitati cum Verbo conjunctæ exhibeatur.

Epiphanius in Ancorato, objicit sibi calumniam Hæreticorum, qui contendebant, Orthodoxos, quòd Christi corpus adorarent, adorare creaturam; illi autem objectioni respondens, non diffitetur, Orthodoxos Christi corpus seu humanitatem adorare, imò expressè asserit ab ipsis adorari, sed unà cum Verbo; neque enim eum fidelis Verbum adorat, ipsum adorat a corpore separatum: *Sic igitur* (ait, ubi proposuit exemplum Imperatoris, cujus purpura simul cum ipso honoratur) *nemo Unigenito dixerit: Depone corpus, ut adorem te: quia potius ipsum adoras cum corpore Unigenitum, increatum cum templo sancto, quod vivens assumpsit*. Ex eo autem Epiphanii textu sic argumentum conficitur: Ille docuit, humanitatem adorari debere adoratione latriæ, qui docuit, ea adorationis specie adorari debere Christi corpus: atqui Epiphanius id docuit; tantùm enim abest, ut responderit Arianis, Orthodoxos non adorare Christi corpus (ut objiciebant) quin expressè confessus sit, eos ipsum reverà adorare: tantùm abest (quod tamen in Adversariorum suppositione necessarium fuisset) ut dixerit, ipsum non adorari eadem adoratione, qua Verbum, quin econtra confessus sit, ipsum una cum Verbo adorari: ergo Epiphanius docuit, humanitatem Christi, seu Christum, prout est homo, hoc est, prout habet naturam à natura Verbi distinctam, adorari debere adoratione absoluta latriæ.

Ambrosius libro tertio de Spiritu sancto, capite 12. docet, hæc Psalmi 98. verba, *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est*, intelligi de carne Christi, quæ a Christianis adoratur: *Itaque* (inquit) *per scabellum, terra intelligitur: per terram autem, caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu, ut supra diximus, adorarunt*. Adorationis autem nomine S. Doctor latriæ cultum intelligit: scilicet, hoc est illius argumentum pro adoratione Spiritui sancto a nobis impendenda. Ille adoratione latriæ adorandus est, qui opus effecit, cui adoratio debetur: atqui Spiritus sanctus effecit opus ejusmodi, carnem nimirùm Christi, quam in mysteriis, id est in Eucharistiæ sacramento, fideles adorent.

Augustinus scabelli nomen, quo Psaltes regius utitur, exponit, sicut & Ambrosius, de carne Christi: *Quæro* (inquit Enarratione in Psalmum 98.) *quid sit scabellum pedum ejus, & dicit mihi Scriptura, terra scabellum pedum meorum. Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic, & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem suscepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adoraverit: inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando*. Evidens est, Augustinum in eo loco loqui de adoratione, quæ Deo ipsi exhibetur: quærit enim quomodo sine impietate cultus possit exhiberi terræ. Evidens quoque est, S. Doctorem non agere de adoratione relativa, cujusmodi est ea, quæ imaginibus Christi tribuitur: nempè si relativam illam adorationem intellexisset, solvere debuisset dubium, quod sibi proposuerat, *Quomodo sine impietate adoretur terra*, solvere (inquam) debuisset, respondendo, adorationem, quæ carni Christi exhibetur in mysteriis, non ad carnem ipsam terminari, sed ad Verbum, cui hypostaticè conjuncta est; seu potiùs dicere debuisset, non terram adorari, sed Deum ipsum tantum.

Joannes Damascenus in libro tertio de Fide, capite octavo, expressè asserit, carnem, & Verbum in Christo unica adoratione coli: *Unus igitur Christus* (inquit) *Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu unica adoratione cum ejus immaculata carne*. Depellit, immediatè post illa verba, idololatriæ crimen ab ea adoratione: *Neque enim hoc agentes* (ait) *creaturæ servimus: non enim velut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati conjunctam*. Ut id explicet, utitur comparatione hominis, qui ferrum ignitum tangit: *Timeo* (ait) *carbonem tangere propter ignem*; ac proinde quemadmodum illius hominis tactus objectum non est ferrum tantùm, sed etiam ignis: ita adorationis objectum in Christo, non est Verbum solum, sed etiam caro, quam in unam hypostasim assumpsit: *Adoro* (inquit) *utrumque, quod est Christi propter divinitatem carni copulatam*; hoc est, motivum adorationis, seu ratio formalis, quæ me ad adorationem movet, est quidem divinitas; sed objectum, seu terminus, cui impenditur adoratio, non est divinitas tantùm, sed etiam caro, cui substantialiter est conjuncta.

Probatur 3, ex definitionibus, & quidem (ut nobis videtur) expressis, Conciliorum. Concilium Alexandrinum, quod Cyrillo præside contra Nestorium habitum est, expressè damnat eos, qui non confessi fuerint, Christum totum, hoc est, naturam humanam, & divinam hypostaticè conjunctas, non una, sed multiplici adoratione adorandas esse: *Si quis* (ait Cyrillus anathematismo octavo ex duodecim, quæ leguntur in Epistola

Epistola

stola Synodali ad Nestorium transmittenda, & ab eo, si Catholicus audiri velit, (subscribenda) *hominem assumptum, una cum ipso Dei Verbo adorandum, una cum illo glorificandum, unà cum illo, tanquam alterum cum altero existentem, Deum appellandum esse, docere ausus fuerit; & non una potius adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro, anathema sit*. Unde sic demonstratio conficitur: Illi, & quidem absoluta, exhiberi debet adoratio latriæ, qui eadem adoratione coli debet, qua Verbum ipsum; nempe Verbo, cum Deus sit, supremus, ac absolutus latriæ cultus debetur: atqui, ex Alexandrina Synodo, homo assumptus, hoc est, humanitas Christi, eadem tum in individuo, tum in specie, adoratione coli debet, qua ipsummet Verbum, ita ut excommunicandus sit, qui adorationem humanitatis, & Verbi diviserit, ac distinxerit: ergo humanitas Christi adorari debet absoluta adoratione latriæ.

Respondent Adversarii, Synodum Alexandrinam damnare divisionem adorationis tantùm in sensu Nestorii, personas in Christo dividentis: ita ut (inquiunt) Alexandrina Synodus hoc unum velit, adorationem impendi non debere homini in Christo, tanquam supposito, quod a supposito Verbi distinctum sit. Verum frivola est hujusmodi responsio: Siquidem Nestorius duo dicebat: nimirum in Christo duas esse personas, deinde duas adorationes ei attribuendas esse: Primum, capitulis, octavum, de quo agitur, antecedentibus, Alexandrina Synodus damnavit; alterum verò proscripsit capitulo, seu anathematismo octavo, seu postquam Nestorii errorem damnavit, damnat quoque, ac corrigit ejusdem Nestorii loquendi morem, hoc est, definit, humanitatem non coadorari cum Verbo quasi duæ sint adorationes, sed simul & eadem adoratione coli.

Confirmatur 1. ex eo, quod Theodoretus, qui Orientalium nomine reprehenderat Cyrilli, hoc est, Alexandrinæ Synodi capitula, probet octavum quoad unam glorificationem, seu adorationem humanitati, & Verbo tribuendam, modò tamen in ipso Christo naturæ non confundantur, uti Cyrillo cum Apollinaristis confundi immeritò sentiebat: *Unam quidem* (ait in reprehensione octavi capituli) *ut sæpè dixi, glorificationem domino Christo tribuamus, & ipsum Deum simul, & hominem confiteamur*.

Confirmatur 2. ex eo, quod Cyrillus in sui octavi capituli defensione contra Theodoretum, doceat, ex multiplicatione & distinctione adorationum, unius quidem, quæ humanitati tribuatur, & alterius, quæ adscribatur Verbo, multiplicatio, & distinctio suppositorum necessariò sequatur; ob idque damnari debere Nestorii de adoratione humanitati impendenda loquendi modum: *Nam* (inquit) *si quidem ipse DEUS simul & homo, & adoratur sicut unus adoratione una, & non coadoratur, & simul appellatur DEUS* ...

Cùm Ephesinum Concilium 1. capitula contra Nestorium a Cyrillo in Alexandrino Concilio scripta probaverit, sequitur, ipsum definiisse, unam tantùm adorationem, supremam nimirum, & absolutam, exhiberi debere Christo; ac proinde definiit etiam, humanitatem Christi coli debere absoluta adoratione latriæ.

Quintum Concilium Oecumenicum, canone nono, non minùs expressè, quam Alexandrina, & Ephesina Synodi, definiit humanitatem, & divinitatem Christi una tantum adoratione coli debere; ergo definiit quoque humanitati Christi deberi adorationem latriæ. Eum quinti Concilii canonem nonum probat Lateranensa Concilium, hisceque eum verbis refert: *Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, semotim homini..... aut si quis non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorat, juxta quod sancta Dei Ecclesia ab initio traditum est, talis anathema sit*. In illo autem Canone res, de qua agitur, expressè definitur, sed additur præterea (ut rectè observat Petavius) dogma de una adoratione impendenda Christo, sive prout Deus, sive prout est homo, ab initio, Ecclesiæ traditum fuisse.

Probatur 4. nostra conclusio ratione Theologica. Honor, sive sit adoratio latriæ, sive duliæ, sive hyperduliæ, primò & per se respicit personam, cui exhibetur, secundariò verò & ex consequenti, respicit ea omnia, quæ in illa persona existunt: sic cum quis Papæ pedes osculatur, interna reverentia, quam exhibet Papæ, primò ipsam Papæ personam respicit, ex consequenti verò ea omnia, quæ in Papa existunt: unde sic arguitur: Honor, qui Personæ Christi exhibetur, est absoluta adoratio latriæ; atqui idem honor impenditur illius humanitati; siquidem honor (ut ex dictis patet) qui primò, & per se respicit personam honoratam, secundò & ex consequenti respicit ea omnia, quæ sunt in ea persona: sed humanitas est in persona, cui exhibetur adoratio latriæ: ergo eadem adoratio latriæ humanitati quoque exhibetur.

Objicies 1. Adoratio latriæ propriè sumpta, soli Deo debetur, & ei soli tribui potest; atqui humanitas Christi non est Deus: ergo adoratio latriæ exhiberi non potest humanitati Christi.

Resp. dist. maj. Adoratio latriæ soli Deo primò & per se debetur, conc. maj. soli Deo debetur secundò, & ex consequenti, neg. maj. & concessa minore, dist. conseq. Ergo adoratio latriæ primò, & per se exhiberi non potest humanitati Christi, conc. conseq. exhiberi non potest secundò & ex consequenti, neg. conseq. Adoratio latriæ sumpta quoad internum adorantis affectum, primò & per se respicit objectum, in quo est ratio formalis, quæ movet ad adorationem exhibendam: unde cum in persona Christi, non autem in illius humanitate, sit ratio formalis (divinitas nimirum) quæ nos movet ad Christum adoratione latriæ colendum, humanitas primò & per se non adoratur in Christo, sed tantùm secundò & ex consequenti.

Confirmatur responsio ex Epiphanio, qui (ut superius observatum est) in Ancorato comparat adorationem, quam humanitati Christi exhibemus, honori, quem deferimus purpuræ, qua Rex est indutus. Confirmatur iterum ex Damasceno, qui (ut suo loco dictum est) adorationem, de qua agitur, confert cum tactu ferri igniti: ergo quemadmodum honor, quem exhibemus purpuræ, qua Rex est indutus; quemadmodum tactus, quo ferrum ignitum contingimus, non feruntur primò & per se in purpuram Regis, aut in ignem, quo ferrum ardet, sed tantùm secundò & ex consequenti; ita etiam adoratio latriæ, quam exhibemus humanitati Christi, non primò & per se, sed tantùm secundò, & ex consequenti eandem respicit humanitatem.

Instabis. Si secundò tantùm & ex consequenti adoratio exhibita humanitati Christi, ipsam humanitatem respicit, dici poterit humanitatem adorari tantùm per accidens; atqui id absurdum est; cum enim loquendi modum Theologi uno ore in Durando, qui illum adhibuit, proscribunt: ergo &c.

Resp. dist. maj. Dici poterit, humanitatem Christi adorari tantùm per accidens, hoc est, quia non seorsim, sed cum alio adoratur, conc. maj. quia sequitur ex unione accidentali, neg. maj. Ideò Theologi passim proscribunt modum loquendi, quo Durandus usus est, quod credant eum favere Nestorio, qui unionem tantùm per accidens, seu per affectum, inter Verbum & humanitatem admittebat; non verò quòd (ut nos profitemur) unà tantum cum alio, Verbo nimirum, non autem seorsim, adoretur; quæ enim cum alio aut patiuntur, aut agunt, non primò & per se, quamvis sint unita substantialiter, ut anima & corpus; sed tantum secundò & ex consequenti

quenti, pati aut agere dicuntur.

Instabis iterum. Si humanitas in Christo adoretur secundò tantùm & ex consequenti, quia cum alio adoratur, Verbum quoque secundò tantùm & ex consequenti adorari dicitur: non enim in Christo solum adoratur, sed una cum carne, cui hypostaticè conjunctum est: sed absurdum est consequens: ergo & antecedens.

Resp. neg. maj. Ratio disparitatis est, quia divinitas, quæ est ratio motiva, seu impellens ad adorationem, est in Verbo, non autem in humanitate, cui conjunctum est; at parti alicujus compositi, primò & per se actio aut passio tribuuntur, cùm in illa parte est ratio motiva, seu causa formalis, propter quam toti tribuitur; sic primò & per se de hominis anima dicitur, quòd sit immortalis, de toto verò composito dicitur tantùm secundò & ex consequenti, quia ratio, ex qua sequitur immortalitas, est formaliter (ut ajunt) in anima rationali; nempè ideò est immortalis, quòd sit omninò spiritualis, hoc est, eò quòd spiritus sit, non autem materia.

Objicies 2. Quod coadoratur, non adoratur eadem adoratione, qua adoratur objectum, cum quo coadoratur; si enim eadem adoratione adoraretur, non esset, cur Cyrillus anathematismo octavo negasset, hominem assumptum, seu humanitatem, cum Dei filio coadorari; atqui humanitas Christi cum Dei Verbo coadoratur; ita enim expressè loquitur Epiphanius in Anchorato, ubi humanitatem Christi comparat cum purpura, quam Rex induit; ita etiam Damascenus libro de duabus Christi voluntatibus: *Adoro carnem* (inquit) *non propter naturam carnis, sed propter Deum Verbum ipsi copulatum*: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Quod coadoratur tanquam alterum suppositum cum altero supposito, non adoratur eadem adoratione, conc. maj. quod coadoratur tanquam altera natura cum altero supposito, neg. maj. Non ista ratione, sed illa tantum Cyrillus asseruit, hominem assumptum cum Dei filio non coadorari; scilicet humanitas, quam Cyrillus, & ante eum Augustinus, sæpè vocat hominem assumptum, non habet humanum suppositum, seu non habet humanam hypostasim, humanam personam; ac proindè dici non debet, tanquam alterum cum altero aut coadorari, aut connominari.

Eam autem esse Cyrilli mentem patet, 1. ex verbis, quibus constat anathematismus octavus contra Nestorium scriptus; sic enim habet: *Si quis dicere audet, hominem assumptum unà cum Dei Verbo adorandum & conglorificandum, & Deum, tanquam alterum cum altero connominandum esse, (hunc enim intellectum particula*, CUM, *adjecta, perpetuò ac necessario affert) & non potius unà adoratione Emmanuelem honorat, unamque illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro, anathema sit*. Patet 2. ex eo, quòd idem Cyrillus libro secundo contra Nestorium apertè scribat *Deum Verbum adorari cum carne*, hoc est, cum altero, quod, non hypostasi, sed natura tantum, distinctum sit. Eundem sensum habuerunt in mente Patres, qui Christi humanitatem dixerunt cum Dei Verbo coadorari & conglorificari. Patet denique 3. ex eo, quòd Cyrillus loquendi ratione, quæ nobis objicitur, non aliud sibi proposuerit, quam damnare istud Nestorii dictum, ex quo sequitur personarum distinctio: *Propter gestantem, eum, qui gestatur, veneror, propter eum, qui latet, eum, qui apparet, adoro*. Itaque Christi humanitas rectè dicitur cum Verbo coadorari, quando præpositio *Cum* simultatem significat, non autem quando intelligitur (ut intelligebatur a Nestorio) da distinctione suppositorum.

CONCLUSIO 2. Humanitas Christi coli non potest alia adoratione, quàm adoratione latriæ. Est contra Cajetanum, & nonnullos alios, qui contendunt, humanitatem, licet realiter unitam Verbo, coli posse adoratione hyperduliæ, ratione specialis excellentiæ, quam habet ex gratia habituali, aliisque donis, quæ è persona Verbi tanquam effectus a causa distinguuntur.

Probatur 1. ex Patribus & Conciliis, quæ in defensionem præcedentis conclusionis laudata sunt. Nempe definiunt, humanitatem non duplici, sed una tantum adoratione coli debere: ergo quamcumque aliam adorationem latria minorem excludunt.

Probatur 2. Si humanitas propter excellentiam sibi propriam hyperdulia coli posset, immeritò Cyrillus in Concilio Alexandrino damnasset hunc Nestorii loquendi modum: *Adoro visibilem propter invisibilem, & hominem, quem nunc propter eũ* (scilicet filium Dei) *qui ipsum induit* uam illa hyperduliæ adoratio, licèt proximè ad humanitatem terminaretur, ultimò tamen ad ipsum Verbum referretur; quemadmodum licèt charitas, qua proximus diligitur, proximè ad ipsum proximum terminetur, ultimò tamen refertur ad Deum; non enim proximum propter ipsum ultimò diligere debemus, sed propter Deum. Præterea vel humanitas in suppositione, de qua agitur, ab intellectu creato sine unione ad Verbum conciperetur, vel cum unione ad ipsum. Si primum, non esset humanitas Christi, scilicet humanitas Christi, est humanitas unita Verbo. Si secundum, adorationem latriæ meretur; dignior enim adoratio, quæ, ut suppono, præcipuè sita est in affectu mentis, aliam minorem adorationem excludit.

Probatur 3. Ecclesia nusquam illum minorem adorationis modum Christi humanitati impendisse legitur; imò videtur, quòd eum apertè rejecerit in septimo Concilio generali. Iconomachi in sua pseudosynodo, quam falsò septimam œcumenicam nuncuparunt, contendebant, depingi non posse imaginem Christi, quia humanitas illius separari non potest a Deitate; econtra verò œcumenica Synodus septima, quæ est secunda Nicæna, docuit, humanitatem Christi pingi posse, quòd, etiam per mentem, humanitas in sua imagine non apprehendatur tanquam a divinitate separata: *Cum* (inquit actione sexta) *Ecclesia Catholica Christum pingit humana figura, non dividit eum à divinitate illi unita: Sicut qui hominem depingit, non inanimatum depingit*. Ergo falsum est, humanitatem Christi cogitari posse tanquam a Verbo separatam, ut ei aliqua adorationis species attribuatur.

Eadem ratione loquitur Theodoretus Patriarcha Jerosolymitanus, in epistola, quæ habetur in eadem septima Synodo actione tertia propè finem, ubi hæc habentur: *Adoramus Christi imaginem, quemadmodum facies ejus visa est, non tamen à Deitate separata: absit, ita sentiamus, cum ab ipsa conceptione eam Deitate unita sit*. Addendum est, quòd si tum septima Synodus, tum Theodorus credidissent, humanitatem per mentem a Verbo separari, & sic separatam coli adoratione hyperduliæ, non dixissent simpliciter, Ecclesiam non depingere Christum in figura humana, eumque a divinitate non dividere; sed dixissent pingi quoque posse ea ratione, eique sic depicto adorationem attribui minorem latria, seu adorationem hyperduliæ, cum sic depictus excellentiam creatam exhibeat, quæ in ipsa humanitate realiter reperitur; at tantum abest, ut id dixerit, quin absolutè pronuntiarit, humanitatem non magis pingi, nec adorari sine divinitate, quam depingatur corpus sine anima, cui substantialiter unitum est.

Objicies 1. Humanitas potest per mentem apprehendi sine Verbo, & sic pro nobis a fidelibus orari, ut pro nobis intercedat apud Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum: ergo pariter sic apprehendi potest, ut adoratione, quæ minor sit latria, a nobis coli possit.

Resp.

Resp.1.neg.ant.seu negatur, humanitatem, quæ in cœlis (ut Scriptura loquitur) pro nobis interpellat, cogitari tunc, ut a Verbo separatam imò cogitatur ut conjuncta: neque enim pro sua reverentia (ut loquitur Apostolus) pro nobis exauditur, nisi quia illius oratio dignitatem habet a Verbo, cui substantialiter est conjuncta. Resp.2.dato antecedente, neg. conseq. Ratio disparitatis est, quia humanitas est principium *Quo* orationis; ac proindè eo in casu considerari potest sine Verbo, quod est principium *Quod*, nempè Verbum orat in humanitate: Econtra eadem humanitas non est objectum cultus nostri, nisi prout conjuncta Verbo, quia in eo casu non agit sicut cum orat, sed passivè se habet; quæ autem passivè tantùm se habent, actionem agentis non terminant tanquam separata a subjecto, in quo subsistunt.

Objicies 2. Natura, quæ excellentiam habet distinctam ab excellentia sui suppositi, potest coli honore distincto ab honore, qui exhibetur supposito; ea enim excellentia, per se cultum & honorem meretur; atqui humanitas Christi est natura, quæ excellentiam habet distinctam ab excellentia sui suppositi, Verbi nimirùm; tum quia excellentia humanitatis est effectus ipsiusmet Verbi tanquam causæ physicæ, cùm Verbum, ut habens naturam divinam, sit prima causa excellentiæ, quæ est in humanitate; tum etiam quia, cum illa excellentia, sit vel gratia habitualis, vel aliquod aliud ejusmodi donum, necessariò est creatum aliquid, excellentia verò Verbi est omninò increata: ergo, &c.

Resp. dist. maj. Si excellentia, quæ propria est illi naturæ, non sit conjuncta cum excellentia, quæ majorem cultum exigat, conc.maj. si conjuncta sit, neg. maj. Equidem si excellentia creata, quæ est in humanitate Christi, non esset cum Verbo conjuncta, coli deberet adoratione hyperduliæ, quæ rebus creatis maxime excellentibus, ut est Virgo Deipara, exhibetur. At verò cum sit conjuncta cum Verbo: coli debet adoratione latriæ, quæ cum sit speciei infinitè perfectioris, quamcumque aliam adorationis speciem absorbet. Confirmatur responsum a simili. Si quis ejusdem regionis esset simul Rex, Marchio, Comes, ut revera contingit in Francorum Rege, qui variarum provinciarum Comes est & Rex simul, non posset sine injuria honorari prout tantùm est Comes, hoc est, eo tantum honore coli, qui Comitibus exhiberi solet, eò quod Comitis dignitas sic in illo homine foret realiter conjuncta cum dignitate Regis: ergo a pari humanitas Christi, cum sit substantialiter conjuncta cum Verbo, licèt, si non esset illa unio, rectè hyperduliæ cultu coleretur, propter unionem tamen eo cultu coli non potest, quin dignitati, quam humanitas ex unione realiter habet, injuria inferatur.

Objicies 3. Sanctus Thomas 3 p. qu.35.art.2. apertè distinguit duas adorationes Christo exhibendas: nam 1. sic loquitur in Corpore articuli: *Adoratio igitur humanitatis Christi dupliciter potest intelligi. Uno modo ut sit ejus sicut rei adoratę: & sic adorare carnem Christi, nihil est aliud, quàm adorare Verbum Dei incarnatum; sicut adorare vestem Regis, nihil est aliud, quàm adorare vestitum. Et secundùm hoc adoratio humanitatis Christi est adoratio latrię. Alio modo potest intelligi adoratio humanitatis Christi, quę fit ratione humanitatis Christi perfectę omni munere gratiarum: & sic adoratio humanitatis Christi non est adoratio latrię, sed adoratio dulię. Ita scilicet, quod una & eadem persona Christi adoretur adoratione latrię propter suam divinitatem, & adoratione dulię propter perfectionem humanitatis*: ergo Christus non una, sed dupliciti, potest adoratione coli.

Resp. dist. ant. Sanctus Thomas apertè distinguit duas adorationes hypoteticè Christo exhibendas, conc. ant. exhibendas simpliciter & absolutè, neg. ant. Sanctus Doctor duas adorationes Christo exhibendas esse concedit, quidem hypoteticè, si nempè humanitas concipiatur in statu, in quo nec fuit, nec est, nec erit unquam in Christo; hoc est, si intelligatur tanquam a Verbo, non distincta tantùm, sed etiam realiter separata: verùm cum ille humanitatis status non sit realis, sed fictitius tantùm, sequitur, duplicem adorationem realiter & in praxi Christo exhiberi non posse. Eam autem esse S. Thomæ mentem, evidenter colligitur ex illius responsione ad primum argumentum; sic enim loquitur: *Sin intellecta ut separatę à Dei verbo, deberetur sibi adoratio dulię, non cujuscumque, sed cujusdam excellentioris, quam hyperduliam vocant*.

CAPUT II.

De adoratione, quę debetur Sanctis.

Not. 1. QUæremus hic 1. utrum aliqua adoratio, seu cultus aliquis religiosus debeatur Sanctis: 2. an festa in eorum honorem institui possint: 3. utrum ædes sacræ in eorum memoriam piè extruantur: 4. denique an emitti possint vota in eorum honorem.

Not. 2. Lutherani, Calvinistæ, aliique novatores, Ecclesiam sæculo decimo sexto vexarunt, negant, cultum aliquem, qui religiosus sit Sanctis cum Christo regnantibus exhiberi posse; contendunt, festa in eorum honorem superstitiosè institui; asserunt, piè non extrui sacras ædes in eorum memoriam; affirmant denique, vota non posse in eorum honorem nuncupari. Econtra Catholici omnes semper & ubique quatuor illa capita probarunt, ut conclusionibus proximè sequentibus manifestum fiet.

CONCLUSIO 1. Aliquis cultus religiosus debetur Sanctis unà cum Christo in cœlo regnantibus.

Probatur 1. Non civilis tantùm cultus, sed etiam religiosus, debetur Sanctis adhuc in terra degentibus. ergo & Sanctis, qui una cum Christo regnant in cœlis: Antecedens videtur certum: nam cultus religiosus est honor, sive internus, sive externus, exhibitus ob excellentiam aliquam, quæ ad religionem spectet; atqui Sanctis in terra degentibus debetur, honor, sive internus, sive externus, ob excellentiam, quæ ad religionem spectet; nempè vel quod pastorali dignitate fulgeant, vel quod eximia pietate præditi sint. Consequens non minùs videtur certum; scilicet perfectior est Sanctorum in cœlis regnantium charitas, præstantiores sunt eorum virtutes, quam charitas & virtutes Sanctorum, qui adhuc in terris militant: ergo si istis cultus quidam religiosus debeatur, a fortiori debetur & illis.

Probatur 2. Ecclesia semper religiosè coluit Sanctos una cum Christo in cœlis regnantes: ergo cultus religiosus, hoc est, a virtute religionis imperatus, et debetur. Consequens videtur certum. Nam 1. quod ubique semper ab Ecclesia factum est, & cujus initium in Conciliis, aut aliis Ecclesiarum decretis non reperitur, ex Augustino, traditionis est Apostolicæ; ac proindè licitum est, ac pium. 2. Superbissimæ insaniæ est, ex eodem Augustino, id arguere, quod Christi sponsa, quæ columna est ac firmamentum veritatis, quamque Christus ab omnibus audiri jussit, semper & ubique egit. Itaque probatur antecedens. Cultus Sanctorum meminit Augustinus libro 20. contra Faustum, cap 21. eumque a Fausti Manichæi dicteriis vindicat. Recensetur ab Hieronymo contra Vigilantium scribente; a Gregorio Nazianzeno Oratione 2. ab Ambrosio libro 1. de Virginitate; a Chrysostomo hom. 23. in caput decimum Actorum, & ab omnibus ferè quarti sæculi Scriptoribus: eam autem de cultu Sanctorum doctrinam ii Patres non ut rem novam, sed antiquo Ecclesiæ usu receptam tradiderunt, nec aliquis inter pastores inventus est, qui illi doctrinæ novitatis notam inusserit: ergo Patres quarti sæculi eam hauserant a Patribus tertii sæculi quibuscum

aliquandiu vixerant, Patres tertii sæculi a Patribus secundi, Patres secundi a Patribus primi sæculi, & isti tandem ab ipsismet Apostolis: ac proinde Ecclesia semper & ubique religiose coluit Sanctos, qui una cum Christo regnant in cœlis.

Probatur 3. Non ipsa solùm Ecclesiæ traditio, sed ipsi etiam sacri codices probant religiosum in Sanctos cultum: ergo cultus ille piè ac licitè eis exhibetur. Probatur antecedens. Scripturæ fidem faciunt, viros maximè pios religiosum cultum Angelis exhibuisse. Genesis 19. Loth duos Angelos, qui Sodomam venerant, *adoravit pronus in terram*. Ibidem de Abrahamo dicitur, quòd *cucurrit in occursum eorum* (Angelorum) *de ostio tabernaculi sui, & adoravit in terram*. Ad duplicem illum Genesis textum alludit Apostolus ad Hebræos 13. ubi narrat Angelos hospitio receptos. Josue cap. 5. de Josue dicitur, quòd postquam conspexisset virum ex adverso stantem districto gladio, dixerit: *Noster es, an adversariorum? Qui respondit, Nequaquam; sed sum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Josue pronus in terram, & adorans, ait*. Adoratio Angelis tum a Loth, tum ab Abrahamo, tum a Josue exhibita, fuit cultus religiosus: scilicet sancti illi viri in Angelis honorarunt eximiam eorum sanctitatem, dotes supernaturales, quibus cum Deo intimè conjunguntur: at eadem est ratio de hominibus beatis, ac de Angelis: ergo si Angeli (ut ostensum est) piè ac licitè colantur cultu religioso, eo quoque piè ac licite coli possunt, qui cœlesti beatitudine cum Christo fruuntur.

Confirmatur argumentum ex libro 3. Regum cap. 18. ubi hæc leguntur: *Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cùm agnovisset eum, cecidit super faciem suam*. Honor, quo Abdias Eliam prosequebatur, non erat honor politicus & civilis; neque enim Elias habita ratione societatis politicæ ac civilis, superior erat Abdia, qui unus erat è regni proceribus: ergo erat cultus religiosus, hoc est, exhibitus Eliæ propter spiritum propheticum, quo eum præditum esse cognoverat. Libro 4. Regum capite 2. cum filii Prophetarum intellexissent, Eliæ spiritum in Elisæum transiisse, *venientes* (ait scriptura) *in occursum ejus, adoraverunt eum proni in terram*: Honor verò Elisæo a filiis Prophetarum delatus non fuit ob terrenam aliquam dignitatem, sed ob Prophetiæ donum, quo eminebat; ac proinde cultu religioso, qui quidem (ut sæpiùs observatum est) creaturis defertur propter dotes supernaturales, ac præsertim eximiam, qua eminent, sanctitatem.

CONCLUSIO 2. Cultus religiosus, qui Sanctis cum Christo regnantibus ab Ecclesia exhibetur, non est cultus latriæ. Est contra Lutheranos & Calvinistas, qui propter cultum Sanctis exhibitum, Ecclesiam tanquam idololatriæ ream calumniantur.

Probatur. Ecclesia ore Sanctorum Patrum sæpè professa est, cultum, quem exhibet Sanctis, non esse cultum latriæ.

Vigilantius, quarto sæculo, idem crimen Catholicis imposuerat. Verùm sic illud ab eis Hieronymus depellit libro, quem adversus eundem Vigilantium scripsit: *Quis enim, ò insanum caput, aliquando Martyres adoravit? quis hominem putavit Deum?*

Idem idololatriæ crimen a Fausto Manichæo Ecclesiæ impactum est, Augustini temporibus. *Nobis* (ait Augustinus libro 20. contra Faustum cap. 21.) *calumniatur Faustus, quod Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertisse*. Ut autem calumniam confutet Augustinus, fatetur 1. Ecclesiam cultum religiosum Sanctis Martyribus exhibere: *Populus autem Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat*. Fatetur 2. Ecclesiam Sanctos colere, ut eorum orationibus apud Deum adjuvetur: *Et ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adjuvetur*. Sed constanter negat, adorari eos latriæ cultu; idque probat ex eo, quod eis sacrificium ab Ecclesia non offeratur: *Ita tamen* (inquit) *ut nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificemus, quamvis memorias Martyrum constituamus altaria*. Probat S. Doctor, Ecclesiam nunquam Martyribus sacrificasse: *Quis autem Antistitum in loco Sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronavit*. Urgente vero Fausto, qua igitur cultus specie Ecclesia Martyres prosequatur, si ipsis latriam non deferat, respondet Augustinus, cultum, quem Ecclesia Martyribus exhibet, ejusdem esse speciei cum eo, quo viri pii in terris degentes coluntur: *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate passionem paratum esse sentimus: sed illos tantò devotiùs, quantò securiùs post certamina superata*. Rem totam breviter paulò post sic idem Augustinus concicit adversùs Faustum Manichæum: *At illo cultu, qui græcè latria dicitur, latinè uno verbo dici non potest, cùm sit quædam propriè divinitati debita servitus; nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum*.

Concilium Tridentinum eandem calumniam a Luthero & Calvino Catholicis impactam depellit, sess. 25. titulo, *De invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum & sacris imaginibus*; sic enim loquitur: *Illos verè, qui negant, Sanctos æterna fœlicitate fruentes, invocandos esse...... invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum Dei Verbo...... jam pridem damnavit* (nimirum adversus Vigilantium & Faustum) *& nunc etiam damnat Ecclesia*.

Quæres, quibus nominibus appelletur ille cultus inferior latria, qui Sanctis, sive in terra adhuc degentibus, sive in cœlo regnantibus, a Catholicis exhibetur?

Resp. cultum illum a Theologis Catholicis vocari adorationem *duliæ*: verùm si sit quæstio de B. Virgine Maria, vocari adorationem *hyperduliæ*. Ad eorum autem nominum intelligentiam observandum est, cultum sacrum, ac religiosum, dividi in adorationem latriæ, duliæ, & hyperduliæ. Adoratio latriæ definitur, *Adoratio, quæ exhibetur ob excellentiam divinam, seu increatam*: & hæc uni Deo tribuitur. Adoratio duliæ, *Adoratio, quæ exhibetur propter excellentiam creatam & supernaturalem, sed multis communem, & non alicui omninò singularem*. Adoratio hyperduliæ est, *Adoratio, quæ exhibetur propter excellentiam creatam supernaturalem, sed eximiam, & uni subjecto singularem*. Prima adorationis species uni Deo debetur; altera exhibetur Sanctis, sive cum Christo jam regnent in cœlis, sive adhuc in Ecclesia militent: tertia adorationis specie sola Virgo Deipara colitur; scilicet eminet sanctitate, quæ licet creata sit, ita eximia & singularis est, ut nulli alii creaturæ conveniat: unde sic de ea loquitur Ambrosius lib. 2. de Virginibus: *Quid nobilius Dei matre? quid splendidius ea, quam splendor elegit?*

Mariæ sanctitas respondet dignitati, ad quam evecta fuit, cum effecta est Dei Mater; ac proinde cum major dignitas creaturæ communicari non possit, nulli creaturæ tanta unquam concessa fuit sanctitas. Hinc effectum est, ut quovis sæculo fidelibus persuasum fuerit, plurimum eam suis precibus apud Christum valere. Augustinus libro *de sancta Virginitate*, cap. 6. docet, Mariam non tantùm naturalis corporis Christi matrem esse, sed etiam mystici; quod quidem non aliud est, quam Ecclesia: *Maria* (inquit) *faciens voluntatem Dei, corporaliter Christi tantummodo mater est, spiritaliter autem, & soror & mater. Ac per hoc una illa fœmina non solùm spiritu, verùm etiam corpore, & mater est, & virgo. Et mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, ex*

quo

quo illa magis spiritualiter nota est; quia omnes, qui in eam crediderint, in quibus & ipsa est, rectè filii sponsi appellantur: sed planè mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est charitate, ut fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius corporis membra sunt, corpore verò mater ipsius capitis. Mirum igitur non est, quòd Christiani ad eam tanquam filii ad matrem confugerint semper, eamque eo nomine supplices invocaverint. Fatentur heterodoxi, totam Ecclesiam, tum in Occidente tum in Oriente, quarto sæculo Mariam religiosè præ cæteris Sanctis coluisse, ejusque opem & auxilium invocasse; necesse est igitur, ut fateantur quoque, Patres tertii, secundi & primi sæculi, ipsos etiam Apostolos illum Mariæ cultum, eam invocandi morem ad praxim reduxisse; idque juxta celebrem hanc Augustini sententiam: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

CONCLUSIO 3. Pie ac religiose instituta sunt festa, tum in honorem Deiparæ, tum aliorum Sanctorum una cum Christo in cœlis regnantium.

Probatur. Institutio festorum posita est in determinatione, seu præfixione quorumdam dierum, in quibus peculiariter honorentur Sanctorum virtutes, excitemur ad eorum imitationem, petamus eorum apud Christum orationes: atqui pia ac religiosa est ejusmodi determinatio, ea dierum præfixio; si enim (ut superius probatum est) cultus Sanctorum nihil nisi pium & sanctum contineat, determinatio dierum, in quibus peculiariter colantur eorum virtutes, excitemur ad eorum imitationem, petamus eorum apud Christum orationes non potest non esse pia ac religiosa.

Quæres, utrum perantiqua sit institutio festorum in honorem Sanctorum una cum Christo in cœlis regnantium?

Resp. 1. institutionem festorum in honorem Martyrum, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis esse in usu. Constitutiones Apostolicæ, quæ vulgò sancto Clementi tribuuntur, præscribunt fidelibus, ut diebus sancto Stephano & aliis Martyribus sacris temperent ab operibus, quæ servilia vocantur: *In die autem Stephani protomartyris, item vacent, ac reliquis diebus Sanctorum Martyrum, qui Christum vitæ suæ antepofuerunt.*

Ecclesia Smyrnensis in Epistola, quam de martyrio Polycarpi, qui Joannem Evangelistam audierat, scribit ad Ecclesias Ponti, recenset tanquam usum multo tempore jam probatum, morem dies festos in honorem Martyrum celebrandi; sic enim loquitur apud Eusebium historiæ lib. 4. cap. 15. *Ossa illius gemmis pretiosissimis, & quovis auro pretiosiora colligentes, ubi decebat, condidimus. Quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus natalem ipsius martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam eorum, qui glorioso certamine perfuncti sunt, tum ad posteros hujusmodi exemplo instruendos & confirmandos.*

Vigebat & usus ille in Ecclesia Latina Cypriani temporibus; siquidem lib. 4. Epistola 5. scribit, se per sacrificii oblationem Laurentii & Ignatii, qui martyrium passi fuerant, agere memoriam: *Quoties* (inquit) *Martyrum passiones & dies anniversaria commemoratione celebramus.* Lib. 3. Epist. 6. Clero præscribit, ut diem, qua Martyres passi fuerint, diligenter litteris commendent, *Ut* (inquit) *commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.* Nomine verò Martyrum sanctus Doctor non eos tantum intelligit, in quos aut igne, aut gladio animadversum fuerat; sed eos etiam, qui in carceribus pro Christi causa obierant: *Qui* (inquit lib. 5. Epist. 6.) *etsi torti non sunt, in carcere tamen glorioso mortis exitu excedunt. Neque enim virtus eorum aut honor minor est, quò minus ipsi quoque inter beatos Martyres aggregentur.*

Resp. 2. post tertium sæculum, in honorem Sanctorum, qui in solitudine vitam egerant, pietatemque, sive dum viverent, sive post mortem, miraculis probaverant, instituta fuisse festa. Scilicet vita per multos annos in pœnitentiæ exercitiis transacta, habita fuit martyrii loco. *Secura esto Eustochium* (verba sunt Hieronymi in Paulæ epithaphio) *mater tua longo martyrio coronata est. Non solum enim effusio sanguinis in confessione reputatur, sed devotæ quoque mentis servitus immaculata quotidianum martyrium est: unde & in Cantico Canticorum scribitur: Fratruelis meus candidus & rubicundus: & in pace, & in bello præmia eadem vincentibus tribuens.* Idem Hieronymus in Hilarionis vita refert ab ipso Hilarione præceptum fuisse, ut suum corpus statim post mortem secretò terræ mandaretur; verebatur nimirum sanctus Abbas, ne oratorium in ejus honorem consecraretur, celebrareturque natalis illius dies, ut celebrabatur reverà, quoties oratoria, aut martyria post mortem in alicujus honorem erigebantur. Idem a sancto Antonio discipulis injunctum fuisse scribit mox laudatus Hieronymus. *Causam* (inquit) *occultandi juxta præceptum Antonii fuisse referentes, ne Pergamius, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam Sancti corpore, martyrium consecraret.* S. Martino Turonensium Episcopo statim post mortem consecratum fuit oratorium, ac in illius honorem institutus festus dies; imò & officium, quod etiamnunc maxima ex parte in Ecclesia recitatur.

Resp. 3. quòd licèt (ut superiùs probatum est) Virginis Deiparæ cultus ab ipsis Ecclesiæ incunabilis in usu fuerit, festa tamen in illius honorem instituta, eadem antiquitate non commendantur. Festum Nativitatis cœpit circa annum millesimum: de eo enim tanquam de re nuper instituta circa annum millesimum, Fulbertus sic loquebatur Serm. 1. de Nativit. *Inter omnes Sanctos memoria beatissimæ Virginis eò frequentius agitur atque festivius, quo majorem gratiam apud Dominum creditur invenisse. Unde post alia quædam ipsius antiquiora solemnia, non fuit contenta devotio fidelium, quin Nativitatis solemne superadderet hodiernum.* Meritò igitur Baronius scripsit, Sermones *de Nativitate Virginis Deiparæ*, qui antiquioribus Patribus tribuuntur, revera non esse germanum eorum fœtum.

Festum in honorem Conceptionis, novum erat Bernardi temporibus: sic enim de eo loquitur Epist. ad Canonicos Lugdunenses, in editione nova numero 174. *Unde miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.*

Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, scribit, festum *Purificationis* Justiniani Imperatoris temporibus institutum fuisse. Nicephorus Callistus narrat, edixisse eum, ut festus ille dies toto orbe terrarum celebraretur. Imperatoris decretum Ecclesia ubique executioni mandari jussit. Festi quod vocant festum *Annuntiationis*, non fit mentio in monumentis Græcorum, nisi post sextum sæculum: prima illius memoria reperitur in Concilio, quod habitum est in Trullo anno 692. in eo enim edicitur, ut per quadragesimam missa non fiat, *Præterquam Sabbato & Dominica, & sancto Annuntiationis die.* Apud Latinos ejusmodi festi meminit decimum Concilium Toletanum.

Mox laudatus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum asserit, festum *Visitationis B. Virginis Mariæ*, institutum fuisse ab Urbano Papa VI. & circa annum 1389. promulgatum a Bonifacio Papa IX. & tandem anno 1441. a Basiliensi Concilio.

Circa finem sæculi quinti primùm prodierunt libri, qui Dionysio Areopagitæ tribuuntur. Hæc illius verba, *de divinis nominibus*, cap. 3. art. 2. *Cum & nos & ipse*

plurimorum Sanctorum fratrum nostrorum, ad corpus illud quod dedit principium vitæ, Deumque susceperat, contuendum venissemus; aderat autem & frater Domini Jacobus, & Petrus. Hæc (inquam) illius verba fundamento fuerunt sententiæ, in quam ierunt Ecclesiæ non de morte tantum, sed etiam de resurrectione, & assumptione B. Mariæ Virginis in cœlum; quanquam nonnulli crederent, in Dionysii textu legi vocem *μνήματος*, quæ significat sepulchrum, non autem *σώματος*, quæ significat corpus: hoc est, quamvis nonnulli censerent, Dionysium eo in loco non de corpore Mariæ Virginis, sed de Christi sepulchro locutum fuisse, opposita tamen sententia prævaluit, indeque conclusum est, Mariæ corpus, quod in terris nullibi reperitur, in cœlum una cum ejus anima assumptum fuisse. Non multò post instituta est ejusmodi assumptionis memoria. Concilium Moguntinum, quod anno 813. celebratum est, assumptionem in festorum catalogum retulit; relata est pariter a Capitularibus jussu Caroli Magni promulgatis. Qui a Concilii Moguntini temporibus scripserunt, eadem ratione locuti sunt; ii etiam, quibus visum est, articulum de Assumptione Mariæ Virginis in aliquo œcumenico Concilio expressè non fuisse definitum. Instar omnium erit Petrus Blesensis, qui Serm. 28. hæc habet: *Hodie verisimile est, quòd Beata Virgo & animæ beatitudinem, & corporis glorificationem adepta est. Quod ne cui veniat prorsùs in dubium, authoritatibus astruimus, opinando tamen, non asserendo*. Si quis articulum, de quo ita locutus fuerat Petrus Blesensis, jam impugnare auderet ad minus summæ temeritatis nota afficiendus esset. De festis Beatæ Mariæ Virginis, de quibus ad minuendum lectoris laborem nonnulla hic inseruimus, videantur Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, Thomassinum nostrum in Tractatibus historicis de festis; De Tillemont, in Commentariis ad Historiam Ecclesiasticam, Part. 1. pag. 495. & pluribus aliis proximè sequentibus.

CONCLUSIO 4. Oratoria, Basilicæ, Memoriæ, piè & religiose Virgini Deiparæ, Martyribus, ac aliis Sanctis cum Christo in cœlis regnantibus, eriguntur.

Probatur. Primò, nulla lege, quæ Scripturis aut Patrum traditione contineatur, prohibitum est, ne Oratoria, Basilicæ, Memoriæ, Sanctis una cum Christo regnantibus consecrarentur: ergo Catholici, à quibus id fit, non peccant, cum ubi non est lex, nec sit prævaricatio. 2. Iis etiam temporibus, quibus heterodoxi fatentur, purissimam, seu omnis labis expertem, Ecclesiam fuisse, Oratoria, Basilicæ, Sanctis una cum Christo regnantibus consecrata sunt.

Concilium Gangrense Can. 10. loquitur de Martyrum Basilicis, easque probat. Earum quoque Canone ultimo meminit Chalcedonensis Synodus. Patres Concilii Ephesini primi dicunt se convenisse *in sanctissima Ecclesia, quæ dicitur Maria*. Chalcedonenses Patres in actis Concilii dicuntur congregati *in Ecclesia sancta, ac triumphantis Martyris Euphemiæ*. Cyrillus Catechesi 16. meminit Ecclesiæ Apostolorum erectæ Jerosolymis in loco, ubi Spiritus sanctus in Apostolos descenderat. Athanasius in Epistola ad Solitarios nominat templum S. Quirini. S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in Julianum, scribit, Gallum & Julianum ædem sacram Mamæ Martyri ingentibus sumptibus erexisse. Chrysostomus hom. 28. ad populum Antiochenum hæc habet: *Ad veras, & regias Ecclesias dico, & oratorias ædes, & Martyrum templa*. Eusebius de vita Constantini lib. 4. cap. 58. scribit, templum elegantissimum a Constantino Sanctis Apostolis erectum fuisse Constantinopoli. Evagrius lib. 3. capite 8. templi S. Theclæ a Zenone extructi meminit.

Non in Oriente tantùm, sed etiam in Occidente mos, de quo agitur, obtinuit. S. Ambrosius lib. 1. Epist. 5. ad Felicem Episcopum Comensem, sic loquitur: *Ortus est sermo de Basilica, quam condidit, Apostolorum nomine dedicanda*. Sic etiam Hieronymus libro contra Vigilantium *Ingredere Basilicas martyrum*. Concilium Carthaginense quintum canone 14. vetuit, ne ædes ulli Martyri ædificentur, nisi ibi sit aut corpus, aut aliquæ ejus reliquiæ, aut eo in loco Martyr aliquandiu fuerit commoratus, aut martyrium passus fuerit. Tandem Patres omnes, qui ad hæc usque tempora a quarto sæculo vixerunt, ad exemplum eorum, qui præcesserant, probarunt usum de Basilicis, Oratoriis, Ædibus, Memoriis (ea enim nomina rem eandem significant) aut Martyribus, aut Sanctis Confessoribus consecrandis; ac proindè novatores sæculi decimi sexti, qui praxim illam insimulant idololatriæ, crimen illud impingunt Ecclesiæ, quam prioribus temporibus purissimam ac sanctissimam fuisse confiteri coguntur.

Quæres, utrum ædes, oratoria, memoriæ, basilicæ, quæ Sanctis olim nuncupata fuerunt, templa appellarentur?

Resp. Patres Græcos indiscriminatim loca, de quibus agitur, vocasse ædes, memorias, oratoria, basilicas, templa; ut videre est apud Basilium in Psalmum 114 Gregorium Nyssenū orat. in Theodorum, ubi multa dicit de templo, quod illi Martyri consecratū fuerat; Chrysostomum hom. 18. ad populum, ubi sic loquitur: *Ad veras regias Ecclesias dico, & oratorias ædes & Martyrum templa*; Theodoretum, qui lib 8. ad Græcos, scribit, templa olim idolorum, nunc Martyrum esse; Eusebium, qui libro 4. de vita Constantini, cap. 58. narrat, templum pulcherrimum Constantinopoli, non solùm Deo in honorem Apostolorum, sed ipsis Apostolis, a Constantino Magno extructum fuisse. E contra verò Latini passim templa a Basilicis distinxerunt: illa soli Deo consecranda esse docuerunt; oratoria verò, & basilicas Sanctis una cum Christo regnantibus: *Nos autem* (ait Augustinus lib. 12. de Civitate Dei, cap. 10.) *Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus*. Ratio, quæ Latinos movit, ut uterentur ea loquendi ratione, petitur ex eo, quod templum, altare, sacrificium, relativa esse crediderint: ac proinde, cum sacrificium soli Deo offerri possit, dixerunt, uni Deo, non autem hominibus, extrui debere templa. Ita ratiocinatur Augustinus libro 1. contra Maximinum, libro 8. da Civitate Dei cap. ult.

Verùm quamvis Latini Patres non eadem ratione qua Græci, locuti fuerint, idem tamen senserunt: nempe licet ædes Martyribus sacras propter rationem mox allatam, templa passim non appellaverint; sub diversa tamen ratione dixerunt, ædes illas esse, & ædes ipsis Martyribus erectas, & templa soli Deo consecrata, ædes quidem ad celebrandam Martyrum memoriam, templa verò ad offerendum Deo sacrificium: *Nec ibi* (ait Augustinus lib. 12. de Civitate Dei cap. 10.) *erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus; sed uni Deo, & Martyrum & nostro, sacrificium immolamus: ad quod sacrificium sicut homines Deo, qui mundum in ejus confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur: Deo quippè, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum, quia Deo sacerdos est, non illorum. Ipsum verò sacrificium corpus est Christi, quod non offertur ipsis, quia hæ sunt, & ipsi*. Itaque memoriæ Sanctis consecratæ, sunt & basilicæ, & templa sub diversa ratione; basilicæ quidem, in quantum Sanctis dedicantur, templa verò, in quantùm in ipsis basilicis DEO eriguntur altaria, in quibus illi soli, non autem Sanctis, sacrificium offertur. Confirmatur ex usu Ecclesiæ, quæ ubi martyres habuit, nullum unquam erexit altare, nisi supra Martyrum tumulos,

hoc

hoc est, supra thecas, in quibus Martyrum reliquiæ concluderentur; unde ædes Martyribus dicatæ, nihil aliud sunt, quàm ingentes tumuli, qui Martyribus consecrati fuerint. Ii verò tumuli nonnunquam Ecclesiæ vocati sunt, eò quòd ad eas, ut Martyres colerentur, populi fideles congregarentur. Hinc evanescunt argutiæ hæreticorum, qui Catholicos idololatriæ insimulant, quod Sanctis basilicas consecrent, in quibus cum uni Dei sacrificium offerrebatur, sub diverso respectu templa vocantur.

CONCLUSIO 5. Sanctis, nec ipsi etiam Virgini Deiparæ, vota, propriè loquendo, nuncupari possunt; sed impropriè tantùm.

Probatur prior pars. Votum strictè ac propriè sumptum (ex S. Thoma 3. p. quæst. 25. art. 3.) est promissio facta Deo tanquam primo principio & bonorum omnium auctori: atqui votum sic sumptum, soli Deo nuncupari potest; sic enim acceptum, est, ex eodem S. Thoma, latriæ cultus: ergo, &c.

Probatur altera conclusionis pars. Votum latè & impropriè sumptum, est promissio facta de bono aliquo, in signum gratitudinis ob acceptum aut accipiendum beneficium; atqui sic acceptum; Sanctis una cum Christo regnantibus nuncupari potest; neque enim minùs fieri potest Sanctis cum Christo regnantibus, quam iis, qui adhuc in terris degunt; ac proinde, cum sic acceptum fieri possit Sanctis adhuc in terra degentibus, nihil vetat, quin Sanctis cum Christo regnantibus nuncupetur.

Confirmatur argumentum ex veteribus Scriptoribus Ecclesiasticis, qui votum latè sumptum, Sanctis Martyribus nuncupari dixerunt: *Nos* (inquit Eusebius lib. 13. præparationis Evangelicæ cap. 7.) *qui veræ pietatis milites, ut Dei amicos honorantes, ad monumenta illorum Martyrum accedimus, votaque illis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum juvari profitemur*. Ubi Theodoretus lib. 8. ad Grecos diait, varia a Martyribus peti, sic loquitur: *Piè fideliterque precatos, ea maximè consequi, quæ desiderant, testantur illa, quæ votorum rei persolvunt: nam alii quidem oculorum, alii pedum, alii manuum simulacra suspendunt, ex argento, aurove confecta*. Gregorius Turonensis lib. 2. historiæ Francorum, meminit voti, quod Regis Clodovei nomine, regii ministri Sancto Martino nuncuparunt: *Domino* (ait) *gratias agentes, & vota beato Confessori promittentes, læti nuntiaverunt Regi*, &c. Ex his colligitur, quam immeritò sæculi decimi sexti novatores, Catholicos arguerint, quòd vota latè sumpta, hoc est, pro promissione in genere, Sanctis una cum Christo regnantibus nuncupare soleant.

Solvuntur argumenta, quæ contra Sanctorum cultum, festa, basilicas, vota, ab heterodoxis objiciuntur.

Nota. Quæ contra Catholicos adversus Sanctorum cultum, festa, basilicas, vota, ab heterodoxis objiciuntur, reducuntur ad quædam Scripturæ loca, nonnullos Patrum textus, aliquas Theologicas rationes: ut igitur ea solvamus, par est, ut sigillatim ea capita recenseamus.

Objicies 1. ex Scriptura. Actorum cap 10. hæc leguntur: *Cornelius accedens ad ejus* (Petri) *pedes, adoravit. Petrus verè erexit eum, dicens, Surge, & ipse homo sum*. Haud dubiè Cornelius, cum, ex Scriptura, vir esset religiosus ac timens Deum, adoratione, quam impendit Petro, noluit ei latriæ cultum exhibere, sed solum duliæ cultum, seu religiosum, qui, ex auctoribus Communionis Romanæ, Sanctis exhibetur; atqui tamen Petrus cultum illum improbavit, prohibuitque Cornelio, ne eum sibi deferret, ratus, eo cultu idololatriam committi: hoc enim significant Petri verba: *Surge, & ego homo sum*; quasi dixisset, Cultus ille Deo, non autem homini, ut sum ego, exhiberi debet: ergo, &c.

Angelus, qui Joanni futura revelarat, eadem se ratione gessit erga Joannem, qua Petrus antea se gesserat erga Cornelium: *Procidi* (ait Joannes Apocalyps. 19.) *ad pedes ejus* (Angeli:) *sed dixit mihi, Vide ne feceris: conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu: Deum adora*. Certo certius est, Joannem habuisse Angelum illum pro creatura; ac proindè verisimile non est, quod ei latriæ cultum exhibere voluerit, sed duliæ tantùm, qui creaturis ob virtutem supernaturalem, qua eminent, exhibetur: & tamen Angelus cultum illum sibi exhiberi noluit, sed soli Deo: *Deum* (inquit) *adora*.

Actorum cap. 14. Paulus & Barnabas prohibuerunt cultum sibi in Licaonia exhibitum: *Quod cum audissent Apostoli Barnabas & Paulus, disruptis palliis suis, insiluerunt in turbam, clamantes, ac dicentes: Viri, cur ista facitis? nos quoque sumus homines vestri, quibus vos, affectionibus obnoxii*: ergo Scriptura damnat cultum religiosum, qui Sanctis exhibetur.

Resp. ad primum textum ex Actis desumptum, & ad secundum, qui ex Apocalypsi petitur, fatendo, Cornelium Petro, & Joannem Angelo unum duliæ cultum, non autem latriæ, exhibere voluisse; sed negamus cultum illum, sive Petrum, sive Angelum, improbasse. Cum autem urgent adversarii, cur igitur, sive Petrus, sive Angelus cultum illum sibi exhiberi noluerint? respondemus, id actum ab eis solius humilitatis & modestiæ causa, ea ferme ratione, qua viris, a quibus exteriùs colimur, dicere solemus, ut cooperiant caput, & ne coram nobis procumbant, aut sicut Rex, qui in genua procumbenti, ut beneficium aut veniam ab eo obtineat, dicit: *Surge*; unde cum ea agendi ratione non censeatur Rex externum honoris signum, a subdito exhibitum, damnare: ita nec illud Petrus in Cornelio, aut Angelus in Joanne damnarunt, tanquam sibi non debitum, & a fortiori tanquam idololatricum.

Confirmatur responsio ex Sancto Joanne Chrysostomo, qui priorem locum ex actis desumptum exponit de rejectione cultus præ modestia & humilitate; sic enim loquitur hom. 28. in caput 10. Actorum: *Hoc faciens* (Cornelius) *humilitatem suam ostendit, & alios docuit, Deoque gratias agit ac declarat, quòd licèt jussus sit, tamen & per se multam habeat promptitudinem. Quid igitur Petrus? Surge, nam & ego homo sum. Vide, quomodo præ aliis illos doceat, nihil de se magnum sentire*. Eadem ratione textum illum interpretatur Gregorius Magnus libro 21. Moralium, cap. 10.

Instabis. Hieronymus libro contra Vigilantium, cap. 3. scribit, & Cornelium & Joannem voluisse externo signo, de quo Scriptura loquitur, Petro & Angelo latriæ cultum exhibere: ergo nullum alium cultum religiosum agnovit sanctis exhibendum. Probatur ant. ipsius Hieronymi verbis, quæ sic habent: *Nam Paulus & Barnabas, cum a Lycaonibus Jupiter & Mercurius putarentur, se homines esse dixerunt, quod sub gentilitatis errore honor eis Deo debitus deferretur. Quod & de Petro legimus, qui Cornelium, se adorare cupientem, manu sublevavit, & dixit: Surge; nam & ego homo sum*. Augustinus libro de vera religione, cap. 55. sic etiam de altero textu ex Apocalypsi petito loquitur: *Rectè itaque scribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne se adoraret, sed unum Deum, sub quo ei esset & ille conservus*.

Resp. 1. concessa utraque antecedentis parte, seu & Hironymum & Augustinum textus, de quibus agitur explicasse de cultu latriæ, neg. consequent. hoc est, neg. Hieronymum & Augustinum non alium religiosum, quam latriæ cultum agnovisse; scilicet variis in locis

alium,

alium, qui latria minor sit, quemque duliæ cultum vocamus, agnoverunt. Nam 1. docuerunt (ut superius ostensum est) piè sanctos invocari. 2. Asseruerunt, festa religiosè institui in eorum honorem. 3. Scripserunt, viventes eum laude eis basilicas consecrare; sed hæc non sunt cultus civilis, cum (ut observatum est) ab ipsis Imperatoribus exhibeatur mortuis, qui in infima plebe vixerunt; unde Chrysostom. hom. 66. ad populum, scribit, Constantinum, qui ad limen basilicæ, quam Apostolis vivens consecrarat, sepultus est, post mortem factum fuisse piscatoris janitorem. 4. Laudati Doctores cultum religiosum, qui Sanctis defertur, expresse distinguunt a cultu latriæ, qui soli Deo exhiberi potest. Hieronymus in libro contra Vigilantium totus est in ea distinctione assignanda: cùm enim Vigilantius Catholicos, quòd colerent Martyrum reliquias, idololatriæ (quod & nunc Protestantes faciunt) hisce verbis insimularet: *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in Ecclesia*, Hieronymus non respondet, honorem a Catholicis exhibitum reliquiis Martyrum, esse cultum merè civilem; sed fatendo cultum esse religiosum, hoc est, a virtute religionis imperatum, unum idololatriæ crimen sic depellit: *Quis enim, insanum caput, aliquando Martyres adoravit?* Augustinus eadem ratione loquitur in libris de Civitate Dei, ubi de Stephani Protomartyris reliquiis loquitur.

Resp. 2. nec Hieronymum, nec Augustinum ex professo locis laudatis tractare textus, qui ex Actis objecti sunt: unde cùm asseruerunt, adorationem tum a Cornelio, tum a Joanne exhibitam intelligi de adoratione latriæ, se gesserunt Scriptorum more, qui de argumento aliquo tractantes ad illud reducunt ea omnia, quæ aliquam argumenti speciem referunt: unde mirum non est, quòd cùm ostendere vellent, latriæ adorationem soli Deo exibendam esse, in thesis illius confirmationem protulerint tum Petri, tum Angeli factû, qui vetuerunt ne sibi aut a Cornelio, aut a Joanne adoratio deferretur.

Jam verò, quod spectat ad locum desumptum ex Actorum capite 14. respondemus, illum de sola latriæ adoratione intelligi posse; ac proindè mirum non est, quòd Apostoli Barnabas & Paulus tam solicitè caverint, ne sibi a Lycaonibus deferretur. *Apparuit hoc* (inquit Augustinus libro 20. contra Faustum, cap. 21.) *in Paulo & Barnaba, cum commoti miraculis, quæ per eos facta sunt, Lycaonici tanquam Diis immolare voluerunt.*

Objicies 1. Cultus, qui Sanctis defertur, est religiosa servitus erga creaturas: atqui religiosa servitus erga creaturas prohibetur Deuteronomii 4. *Dominum tuum adorabis, & illi soli servies*: ergo & cultus, qui Sanctis defertur.

Resp 1. quòd si omnis religiosa servitus eo Decalogi præcepto prohibeatur (ut volunt Protestantes) sequitur gravissimum absurdum, quod ne ipsi quidem admittent; nimirùm viros sua doctrina & pietate optime meritos, nullo religioso cultu colendos esse. Resp. 2. dist. maj. Cultus, qui Sanctis defertur, est religiosa servitus minor servitute latriæ, conc. maj non minor cultu latriæ neg. maj. De ista, non autem de illa intelligenda sunt hæc Decalogi verba: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: ita enim ea interpretantur Sancti Patres, inter quos sic loquitur Augustinus epistola 66. veteris editionis: *Docere non differas, unum scilicet Deum esse solum, cui servitus illa debetur, quæ latria Græco vocabulo nuncupatur: ipsum enim verbum est in Lege, ubi scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies; quem si Deum Patrem tantummodò dixerimus, respondebitur: ergo latria filio non debetur: quod nefas est dicere. Si autem debetur, quomodo ergo uni tantum debetur Deo, si & Patri & Filio debetur, nisi quia unus Deus, uni soli per latriam servire jussi sumus? ita dicitur solus, ut & Pater intelligatur & Filius, imò verò etiam Spiritus sanctus.* Eundem sensum Sanctus Doctor tribuit verbis, de quibus agitur, libro 1. de Trinitate, capite 6. *Idololatra* (ait) *dicuntur, qui simulacris eam servitutem exhibent, quæ debetur Deo: secundum enim hanc servitutem dictum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

Objicies 3. Idololatria est, templum creaturis consecrare, dicente Augustino libro 1. contra Maximinum Arianum: *Si Angelo faceremus templum, anathematizaremur à veritate Christi & Ecclesia Dei.* Idololatria est pariter creaturis aram erigere, eodem Augustino teste Serm. 6. in Evangelium Matthæi: *Ara est, quæ testatur homini, pro nomine cujus erigitur*: atqui Sancti una cum Christo in cœlis regnantes, sunt creaturæ: ergo idololatria est, Sanctis templa consecrare, erigere altaria; quod tamen fit in Romana communione.

Resp. 1. concessa majore, neg. min. Neque enim in communione Romana Sanctis aut templa consecrantur, aut eriguntur altaria: sed consecrantur ædes, quæ propriè vocantur, *Oratoria*, eò quòd ad eas fideles orationis causa confluant; vocantur quoque *Basilicæ*, quia in iis reconduntur Martyrum & aliorum Sanctorum reliquiæ; unde etiam passim dicuntur *Memoria*, *Martyria*: vocantur denique, *Ecclesiæ*, eò quòd ad eas populus fidelis conveniat ad audiendum verbum Dei, & ut Sacramentis pascatur.

Resp. 2. dist. maj. Idololatria est templum creaturis consecrare in ordine ad sacrificium, conc. maj. uni nimirùm Deo debetur sacrificium: in ordine ad opus aliud a sacrificio, neg. maj. De templo secundum priorem sensum accepto loquitur Augustinus, non autem de templo sumpto secundum posteriorem sensum: unde ipsemet Sanctus Doctor multis in locis asserit Memorias, Martyria, Oratoria, Basilicas Sanctis consecrari: *Sed hoc* (inquit lib. 8. de Civitate Dei, capite 26.) *videtur dolere, quòd memoria Martyrum nostrorum templis eorum delubrisque succederent.*

Instabis. Scriptores communionis Romanæ ædes sacras, quæ Martyribus consecrantur, passim templa vocant: ergo revera Sanctis exhibent latriæ cultum.

Resp. 1. Scriptores illos impropriè loqui; in hoc tamen imitantur plures Patres Græcos quorum textus superius a nobis relati sunt. Resp. 2. disting. ant. Ædes Martyribus consecratas vocant templa, prout in eis Deo offertur sacrificium, conc. ant. prout Sanctis consecrantur, neg. ant. Eædem ædes sub diverso respectu & Basilicæ & Templa vocantur; Basilicæ quidem, quatenus recondunt Sanctorum reliquias; Templa verò, quatenus illæ Basilicæ, quæ (ut superius jam observatum est) non aliud sunt, quam Sanctorum sepulchra, inserviunt sacrificio, quod in eis, non Sanctis, sed uni Deo offertur: obtinuit nimirum ab ipsis Ecclesiæ Christianæ incunabulis, ut supra sepulchra Martyrum, quæ & nunc, quòd breviora sint, altaria dicuntur, soli supremo rerum omnium Domino sacrificium offerretur. Vide, quæ superius ex Hieronymo & Augustino de illo usu dicta sunt.

Objicies 4. Voti nuncupatio est latriæ cultus: votum enim definitur in Scripturis, & sumitur tanquam, pro promissione soli Deo facta: atqui in Ecclesia Romana vota Sanctis nuncupantur; nempè (Cajetano teste in 3. part. Sancti Thomæ quæst. 25. art. 3.) sic apud Fratres Prædicatores emittitur professio religiosa: *Voveo Deo, B. Mariæ, & omnibus Sanctis, me prælato meo fore obedientem*: ergo in Ecclesia Romana latriæ cultus Sanctis exhibetur.

Resp. disting. majorem. Voti strictè sumpti nuncupatio, est latriæ cultus, conc. maj. voti latè sumpti neg. maj. Votum enim latè sumptum est quælibet promissio, abstrahendo an DEO, an verò creaturæ fiat. Votum hac ultima ratione sumptum nuncupatur

Sanctis,

Sanctis, non autem priore ratione sumptum; ac proinde votum Sanctis nuncupatum, non est latriæ cultus: alioquin enim quælibet promissio in rebus, quæ ad religionem spectant, facta præpositis Ecclesiasticis, esset latriæ cultus; quod ne ipsi quidem Protestantes admissuri sunt.

Instabis. Votum accipi tantum debet eo sensu, quo in Scripturis reperitur; atqui in Scripturis sumitur tantùm pro promissione soli Deo facta: ergo immeritò detorquetur ad promissionem creaturis factam.

Resp. 1. illud argumentum ipsos etiam antiquos, & doctissimos Patres impetere: scilicet antiqui, & doctissimi Patres voti nomen (ut superius ostensum est) ad promissiones, quæ creaturis fiunt, extendere. Resp. 2. neg. ant. cum enim voces ex hominum instituto, non autem ex natura sua, sint significativæ, possunt pro vario usu & recepta consuetudine, modò unum, modo verò aliud significare. Vide, quæ ad probationem quartæ conclusionis dicta sunt.

CAPUT III.

De Adoratione reliquiarum.

Not. 1. ADorationis nomine hìc idem intelligimus, quod capite præcedente intelleximus, agentes de Sanctorum adoratione; hoc est, intelligimus cultum religiosum, seu à virtute religionis imperatum, qui minor sit latriæ cultu.

Not. 2. Reliquiarum cultum, etiam latria minorem quarto Ecclesiæ sæculo damnavit Vigilantius, ut patet ex libro, quem ea de causa contra eum scripsit. Nonnulli VVicleffo post Thomam VValdensem Tomo III. titul. 14. eandem sententiam tribuunt: sed cùm nullum illius vestigium reperiatur in articulis, quos Concilium Constantiense ex VVicleffi operibus desumpsit, proscripsitque, satius est asserere, eam non fuisse VVicleffi doctrinam. Lutherus Vigilantium secutus est; Luthero Calvinus adhæsit libro de reformandæ Ecclesiæ necessitate & in admonitione de reliquiis. De reliquiis hæc habet Helvetica confessio, art. 5. *Multò verò minus credimus, reliquias divorum adorandas esse aut colendas.* Sic etiam de iis loquitur Anglicana confessio posterior: *Doctrina Romanensium in veneratione, & adoratione reliquiarum, res futilis est, inaniter conficta.* Ecclesia Catholica de reliquiis docet 1. a fidelibus venerandas esse: *Sanctorum quoque Martyrum & aliorum cum Christo viventium* (ait Concilium Tridentinum sess. 25.) *sancta corpora, quæ viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, & glorificanda, à fidelibus veneranda esse*: docet 2. per eas Deum multa beneficia largiri: *Per quæ* (prosequitur eadem Synodus) *multa beneficia à Deo hominibus præstantur*: docet 3. contrarium asserentes damnari debere: *Ita ut affirmantes, Sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari: atque eorum opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustra frequentari; omninò damnandos esse, prout jam pridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Ecclesia.*

Not. 3. Quæ ad cultum reliquiis exhibendum pertinent, reducemus, methodi causa, ad subsequentes difficultates: quæremus nimirum 1. utrum sit aliquod præceptum, quo prohibeatur reliquiarum cultus; 2. an sit mandatum, quo præcipiatur; 3. utrum cultus ille sit pius & utilis; 4. an rectè supra reliquiarum tumulos, seu thecas, Deo sacrificium offeratur: 5. denique utrum sine superstitione in publicis supplicationibus deferri possint.

CONCLUSIO 1. Nullum est omninò præceptum, quo prohibeatur reliquiarum cultus.

Probatur. Præceptum illud nec in Scriptura, nec in decretis Ecclesiasticis reperitur: ergo nullum est præceptum, quo reliquiarum cultus prohibeatur.

CONCLUSIO 2. Nullum est speciale mandatum, quo præcipiatur reliquiarum cultus.

Probatur. Nullibi extat præceptum hujusmodi: De reliquiis in Concilio Tridentino definitur quidem, *venerationem & honorem eis deberi; non inutiliter eas honorari*; sed nullum speciale præceptum statuitur, quo singulis fidelibus positivus earum cultus præcipiatur. Ita ratiocinantur Coepiscopi de VVadenburg, de unitate Ecclesiæ lib. 12. titul. de reliquiarum cultu.

CONCLUSIO 3. Pius est ac utilis reliquiarum cultus.

Probatur. Ille cultus pius est, ac utilis, qui laudatur in Scripturis, qui quovis sæculo exhibitus est ab Ecclesia: atqui reliquiarum cultus laudatur in Scripturis, & quovis sæculo exhibitus est ab Ecclesia: ergo, &c. Minor propositio sic per partes ostenditur.

Primò, Cultum reliquiarum in Scripturis laudari, quæ hic subjiciuntur, momenta demonstrant. Judæi, & quidem cùm nusquam id Scriptura redarguat, tabernaculum, arcam, & quæ in illa concludebantur, religioso cultu prosequebantur: ex illo cultu Hieronymus, Epistola ad Marcellam, argumentum sumit, quo illam hortetur, ut in Palæstinam commigret, ubi Christi Domini sepulchrum venerari poterit: *Venerabantur* (inquit) *quondam Judæi Sancta sanctorum, quia ibi erant Cherubim & Propitiatorium, & Arca Testamenti, Manna, virga Aaron, & Altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini: quod quotiescumque ingredimur, toties jacere in Sindone cernimus Salvatorem.*

Elisæus lib. 4. Regum, capite 2. Eliæ pallio aquas percussit, divisæque sunt: at uti pallio ad miraculum patrandum, nonne est Eliæ pallio cultum exhibere? Eodem libro, cap. 23. cum in Elisæi sepulcrum projectum esset cadaver, revixit homo, & stetit erectus in pedes; igitur honoratum fuit, & quidem cultu religioso, Elisæi corpus mortuum. *Si ossa mortuorum* (inquit Hieronymus in Epistola ad Marcellam) *polluunt contingentes*, & quidem religioso cultu; de illo enim erat quæstio adversùs Vigilantium) *quomodo Elisæus mortuus mortuum suscitavit, & vitam dedit corpori, quod juxta Vigilantium, jacebat immundum?* Moyses ex Ægypto discendens, ossa Josephi Patriarchæ secum transtulit, non humano affectu, sed religiosa pietate: si enim viventium corpora propter sanctitatem, quæ redundat ex anima, religiosè colimus; cur Moyses ea cultus specie, viri sanctissimi cineres prosecutus non est?

Actorum capite 19. hæc leguntur: *Virtutes non quaslibet faciebat Deus per manus Pauli: ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur*, qui Pauli sudaria, & illius semicinctia ægrotis applicabant, ea haud dubiè honore religioso prosequebantur. Matth. 9. mulier hemoroissa speravit, se ex contactu fimbriæ Christi consecuturam esse sanitatem, & reipsa consecuta est; eam igitur fimbriam tanquam rem sacram, & quidem probante Christo, venerata est: ergo piè, & religiosè eadem Christi vestis coli posset, si jam foret præsens.

Secundò, Eundem reliquiarum cultum probarunt Patres, qui ab orbe Christiano condito ad hæc usque tempora scripserunt. Anno Christi 163. Polycarpus Smyrnæ martyrio coronatus est. Judæi Proconsuli suaserunt, ut illius ossa concremarent, *Ne forte* (verba sunt Epistolæ Smyrnensis Ecclesiæ, de morte Polycarpi, apud Eusebium, hist. Ecclesiast. lib. 4. cap. 15.) *ut ajebant, relicto crucifixo, hunc deinceps Christiani colere inciperent.* Judæis igitur persuasum erat, secundi sæculi Christianos cultum religiosum exhibere Martyrum

reli-

reliquiis: nec id tantum rem sibi falsò impositam Christiani negabant; scilicet sic eadem Smyrnensis Ecclesia prosequitur: *Stulti, qui ignorarent nos nec Christum unquam posse relinquere, nec alium quemquam* (latriæ cultu) *colere. Illum enim utpotè filium Dei adoramus: Martyres vere tanquam discipulos & imitatores Domini merito amore prosequimur, ob eximiam benevolentiam, quam erga Regem & Magistrum suum declararunt.* Addit eadem Ecclesia, se tandem collegisse Martyris ossa, opportuno tempore, die festo, publicè colenda: *Atque ita nos demum ossa illius gemmis pretiosissimis chariora colligentes, ubi decebat condidimus: quo etiam in loco nobis, si fieri poterit, convenientibus, concedet Deus Natalem ejus Martyris diem cum hilaritate & gaudio celebrare, &* (ut ante dixeram) *sacro illius cadaveri communicare.*

Idem Eusebius hist. lib. 7. cap. 19. sic loquitur de cultu, quo Christiani prosequebantur cathedram Jacobi, primi Jerosolymorum Episcopi, loquitur: *Jacobi cathedram ..... ad nostra usque tempora conservatam, fratres illius Ecclesiæ, jam inde a majoribus, magna prosequuntur reverentia.*

Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 18. Catechumenos docet Ecclesiæ de honorandis Martyrum reliquiis praxim. Basilius hom. in Psalm. 115. scribit, ea praxi Ecclesiam Christianam multum a Judaica discrepare: *Si quis* (verba sunt quibus legis antiquæ prohibitio continetur) *attigerit cadaver, immundus erit. Nunc è diverso Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, fit quadantenus sanctificationis particeps.* Gregorius Nyssenus Oratione in Theodorum Martyrem hæc scribit de illius reliquiis: *Nam ipsas attingere reliquias, quàm optabile sit, norunt quicumque sunt experti. Hi enim tanquam vivum ipsum corpus & florens videntes, osculantur, & ad oculos, ad os, ad aures, ad omnes sensus admovent. Deinde Martyri, quasi integer esset ac præsens, supplicant, ut pro ipsis intercedat.* Verba illa Protestantes, si possunt, in cultum merè civilem & humanum detorqueant.

Eandem de colendis Martyrum cineribus Ecclesiæ consuetudinem refert Chrysostomus in Oratione de S. Ignatio, in qua describit, quo cultu, qua reverentia, illius reliquias Roma Antiochiam translatas, fideles prosecuti sint. Hieronymus eandem Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem ex professo tuetur adversus Vigilantium, qui quarto sæculo in eam insurrexerat; sicque ex recepto ubique usu contra illum hæreticum argumentatur: *Male ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri & Pauli, secundum nos, ossa veneranda, secundum te, vilem pulvisculum, offert Domino sacrificium, & tumulos eorum, Christi arbitratur altaria. Et non solum unius urbis, sed etiam totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas Martyrum.* Ambrosius Epist. 53. refert, se, Deo revelante, reperisse Mediolani SS. Gervasii & Protasii corpora. Augustinus libro 9. Confess. capite 7. narrat miracula, quæ in translatione S. Gervasii & Protasii, Mediolani patrata sunt, quorumve scribit, se oculatum fuisse testem. Libro 9. de Civitate Dei, cap. 8. multis prosequitur, & ea, quæ in Africa in inventione reliquiarum Stephani Protomartyris edita sunt, quæve ipse oculis conspexit.

Concilium Carthaginense quintum, Canone IV. vetat, ne altaria absque Martyrum reliquiis extruantur. Tum Iconomachi, tum Nicæna II. Synodus generalis VII. conveniebant, Martyrum reliquiis cultum impendendum esse. Quæ sequentibus sæculis habita sunt Concilia, eundem morem probarunt, ut videre est in Braccarensi III. Lateranensi IV. & tandem Tridentino, sessione xxv.

Ex monumentis, quæ hucusque prolata sunt, sic conficitur argumentum: Ea praxis est traditionis Apostolicæ, quæ semper & ubique fuit in usu: atqui ejusmodi est praxis de colendis, & quidem religioso cultu, Sanctorum reliquiis: ergo traditionis est Apostolicæ; ac proinde pia est, utilis, ac sancta; tantùm abest, ut sit (ut volunt Heterodoxi) superstitio vana, aut quæ idololatriam sapiat.

Objicies 1. Deus noluit Judæos Moysis corpus colere; ideò enim occultum voluit esse illius sepulchrum: ergo pariter non vult a Christianis coli Martyrum, aliorumque hominum cadavera. 2. Paulus secundæ ad Corinth. 5. scribit, se post resurrectionem Christum non nosse secundum carnem: *Si* (inquit) *novimus secundum carnem*, dum in humanis esset, *jam non novimus*. 3. Si Christiani tribus prioribus sæculis coluissent Martyrum reliquias, gentiles inde sumpsissent argumentum in defensionem cultus, quem quibusdam hominibus mortuis deferebant: ergo, &c.

Resp. ad 1. quod si Judæi novissent, ubinam extaret Moysis corpus, illud latriæ cultu adoraturi fuissent; ad quod quidem periculum avertendum Deus sanctissimi legislatoris corpus occultari voluit. Nec obest, quod viventem Moysem eo cultu non adoraverint: ipse enim viva voce prædicabant, edita a se miracula unius Dei virtute fieri: cessante verò admonitione hujusmodi, facè in illius idololatriam ruissent, quemadmodum ruerunt posteà in serpentem æneum, cujus aspectu sanati fuerant, quique ob id (ut habetur libro 4. Regum, cap. 18.) ab Ezechia rege confractus est. Vide Chrysostomum hom. 5. in Matthæum. Vide etiam Canonicam Judæ Epistolam, ubi de Moysis corpore, Michaelis cum dæmone altercatio refertur.

Resp. ad 2. laudata ex Apostolo verba intelligi de carne Christi, non absolutè quidem, sed secundum passibilitatem & mortalitatem: ita ut sensus sit, Apostolum, qui credebat Christi carnem ante mortem fuisse passibilem, eam post resurrectionem, passibilem non credidisse. Quod autem noluerit, carnem Christi, etiam post resurrectionem, tradi omnimodè oblivioni (ut fingit Calvinus) demonstratur ex eo, quod illius memoria plurimum ad alendam pietatem conferat: unde Christus ipse (Apostolo teste) jussit, ut eam in Eucharistiæ perceptione præ oculis haberemus: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

Resp. ad tertium 1. Judæis (ut patet ex Epistola Ecclesiæ Smyrnensis de Policarpi morte) cognitam fuisse praxim, de qua agitur: unde eam Christianis crimini vertebant. 2. Nota quoque fuit pluribus Ethnicis, qui ne Christiani possent Martyrum ossa post mortem colere, enisè petebant a Proconsulibus, ut Martyrum corpora cremarent, eorumque cineres in profluentem dejicerent. 3. Christiani cavebant, ne Christianæ religionis mysteria gentilibus panderentur; ne scilicet ex iis malè intellectis, arriperent occasionem eos (ut consueverant) superstitionis insimulandi. 4. Longè distabat ea praxis a gentilium praxi; isti enim adorationem latriæ hominibus mortuis deferebant, eorumque spiritus mortuorum sepulcra circuire fingebant; illi è contra, Martyrum, quorum spiritus jam in cœlis regnarent, reliquiis religiosum quidem cultum, sed latria longe minorem, exhibebant.

CONCLUSIO 4. Reliquiæ Martyrum & aliorum Sanctorum una cum Christo in cœlis regnantium, licitè, piè & religiosè deferuntur in publicis supplicationibus, exponuntur fidelium conspectui, reconduntur in altaribus, supra, quæ offertur tremendum Missæ sacrificium, admoventur ægrotis, ut sanitati restituantur.

Probatur. Ex iis, quæ ad probationem tertiæ conclusionis dicta sunt, patet, Sanctorum reliquias piè ac religiosè coli; sed quæ piè ac religiosè coluntur, piè quo-

quoque, utiliter, ac religiosè efferuntur in publicis supplicationibus, exponuntur fidelium conspectui, admoventur ægrotis, recluduntur in altaribus; ea enim omnia nihil aliud sunt, quam diversi modi exhibendi cultum religiosum, qui, ut supponitur, rebus sacris deferri debet: ergo, &c.

Probatur iterum ex antiqua fidelium praxi. 1. Solennes reliquiarum translationes nihil aliud sunt, quam supplicationes publicæ: atqui solennes illæ translationes multis abhinc sæculis sunt in usu; ea nimirum ratione reliquiæ S. Samuelis de Judæa in Traciam quarto sæculo translatæ sunt. *Sacrilegus* (ait Hieronymus libro contra Vigilantium) *& nunc dicendus Augustus Arcadius, qui ossa B. Samuelis longo post tempore Judæa transtulit in Thraciam? omnes Episcopi non solum sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico & vase aureo portaverunt? Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt Sanctis reliquiis, & tanta lætitia, quasi præsentem, viventemque Prophetam cernerent, susceperunt; ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & Christi laudes una voce resonarent?* Ambrosius (ut patet ex illius Epistolis 53. 55) solemniter transtulit reliquias Sanctorum Gervasii, Protasii, Nazarii, Celsi, Vitalis, Agricolæ, aliorumque plurium Martyrum. 2. Fideles, Gregorii Nysseni temporibus, suis oculis, aliisque membris laborantibus, eorumdem Martyrum reliquias ad recuperandam sanitatem admovebant, ut patet ex S. Doctoris Oratione in S. Theodorum, & ex Augustini de Civitate Dei libris, ubi describit miracula, quæ in inventione Stephani Protomartyris patrata sunt. 3. Eædem reliquiæ, recepto ubique usu, thecis inclusæ, altare erant, in quo tremendum Missæ sacrificium offerebatur: *Male ergo facit Romanus Episcopus* (verba sunt Hieronymi contra Vigilantium scribentis) *qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli offert Domino sacrificium, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria?*

CAPUT IV.

De Imaginum adoratione.

Not. UT argumentum ad Imagines spectans cum methodo pertractetur, quærendum est 1. an Deus in antiqua lege prohibuerit, omnes prorsus imagines aut pingere, aut sculpere: 2. an in novo Testamento licitum sit imagines pingere, aut statuas sculpere, quæ Trinitatem, Angelos, Christum, Sanctos repræsentent: 3. utrum imagines, sive pictæ, sive sculptæ, in templis collocari debeant: 4. an sacris imaginibus cultus aliquis exhibendus sit: 5. denique cujus naturæ sit cultus ille, qui sacris imaginibus debetur.

ARTICULUS I.

An Deus in antiqua lege omnes prorsus imagines aut pingere, aut sculpere prohibuerit.

Not. 1. CIrca propositam quæstionem multiplex est Theologorum, etiam Catholicorum, sententia. *Prior*, quæ est venerabilis Bedæ in libro de templo Salomonis, capite 19. Burgensis in secunda additione ad Lyranum in illud Exodi vigesimo, *Non facies tibi sculptile*, Cajetani in eundem Exodi locum, Sanderi lib. 1. de imaginibus, cap. 7. Alphonsi de Castro contra hæreses, verbo *Imago*, Pamelii in annotationibus ad secundum librum Tertulliani contra Marcionem numero 104. Prior (inquam) docet, Deum in antiqua lege non prohibuisse omnem prorsus imaginum usum, sed earum dumtaxat, quæ ad falsum aliquod numen repræsentandum fierent, quæque, proprie loquendo, idola nuncupantur.

Altera sententia contendit, prohibitam fuisse Dei, etiam veri, imaginem aut pingere aut sculpere, non autem rerum aliarum, quæ ad adorationem latriæ non effingerentur: ita S. Thomas sensisse videtur 3 p. quæst. 25. art. 3. ad 1. ubi sic loquitur: *Ad primum ergo dicendum, quod non prohibetur illo præcepto facere quamcumque sculpturam, vel similitudinem, sed facere ad adorandum; unde subdit: Non adorabis ea, neque coles. Et quia idem est motus in imaginem & in rem, eo modo prohibetur adoratio imaginis, quo prohibetur adoratio rei, cujus est imago. Unde ibi intelligitur prohiberi adoratio imaginum, quas gentiles faciebant in venerationem deorum suorum, id est dæmonum: Et ideo præmittitur: Non habebis Deos alienos coram me. Ipsi autem vero Deo, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni; quia (ut Damascenus dicit) insipientia summæ est & impietatis figurare quod est divinum. Sed quia in novo Testamento Deus factus est homo, potest in sua imagine corporali* (hoc est, in humanitate Christi, de cujus adoratione loquitur S. Doctor) *adorari*. Illi secundæ opinioni subscribunt Alensis 3. part. quæst. 30. membro 3. art. 3. §. 1. Albertus in 3. dist. 9. art. 4. Bonaventura artic. 1. quæst. 2. ad 1. & plures alii.

Tertia sententia asserit, Judæis non solùm Gentilium adorationem, non solùm Dei veri picturam, aut sculpturam, prohibitam fuisse; sed etiam cujuslibet alterius rei, sive spiritualis, sive corporalis, imaginem, non quidem jure naturali, sed positivo & ceremoniali præcepto, vetitam fuisse. Ita sentiunt Paludanus quæst. 1. art. 2. Catharinus in opusculo de adoratione imaginum, Dominicus Soto libro 2. de Justitia, quæstione 4. art. 2.

Quarta demum opinio affirmat, prohibitum fuisse usum earum tantum imaginum, quæ per se starent, hoc est, quæ non essent aliarum velut appendix, & ornamentum; non autem earum, quæ per se non starent, seu quæ loco essent appendicis & ornatus. Ita ex Judæis docet Rabbi Moyses capite 3. de idolatria. Illi opinioni plures inter Catholicos adhærent, & inprimis Vasquez in 3. partem S. Thomæ, quæstione 25. art. 3. disputat. 104.

CONCLUSIO 1. Quæcumque Dei veri imago, aut sculptura, positivo, ac ceremoniali præcepto in antiqua lege prohibita fuit.

Probatur Deuteronomii cap. 4. sic Moyses populum alloquitur: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, similitudinem omnium, quæ sunt super terram.* Ex iis autem verbis patet 1. Deum se aut Moysi, aut populo, sub aliqua figura non ostendisse; patet 2. Deum prohibuisse, ne fieret imago, in qua ipse deinceps adoraretur; ideò enim, Scriptura teste, Deus sub aliqua figura non apparuit, ne alia, ad illius exemplar, effingeretur: ergo Dei sive imago, sive sculptura in antiqua lege divinitùs prohibita fuit. Idem etiam apertè probat locus, qui superius ex S. Thoma relatus est.

CONCLUSIO 2. Non est omninò improbabilis sententia, quæ contendit, omnem omnium imaginum, quæ per se starent, usum in antiquo Testamento divinitus prohibitum fuisse.

Probatur 1. ex Scriptura. Verba, quæ ex capite quinto Deuteronomii relata sunt, cujuscumque rei, sive spiritalis, sive corporeæ, efformationem prohibent: *Similitudinem omnium, quæ sunt super terram*, &c. 2. Exodi capite vigesimo eadem legitur prohibitio: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem* (hoc est, nullam) *quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum,*

quæ sunt in aquis subterra. Illi negativo præcepto, aliud distinctum statim additur: *Non adorabis ea, neque coles.* Itaque duo vetantur primum, ne usus rei alicujus similitudo; alterum, si forte contra Dei mandatum fiat illa similitudo, ne adoretur, aut colatur.

Probatur 2. authoritate Patrum. Origenes libro 4. contra Celsum, de Judæis sic loquitur: *Apud quos nullum aliud numen erat receptum, quam Deus hujus rerum universitatis præses, procul ablegatis omnibus simulacrorum opificibus. Nam in civitate eorum nullus pictor admittebatur, nullus statuarius, legibus totum hoc genus arcentibus, ne occasio præberetur hominibus crassis: neve animi eorum à Dei cultu avocarentur.* Iis verbis Origenes tria docet: nec pictores, nec statuarios in Judæorum civitatibus toleratos fuisse, quandiu eorum respublica stetit. 2. id Lege sancitum fuisse. 3. statutum illud fuisse ne Judæi ad idololatriam procliviores, tandem inspectis aliquibus imaginibus, ac statuis, in illam laberentur.

Tertullianus libro quarto contra Marcionem, c. 22. scribit, ideò Moysem, & Eliam in Christi transfiguratione, cujus fit mentio Matthæi cap. 17. a Petro cognitos non fuisse in aliqua eorum similitudine, sed in spiritu tantùm, hoc est ex Dei revelatione, quòd revera, Lege omnem similitudinem vetante, nulla eorum apud Judæos extaret imago: *Quomodo etiam Moysem* (inquit) *& Eliam cognovisset, nisi in spiritu? Nec enim imagines eorum vel statuas populus habuisset, & similitudines, Lege prohibente.* Frivola verò foret ea Tertulliani ratio, si Lex Judæis permisisset imagines & statuas, etiam quæ ab ipsis non adorarentur.

Idem Tertullianus libro de idololatria, ubi asseruit, Deum in lege vetasse, ne qua fieret similitudo, capite quinto objicit sibi Dei mandatum de conflando æneo serpente; respondet verò ipsum ex expressa Dei dispensatione, ac veluti legis derogatione, conflatum fuisse: *Benè* (ait) *quod idem Deus, qui lege vetuit similitudinem fieri, extraordinario præcepto, serpentis similitudinem indixit. Si eundem Deum observas, habes legem ejus, Ne feceris similitudinem. Si & præceptum facta postea similitudinis respicis; & tu imitare Moysen: Ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit.* Sed qui ex sola dispensatione a lege, factam fuisse similitudinem contendit, haud dubie censet Legem, omnem cujuscumque rei similitudinem prohibuisse.

Justinus Martyr in dialogo cum Triphone docet, ex eadem legis derogatione ac dispensatione, Moysen, ut Christi passionem adumbraret, æneum serpentem erexisse: *Dicite mihi,* (inquit) *nonne Deus erat, qui Moysi jusserat, ne qua prorsus imago* (omnem igitur excludit) *neque similitudo, tum eorum, quæ supra sunt in cælo, tum quæ in terra sunt, infra fieret: & idem tamen in deserto per Moysem, æneum serpentem elaborari voluit, & in signum erexit, per quod isti à serpentibus sanarentur? in quo extra culpam est: mysterium enim, uti diximus, ea re prædicabat.*

Sanctus Joannes Damascenus libro quarto de fide, Iconomachis objicientibus imaginum prohibitionem in veteri Testamento factam, his verbis respondet: *Vides, quomodo vitandi simulacrorum cultus* (latriæ, de quo antea locutus fuerat) *gratia imagines fieri vetat?* Illam prohibitionis rationem paulò post sic fusiùs explicat: *Judæis igitur, quoniam ad simulacra erant propensiores, hæc jussa sunt: nos autem quibus, Theologicè loquar, datum est, ut superstitiosum errorem fugientes, & veritatem cognoscentes, purè cum Deo versemur, eique soli serviamus, infantiamque prætereuntes, in virum perfectum evadamus, non sumus amplius sub Pædagogo.* Unde sic arguitur: Damascenus id Judæis vetitum fuisse scribit, quod jam Christianis permittitur: atqui Christianis non permittitur, ut rerum creatarum imagines fingant, quibus latriæ cultus exhibeatur: ergo Judæis non tantum erat vetitum, ne rerum creatarum imaginem adorarent, sed etiam ne earum imagines effingerent.

Quæ tum Origenes, tum Tertullianus, tum Justinus, tum Damascenus de sensu legis, *Non facies tibi sculptile,* scripserunt, hauserant non tantùm ex verbis, quæ legem exprimebant, sed etiam ex peritissimis Judæorum Scriptoribus.

Philo Judæus in libro, qui inscribitur: *Quis rerum divinarum hæres;* & in libro de Decalogo, scribit, in secundo præcepto prohiberi, *manufacta, ut simulacra, statuas, & universè quæcumque dedicantur in templis, quorum pictura, & fictorum ars noxia, sunt opifices.* In libro de legatione ad Cajum, testatur, pictores & statuarios omnes a Moyse ex republica, & finibus Judæorum ejectos fuisse: ergo censuit, non Dei tantum similitudinem, sed rerum omnium, cujuscumque sint generis, effigiem, etiamsi non adorarentur, lege divina positiva prohibitas fuisse: neque enim fuisset ratio expellendi pictores omnes & statuarios, si ob alium finem, quam cultus religiosi, licitum fuisset aut picturas, aut statuas effingere.

Josephus idem ante Philonem scripserat. Antiquitatum libro 17. narrat, Judæos ægre admodum tulisse, quod Herodes, vetante Lege, aquilam auream supra majorem templi partem collocasset: *Prohibet lex* (inquit) *erectiones imaginum moliri, aut quorumcumque animalium effigies collocari, velut anathema, iis, qui ex illius præscripto vitam suam componere voluerint.* Idem affirmat libro secundo de bello Judaico. Idem etiam, & quidem apertiùs, Antiquitatum libro 8. ubi Salomonem violatæ legis accusat, *quod æreas boum effigies basi maris adjecerat, & leonum in throno posuerat: nefas enim erat ista facere.*

Probatur 3. ratione. Ex S. Thoma, cujus textum superius descripsimus lege Judæis vetitum erat, ne Dei veri imaginem aliquam aut pingerent, aut sculperent; ergo eadem pariter lege vetitum erat, ne aut hominis aut aliarum rerum creatarum effigiem exprimerent. Probatur conseq. Ideò vetitum erat Judæis, ne Deum verum aut pictura, aut sculptura, aut opere textorio exprimerent, quòd periculum esset, ne tandem in rerum sensibilium adorationem laberentur: atqui idem fuisset periculum, si Judæis ad idololatriam proclivioribus licitum fuisset, aliarum a Deo rerum effigiem exprimere; scilicet (ut patet ex cap. 14. lib. Sapientiæ) idololatria cœpit ex filiorum imaginibus, quas Patres, qui illos deperiebant, post illorum mortem effinxerunt.

CONCLUSIO 3. Judæis divinitus prohibitæ fuerunt imagines non tantum rerum, quæ per se extarent, sed etiam quæ aliis essent veluti appendicis, & ornatus loco.

Probatur. 1. Lex, cujus verba in secundæ conclusionis defensionem retulimus, constat terminis universalibus & exclusivis: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem:* ergo de quacumque imagine, sive per se stet, sive sit appendicis, aut ornatus loco, intelligi debet. 2. Si licitæ fuissent imagines, quæ sunt ad aliarum rerum ornatum, non erat, cur, ex Josepho, Philone, Origene, Justino, pictores, & statuarii per legis præscriptum ex Judæorum urbibus exularent. 3. In figuris animalium, aut aliarum rerum sensibilium, Judæis ad idololatriam maximè (ut jam observatum est) proclivibus, idololatriæ periculum fuisset: quod tamen Deus hisce verbis: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem,* avertendum curaverat: nam licet ornatus ejusmodi non essent ad cultum accommodati, Judæis, utpotè crassioribus, quippè qui Ægyptiorum Deos adorassent, in mentem venire potuisset, quod ad cultum positi fuissent.

Solvuntur argumenta, quæ probant, licuisse Judæis imagines pingere & sculpere.

Not. Quæ adversus præcedentes conclusiones objiciuntur, petuntur 1. ex figuris Cherubimorum, juxta arcæ latera positis. 2. ex erectione ænei serpentis in deserto, & ex effigie boum, quam Salomon in basi maris ænei collocaverat, nec non leonum figuris, quæ in throno Salomonis videbantur. 3. ex trito modo numerandi Decalogi præcepta. 4. ex nonnullis Patrum sententiis; 5. denique ex ratione naturali. Eos omnes nodos hic sigillatim expendamus oportet.

Objicies 1. cum Beda venerabili. Idem debet esse judicium de figuris, saltem, quæ ad ornatum tantùm pertinerent, ac de iis, quæ posita erant ad arcæ latera, quæ ad oraculum templi, ad maris ænei bases, ad Salomonis templum, in moneta, quæ Christi tempore erat in usu apud Judæos; non enim videtur fuisse potior ratio de illis figuris, ac de aliis: atqui Lex figuras illas non vetuit: nam, Deo jubente, duo Cherubimi ad arcæ latera positi sunt: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies* (inquit Deus Moysem alloquens Exodi capite 25.) *ex utraque parte oraculi. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes Oraculum; respiciantque se mutuè versis vultibus in Propitiatorium, quo operienda est Arca.* 2. Duas alias Cherubimorum statuas Salomon posuit in ipso templi oraculo: *Et fecit* (verba sunt Scripturæ libro 3. Regum, cap. 6.) *in Oraculo duos Cherubim, decem cubitorum altitudinis.* Idem Salomon in templo posuit boum, leonum, & Cherubimorum, palmarum & malogranatorum figuras: *Fecit quoque* (ait Scriptura 3. Reg 7.) *mare fusile decem cubitorum .... Et stabat super duodecim boves .... Et inter coronulas & plectas, leones & boves & Cherubim.* 3. Idem pariter ad thronum suum posuit leonculorum statuas: *Fecit etiam Rex Salomon Thronum* (tertii Reg. 10.) *qui habebat sex gradus: & summitas throni rotunda erat in parte posteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes sedile: & duo leones stabant juxta manus singulas.* 4. Hæc Christi verba, Matthæi 22. *Cujus est imago hæc & superscriptio?* demonstrant, Judæos in usu communi recepisse monetam, cui insculpta erat Cæsaris efficies; ergo Judæi non omni figurarum ac statuarum genere per Legem probibiti fuerant.

Respondent 1. nonnulli, figuras, quarum argumentum meminit, fuisse aliarum rerum appendices, ad ornatum tantùm positas; ejusmodi verò generis statuas ac figuras Judæis a lege prohibitas non fuisse Sed admitti non debet ea responsio propter rationes, quæ ad tertiæ nostræ conclusionis probationem allatæ sunt.

Respondent 2. alii, Salomonem erectione statuarum, quas sive ad oraculum templi, sive ad bases maris ænei, sive ad suum thronum posuerat, violasse Legem, quæ omnem omninò figuram fieri vetuerat: *Nefas enim* (ait Josephus, de illo facto Salomonis agens) *ita facere.* Verum cum Scriptura nusquam ea de re Salomonem arguerit, non erat, cur Josephus eam Salomoni crimini verterit. Econtra ex octavo capite libri tertii Regum colligitur, totum Salomonis opus a Deo probatum fuisse: *Factum est autem, cum exissent sacerdotes, nebula implevit domum Domini.*

Respondendum est igitur cum Catharino, eas omnes figuras fuisse factas Dei ipsius jussu, qui præcepto suo, cum non esset juris naturalis, sed positivi tantùm, aut omninò, aut ex parte, derogare potuit. Nec obest, quod illud derogatorium Dei mandatum, saltem quoad statuas a Salomone positas, expressè non legatur in Scripturis: cum enim totum opus Dei jussu susceperit, facile conjici potest, eum nihil nisi ex Dei inspiratione molitum fuisse. Nec periculum erat idololatriæ, cum Scriptura moneret, ea omnia ad unius Dei gloriam erecta fuisse; fuisset verò in aliis figuris, eò quod perpetuum illud monitum quoad illas non extitisset. Unde in forma ad argumentum respondeo, neg. maj. Ratio est, quia alias ab enumeratis figuras Deus non permiserat; ac proindè ad alias omnes prohibitio Legis extendebatur. Jam verò, quod spectat ad monetam, dicendum est Judæos, cum sui juris erant, nullam suæ monetæ figuram insculpsisse, usos tamen postea fuisse moneta Romanorum, sed propter necessitatem; nec enim tunc authoritate suprema potiebantur.

Objicies 2. Moyses (ut habetur Numer. capite 21.) post promulgatam legem erexit in deserto serpentem æneum, ad cujus aspectum sanarentur, qui a serpentibus ignitis percussi fuerant: ergo non omnis imago, etiam rei per se stantis, & non ad ornatum tantùm positæ, Lege probibita non fuerat: alioquin enim dicendum esset, Moysem reum fuisse legis, quam ipse Dei jussu promulgaverat.

Resp. dist. ant. Moyses ex expressa Dei dispensatione erexit serpentem æneum, conc. ant, absque expressa Dei dispensatione, neg. ant. Tertulliani est ea responsio, ex eaque tria possumus colligere. *Primum*, prohibitionem effingendi, sive per picturam, sive per sculpturam, sive per opus textrinum, similitudinem aliquam, non esse de jure naturali, sed de positivo tantùm & libero: neque enim Deus potest in jure naturali dispensare. *Alterum*, idolorum, seu inanium deorum artifices, non posse suam artem Moysis, qui serpentem erexit, exemplo tueri. *Tertium*, posse eosdem artifices exemplum Moysis pro se adhibere, si per impossibile, Deus eos, sicut Moysem, dispensaret: *Si eumdem Deum observas* (verba sunt Tertulliani in libro de Idololatria, cap. 5. ubi exagitat idolorum artifices) *habes legem ejus, Ne feceris similitudinem: si & præceptum factæ posteà similitudinis respicis, scilicet ænei serpentis, & tu imitare Moysem: Ne facias adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus jusserit.* Jam verò discrimen esse inter illam legem positivam, & legem naturalem, quæ vetat idola, seu falsi numinis effigiem, ad cultum nobis aut aliis fingere, hisce verbis aperit ibidem Tertullianus: *Si nulla lex Dei prohibuisset, idola fieri a nobis, nulla vox, Spiritus sancti fabricatoribus idolorum, non minus quàm cultoribus comminaretur, de ipso sacramento nostra interpretaremur nobis, adversas esse fidei hujusmodi artes.*

Objicies 3. Præcepta Decalogi sunt tantùm decem, Exodi 31. & 34. Deuteronomii 5. 9. & 10. atqui si Lege prohibitum fuisset non solùm idola colere, sed & quascumque imagines effingere, undecim essent Decalogi præcepta. Primum: *Non habebis Deos alienos*. Secundum: *Non facies sculptile*: hæc enim duo debent esse distincta ex suppositione, quod non solum idoli cultus prohibeatur, sed etiam rei cujuslibet imago. Tertium: *Non assumes nomen Dei in vanum.* Quartum: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Quintum: *Honora parentes.* Sextum. *Non occides.* Septimum: *Non mœchaberis.* Octavum: *Non furtum facies.* Nonum: *Non loqueris falsum testimonium.* Decimum: *Non concupisces uxorem proximi tui.* Undecimum. *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, neque omnia, quæ illius sunt*: ergo præceptum de non effingendis sculptilibus, non aliud est a primo; ac proindè, cum primum idolorum cultum dumtaxat vetet, ita nec aliud his verbis prohibetur: *Non facies tibi sculptile*; atque ita Lex non vetuit omnes omninò imagines pingere aut sculpere, sed eas tantùm, quæ ad latriæ cultum effingerentur.

Respondent nonnulli post Josephum libro 3. Antiquitatum cap. 6. & 8. Origenem hom. 8. in Exodum, Ambrosium & Hieronymum in caput sextum ad Ephesios, præceptum, *Non concupisces*, esse decimum & ulti-

& ultimum, eò quòd in duo dividi non debeat; seu, eodem præcepto vetari & concupiscentiam uxoris alienæ, & rerum aliarum, quæ illius sint. Inde verò sequitur, quòd quamvis hæc verba; *Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, duo distincta præcepta contineant, unum quod juris sit naturalis, & alium quod juris sit positivi, ac ceremonialis; decem tamen tantùm sint Decalogi mandata; idque sat *Decalogi* verbum innuit: Decalogus enim quasi decem verba dicitur.

Verùm illa responsio non leves difficultates patitur. Nam 1. concupiscentia uxoris alienæ, & concupiscentia bonorum, specie differunt; illa enim ad fornicationis, ista verò ad furti peccatum pertinet: at par fuit, ut duæ distinctæ peccati species, non uno, sed duobus præceptis vetarentur. 2. Quamvis concupiscentia uxoris alienæ jam prohibita fuisset sexto præcepto, *Non mœchaberis*; tamen quia actus exterior mœchiæ, distinguitur ab interiori concupiscentia uxoris alienæ, necesse fuit propter populi rudis ignorantiam, ut duobus distinctis præceptis mœchia vetaretur; sic etiam propter distinctionem specificam concupiscentiæ uxoris alienæ a concupiscentia aliorum proximi bonorum, par fuit, ut duplex illa species concupiscentiæ, duplici mandato prohiberetur. 3. Tenor ipse verborum non obscure innuit, duplicem illam specie concupiscentiam duplici præcepto prohiberi. Nempè cùm Scriptura dixisset: *Non concupisces domum proximi tui*, non addidit: *Nec uxorem ejus*; sic enim videretur, continenter sub eadem prohibitione hæc duo comprehendere: sed repetens illud, *concupisces*, dixit: *Nec desiderabis uxorem ejus*. 4. Ultimum præceptum, *Non concupisces*, in duo distincta præcepta dividitur ab Augustino quæst. 61. in Exodum.

Igitur ad objectionem respondendum est, hæc verba, *Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile: neque omnem similitudinem. Non adorabis ea, neque coles*, pro uno & eodem præcepto poni, cùm eodem perpetuo tenore proferantur, & utrorumque observatio ad eandem virtutem religionis, & transgressio ad idem superstitionis peccatum pertineant. Et sanè, quamvis facere sculptile, imaginem effingere, ex se, seu, ex natura sua, non sit contra religionem, nec superstitiosum; lege tamen positiva id prohibente, in materia sacrilegii contra religionem constituitur. Hanc nimirùm vim habet positiva lex, non divina tantùm, sed & humana, ut id quod præcipit, constituat in materia necessaria illius virtutis, cujus intuitu aliquid jubet: contra verò in materia oppositi peccati id ponat, quod prohibet.

Objicies 4. Irenæus libro quarto adversùs hæreses, cap. 31. scribit, omnia Decalogi præcepta esse præcepta juris naturalis, uno tamen excepto, quod est de sanctificatione Sabbati. Augustinus idem docet libro de spiritu & littera, cap. 4. ubi sic loquitur: *In illis igitur decem præceptis, excepta Sabbati observatione, dicatur mihi, quid non sit observandum à Christianis, sive de non faciendis, colendisque idolis, aliisque aliis diis, præter unum verum Deum?* atqui si his verbis: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, contineatur præceptum legis positivæ ac ceremonialis a præcepto legis naturalis, quo prohibeatur effictio idolorum ad latriæ cultum, præter legem de sanctificando Sabbato, erit alia ceremonialis, ea nimirum, qua prohiberetur idolorum ac imaginum omnium usus: ergo, &c.

Resp. conc. maj. dist. min. Erit præter præceptum de sanctificando Sabbato alia lex ceremonialis, quæ constituat minùs præcipuam partem primi præcepti Decalogi, conc. min. quæ constituat præcipuam illius partem, neg. min. Quamvis præter præceptum de sanctificando Sabbato, sit aliquid aliud ceremoniale; cum tamen præcipua non sit pars primi præcepti Decalogi, meritò dicitur cum Irenæo & Augustino, præter legem de sanctificatione Sabbati, non esse aliud præceptum ceremoniale: scilicet denominatio non sumitur a parte minus præcipua (qualis est lex de idolis non effingendis, etiam secluso latriæ cultu) quæ in primo Decalogi præcepto reperitur; sed a magis præcipua, quæ quidem (ut jam observatum est) juris est naturalis.

Objicies 5. Lex non dicit simpliciter: *Non facies sculptile, neque omnem similitudinem*; sed cum hac additione, *Non facies tibi*: atqui ea additione *Tibi*, innuitur, non ob aliud vetitum fuisse sculptile, quam propter cultum: ergo, &c. ita ratiocinatur Cajetanus.

Resp. 1. Illud *Tibi*, aut redundare more Scripturæ, sicut Genesis 12. *Vade tibi de terra tua*: Et Canticorum, cap. 1. *Si ignoras te, ò pulcherrima*: Si vero particula *Tibi*, redundet, perinde est ac si præceptum simpliciter hoc modo latum fuisset: *Non facies sculptile*. Resp. 2. pronomen *Tibi*, non redundare; nempe positum est, ut significetur, nec ad proprium usum, ac proinde nec ad alienum, licere idoli aut imaginis alicujus efformationem quocumque modo efformetur.

Objicies 6. Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 22. docere videtur, licitas fuisse in antiqua lege statuas, non quidem rerum per se stantium, sed earum, quæ aliarum forent velut appendices & ornamenta; sic enim loquitur: *Sic & Cherubim & Seraphim antea in arca figuratum exemplum, certè simplex ornamentum, accommodata suggestui, longè diversas habere causas ab idololatriæ conditione, ob quam similitudo prohibetur, non videtur similitudinem prohibitorum legi refragare, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quam similitudo prohibetur*: ergo, &c.

Resp. neg. ant. Ratio est, quia licèt Tertullianus scribat, Cherubim ac Seraphim figuras ad ornatum arcæ a Moyse positas fuisse, non autem ad cultum; non dicit tamen, quod absque Dei monitu, ac veluti ex præcepti sui derogatione positæ fuerint; ac proindè ex verbis Tertulliani non sequitur, figuras, etiam ad ornatum non fuisse prohibitas universali præcepto. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.*

ARTICULUS II.

An in nova lege liceat Trinitatis statuas aut imagines effingere.

Not. Circa propositam quæstionem tres sunt sententiæ. Prima, quæ est Clichtovæi, docet, non licuisse quidem in antiquo Testamento Dei non incarnati statuas aut imagines effingere eò, quòd Deus in antiqua lege non apparuerit aliquando sub aliqua visibili specie; quæ enim in Scripturis recensentur illius apparitiones, Angelorum (inquit) ministerio factæ sunt. At verò (prosequitur idem author) cùm Spiritus sanctus sub specie columbæ apparuerit in novo Testamento, licitum est illius, non autem cæterarum personarum, statuas sculpere, aut imagines pingere sub specie columbæ.

Altera sententia, quæ est Henrici, Quod lib. 10. quæst. 6. Abulensis in caput 4. Deuteronomii, quæst. 5. Durandi in 3. Sent. dist. 9. art. 2. ad 4. docet, non minùs in novo Testamento, quam in veteri, prohiberi aliquas alicujus personæ Trinitatis statuas aut imagines effingere. Calvinus libro 5. Instit. cap. 11. scribit, *per se* nefas esse Deum aut sculpere, aut pingere.

Tertia denique sententia, quæ est Cajetani in 3. part. quæst. 25. art. 3. Catharini in opusculo de adoratione imaginum, Sanderi libro 1. de imaginibus, cap. 4. & Francisci Turriani, libro 3. de characteribus dogmaticis, asserit, per se, seu ex natura rei, non esse illicitum,

Deum

Deum aut sculpere aut pingere; unde concludi potest, id in antiquo Testamento futurum fuisse licitum, si Deus ceremoniali lege id non prohibuisset. 2. Id jam (cum lex omnis ceremonialis abrogata fuerit) per se licitum esse.

CONCLUSIO 1. Non licuit in antiqua lege aliquam Dei figuram effingere.

Probatur. Ex dictis articulo præcedente, omnis omninò figuræ efformatio primo Decalogi præcepto prohibita fuerat: ergo a fortiori & effinctio figuræ, quæ Deum ipsum aliqua ratione repræsentaret.

CONCLUSIO 2. Licitum est in novo Testamento Dei figuram effingere, non quæ repræsentet illius essentiam, sed formas sensibiles, sub quibus apparuit.

Probatur prima pars. Si in novo Testamento licitum non esset Dei figuram effingere, id oriretur ex eo, quòd id malum esset, aut per se, aut ratione alicujus legis positivæ; atqui ex neutro capite malum est: Non quidem ex primo; siquidem ideò tantum malum esset per se, quod figura corporea & finita exhibere non possit substantiam merè spiritualem & infinitam: sed illa ratio nulla est; neque enim (ut in probatione secundæ partis dicetur) cum Dei figura in novo Testamento effingitur, non intendit, quis Dei substantiam, ut in se est, exhibere; sed tantùm formas, sub quibus olim hominibus apparuit: ergo per se malum non est aliquam Dei veri figuram effingere. Non est quoque malum ratione alicujus legis positivæ. Nam 1. nulla est, quæ id in novo Testamento prohibeat. 2. Quæ olim id vetuerat in antiquo testamento, merè ceremonialis erat, ac proindè per Evangelii promulgationem abrogata fuit: ergo, &c.

Probatur altera pars auctoritate S. Thomæ, qui 3. part. quæst. 25. art. 3. ad 1. scribit, antiquitùs non licuisse Dei veri figuram effingere, quod Deus verus sit omninò incorporeus: *Ipsi autem* (inquit) *vero Deo, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis poterat poni*; atqui non minus incorporeus est in novo Testamento, quam fuerit in veteri: ergo non minùs illicitum est divinæ substantiæ ut in se est, figuram effingere, quam in veteri testamento. 2. Idem S. Doctor ex Damasceno probat, impietatis ac stultitiæ reum fore, qui divinæ essentiæ imaginem aut sculperet aut pingeret: *Quia* (ait) *ut Damascenus dicit, insipientiæ summæ est & impietatis, figurare, quod est divinum*. 3. Ideò idem S. Thomas contendit, Deum incarnatum posse in imagine repræsentari, quod corpus habeat: *Sed quia* (inquit) *in novo Testamento Deus factus est homo, potest in sua imagine corporali adorari*: ergo cum Dei essentia in se sumpta, & præcisa tum ab incarnatione tum ab apparitionibus, sub quibus visa est olim, sit expers cujuslibet corporis, ad illudque nullam relationem dicat; non potest, ex S. Thoma, in imagine aut statua figurari.

Probatur tertia pars. Licet imagines effingere rerum sensibilium: atqui formæ, sub quibus Deus apparuit, fuerunt sensibiles: ergo licitum est earum formarum imagines effigere. Probatur minor. Genesis 3. Deus apparuit Adamo ad auram deambulans. Verbum ipsum (si vera sit plurium Patrum sententia) Moysi, Patriarchis, pluribusque sub humana specie, ut homines ad fidem incarnationis disponeret, apparuit. Matthæi 3. Spiritus sanctus sub specie columbæ in Christum descendit. Atqui (ut patet) illæ formæ fuerunt sensibiles: ergo Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, sub formis sensibilis sensibilibus apparuerunt.

Confirmatur argumentum ex septima generali Synodo, quæ Actione 4. decrevit, Angelos ideò in imaginibus exprimi posse, quod *justis hominibus humana specie apparuerint*. Eadem actione lectum est cujusdam Joannis fragmentum, quo asserebatur, Angelos pingi posse, quod & corpus habeant, licet tenuissimum, & sint circumscripti, seu ita existentes in uno loco, ut simul non sint in alio. Tharasius omissa prima Joannis ratione admittit alteram, cui & tertiam adjungit: docet enim, Angelos ideò pingi posse, *Quoniam* (inquit) *circumscripti sunt, & velut homines multis apparuerunt*: ergo, cum Deus (ut probatum est) sub sensibili specie nonnullis apparuerit, ejusmodi speciei sensibilis potest exprimi sensibilis imago.

Confirmatur rursus idem argumentum 1. ex Ecclesiæ praxi: nimirùm pluribus in locis, Romæ etiam, Trinitatis imaginem populorum oculis exponit. 2. Concilium Tridentinum sessione 25. titulo *de sacris imaginibus*, sic loquitur: *Quod si aliquando historias, & narrationes sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit*. In ea autem verba observare est 1. Concilium aperte supponere Deum nonnunquam figurari: pastoribus enim jubet, ut moneant fideles, divinitatem non ideò figurari, quod corporeis oculis conspici possit. Observare est 2. cum figuratur divinitas, non figurari Dei naturam & essentiam, sed tantum illius apparitiones & externa facta; id enim innuunt hæc sacræ Synodi verba: *Quod si aliquando historias & narrationes sacræ Scripturæ figurari contigerit*: Scilicet historiæ ac narrationes non fiunt de essentia divina, sed tantum de illius externis factis & apparitionibus sub aliqua specie sensibili: hic verò sequitur, tribus nostris conclusionibus ex sacra Synodo robur addi maximum.

Objicies 1. Gregorius Papa II. epistola prima ad Leonem Isauricum, Iconomachorum principem, sic loquitur: *Cur Patrem Domini Jesu Christi spectandum minimè proponimus ac pingimus?* 2. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, qui vixit Leonis Isaurici temporibus, in epistola ad Joannem Synadensem Episcopum, relata in septima Synodo, Actione quarta, hæc habet: *Non enim invisibilis Deitatis imaginem, aut similitudinem, aut figuram, aut formam aliquam exprimimus*. 3. Augustinus libro de fide & Symbolo, c. 7. admonet, *cavendum, ne Deum putemus habere corporalia membra, & ne in illud incidamus sacrilegium, quo execratur Apostolus eos, qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum Deo, nefas est Christiano in templo collocare*. 4. Ambrosius ad Psalmum 118. hæc habet: *Gentiles lignum adorant, quia Dei imaginem putant. Sed invisibilis Dei imago non in eo est, quod videtur, sed in eo utique, quod non videtur*. 5. Ante illos omnes Scriptores, Origenes libro sexto contra Celsum Epicureum, cum gentilibus cultum idolorum objecisset, sic eorum responsionem intercludit: *At tametsi quidam eorum idola ista Deos esse negent, sed verorum expressas similitudines esse dicant: nihilominus etiam isti in sordidorum opificum manibus divinitatis imitationem esse fingentes sibi, imperiti sunt & mancipia*. Quibus ex verbis patet, Origenem damnare Gentiles, qui putarent veræ divinitatis imaginem sculpi aut pingi posse. 6. Tandem Sanctus quidam in septima Synodo, Actione 5. introducitur agens contra Gentilem, qui ex eo, quod Angeli, licèt incorporei, pingi possint, concludebat, Deum quoque, licet incorporeum, potuisse a Gentilibus figurari. Sanctus autem ille fatetur, Angelos ideò pingi posse, quod (ut putabat, licet falsò) non sint omnis corporis expertes, sed ob contrariam rationem, seu quod Deus sit prorsus incorporeus, negat, illius imaginem aut sculpi aut pingi posse. Eam verò Sancti illius sententiam, proponente Tharasio, tota Synodus approbasse videtur. Ergo nulla ratione licitum est Dei imaginem effingere.

Resp. concesso antecedente, quoad omnes illius partes, dist. conseq. Ergo nulla ratione licitum est Dei imagi-

imaginem effingere, ut illius natura in se sumpta repræsentetur, conc. conseq. hoc enim (ut patet ex S. Thoma) stultitiam & impietatem argueret: ut illius apparitiones & facta repræsententur, neg. conseq. Jam verò quòd Patres in argumento laudati, in primo tantùm sensu, non in secundo, damnaverint Dei imagines, facile potest ostendi. 1. Gregorius II. verbis, quæ objecta sunt, hæc alia subjicit: *Nimirum quia nescimus, quis sit, & Dei naturam in conspectum adducere, ac pingere nemo potest.* Addit: *Quod si eum vidissemus, & nossemus, sicut filium ejus; etiam ipsum videndum proponere, ac pingere possemus*: Ex quo sequitur, quod cum Deus aliquando sub specie sensibili visus sit, eum possimus sub ea specie pingere. 2. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus dicit, tantùm Deitatis imaginem non exprimi: ergo non damnat eos, qui non ipsam, ut in se est, Deitatem exprimunt, sed illius aut facta aut apparitiones sensibiles, quæ in Scripturis leguntur. 3. Augustinus eas tantùm Dei imagines execratur, quæ Deo, ut in se est, membra tribuunt: *Ne Deum* (inquit) *putemus habere corporalia membra.* 4. Ambrosii verba de Deo, pariter ut in se est, intelliguntur: nempè gentiles arguit, qui putabant statuis, ac picturis Deum, ut in se est, exhiberi, quòd vellent eum, etiam ut in se est, habere membra corporea. 5. Non alius est Origenis contra Celsum disputantis sensus: scilicet Celsus cum aliis gentilibus censebat, diis, quos veros esse Deos prædicabat, inesse membra, indeque colligebat, simulacra esse genuinas illorum imagines. 6. Septima Synodus admisit quidem conclusionem Sancti illius, cujus sententiam Tharasius proposuit, nimirum Angelos esse pingendos; sed non probavit illius rationem, seu Angelos esse corporeos: unde (ut jam observatum est) eam rationem omisit, proposuitque aliam, quæ Dei efformandæ imagini faveret, contendens, ideò Angelos pingi posse, quòd *velut homines multis apparuerint*: ergo cum Deus nonnullis quoque sub sensibili specie apparuerit, ut patet ex 7. capite Danielis, potest sub illa sensibili specie figurari. Confirmatur ex eo, quod eadem septima Synodus Actione 5. doceat, Spiritum sanctum pingi posse sub specie columbæ, quod sub ea specie in Christi baptismo visus sit: ergo pariter pingi potest Deus Pater sub illis speciebus, sub quibus nonnullis hominibus apparuit.

Objicies 2. Periculum est, ne Dei, etiam in apparitionibus considerati, imago populum fidelem ad idololatriam pertrahat: unde Hieremiæ 10. imago lignea, vocatur doctrina vanitatis; & Abac. 2. conflatilis vocatur propter doctrinam mendacii: ergo, saltem propter illud periculum, nefas est, Dei etiam in apparitionibus considerati imaginem effingere.

Resp. 1. equidem, cum adest periculum scandali in populo fideli, non esse depingendas divinarum apparitionum imagines: unde Concilium Tridentinum præscribit, ut non fiant, nisi cum id indoctæ plebi expediet. 2. Illi periculo itum est obviam ab eodem Concilio Tridentino, cum pastoribus injunxit, ut instruerent fideles *non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit*; sed tantùm ad deducendam indoctam plebem ad cognitionem, aut memoriam historiarum, & narrationum, quæ de Deo in sacris Scripturis continentur. Ad textus verò ex Hieremia & Habacuc petitos, dicendum est, intelligi eos de deorum inanium imaginibus; aut potius, juxta ea, quæ articulo præcedente à nobis dicta sunt, ipsius Dei veri, etiam in apparitionibus considerati, imagines vocari doctrinam vanitatis, & mendacii, quod quæcumque sive Dei, sive rei alicujus alterius similitudo, ceremoniali Dei præcepto prohibita fuisset: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.*

Quæres 1. utrum perantiquus sit usus depingendi Deum ipsum sub figuris sensibilibus, sub quibus in Scripturis apparuisse dicitur?

Resp. 1. Septimæ Synodi generalis temporibus usum illum nondum obtinuisse. Nempe sacra Synodus respondens Iconomachorum argumentis, non semel asserit, quod quamvis Christum depingere, aut sculpere liceat, Ecclesia tamen Deum ipsum nulla ratione depingere, aut sculpere solita sit: *Christiani* (ait sacra Synodus ore Epiphanii Diaconi, Actione 6.) *neque invisibilis, neque incomprehensibilis naturæ imaginem unquam fecerunt; sed secundùm, quòd Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, ea quæ humanæ dispensationis ejus sunt, pingunt & imaginantur* (aut, ut fert alia versio) *imaginibus exprimunt.*

Resp. 2. usum, de quo agitur, nondum quoque tempore S. Thomæ alicui receptum fuisse; neque S. Doctor de imaginibus agens, illius meminit: imò (ut patet ex verbis superiùs ex ipso laudatis) nonnulli colligunt, eum ab ipso rejectum fuisse. Itaque multò post Sanctum Thomam usus ille cœpisse alicubi videtur.

Quæres 2. an alicujus Theologicæ censuræ nota affici debeat propositio, qua asseritur, Deum ne sub speciebus quidem, sub quibus olim apparuit, figurari posse?

Resp. 1. propositioni, de qua est quæstio inuri non debere hæreseos aut erroris notam. Nam 1. ea propositio non est hæretica, cujus contradictoria expressè in Scriptura aut traditione definita non fuit: at nec in Scriptura aut traditione definitum est, Dei apparitiones posse figurari. 2. Illa propositio non est erronea, quæ unanimi Theologorum sententiæ opposita non est: at ea, de qua agitur, non est opposita unanimi Theologorum sententiæ; plures enim & quidem non infimi nominis Theologi, quos superiùs laudavimus, contendunt, nullam omnino Dei non incarnati imaginem exprimi debere, contrariamque sententiam Scripturæ, aut Patrum testimonio non posse confirmari. Dicendum est igitur, propositionem, de qua movetur quæstio, nonnihil temeritatis sapere, eò quòd adversetur usui, non tolerato tantùm ab Ecclesia, sed etiam probato, ut ex Concilio Tridentino colligitur.

ARTICULUS III.

Utrum Angelorum, Christi, Sanctorum imagines pingere aut sculpere liceat.

Not. 1. Iconoclastæ in Conciliabulo, quod habuerunt ante septimam generalem Synodum, definierunt, excepto crucis signo, cujus nullam fecerunt mentionem, nullam sacram imaginem pingi posse: *Qui verò* (inquiunt) *ausus fuerit amodo construere imaginem, vel adorare, aut statuere in Ecclesia, vel in privata domo sua occultare: siquidem Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus fuerit, deponatur: Si verò Monachus aut laicus anathematizetur, & imperialium legum obnoxius sit, tanquam contrarius præceptorum Dei, & inimicus dogmatum paternorum.* Calvinus negat quidem Angelos pingi debere, sed fatetur, sive Christi, sive Sanctorum, una cum ipso regnantium, sive historiarum sacrarum imagines depingi posse, modò tamen in Ecclesiis non collocentur nec aliquo religioso cultu colantur. E contra Ecclesia Catholica in septima generali Synodo, cui omni ex parte adhæsit Concilium Tridentinum, definiit licere Angelorum, Christi, Sanctorum, vivificæ crucis imagines exprimere: *Definimus* (verba sunt septimæ generalis Synodi) *in omni certitudine ac diligentia, sicut figuram pretiosæ, ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas, tam quæ de coloribus & tessellis, quam quæ ex alia materia congruenter in sanctis Dei Ecclesiis,*

clesiis, & sacris vasis & vestibus, & in parietibus ac tabulis, domibus & viis: tam videlicet imaginem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, quàm intemeratæ Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium sanctorum, & aliorum virorum.

CONCLUSIO 1. Licitum est Angelos imaginibus exprimere.

Probatur. Nulla lege prohibitum est Angelos imaginibus exprimere: ergo licitum est; ubi enim non est lex, non est prævaricatio. Probatur ant. Non est prohibitum lege naturali: scilicet Deus Moysi permisit, imò jussit, ut Cherubinorum figuras ad Arcæ latera collocaret: at Deus non permittit, & a fortiori non jubet, ea quæ sunt contra legem naturalem: nam (ut docent Theologi) indispensabilia sunt præcepta legis naturalis. Non est quoque prohibitum lege positiva divina: quæ enim olim extabat de non efformando aliquo sculptili, aut effingenda rei alicujus similitudine, *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem*, ceremonialis erat: nempè præcepta omnia, quæ non sunt contra legem naturalem, ceremonialia erant in antiquo Testamento, ac proindè locum non habent in Evangelii lege. Non est quoque contra legem canonicam; imò (ut ostensum est) canones permittunt, ut Angeli depingantur: ergo nulla lege prohibitum est, ne Angelorum imagines effingantur.

Objicies. Substantia omninò spiritualis imaginibus exprimi non potest: nam rei spiritualis imago corporea, non est vera imago prototypi, sed falsa, cum ipsum alio modo, quam sit a parte rei, repræsentet; atqui Angeli sunt substantiæ omninò spirituales: ergo, &c.

Resp. Epiphanium in septima generali Synodo asseruisse, & quidem ad mentem plurimum Patrum, Angelos non esse cujuslibet, saltem subtilissimi, corporis expertes, hacque ratione depingi posse; verùm (ut superius observatum est) quamvis septima Synodus Epiphanii rationem nec probaverit nec rejecerit, veritate minimè nitebatur: itaque concesso, quòd (ut harum Institutionum Parte II. ostendimus) Angeli sint prorsus incorporei, distinguenda est major propositio. Substantia omninò spiritualis imaginibus exprimi non potest, quæ illius naturam, aut essentiam repræsentent, conc. maj. quæ repræsentent illius proprietates, aut illius apparitiones, neg. maj. Angeli sub humana specie visi sunt hominibus; cur ergo sub illa specie, non exhibeantur? Neque enim eis infertur injuria, si repræsententur sub specie, cujus aliquando fuerunt formæ, non informantes quidem (ut loquuntur scholastici) sed assistentes. Alæ humanæ illi speciei plerumque adduntur, ut rudis populus doceatur, summam eorum esse in exequendis Dei mandatis celeritatem; exhibentur ad juvenum formam, ut discamus, eos esse immortalis naturæ; falsa non est igitur eorum imago, cum eæ proprietates reverà locum in Angelis habeant.

CONCLUSIO 2. Licitum est, Deum incarnatum, qui Christus est, imaginibus exprimere.

Probatur. Christum imaginibus expresserunt majores nostri. Et quidem 1. narrat Eusebius historiæ lib. 7. capite 18. Syrophenissam, quam Christus (ut constat ex Evangelio) liberavit sanguinis profluvio, æneam Christi statuam Cæsareæ erexisse; additque, suâ ætate adhuc fuisse superstitem, ac ad illius pedem herbam crescere, quæ omnium morborum genera curaret. Sozomenus historiæ lib. 5. cap. 21. de ea plura addit, quæ ostendunt, eam Syrophenissæ in Christum pietatem, suæ ætatis fidelibus probatam fuisse. 2. Tertullianus in libro de pudicitia, cap. 10. scribit, calicibus, quibus ad sacrificium fideles utebantur, insculptam fuisse Christi imaginem sub specie pastoris ovem deperditam in ovile reducentis; refertque, ex ea etiam figura Catholicorum desumptum argumentum contra Montanistas, quibus Tertullianus, cum librum *de pudicitia* scriberet, jam dederat nomen. 3. Augustinus in lib. 1. de consensu Evangelistarum, cap. 10. narrat, gentiles, ut Christo libros quosdam tribuerent, finxisse, illos ab ipso Christo ad Petrum & Paulum scriptos fuisse, quòd alicubi (apud Christianos nimirùm) vidissent Christum una cum his Apostolis depictum: *Credo* (inquit) *quòd pluribus locis simul eos cum illo pictos viderunt: quia merita Petri & Pauli etiam propter eundem passionis diem celebrius & solemniter Roma commendat.* 4. Nihil vetat, quin humanitas Christi, cum loco circumscripta sit, cum sit sensibilis, figuris sensibilibus exprimatur: ergo reverà Christum licet imaginibus exprimere.

Objicies 1. Cum effinguntur imagines Christi, aut ejus persona sub figura humana exhibetur, aut non: Si primum, imago favebit errori Eutychis, qui naturas in Christo confundebat: si secundum, favebit Nestorio, qui personam divinam ab humanitate separabat: ita in sua pseudo synodo ratiocinabantur Iconoclastæ: *Si quis* (inquiunt) *dividit unitam Dei Verbi subsistentia carnem, in sensu puram habens, & ex hoc pingere illam ex imagine studens; anathema. Si quis Dei Verbi naturæ & carnis inseparabilem per subsistentiam factam unitionem, id est parvationem, quæ ex utroque inconfusa & inseparabilis est facta, in imagine pingere tentat, nominans eam Christum; Christi autem nomen Deum & hominem significat, ac per hoc confusionem duarum naturarum portentuosè fingens; anathema.*

Resp. in imaginibus Christi exhiberi solam illius humanitatem, quemadmodum cum Cæsarem depingimus in figura sensibili, solum illius corpus, non autem animam, quæ spiritualis est, exprimimus. Inde tamen non sequitur, Verbi personam ab ipsa humanitate, ut existit a parte rei, realiter separari. Nempe se habet rei imago, sicut illius idea, quam mente gerimus; quemadmodum igitur ex eo, quòd res duas substantialiter unitas, ut sunt corpus & anima, seorsim apprehendimus, non sequitur, quod eas a parte rei, seu ex parte objecti, separemus; ita nec sequitur, quòd Verbi personam ab humanitate realiter separemus, quamvis humanitatem solam in imagine depingamus; non enim aliud est, nec aliud efficit in objecto externo illius imago, quam quod idea, quam in mente fingimus: ergo cum idea unius naturæ seorsim sumpta, non importet realem alterius cum ea unionem, sed alium tantùm conceptum; ita & imago externa non dividit a parte rei naturas substantialiter unitas, quamvis unam sine altera repræsentet. Vide Iconoclastarum Synodi confutationem a Leontio conscriptam, & coram Patribus septimi Concilii generalis, Actione sexta, ab Epiphanio Diacono recitatam.

Quæres, an Christum sub sola humanitatis specie pingere liceat, an verò etiam sub figuris, quæ eum in antiquo Testamento adumbrarunt.

Resp. 1. ante septimi generalis Concilii tempora Christum sub antiqui Testamenti figuris, ac præsertim agni sacrificio destinati, depictum fuisse: Verum Synodus *in Trullo* dicta, quæ & passim *Quinisexta* nuncupatur, morem illum abrogavit, quòd par sit, ut veteres figuræ realitati cedant: *In quibusdam venerabilium imaginum picturis* (ajunt Trullani Patres Canone 82.) *Agnus digito præcursoris exaratur ostensus, qui in figuram præcessit gratiæ, verum nobis per legem præmonstrans agnum, Christum videlicet Deum nostrum. Veteres ergo figuras & umbras, utpote veritatis indicia, & præcedentes characteres Ecclesiæ salutantes, gratiam honore præferimus & veritatem, hanc ut legis plenitudinem admittentes. Ut ergo perfectio etiam per colorum operationes in omnium vultibus* (aut ut fert alia versio) *ante omnium oculos depingatur, characterem agni Christi Dei nostri, qui tollit pecca-*

peccatum mundi, secundum humanitatem etiam in Iconis pro veteri agno definimus depingi.

Resp. 2. licere his etiam temporibus non tantum sub specie humanitatis, sed etiam sub agni figura Christum depingere. Ratio est, quia Canon ille, cum sit juris mere canonici, per contrarium usum abrogatus est, licet olim in Ecclesia Latina receptus fuerit; nempe laudavit eum Adrianus Papa in suo de imaginibus scripto: *Sed etiam* (ait loquendo de Canonis authoribus) *easdem sacras imagines venerantes statuerunt, agnum Christum Deum nostrum secundum humanam figuram & in imaginibus a nunc pro veteri agno reticulare.*

CONCLUSIO 3. Licitum est Sanctorum imagines depingere.

Probatur. Primò, imagines Sanctorum in usu fuerunt apud veteres: horum testimonia describuntur in septima Synodo generali, Actione quarta. Gregorius Nyssenus Oratione *De Deitate Filii & Spiritus*, meminit imaginis, in qua depictus erat Isaac mox ab Abrahamo immolandus. Gregorius Nazianzenus in Serm. *de virtute*, loquitur de imagine Polemonis, ad cujus aspectum meretrix conversa est ad meliorem vitam. Asterius Amaseæ Episcopus laudat pictorem, qui sanctæ Euphemiæ martyrium ad vivum expresserat. Hieronymus in caput quartum Jonæ, sic loquitur: *Et revera in ipsis cucurbitis vasculorum, quas vulgò Saucomarios vocant, solent Apostolorum imagines adumbrari.* Ambrosius in Epistola 53. sic de SS. Gervasio & Protasio sibi per visum oblatis loquitur: *Cum quadam mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esse beato Paulo Apostolo videbatur, cujus me vultum pictura docuerat.* Augustinus libro 22. contra Faustum capite 73. meminit tabellæ, in qua depicta erat Abrahami Isaacum in sacrificium offerentis imago. 2. Alii à Sanctis homines (fatentibus ipsis etiam Iconomachis) pingi possunt; ergo etiam & Sancti; scilicet non minus fuerunt corporei, ac circumscripti, quam sint homines, qui adhuc in humanis agunt.

ARTICULUS IV.

Utrum crucis Christi effigies sive in tabellis, sive in aere exprimi possit.

Not. ICONOMACHI, qui (ut articulo præcedente dictum est) sub anathemate vetarunt ne Christi, aut Sanctorum imagines effingerentur, nusquam prohibuerunt, ne aut in tabellis, aut in aere, aut in aliqua materia consistente, crucis signum exprimeretur. Nam 1. imaginis crucis Christi ne meminerunt quidem in sua Synodo, quam falsò septimam œcumenicam vocarunt. 2. Concilium septimum œcumenicum, ut probet cultum sacris imaginibus exhiberi debere, argumentum adversus ipsos Iconoclastas sæpè desumit ex cultu, quem iidem Iconoclastæ fatebantur exhiberi debere sacræ crucis imagini. In fidei definitione, quæ in ejusdem Concilii actione septima legitur, aperte factum, de quo est quæstio, supponitur: *Definimus* (inquiunt laudatæ Synodi Patres) *sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles ac sanctas imagines proponendas.* 3. Constantinus Copronymus, quo imperante celebrata fuit pseudosynodus septima (Nicephoro Constantinopolitano teste in Breviario historiæ) sublato in altum crucis ligno dicitur Episcopos coegisse, ut jurarent se imagines nusquam veneraturos esse: *Tum* (inquit) *Patriarcham Constantinopolitanum salutaribus lignis* (de crucis ligno loquitur) *in altum sublatis, jurasse, se ex eorum numero non esse, qui sacras imagines adorarent.* 4. Joannes Damascenus in libro secundo de imaginibus, ex eo confutat Iconomachos, quod cum venerarentur crucis signum, & sacra vasa, quæ sunt quædam materiæ; sacris tamen imaginibus cultum deferre nollent: *Aut igitur* (ait) *honorum omnium cultum, adorationemque tolle: aut Ecclesiasticæ traditioni, etiam imaginum adorationem permitte.* 5. Jonas Aurelianensis, qui unus fuit è patribus Gallicanis, Synodi Nicænæ II. de imaginibus decretum vellicarunt, in libro de cultu imaginum, apertè profitetur usum fuisse tunc in Galliis, ut Christi crucis effigies in templis collocaretur, & adoranda fidelibus offerretur. 6. Idem Jonas Claudio Taurinensi Episcopo crimini vertit, quòd cum, imperante Ludovico Pio, creatus fuisset Episcopus, primus omnium cruces abjecerit: *Verum etiam cruces materiales, quibus ob honorem & recordationem redemptionis suæ sanctâ consuevit uti Ecclesia, a cunctis parochiæ suæ basilicis dicitur delevisse, evertisse, & penitùs abdicasse.*

CONCL. 1. Licitum est, veræ crucis Christi effigiem exprimere.

Probatur. Tum hæretici Iconomachi, qui octavo sæculo vexarunt Ecclesiam; tum adversantes eis Catholici conveniebant (ut mox observatum est) licitum esse Christi crucis imaginem sive pictura, sive sculptura exprimere; imò fatebantur, cultum religiosum ei deberi, ob idque in basilicis collocandam esse. 2. Crucis imagines, quas (ut dicetur inferiùs) primi etiam Christiani effinxerunt, Constantini Magni temporibus, palam expositæ sunt: nempe sacri illius signi, quod in somno cum hac inscriptione, *Hoc vinces*, Constantinus conspexerat, effigiem ex Christi mandato, qui per quietem ei apparuerat, elaborari jussit, effecitque vexillum, cui *Labari* nomen impositum est: *Hoc vero salutari signo* (ait Eusebius libro 1. de vita Constantini, cap. 32.) *velut munimento adversus hostiles, infestasque vires omnes, perpetuò usus est Imperator, & ejusdem expressas figuras præire deinceps mandavit exercitibus suis. Neque hoc contentus, eandem effigiem tum militum clypeis, tum nummis insculpi voluit.*

Ad Constantini exemplum ubique collocata est eadem crucis effigies: *Quippe reges* (ait Chrysostomus homilia 61.) *deposito diademate, crucem suscipiunt, mortis illius signum. In purpureis vestibus crux mest: in diadematibus crux: in orationibus crux: in armis crux: in sacra mensa crux, & ubique terrarum sole ipso clarius refulget.* Augustinus Sermone 18. de verbis Domini, secundum Matthæum, cap. 9. idem, quod antea Chrysostomus, observat: *Sed* (inquit) *quia ipse honoraturus erat fideles suos in fine hujus sæculi, priùs honoravit crucem in hoc sæculo: ut terrarum principes credentes in eum, prohiberent aliquem morituram crucifigi: & quod cum magna insultatione persecutores Judæi Domino procurarunt, magna fiducia servi ejus, etiam reges in fronte nunc portant.* Vide, quæ inferius dicentur de sacrarum imaginum cultu, ibi enim ostendemus, crucis signum non tantum propositum fuisse ad memoriam Dominicæ passionis, sed etiam ad cultum & venerationem fidelium.

CONCL. 2. Crucis signum, quod transiens dicitur, soletque manibus formari, primis Ecclesiæ sæculis fuit in usu.

Probatur. Tertullianus signi, de quo agitur, meminit in libro de corona militis, cap. 3. ubi sic loquitur: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quæcumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Non tunc recens erat mos ille; illum enim Tertullianus ad eorum usuum genus refert, quod non ex Scriptura quidem, sed ex majorum traditione recepimus. Idem mos ubique Tertulliani ætate receptus erat; nullum invenitur illius initium aut in Conciliis aut in Patrum decretis: igitur juxta Augustini contra Donatistas agentis principia, traditionis est Apostolicæ.

Quæ-

Quæres, cur majores nostri tam sæpè signo crucis frontem muniunt?

Resp. sic se gessisse majores nostros multiplici de causa; 1. ut Christi passionem in memoriam revocarent; 2. ut testarentur, se fiduciam omnem in una Christi morte collocare; 3. quod crederent, illi transeunti crucis signo inesse vim dæmones abigendi, propellendique mala quæ impenderent; 4. denique ut significarent, se Christum non erubescere: *Hujus*, crucis, *signum* (ait Augustinus Tractatu tertio in Joannem) *in fronte gestamus*. De virtute signi crucis, quo frontem munimus, vide Chrysostomum hom. 12. in priorem epistolam ad Corinthios; Augustinum lib. 22. de Civitate Dei, cap. 8. Cyrillum Jerosolymitanum Catechesi quarta, Epiphanium hæresi 30. quæ est Ebionitarum. De virtute, quam per crucis signum, quo sese fideles muniunt, ipse Deus operatur, persuasi majores nostri, illud non propbana modò ritè peragenda, sed etiam in sacris omnibus officiis adhibebant: *Quod signum* (ait Augustinus Tract. 118.) *nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aqua, qua regenerantur; sive oleo, quo chrismate unguntur; sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur*. Extant nunc recentiores heterodoxi, qui nusquam crucis signum adhibent, quique Catholicos, quod eo utantur, superstitionis insimulant: jactitent se, prout libuerit, se doctrinam, ac mores purioris Ecclesiæ adamussim servare.

ARTICULUS V.

Utrum sacræ imagines rectè in templis collocentur.

Not. Iconomachi, una excepta crucis effigie, omnem aliam imaginem sacram ex basilicis ablegari debere sanxerunt in Conciliabulo, cujus decreta in septimo Concilio generali, actione sexta, fusè confutata sunt. Claudius Taurinensis, imperante Ludovico Pio, ipsum etiam crucis signum ex suæ diœceseos templis abstulit. Calvinus libro 1. Institut. cap. 2. damnat usum collocandi imagines in templis; unde illius discipuli, ubicumque possunt, eas frangunt, aut comburunt, vel abradunt. Catholici è contra imagines, tum quæ sacras historias exhibent, tum quæ Christum, crucem, & Sanctos referunt, in basilicis collocant.

CONCLUSIO. Imagines sacræ rectè in templis collocantur.

Probatur 1. Jure naturali vetitum non est sacras imagines effingere, & apud se in privatis domibus servare; id quoque jure divino, quod jam vigeat, prohibitum non est; non est quoque vetitum Ecclesiastico jure, cùm ea de re nulli, qui vim habeant, existant Canones; ut patebit ex solutione objectionum: ergo pariter licitum est eisdem sacris imaginibus basilicas exornare: ideò enim licitum est eas in privatis dominibus servare, quod, si historias sacras describant, sint veluti libri sacri, qui rudes populos ad earum historiarum cognitionem deducant; quod eorum, quorum sunt imagines, memoriam excitent; quod sint muta quædam vox, quæ hortetur ad eorum imitationem, qui in illis repræsentantur; quod probent reverentiam, qua qui eas domi servant, ipsamet exemplaria prosequuntur: atqui imagines sacræ eandem in templis habent utilitatem; unde, cum ineunte sæculo septimo Serenus Episcopus Massiliensis eas, quod nonnullis indoctis & rudibus idololatriæ occasioni essent, ex omnibus suæ diœceseos basilicis abstulisset, durè increpatus est a Gregorio Magno, qui lib. 7. ep. 3. hisce ad eum verbis scripsit: *Præterea indico dudum ad nos pervenisse, quod fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ imagines confregit, atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudavimus; sed frangere easdem imagines non debuisse judicamus. Ideirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illa servare, & ab earum adoratu populum prohibere non debuit: quatenus, & litterarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent, & populus in pictura adoratione minimè peccaret.*

Probatur 2. Qui primis Ecclesiæ sæculis floruerunt, sacras imagines in basilicis collocarunt: ergo ritè in eis, his etiam temporibus, collocari possunt. Probatur ant. Tertullianus (ut superius observatum est) narrat, Christi sub pastoris ovem in ovile reducentis forma imaginem sacris calicibus insculptam fuisse. Sozomenus hist. lib. 4. cap. 20. scribit, statuam Christi, quam erexerat Syrophœnissa, in templum a Christianis religiose introductam fuisse. Eusebius libro 3. de vita Constantini testatur, in templis à Constantino extructis in Palæstina multam fuisse imaginum aurearum, & argentearum copiam. Gregorius Nyssenus, Oratione de Sancto Theodoro, asserit, basilicam, quæ in honorem S. Theodori martyris erecta fuerat, picturis decoratam fuisse; idque non sine fructu: *Solet enim* (ait) *pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse*. Sanctus Asterius Amaseæ in Ponto Episcopus, in Sermone de Sancta Euphemia, scribit, ad ejus loculum appensam fuisse tabulam, quæ Sanctæ martyrium ad vivum adumbraret: *Pictor verò* (ait) *etiam ipse religiosè per artem suam totam pro viribus in linteo designatam historiam ibidem juxta thecam sacram appendit, ac propalàm spectaculum*. S. Paulinus in epistola duodecima, quæ recitata fuit in septima Synodo generali, Actione 4. meminit picturarum & imaginum, quibus Severus Sulpitius extructas à se in Gallis basilicas exornàrat. Cùm autem ii Patres ante quintum sæculum vixerint, evidentissime constat, errare recentiores Iconomachos, cùm ajunt, nullas sacras imagines ante sæculum quintum in templis collocatas fuisse.

Probatur 3. Ineunte sæculo septimo, ubique in basilicis imagines sacræ visebantur: idque ostenditur primùm ex Gregorio Magno, qui duabus epistolis Serenum Massiliensem arguit, quod eas sub alicujus abusus obtentu, è templis suæ diœceseos abstulisset; *Dic frater* (ait epistola secunda ad eum data) *a quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti? Si non aliud vel illud te debuit revocare, ut despectis aliis fratribus, solum te sanctum, & esse crederis sapientem*. Tempore, quo habita est Nicæna II. Synodus, septima generalis, idem usus & in Oriente, & in Occidente invaluerat. Nam 1. Leo Isauricus, & Constantinus Copronymus, qui inter Imperatores bellum sacris imaginibus indixerunt, curarunt, ut ex omnibus basilicis Christianis aufferrentur. 2. Præsules Iconomachi evidenter supponunt, in sacris vasis ac vestibus imagines depictas fuisse, cùm prohibent, ne sub illo obtentu in usus prophanos saltem sine Patriarchæ licentia, transferantur: *Definimus autem & hoc* (inquiunt Actione sexta septimi Concilii generalis) *non audere hominem quemlibet, qui Ecclesia Dei, aut venerabili domui præest, sub obtentu diminutionis talis imaginis erroris, mittere manus suas in sancta vasa, quæ sunt DEO deputata, ouusa transferendi ea in simulacra*, aut, ut fert alia versio, *in alios usus, quòd simulacris depicta sint*. 3. Patres Francofordienses, qui Nicænæ II. Synodo reluctati sunt, imaginum in templis usum admisere; nec non ii, qui Parisiensi conventui sub Ludovico Pio adfuerunt, ut patet ex libro Jonæ Aurelianensis de imaginibus, ubi summo crimini vertit Claudio Taurinensi, quod & crucem & alias sacras imagines ex templis abstulisset. 4. Adrianus Papa I. in Epistola ad Carolum pro Nicæna II. Synodo expressè asserit tempore sexti Concilii generalis imagines ubique in templis collo-

collocatas fuisse. Ab eo tempore ad Calvini aliorumque sæculi decimi sexti novatores, ubicumque idem usus obtinuit.

Objicies 1. Tribus prioribus sæculis nullus erat in basilicis imaginum usus: Siquidem canone 36. hæc habet Concilium Eliberitanum, quod longe ante Nicænum primum habitum est. *Placuit, picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*: ergo nunc quoque in eis collocari non debent.

Respondent nonnulli, inter quos doctissimus Petavius, imagines per tria priora sæcula in Oratoriis, ad quæ Christiani conveniebant, collocatas non fuisse, nec frequenter etiam in domibus privatis servatas; non quidem quòd Ecclesia illarum, sive in domibus privatis, sive in Oratoriis usum damnaret; sed id factum fuisse œconomiæ causa; nempe ne Judæi, apud quos nullas imagines fieri permissum erat, earum expositione offenderentur; & ne etiam scandalo essent Gentilibus conversis, qui idolorum simulacris servierant. Hinc (ajunt illi Authores) mirum non est, quod Concilium Eliberitanum tertio sæculo celebratum statuerit, picturas in Ecclesia esse debere.

Alii, inter quos Vasquesius, ad Concilium Eliberitanum respondent, eo non vetari simpliciter, & absolutè, ne picturæ sint in templis; sed tantum ne fiant in parietibus: idque (ajunt) sancitum fuit, ne imagines parietibus adhærentes, aut Gentilium ludibrio exponerentur, aut ne præberetur eis occasio credendi, non minus in Christiana religione, quam in gentilitate, esse simulacra, quibus latriæ cultus deferretur; aut tandem ne non satis reverenter collocatæ viderentur: scilicet imagines in parietibus depictæ, splendorem & pulchritudinem amittunt, nec ita ad venerationem movent, sicut si in tabulis, aut per se collocentur. Suam responsionem illi Scriptores confirmant 1. ex hisce postremis canonis vocibus: *Ne quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingatur*. Eæ nimirùm voces significant, parum decere, ut id, quod religiosi cultus est objectum, in eo loco collocetur, in quo tectorium facilè decrustari, ac facile etiam fœdari possit. Confirmant 3. ex antiqua, & constanti consuetudine Hispaniæ, in qua Concilium illud habitum est: In paucis Hispaniæ templis (observatio est Gabrielis Vasquesii) præter Sancti Christophori effigiem, imagines in parietibus depictæ reperiuntur; sed plurima templa, aut tabulis depictis, aut statuis ligneis inauratis & coloribus variatis, exornata sunt.

Objicies 2. S. Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus epistola ad Joannem Jerosolymitanum narrat, se dum vicum ex diœcesi Jerosolymitana pertransiret, scidisse velum in templi foribus appensum, eò quòd in eo quædam esset imago depicta: ergo labente quarto Ecclesiæ sæculo, quo in humanis erat Epiphanius, imagines nondum in templis collocabantur. Probatur ant. ipsius in laudata epistola Epiphanii verbis, quæ sic habent: *Preterea quod audivi quosdam murmurare contra me, quia quando simul pergebam ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi Collectam ex more Ecclesiastico facerem, & venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem..... inveni velum pendens in foribus ejusdem Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem, quasi Christi, vel Sancti cujusdam (non enim memini, cujus imago fuerit) cùm ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, contra auctoritatem Scripturarum hominis pendere imaginem, scidi illud, & magis dedi consilium custodibus ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent*. Si autem Epiphanio probata fuisset consuetudo collocandi imagines in basilicis, non dixisset, consuetudinem illam esse contra Scripturarum auctoritatem; nec præ zelo scidisset velum, in quo depicta erat, sive Christi, sive Sancti cujusdam imago: ergo quarto Ecclesiæ sæculo nondum obtinuerat mos imagines in templis collocandi.

Respondet Petavius concedendo, Epiphanio usum, de quo agitur, probatum non fuisse; scilicet (ait) in Ecclesia, cui præerat Epiphanius, vigebat adhuc disciplina, quæ tribus prioribus sæculis passim obtinuerat. Nec id mirum videri debet: siquidem disciplina, quæ per multum tempus invaluit, simul ac semel in omnibus Ecclesiis non evanescit, sed tantùm sensim sine sensu: idque variis exemplis, ac præsertim de celebratione Paschatis, in quamcumque hebdomadæ diem incideret, demonstrari potest.

Respondet Vasquesius, Epiphanium non ideò scidisse velum illud, quòd in eo Christi, aut hominis pro Sancto recogniti depicta esset imago; sed quod homini prophano, hoc est, pro Sancto nondum ab Episcopis agnito, sacer honos exhiberetur. Sic autem suam responsionem probat. Si fuisset imago hominis ab Episcopis pro Sancto recogniti, Epiphanius hisce verbis usus non fuisset, *habens imaginem, quasi Christi, vel Sancti cujusdam*, sed dixisset, *imaginem Christi, aut Sancti*. Addidit vero parenthesim (*non enim memini, cujus imago fuerit*) non ut significaret, se non potuisse discernere, an esset imago Christi, vel alterius Sancti; nam si eam deposuit & abscidit, id facilè judicare potuit: sed ut indicaret, se etiam post examen, scire non potuisse, cujusnam hominis prophani illa esset imago. Quare parenthesis non debet referri ad illud, *Christi, vel Sancti cujusdam*, sed ad illud, *habens imaginem*, ut sensus sit; ideò dixi, imaginem, quæ erat in illo velo, nec addidi, cujus illa fuerit, quia non memini, cujusnam hominis esset: Eam ergo quam ignoravi cujus esset, vidi pendere ante fores templi ea majestate ac veneratione, ac si esset Christi, aut alicujus Sancti. Probat iterum ex his verbis, quæ laudatis in argumento, ab ipsomet Epiphanio subjiciuntur: *Hi contra murmurantes dixerunt, Si scindere volueras, justum erat ut aliud dares velum, & mutares*. Quibus auditis, ipse Epiphanius promisit se aliud daturum, & cessavit murmuratio. At si Epiphanius scidisset imaginem Christi, aut Sancti ab Episcopis pro Sancto recogniti, tam facile non quievissent templi custodes, nec passi fuissent, ut Epiphanius impunè morem damnasset, qui in aliis Ecclesiis vigebat, ut in septima Synodo Catholici, Actione sexta demonstrant. Probat denique ex eo quod discipuli Epiphanii, in ejusdem Epiphanii honorem in Cypro (ut ibidem testis est septima Synodus) basilicam erexerint, quam illius imagine exornarunt. Nec obest, quod idem Epiphanius asseruerit, *contra Scripturarum auctoritatem*, velum illud depictum præ templi foribus appensum fuisse: non enim hoc dixit, quod id in Scripturis sit expressum (nunc enim de veteri testamento non agitur) sed quod contra doctrinam sacræ Scripturæ sit, prophanum hominem judicare Sanctum, illique cultum exhibere religiosum.

Respondent alii, inter quos Alanus Copus, Dialogo 5. capite 21. epistolam, quæ objicitur, non esse Epiphanii, sed supposititiam esse, eò quod in exemplaribus Græcis operum, quæ scripsit Epiphanius, minime reperiatur. Verùm videtur, quòd stare non possit illa responsio. Nam primò inter epistolas Hieronymi, numero 60. legitur. 2. Idem Hieronymus illius quoque meminit in epistola 63. quæ est ad Pammachium, de erroribus Joannis Jerosolymitani, ubi loquens cum eodem Joanne Jerosolymitano, hæc habet de Epiphanio: *Hic per totam epistolam queritur, quod Origenis sequaris errores*. Qui ergo illam epistolam negaverit esse Epiphanii, cogetur dicere ipsam quoque supposititiam esse inter Hieronymi epistolas, imò & idem de epistola ad Pammachium asserere debebit; quod tamen nemo hactenus asseruit.

Respondent alii, epistolam, de qua agitur, non esse omni

omni ex parte suppositicium, sed tantùm verba, quæ ea ex objecta sunt. Nec obstat, quod apud ipsum etiam Hieronymum legantur: non minus enim eorum verborum translatio supposita fuit Hieronymo, quam ipsiusmet Epiphanii exemplari Græco. Probant 1. ea eo quod Iconomachi in suo Conciliabulo, quod falsò septimam Synodum generalem appellarunt, licet aliqua Epiphanii loca in suam de abolendis imaginibus sententiam detorserint; nusquam tamen verbis, de quibus agitur, usi fuerint, ea tamen alioquin non omissuri, cum rem ipsam, saltem prima fronte, conficere videantur. Nec obstat, quod Nicæni secundi Concilii Patres, actione 6. Tomo 5. dicant, laudatam ab Iconomachis tanquam ea Epiphanio epistolam, Epiphanii non esse: non enim loquuntur de Epiphanii epistola ad Joannem Jerosolymitanum, sed de epistola ad Theodosium Imperatorem, ea qua Iconoclastæ in suo Conciliabulo testimonium bauserant: *Ita* (inquiunt) *& præsens testimonium, dicitur quidem, sed non est sancti Patris nostri Epiphanii...... Epistolam enim, quam quidam eorum proferunt, falsò suprascriptam ejusdem Sancti Epiphanii Cypriorum insulæ Præsulis ad Theodosium Imperatorem, nos in manibus accipientes,* &c. Probant 2. ea eo quod eam ad Joannem epistolam Epiphanius hisce verbis ea, de quibus agitur, præcedentibus, claudere videatur: *Cùm hæc ita se habeant, dilectissime, custodi & desine circa nos murmurare.* Probant 3. ex eo quod verba, quæ in argumento relata sunt, videantur ejusdem Authoris non esse, cujus est reliquum epistolæ: non enim sapiunt stylum, quo totum epistolæ corpus conscriptum est. Probant 4. ex eo quod Hieronymus, cum in epistola ad Pammachium, epistolæ Epiphanii mentionem facit, velit tamen (quod tamen res erat non levis momenti) ab Epiphanio conscissi non meminerit.

Parvi ad praxis ecclesiasticæ de collocandis in templis imaginibus defensionem refert, quænam ea responsionibus hucusque allatis eligatur. Nam 1. si suppositicia sint verba, de quibus agitur, nullum est argumentum, quod Heterodoxi recentiores ea ea Epiphanii ad Joannem epistola desumunt. 2. Nullius est quoque roboris, si (ut Vasquesius interpretatur) epistola non agat de Christi, aut Sancti ab Episcopis recogniti, sed hominis prophani imagine. 3. Ad rem etiam non est, si Petavii responsum locum habeat: Scilicet hoc unum probabit epistola, in Ecclesia, cui Epiphanius præerat, adhuc iis temporibus viguisse disciplinam, quæ licet tunc in pluribus alibi abrogata fuisset, per multum tamen temporis spatium, hoc est, per tria priora sæcula, sæviente persecutione, in aliquibus Ecclesiis obtinuerat. Nec inde tamen peti poterit argumentum contra hodiernam praxim de collocandis in templo Sanctorum imaginibus: nimirum absque fidei & morum periculo disciplina vetus in novam aliam, rationibus veteris disciplinæ non stantibus, mutari potest.

Instabis. Epiphanius in epistola ad Theodosium Imperatorem, hæc habet, quæ demonstrant disciplinam, cujus fit mentio in epistola ad Joannem Jerosolymitanum, ipsi probatam fuisse: *Et in hoc memoriam habete, filii dilectissimi, ne inducatis imagines in Ecclesias, neque in cœmeteria Sanctorum; sed per memoriam habete Deum in cordibus vestris: sed neque in domum communem; non enim expedit Christiano per oculos & vagationes mentis efferri*: ergo, &c.

Resp. 1. si valeat ille Epiphanii locus, probaturum esse, quod nec ipsi Calvinistæ admittunt: probabit enim, nec in privatis domibus, etiam secluso scandalo & cultus periculo, licere Christi, aut Sanctorum imagines servare.

Resp. 2. epistolam ad Theodosium non esse Epiphanii opus, nimirùm supposita fuit ab Iconomachis in sui erroris patrocinium. Responsionem illam, Actione 6. Tom. 5. probant septimi generalis Concilii Patres, 1. ex eo quod epistola illa non repertatur inter Epiphanii opera. 2. Sic discurrunt: *Sanctus Epiphanius temporibus erat Theodosii & Arcadii, extenduntur ergo usque ad præsentem hæresim quasi anni quadriagenti. Et libros adversus imagines nullus Christianorum recepit, nisi falsi præsentis nominis assertores: & si tot annis in Ecclesia non fuere recepti, neque nunc recipiuntur, eo quod aliquando recepti non fuerint.* 3. Non est verisimile, Epiphanium praxim damnasse, quam eadem ad Theodosium epistola fidem facit Epiphanium agnovisse probatam ab omnibus aliis tum Orientis, tum Occidentis Præsulibus. *Epistolam enim* (ajunt laudati Nicæni Patres) *quam quidam eorum,* Iconomachorum, *proferunt falsò suprascriptam ejusdem S. Epiphanii Cypriorum insulæ Præsulis ad Theodosium Imperatorem, nos in manibus accipientes, & scrutabiliter, non transitoriè perlegentes, invenimus in fine epistolæ sententiam hujusmodi contineri: Quia multories locutus eam comministris meis, ut auferrentur imagines, receptus non sum ab eis, neque audire vocem meam saltem paululum passi sunt.* 4. Pseudo-Epiphanii textui iidem Patres Nicæni opponunt doctissimos Præsules, qui coævi erant Epiphanio: *Intendimus ergo* (inquiunt) *qui fuerint temporibus jam memoratis Patris nostri Epiphanii in Ecclesia illustres magistri, & inexpugnabiles munitiones Ecclesiæ: Basilius Magnus, Gregorius cognomento Theologus, Gregorius Nyssenorum civitatis Præsul, pater patrum ab omnibus nominatus: & Joannes Chrysostomus & Cyrillus Hierosolymitanus.* 5. Epiphanius non damnavit disciplinam, quam immediatè post Epiphanii mortem executioni mandarunt illius discipuli: *Etenim* (ait eadem sacra Synodus) *templum deo dicaverant in Cypriorum insula ejus discipuli, nominantes illud ejusdem vocabulo Patris; & cum multis aliis tisalaribus picturis imaginem ejus in ipso templo locaverunt. Et si iste taliter venerabilium abominaretur valuum imaginum, quomodo discipuli ejus imaginaliter hunc depingerent?*

Objicies 3. Augustinus Epistola, quæ est 49. in veteri editione, docet, simulacra, cum in sublimi collocantur, nata esse populos in errorem inducere: *Ipsa* (inquit) *similitudine animatorum membrorum, atque sensuum, quamvis sensu & anima careant, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur*: ergo imagines palam in templis collocari non debent.

Resp. dist. ant. Simulacra inanium Deorum, cum in sublimi collocantur, nata sunt populos in errorem inducere, conc. ant. imagines aut Christi, aut Sanctorum, aut sacrarum historiarum, neg. ant. Non de istis, sed de illis, eo loci Augustinus agit: siquidem differit de idolis, in quibus Gentiles putabant aliquid numinis latere: hæc autem iis, qui putant aliquid numinis habere, ita animum commovent ipsa similitudine membrorum atque sensuum, ut ipsis vivere videantur; ac proindè eos in errorem inducunt: econtra Christianis, qui profitentur, nullam imaginibus inesse virtutem, nullamque nisi ea exemplari dignitatem, etiam extrinsecam, habere, periculum non est (præsertim accedentibus pastorum frequentioribus monitis, quæ adhiberi jubet Concilium Tridentinum) ne rudes popolos pertrahant in errorem, quo credant, non tantum exemplaria, sed exemplariorum imagines vivere.

ARTICULUS VI.

Utrum sacræ imagines coli debeant.

Not. 1. Alia est hæc quæstio ab iis, quas quinque superioribus articulis pertractavimus. Quamvis enim supponatur licere Deum, crucem Christi, Christum ipsum, Angelos, Sanctos homines figuris exprimere, eorumque imagines in templis collocare; non sequitur tamen deberi eis cultum aliquem religio-

sum: nempè pingi possunt vel ad excitandam Dei, veræ crucis Christi, Angelorum, Sanctorum hominum, memoriam, vel ad privatarum domorum & publicorum templorum ornatum; vel ad fidelium instructionem; vel ad excitandos homines ad exemplarium imitationem, licet nullus eis religiosus cultus deferatur.

Not. 2. Iconomachi (ut ad caput articuli quarti superiùs observatum est) omnem imaginum cultum religiosum (eo tamen excepto, qui veræ cruci Christi, & ejus figuræ exhibetur) idololatricum esse censebant. Hæretici, qui Protestantes appellantur, post Claudium Taurinensem, qui octavo sæculo vixit, contendunt, eum etiam cultum religiosum, qui si sive veræ Christi cruci, sive illius figuræ, sive Christi, sive Sanctorum imaginibus defertur, cultum esse idololatricum ac superstitiosum. Econtra Catholici docent, cultum sive cruci Christi veræ, sive illius figuris, sive aliis sacris imaginibus delatum, esse pium ac sanctum: *Imagines porrò Christi* (ait Concilium Tridentinum, sess. 25.) *Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam: non quòd credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colenda: vel quòd ab eis sit aliquid petendum: vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat à Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant.*

CONCLUSIO. Cultus religiosus sacris imaginibus debetur.

Probatur 1. ex Scriptura. Cherubimi ad Arcæ latera positi, imagines erant Angelorum; idque Judæis notum erat: Atqui Cherubimis cultus à Judæis exhibebatur; alio enim modo, quam res prophanæ apud eos habebantur: ergo, cum rebus prophanis, saltem si sint alicujus dignitatis, deferatur honor civilis, sacris deferri debet religiosus, hoc est, a virtute religionis imperatus. Idem dici debet de æneo serpente, quem Moyses Dei jussu erexit in deserto: cum enim, qui inter Judæos spirituales erant, scirent, ipsum esse Christi in cruce pendentis figuram, non poterant ad ejus conspectum, non adorare Christum. Idem quoque judicium ferri debet de Arca fœderis, quæ Dei majestatem exhibebat; unde coram Arca fœderis Judæi procumbebant: *Josue pronus cecidit super terram coram Arca Domini usque ad vesperam* (verba sunt Scripturæ Josue 7.) *tam ipse, quàm omnes senes Israel.* David Rex (ut habetur 2. Regum 6.) summa cum solemnitate eandem Arcam transtulit: ea verò solemnitas non aliud est, quam honor, non quidem civilis, cum Arca res esset apud Judæos maximè sancta, sed religiosus, id est is honor, qui rebus sanctis, seu res sacras repræsentantibus, debetur. Idem Rex Propheta Psalmo 98. jubet, ut eidem Arcæ, quòd esset Dei scabellum, id est, locus, in quo Dei majestas modo peculiari residebat, adoratio exhibeatur: *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.* Iidem Judæi ad Dei nomen, externa signa venerationis exhibebant. Paulus monet, ut quisque, audito Jesu nomine, procumbat in genua: *In nomine Jesu* (ait ad Philippenses 2.) *omne genuflectatur.* Atqui ideò Judæi, audito Dei nomine, exibebant externa venerationis signa; ideò Christiani ad Jesu nomen genua flectunt, quòd Dei & Jesu nomina, sint Dei & Jesu imagines, non quidem permanentes, ut sunt figuræ, quæ in tabellis depinguntur, sed transeuntes: ergo, ex Scriptura, sacris imaginibus honor religiosus exhiberi debet.

Dices, maximum esse discrimen inter honorem, quem Judæi Cherubimis, æneo serpenti, Arcæ fœderis & Dei nomini exhibebant, & eum, quem Catholici deferunt imaginibus; nempè Judæi non colebant materiam, ex qua constant Cherubimi, Serpens æneus & Arca fœderis; nec sonos, seu litteras, ex quibus Dei nomen: sed adorabant Dei majestatem, cujus memoriam externa illa signa excitabant. Econtra verò Catholici, & materiam & figuram imaginum colunt; ac proinde quamvis Judæi non fuerint rei idololatriæ propter honorem rebus illis insensibilibus exhibitum, illius tamen rei sunt Catholici coram imaginibus procumbentes.

Sed frivola est ejusmodi responsio. Scilicet Protestantes Catholicis imponunt factum, quod expresse negant: declarant enim se, cum ante imagines sacras edunt aliqua venerationis signa, nec materiam, nec figuram imaginum colere, sed prototypa, quæ per imagines repræsentantur: *Quoniam* (verba sunt Concilii Tridentini sess. 25. Titul. de veneratione imaginum) *honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Eadem ratione calumniam illam ab Iconomachis in suo Conciliabulo Catholicis impositam diluunt Nicæni Patres in septima generali Synodo.

Probatur 2. specialiter contra veteres Iconomachos, qui (ut superiùs ostensum est) venerabantur veram Christi crucem & ejus imagines. Ideò veræ cruci debetur honor, quòd res sit sancta, utpotè, quæ Christi sanguine irrorata fuerit; ideò veræ crucis imagines venerabantur, quòd rem sanctam repræsentarent: atqui imagines, sive Christi, sive Sanctorum, res quoque sanctas repræsentant; imò & ipsa vera cruce sanctiores: ergo non minùs istorum imaginibus, quam veræ crucis imaginibus, exhibendus est honor religiosus. Ita sæpiùs ratiocinantur Nicæni Patres in septima Synodo generali.

Dices, veteres Iconomachos idololatriæ reos fuisse, quod veræ cruci ac ejus imaginibus religiosum honorem detulerint.

Sed Protestantes illam solutionem, si possint, concilient cum suo systemate; nempè cum urgentur a Catholicis, ut laudent veteres, qui negaverint sacris imaginibus deferri debere cultum, in suæ causæ patrocinium laudant aut Iconomachos, quos Nicænum secundum Concilium confutavit; aut Patres Gallicanos, qui Francofurti sub Carolo Magno, & Lutetiæ sub Ludovico Pio ad Concilium convenerunt; at si debeat admitti responsio, de qua agitur, idololatras vocant in sui subsidium, cum certo constet, & Iconomachos & Patres Gallicanos censuisse, tum veræ cruci, tum ejus imaginibus cultum deberi religiosum.

Probatur 3. Ab exordiis Ecclesiæ usque ad sæculum, quo Protestantes adversus eandem Ecclesiam insurrexerunt, honor religiosus exhibitus est sacris imaginibus: ergo nunc quoque exhiberi debet. Antecedens ostendi potest, & argumento præscriptionis, & argumento discussionis.

Primò, cum Iconomachi cultum imaginum oppugnarunt, ubique cultus ille pius ac licitus habebatur: in omnibus nimirum templis, venerationi fidelium (ut articulo præcedente ostendimus) exponebantur; imo & in ipsorum Iconomachorum basilicis retentæ sunt crucis imagines, eisque cultus religiosus delatus est: ergo sæculis, quæ octavum præcesserant, idem honos imaginibus exhibitus fuerat: neque enim aut veteres Iconomachi, aut hodierni Protestantes, notare possunt tempus, quo imaginibus cultus ille deferri cœperit, nec auctores appellare, per quos primùm in Ecclesiam invectus sit.

Secundò, Patres antiqui expressè definierunt cultum religiosum sacris imaginibus deberi. Diffiteri nemo potest, quin ubi vera Christi crux reperta fuit, statim ubique coli cœperit, ut videre est apud Paulinum Nolæ Episcopum Epist. XI. quæ est ad Severum Sulpicium,

apud

apud Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi X. apud Joannem Chrysostomum Hom. LXI. in qua Christum demonstrat esse Deum, quod id, quod probrosum & ignominiosum antea ducebatur, passione sua gloriosum effecerit; apud Rusticum Diaconum, qui in Dialogo contra Acephalos sic loquitur: *Clavos quibus confixus est Christus, & lignum venerabilis crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat*; apud Theodoretum quæst. 26. in Genesim; apud Augustinum libro vigesimo secundo de Civitate Dei, cap. 8.

Diffiteri quoque nemo potest, quin veræ crucis effigiei, sive permanenti, sive transeunti, honor exhibitus sit. Ideò enim primi Christiani a Gentilibus vocabantur *Cruciarii* (ut patet ex Tertulliano libro primo ad Nationes cap. 12. ex Origene libro secundo contra Celsum) quod crucis imagines colerent. Idque potest confirmari ex Juliano Apostata, qui cum Christianorum sacris innutritus fuisset, accuratè noverat illorum praxes; sic autem loquitur apud Cyrillum libro 6. contra ipsum Julianum: *Pro eo* (clypeo, ut dicebat, è cœlo delapso) *crucis lignum adorant, ejus imagines adumbrantes in frontibus, & prœ ædibus suis inscribentes*. Anastasius Bibliothecarius in Præfatione ad septimam Synodum expressè ait, ubique, etiam apud Iconomachos, adoratam fuisse tum veram crucem, tum depictam, aut sculptam illius effigiem.

Alii à veræ crucis imaginibus cultum deberi expressis textibus docuerunt veteres, qui ante Iconomachos vixerunt. Chrysostomus Sermone in lavationem quintæ feriæ, sic loquitur: *Non tabulam honorantes, neque perfusam cera picturam, sed characterem Imperatoris: sic creatura non terrenum habitum, sed cœlestem figuram veneratur.* Sic etiam Athanasius Sermone 4. contra Arianos: *Qui ergo adorat imaginem, in ipsa adorat Imperatorem.* Sic etiam Basilius in Epistola ad Julianum transgressorem: *Unde & characteres imaginum eorum* (de Prophetis, Apostolis & Martyribus agit) *honoro & adoro: præcipuè cum hoc traditum a sanctis Apostolis, & non prohibitum sit: quin & in omnibus Ecclesiis nostris ostendatur depictum.* Vide plurima alia Patrum loca, quæ inferiùs agentes de specie cultus, qui sacris imaginibus debetur, recensebimus; quæque Nicæna II. Synodus actionibus quinta & sexta describit. Vide etiam antiquas liturgias, in quibus inclinatio capitis sacerdoti sacra mysteria peragenti præscribitur ad Sanctorum imagines: *Sacerdos* (verba sunt liturgiæ, quæ Chrysostomo tribuitur) *ad imaginem Christi caput inclinat.* Vide etiam Damascenum Orat. 1. 2. & 3. de imaginibus.

Idem imaginum cultus probari potest rationibus. 1. Plurima miracula patrata sunt, quibus Deus aut iram demonstravit in eos, qui imagines contemnerent, aut beneficia in eos, qui eas pie venerarentur; neque enim Deus edit miracula, quibus error confirmetur. Ejusmodi vero miracula legere est in veterum monumentis, quæ in septima Synodo generali, actionibus quinta & sexta, referuntur. 2. Regis imago ob ipsam regiam dignitatem, quam repræsentat, honore civili prosequimur: ergo a pari, honore religioso prosequi debemus Sanctorum imagines ob supernaturales eorum virtutes, quæ in imaginibus repræsentantur. 3. Honor imagini delatus redundat in eum, quem repræsentat, sicut & injuria illata imagini refunditur in illius prototypum: ergo cum Sanctis, qui in imaginibus repræsentantur, cultus debeatur; honor eorum imaginibus delatus, in eosdem Sanctos refunditur. Ita ratiocinatur Simeon Stilita in Epistola quinta ad Imperatorem Justinianum, quæ refertur in septima Synodo, actione quinta; in ea nimirum Epistola suadet Imperatori, ut severè animadvertat in eos, qui sacras imagines malè tractaverint; sicut etiam leges politicæ gravissimam pœnam in eos decernunt, qui statuam Imperatoris affecerint ignominia.

Solvuntur argumenta, quibus imaginum cultus impugnatur.

Not. Quæ contra imaginum cultum objiciuntur, reducuntur ad nonnulla Scripturæ verba; aliqua testimonia Irenæi, Eusebii, Ambrosii, Augustini, Gregorii Magni; ad libros, qui Carolini dicuntur; ad Concilia, quæ ab Iconomachis olim habita sunt; ad Concilium Francofordiense; ad conventum Parisiensem sub Ludovico Pio: necesse est igitur, ut ea momenta sigillatim expendamus.

Solvuntur, quæ ex Scriptura, Irenæo, Eusebio, Ambrosio & Augustino objiciuntur.

Objicies 1. In Scriptura veteris Testamenti prohibetur, ne quis cultus, cujuscumque sit rationis, sculptilibus exhibeatur. Silicet prohibetur cultus, quem Gentiles idolis & Judæi simulacris detulerunt: at is cultus non erat latriæ cultus; neque enim Gentiles aut Judæi simulacra aliquando pro Diis venerati sunt: ergo omnis omninò cultus religiosus prohibetur.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. neg. utramque partem. Nam 1. Gentiles simulacra pro Diis habuisse, demonstrant hæc verba Sapientiæ 13. *Appellarunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem & similitudinem animalium.* 2. Judæos ejusdem criminis reos fuisse probat Scriptura; siquidem Exodi 32. ad Aaronem dixerunt: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant:* & conflato vitulo, dixit Aaron ad populum: *Hi sunt Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* 3. Gentiles credebant, deos suos, saltem per virtutem aliquam, inesse simulacris, quibus thus adolebant: at neutrum Christiani credunt; hoc est, non credunt, imagines aut Deos esse, aut aliquam in eis esse virtutem, propter quam cultum mereantur: *Non quod credatur* (inquit Concilium Tridentinum sess. 25.) *inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant.*

Objicies 2. Irenæus libro 1. capite 24. inter alios Carpocratis & Gnosticorum errores, hunc quoque refert, quòd depictam haberent imaginem Christi, eamque coronarent. 2. Ambrosius hæc habet in Oratione de obitu Theodosii: *Helena crucem invenit, Regem adoravit, non lignum utique; quia est error Gentilium.* 3. Sic etiam loquitur Hieronymus in caput tertium Danielis: *Cultores Dei, imagines adorare non debent.* Hæc quoque scribit Augustinus libro de moribus Ecclesiæ, cap. 34. *Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores:* ergo; &c.

Resp. ad 1. Carpocratianos & Gnosticos superstitiosa Gentilium sacrificia imagini Christi obtulisse; unde & eam inter Gentilium simulacra collocabant: *Cum quibus* (scilicet Protagora, Aristotele, & aliis) *etiam alias imagines Jesu collocant, collocatasque adorant, & gentium ministeria perficiunt. Erectis enim his imaginibus de cætero gentium mores servant. Qui verò sunt gentium mores alii, quam sacrificium atque alia?* Verba illa desumpta sunt ex Epiphanio, hæresi 27. ubi Carpocratianorum & Gnosticorum errores describit.

Resp. ad 2. Ambrosium loqui de adoratione, quæ similis esset ei, quæ idolis a Gentilibus exhibebatur; hoc est, Sanctus Doctor scripsit, Helenam non adorasse lignum, aut credendo, quod in eo esset aliqua divinitas, aut suum in ligno affectum collocando; sed ita, ut deosculans crucem, ac coram ea procumbens, internum servitutis affectum ad Christum direxerit.

Resp. ad 3. Augustinum eo loci de iis agere, qui

non

non tumulos Martyrum, nec picturas Sanctorum colebant; sed de iis, qui ad quorumcumque hominum sive tumulos, sive picturas, festa conviviis, aliisque lætitiæ demonstrationibus celebrare videbantur. Hos autem arguit Augustinus, quod ille prophanorum hominum cultus religionis Christianæ moribus repugnet. Aliud sensit Sanctus Doctor de iis, qui ad martyrum sepulchra deferebant epulas, quibus & ipsi & pauperes vescerentur; eorum enim laudat zelum, licet non approbet factum; ut patet ex libro 2. Confess. cap. 2. nec non ex libro 8. de Civitate Dei capite ultimo.

Objicies 3. Eusebius Cæsariensis negat, Christi imaginem effingi posse; nam in Epistola ad Constantiam Licinii uxorem ea ratione utitur, ut liberet se a mittenda quadam imagine Christi, quam Augusta ab eo petierat; probat vero Christum figurari non posse, quod nec Verbum, nec humanitas unita Verbo, ad vivum exhiberi possint; præsertim post resurrectionem, in qua Christi corpus summa gloria cumulatum est: *Sed* (inquit) *de forma quidem Dei, nec ipse arbitror te quærere, semel ab ipso edoctam, quoniam neque Patrem, quis novit, nisi filius, neque ipsum filium novit quis aliquando dignè, nisi solus Pater, qui eum genuit .... Sed utique servi forma imaginem quæris, & corpusculi, quo amictus est propter nos; sed & id gloria divinitatis temperatum didicimus, & absorptum esse mortale à vita ...... Qui ergo hujusmodi dignitatis & gloriæ vibrantes & præfulgentes radios exarare potuisset mortuis & inanibus coloribus?*

Respondet Petavius, epistolam illam falso ab Iconomachis Eusebio Cæsariensi adscriptam fuisse; nec enim Eusebianum stylum, aut charecterem redolet. Respondent Patres septimæ generalis Synodi, Eusebium, cum Arianus esset, sensisse, Verbum in Christo fuisse animæ rationalis loco; ac proinde Verbo tribui debere dolores, quos Christus passus est: unde inter Theopaschitas recenseri debet; Theopaschitæ verò contendebant, non esse licitum Christi imagines effingere. Respondent alii, Eusebium iis rationibus, quarum meminit argumentum, usum fuisse, ut se liberaret a mittenda imagine, quæ in aula Licinii Imperatoris Ethnici aut scandalo fuisset Gentilibus, aut saltem eorum patuisset contumeliis. Respondent demùm alii, Eusebium eò loci silere omninò de cultu imaginibus debito, loqui vero tantùm de praxi suæ Cæsariensis Ecclesiæ, in quam publicus imaginum usus nondum obtinuisset; nec enim (ut superiùs observatum est) consuetudo de non exponendis palam sacris imaginibus, quæ pluribus in locis sæviente persecutione viguerat, ubique simul & semel evanuit.

Solvuntur, quæ objiciuntur ex Gregorio Magno.

Objicies. S. Gregorius Magnus in suis ad Serenum Episcopum Massiliensem Epistolis docet, nullum plane cultum imaginibus deberi. In priore Epistola, quæ libro 7. numero 110. legitur, hæc habet S. Papa: *Judicio dudum ad nos pervenisse, quòd fraternitas vestra quosdam imaginum adoratores aspiciens, easdem Ecclesiæ imagines confregit, atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manu factum adorari possit, habuisse laudamus: sed frangere easdem imagines non debuisse, judicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut ubi litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas servare, & ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus & litterarum nescii haberent, unde scientiam historiæ colligerent, & populus in picturæ adoratione minimè peccaret.* Ex iis verò Gregorii verbis sic conficitur argumentum: Gregorius cum Sereno conveniebat, imagines adorari non debere; dissentiens autem erat in eo, quòd Serenus nollet eas in templis collocandas esse; è contra Gregorius & Serenus omnem omninò cultum religiosum intelligebant. Nam 1. si Serenus censuisset, imaginibus deberi alium ab adoratione latriæ cultum, non fuisset, cur fregisset imagines; scilicet eas retinuisset, ut populus, non latriam quidem, sed inferiorem cultum eis deferret. 2. Si Gregorio persuasum fuisset, imaginibus, quibus deferri vetuit latriam, deberi minorem alium cultum, ejusmodi cultus meminisset ad Serenum rescribens; nempe debuisset eum monere, non ideo tantum imagines in templis retineri debere, quod aptæ sint ad rudis populi instructionem, sed etiam quod cultum aliquem religiosum mereantur: atqui Gregorius non monuit Serenum; sed unius imaginum utilitatis meminit, eaque sola ratione usus est, ut Sereno suaderet imagines in templis retineri debere.

Confirmatur argumentum ex altera ejusdem Gregorii ad Serenum epistola, quam libro 9. numero nono legere est. In ea nimirùm, sicut & in priore, 1. Gregorius damnat Serenum, quod imagines confregisset; laudat vero, quod probibuisset: *Perlatum siquidem ad nos fuerat, quòd inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem, quia eas adorari vetuisses, omninè laudavimus; fregisse verò reprehendimus.* 2. Docet, imagines multum conferre ad rudium & idiotarum instructionem: *Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam, quid sit adorandum, addiscere. Nam, quod legentibus Scripturas, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa etiam ignorantes vident, quod sequi debeant, in ipsa legunt, qui litteras nesciunt.* 3. Addit, ad eum dumtaxat finem, hoc est, ad rudium instructionem, imagines in templis collocari: *Frangi vero non debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum.* 4. Monet, ut oves, quæ propter Imaginum fractionem a sui pastoris societate discesserant, ad ovile reducere conetur: *Convocandi enim sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisque Scripturæ sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorare non licet; quoniam scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Ac deinde subjungendum est, quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes litteras ipsam historiam intendentes, quid actum sit, discerent, quia transisse in adorationem videras, idcircò commotus es, ut eas imagines frangi præciperes.* 5. Jubet, ut populum sibi creditum doceat ad imaginum conspectum conari quemque debere ad compunctionem cordis; prostrationem, quæ fit coram imaginibus, ad unam Trinitatis adorationem referri debere: *Sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur:* In tota illa epistola damnatur absolutè imaginum adoratio; nec apex quidem est, quo probetur cultus latria minor, qui in communione Romana imaginibus exhibetur: ob hoc tantùm in templis collocari Gregorius asserit, quòd ad idiotarum instructionem conferant: præcipit, ut populus, dum ante imagines prosternitur, non ad imaginem, sed ad SS. Trinitatem cultum suum referat.

Resp. dist. maj. Gregorius cum Sereno conveniebat imagines adorari non debere cultu latriæ, conc. maj. cultu, qui minor sit latria, neg. maj. De illo, non autem de isto, quæstio est in epistolis Gregorii ad Serenum.

Ratio solutionis est, quia Gregorius eum dumtaxat cultum damnavit, qui primo Decalogi mandato probibetur; scilicet monet Serenum, ut primo Decalogi mandato utatur, quò rudem populum avertat ab imaginum adoratione: *Ostendendum* (inquit epistola secunda) *quia omne manufactum adorare non licet, quoniam scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi*

soli

fideli servies. Atqui cultus religiosus latria minor, primo Decalogi mandato non prohibetur: alioquin enim dicendum esset prohiberi honorem, quem Episcopis exhibemus; cultum, quo Sanctos una cum Christo regnantes prosequimur; venerationem, quam reliquiis deferimus; at dici non potest, saltem in Gregorii sententia, de qua est hic quæstio, primo Decalogi mandato prohiberi honorem sacrum, quo Episcopos, Sanctos, Reliquias prosequimur: ergo, &c.

Ratio est 2. quia falsò supponitur in objectione, quod Gregorius religiosi cultus latria minoris in suis ad Serenum epistolis non meminerit: Nam probavit 1. ut imagines honorificè in templis collocentur: *Et quia* (ait Epistola secunda) *in locis venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admisit*: &c. Probavit 2. ut ad imaginum conspectum fidelis populus detectum caput inclinet, genua flectat, in humum procumbat, ac ad compunctionem excitetur; eos nimirùm exteriores actus innuunt hæc ejusdem Gregorii verba: *Sed hoc solicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur*: at iis in exterioribus actibus, qui ad prototypum coram imaginibus terminentur, positus est cultus, qui debetur imaginibus; non enim Concilium Tridentinum aliis verbis, quam quibus antea Gregorius, ulum est, cum ejusmodi cultum fideli populo commendavit: *Sed quoniam* (inquit sess. 25.) *honor, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant, ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur*. Eadem quoque verba Hadrianus Papa in responsione ad Carolum Regem adhibuit.

Ratio est 3. quia idem Gregorius lib. 7. epist. 54. laudat Secundinú, quod imaginem Salvatoris peroptaret, quod ad illius conspectum procumberet; quòd ea uteretur, ut mysteriorum Christi memoriam in se ipso excitaret: *Scio quidem* (ait) *quod imaginem Salvatoris nostri non ideò petis, ut quasi Deum colas; sed ob recordationem filii Dei, in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem, non quasi ante divinitatem, ante illam prosternimur; sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, aut in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura, quasi Scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet*.

Ratio est 4. quia idem Gregorius lib. 7. epist. 5. ad Januarium Calaritanum data, jubet ut crucis & Virginis Deiparæ imagines, quas Judæus quidam collocarat in suorum gentilium Synagoga, quam post receptum in Ecclesia baptismum per vim occupaverat, jubet (inquam) ut Judæis Synagoga reddatur: *Sublata* (inquit) *exinde cum ea, qua dignum est, veneratione, imagine, atque cruce*.

Solvuntur, quæ ex libris Carolinis objiciuntur.

Not. Calvinus libro 1. Institutionum, cap. 2. Centuriatores Magdeburgenses centuria 8. cap. 9. aliique sæculi decimi sexti novatores plures faciunt libros, qui vulgò *Carolini* dicuntur, eò quòd aut a Carolo Magno, aut saltem illius jussu, contra septimam generalem Synodum conscripti sint. In iis vero libris Iconomachia (ut putant) adstruitur, omnisque sanctarum imaginum cultus in secunda Nicæna Synodo assertus, evertitur: expendendum est igitur, an res ita se habeat, seu utrum ex illis libris argumentum peti possit adversùs imaginum venerationem.

Objicies. Quatuor libris Carolinis omnis imaginum cultus damnatur tanquam religioni christianæ contrarius. Nam 1. librorum illorum author Nicæni Secundi Concilii Patribus eripit, tum Scripturæ, tum traditionis textus, quibus cultum imaginum adstruere conati fuerant, concluditque, imaginum *adorationem, nec per Patriarchas, nec per Prophetas, nec per Apostolos, nec per Apostolicos viros uspiam institutam esse*. 2. Nicænam secundam Synodum arguit imprudentiæ, & præsumptionis, quòd anathema iis dixerit, qui imagines adorare renuerint. 3. Docet libro secundo, cap. 21. soli Deo adorationem exhiberi posse; & ubi id Scripturis ostendit, concludit, nullum omninò cultum sacris imaginibus deferri posse: *Solum Deum colere, ipsum adorare, ipsum glorificare debere, totius divinæ Scripturæ tuba terribilis insonat..... imagines verò omni sui cultura, & adoratione seclusa, utrum in basilicis propter memoriam rerum gestarum, & ornamentum, sint, an etiam non sint, nullum fidei catholicæ afferre poterunt præjudicium; quippè cum ad peragenda nostræ salutis mysteria nullum penitùs officium habere noscantur*. 4. Contendit libro secundo cap. 25. venerationem, quæ Sanctis vita functis debetur, imaginibus deferri non posse. Cap. 29. negat imagines posse cum Evangeliorum libris comparari. Libro 2. cap. 26. arguit Nicænam Synodum, quòd Sanctorum imagines cum cruce comparaverit. Libro 3. capite 24. non patitur, ut cum Sanctorum reliquiis conferantur. 5. Non absolutum duntaxat cultum abdicat imaginibus, sed etiam relativum: *Dicant igitur* (inquit libro 3. cap. 16.) *quibus hoc tam peculiare est dicere, quia imaginis honor in primam formam transit: dicant si hoc legerint, aut quibus valeant testimoniis approbare*.

Respondent Sanderus libro 2. de imaginibus cap. 5. Alanus Corpus, Dialogo 4. cap. 19. Surius & Bellarminus, libros, de quibus agitur, non esse aut a Carolo Magno, aut illius jussu editos; sed esse hæretici cujusdam opus, quod cum in manus Imperatoris incidisset, ab eo missum est ad Hadrianum Papam, ut illud refelleret.

Verùm ea responsio stare non potest. Nam 1. Carolus Magnus in præfatione totius operis profitetur, se authorem esse librorum illorum: *Quod opus* (ait) *aggressi sumus cum conhibentia Sacerdotum, in regno à Deo nobis concesso, Catholicis gregibus prælatorum, non arrogantiæ supercilio, sed zelo Dei, & veritatis studio*. 2. Libri primi, capite 6. Author Operis Pipinum regem vocat progenitorem suum: *Veneranda memoria genitoris nostri, illustrissimi atque excellentissimi viri Pipini Regis cura*, &c. 3. Concilium Parisiense, quod in imaginum causa sub Ludovico Pio celebratum est, in Epistola Synodali ad Ludovicum & Lotharium Imperatores asserit Carolum Magnum in Concilio Nicæno secundo quædam capitula reprehendisse, ac prænotata misisse ad Hadrianum Papam, ut illius judicio & auctoritate corrigerentur: *Eandem porrò Synodum* (Nicænam secundā) *cùm sanctæ memoriæ genitor vester coram se suisque perlegi fecisset, & multis in locis, ut dignum erat, reprehendisset, & quædam capitula, quæ reprehensioni patebant, prænotasset, eaque per Angilbertum Abbatem eidem Hadriano Papæ direxisset, ut illius judicio, & auctoritate corrigerentur*: Addit idem Parisiense Concilium, operi, quod Carolus ad Hadrianum direxerat, responsum quidem fuisse, sed omninò incongruè: *Ipse rursus favendo illis* (Nicænis Patribus) *qui ejus instinctu tam superstitiosa tamque incongrua testimonia memorato operi* (hoc est secundi Concilii Nicæni actis) *inseruerant, per singula capitula in illorum excusationem respondere, quæ voluit, non tamen, quæ decuit, conatus est*. 4. Hadrianus Papa capitulorum per Angilbertum Abbatem a se missorum responsionem ad ipsummet Carolum Magnum direxit. 5. Hincmarus Rhemensis libro contra Hincmarum Laudunensem loquens de Nicæna secunda Synodo, à Concilio Francofordiensi rejecta, meminit voluminis a Carolo Magno ad Hadria-

drianum contra eandem septimam Synodum missi: *De cujus destructione* (ait) *non modicum volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore* (Carolo) *Romam est per quosdam Episcopos missum*, &c. 6. Exemplaria mss. Vaticanum & Tillianum Caroli Magni nomen præ se ferunt; sic enim habetur in Tilliano: *In nomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, incipit opus illustrissimi, & excellentissimi, seu spectabilis viri Caroli, nutu Dei, Regis Francorum...... contra Synodum, quæ in partibus Græciæ pro adorandis imaginibus stolide, sive arroganter gesta est.*

Dices cum Bellarmino, 1. Carolinos libros Iconomachorum errorem tueri: at (addit) Carolus Magnus nusquam pro Iconomacho audiit. 2. Carolus & Hadrianus semper conjunctissimi fuere; unde mortuo Hadriano, Carolus ipse epitaphium posuit.

Sed frivolæ sunt Bellarmini rationes. Prima supponit, Carolinos libros Iconomachiam adstruere; sed falsò; nimirùm pluribus in locis auctor docet se detestari Synodum, quam Iconomachi in Oriente contra sacras imagines, imperante Copronymo, celebraverant: *Gesta sane est* (inquit libro 1. cap. 1.) *ante hos annos in Bithiniæ partibus quædam Synodus, tam incautæ, tamque indiscretæ procacitatis, ut imagines in ornamentis Ecclesiæ & memoria rerum gestarum ab antiquis positas incauta abolerent abdicatione: quodque Dominus de idolis præcepit, hoc illi de cunctis imaginibus perpetrarent, nescientes, imaginem esse genus, idolum verò speciem: & speciem ad genus, genus ad speciem referri non posse.* 2. Stare potuit, & revera stetit amicitia Hadrianum inter & Carolum, quamvis in omnibus Nicænæ secundæ Synodi actis non convenirent. Carolus, servata in Pontificem reverentia, Hadrianus, illæsa cum Imperatore pace, disputarunt. 3. Controversia (ut mox dicetur) Hadriani cum Carolo, non fuit de dogmate, quod Nicæna secunda Synodus definierat, sed de sensu verborum, quibus in adstruendo imaginum cultu usa fuerat; seu de verbis potiùs, quam de dogmate litigarunt.

Respondendum est igitur ad argumentum, missa Bellarmini, aliorumque responsione, Carolinos libros non omnem sacris imaginibus venerationem abdicare; sed tantùm absolutum Latriæ cultum, quem per errorem facti, librorum Auctores crediderant, Nicænos Patres Sanctorum imaginibus adscripsisse.

Ratio est 1. quia librorum Carolinorum Auctor eum dumtaxat cultum abdicat imaginibus, qui primo Decalogi mandato præcipitur; eum enim imaginibus a Nicæna Synodo assertum fuisse crediderat: (*Non enim* (inquit libro 1. capite 2.) *mediocris est error, cum aliud adoratur religionis cultu, quam is, qui dixit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ea autem verba non excludere religiosum cultum latria minorem demonstratur ex eo, quod librorum Auctor asserat, venerationem religiosam cruci, Sanctis, Reliquiis, Codici Evangeliorum, vasis sacris deberi, subirascaturque, quod Nicæna Synodus imagines cum Cruce, Sanctis, Reliquiis, Codice Evangeliorum, vasis sacris, in quibus tremenda mysteria celebrantur, comparare visa sit.

Ratio est 2. quia eam tantum venerationem negat imaginibus deferri posse, quæ spei nostræ objecto, beneficiorum collatori debetur; scilicet putarat, eam venerationis speciem imaginibus a Nicæna Synodo delatam fuisse: *Jam verò* (ait libro 1. capite 18.) *quia se imaginum inspectione salvandos credunt, sicut serpentis inspectione Israeliticus populus à serpentium morsibus sanabatur, si qua forte eis corporis inclementia accesserit, recurrant ad imagines, easque aspiciunt, quatenus dum illarum inspectione minime sanati fuerint, revertantur ad Dominum, & per Sanctorum intercessiones ab eo sanitatem se accepturos credant, qui totius sanitatis, & vitæ est auctor*: Atqui species cultus, qui nostræ fidei objecto, bonorum collatori debetur, est absolutus latriæ cultus: ergo eam tantùm cultus speciem Carolinorum librorum Auctor abdicat imaginibus. Idem ab Auctore supponitur ejusdem libri cap. 24. *Sed nec illud* (inquit) *quod scriptum est, Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, de quodam manufacto vultu intelligendum est; præsertim cum manufacti vultus ideò non deprecandi sint, quia nec exaudire queunt.*

Ratio est 3. quia eam adorationis speciem rejicit Carolinorum librorum Auctor, quam censebat imaginibus assertam in Constantini apud Cyprios Episcopi sententia: atqui censebat Constantinum, cum in Concilio Nicæno suam sententiam protulit, ipsis imaginibus asseruisse eandem adorationem, quæ consubstantiali Trinitati debetur; sic enim laudati Episcopi dictum convellit: *Quis ergo* (ait libro 4. capite 17.) *unquam sani capitis talem absurditatem, vel dixerit, vel dicenti consenserit, ut in tanto honore habeatur picturarum varietas, quanto sancta vivificatrix & omnium operatrix Trinitas? & tale exhibeatur servitium picturæ, quale exhibetur Domino totius creaturæ?*

Ratio est 4. quia eam tantùm adorationem ab imaginibus rejecit, quæ debetur rebus, quæ non repræsentativam tantùm, seu extrinsecam habent sanctitatem, sed veram & internam: *Unde* (ait ejusdem libri capite 26.) *magna ex parte errare eos constat, cum eas sanctas esse asserunt, & in locis contaminatis statuendas decernunt*: atqui adorationis species, quæ debetur rebus, quæ intrinsecam habeant sanctitatem, non est quælibet cultus species, sed tantùm species absoluti cultus, licet latria minoris; cum è contra Nicæni Patres relativum tantum cultum imaginibus, utpotè extrinsecè tantùm sactis, deferendum esse decreverint.

Ratio est 5. quia eum dumtaxat cultum impugnat Author, quem Vigilantius contendebat reliquiis Sanctorum a Catholici impendi: *Quia igitur* (inquit. cap. 27.) *solus DEUS adorandus sit, Martyres verè, vel quilibet Sancti venerandi potius sint, quam adorandi, & in hoc opere jam diximus, & egregii doctoris Hieronymi documentis roborandum est: qui dum contra Vigilantium quendam hæreticum, qui Martyrum reliquias nequaquam dicebat esse venerandas, scriberet, inter cetera ait: Quis unquam, ò insanum caput, martyres adoravit? Si ergo secundum ejusdem sententiam, Martyres non adorantur, multò minus eorum imagines à fidelibus adorandæ sunt.* Atqui cultus, quem a Catholicis Vigilantius supponebat reliquiis impendi, erat absolutus latriæ cultus, ut patet ex Hieronymi verbis: ergo Carolinorum librorum Auctor solum absolutum latriæ cultum imaginibus abdicavit.

Ex iis, quæ hucusque dicta sunt, patet, Opus Carolinum damnare tantum in imaginibus aut latriæ adorationem, aut absolutum duliæ cultum, quem crediderat a Nicæno Concilio secundo imaginibus delatum; hoc est, aut eum, quo jubemur Deum prosequi, aut eum, quem Sanctis, eorumque reliquiis deferimus; non autem cultum latria minorem, & quidem respectivum, seu qui in ipsis imaginum coloribus non inhæreat, sed qui ad prototypa ex mentis affectu referatur.

Instabis. Carolinorum librorum Auctor omnem omninò cultum imaginibus abdicat: ut ex subjunctis momentis patebit.

Primo, ea tantùm lege patitur, ut imagines in templis collocentur, ut nullus ipsis cultus exhibeatur: *Imagines vero* (ait libro secundo capite 21.) OMNI *sui cultura & adoratione seclusa*: &c.

Secundò, contendit, unam tantùm cultus speciem, nimirum adorationem latriæ, admittendam esse; ac proinde cùm adorationem latriæ imaginibus abdicet, omnem quoque eis cultum denegat: *Unde* (inquit lib. 2. cap. 21.) *cavendum illis est, & modis omnibus pertimescendum, ne dum imaginum cultum, & adorationem Chri-*

stiana

ſtianæ religioni ingerere nitantur, ſingularem unius Dei cultum & adorationem fruſtrari videantur. Quæ duo ita inter ſe mutuò reluctantur, ut ſi unum ſteterit, aliud ſtare non poſſit. Si enim ſingularis cultus ſoli & uni Deo debitus inconvulſus erit (& reverà inconvulſus erit) imaginum cultus modis omnibus caſſabitur; & ſi imaginum cultus non convellatur, ſoli & uni DEO cultus debitus, non erit ſingularis.

Tertiò, convellit non abſolutum dumtaxat cultum, ſed etiam relativum: *Dicant igitur* (ait lib. 3. cap. 16.) *quibus tam peculiare eſt dicere: quia imaginis honor in primam formam tranſit, dicant, ſi hoc legerint, aut quibus valeant teſtimoniis approbare.*

Quartè, damnat praxim oſculandi imagines, coram illis procumbendi, concinnandi luminaria, thus adolendi, aliaque hujuſmodi, quæ facienda decreverat Nicæna Synodus: *Admonet etiam* (inquit libro 4. cap 3.) *ne quis ſcandalizetur, eo quod ante imagines luminaria concinnant, & thymiata adolentur: quaſi non illi ſcandalizati ſint, qui rebus luce carentibus luminaria incendunt, & odore carentibus odoriſera thymiamata offerunt. Illi etenim ſcandalizantur, qui ea, quæ dignè Deo offerenda ſunt, rebus ſenſu carentibus offerunt & offerre hortantur: & nos ſcandalizandos autumant, a quibus ſuam veſaniam rationabiliter ſubſannandam formidant.*

Quintè, tandem ubi aſſeruit, Deiparam, ſive in privatis domibus, ſive in baſilicis, nonnunquam depingi aſello vectam, ac cum puero Jeſu, quam in ulnis teneat, fugientem in Ægyptum, concludit, non magis adorari debere Deiparæ, quam aſelli imaginem; non minùs illicitè fideles poſſe oſculari imaginem Deiparæ, quam aſelli imaginem; ac proinde cum nec latria, nec dulia, nec honor aliquis dulia minor, ſive ſit abſolutus, ſive ſit relativus, aſelli picturæ deferri debeat, ita nec ullus omninò imagini Deiparæ exhibendus eſt; *Pingitur autem* (ait lib. 4. cap. 21.) *eadem beata Virgo, qualiter aſelli geſtamine vecta puerum in ulnas ferens, Joſeph prævio, in Ægyptum deſcenderit; qualiterve ex Ægypto ad terram Iſrael redierit: numquidnam hæc omnia adoranda ſunt? cum ergo in quolibet horum imago ſanctæ Virginis puerum tenens peculiaris animantis tergo ſuſcepta adoratur, numquid non ipſius animantis quædam poteſt fieri diremptio: præſertim cum unius ſint materiæ, unoque artificis ingenio compaginata, aut utriuſque adoratio eſt ſpernenda, aut utræque ſunt adorandæ.*

Reſp. ad 1. verba illa, *Omni ſui cultura*, intelligi de abſoluta cultura latriæ. Ratio eſt 1. quia Carolinorum librorum auctor ſemper, ac præſertim toto capite 21. libri ſecundi, *Cultus* nomen ſumpſit pro adoratione ſoli Deo debita: *Solum namque Deum* (ait ibidem) *colere, ipſum adorare, ipſum glorificare, totius divina Scriptura tuba terribilis intonat.* Ratio eſt 2. quia eodem cap. 21. *cultum* opponit venerationi, quam Sanctis una cum Chriſto regnantibus exhibendam eſſe fatetur: at cultus oppoſitus venerationi Sanctorum, eſt ſolus & quidem abſolutus latriæ cultus: ergo ſolum latriæ cultum abdicat imaginibus: *Cunctis etiam Sanctis* (ait) *qui triumphato diabolo cum eo regnant, veneratio exhibenda eſt: imagines verò omni ſui cultura & adoratione ſecluſa*, &c.

Reſp. ad 2. diſt. ant. Auctor Carolinorum librorum unam tantum cultus ſpeciem, adorationem nimirum latriæ, admittendam eſſe cenſet errore facti, conc. ant. errore juris, neg. ant. hoc eſt, ideò contendit, unam tantùm cultus ſpeciem admitti debere, quod putaverit *cultus* nomen non aliud ſignificare, quam abſolutam adorationem latriæ; non verò quod excluſerit quamlibet aliam venerationem religioſam, ſeu a virtute religionis imperatam.

Ratio ſolutionis eſt 1. quia nondum apud Latinos tunc invaluerat uſus ſumendi *cultus* nomen pro alia adorationis ſpecie, quam pro abſoluta adoratione latriæ: idque ex eo probatur, quod non ſolus auctor librorum Carolinorum, ſed etiam Jonas Aurelianenſis, aliique Epiſcopi, qui iis temporibus adverſus ſecundam Nicænam Synodum ſcripſere, nuſquam *cultus* nomen Sanctorum ac reliquiarum venerationi, quam ultrò admittebant, tribuerint.

Ratio eſt 2. quia auctor, de quo agitur, multis in locis fatetur, Sanctis, reliquiis, vaſis ſacris, Evangeliorum codici venerationem deberi; proindeque, cum aſſerit, unam eſſe cultus ſpeciem, abſolutam nimirum latriæ adorationem, non excludit alias religioſi honoris ſpecies latria minores, quamvis nomine cultus eas appellare renuat. Nam 1. (ut jam obſervatum eſt) hæc habet lib. 2. c. 21. de Sanctorum veneratione: *Cunctis etiam Sanctis veneratio exhibenda eſt.* 2. Libro tertio c. 24. ſic de honore reliquiis deferendo loquitur: *Sanctis ergo corporibus honorem impendere, magnum eſt fidei emolumentum... Nos itaque nec cum Vigilantio ejuſque ſequacibus reliquias abnuentes, nec cum Simone ejuſque complicibus imagines adorantes, & reliquiis, ſive Sanctorum corporibus, opportunum obſequium exhibemus.* Libro 2. cap. 29. ſic loquitur de honore, qui ſacris vaſis deferendus eſt: *Hæc quoque vaſa, quæ ad peragendam noſtræ redemptionis myſteria, ſancta habet Eccleſia, ſemper ſunt fidelibus neceſſaria, ſemperque in divino cultu officioſa.* Capite 30. meminit venerationis, quæ tum vivificæ cruci, tum Evangeliorum codicibus debetur: falſum eſt igitur, quod auctor librorum Carolinorum nullam religioſam venerationem, nullum honorem ſacrum, præter abſolutam latriæ adorationem, admiſerit.

Reſp. ad 3. diſt. ant. Carolinorum librorum auctor convellit non ſolum abſolutum, ſed etiam relativum cultum, alio ſenſu intellectum, quam intellexerint Nicæni Patres, conc. ant. in ſenſu Nicænorum Patrum intellectum, neg. ant. Per cultum relativum Nicæni Patres intellexerunt venerationem, quæ non imaginum coloribus, aut materiei, ex qua conſtant, exhibeatur; ſed quæ coram imaginibus, ipſis earum prototypis deferatur. Econtra auctor, de quo eſt hæc quæſtio, intelligit cultum relativum de honore, qui ſit veluti effectus honoris, quo prototypa coluntur, quique ipſis imaginum delineamentis ac materiei deferatur, ſeu, qui propter prototyporum honorem, artificum operi ac materiæ exhibeatur. Ea ex falſa ſuppoſitione cultum relativum meritò rejicit ac ſuggillat; neque enim aliquis religioſus honor lineamentis, aut materiæ imaginum, etiam propter prototypa, debetur; quaſi verò honor, qui Sancto coram illius imagine defertur, alius ſit ab eo, qui ipſimet Sancto, ſi viſibiliter præſens eſſet, exhiberetur. Jam verò, quod ea, qua mox dictum eſt ratione auctor relativum honorem intelligat, variis momentis demonſtrari poteſt.

Demonſtratur 1. ex his authoris verbis libro tertio cap. 16. *Quis eos credat imaginum adoratione delectari, aut picturarum obſequiis demulceri? aut qualiter ad eos honor picturis exhibitus, quæ nec de illorum corpore, ſeu veſtibus ſunt, ſed pro captu ingenii cujuſque ab artificibus præparantur, poteſt pervenire.*

Demonſtratur 2. ex eo, quod putaverit, imaginem pro majori aut minori cum prototypo ſimilitudine, pro majori vel minori illius venuſtate, ea mente Nicænorum Patrum, majorem aut minorem honorem mereri: *Nam* (ait ibidem) *cum imagines plerumque ſecundum ingenium artificum fiant, ut modo ſint formoſæ, modo deformes, nonnunquam pulchræ, aliquando etiam fœdæ, quædam illis, quorum ſunt, ſimillimæ, quædam verò diſſimiles, quædam novitate fulgentes, quædam etiam vetuſtate fatiſcentes: quærendum eſt, quæ earum ſint honorabiliores, utrum eæ, quæ pretioſiores, an eæ, quæ viliores eſſe noſcuntur: Quoniam ſi ſpecioſiores plus habent honoris, operis in his cauſa, vel materiarum qualitas habet venerationem, non fervor devotionis:*

nis; si verò viliores eæ, quæ minus similes sunt illorum, quibus aptari parantur, injustum est, cum hæ, quæ nec opere nec materia praecellunt, nec personis similes esse noscuntur, avidius, propensiusque venerantur.

Demonstratur 3. ex eo, quòd arbitratus sit Nicænos Patres docuisse, venerationem deberi ipsis parietibus & tabulis in se sumptis; cum econtra ipse glorietur, se Sanctorum reliquiis & vestibus honorem deferre. *Nam dum nos* (ait ibidem) *nihil in imaginibus præter adorationem spernamus ...... illi penè omnem suæ credulitatis spem in imaginibus collocent, restat, ut nos Sanctos in eorum corporibus vel potius reliquiis corporum, seu etiam vestimentis veneremur, juxta antiquorum Patrum traditionem: illi vero parietes & tabulas adorantes, in eo se arbitrantur magnum fidei habere emolumentum, eo quod operibus sint subjecti pictorum.*

Resp. ad 4. Auctorem librorum Carolinorum rejicere quidem consuetudinem osculandi imagines, coram illis procumbendi, offerendi thymiamata, ac exhibendi externa signa, quibus demonstratur honor, qui Sanctis coram eorum imaginibus defertur: sed contendimus, inde non sequi, quòd omnem honorem imaginibus abdicaverit: nempe externorum illorum signorum exhibitio, res est, quæ non ad aliquod fidei dogma, sed ad meram disciplinam pertineat. Populi in honore exhibendo rei, cui deberi putant, non iisdem ubique signis exterioribus utuntur, ut patet ipsius etiam Eucharistiæ exemplo: mirum igitur non est, quòd auctor Latinus non probaverit usum, qui licet apud Græcos obtineret, nondum tamen apud Gallos iis temporibus invaluerat. Præterea commotus fuit auctor, quòd crederet, Nicænos Patres decrevisse, ut ipsis imaginum coloribus, ipsi earum materiæ, non autem Sanctis coram eorum imaginibus externa illa honoris signa exhiberentur. Addendum est, ægrè eum tulisse, quòd Nicæna Synodus disciplinam illam, alioquin arbitrariam, sub anathemate præcepisset: *Si quis imagines non salutaverit in nomine Domini & Sanctorum ejus, anathema sit.* Ægrè admodum tulit, quod Epiphanius Diaconus, actione 6. plaudente sacra Synodo, eos vocasset *Semipravos*, qui dicebant *imaginales formationes sufficere in commemorationem tantùm haberi, & non etiam ad salutationem.*

Resp. ad 5. dist. ant. Auctor concludit ex falsa facti suppositione, asello honorem deberi, si debeatur imagini Deiparæ, quæ illo asello vecta depingitur, conc. ant. ex vera suppositione, neg. ant. Putaverat, sed falso, librorum Carolinorum auctor, Nicænam Synodum ipsis imaginum coloribus, ipsis earum materiei in se ac realiter sumptæ, honorem detulisse; unde mirum non est, quod inde concluserit, asellum cum Virgine depictum, honorem mereri: neque enim minoris pretii erant colores, quibus depictus erat, nec minoris momenti materia, ex qua constabat in tabula, quam colores, quam materia, quæ Virginem Deiparam repræsentant: *Nullo enim pacto* (ait) *in adoranda utriusque imagine, Virginis videlicet, sive animantis, quadam potest fieri diremptio, præsertim cum unius sint materia, unoque artificis ingenio compaginatæ.*

Instabis. Auctor librorum Carolinorum non vult, ut imagines in honore æquiparentur aut Sanctorum reliquiis, aut eorum vestibus, aut vasis, quibus ad sacrificium utimur, aut Evangeliorum codici: ergo cum rerum illarum respectu admitteret honorem latria minorem, & quidem relativum, omnem omnino cultum imaginibus abdicavit.

Respondent nonnulli concesso antecedente, neg. conseq. Ratio est 1. quia (inquiunt) licèt idem honor imaginibus non debeatur, qui rebus, de quibus in argumento, defertur, non sequitur nullum omnino deberi. In honore, qui rebus sacris exhibetur, sunt certi quidam gradus, qui ex rerum majore vel minore externa sanctitate petuntur; ac proinde licet nonnulla non in eodem honoris gradu colantur, non sequitur, quod nullus honor ipsis deferendus sit; unde nec ipse auctor probaret eos, qui eundem omnino honorem Sanctorum vestibus exhiberent, quem exhibendum esse dicit Sanctorum reliquiis. Ratio est 2. quia (inquiunt) honor debitus Sanctorum reliquiis, absolutus est, licèt a reverentia, qua ipsosmet Sanctos prosequimur, imperetur, sitque illius veluti effectus: econtra vero honor imaginibus delatus est (ut suo loco dicetur) omnino relativus; hoc est, affectio honorantis non ad imagines terminatur, sed totus ad earum prototypa effertur; nec distinctus est ab eo, quo ipsosmet Sanctos, si visibiliter adessent, prosequeremur.

Respondent alii, quibus subscribimus, dist. ant. Auctor librorum Carolinorum non vult, ut imagines æquiparentur Sanctorum reliquiis, aut eorum vestibus, aut sacris vasis, aut vivificæ crucis imagini, aut Evangeliorum codici, quoad externa honoris signa, conc. ant. quoad internum animi affectum, seu reverentialem animi submissionem, neg. ant. Nondum (ut jam fuit observatum) in Galliis obtinuerat usus osculandi imagines, coram illis procumbendi, inclinandi caput; licet usus ille reliquiarum, sacrarum vestium, sacrorum vasorum, vivificæ crucis, codicis Evangeliorum respectu jam invaluisset: unde mirum non est, quòd auctor ægre ferat, quòd quoad illa externa honoris signa Nicænum secundum Concilium imagines Sanctorum illis æquiparasset; sed non ægre tulit, quòd mens eodem modo ad præsentiam imaginum affecta sit, ac ad præsentiam reliquiarum, vestium, vasorum, vivificæ crucis, codicis Evangeliorum affecta est; seu non ægrè tulit, nec arguit, quòd mens ad præsentiam imaginum, affectum suum ad earum prototypa dirigat, eisque per internam submissionem reverentiam exhibeat. Videnda sunt ad hujusce responsionis lucem ea, quæ dicentur, ubi quæremus infra, an uno ac eodem indivisibili cultu imagines & earum prototypa honorentur.

Solvitur argumentum ex Jona Aurelianensi desumptum.

Objicies. Jonas Aurelianensis, qui fuit veluti signifer Patrum Gallorum, qui in septimam generalem Synodum tumultus excitarunt, multa scripsit, quæ imaginum cultui opposita sunt.

Libro 1. adversùs Claudium Taurinensem, qui omnes imagines, ipsius etiam crucis effigiem, ex omnibus suæ dioeceseos basilicis abstulerat, quemque legere est Tom. IV. Bibliothecæ Patrum, par. 1. pag. 541. & sequentibus, contendit 1. adorationem, quæ Deo debetur, nulli creaturæ deferendam esse: *Creaturam verò adorari, eique aliquid divinæ servitutis impendi, nefas ducimus.*

Ibidem Græcos arguit, quòd cum faterentur nihil divinum in imaginibus esse, eis tamen uni Deo debitum honorem exhiberent: *Una autem reprehendimus, ac detestamur, quia cum eorum scientiam non subterfugit, imaginibus nihil esse divini, majori digni sunt invectione, eo quod debitum honorem divinitati, impenderint infirmo & egeno simulacro.*

Docet eodem in libro errasse Italos, licèt tamen citra idololatriam, quòd Nicænæ II. Synodo subscripsissent: *Nam & illi, qui nimio & indiscreto amore, ob honorem Sanctorum, eorum imaginibus supplicant, nescio, an temerè idololatræ sint vocandi. Videntur potiùs ab hac superstitione, adhibito rationis moderamine, revocandi, quàm idololatræ, cum utique sanctæ Trinitati fidem veraciter credant & prædicent, nuncupandi.*

Constanter asserit, imagines non ob aliud fieri aut in basilicis collocari, quam ut Christi mysteriorum, aut

Sanctorum victorias rudibus populis ostendant: *Sinantur a te* (ait, Claudium Taurinensem alloquens, qui imagines omnes abjecerat) *imagines Sanctorum, non ut adorentur, sed potiùs, ut quamdam pulchritudinem reddant, & quarumdam præteritarum rerum memoriam sensibus imperitorum ingerant, in Ecclesiis depingi.*

Abdicat imaginibus cultum, etiam relativum: cum enim Claudius hoc illi argumentum proposuisset: *Opera manuum Dei non sunt adoranda & colenda; quanto magis opera manuum hominum adoranda & colenda non sunt prorsus, in honore eorum, quorum similitudines esse dicuntur?* hisce verbis respondet: *In hujus sententiæ sensu nobiscum sobriè sapit.* Tandem idem Jonas in toto suo contra Claudium opere nihil scribit, quod imaginum cultui, etiam secundùm Ecclesiæ Romanæ sensum exposito, favere possit.

Ex momentis, quæ hucusque ex Jona Aurelianensi prolata sunt, sic argumentum conficitur: Ille omnem cultum imaginibus abdicavit, qui docuit, nullam creaturam adorari debere; qui rejecit Græcos, quod imaginibus cultum impenderent; qui negavit cultum, etiam relativum, eis impendi posse; qui ob solam rerum præteritarum memoriam imagines passus est; qui nihil dixit, quod faveat cultui ad Ecclesiæ Romanæ sensum exposito: atqui Jonas Aurelianensis, &c. ergo, &c.

Resp. dist. maj. Qui docuit, nullam creaturam adorari debere adoratione latriæ, conc. maj. adoratione, quæ longe minor sit latria, neg. maj. Qui rejecit Græcos, quod crederet, eos imaginibus latriæ cultum deferre, conc. maj. quod crederet, deferre cultum latria longè minorem, neg. maj. Qui docuit, Italos indiscreto zelo subscripsisse Synodo II. Nicænæ, quam putavit imaginibus detulisse latriæ cultum, conc. maj. detulisse cultum latria longe minorem, neg. maj. Qui asseruit, imagines non ob aliud proximè poni, quam ut præteritarum rerum memoriam excitent, conc. maj. non ob aliud poni remotè, neg. maj. Qui imaginibus abdicavit cultum relativum pravo sensu expositum, conc. maj. sano sensu expositum, neg. maj. Qui in toto suo opere nihil scripsit, quod implicitè faveat imaginum cultui, conc. maj. quod explicitè faveat, nego majorem.

Evidens est 1. Jonam Aurelianensem solam latriæ adorationem, quam falsò putavit Græcos & Italos detulisse ipsis sacris imaginibus, rejecisse. Scilicet (ut patet ex textibus in objectione laudatis) rejecit solam adorationem, quæ imaginibus divinam servitutem impendit, quæ egeno simulacro honorem soli divinitati debitum tribuit; per quam non imaginum prototypis, sed ipsis imaginibus supplicatur.

Evidens est 2. eumdem Jonam damnasse tantùm relativum cultum pravo sensu expositum, hoc est, intellectum de latria, quæ ad imagines ipsas ex indiscreto amore prototyporum terminetur; non autem cultum latria longè minorem, qui non ad ipsas imagines terminetur, sed per quem ipsa prototypa coram imaginibus honorentur.

Evidens est 3. eundem Jonam, cum scripsit Sanctorum imagines ad præteritarum rerum memoriam tantum in templis collocari, locutum fuisse solum de fine proximo, propter quem collocantur, non autem de fine remoto: nempe ideò collocari voluit, ut per imagines præteritarum rerum memoria excitetur, eaque memoria movet ad honorandum prototypa coram eorum imaginibus: neque enim a Gregorio Magno ad Serenum Massiliensem scribente dissensit, cum expressè profiteatur, se traditæ ab eo doctrinæ inhærere: at (ut superiùs ostensum est) Gregorius sensit, licitum esse prototypa coram imaginibus honorare & invocare.

Evidens est 4. quòd licèt explicitè in locis objectis non faveat honorariæ in imagines venerationi, ea tamen scribat, quæ implicitè honorariam illam venerationem adstruunt: nam damnat Claudium Taurinensem, quod ex primo Decalogi mandato conclusisset, ex basilicis auferri debere omnes imagines, quasi verò una tantùm sit adorationis species: *Alia* (inquit ibidem) *est adoratio, quæ non nisi soli Deo debetur, alia quæ a mortalibus humilitatis & subjectionis gratia æquè mortalibus exhibetur. Rursus alius est cultus, quo nonnisi divinæ potentiæ famulandum est, & alius est, qui non solum rationalibus, verum etiam irrationalibus creaturis juxtà modum proprium impenditur. De diversitate itaque cultus habes una nobiscum B. Augustinum*, &c. Ad hunc secundi generis cultum reducit venerationem, quæ Sanctorum reliquiis debetur; reducit quoque honorem, qui exhibetur Evangeliorum Codici: *Sacræ religionis usus* (inquit in Præfatione lib. II.) *in sancta Ecclesia adhuc servatur, si tamen apud te, ut perlecta sacri Evangelii lectione, ab Episcopo, vel Presbyteris, cæterisque sacri ordinis religiosis, codex, in quo Evangelii lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur: sed hoc cujus causa, nisi illius, cujus esse verba creduntur, agimus?* Ex quo patet, ideò res illas honorari etiam per externa signa, quod iis externis signis Deus ipse honoretur, seu, quod licèt coram Evangeliorum Codicibus fiant, ad Deum tamen per mentis affectum terminentur. Ad eam quoque cultus speciem reducit adorationem, quæ imagini crucis Christi, juxta antiquum Ecclesiæ morem, ac proinde & eam, quæ aliis imaginibus defertur: *Neque enim* (ait in eadem Præfatione ad librum II.) *nostro tempore usus irrepsit figuram crucis in basilicis Sanctorum statui ...... Nec tamen ideò crucem ut Dominum adoramus, sed magis eum, qui per crucem mortis destruxit imperium. Porrò etsi oscula infigimus, non utique causa ligni, sed potius amore illius id a nobis agitur, qui in ea veteris ligni damna restauravit.*

Solvitur argumentum, quod ex Agobardo Lugdunensi desumitur.

Objicies. Agobardus, Lugdunensis Archiepiscopus, Ludovico Pio imperante, librum edidit *de picturis & imaginibus*. In eo autem libro multa scripsit, quæ damnare videntur cultum religiosum, qui jam in Ecclesia Romana sacris imaginibus exhibetur.

Docet nimirùm 1. Judæos Decalogo vetitos fuisse, ne aliquam sive Dei, sive alicujus creaturæ imaginem effingerent. Docet 2. nulli, præterquam Deo, religionis cultum deferri posse: *Cum omnium* (inquit) *una sententia sit, cultum religionis soli Deo deberi*. Docet 3. cultum imaginibus deferri non posse, licèt eis nihil divinum inesse credatur. Docet 4. Sanctorum, & ipsiusmet Christi imagines, *ob amorem potiùs & recordationem, quàm ob religionis honorem, aut aliquam venerationem, more gentilium ab antiquis expressas fuisse*. Docet 5. conterendas esse Sanctorum imagines, sicut Ezechias æneum serpentem contrivit: *Multò magis* (ait) *religiosiùs Sanctarum imagines omni genere conterendæ, & usque ad pulverem sunt eradendæ, præsertim cum non illas Deus fieri jusserit* (ut tamen fieri serpentem æneum mandaverat) *sed humanus sensus excogitaverit*. Docet 6. neminem ex antiquis cultum imaginibus detulisse: *Sed nullus antiquorum Catholicorum unquam eas colendas, vel adorandas fore existimavit.*

Ex iis autem Agobardi locis sic conficitur argumentum: Ille damnavit imaginum venerationem, qui docuit, earum efformationem divinitus prohibitam fuisse; qui asseruit, uni Deo exhiberi posse religionis cultum; qui scripsit, eas non ob religionis honorem & venerationem ab antiquis effictas fuisse; qui contendit, neminem ex antiquis Catholicis cultum eis detulisse; qui tandem sensit, imagines omnes ad pulverem usque conteri debere: atqui ea omnia (ut patet ex locis laudatis) docuit, asseruit, scripsit Agobardus: ergo Agobardus damna-

damnavit omnem omninò imaginum venerationem.

Resp. dist. maj. Ille damnavit imaginum venerationem, qui docuit, earum efformationem divinitùs prohibitam fuisse præcepto aut naturali, aut divino positivo, quod in novo Testamento vigeat, conc. maj. præcepto tantum positivo & ceremoniali, quod in novo Testamento non vigeat, neg. maj. Qui asserit, uni Deo exhiberi posse cultum latriâ minorem, conc. maj. cultum, qui non sit latria major, neg. maj. Qui scripsit, imagines non ad cultum latria inferiorem ab antiquis effectas esse, conc. maj. ad cultum latria minorem, neg. maj. Qui sensit, imagines absolutè conteri debere, conc. maj. hypotheticè tantùm, neg. maj.

Evidens est 1. Agobardum non sensisse, imaginum efformationem naturali aut divino præcepto, quod jam vigeat, prohibitam fuisse: nempè probavit antiquos catholicos, qui imagines effinxerunt. Probavit 2. usum Ecclesiæ, quæ ubique suo tempore imagines in templis collocabat, idque juxta Gregorii Magni ad Serenum Massiliensem Epistolas, quas in suo opere laudavit.

Evidens est 2. Agobardum damnasse cultum imaginum tantùm ea suppositione, quòd, ut putabat, à Græcis & ab Italis definitus esset absolutus latriæ cultus: nam 1. sacrilegos dicit imaginum cultores, quod eis divinum cultum exhibeant: *In quo genere* (ait) *ista quoque inveniuntur, quas sanctas vocant, imagines: non solum sacrilegi ex eo, quod divinum cultum operibus manuum suarum exhibent, sed & insipientes*. Dicit 2. imagines coli non debere eo cultu, quo ipsimet Sancti coli nolunt: *Cui facilè respondetur, quia si imago, quam honorat, Deus non est; nequaquam veneranda est quasi pro honore Sanctorum, qui nequaquam divinos sibi arrogant honores*. Dicit 3. imagines coli non debere cultu et simili, qui per sacrificium affertur, cum nec ipsi sancti, quos repræsentant, per sacrificium coli possint: *Adoretur, colatur, veneretur à fidelibus Deus, illi soli sacrificetur..... Angeli, vel homines sancti amentur, honorentur charitate, non servitute; non eis corpus Christi offeratur, cum sint & hoc ipsi*. Dicit 4. imagines coli non debere cultu servitutis, cultu votorum, cultu confidentiæ, cultu precum, quo tamen a Græcis, & ab Italis coli, falsò supposuerat: *Nunc autem* (ait) *error invalescendo tam perspicuus factus est, ut idololatriæ vel Antropomorphitarum heresi propinquum aut simile sit, adorare figmenta, & spem in eis habere*.

Evidens est 3. eo tantùm sensu Agobardum dixisse, imagines ad cultum positas non esse, quo censebat, in templis a Græcis & Italis, quos confutat, collocari: ut censebat, ad cultum latriæ, qui ad eas terminaretur, poni eas & a Græcis & ab Italis. Et sanè jubet, ut inspectis imaginibus mens ad prototypa consurgat, eaque veneretur: *Aspiciamus picturam quasi picturam, vita, sensu & ratione carentem. Pascatur hac visione oculus, Deum vera veneretur animus, qui & Sanctis suis victoria coronam, & nobis intercessionis eorum tribuat adjutoria*.

Evidens est 4. eundem Agobardum non sensisse, Sanctorum imagines absolutè frangi ac conteri debere. Nam 1. probat ac laudat Gregorii Epistolas, a quibus Serenus arguitur, quod eas contra receptum ubique Ecclesiæ morem fregisset in diœcesi Massiliensi, cui præerat. 2. Habebat ipse in suæ Lugdunensis diœcesis basilicis imagines. 3. Laudat veteres, quod imagines effinxissent: *Habuerant namque & antiqui Sanctorum imagines vel pictas vel sculptas*. Frangendas ergo dixit hypotheticè tantum, si nempe superstitiosè (ut a Græcis & Italis fieri censebat) ita colerentur, ut ea superstitio per Pastorum doctrinam & instructionem aboleri non posset; idque tamen non privato alicujus Episcopi decreto, sed ea coepiscoporum aliorum, ac præsertim Romani Pontificis, ad quem causæ majores referri debent, consensu & authoritate.

Quæ hucusque dicta sunt ad ostendendum Agobardum, non alium, quam absolutum latriæ cultum sacris imaginibus abdicasse, confirmantur s a 10, quod in suæ sententiæ confirmationē Patres laudet tantùm iis locis, ubi damnarunt eos, qui creaturis cultum soli Deo debitum impenderent: nempe laudat Augustinum lib. 10. de Civ. Dei, cap. 1. 4. 19. & 20. ubi certum est, S. Doctorem de solo loqui latriæ cultu, quem accuratè distinguit ab eo, quem Angelis ac Sanctis martyribus exhibemus. Laudat Hieronymum in epistola contra Vigilantium; laudat denique epistolam Smyrnensis Ecclesiæ de Polycarpi martyrio, ubi narratur, Judæos Proconsuli suasisse, ut martyris corpus concremaret, ne (ut ajebant) Christiani, crucifixo derelicto, illud adorarent.

Solvitur argumentum desumptum ex Hincmaro Remensi, Dungalo & VValfrido Strabone.

Objicies 1. Hincmarus Remensis, opuscul. 55. cap. 20. scribit, per Concilium generale in Francia destructam fuisse Nicænæ Synodi de imaginum adoratione definitionem. 2. Dungalus Catholicus Theologus, qui Ludovico Pio & Lothario imperantibus vixit, in suo adversùs Claudium Taurinensem opere, Iconomachis favere videtur cùm subscripsit Synodo, quæ Parisiis adversùs Nicænam secundam habita est. 3. VValfridus Strabo, Augiæ divitis Abbas, cap. 8. de rebus Ecclesiasticis, alludens ad Nicænam Synodum, sic loquitur: *Sed in his*, imaginibus, *colendis superstitionem & hebetudinem, qua spiritalem cultum ad corporalia traducere erronei nituntur, esse damnandam*.

Resp. ad 1. dist. ant. Hincmarus scribit, destructam fuisse in Francia septimam Synodum generalem, quoad dogma, quod non stabiliverat, conc. ant. quoad dogma, quod reverà stabiliverat, neg. ant. Errarunt Præsules Galli, non quidem errore juris, sed errore facti, qui sive vivente Carolo Magno, Francofurti, sive Parisiis postea, imperante Ludovico Pio, septimam Synodum generalem rejecerunt: scilicet (ut inferius dicetur) arbitrati fuerant, septimam Synodum generalem imaginibus decrevisse absolutam latriæ adorationem; licet decrevisset adorationem aut latria longe minorem, aut latriam quidem, sed quæ non ad Christi imagines, sed ad ipsummet Christum terminaretur: *Septima autem apud Græcos* (inquit Hincmarus) *vocata universalis pseudosynodus de imaginibus, quas quidam confringendas, quidam adorandas dicebant*: Per hanc autem vocem *adorandas*, Hincmarus intelligit absolutam adorationem latriæ: iis enim temporibus (ut jam observatum est) *adorationis* & *cultus* nomina apud Francos pro sola absoluta latria sumebantur: unde licet Præsules Galli, qui sive Francofurti, sive Parisiis, ad Synodum convenerunt docerent Sanctos & eorum reliquias honorandas ac venerandas esse, nusquam tamen, ut eum honorem, eamque venerationem exprimerent, usi sunt *cultus* aut *adorationis* nominibus.

Eum autem esse Hincmari sensum, demonstratur ex Flodoardo, qui in hist. Rem. lib. 3. cap. 29. sic de Hincmaro loquitur: *Scripsit etiam librum, flagitantibus Coepiscopis fratribus suis, qualiter imagines Salvatoris nostri, vel Sanctorum ipsius venerandæ sint*.

Resp. ad 2. dist. ant. Dungalus subscripsit Synodo Parisiensi, quæ per errorem facti damnaverat septimam generalem Synodum, conc. ant. per errorem juris, neg. ant. Ratio solutionis est 1. quia Dungalus in suo opere gravissimè Claudium Taurinensem arguit, quòd idololatras appellasset, eos, qui *imaginem Christi & Sanctorum ejus pingunt & venerantur pro amore & honore Salvatoris & san-*

& sanctorum electorum ejus . 2. Hoc unum in Concilio Parisiensi definitum fuisse contendit, *ut nemo possit hac imaginibus, aut cuipiam penitùs in mundo creaturæ, excusabiliter divinum possit honorem deferre.* 3. Hocce argumento Claudium Taurinensem refellit, quòd Catholici, non cultu, qui soli Deo debetur, *sed congruis honoribus picturas sanctas venerentur.*

Resp. ad 3. VValfridum Strabonem cum multis aliis Gallicanis Patribus credidisse, sed falsò, septimam generalem Synodum decrevisse, ipsi imaginum materiei cultum latriæ deferri debere; unde mirum non est, quòd eam Synodum hebetudinis arguerit. Eundem autem authorem, non omnem religiosum honorem, sed immoderatum tantum, hoc est, qui aut sit latriæ, aut ad ipsam imaginum materiam terminetur, imaginibus abdicasse, demonstratur ex his illius verbis: *Nunc jam de imaginibus & picturis, quibus decus Ecclesiarum augetur, dicenda sunt aliqua. Quia & earum varietas, nec quodam cultu immoderate colenda est, ut quibusdam stultis* (loquitur de Græcis) *videtur.*

Solvitur argumentum ex Conciliis desumptum.

Not. Tria præcipua sunt Concilia, in quibus de imaginibus actum est; primum, imperante Constantino Copronymo, Constantinopoli habitum est; alterum Francofurti, imperante Carolo Magno, anno 749. tertium Parisiis, imperante Ludovico Pio, anno 824. Cum heterodoxi ex iis tribus Conciliis argumenta contra imaginum venerationem petant, expendendum est, cujus sint authoritatis, quæve de sacris imaginibus fuerit eorum sententia.

Objicies 1. In Concilio, quod sub Constantino Copronymo Constantinopoli celebratum est, decretum fuit 1. ex omnibus basilicis & domibus privatis auferri debere Christi, Deiparæ ac Sanctorum imagines; 2. Eradi eas debere ex calicibus, & vestibus, aliisque tremendorum mysteriorum instrumentis; 3. Nullum omninò cultum sine idololatria eis exhiberi posse. Atqui Concilium illud non levis videtur auctoritatis esse, tum quod totius Orientis assensu comprobatum sit; tum etiam quod trecenti, & amplius antistites ei subscripserint: ergo, &c.

Resp. conc. maj. neg. min. Ratio est, 1. quia illi Concilio summus Pontifex, nec per se, nec per legatos adfuit. 2. Tantum abest, ut summus Pontifex aut aliqui ex Occidentalibus Episcopis illi postea subscripserint, quin apertè omnes (uno excepto Claudio Taurinensi) ipsi contradixerint. 3. Imò nec præcipuas Orientis sedes consentientes habuit; *Quomodo autem* (ajunt Niceni secundi Concilii Patres, per os Joannis Diaconi Tom. I. Act. 6.) *magna & universalis, quam neque receperunt, neque concordaverunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmiserunt? Non habuit enim adjutorem illius temporis Romanorum Papam, vel eos, qui circa ipsum sunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios ejus neque per Encyclicam epistolam, quemadmodum lex dictat Conciliorum. Sed non consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, ac sanctæ civitatis, vel comministros & summos sacerdotes, qui cum ipsis existunt.*

Objicies 2. Concilium Francofordiense rejecit Nicæni secundi Concilii de imaginibus decretum; sic enim habet canone 2. *Allata est in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur. Qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt.* Multi verò ponderis esse hujusce Concilii definitionem, ostenditur ex eo, quod consentientes habuerit legatos Romani Pontificis, omnesque Episcopos, qui tunc temporis in ditione erant Caroli Magni; hæc enim est ejusdem Concilii superscriptio: *Concilium Francofordiense, in quo hæresis Feliciana, ab Episcopis universi regni Francorum, Italiæ, Galliæ, ac Germaniæ, præsente Carolo Magno Rege, atque Hadriani Papæ legatis, Theophylacto & Stephano Episcopis, tertiò damnata est*: ergo, &c.

Resp. Gabriel Vasquez, Suarez, Gregorius de Valentia, Synodum damnatam in Concilio Francofordiensi, non esse Nicænam secundam, sed Constantinopolitanam, in qua Iconomachi imagines abolendas esse decreverant. Sed falsa est ea responsio: siquidem Francofordiense Concilium damnat Synodum, in qua definitum fuerat, imagines adorandas esse; at Concilium ab Iconomachis habitum, id nequaquam definierat; è contra statuerat abolendas, omnique prorsùs cultu frustrandas esse. Nec obest, quod in canone Francofordiensi dicatur rejici Concilium Constantinopolitanum; nam sic Nicænam II. Synodum vocarunt, quòd primùm Constantinopoli coacta esset, licet postea Nicæam translata fuerit.

Respondet in Annalibus Francorum, Tom. 6. Pater Le Cointe ex nostra Oratorii Congregatione, in Concilio Francofordiensi damnatam fuisse Synodum, quæ aliquibus annis post Concilium Iconomachorum, & ante Nicænum secundum, a quibusdam Episcopis superstitiosis Constantinopoli celebrata est. Verùm stare non potest ea responsio, tum quod nullus auctor meminerit illius Constantinopolitanæ Synodi, quæ divinum honorem, seu adorationem latriæ, imaginibus tribuerit: tum etiam quòd evidenter constet, libros Carolinos, de quibus superiùs actum est, Patresque Gallicanos, quorum sententiam exposuimus, non commentitiam illam Synodum, sed Nicænam secundam impugnasse, eamque Hadrianum Papam in sua Apologia defendisse.

Respondent alii, quibus subscribimus, canonem secundum Concilii Francofordiensis non damnare Nicænæ II. Synodi de imaginum cultu definitionem, sed unam Constantini Constantiæ Episcopi sententiam in Concilii sess. 3. prolatam, quæque, quod si Nicæna Synodus in eadem sessione non contradixisset, habita est à Gallis pro ipsiusmet Synodi sententia.

Ratio est 1. quia Nicæna Synodus in definitione fidei, venerationem honorariam, quam imaginibus decernit, apertè distinguit a cultu latriæ, quæ uni Deo exhiberi potest; sic enim habet: *Quantò enim frequentius per imaginalem formationem videntur, tantò qui eas contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum eorum memoriam, & desiderium. Non tamen ad veram latriam, quæ secundùm fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impertiendam*: Illa enim, non in alio quam in exterioribus quibusdam signis, osculo v. g. genuflexione, inclinatione capitis posita est; ista verò in interiori affectu, quo mens seipsam Deo, ut rerum omnium authori, submittit. Illa proximè (ut dicetur suo loco) ad imagines, seu materiam & colores; illa verò ad ipsum Deum immediatè terminatur.

Ratio est 2. quia hæc verba, quæ damnat secundus canon Concilii Francofordiensis: *Ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati, servitium aut adorationem non impenderent*; nullibi in actis Nicæni Concilii leguntur, quam sess. 3. in qua Constantinus Constantiæ Episcopus suam sententiam hisce verbis protulisse, ex infideli interpretatione asserit librorum Carolinorum Auctor, & quam præ manibus habuit Concilium Francofordiense: *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas, venerabiles imagines, atque secundum servitium adorationis, quæ substantiali & vivificatrici Trinitati, emitto.* Dixi, *falsò* id asseruisse auctorem librorum Carolinorum; hisce

hisce enim verbis, non autem illis, suam sententiam Constantinus Constantiæ Episcopus expresserat: *His consentio, & concors efficior: suscipiens & amplectens honorabiliter sanctas, & venerabiles imagines: atque adorationem, quæ per latriam, id est, Deo debitam servitutem efficitur, soli supersubstantiali, & vivificæ Trinitati impendo.* Ea vero parum fideli interpretatione moti sunt Patres Francofordienses, ut non habita ratione monitionis Hadriani Papæ, aut illius ad Conciliū Francofordiense legatorū, aut ipsiusmet Synodi Nicænæ definitionis expressæ, eidem Nicænæ Synodo adscripserint dogma de impendenda imaginibus adoratione, quæ non supersubstantiali ac vivificæ Trinitati deferri potest, quæque in eo posita est, quod mens Deo tanquam rerum omnium authori seipsam subjiciat. Hineque patet, errore non quidem juris, sed facti tantum, Francofordienses Patres Nicænam II. Synodum proscripsisse.

Quæres, qui fieri potuerit, ut Patres Concilii Francofordiensis Canonem dogmaticum in Concilio generali, Nicæno nimirùm secundo, editum, in examen iterum adducere, imò & proscribere ausi fuerint.

Respondet, & quidem meritò, Sirmondus in admonitione de Canone secundo Concilii Francofordiensis, Patres Francofordienses non habuisse Nicænam secundam Synodum pro Synodo œcumenica. Constat enim (ait mox laudatus auctor) sic in hac quæstione versatos esse, tum Synodi Francofordiensis, tum Carolini voluminis auctores, ut sibi non cum œcumenico Concilio, sed cum peculiari Græcorum (ut appellabant) Synodo rem esse contenderent. Ita enim passim in libris illi profitentur, queruntur que propterea illam sibi, aut universalis, aut septimæ Synodi nomen arrogare, cum œcumenicam dici posse negarent, ad quam soli Græci convenissent, reliquarumque provinciarum Ecclesiæ convocatæ, aut sententiam per epistolas more Ecclesiastico rogatæ non fuissent. Et quidem si rem suis momentis expendamus, satis omninò causæ videbatur, cur Synodum, cui tot adhuc provinciarum, ac totius penè Occidentis suffragia deessent, pro œcumenica nondum haberent. Nec Hadrianus ipse aliter se sentire ostendebat, qui allatam è Græcia Synodum (ut Hincmarus eodem loco docet) in Galliam misit, Conciliumque ejus causa convocari a Carolo jussit, & libris Carolinis quibus oppugnata est, ita respondit, ut œcumenicæ Synodi nomen illis auctoritatemque nusquam objiciat. Quare habebant, ut dixi, hac in parte Galli, quo se defenderent, haud perinde forte in reipsa, hoc est, in quæstione imaginum, in qua vehementer a Synodo dissentiebant. Nam cum in Synodo Nicæna de sacris imaginibus duo essent constituta, & recipiendas nimirùm, & adorandas imagines esse; prius illud nostri libenter complectebantur, quod ipsi quoque jam ante in Synodo Gentiliaca contra Græcos Iconoclastas adstruxerant; alterum verò penitùs respuebant, imaginesque non adorandas, sed memoriæ tantùm causa & instructionis habendas affirmabant, Gregorium Magnum, ut ajebant, ducem sequuti, qui in eam sententiam Sereno Massiliensi Episcopo rescripsisse videbatur. At meritò sanè adorandas imagines negarent, si adorare id erat, quod interpretabantur, hoc est, divinum honorem, cultumque deferre: Sic enim vitandam imaginum adorationem docuerat S. Gregorius, & adorari Deum solum oportere, manifestum est. Hactenus laudatus author.

Solvitur argumentum ex Concilio Parisiensi desumptum.

Not. 1. Cum anno Christi 824. (ait Sirmondus in sua in Conventum Parisiensem observatione) ad Ludovicum Pium venissent Michaelis & Theophyli Græcorum Imperatorum legati, atque inter cætera dissidium exposuissent, quod in Ecclesia Orientali propter imagines versabatur, quas alii adorandas, alii non adorandas esse contenderent, seque hac de causa Romam etiam ad Pontificem ituros significassent, Ludovicus pacis componendæ studio, Episcopos, Eugenii Papæ II. permissu, Parisios in Palatio convenire, sanctorumque Patrum de imaginibus sententias colligere jussit, quæ Pontifici ad rem definiendam adjumento, ut ajebat, futuræ viderentur. Hanc illorum collectionem, cum epistola quam Eugenii Papæ ad eosdem Imperatores nomine concinnarant, cum accepisset Ludovicus, utramque mox Romam misit ad Eugenium cum altera privata epistola, quam Jeremiæ Senonensi, & Jonæ Aurelianensi, cum secreto commonitorio perferendam tradidit. Ex ea autem Gallicanorum Patrum collectione, & ex epistola ad Imperatores Græcos Eugenii nomine mittenda, quam ipsi concinnarunt, peti potest argumentum adversus imaginum cultum: operæ pretium est igitur, ut hic ejusmodi argumenti vim expendamus.

Objicies. Concilium Parisiense, quod imperante Ludovico Pio, anno 825. celebratum est, omnem imaginibus cultum abdicavit. Nam 1. asserit, Nicænum Concilium, quod imagines coli ac adorari præceperat, non mediocriter errasse: 2. Hadrianum Papam ad capitula, quæ ad eum Carolus Magnus miserat, ut potuerat, non ut decuerat, respondisse: 3. Cultum imaginum partim veritatis ignorantia, partim pessimæ consuetudinis usu in ipsa etiam Italia inolevisse: 4. Hoc suum esse consilium, ut retineantur quidem imagines, sed non colantur & adorentur: 5. Eugenium ad Græcos Imperatores debere scribere, *ut qui volunt, propria memoria, vel sana doctrina, in locis competentibus, absque ullo illicito cultu, pictas vel fictas habeant imagines: Qui autem nolunt, absque ullo illicito cultu taliter habentes, vel habitas imagines nullatenus spernant*: 6. Errare eos, *qui signum sanctæ crucis in testimonium assumunt, ut eis ita licitum sit adorare imagines, sicut lignum sanctæ crucis*: Ex iis autem textibus sic conficitur argumentum. Illi senserunt, nullum planè cultum imaginibus deberi, qui scripserunt, errasse Nicænam secundam Synodum, quod imaginibus cultum detulisset. Qui asseruerunt, Hadrianum Papam non, ut decuerat, respondisse ad Caroli Magni contra Nicænam II. Synodum capitula. Qui nec illum cultum imaginibus tribuerunt, qui debetur cruci ac illius signo; atqui Concilium Parisiense, &c. ergo, &c.

Resp. dist. maj. Illi senserunt, nullum planè cultum imaginibus deberi, qui scripserunt, Nicænam II. Synodum, cujus mentem assecuti sint, errasse quod imaginibus cultum detulisset, conc. maj. cujus mentem non sint assecuti, neg. maj. Qui nec eum cultum imaginibus detulerunt, qui debetur cruci, ac illius signo, & non concesserunt minorem, conc. maj. & conc. min. neg. maj. Ex antiquis præjudiciis, quorum specimina, tum in libris Carolinis, tum in Concilio Francofordiensi visa fuerant, Conventus Parisiensis Episcopi judicarunt Nicænam II. Synodum latriæ cultum, ac soli Deo debitum, imaginibus detulisse. Nam 1. eam dumtaxat cultus speciem impugnant, sive Scripturæ, sive Patrum textus, quos suæ collectioni inseruerunt. 2. Supposuerunt, Nicænos Patres sanctitatem internam, imò & sanctificandi virtutem, quæ Deo soli convenit, in imaginibus agnovisse. *Isti* (inquiunt in collectione ad Ludovicum Pium missa) *non mediocriter erraverunt, qui eas non solum coli & adorari & sanctas nuncupari sanxerunt; verùm etiam sanctimoniam ab iis se adipisci professi sunt.* 3. Idem Conventus Parisiensis Episcopi pariter supposuerunt, Nicænam secundam Synodum eandem cultus, etiam relativi, speciem imaginibus Sanctorum tribuisse, quæ debetur imagini crucis: & in hoc decepti sunt; nempe Nicæna II. Synodus imagini crucis detulerat relativum latriæ cultum, hoc est, sanxerat, Christum ipsum, qui pependit in cruce,

ce, coram crucis imagine latriæ cultu coli debere, cum ècontra statuisset Sanctos coram suis imaginibus solo duliæ cultu honorari debere. In eam vero falsam de Nicænis Patribus opinionem abierant illi Episcopi, quod Nicæni Patres inclinationes capitis, genuflexiones, oscula, thymiamata coram imaginibus fieri præcepissent. Cum ea honoris signa tunc in Galliis solius crucis, non autem Sanctorum imaginibus, hoc est, uni Christo coram crucis imaginibus deferrentur, judicarunt Præsules Galli, latriæ cultum, saltem relativum, a Nicænis Patribus imaginibus Sanctorum delatum fuisse. Præterea dici potest Conventum Parisiensem non improbasse, quod Nicæni Patres internum reverentiæ affectum ad imaginum præsentiam prototypis exhibendum decrevissent; sed tantùm externam honorariam venerationem, quæ in osculis, inclinationibus capitis, genuflexionibus posita est, & per quam fideles, dum imagines osculantur, significent, se per internum mentis affectum osculari ac amplecti Sanctos ipsos, qui per imagines repræsentantur. Ratio autem cur ea signa improbaverit, est, quod in Galliis uni veræ crucis imagini ex antiqua consuetudine deferrentur.

Jam verò Gallicanos Præsules non omnem cultum imaginibus abdicasse, demonstratur 1. ex eorum epistola ad Ludovicum Pium & Lotharium Imperatores, in qua censent, prohibendam esse imaginum confractionem, præcipiendumque è contra, ut in templis serventur *memoriæ, & amoris causa, ob recordationem eorum, quorum sunt imagines*. 2. Docent, quæstionem de imaginibus expendi debere ad normam, quam Gregorius Magnus ad Serenum scribens præscribit: *Sicut* (ajunt) *à beatissimo Gregorio satis catholicè perspicuèque dictum declaratur*: At (ut superius ostensum est) Gregorius non omnem religiosum cultum imaginibus abdicavit. 3. Iidem Præsules, sive in sua ad Ludovicum Pium, & Lotharium epistola, sive in ea, quam ad Græcos Imperatores Papæ nomine mittendam censuerant, non alium in imaginibus cultum arguunt, quam immoderatum, & superstitiosum, probantque moderatum, & discretum: *Contra* (inquiunt) *si quis es intemperans destructor, vide, ne hæc audiens putes temeritati tuæ licentiam dari, ut ubicumque non propter illicitum cultum, sed propter discretum & ob hoc propter licitum mentis affectum, pictas vel fictas similitudines videris, ut illas, aut destruas, aut irridendo subsannare debeas.*

ARTICULUS V.

An cultus imaginibus debitus, sit absolutus, an verò relativus tantùm.

Num. 1. STatus quæstionis est, utrum cultus, qui exhibetur imaginibus, in ipsis imaginibus sistat, an verò ad earum prototypa referatur: hoc est, utrum cum osculamur imagines, quando coram eis procumbimus, mentis affectus aliqua ratione ad ipsas imagines, an verò ad sola eorum prototypa terminetur.

Num. 2. Circa eam quæstionem, triplex est authorum sententia. Prima, quæ est Estii plurimque aliorũ, docet, imagines coli quidem propter prototyporum dignitatem, distincto tamen cultu ab eo, quo ipsa prototypa coluntur: sicut licet proximus propter Deum diligatur, diligitur tamen amore distincto ab eo, quo ipsemet Deus amatur. Ut illi Scriptores mentem suam explicent, distinguunt imaginibus materiam, & esse repræsentativum; illi nullum cultum tribuunt; isti verò honorariam quandam venerationem, quæ longe minor sit, sive latria, qua Deus ipse colitur, sive dulia qua Sancti honorantur. Eam honorariam venerationem, & quidem non externam tantùm, sed etiam internam, docent in ipso typo hærere, ac proindè non esse relativam, sed omninò absolutam.

Altera sententia, quæ est Alensis, Bonaventuræ, Sanderi, & aliquorum aliorum, asserit, imagines coli cultu distincto a cultu, quo prototypa coluntur, quoties apprehenduntur sine prototypo; è contra verò coli eodem cultu, quo prototypa, quoties cum prototypis conjunctæ concipiuntur. Se habent imagines sine prototypis conceptæ (ajunt Scriptores illi) sicut regis legatus: quemadmodum ergo regis legatus, ratione dignitatis, quam accepit a rege, honoratur honore distincto ab eo, qui regi exhibetur: ita & imagines, prout sunt repræsentativæ prototyporum honorantur honore distincto ab eo, qui prototypis defertur. Se habent imagines simul cum prototypis apprehensæ, sicut vestes quæ regi conjunctæ sunt: quemadmodum ergo (ajunt iidem authores) una simul cum rege, eodemque honore venerantur vestes illi conjunctæ: ita & imagines conjunctæ per mentem cum exemplaribus, eodem cultu coluntur, quo coluntur exemplaria, per accidens tamen cum è contra exemplaria per se, id est ratione virtutis sibi intrinsecæ, colantur.

Tertia sententia, quæ est Thomassini nostri, plurimque aliorum tum recentiorum, tum veterum Theologorum, contendit 1. imaginibus sive simul cum exemplaribus apprehendantur, sive sine illis concipiantur, nullum internum honorem deberi, qui ipsis inhæreat. Contendit 2. totum mentis honorem ad prototypa referri: ita ut cum osculamur imagines, quando coram illis procumbimus, mens affectu amplectatur sola prototypa, illisque solis, utpote seipsa dignioribus, sese subjiciat. Quænam ex iis Catholicorum opinionibus verior sit, subsequentibus conclusionibus declaratur.

CONCLUSIO 1. Imagines sine prototypis apprehensæ, nullo honore, qui ipsis inhæreat, seu qui ad ipsas imagines terminetur, coli possunt. Est contra Estium, aliosque plures Theologos.

Probatur 1. Si imagines coli possent aliquo honore, qui ad ipsas imagines terminaretur, id fieret aut ratione materiæ, ex qua constant, aut ratione virtutis, quam continerent, aut ratione repræsentationis rei sanctæ: Atqui nec ratione materiæ, nec ratione virtutis, nec ratione repræsentationis, aliquo honore, qui ad ipsas terminetur, coli possunt. Nam 1. coli non possunt ratione materiæ: siquidem cultus non exhibetur nisi superiori, quandam nimirum subjectionem importat: at materia, quæcumque sit superior non est mente, proindeque coli non potest. 2. Coli quoque non possunt ratione alicujus virtutis, quæ in ipsis sit: nempe Concilium Tridentinum expressè asserit, non coli eas, quod aliqua virtus eis inesse credatur. 3. Coli quoque non possunt ratione repræsentationis: Illa enim repræsentatio non dicit aliquam excellentiam imagine, sed tantùm in artifice, qui eam aut pinxit, aut sculpsit: ergo imagines nullo honore, qui ad ipsas terminetur, coli possunt.

Dices: Se habet imago sicut regis legatus; non minùs enim tenet locum prototypi, quam legatus vices agit regis: atqui regis legatus colitur aliquo honore, qui ad ipsum terminetur: ergo, &c.

Resp. neg. maj. Ratio disparitatis est, quia in legato est virtus a rege concessa, seu est potestas, quam accepit a rege; ac proindè ratione illius virtutis, ratione hujusmodi potestatis, coli potest, cum propter eam virtutem, propter eam potestatem superior sit colentibus. E contra imagines nullam a prototypis virtutem recipiunt, nullam potestatem acquirunt ex eo, quod prototypa sancta repræsentent; proindeque non fiunt superiores homine, & consequenter homo illis se per cultum subjicere non potest.

CONCLUSIO 2. Imagines, etiam cum prototypis apprehensæ, coli non possunt honore, qui ad ipsas terminetur.

Pro-

Probatur: Imagines nullam recipiunt virtutem, nullam excellentiam ex eo, quod mens eas cum prototypis apprehendat: ergo remanent creatura rationali inferiores; ac proindè, servato ordine rationis, creatura rationalis non potest se illis per cultum subjicere.

Dices: Vestes regis simul cum rege honorantur; ergo à pari imagines, per mentem cum prototypis apprehensæ, simul cum eis coli debent.

Resp. dist. ant. Vestes regis simul cum rege honorantur honore non distincto ab eo, qui rege defertur, conc. ant. honore distincto, neg. ant. Inde verò sequitur, imagines, etiam apprehensas cum prototypis, non honorari honore, qui ipsis peculiaris sit, sive qui ad ipsas terminetur, sicut vestes regiæ non honorantur honore, qui distinctus sit ab eo, qui regi exhibetur, sive qui ad ipsas vestes terminetur.

CONCLUSIO 3. Cultus, qui imaginibus exhibetur, totus est relativus; hoc est, totus ad earum prototypa terminatur.

Probatur 1. auctoritate septimi Concilii generalis, quod quidem non solùm definiit, honorem imaginibus deberi, sed etiam ejusmodi honoris naturam explicuit, idque necesse fuit, eò quòd Iconomachi cultum illum idololatriæ ac superstitionis insimularent. Sancta Synodus sess. 7. in definitione fidei decrevit, ideò imagines Crucis, Christi, Deiparæ, Angelorum, ac Sanctorum in cœlis regnantium, in Ecclesiis retineri debere, & honorari, quòd externus honor, osculi nimirum, incensi, luminis, ad ipsa prototypa referatur, & quod prototypa in imaginibus honorentur: *Imaginis enim honor* (inquit) *ad primitivum transit: & qui adorat imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam*: unde sic arguitur. Ille cultus est omnino relativus, qui non inhæret objecto cui exteriora cultus signa deferuntur; sed ad aliud objectum, quod non videtur, transit; in quo colitur ipsa subsistentia, quæ in re sensibili depingitur: atqui ex definitione Nicæni I. Concilii, cultus, qui imaginibus exhibetur, non inhæret imaginibus, imo transit ad aliud objectum, quod non videtur, illud nimirum, quod in imaginibus repræsentatur; in imaginum cultu colitur objectum, quod in re sensibili depingitur: ergo imaginum cultus est omnino relativus.

Respondent adversarii, non eo sensu honorem imaginibus delatum transire in earum prototypa, in imaginibus prototypa honorari, quod honor ille immediatè ac proxime circa prototypa versetur; sed remote tantùm, scilicet in quantum honor, qui imaginibus defertur, redundat in earum prototypa, quemadmodum honor delatus regi, redundat in regem; aut sicut eleemosyna, quam pauperibus elargimur, in Dei ipsius honorem refunditur: igitur sicut ex eo, quod honor exhibitus legato redundet in regem, eleemosyna erogata pauperi cedat in honorem Dei, non sequitur, honorem exhibitum legato, aut eleemosynam erogatam pauperi, proxime ac immediate ad legatum & pauperem non terminari: ita ex eo, quod honor delatus imagini, in prototypum ultimo refundatur, non sequitur, quod proxime & immediate ad imaginem non terminetur.

Verum ea responsio nullius est ponderis. Nam 1. dignitas vere, licet participata, inest regis legato; ac proinde mirum non est, quod ipsi à populo delatus honor, ad ipsum terminetur. In paupere vere est indigentia, cui per eleemosynam medemur: at vero imagini non inest virtus aliqua, non inest excellentia, aut aliquid aliud, ratione cujus honor illi delatus, ad ipsam, etiam proxime, terminetur. 2. In suppositione, quam confutamus, Concilium Nicænum nihil definiisset de cultu imaginum, quod in omnibus aliis pietatis operibus locum non haberet: nimirùm in omnibus pietatis operibus Deus honoratur, cum ultimo ad eum referantur, cum imperentur a charitate, qua Deum ipsum prosequimur. 3. Definitio Concilii est adversus Iconomachos, qui Ecclesiam superstitionis arguebant, quod res ratione & sensu vacuas coleret: at ad eos confutandos, si vera sit adversariorum responsio, non valuisset Concilii ratio; thesim enim ipsam supposuisset, nempe prototypa honorari ex cultu, qui eorum imaginibus defertur; quasi vero si cultus ille sit (ut supponebant Iconomachi) superstitiosus, eo delectari possint earum prototypa. Econtra vero si cultus ille sit mere relativus, invicte destituitur Iconomachorum suppositio: qui enim fieri potest, ut superstitiosus sit cultus, qui non ad creaturam ratione ac sensu vacuam, sed ad ipsosmet Sanctos terminatur? 4. Frustra ex ultimo ac remoto fine excusatur crimen, quod in medio esse supponitur; bonum enim ex integra causa, malum autem ex quolibet defectu: ergo si (ut Iconomachi supponebant) cultus imagini delatus crimen est, frustra per finem ultimum, ad quem tendit, excusatur.

Objicies. Nicænum Concilium aperte distinguit honorem imagini delatum, ab eo, qui prototypo defertur: scilicet asserit eum a cultu latriæ omnino distinctum esse; sic enim loquitur: *Qui has contemplantur, alacrius eriguntur a primitivorum earum memoriam & desiderium, & ad osculum, & ad honorariam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impertiendam.*

Resp. neg. ant. Ratio est, quia honoraria illa adoratio non in alio posita est, quam in exterioribus honoris signis, quæ imagini deferuntur; non autem in mentali aliqua reverentia, qua imaginem ipsam prosequamur. Nam 1. ipsummet Concilium post hæc verba, *Honorariam adorationem*, hæc alia subjungit, quæ externos tantum honoris actus significant: *Ita ut istis* (imaginibus) *sicuti figuræ pretiosæ ac vivificæ crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur*. 2. Tota Synodus Actione tertia hæc etiam habet, quæ docent, honorariam adorationem in exterioribus signis positam esse: *Consentimus & salutamus, & honoranter adoramus sacras & adorandas Iconas.* 3. Idem Concilium in Epistola Synodica ad Imperatores, pro uno & eodem sumit adorationem, quæ imaginibus defertur, & salutationem, utique externam, quæ illis impenditur: *Et has adorandas, id est salutandas; idipsum enim est utrumque*. Addit ibidem Synodus varia exempla, tum ex Scripturis, tum ex traditione, quæ probant honorare, idem prorsùs esse ac osculari & salutare.

Instabis. Imaginum salutatio est signum honoris interni, quo ipsasmet imagines prosequimur: alioquin enim ea salutatio esset signum mendax; quod est absurdum; ergo, &c.

Resp. neg. ant. Scilicet externa salutatio est signum interni cultus, quo mens non ipsas imagines, sed earum prototypa veneratur: neque enim ejusmodi salutatio hæret in ipsis imaginibus, sed ad prototypa refertur; hoc est, cum ore osculamur imagines, mens interno affectu amplectitur prototypa; quando caput sese coram imaginibus inclinat, animus sese, non ipsis imaginibus, sed personis, quæ per eas repræsentantur, interiùs submittit, earumque supernaturalem excellentiam reveretur. *Sicut* (ait Leontinus Episcopus Neapoleos, in sermonis pro Christianorum apologia fragmento, quod recitatum est actione quarta Concilii Nicæni II.) *Jacob acceptam à filiis suis tunicam variam & sanguinolentam Joseph, deosculatus est cum lacrymis & propriis oculis hanc composuit, & non vestimentum amans, vel honorans, hoc fecit; sed per id æstimans Joseph osculari, & in manibus eum habere: ita & Christiani universi imaginem Christi, vel Apostolorum, aut Martyrum tenentes aut salutantes car-*

nes,

ne, animo ipsum Christum æstimamus, vel martyrum ejus habitum retinere.

Dices: Si imaginum externa salutatio, non in ipsis imaginibus hæreat, sed immediate ad prototypa referatur, non erat, cur Iconomachi, librorum Carolinorum auctor, Jonas Aurelianensis, Gallicani Præsules in Conventu Parisiensi, qui habitus est sub Ludovico Pio, tantoperè ab ea salutatione abhorruerint, tantoque conatu eam in Nicænis Patribus superstitionis, & idololatriæ arguerint: ergo, &c.

Resp. 1. Iconomachos eam salutationem rejecisse, quòd nullas omnino imagines sive in templis, sive in privatis domibus retinendas esse crederent. 2. Eandem salutationem Gallicani Præsules superstitionis in Nicænis Patribus arguerunt, quod per errorem facti arbitrarentur, eam in mente Nicænorum Patrum, esse latriæ signum, quod in ipsis imaginibus hæreret, seu quo mens significaret, se latriæ cultum, uni Deo debitum, imaginum materiei aut formæ deferre: in eam autem interpretationem abierant, quod (ut jam sæpe monuimus) externa illa imaginum salutatio apud ipsos nusquam in usu fuisset.

Quæ hucusque de sensu Nicæni Concilii dicta sunt, confirmari possunt ex Patribus, ex quibus idem Concilium editam a se fidei definitionem eruit, seu quos appellat tanquam testes antiquæ traditionis, ad cujus normam fidei definitionem exegit.

Hadrianus Papa in Epistola ad Imperatores, quæ lecta est ac probata Actione secunda Concilii Nicæni, sic loquitur: *Nam idem ipse Jacob proprio demum arbitrio summitatem virgæ filii sui Joseph deosculatus est, filii dilectione hoc agens, sicut beatus Paulus in Epistola ad Hebræos testatur; non virgæ, sed tenenti eam, honoris ac dilectionis exhibuit affectum. Sic & nos pro amore & dilectione, quam apud Dominum & Sanctos ejus habemus, honorabiles eorum effigies imaginibus depingentes, non tabulis honorem exhibemus, sed illis pro quorum honore consistunt.* In eum autem textum observare est 1. Hadrianum conferre fideles, qui imagines osculantur, cum Jacob osculante filii virgam. Observare est 2. eundem Hadrianum expresse asserere, honorem, quem Jacob exhibuit virgæ filii sui, terminatum non fuisse ad virgam ipsam, sed ad ipsummet filium. Observare est 3. Hadrianum ex eo Jacobi exemplo colligere, fideles, cum imagines osculantur, tabulis & coloribus honorem internum non exhibere, sed earum tantùm prototypis. Observare est 4. eundem Hadrianum quemlibet honorem, qui fit in honorantis affectu (de eo enim hic agitur) negare imaginibus: nempe cum exclusione indefinita loquitur: *Non tabulis, & coloribus honorem exhibemus*. Unde sic arguitur: Se habet honor imaginibus Sanctorum delatus, sicut honor, quem Jacob detulit virgæ filii sui: atqui honor, quem Jacob detulit virgæ filii sui, totus fuit relativus; nec enim (ut docet Hadrianus) virgam habuit pro termino, quem Jacob in mente sibi proposuit; sed unam filii ejus personam. Si honor imaginibus delatus, aliqua ex parte esset absolutus, in mente honorantis exhiberetur imaginibus, saltem prout imaginum officio funguntur, seu prout sunt repræsentativæ: atqui, ex Hadriano, honor in mente honorantis non exhibetur imaginibus, quæ nihil aliud sunt, quam tabulæ & colores, sed illis tantùm exhibetur, qui per eas repræsentantur: ergo, ex Hadriano, honor, qui defertur imaginibus, nulla ex parte in mente honorantis est absolutus. Si aliquis honor, qui fit in honorantis mente, deferri debeat imaginibus prout sunt Sanctorum repræsentativæ, id Hadrianus in sua Epistola asserere debuisset: sed tantùm abest, ut id asseruerit, quin econtra dixerit indefinite; imaginibus honorem (mentalem) non deferri, sed personis tantum, quarum sunt imagines.

Eadem ratione, qua Hadrianus, loquuntur Patres, quos Nicænum Concilium, Actionibus 4. & 5. laudat ad vindicandum imaginibus cultum, quem eis Iconomachi abdicarant: scilicet fere omnes ajunt 1. in imaginibus, nec tabulam, nec colores honorari: Ajunt 2. honorem imagini delatum transire ad earum prototypa: 3. Unam esse imaginis & prototypi glorificationem, seu adorationem mentalem. 4. Ne verbum quidem faciunt honoris, qui in imaginibus, etiam prout imagines sunt, defertur; seu nusquam meminerunt honoris absoluti, quem nonnulli Scholastici eis deferendum esse putant: 5. Expressè testantur nos osculari imagines, quòd mens eas habeat prototyporum loco, videaturque sibi amplecti prototypa, cum os imaginibus osculum infigit. Unde sic conficitur argumentum: Nicæna secunda Synodus eum dumtaxat cultum imaginibus asseruit, quem illis vindicarunt Hadrianus, aliique Patres, quos tanquam suæ definitionis testes laudavit: atqui (ut ex dictis patet) & Hadrianus & alii Patres, quos Nicæna secunda Synodus tanquam suæ definitionis testes laudavit, non alium cultum (mentalem) imaginibus vindicarunt, quam relativum, hoc est, qui ad sola imaginum prototypa, sive proximè, sive remotè, terminetur: ergo non alium, quam relativum cultum (mentalem) secunda Synodus imaginibus asseruit.

Probatur tandem nostra conclusio ex Concilio Tridentino. Sacra Synodus sess. 25. definit 1. imagines non honorari, *quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ*. Definit 2. ideò honorari, *quoniam honos, qui eis exhibetur, ad prototypa refertur*. Definit 3. quòd, *per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos quorum illæ similitudinem gerunt*. Ex iis autem Concilii verbis sic arguitur: Ille cultus (mentalis nimirum, de quo hic agitur) est mere relativus, qui non impenditur imagini propter aliquam illius virtutem aut excellentiam; qui non ad imagines, sed ad prototypa ab adorante refertur; per quem, cum imagines osculamur, earum prototypa mente colimus: siquidem si cultus non impendatur propter aliquam imaginis excellentiam, si ad prototypum referatur, si mens, dum os imagines osculatur, non imagines honorat, sed prototypa tantùm, nihil est in imagine, ad quod mentalis cultus terminetur: atqui, &c.: ergo, &c.

Respondent Adversarii, esse in imagine repræsentationem rei sanctæ; quæ repræsentatio (inquiunt) honorem meretur, eo quidem minorem, qui ipsis prototypis defertur.

Sed contra est 1. quia Concilium ejusmodi repræsentationis, tanquam quæ mentalem cultum terminet, non meminit: ergo non censet, ejusmodi repræsentationem mereri internum adorantis honorem. 2. Tota ratio, cur Concilium dicat imagines coli debere, est quòd honos eis exhibitus, ad prototypa referatur: neque enim aliam rationem profert. 3. Docet, mentem adorantis, cum os imagines osculatur, ipsa prototypa venerari; non dicit verò, quòd mens ipsas imagines veneretur. 4. Asserit, ipsum etiam osculum, quod ore infigitur imaginibus, ad prototypa mente referri: ergo non censuit, imagines ratione repræsentationis aliquem absolutum cultum, quantumcumque minor sit, imaginibus deberi. 5. Illa repræsentatio non est aliquid sacrum, sed sola artificis fictio: ergo non est ratio, quæ mentalem aliquem cultum terminare possit.

Objicies: Concilium asserit, *imagines in templis habendas esse & retinendas, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam*: Honor autem debitus alieni rei, ad ipsam rem, immediatè saltem terminari debet: ergo, &c.

Resp. dist. min. Honor alicui rei debitus, ad ipsam rem terminari debet; si sit res absoluta, conc. min. si tantum sit alterius signum, neg. min. Imagines mera sunt signa; ac proinde quod coram eis fit, ad ipsas minimè terminatur. Confirmatur ex eo, quod ubi Concilium Tridentinum asseruit, venerationem imaginibus impertiendam esse, statim asserat, venerationem illam esse quid externum, osculum nimirum, detectio capitis; quæ quidem licèt exteriùs ad imagines terminentur, in mente tamen adorantis non ad imagines terminantur, sed ad earum prototypa: *Ut per imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt.*

Quæres 1. utrum idem dici possit de adoratione Crucis, in qua Christus pependit, de Sanctorum reliquiis, ac de sacris imaginibus: seu utrum cultus internus, qui eis exhibetur, totus sit relativus, sicut totus relativus est ille, qui sacris imaginibus defertur.

Resp. & veram crucem & Sanctorum reliquias coli tantum interno cultu relativo, quo uno (ut dictum est) imagines sacræ coluntur. Ratio est 1. quia (ut in defensionem primæ ac secundæ nostræ conclusionis dictum est) creaturæ irrationali exhiberi non potest internus cultus, qui ad ipsam terminetur. 2. Leontius in Sermone quinto, qui lectus est in septima Synodo, Actione quarta, sic loquitur: *Multa quippè & ineffabili erga ipsum* (Christum) *affectione, ubi ascendit, vel sedit, vel illuxit, vel tetigit, aut omnino obumbravit, colimus & adoramus ut locum Dei; non locum, neque domum, neque regionem, vel civitatem, aut lapides honorantes, sed eum, qui illis conservatus est, & illuxit, atque in carne innotuit, atque ab errore liberavit, Christum videlicet Dominum nostrum.* In illo Leontii textu observatione dignum est verbum istud, *tetigit*; nempe rebus etiam quas Christus tetigit, Leontius abdicat absolutum cultum internum; probatque ea, quæ Christus tetigit, non alio interno cultu coli, quam relativo, hoc est, qui ad ipsum Christum immediatè terminetur. Hincque patet, nec veram crucem Domini, nec Sanctorum reliquias coli, nisi cum ipsomet Christo, & cum ipsis Sanctis conjunctæ, per mentem apprehendantur.

Quæres 2. quis loquendi modus usurpari debeat, cum agitur de imaginum cultu?

Resp. 1. nusquam coram rudi populo dicendum esse, cultum aliquem internum imaginibus inhærere, etiamsi vera supponeretur opinio, quæ docet, cultum aliquem internum distinctum ab eo, qui prototypis defertur, imaginibus exhiberi. Ratio est, quia periculum esset, ne inde populi conjicerent, imaginem per se esse sanctum sanctificantem, interna aliqua virtute præditam.

Resp. 2. concedi non posse hanc propositionem absolutè prolatam: *Imagines Christi, aut Trinitatis adorantur adoratione latriæ*. Ratio est 1. quia Nicænum secundum Concilium simpliciter illam propositionem rejicit Actione septima in definitione fidei, ubi sic tum de Christi, tum de Sanctorum imaginibus loquitur: *Qui has contemplantur, alacrius eriguntur ad primitivorum earum* (imaginum) *memoriam, & ad osculum & ad honorariam his adorationem tribuendam: non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, impertiendam*. Ratio est 2. quia periculum esset, ne fideles crederent, latriæ adorationem ad ipsas imagines, seu earum aut materiam aut formam, terminari; quemadmodum, proximè saltem, ad eam sive materiam, sive formam, terminantur oscula, aliaque exteriora signa cultus interioris, quo mens exemplaria prosequitur.

Resp. 3. non alia ratione fideles docendos esse modum cultus, qui defertur imaginibus, quam quæ adhibita est a Concilio Nicæno & Concilio Tridentino; hoc est, docendi sunt, quod dum osculamur imagines, dum coram iis procumbimus, Christum ipsum & Sanctos adoremus. Addendum etiam est, externa honoris argumenta, quæ imaginibus deferuntur, esse signa submissionis internæ, quam earum prototypis exhibemus; latriæ quidem signa, si quæstio sit de imaginibus Christi, duliæ verò, si de Sanctorum imaginibus agatur.

QUÆSTIO XV.

De fide in Christum Mediatorem.

Not. 1. NOn est hic quæstio de necessitate præcepti: nempe persuasum est omnibus, eos omnes, quibus Christus annuntiatur, præcepto divino teneri in illum credere: sed agitur de necessitate medii, hoc est, quæritur, utrum fides in Christum mediatorem sit ita necessaria, ut sine ea actu habita, nemo salutem consequi possit. Ut autem ea quæstio cum aliqua methodo pertractetur, expendendum est 1. utrum sine fide in Christum mediatorem aliquis ante Christi adventum salutem consequi potuerit: 2. Quæ Christi mediatoris fides fuerit olim, & nunc sit necessaria: 3. Utrum ab Abrahami tempore usque ad adventum Christi, præter populum Judaicum, fuerit gens aliqua, quæ verum Dei cultum habuerit, & implicitam in Christum mediatorem fidem.

CAPUT PRIMUM.

An fides in mediatorem fuerit quovis tempore necessaria necessitate medii.

Not. 1. ANdreas Vega lib. 6. in Concilium Tridentinum, cap. 20. docet hominem, etiam post promulgatam legem Evangelicam, sine fide, sive in Deum, sive in Christum, aliquo casu posse salvari per cognitionem naturalem Dei, vel boni honesti; si alias ex viribus naturæ declinet a malo, & bonum honestum operetur: unde a fortiori consequens est, homines temporis legis naturæ sine ulla fide, sive in Deum, sive in Christum, salutem æternam consequi potuisse.

Not. 2. Dominicus Soto libro 2. de Natura & Gratia, cap. 11. in eandem sententiam abierat in prima sui operis editione; cum hoc tamen discrimine, quod vellet, etiam tunc fuisse necessarium auxilium supernaturale Dei moventis ad opus bonum, quod ad justificationem præpararet: Verum in altera editione discessit a sententia, quam in prima docuerat; sic enim loquitur: *Igitur in ea quæ fuerit opinione, quam nos in Scholis nonnunquam defensavimus, & in prima hujus operis impressione Veneta probatiorem arbitrati sumus: videlicet quod non esset in jure naturæ singulis de plebe alius radius lucis necessarius, quàm naturalis, propterea quod illis gentibus, ubi non erat depravata natura, vitiorumque caligine obducta, hic radius videtur efficax ad cognoscendum de Deo quod est, & quod remunerator est, ubi cognitio confusè implicatur Christi. Et quod magnum præterea est argumentum, est, quod nulla erat revelatio particularior eorum, quæ necessaria erant ad salutem, facta publicitùs, quam illa, quæ fiebat per lumen naturale...... At verò re meditatiùs perpensa, abjiciendam existimo opinionem hanc & alteram amplectendam: videlicet quod neque in lege naturæ satis fuerit naturale lumen ad illam cognitionem fidei, quæ necessaria est ad salutem.*

Not. 3. Eò etiam tendunt, seu fidem in Mediatorem non fuisse quovis tempore necessariam ad salutem, quæ nuperi quidam Scriptores asseruerunt in Commentariis, Historiis, Epistolis Gallicè scriptis de Sinarum monarchia, religione, cultu, antequam Christus in lucem produisset. Nempè contenderunt, Sinas, qui nihil

unquam de Christo futuro audierant, per duo annorum millia ante Christum natum, integram servasse Dei cognitionem, purissima charitate præditos fuisse, uni ac vero Deo cultum exhibuisse superstitionis expertem. Loca, quibus evincitur, eò tendere Scriptorum illorum systema, legere est in censura facultatis Theologicæ Parisiensis, quam ad hujusce Tomi calcem describemus.

CONCLUSIO. Fides in Christum quovis tempore ad salutem necessaria fuit necessitate medii.

Probatur 1. ex Scriptura. *Primò*, illud est necessarium necessitate medii, sine quo Dei nomen invocari non potest; nempe cum Apostolus ad Rom. 10. laudat illud Joelis 2. *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*, non obscurè innuit, eum, qui non invocat, salvum esse non posse: atqui sine fide in mediatorem nusquam ab Adami lapsu nomen Dei potuit invocari, siquidem sine eo nunquam potuit invocari Dei nomen, sine quo nescitur, per quem invocandum sit; sine quo ignoratur via, per quam eundum sit ad Deum; sine quo nemo potest sperare se consecuturum à Deo, quod petierit: Atqui sine fide in mediatorem nescitur, per quem Dei nomen invocandum sit: ait enim ipse, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: Petere verò in nomine Christi non aliud est, quam petere ex fide in eum: postquam enim Petrus Actor 3. versu 6. hæc ait. *In nomine Jesu Christi Nazareni surge & ambula*, versu 16. nomen Christi exponit de fide in eum: *In fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis & nostis, confirmavit nomen ejus: & fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum*. Sine fide in Christum nescitur via, per quam eundum sit ad Deum; ait enim ipse: *Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Ego sum via*. Quæ quidem verba intelligi non possunt de Christi meritis in se sumptis, hoc est, abstrahendo à fide in Christum; ire enim ad Patrem per Christum, est ire per fidem in ipsum; eo sensu est via, quod in ipsum credatur; juxta illud Apostoli ad Rom. 5. *Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam*. Sine fide in Christum nemo sperare unquam potuit se postulata consecuturum: *In quo* (ait Apostolos ad Ephel. 3.) *habemus fiduciam & accessum, in confidentia per fidem ejus*.

Secundò, Illud fuit semper ad salutem necessarium necessitate medii, sine quo Scriptura nulli unquam tribuit justificationem; cur enim aliquid toties recenseret, quoties agit de justificatione, si simpliciter & absolutè semper requisitum non fuisset? atqui Scriptura nemini unquam sine fide in Christum justificationem tribuit. Joannis cap. 1. *Quotquot receperunt eum* (Christum) *dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*. Cap. 3. *Sicut Moyses exaltavit Serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*. Cap. 6. *Hæc est voluntas Dei Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam æternam*. Apostolus nusquam ultra credentes in Christum extendit justificationem: *Justitia autem Dei* (inquit ad Rom. 3.) *per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum*. Addit, Christum nemini, nisi credenti in eum, propitiationem esse: *Quem proposuit Deus per fidem in sanguine ipsius*, nec distinguit inter eos, qui aut ante illius adventum, aut postea vixerint: *Omnes enim egent gloria Dei, justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*. Præmittit rationem, quæ ad omnes omninò homines quocumque tempore vixerint, pertinet: *Non enim est distinctio: omnes enim peccaverunt*. Negat aliquem, sive circumcisus sit, sive incircumcisus, sine fide justificari: *Unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem*.

Expressè asserit, Abrahamum, qui ante legem vixit, per fidem justificatum fuisse: *Credidit Abraham Deo* (inquit ad Rom. cap. 4) *& reputatum est illi ad justitiam*. Addit, eos solum justificari, qui *sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ*: At per eam fidem justificatus est Abraham, de qua in epistola ad Romanos agit Apostolus; nam à justificatione Abrahæ petit exemplum, quo probat, fidem, de qua agit, ad justificationem necessariò requiri.

Capite undecimo epist. ad Hebræos scribit: *Sine fide impossibile esse placere Deo*; & ne quis illa verba ad eos tantùm homines restringat, qui post Christi mortem vixerunt; enumerat justos, qui sive ante legem, sive post eam in humanis fuerunt. Ne quis etiam eadem verba de fide in Christum non intelligat, obstat, tum quod profert exemplum Moysis, de quo hæc ait: *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi*; tum etiam scopus, quem in epistola ad Hebræos sibi proponit: nempe & ipsa, & quæ ad Romanos, & ad Galatas scriptæ sunt, eò tendunt, ut probetur, fidem in Christum ad justificationem absolutè requiri.

Ut ostendat, neminem jam sine fide in Christum justificari, laudat in epistola ad Galatas, cap. 3. illud Habacuc 2. *Justus autem meus ex fide vivit*: ac proindè censet, Habacuc locutum fuisse de fide in Christum. In epistola ad Rom. cap. 10. laudat illud Deuteronomii 30. *Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cælum?* illudque ibidem mox exponit de Christo, id est, (ait) *Christum deducere*. Laudat & istud: *Aut quis descendet in abyssum?* quod pariter de Christo interpretatur: *Hoc est*, (inquit) *Christum à mortuis revocare*. Addit, utrumque fieri per fidem in eundem Christum: *Sed quid dicit Scriptura? prope est verbum in ore tuo, hoc est, verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quia Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris; corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Tandem idem Apostolus, sive ad Romanos, sive ad Ephesios, sive ad Galatas, sive ad Hebræos scribens, duas tantùm vias recenset, quibus tum Patriarchæ ante legem scriptam, tum Prophetæ, & alii post promulgationem legis, justificari potuerunt, observationem nimirùm legis tum naturalis, tum positivæ, & fidem in Christum. Addit, justitiam non externæ legis observationi, sed fidei in Christum, quæ per dilectionem operatur, adscribi debere; contenditque, quod si ex lege fuerit justitia, gratis mortuus sit Christus. Eòdem spectant hæc Petri verba Actorum capite 4 *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud est nomen sub cælo datum hominibus* (non distinguit inter tempus, quod fluxit ante adventum CHRISTI, & illud, quod ipsum subsecutum est; sed absolutè ac sine restrictione dicit, Non est datum hominibus *in quo oporteat nos salvos fieri*.

Probatur 2. nostra Conclusio ex Traditione.

Irenæus lib. 1. adversus hæreses, cap. 24. eandem, quam postea Augustinus, veritatem docuit, Abrahamum per eandem fidem justificatum fuisse, per quam nunc justificamur: *Propheta ergo* (inquit) *cum esset Abraham, & videret in spiritu diem adventus Domini, & passionis dispositionem, per quem ipse quoque & omnes, qui similiter, ut ipse credidit, credunt Deo, salvari inciperent, exultavit vehementer. Non incognitus igitur erat Dominus Abrahæ, cujus diem concupivit videre*. Atqui certum est, nos jam non justificari, nisi per fidem in Christum; ergo nec Abraham, aliique veteres nonnisi per eandem in Christum fidem justificati sunt. S. Martyr lib. 4. capite trigesimo octavo idem confirmat. Videri possunt, & de eodem argumento Cyprianus in Epistola ad Cæcilium, ubi docet, homines novi Testamenti tempore justificari per eandem fidem, per quam Abrahamus justitiam consecutus est; Hilarius lib. 9. de Trinit. in hæc Evangelii verba: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: ex quibus infert, fidem in Christum ex ipsa me-

diatoris natura ad salutem esse necessariam; Theodoretus in Caput quartum epistolæ ad Romanos, ubi asserit, Abrahamum fuisse ratione suæ fidei patrem & eorum, qui in præputio & illorum, qui in circumcisione justificationem consecuti sunt: At si pater est eorum, qui nunc credunt, per eandem fidem, per quam nunc justificamur, & ipse justificatus est. Videri etiam potest Cyrillus Alexandrinus in caput tertium Joannis, nec non lib. 8. de adoratione in spiritu & veritate.

Augustinus libro de natura & gratia contra Pelagium, cap. 2. adversùs absolutam necessitatem fidei in Christum hoc sibi argumentum proponit: *Quid faciet humana natura, vel fecit, quæ vel ante non audierat hoc futurum, vel adhuc non comperit factum, nisi credendo in Deum, qui fecit cœlum & terram, a quo & se factam naturaliter sentit, & rectè vivendo ejus impleat voluntatem, nulla fide passionis Christi & resurrectionis imbuta?* Illud autem argumentum sic solvit idem S. Doctor: *Quod si fieri potuit, aut potest, hoc & ego dico, quod de lege dixit Apostolus: Ergo Christus gratis mortuus est. Si enim hoc ille dixit de lege, quam accepit gens una Judæorum, quantò justius dicitur de lege naturæ, quam accepit universum genus humanum? Si per naturam justitia, ergo Christus gratis mortuus est: Si autem non gratis mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, a vindicta, nullo modo potest, nisi per fidem & sacramentum sanguinis Christi.* Idem Augustinus enarratione in Psal. 104. sic loquitur: *Non enim quisquam præter istam fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus incarnationem, sive postea, reconciliatus est Deo; cum sit ab Apostolo veracissimè definitum: Unus enim Deus & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus.* Idem docet libro de peccato Originali contra Pelagium & Cælestium, cap. 24.

Sed vix ullus clariùs unquam de argumento de quo agitur, locutus est, quam Leo Magnus: *Omnes* (inquit Serm. 29. c. 7.) *sancti, qui Salvatoris nostri tempora præcesserunt, per hanc fidem justificati, & per hoc sacramentum, Christi sunt corpus effecti.* Serm. 63. cap. 2. docet, Sanctos, qui ab initio usque ad adventum Domini laudabiles extiterunt, per fidem in Christum justificatos fuisse; cujus quidem effati hanc reddit rationem, *Una enim fides justificat universorum temporum fideles.*

Tandem quotquot extitere Patres, qui quatuor prioribus sæculis diluerunt novitatis notam, quam ethnici scriptores inurebant religioni Christianæ, non alio argumento usi sunt, quam quod & ii, qui ante legem, & qui scripta lege vixerunt, eandem religionem professi sint, quam & ii, qui postea Christiani dicti sunt: at eadem non est religio, ubi cultus internus non est idem; internus verò Dei cultus essentialiter positus est in earumdem virtutum exercitio, fidei nimirùm, spei & charitatis: *Fide* (inquit Augustinus in Enchiridio ad Laurentium) *spe & charitate colitur Deus.*

Objicies 1. Gregorius Nazianzenus Or. 22. doctrinam de necessitate fidei in Christum non tradit tanquam omninò certam, sed tantum tanquam *probabilem*. 2. S. Chrysostomus hom. 37. in Matth. scribit: *In veteri Testamento non fuisse requisitam confessionem Christi, verum sufficisse fidem in Deum.* 3. Cyrillus libro tertio de adoratione in spiritu & veritate, docet, Deum per anfractus legis Judæos ad terram promissam deduxisse, cum econtra novi Testamenti fideles brevi compendio, nimirum per fidem in Christum, deducat: ergo, &c.

Resp. ad 1. vocem, *probabile*, apud antiquos rem omninò certam significare: unde cum adversus Ethnicos agunt, ut significent, religionem Christianam certam fieri ex motivis credibilitatis, nonnunquam utuntur *probabilis* nomine; hoc est, asserunt, motiva credibilitatis argumentum esse, quo religionis veritas certò persuadeatur. Resp. ad 2. Chrysostomum loqui de fide, quam Sancti ante legem Evangelicam coram tyrannis confitebantur, hoc est, contendit, non fuisse necesse, ut fidem in Christum coram eis confiterentur, tum quod a tyrannis plane ignorabatur, Sanctos ante legem Evangelicam in futurum Christum credere, tum quod de sola in unum Deum fide accusarentur. Resp. ad 3. Cyrillum hoc unum velle, quod & ante ipsum sæpè docuerat Augustinus, Deum clare Judæis non revelasse Christi dispensationem, sed tantùm sub legis umbra, quæ fuerit (ut ipsemet Cyrillus ibidem asserit) veluti pedagogus, quo Judæi, utpote rudes & sensibilibus addicti, ad mediatoris fidem veluti manuducerentur.

Quæres, an aliqua Theologica censura debeatur propositioni, qua asseritur, fidem in Christum olim ad salutem non fuisse necessariam, aut nunc absolute non requiri.

Resp. Illam propositionem esse hæreticam. Ratio est 1. quia exprese contraria est unanimi Patrum traditioni. 2. Expresè contradictoria est definitioni Concilii Tridentini, quod quidem ubi sess. 6. cap. 7. docuit, fidem in Christum absolute necessariam esse ad consequendam justificationis gratiam, hæc subjungit: *Sine qua nemini unquam contigit justificatio.*

CAPUT II.

Quæ in Christum fides ad salutem necessaria sit necessitate medii.

Not. 1. Fides passim a Theologis dividitur in implicitam & explicitam. Prima (inquit Estius) est ea, per quam quid creditur in alio tanquam in universali, in quo continetur. Ejusmodi est fides de numero sacramentorum in eo, qui non sciens distinctè, quot sint sacramenta, credit omnia, quæ ab Ecclesia Catholica proponuntur. Altera est ea, per quam quid distinctè & in particulari creditur: sic in eo, qui in particulari profitetur se credere incarnationem Verbi, est explicita fides de Verbi incarnatione.

Not. 2. Ex iis, quæ præcedenti cap. dicta sunt, sequitur, fidem in Christum, saltem implicitam, quovis tempore ad salutem fuisse necessariam necessitate medii: unde quæstio est hic 1. utrum ante Evangelii promulgationem explicita fides in Christum fuerit necessaria: 2. An saltem post Evangelii promulgationem, requiratur.

ARTICULUS I.

An explicita in Christum fides ante Evangelium necessaria fuerit.

Not. Nonnulli docent, nullam fidem explicitam in Christum antiquis ad salutem fuisse necessariam, sed implicitam tantum, quæ includitur in fide in Deum remuneratorem, aut in fide de Dei providentia: nempè (ajunt) fides in Deum remuneratorem, fides de Dei providentia, includunt fidem de remissione peccatorum: in fide verò de remissione peccatorum continetur fides in eum, per cujus merita fit ejusmodi peccatorum remissio, ac proindè fides in Christum. Alii contendunt, præter fidem explicitam in Deum remuneratorem, quovis tempore requisitam fuisse fidem explicitam in aliquem redemptorem, abstrahendo tamen a modis, quibus redemptionem operaturus esset. Alii tandem arbitrantur, fidem explicitam in redemptorem, qui Deus esset & homo, qui sua morte operaturus esset hominum salutem, & nunc & olim fuisse necessariam necessitate medii. Quid nos de ea controversia sentiamus, subsequentes conclusiones aperient.

CON-

CONCLUSIO. 1. Fides in Deum remuneratorem, nusquam satis fuit ad salutem.

Probatur. Fides in Christum, saltem implicita, quovis tempore fuit ad salutem necessaria; atqui fides in Christum non includitur in fide in Deum remuneratorem; si enim homo in innocentia perstitisset, habiturus fuisset fidem in Deum remuneratorem; scilicet ad quemcumque hominis statum pertinent hæc indefinita Apostoli verba: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se, remunerator sit:* At homo in illo statu non habiturus fuisset fidem in Christum; neque enim, Adamo non peccante, ipse Christus futurus fuisset: ergo fides in Christum non includitur in fide in Deum remuneratorem.

CONCLUSIO 2. Fides de Dei providentia, nusquam satis fuit ad salutem.

Probatur. Fides de Dei providentia non includit aliquam fidem in Christum: nempe si Adamus non fuisset peccaturus, habiturus fuisset fidem de Dei providentia sine ulla fide in Christum. Præterea, absolute loquendo, Deus alio modo, quam per Christum, seu mediatorem aliquem, potuit homini lapso consulere: ergo, etiam supposito hominis peccato, futuritio Christi non sequitur ex divina providentia; ac proinde fides de Dei providentia, non includit fidem aliquam in Christum redemptorem.

CONCLUSIO 3. Quovis tempore necessaria fuit ad salutem fides explicita in futurum aliquem redemptorem, non autem in modos, quibus ille redemptor redemptionem operaturus esset.

Probatur prior pars: Nulla datur alia fides in redemptorem, quam explicita: ergo cùm aliqua in Christum fides quovis tempore necessaria fuerit, explicita in eum fides fuit semper necessaria. Probatur ant. Nulla datur alia fides in redemptorem, quam explicita, si nulla detur implicita: atqui nulla datur, siquidem implicita fides est ea, quæ sequitur ex alio articulo, saltem tanquam ex causa virtuali: sed fides in redemptorem non sequitur ex alio articulo, tanquam ex causa, virtuali saltem, nempe non potest sequi ex aliis articulis, nisi ex articulis de Deo remuneratore, de Dei providentia: atqui (ut jam probatum est) fides in mediatorem ex illis articulis non sequitur: ergo, &c. Vide Bernardi textum, qui ad probationem secundæ partis inferius adducetur.

Objicies: Fides explicita in redemptorem supponit fidem explicitam de Adami lapsu & de peccato originali; sed fides explicita de Adami lapsu & de peccato originali non fuit quovis tempore necessaria necessitate medii: ergo nec fides explicita in aliquem redemptorem.

Resp. conc. maj neg. min. Ratio est, quia in eorum etiam systemate, qui contendunt, fidem explicitam in aliquem redemptorem, quicumque tandem futurus esset, non fuisse necessariam, sed implicitam satis fuisse, dicendum est, fidem de hominis miseria prærequisitam fuisse: neque enim valentibus opus est medico, sed tantùm male habentibus; unde ipse Christus in Evangelio dicit: *Non veni vocare justos, sed peccatores.*

Probatur altera conclusionis pars. Patres cum de fide mediatoris aut quis absolutè necessaria loquuntur, expresse excipiunt fidem explicitam de modis, quibus operaturus erat hominum salutem. Nam 1. sic Bernardus loquitur epistola 77. quæ est ad Hugonem: *Quod si prophetæ, & qui illustriores videbantur in illo populo, non omnes omnia liquidò æqualiter agnoscere valuerunt; sed alii plus, alii minùs: quantò magis simpliciores quique justi, sine detrimento salutis, salvationis tempus, modum & ordinem nescire potuerunt: quæ tamen certa fide & spe, uti promissa fuerant, firmissimè tenuerunt.* Hæc ibidem ait idem Bernardus: *Multi ergò ante Salvatoris adventum, Deum omnipotentem tenentes & diligentes suæ salutis gratuitum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem, in hac fide & expectatione salvati sunt, licèt quando, & qualiter, & quo ordine salus repromissa fieret, ignorarent.* 2. Sic etiam loquitur S. Thomas 2. 2. qu. 1. art. 7. ad 7. *Si qui tamen salvati fuerunt: quibus revelatio* (immediatè) *non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide mediatoris, quia etsi non habuerunt fidem explicitam* (de modis quibus redemptio fieri debebat) *habuerunt tamen fidem implicitam in divina providentia, credentes Deum esse liberatorem hominum secundum modos sibi placitos, & secundum, quod aliquibus veritatem cognoscentibus spiritus revelasset.* Una est vox Patrum Christi mysteria, quæ nunc cuique apertè proponuntur, antiquis passim confusè tantùm proposita fuisse: ergo persuasum illis fuit, quòd omnibus necessaria non fuit explicita fides de modis, quibus divina providentia, per redemptorem a se mittendum, hominum salutem operatura erat.

Objicies 1. Judæi passim credebant, Messiam, quem expectabant, futurum esse filium Dei: ergo, ipsi etiam vulgo Judæorum, necessaria fuit fides non tantùm in redemptorem in genere, sed etiam in redemptorem, qui simul esset Deus & homo; ac proinde & fidem explicitam de modis præcipuis, quibus redemptio fieri debebat: inter eos enim modos incarnatio principem locum tenet. Probatur ant. Martha apud Joannem capite 11. Christum confitetur Dei filium: *Ego credidi, quia tu es Christus filius Dei.* Idem pariter confessus est Nathanael, ubi primum ad Christum venit, Joannis 1. *Tu es filius Dei, tu es Rex Israel.* Sacerdotes & seniores apertè in suo Concilio indicant Christum & Deum, esse unum & idem: *Dic nobis, si tu es Christus Filius Dei:* ergo, &c.

Resp. ad 1. neg. ant. Ad 2. dicendum est, Judæos nomine Filii Dei, passim intellexisse adoptivum, non autem naturalem. Et sane (inquit Estius) credibile est, minùs aliquid de Christo sensisse Nathanaelem, quando eum statim initio confessus est filium Dei; quam Petrum, qui propter confessionem verbo tenus similem, factus est princeps Apostolorum, & totius Ecclesiæ pastor. Nec obstat nomen, Filii Dei, quod Judæi Messiæ tribuebant: scilicet Scriptura tam vetus, quam nova, etiam aliis a Christo frequenter nomen illud tribuit. Preterea, dato, quòd Christi divinitas Marthæ, Nathanaeli & aliquibus aliis revelata fuerit; inde tamen non sequitur, aliis Judæis passim cognitam fuisse.

Objicies 2. Fides explicita de Verbi Incarnatione, de Christi tum morte tum resurrectione, præcipui sunt modi, quibus futurus redemptor operaturus erat hominum salutem: atqui hominibus, qui cum in lege naturæ, cum in lege scripta vixerunt, necessaria fuit necessitate medii fides de Verbi incarnatione, de Christi tum morte tum resurrectione: sic enim loquitur Augustinus libro de peccato originali, cap. 24. *Sine fide incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas Christiana non dubitat.* Eodem modo loquitur S. Doctor Epistolis 89. 95. lib. 2. de peccatorum meritis, cap. 29.

Resp. ad 1. conc. maj. neg. min. Ad 2. dicendum est, fidem de mysteriis, quorum argumentum meminit, fuisse quidem semper necessariam, sed implicitam, non autem explicitam; nec enim in locis, de quibus agitur, Augustinus inter utramque illam fidem distinguit: nec ea distinctio, quidquam ad illius scopum conferebat; nimirum agebat contra Pelagianos, qui contendebant homines in statu legis naturæ justificationem sine ulla in Christum fide consecutos fuisse; ac proinde satis erat, ut in locis implicitæ fidei necessitatem adstrueret.

Quæres 1. utrum non in omnibus, quidem justis, sed in aliquibus saltem ex iis, qui ante Evangelium vixerunt, fuerit distincta & explicita fides in redemptorem, tum secundum illius divinitatem, tum secundum modos alios, quibus hominum salutem operaturus erat?

Resp. in Patriarchis, qui in lege naturæ vixerunt, in Prophetis aliisque insignioribus viris, qui in lege Mosaica floruerunt, ex speciali Dei beneficio fuisse distinctam, atque explicitam fidem in redemptorem, tum secundùm illius divinitatem, tum secundum modos, quibus hominum salutem operaturus erat: *Abraham* (inquit ipse Christus in Evangelio) *exultavit, ut videret diem meum, vidit & gavisus est*. Propheta regius non semel in Psalmis de Christi divinitate, morte ac resurrectione vaticinatur. Isaias tam accuratè describit circumstantias dispensationis Christi, ut Evangelista potius, quam Propheta appellari debeat. Verum licet plura Christi mysteria veteres illi ex speciali revelatione cognoverint, eorum tamen cognitio non fuit æqualis ei, qua Apostoli donati sunt; alioquin enim dies Christi frustra in ardentissimis votis habuissent: *Quare* (inquit Bernardus in Epistola 77. quæ est ad Hugonem de sancto Victore) *voluerunt videre, & audire? ut videlicet clarius largiusque perciperent, quod vix tenuiter obscurèque præsenserant*. Ratio autem, cur Patriarcharum ac Prophetarum cognitio fuit obscurior, ac minus distincta, quam ea, quæ data est Apostolis; est, quia illi rerum futuritionem tantùm, isti verò & mysteriorum complementum conspexerunt: *Quamvis* (inquit Augustinus præfatione in Psalmum 90.) *viderunt ista in spiritu, tamen futura illis quodammodo formabantur; Apostolis autem jam præsentia videbantur*.

Quæres 2. an in Patriarchis, Prophetis, aliisque insignibus viris, qui Evangelii tempora præcesserunt, æqualis, seu æque distincta ac clara fuerit mysteriorum ad Christum pertinentium cognitio?

Respondendum est negativè: *Sciendum est* (ait Gregorius Magnus hom. 16. in Ezechielem) *quia per incrementa temporum crevit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses quam Abraham, plus Prophetæ, quam Moyses, plus Apostoli, quam Prophetæ in omnipotentis Dei scientia eruditi sunt*.

ARTICULUS II.

An explicita in Christum fides post Evangelii promulgationem necessaria sit necessitate medii.

Not. 1. Circa propositam quæstionem non una est Theologorum, etiam Catholicorum, sententia. Nonnulli recentiores post Franciscum Suarez, cujus Commentarii in Sanctum Thomam prodierunt in lucem ineunte sæculo decimo septimo, docent, fidem explicitam in Christum, etiam post Evangelii promulgationem, ad salutem non esse necessariam necessitate medii; sed præcepti tantùm, iis nimirum quibus annuntiatur Evangelium. Sylvius è contrà, cui non pauci veteres scholastici præiverunt, quemque sequuntur non pauci recentiores, contendunt fidem explicitam in Christum esse necessariam necessitate medii.

Not. 2. Simon Episcopus in suis Institutionibus Theologicis, lib. 4. sect. 2. cap. 33. & ante eum Socinus, docent, articulum de Christi divinitate (quem, ut superius dictum est, Sociniani negant) ex iis esse, quos absque salutis dispendio, quisque, prout libuerit, amplecti potest aut rejicere; unde concludunt, ne implicitam quidem in eum articulum fidem esse necessariam.

CONCLUSIO 1. Fides explicita de Christo Messia, seu qua distinctè creditur, Jesum Nazarenum esse Christum, seu Messiam in lege promissum, ad salutem necessaria est necessitate medii.

Probatur 1. ex Scriptura. Joannis 3. hæc habentur: *Qui non credit, jam judicatus est*: Sed cur judicatus est? *Quia* (inquit) *non credit in nomine unigeniti Filii Dei*. Nec dici potest, locum illum intelligi posse de sola necessitate præcepti: nempe Christus comparat fidem in se ipsum cum aspectu in serpentem, quem Moyses erexerat in deserto: *Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: Atqui actualis aspectus in illum serpentem necessarius erat necessitate medii ad obtinendam corporis salutem: ergo fides explicita in Christum eadem quoque necessitate necessaria est, ut quis post promulgatum Evangelium animæ salutem consequatur. Capite 14. docetur, fidem in Christum non minus esse nunc necessariam, quam fides in Deum: *Creditis in Deum* (ait Christus ipse) *& in me credite*: Sed fides explicita in Deum necessaria est necessitate medii: ergo & fides explicita in Christum. Capite 17. iterum fides in Christum comparatur cum fide in Deum, asseriturque, istam esse viam non minùs necessariam, quam sit illa: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: ergo, &c.

Probatur 2. ex Traditione. Irenæus lib. 3. cap. 21. excludit, à regno cœlorum eos, qui Christum non noverint: *Ignorantes autem eum, qui ex Virgine est Emmanuel, privantur munere ejus, quod est vita æterna*. Augustinus libro de Corrept. & grat. cap. 7. scribit, à damnatione liberandos non esse, qui fidem in Christum non habuerint, quamvis Evangelium ipsis annuntiatum non fuerit: *Si enim, sicut Veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui poterunt dicere non se audisse Evangelium Christi, cum fides ex auditu sit*, &c.

Probatur 3. rationibus. Primò, dogma Catholicum est, sine baptismi voto neminem salvari posse; ita enim Concilium Tridentinum definit; atqui votum baptismi non potest haberi sine explicita fide in illius auctorem, qui Christus est Dominus. 2. Inter necessarias ad justificationem dispositiones, eadem Synodus sess. 6. cap. 6. recenset fidem in Christum, quæ ex auditu concipiatur. 3. Si fides, quod Jesus Nazarenus sit Messias lege promissus, necessaria non sit ad salutem, Judæi, qui Messiam sperant, salutem in Judaismo consequi possent. 4. Apostoli, iique qui illis successerunt, parum prudentes fuissent id prædicare, quod Judæis est scandalum, & gentibus stultitia, si non judicarunt, ad salutem esse necessarium necessitate medii.

CONCLUSIO 2. Articulus de Christi divinitate non ex iis est, quos quisque absque salutis dispendio pro libito aut amplecti aut rejicere possit.

Probatur 1. Certissimum est, articulum, de quo agitur, cujusque Christiani arbitrio permissum non fuisse à Patribus primi Nicæni Concilii; nimirum anathema dixerunt Ario neganti, Verbi cum Deo Patre consubstantialitatem. Ephesina prima Synodus Nestorio quoque anathema dixit, quod substantialem humanitatis Christi cum Verbo unionem inficiaretur. 2. Articulus ille non fuit quoque permissus Christianorum arbitrio à Patribus, qui tribus prioribus sæculis vixerunt. Ignatius Martyr in Epistola ad Ephesios, scribit eos, qui alterutram in Christo naturam negaverint, aut divinam aut humanam, summa cura vitandos esse: *Sunt enim* (ait) *canes rabidi, latenter mordentes, quos oportet vos observare, existentes difficilè curabiles: unus est enim medicus carnalis & spiritualis, factus & non factus, in carne Deus, in morte vita æterna, & ex Maria, & ex Deo*. Irenæus lib. 3. cap. 31. de Cerinthianis, & Ebio-

næis

næis sic loquitur: *Rursùs autem, qui nudè tantùm hominem eum dicunt ex Joseph generatum, perseverantes in servitute pristina inobedientiæ, moriuntur*. Dionysius Alexandrinus apud Athanasium de decretis Synodi Nicænæ scribit, blasphemum esse, qui dicit *Dominum quodammodo manufactum*. Tandem secundum Concilium Antiochenum, quod Aureliani Imperatoris temporibus habitum est, depositione & anathemate damnavit Paulum Samosatenum, quod Christo divinitatem abdicaret.

CONCLUSIO 3. Fides explicita de Christi divinitate, non modò cujusque arbitrio non permittitur, sed præterea est ad salutem necessaria necessitate medii.

Probatur. Ignatius Martyr loco ad defensionem nostræ secundæ Conclusionis laudato scribit, eos, qui Christo divinitatem abdicant, versari in summo periculo salutis, *existentes difficilè curabiles*, quod unus sit medicus homo Deus; hoc est, quod non habentibus fidem in Christum Deum, spes non sit salutem, per eum, qui unus est hominis medicus, consequendi.

Irenæus loco superiùs adducto docet, non liberari per Filium eos, qui Christum nude tantum hominem dicunt. Addit, eos qui ignorant Verbi cum humana natura commixtionem, non assecuturos esse vitam æternam: *Ignorantes autem eum, qui ex virgine est, Emmanuel* (hoc est, nobiscum Deus) *privantur munere ejus, quod est vita æterna*.

Origenes (ut habetur in apol. Pamphili martyris) docet 1. Apostolos quædam creditu absolutè necessaria omnibus, vel etiam rudioribus, tradidisse: *Illud tamen scire oportet, quoniam S. Apostoli fidem Christi prædicantes, de quibusdam quidem, quæcumque necessaria crediderunt omnibus credentibus, etiam his, qui pigriores erga inquisitionem divinæ scientiæ videbantur, manifestè tradiderunt*. Docet 2. has esse species rerum necessariarum, quas Apostoli omnibus tradiderunt, *Quod unus sit Deus; quod hic Deus in novissimis diebus misit Dominum Jesum Christum; quod Jesus Christus, qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre est ...... Incarnatus est cum Deus esset, & homo factus, mansit quod Deus erat*.

Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone multis argumentis probat, Prophetas prædixisse Messiam lege promissum futurum esse Deum, additque, ejusmodi articuli fidem ad salutem requiri: eum enim recenset inter eos, quos quisque Christianus profiteri debet. Sed quæ fuerit Justini mens, patebit clariùs ex responsione ad subsequens argumentum, quod ab Episcopio, aliisque Socinianis demonstrativum judicatur.

Objicies 1. Justinus in dialogo cum Tryphone docet 1. non sequi, Jesum Nazarenum non esse Christum lege promissum ex eo, quòd probari non possit eum esse Deum: *Verum enim verò, ò Trypho, non amittitur illud, hunc esse Christum Dei, si probare nequeam, & extitisse ipsum prius filium conditoris hujus universitatis, esseque Deum*: Docet 2. aliquos suo tempore Christianos extitisse, qui licèt faterentur eum esse Christum, negarent tamen esse Deum: *Sunt enim nonnulli ex genere nostro, confitentes ipsum esse Christum, sed hominem ex hominibus genitum esse affirmant, quibus ego minime assentior*: unde sic arguitur. Non requiritur fides explicita de articulo quo, licet non probato, stat, quòd Jesus Nazarenus sit Messias; de articulo cujus impugnatores remanent in Ecclesiæ gremio; atqui ex Justino, articulo de divinitate Christi minime probato, stat Jesum Nazarenum esse Messiam; illius impugnatores remanserunt in Ecclesiæ gremio; eos enim Justinus ait fuisse *ex genere nostro*, hoc est, ex Ecclesiæ membris: ergo, &c.

Resp. conc. maj. dist. minorem. Articulo de divinitate Christi non probato, stat in Judæorum suppositione, Jesum Nazarenum esse Messiam lege promissum, conc. min. stat in rei veritate, neg. min. Tryphoni, contra quem Justinus disserit, cæterisque Judæis persuasum erat, Messiam non futurum esse Deum, sed purum hominem: *Omnes nos* (ait Trypho ad Justinum respondens) *Christum hominem ex hominibus nasciturum præstolamur*. Justinus, ut cum methodo procedat, primò per figuram, quam concessionem vocant, annuit Tryphoni suppositionem, quasi dixisset: dato & non concesso, quod ex Prophetis probari non possit, Messiam futurum esse Deum; inde tamen non sequitur, Jesum Nazarenum non esse Christum lege promissum: nempè Jesu Nazareno conveniunt characteres omnes, quos tu, cæterique Judæi, adscribitis Messiæ in lege promisso. Secundò, ubi Justinus, ne quæstiones implicaret, id per concessionem dedit Tryphoni, late postea probat, quod & ante jam probaverat, Prophetas docuisse, Messiam in lege promissum futurum esse Deum, additque, hunc etiam characterem Jesu Nazareno convenire.

Ad alteram propositionis partem, respondeo verba illa: *Ex genere nostro*, non esse idem ac ista, *Ex Ecclesia Catholica*; nempe non aliud significant, quam quod Ebionæi, quos tunc Justinus præ oculis habuit, Jesum Nazarenum pro Christo, quem lex promiserat, agnoscentes, Christianum nomen sibi vindicarent. Ratio est 1. quia idem S. Martyr in Apologia secunda ad Antoninum Pium, Simonem, Menandrum, & Marcionis discipulos, ex nomine, non ex Catholica professione, Christianos appellat: *Omnes hi* (inquit) *qui ab his prodeunt, Christiani vocantur, planè quemadmodum Philosophis, cum eis non sint communia dogmata, nomen tamen, quod a Philosophis ducitur, commune est*. Ratio est 2. quia si Justinus verbis istis, *Ex genere nostro*, intellexisset veræ Ecclesiæ membra, Ecclesiæ corpori intexuisset homines, qui Christum semine virili progenitum, non autem de Spiritu sancto conceptum profitebantur; scilicet (ut patet ex Justini textu) ii, de quibus est quæstio, *Christum hominem ex hominibus esse genitum affirmabant*.

Instabis 1. Justinus de iis Christianis loquens, qui Christo divinitatem abdicabant, nullam eis hæreseos notam inurit, sed suum tantum dissensum opponit: *Quibus ego* (inquit) *minimè assentior*. 2. Mirum videri non debet, Justinum eos, apud quos Christus audiit ut purus homo, habuisse pro veræ Ecclesiæ membria, cum & Socratem & Heraclitum, aliosque Philosophos, qui ad rationis normam mores suos exegerunt, in Apologia, quæ secunda inscribitur, habuerit pro Christianis, qui cum Christo Dei primogenito vixerint.

Resp. ad 1. ideò Justinum iis, de quibus agitur, non inurere notam aliquam, quod cum illis rem non agat, obiterque eorum, in aliud intentus, meminerint. Nec necesse est, ut quoties scriptor vel obiter alicujus hæretici nomen recitat, toties ipsum hæreticum appellet. Præterea falsò supponitur, quod iis, de quibus est quæstio, suum tantùm dissensum opponat; nimirùm expressè docet, eorum doctrinam humanum esse commentum, quod sacris litteris oppositum sit: *Quibus ego* (inquit) *minimè assentior, neque sanè plerique eadem mecum sentientes, illud dixerint. Siquidem non hominum traditionibus ac doctrinis jussi sumus a Christo credere, sed eis, quas beati Prophetæ promulgarunt, & ipse Christus docuit*.

Resp. ad 2. dist. ant. Justinus Philosophos appellat Christianos, secundum quid & imperfectè, conc. ant. simpliciter & absolutè, neg. ant. Philosophi, qui spretis Gentilium idolis, verum Deum coluerunt, multaque ad mores spectantia docuerunt, quæ rationi consentanea sunt, quoad illud caput a Sancto Justino Christiani appellati sunt; cum verò in Christum minime crediderint, nec alia præcipua Christianæ religionis dogmata professi sint, simpliciter & absolutè Christiani appellari non potuerunt. Quod verò ea fuerit Justini mens, patet ex eo, quod S. Martyr in eadem Apologia secunda ad Antoninum Pium sic loquatur: *Christum esse primogenitum*

Dei

Dei edocti sumus; ipsumque Rationem esse, cujus universum hominum genus est particeps, antea ostendimus. Et quicumque cum ratione vixere, Christiani sunt. In Apologia, quæ prima dicitur, licet revera secunda sit, scribit, hoc esse discrimen inter Philosophos & Christianos, quòd illi, *Juxta aliquam partem seminalis Rationis mores suos conformaverint,* isti econtra. *Secundum universæ Rationis, & Verbi hoc est Christi, notionem & contemplationem vivunt.*

Ne quis verò inde colligat, aliquem solo rationis lumine veram, ac cœlestem beatitudinem consequi posse obstant hæc, quæ S. Martyr scribit in Oratione Parenetica ad Græcos: *Undequaque ergo modis omnibus scire convenit, nullo planè pacto aliter, aut aliundè de Deo, vel de recto Dei cultu disci quidquam posse, quàm à Prophetis solis, qui divina inspiratione instati vos docent & instituunt.* Obstant quoque hæc alia, quæ in epistola ad Diognetum scribit: *Nemo mortalium Deum vel vidit, vel cognovit, sed ipse se ipsum ostendit, ostendit autem per fidem, cui soli Deum videre concessum est.*

CAPUT III.

Utrum ante Christi nativitatem præter Israeliticum populum gentes aliquæ fidem habuerint.

Not. 1. NON est hic quæstio de hominibus, qui ante Noemum vixere; nempe constat, eos unum ac verum Deum coluisse; nec enim in Scripturis legitur, quòd eorum aliquis inanes deos veneratus sit. Non est etiam quæstio de iis, qui a diluvio ad Abrahamum usque in humanis fuerunt: scilicet notum est, eos post turris Babylonicæ constructionem, & post suam in universum orbem dispersionem, ita successu temporis a Dei veri cultu recessisse, ut in sola familia Thare Patris Abraham remanserit, imò & aliquandiu etiam ex ea evanuerit. *Una igitur Thare domus erat* (inquit Augustinus lib. 16. de Civitate Dei, capite 12.) *de qua natus est Abraham, in qua unius Dei veri cultus, & quantùm credibile est, in qua jam sola etiam Hebræa lingua remanserat; quamvis & ipsa sicut jam manifestior Dei populus in Ægypto, ita in Mesopotamia servisse diis alienis, Jesu Nave narrante, referatur.* Quandiu verò unius ac veri Dei cultus a diluvio apud homines permanserit, difficile admodùm statui potest: *Post diluvium* (ait idem Augustinus lib. 16. de Civitate Dei, cap. 1.) *procurrentis sanctæ vestigia Civitatis, utrum continuata sint, an intercurrentibus impietatis interrupta temporibus, ita ut nullus hominum veri unius Dei cultor existeret, ad liquidum Scripturis loquentibus invenire difficile est: propterea, quòd in Canonicis libris post Noe...... non invenimus usque ad Abraham cujusquam pietatem evidenti divino eloquio prædicatam, nisi quòd Noe duos filios suos, Sem & Japhet, prophetica benedictione commendat, intuens & prævidens, quod longe post fuerat futurum*

Not. 2. Non est etiam quæstio, an privati aliqui homines ex speciali Dei privilegio, extra populum Israeliticum, ab Abrahæ temporibus verum Deum coluerint, fidemque, saltem implicitam, in Christum futurum habuerint: scilicet certo certius est, Melchisedecum, qui Abrahamo ex prælio revertenti occurrit, unum ac verum Deum coluisse, obtulisseque sacrificium, quod typus fuit sacrificii incruenti, quod Christus obtulit in ultima cœna, quodque ad finem usque sæculorum in Ecclesia Christiana offeretur: *At verò* (ait Scriptura Genesis 14.) *Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelso, qui creavit cœlum & terram.* Certissimum pariter est, Jobum vera tum in Deum, tum in Christum fide donatum fuisse: *Homines autem quosdam* (ait Augustinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. 47.) *non terrena sed cœlesti societate ad veros Israelitas superna cives patriæ pertinentes etiam in aliis gentibus fuisse, negare Judæi non possunt: quia si negant, facillime convincuntur de sancto & admirabili viro Job, qui nec indigena, nec proselytus, id est, advena populi Israel fuit; sed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est: qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur.* Fuit verò Job (ut ibidem ait Augustinus) tertia generatione posterior, quam Israel. Potuisse etiam & alios esse apud nationes viros pios, docet ibidem Augustinus: *Divinitùs autem* (ait) *provisum fuisse non dubito, ut ex hoc uno sciremus, etiam per alias gentes esse potuisse, qui secundùm Deum vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad spiritalem Jerusalem.* Si quis verò roget, qui fieri potuerit, ut apud nationes aliqui privati veram in Deum & Christum fidem habuerint; respondendum erit homines illos aut ex majorum suorum per Sem & Japhet traditione, aut ex Abrahæ familia, aut ex speciali & immediata revelatione, suam in Christum fidem habuisse: *Quod* (ait ibidem Augustinus) *nemini, ut pertineret ad spiritalem Jerusalem, concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitùs revelatus est unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus: qui venturus in carne sic antiquis sanctis prænuntiabatur, quemadmodum nobis venisse nuntiatus est, ut una eademque per ipsum fides omnes in Dei Civitatem, Dei domum, Dei templum prædestinatos perducat ad Deum.*

Not. 3. Non est quoque quæstio de populis, ad quos Prophetæ tempore legis Mosaicæ divinitus missi sunt: nempè nemini dubium est, quin Ninivitæ, qui (ut ait Scriptura) ad prædicationem Jonæ pœnitentiam egerunt ante Christum natum, unum ac verum Deum aliquandiu coluerint, veramque a Jona idem in Christum futurum edocti sint: sed quæstio est de integra aliqua natione, de aliquo populo in unum reipublicæ corpus adunato, ad quem nulli Prophetæ missi sunt; & quæritur, utrum apud eam nationem, apud eum populum, qui extra gentem Judaicam fuerit, verus ac sincerus unius Dei cultus, tum interior, tum exterior ante Christum natum extiterit: ita ut populus ille vera fide, sincera charitate, fuerit præditus, ac sanctis ritibus usus sit.

Not. 4. De quæstione sic proposita prodiere nuper libri quidam gallico idiomate conscripti, in quibus asserebatur 1. Synarum gentem per duo circiter annorum millia ante Christum natum, puram ac integram conservasse unius ac veri Dei cognitionem, ab eaque toto eo tempore Deum verum ea ratione adoratum fuisse, ut Christianis & exemplo & instructioni esse potuerit. Asserebatur 2. eandem Synarum gentem uni ac vero Deo sacrificasse in templo omnium antiquissimo. Asserebatur 3. per amplissimum illud temporis spatium apud Synas fuisse fideles vera sanctitate præditos, plenos Dei Spiritu, regularum purissimæ charitatis observantissimos; ita ut hominum illorum sanctitatem, charitatem, Deus, etiam miraculis, confirmaverit. Asserebatur 4. nulli cumulatiùs, quam Synarum genti, Deum beneficiorum ac gratiarum dona contulisse.

CONCLUSIO. Extra Abrahami posteros nulla gens, nullus populus ante Christum natum veram ac puram religionem professus est.

Probatur 1. ex Scriptura. Sacri Codices, cùm de gentibus, quæ ante Christum natum vixere, loquuntur, eas indefinitè, imò & universim idololatras appellant. Psal. 95. *Omnes dii gentium dæmonia.* Psal. 113. *Simulacra gentium, argentum & aurum.* Deuteronomii cap. 13. *Si tibi volueris persuadere frater tuus clam dicens: Eamus & serviamus diis alienis quæ ignoras in circuitu*

cuitu

colte gentium, quę juxta vel procul sunt, ab initio usque ad finem terræ; non acquiescas ei. Actor. 4. *In præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas.*

Idem Sacri Codices gentibus idololatris, aut solos Israelitas aut solos Christianos opponunt. Ezechielis 25. *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo, quod dixerunt Moab & Seir, ecce sicut omnes gentes domus Juda.* 1. ad Corinth. 10. *Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant & non Deo: nolo autem vos fieri socios dæmoniorum.* Ad Ephes. 2. *Memores estote ...... vos gentes in carne ...... qui eratis in illo tempore sine Christo, alienati à conversatione Israel, & hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo.*

Eadem sacra Scriptura æternam mortem minatur gentibus omnibus, quod Deum ignorent. Psalm. 78. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.* Jeremiæ 10. *Effunde indignationem tuam super gentes, quæ te non cognoverunt.*

Ex iis autem locis sic conficitur argumentum: Si præter Israelitas tempore Veteris Testamenti, si præter Christianos tempore novi Testamenti extitisset gens aliqua, quæ verum Deum coluisset, immeritò sacri Codices solos Israelitas, solos Christianos idololatris opposuissent, immeritò eos duntaxat excepissent ab idololatrarum numero: non fuisset enim ratio, cur iisdem idololatris gentem eam, populum illum non opposuissent, apud quem fuisset sincerus veri Dei cultus; atqui, &c. ergo, &c.

Iisdem sacris codicibus docemur, vocationem gentium ad fidem nonnullis Christi discipulis incredibilem initio visam fuisse: *Et obstupuerunt* (ait Lucas Actor. 10.) *ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* Cap. 11. *Cum autem ascendisset Petrus Jerosolymam, disceptabant adversus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes?* Petrus rem à se gestam non confirmavit exemplo alicujus gentis, quæ tunc Deum verum coleret, & in quam effusus esset Spiritus sanctus; sed Dei revelatione sibi in somno facta, ac prodigiis, quibus illud Deus ipse confirmarat: Petro igitur cæterisque Apostolis ignotum erat, aliquas, præter Judæos, gentes extitisse, quæ verum Deum ante Christum natum coluissent, quæque fide & charitate præditæ fuissent: alioquin enim gentes eas opponere debuissent iis, quibus probatum non erat, quod Petrus accessisset ad incircumcisos, eisque Christianam religionem annuntiasset.

Tantùm abest, ut Apostoli in sui defensionem protulerint exemplum alicujus gentis, quæ extra populum Judaicum credidisset, quin è contra affirmarint, vocationem gentium mysterium esse quod tunc primum Apostolis revelatum sit: *Quod* (inquit Paulus ad Ephes. 3.) *aliis generationibus non est agnitum filiis hominum: sicut nunc revelatum est Sanctis Apostolis ejus, & Prophetis in Spiritu: Gentes esse cohæredes & concorporales promissionis ejus in Christo Jesu.* Nec id solum, sed prætereà Actorum 15. expresse negatur, mysterium illud in aliqua gente ante novi Testamenti tempora impletum fuisse; unde Paulus ad Rom. 7. docet, gentes, quæ Christianismo dederunt nomen, non habere propriam radicem, neque naturales ramos, sed insititias esse, easque beneficiis, quæ olim Judæis promissa fuerant, à Christi Salvatoris tempore tanquam advenas, & peregrinos uti.

Ex laudatis locis sic arguitur. Si ante Christum natum gens aliqua Deum verum coluisset, si apud aliquam vera fides, & sincera charitas extitissent, vocatio gentium visa non fuisset incredibilis primis Christi discipulis; eam Apostoli illius antiquæ gentis exemplo confirmassent; immeritò asseruissent, sibi primum revelatum fuisse mysterium de vocatione gentium, nec unquam dixissent, gentes non habere radicem, non esse naturales ramos: nimirum habuissent radicem in populis, qui extra Judaicum vero ac sincero cultu uni Deo servíissent; atqui &c. ergo, &c.

Respondent Adversarii, gentes omnes, ipsos etiam Synas, quingentis ante Christum annis defecisse à sincero Dei cultu, quem antea per annos bis mille integrum servaverant; ac proinde mirum non esse, quod Apostoli, eorum exemplo in confirmationem vocationis gentium usi non sint.

Sed frivola est ejusmodi responsio. Nam 1. à temeritate excusari non potest, cùm sine ulla prorsùs authoritate proferatur. 2. Qui Synarum religionem accuratius rimati sunt, ut Pater Longobardi, ex Sinarum historiis ac libris demonstrant, veteres Synas aut materiam primam coluisse, aut Manichæismo, quod postea prodiit, laborasse. 3. Illud annorum bis mille spatium, ipsum est tempus, quo Prophetæ scribebant, omnes omninò gentes esse idololatras; unumque Judaicum populum, verum Deum colere. 4. Etsi detur, Synas quingentis annis ante Christum à vera Dei religione defecisse, Apostoli ad confirmandam vocationem gentium usi fuissent exemplo veterum illorum Synarum, qui per annos bis mille Deo servíissent. 5. Universales sunt ac indefinitæ Scripturarum, quas laudavimus, sententiæ; sine ulla igitur exceptione temporum intelligendæ sunt.

Probatur iterum nostra Conclusio ex Traditione. 1. Cùm Pagani Christianis objicerent nostræ religionis novitatem, Patres, ut sese eo argumento liberarent, nusquam confugerunt ad gentem aliquam, quæ extra Judaicam, Deum verum coluisset, ac futurum expectasset Messiam; sed confugerunt ad unum Judaicum populum, ut videre est in primis nostræ religionis apologistis. 2. Patres expressè asserunt, omnes populos, uno excepto Israelitico, ab unius Dei cultu defecisse, ut idola venerarentur: *Deserta enim omnes gentes* (ait Justinus in Apologia ad Antoninum Pium) *à Deo vero erant, quod manuum operibus servirent.*

Lactant. lib. 4. Instit. cap 2. scribit, Phythagoram & Platonem apud nullam omninò gentem repertisse sapientiam, quòd ad Judæos non accessissent, divinam id impediente providentia: *Ne* (inquit) *scire possent veritatem, quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem veri Dei, justitiamque cognoscere: Statuerat enim Deus, appropinquante ultimo tempore ducem magnum cœlitùs mittere, qui eam perfido ingratoque populo oblatam, exteris gentibus revelaret.*

Eusebius lib. 2. demonstr. Evangel. demonstratione 1. scribit, mysterium de benedictione gentium in semine Abrahæ ideò olim latuisse, quod Abrahæ temporibus omnes gentes infando superstitionis errore tenerentur. S. Augustinus lib. 16. de Civ. Dei, cap. 12. expressè asserit, post diluvium in una Tharæ domo veri Dei cultum permansisse: *Proindè sicut per aquarum diluvium una domus Noë remanserat ad reparandum genus humanum, sic in diluvio multarum superstitionum per universum mundum una remanserat domus Thare, in qua custodia est plantatio Civitatis Dei.* Lib. 18. cap. 47. hæc ait: *Populus enim verè, qui propriè Dei populus diceretur,* præter Judaicum, *nullus alius fuit.*

Chrysostomus in Psalm. 95. docet, tempore veteris Testamenti cantari non potuisse Canticum Domini in terra aliena, hoc est, extra Judaicam.

Cyrillus lib. 3. in Julianum apostatam asserit Judæis solis datam esse legem, quod aliæ omnes gentes essent idololatræ. Objicienti Juliano, cur Deus ad alios, ab Hebræo populos, Prophetas non misissent, non respondet, ad Synas aut aliquam aliam gentē missos esse,

sed

sed ad inscrutabilia Dei judicia recurrit.

Auctor libri de vocatione gentium, lib. 1. cap. 13. sic loquitur: *Gentium non est prius facta vocatio*. Cap. 21. ait: *Esse absconditum, cur omnibus gentibus pretermissis, unum populum sibi, quem ad veritatis cognitionem erudiret, excepit*. Lib. 2. cap. 14. *Tam pauci fuerunt, ut vix cognoscatur, an fuerint*. Vide ea loca, ac plura alia fusius pertractata in libro, qui nuper cum hac superscriptione prodiit: *Tractatus dogmaticus de vocatione gentium*.

Objicies 1. Psal. 104. Joseph a Pharaone constitutus est, *ut erudiret principes ejus sicut se ipsum, & senes ejus prudentiam doceret*. Melchisedech Abrahæ temporibus in urbe Salem Sacerdos erat Dei summi: ergo saltem urbs Salem Deum verum colebat; Sybillæ de Christo prophetarunt. Eusebius libro 6. de præparatione Evangelica, scribit, Brachmanes extitisse suo tempore, qui *soli Deo* attendentes, rationis dictamen in suis moribus sequerentur. *Apud Indos autem* (ait cap. 8.) *& Baltres multa millia hominum sunt, qui Brachmanes appellantur, si eam traditione Patrum, quam legibus, nec simulacbra colunt, nec animatum aliquid comedunt, vinum aut cervisiam nunquam bibunt, ab omni malignitate absunt, soli Deo attendentes*.

Resp. ad 1. prudentiam, quam senes suos Pharao doceri voluerat, fuisse politicam, quam adversùs famem, quæ vexarat Ægyptum, aliaque pericula, quibus Joseph consuluerat, regnum suum tutaretur imposterum.

Resp. ad 2. ex Melchisedecis Sacerdotio colligi quidem privatos, quosdam extra Abrahami posteros verum Deum coluisse, sed non aliquam gentem integram: nempe præterquam, quod Salem tunc temporis oppidum erat exiguum, Scriptura non dicit, quod totius oppidi Sacerdos esset, sed Rex tantum.

Resp. ad 3. dato (quod tamen non pauci negant) Sybillas de Christo prophetasse, non sequitur eas, aut eos, quibus prophetabant, purum ac sincerum cultum vero Deo exhibuisse; siquidem Prophetiæ donum cum impietate conjungi potest, ut patet in Balaam, Caipha, pluribusque aliis: *Quapropter* (inquit Augustinus lib. 18. de Civ. Dei, cap. 47.) *quisquis alienigena, id est, non ex Israel progenitus, nec ab illo populo in Canonem sacrarum litterarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram notitiam venit aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari potest; non quod necessarius sit, etiamsi desit; sed quia non incongruè creditur fuisse, & in aliis gentibus homines, quibus hoc mysterium revelatum est, & qui hoc etiam prædicare impulsi sunt, sive participes ejusdem gratiæ fuerint, sive expertes; sed per malos Angelos docti sunt, quos etiam præsentem Christum, quem Judæi non agnoscebant, scimus fuisse confessos*.

Resp. ad 5. Brachmanes non unam gentem fuisse, sed plurium gentium Philosophos; ac proindè ex eorum exemplo non concluditur, integras nationes, ante Christum natum, Deum verum coluisse. Præterea en tantum sensu dicuntur non adorasse simulachra, quòd Solem & Lunam, aut quid aliud suis sensibus subjectum immediatè, non autem in eorum simulachris adorarent. Nec id mirum est; qua enim ratione simulachra Lunæ, aut Solis adorasent, qui nec sculpendi, nec pingendi artem noverant? Scribit idem Eusebius lib. 9. Præpar. Evang. cap. 3. Numam Romanis prohibuisse, ne ullam imaginem Deo tribuerent: unde (ait) annis centum atque septuaginta nullam imaginem, ne sculptam, nec pictam, in templis Romanorum conspici potuit. Nec obstant hæ voces, *soli Deo attendentes*; significant enim eos ad cultum inanis Dei, quem colebant, attentos se præbuisse, ne quid agerent, quod ab eo castigari posset. Tandem cum nec Dei ut Authoris naturæ cognitio, nec opera externa ad rationis normam exacta sine fide, in Christum, satis sint ad pietatem: ex eo quod nonnulli Philosophi lumine naturali Deum cognoverint, colligi non potest, eos pium cultum Deo exhibuisse, eos vera ac sincera charitate fuisse præditos.

Iis, quæ toto hoc in capite dicta sunt, robur maximum addi potest ex censura, quam adversùs doctrinam nostræ Conclusioni contrariam nuper tulit Facultas Theologica Parisiensis: operæ pretium ducimus hic eam Lectorum oculis subjicere.

CENSURA

Facultatis Theologicæ Parisiensis adversùs propositiones excerptas ex libris, quorum hæc est superscriptio:

Nouveaux Memoires sur l'Etat present de la Chine. Histoire de l'Edit de l'Empereur de la Chine. Lettres des Ceremonies de la Chine.

CUM anno Domini 1700. die prima Julii, in Comitiis ordinariis Sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis, habitis in Collegio Sorbonæ, post Missam de Spiritu sancto solemniter, ut moris est, celebratam; S. M. N. Salomon Priour Doctor ejusdem Facultatis è Societate Sorbonica detulisset ad sacram Facultatem quosdam Libros vernaculo sermone scriptos, & typis editos sub his titulis: *Nouveaux Memoires sur l'etat present de la Chine, imprimez à Paris, chez Jean Anisson, en 1696. & en 1697. Histoire de l'Edit de l'Empereur de la Chine, imprimée par le meme Jean Anisson, en 1698. Lettre sur les ceremonies de la Chine, imprimée à Liege, chez Daniel Moumal, en 1700.* In quibus Libris quasdam propositiones contineri contendebat, dictæ Facultatis censoria animadversione dignas. Selecti sunt ad postulationem S. M. N. Guilielmi le Bas ejusdem Facultatis Syndici, octo Magistri, qui una cum D. D. Decano & Syndico dictos Libros diligenter & accuratè legerent, expenderent, & de iis ad Facultatem referrent. Quod cum illi in variis consessibus privatis, in ædibus Sacræ Facultatis per dictum mensem habitis, præstitissent; die secunda mensis Augusti ejusdem anni, D. D. Deputatorum antiquior ea, quæ fuerant per eosdem D. D. Deputatos acta, retulit, exhibuitque propositiones quasdam excerptas ex dictis Libris, quas SS. MM. NN. Deputati concordi consensu damnandas censuerunt; simulque censuræ notas, quibus eas esse configendas existimarunt.

Quibus auditis, & ea de re duobus comitiis, diebus scilicet 2. & 3. mensis Augusti habitis, decrevit Sacra Facultas, typis mandandum esse Indiculum dictarum propositionum absque censuræ notis, illumque singulis Magistris esse distribuendum. Et assignata sunt comitia ad diem 17. ejusdem mensis Augusti, ut de iis deliberaret Sacra Facultas.

In quibus comitiis, auditis tum primum quibusdam è SS. MM. NN. Deputatis, & habitis triginta Congregationibus, in quibus centum sexaginta Magistri sententiam dixerunt, die tandem 18. mensis Octobris ejusdem anni prædictas propositiones damnandas censuit Sacra Facultas, & reverà, ac de facto damnavit in hunc modum.

I.

Le peuple de la Chine a conservé près de deux mil ans la connoissance du veritable Dieu, & l'a honnoré d'une maniere, qui peut servir d'exemple & d'instruction meme aux Chretiens. *Memoires de la Chine, Tom. 2. p. 141. de la primiere Edition, & 114. de la troisieme.*

CEN-

C E N S U R A.

Hæc propositio est falsa, temeraria, scandalosa, erronea, sanctæ Religioni Christianæ injuriosa.

II.

Si la Judée a eu l'avantage de consacrer fon Temple à Dieu plus riche & plus magnifique, sanctifié meme par la presence, & par les prieres du Redempteur, ce n'est pas une petite gloire à la Chine d'avoir sacrifié au Createur dans le plus ancien Temple de l'Univers. *Ibid. p.134. & 135. de la premiere Edition, & 109. de la troisieme.*

C E N S U R A.

Hæc propositio est falsa, & temeraria.

III.

La Morale des Chinois parut aussi pure, que la Religion. *Lettre sur les Ceremonies de la Chine, pag. 32.*

La Chine a pratiqué les maximes les plus pures de la Morale, tandis que l'Europe & presque tout le reste du monde, étoit dans l'erreur, & dans la corruption. *Memoires de la Chine, Tom.2. p. 147. & 148. de la premiere Edition, & 118.119. de la troisieme.*

La connoissance du vray Dieu, qui avoit duré plusieurs siecles aprés le regne de l'Empereur *Yam Vam*, & meme fort probablement longtemps apres Confucius, ne se conserva pas toujours dans cette primiere pureté. L'idolatrie s'empara enfin des esprits, & les mœurs devinrent si corrompues, que la Foy n'etant plus qu'une occasion d'un plus grand mal, fut peu à peu otée (aux Chinois) par un juste jugement de Dieu. *Ibid. pag. 148. de la premiere Edition, & 120. de la troisieme.*

Outre le culte interieur, qui ètoit recommandé, on s'attachoit avec scrupule jusqu'aux moindres ceremonies exterieures. *Ibid.p.141.& 142. de la premiere Edition & 114. de la troisieme.*

Tchuven Hio, cinquieme Empereur de la Chine, nomma des Prestres, ou Mandarins Ecclesiastiques en diverses Provinces, pour presider aux Sacrifices. *Ibid. p.135. de la premiere Edition, & 109. de la troisieme.*

Confucius dit à son fils: Les Saints se sont d'abord appliquez aux choses les plus aisées. *Ibid. T.1.p.431. de la primiere Edition, & 347. de la troisieme.*

Un Philosophe du Pays luy dit un jour (à Confucius) vous, qui estes le petit fils d'un Saint. *Ibid.p.421. de la premiere Edition, & 339. de la troisieme.*

Confucius tachoit en tout d'imiter son ayeul, qui vivoit pour lors à la Chine en odeur de Sainteté. *Ibid. p.406 de la premiere Edition, & 327. de la troisieme.*

Confucius etant mort, il fut pleuré de tout l'Empire, qui dès ce temps-la l'honora comme un Saint. *Ibid. p.418. de la premiere Edition, & 336 de la troisieme.*

Son humilité, & sa modestie donneroient lieu de croire, que ce n'a pas esté un pur Philosophe formé par la raison, mais un Homme inspiré de Dieu pour la reforme de ce nouveau monde. *Ib. p 416. de la primiere Edition, & 335. de la troisieme.*

On raconte dans l'Histoire, que l'Imperatrice femme de *Tino* Roy de la Chine étant sterile, demanda à Dieu des enfans avec une si grande ferveur durant le temps du Sacrifice, qu'elle conceut peu de jours après, & accoucha dans la suite d'un fils celebre par quarante Empereurs consecutifs, que sa famille donna à la Chine. *Ib Tom.2.p.135. de la premiere Edition, & 109. de la troisieme.*

Cete pieté du Principe toucha le Ciel, l'air se chargea de nuages, & une pluye universelle, qui tomba sur l'heure, donna en son temps a tout l'Empire, une abondante recolte. *Ibid. p.145. de la premiere Edition, & 117. de la troisieme.*

Vou Vam, Fondateur de la troisieme Race, offroit luy-meme des Sacrifices selon l'ancienne coutume; & son frere........ le voyant un jour en danger de mourir, se prosterna devant la Majesté divine pour en obtenir la guerison....... Pour moy, Seigneur, ajouta ce bon Prince, je suis peu utile en ce monde, s'il vous faut une victime, je vous offre de tout mon cœur ma vie en sacrifice, prourvu, que vous conserviez mon Maistre, mon Roy, & mon Frere. L'histoire assure, qu'il fut exaucé, & qu'il mourut en effet après sa priere.

Exemple, qui prouve manifestement, que nonseulement l'esprit de la Religion s'estoit conserve parmi ces peuples (Chinois) mais, qu'on y suivoit encores les maximes de la plus pure charité, qui en fait la perfection, & le caractere. *Ib. p.317. & 138. de la premiere Edit. & 111. de la troisieme.*

Ces peuples (Chinois) anciennement si sages, si pleins de la connoissance, & si je l'ose dire, de l'Esprit de Dieu. *Ibid. p. 173. de la premiere Edition, & 148. de la troisieme.*

C E N S U R A.

Doctrina his propositionibus contenta, nempè, *Moralis disciplinæ puritatem, morum sanctitatem, fidem, cultum Dei veri internum & externum, sacerdotes, sacrificia, sanctos, ac homines inspiratos à Deo, miracula, spiritum Religionis, purissimam charitatem, quæ Religionis est perfectio, & character, & si ausim dicere,* inquit Auctor, *Spiritum Dei, apud Synas olim per duo annorum millia vel amplius permansisse*; falsa est, temeraria, scandalosa, impia, Verbo Dei contraria, hæretica, Christianæ Fidei & Religionis eversiva, virtutem Passionis Christi & Crucis ejus evacuans.

IV.

Quoy-qu'il en soit, dans la sage distribution des graces, que la Providence divine a faite parmi les nations de la terre, la Chine n'a pas sujet de se plaindre, puisqu'il n'y en a aucune, qui ait esté plus constamment favorisée: *Memoires de la Chine, Tom.2.p.147.& 148. de la premiere Edition, & 119. de la troisieme.*

C E N S U R A.

Hæc propositio falsa est, temeraria, erronea, & verbo Dei contraria.

Qu'au reste il ne faloit pas, que Sa Majesté (Chinoise) regardat la Religion Chretienne comme une Religion etrangere, puisqu'elle estoit la meme dans ses principes, & dans ses Points fondamentaux, que l'ancienne Religion dont les Sages & les premiers Empereurs de la Chine faisoient profession, adorant le meme Dieu, que les Chretiens adorent, & le reconnoissant aussi bien qu'eux pour le Seigneur du ciel & de la terre. *Histoire de l'Edit de l'Empereur de la Chine, Lib. II. p. 104.*

CEN-

CENSURA.

Hæc propositio est falsa, temeraria, scandalosa & erronea.

Insuper declarat sacra Facultas, suæ mentis non esse probare cætera, quæ in prædictis Libris continentur.

Actum in Sorbona, die 18. Octobris, & recognitum ac confirmatum die 19. ejusdem mensis, anno Domini supra millesimum septingentesimo.

Partis Quartę Institutionum Theologicarum, et Tomi Primi Finis.